GENERALITAT VALENCIANA
CONSELLERIA DE CULTURA I EDUCACIÓ
DIRECCIÓ GENERAL DEL LLIBRE, ARXIUS I BIBLIOTEQUES

Biblioteca Valenciana

S. XVIII

SIGNATURA

982

DIVUS THOMAS

CUM PATRIBUS EX PROPHETIS LOCUTUS,

Priſcorum ac Recentium errorum ſpurciſsimas tenebras, Myſticam Theologiam obſcurare molientes,

ANGELICE DISSIPANS.

SIVE

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ, ET MYSTICO-DOCTRINALES AD SENSUM ET LITTERAM

DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,

QUAS

PUBLICÆ CONSIGNAVIT UTILITATI,

SUB AUSPICIIS VENERABILIS EUCHARISTIÆ SACRAMENTI, ET DIVI MAURI ROMANI MARTYRIS,

VINCENTIUS CALATAYUD

MAX. AC REG. COLLEGII CORPORIS CHRISTI ALUMNUS, Liberalium Artium Magiſter, ſemel ac iterum in Valentina Univerſitate Profeſſor & Cenſor, Sacræ Scientiæ Doctor, Metaphyſices jam, nunc Theologiæ Scholaſticæ Profeſſor Primarius, Congregationis Oratorii Divi Philippi Nerii ejuſdem Civitatis Presbyter, ac in Eccleſia Metropolitana Præpoſitus.

TOMUS PRIMUS.



VALENTIÆ IN HISPANIA TARRACONENSI.

Apud Hieronymum Conejos, Metropolitanæ Eccleſiæ Typographum. Anno M. DCC. XLIV.

Cum Privilegio Catholici Hiſpaniarum Regis & Superiorum licentia.

ILLUSTRISS.^MO^ AC REVER.^MO^ DOMINO

D. ANDREÆ MAJORALI,

Complutenſis Ildephonſiani Collegii primùm Convictori, Complutenſiſque Academiæ Philoſophiæ Cathedrario, deinde in Legionenſis Eccleſiæ, nec multò pòſt in Metropolitanę Hiſpalenſis Canonicorum cœtum cooptato, Septenſium præterea Antiſtiti, impræſentiarum autem digniſsimo Hiſpano-Valentinorum Pontifici, Regioque Conſiliario, bonarum Artium cultori, & Patrono Optimo, benigniſsimoque,

Vincentius Calatayud, Oratorii Presbyter, & Valentinæ Eccleſiæ Præpoſitus Theologus.

S. P. D.

ADeò varia, fœdáque errorum monſtra, PRINCEPS AMPLISSIME, in vineam Domini Sabaoth noſtris etiam temporibus Draco tartareus evomuit: ut non potúerim, quin ad ea confodienda (quod & alii non ſine laude tentarûnt) Theologicæ doctrinæ gladium divinâ ope fretus arriperem. Quis enim ferat, errantes has belluas, ut tenéllis fide-

lium palmitibus cladem inferant graviorem, ſub Catholicarum Inſtitutionum larvâ, Myſticæque Theologiæ ſpecie, vulpino more prorépere? Quemádmodùm enim in rebus humanis nihil eſt Dogmaticâ, & Myſticâ Theologiâ ſecundùm Catholicæ Fidei regulam intellectâ, & ad veræ pietâtis ſtudium accommodatâ præſtantius, bonorúmque animis jucundius, & magis Eccleſiæ ſalutâre: quum ex divino hoc ſémine in hominum animis inſperſo, lætiſsima virtutum omnium ſeges emergat, fructúſque uberrimi ſanè proveniant: ita, vice versâ, vix quidquam reperias, quod eâdem Sacrâ Doctrinâ pérperàm acceptâ, & ad impuros animi motûs explendos detortâ perniciosius, ad ſanctiſsimæque religionis diſciplinam corrumpendam, disjiciendámque opportunius, ad exitioſas denique impiarum opinionum peſtes in Rempublicam Chriſtianã invehendas eſſe poſsit efficacius. Ego verò tacitâ ſæpe mecum cogitatione pervolvens, quanta eſſet hac tempeſtate multorum in ſacris Litteris perversè tractandis, depravandíſque vel licentia, vel furor; &, quanti hinc malorum fluctûs Chriſtianum orbem obrúerent, univerſámque Eccleſiam úndique concuſſam exagitarent; non alienum ab inſtituto meo exiſtimavi, ſi omne meum ſtudium eò conferrem, ut Heterodoxorum hominum vana commenta Scholaſticæ Theologiæ ſubſidio depéllerem, Dogmaticæ verò & Myſticæ fulcro, Patrum teſtimoniis, Conciliorúmque ſanctionibus Catholicorum Dogma firmarem. Pluribus autem profuturus, quòd non ad Cleanthis tantùm lucernam, ſed ad D. Thomæ Aquinâtis etiam lucubraverim, quæ in hanc rem momenta congeſſeram, publicâ luce donare conſtitui. Quo factum eſt, ut operi tam multos, petulantéſque hoſtes habituro, qui ad prava & impia dógmata confirmanda, Euangelii veritatem, omni abjecto pudôre, rapiunt, & malitiosè convertunt, patrocinium alicujus Męcenatis exquirerem.

Cogitanti autem mihi quemnam potiſsimùm deligerem, ſub cujus auſpiciis primum hocce Scholaſtico-Dogmaticæ, Myſticæque Theologiæ Volúmen in vulgus éderem, unus TU, VIR ORNATISSIME, ſemper animo obverſabaris. Quid ni? Dei namque Sacerdos es: & *Spicarum manipulos, primitias meſsis, ad Sacerdotem deferri*, jam dudum prępecit Altiſsimus. Quapropter has operis mei primitias, qualeſcũque demum illæ judicabuntur, nulli ſanè libentiùs, quàm TIBI, PRÆSUL HUMANISSIME, offerendas, dedicandáſque putavi: TEque oro, & obteſtor, ut, me Catholicis, ideſt, legitimis armis cum conjuratis Catholicorum hoſtibus depugnante, non modò ſpectator intentus, ſed fidus etiam Patronus adeſſe non rénuas. Tantum enim eſt nomen TUUM, tantáque auctóritas, ut, quod patrocinio TUO commendatum eſt, adversùs æmulorum latratûs, & inſultûs ſeſe facilè tueatur. Nam ingenii TUI vim, ac præſtantiam ſingularem in Eccleſię adminiſtratione non obſcurè cunctis oſtendis, & animi heróicâ fortitudine res labentes érigis, & arduas mirâ ſollertiâ moderaris. Qua cauſsâ necdum è longè diſſitâ Septæ Urbe in Hiſpaniam cogitaveras, quum jam nobis hærebas in medullis, quòd aures noſtras pernix de geſtis TUIS rumor impleverat. Ubi verò TE hûc ad nos Antiſtitem deſtinatum fama vulgavit, difficile dictu eſt, ea res quantâ lætitiâ affecerit univerſos. Atque ad primum nuncium inter feſtas læta ominantium voces identidem acclamabatur: Valentinæ & Urbi, & Eccleſiæ aſtri benignioris adſpectu datus eſt Archiepiſcopus MAJO-

MAJORALIS, genio mitis, ingenio clarus, moribus clemens, virtute ſobrius, æquitatis amans, ſui profuſus, alieni abſtinens: &, ut rem in pauca conferam, omnes ad unum vehementer patriæ gratulabamur. Generis enim, & natalium ſplendor, quo cohoneſtaris, eximiæque virtutes, quas ab optimis parentibus unà cum lacte ſuxiſti, omnia nobis áffatim promittebant. Nec injuriâ: ſiquidem is es, cui pauci ádmodùm ſimiles valeant inveniri; ut ex his, quæ hactenùs in commune bonum contuliſti, vel qui lolio veſcitur, ſatis, ſupérque deprehendet. Neque enim anguſta TIBI domi res eſt, ſed affluentes opes, quibus non ad luxum unquam, & delicias (quod ſolent plerîque omnes) ſed, ut viatico ad virtutem uſus fuiſti. Poſtquàm autem clariſsimo ſapientiæ lumine cum vitæ probitâte conjuncto & Legionenſis, & Hiſpalenſis Eccleſiæ Canonicis præfulſiſti, quaſi TIBI ad gloriam anguſtior eſſet campus Hiſpanæ Peninſulæ; conſultò TE Rex Catholicus dignum exiſtimavit, qui ad Septenſium Sedem apud Mauritanos evectus, virtutum radios quaquaverſùs latiùs effunderes. Nec ſua Regem fefellit opinio: quum, TE ſuper candelabrum poſito, ſtatim egregiæ animi TUI dotes omnibus vel Barbaris patuêre. An non ibi patuit & ardens Fidei tuendæ, propagandæque zelus, & animi TUI robur invictum? Patuit ſanè, quum ad XVI. Kalendas Novembris Anno ſuperiore milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo ſecundo, Catholicis Militibus in Fidei hoſtes impreſsionem facturis, ut Septę finibus eos arcêrent; non armorum ſtragem minitantium fulgor, non in ordinem digeſtæ Maurorum acies, non earumdem clamor intémperans, non denique plumbeârum glândium grando terribilis, intra Arcis mœnia TE potuit continêre,

ne

nè in Barbarorum caſtra prorrúmperes, animos Chriſtianorum copiis additurus. Næ, quam nomine præfers, fortitudinem geſtis pulcherrimis demonſtraſti: Macte virtute eſto, qui à paſtoribus, in quos Ezechiel invéhitur, longè alium TE præbens, *aſcendiſti ex adverſo, & oppoſuiſti murum pro domo Iſrael, ut ſtares in prœlio in die Domini.* *Ezech. 13. v. 5.* Egiſti verò, quemádmodùm erudítiſsimus ille Nehemias *Eſdræ 2. 4. 17.* Sacerdos in Lege verſatiſsimus, qui & Deum aſſiduis precibus demerebatur; & Judæos, ut murum Jeruſalem alterâ manu conſtrúerent, alterâ ſtrictum in Dei hoſtes gladium tenérent, gratis hortationibus accendere ſatagebat.

Etſi verò ſtabilis hæc fortitudo TUA ſupra vulgarem cothurnum ſe ſúbrigat, & miranda tantùm non omnibus videâtur: eam tamen, quamquàm ſuſpiciat, & prædicet, mirari déſinet, quiſquis TE in inclyto Alphonſiano Complutenſi Collegio (unde primus à Divo Thoma à Villanova Valentinorum Archiepiſcopus prodiiſti) non ad ſubtília tantùm Minervæ ſtudia, ſed ad gravia etiam Martis opera ſenſerit inſtitutum. Quis enim laudati Collegii, Complutenſíſque Academiæ Auctor fuit, ſeu Inſtitutor? Non alius planè, quàm Heros ille Lauro digniſsimus, doctrinâ celeberrimus, virtute clariſsimus, animi magnitudine prȩſtantiſſimus (quem honoris cauſsâ nomino) Excellentiſsimus nempe, Eminentiſsimúſque Dominus D. FRANCISCUS CARDINALIS XIMENIUS DE CISNEROS, Toletanus Antiſtes, Eliſabethæ Reginæ Catholicæ à Sacris Confeſsionibus, Generalis violatæ Religionis Quæſitor, glorioſus Icoſii, ſeu Madaurȩ Urbis in Mauritania quoque Cȩſarienſi (ORANUM vócitant) Expugnator. Degéneres autem animos timor arguit:

ne-

neque decet filios virtutis parentum eſſe degéneres. Ut enim præclarè cécinit Venuſinus, [Horat. lib. iv. Ode. iv.]

Fortes creantur fortibus: & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis Patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam:
Rectique cultus pectora roborant.

Tales ergo, tantóſque animi Patres nactus quum ſis, quid mirum, ſi eos duces ſequens TU quoque tantus evaſeris, quantum vix poſsit dicendo cónſequi Tulliâna facundia? Verùm ego, ut ipſe noſti, ab adulandi vitio ſum alienus, & præſens locus in TUIS me laudibus prolixiorem eſſe non pátitur, quæ alium profectò, & eloquentiorem poſtulant encomiaſten. Quod ſupereſt, me, quem benevolè fuiſti ſemper complexus, amare pergas, & hujúſmodi munuſculum benignè ſuſcipias; &, ſi infra amplitudinis TUÆ faſtigium eſſe judicabis, cogites velim, multas gentes diis lacte, & molâ quandoque ſalſâ litare, quòd thura non habeant. Vale. Valentię Edetanorum vii. Kal. Aprilis. Anno reparatæ ſalutis CIƆ IƆ CCXLIV.

JU-

SISTE LECTOR BENEVOLE.

FAVENTE Deo, in publicam emittitur lucem Volumen primum noſtrarum lucubrationum, in quibus qualem nobis attingendum ſcopum propoſuimus, quove motivo ducti rem aggreſsi ſumus ſupra exiles noſtras vires, benevolo Lectori indicandum pro more duximus. Ex eo enim tempore quo Sacris Ordinibus initiatus ad Miniſterium ſimul & Eccleſiaſticum honorem immeritus acceſsi: (utinam Deo vocante) adjuncto poſtmodùm edocendæ Sacræ Scientiæ publico munere, adſtrictum me conſideravi, ut pro qualitate talenti quantumvis exigui, cœleſtes uſuras operoſo & cœlo digno labore ſuperlucrandas attendere; malum aliàs, pigrum & inutilem ſervum imitaturus, exterioribus tenebris amandandum. Qualiter autem Evangelico lucro comparando laborare pro noſtro munere oporteat, [1. ad Timoth. 4. v. 16.] Apoſtolus indicavit ſuum erudiens Timotheum, ut *ſibi* & *doctrinę* attenderet: ſignificavit Angelicus Apoſtoli Diſcipulus, verba Jeſu-Chriſti ad lucrum illud hortantis, ita expendens: *Dupliciter aliquis* lucratur, *proficit: uno modo in ſe ipſo: alio modo in alio.* [Div. Thom. Comment. in c. 25. Matthæi.] In ſe, *ſi habet intelligentiam Scripturarum, ita ut proficiat. Si charitatem, ut proficiat aliis:: ut quod accepit, communicet::* Sic erit ſervus bonus: *Quia bonum eſt diffuſivum ſui:* Fidelis, *quia non ſibi retinuit, ſed Domino obtulit.* Quemadmodum à contrario, abſcondit talentum in terra, *qui habens talentum intellectus, & tamen vult religiosè vivere, & ſibi ſolum vivere: cùm tamen multis poteſt proficere.* Quid autem Doctori Theologo ad ſui munera implenda congruere magis poteſt, quàm Sacræ Theologiæ expendere notiones, quarum eſt *fidem gignere, nutrire, roborare & defendere*? Inde cœleſtis (quia in cœlo laureatus) Doctor inter Evangelicos Operarios, nedum *Apoſtolos* conſtituit, quibus ſpecialiter Eccleſiam comiſit regendam; ſed etiam *Prophetas*, qui per ſe ipſos revelationem à Deo accipiunt; inſuper & *Doctores*, qui populum inſtruunt de his, quæ ſunt aliis revelata. [1. Corinth. 12. v. 28.] Doctores autem præponit *Virtutibus*: ✱ & ex hoc quòd prius nominavit *Doctores*, quàm *Virtutes*, eſt argumentum (inquit Hugo Cardinalis) quòd plus eſt docere, quàm miracula facere. [Div. Thom. ibid. lect. 3. Hugo Card. ibid.] ✱ Sic itaque ſuos Miniſtros *poſuit* Deus, id eſt (exponit D. Thomas) ordinatè collocavit *in Eccleſia.* Et hoc quidem: *Ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti.* [Epheſ. 4. v. 12. Hugo hic] *In opus*, inquam, *Miniſterii*; ✱ quaſi dicat, ad operandum, non ad otiandum, ad onus, non ad honorem, ſubjungit Hugo, deſignans deinde fructûs hujuſmodi operationum, nimirum, ut perfecti ſint illi, qui jam ſunt ſancti, & peccatores ædificentur in corpus Chriſti. ✱ Doctor autem Angelicus expreſsiori juxtà & ſolidiori ſtylo deſignatos fructûs explicat, inquiens: [Div. Thom. lect. 4.] „ Effectus autem proximus prædictorum donorum ſeu officiorum „ poteſt attendi quantum ad tria: Uno modo quantum ad ipſos qui ſunt in officiis conſtituti; quibus ad hoc ſunt collata dona ſpiritualia, ut miniſtrarent Deo „ & proximis: Alio modo quantum ad perfectionem jam credentium, id eſt perfectionem eorum, qui jam ſunt ſanctificati per fidem Chriſti:: Tertiò quantum ad converſionem infidelium:: id eſt ut convertantur infideles, ex quibus „ ædificatur Eccleſia Chriſti, quæ eſt corpus ejus.

Sed heu me miſerum, ſi Miniſterium adeò excelſum, ſublime, divinum implere poſſe jactabundus pronuntiarem! Non ita me perſuaſum credas Lector benevole: quinimò trementem conſpice ad ſermones Apoſtoli, quos conſcientiam meam objurgantes attendo: *Qui ergo alium doces* (dirigendo ipſum ad bonum) *te ipſum non doces.* (dirigendo) [Rom. 2. v. 21. Div. Thom. lect. 4.] Nihilominus, habere ex divina Miſericordia exo-

¶¶¶ rans

rans *formam ſcientię & veritatis in lege*, prout Operarios decet Evangelicos, juxta Doct. Angelici expoſitionem ſubjunctam: ,, Oportet eos qui ſic informantur au- ,, ctoritate majorum inſtrui, ut ſciant quid ſit in lege traditum:: Et etiam ut ,, ſciant qui ſit verus intellectus eorum quæ traduntur in lege. Si igitur virtute ex alto roborari datum fuerit ingenioli mei exilitas, ſatis me fœlicem, in aſſumpto ad ędificationem corporis Chriſti (Eccleſiæ) opere, pronuntiarem; ad illud attingentes, quod in paupercula vidua Jeſus-Chriſtus commendavit: Reſpiciens ſiquidem multos divites munera ſua in gazophylacium mittere: *Cùm veniſſet vidua una pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans.* (Forſitan hoc loco ſignificat Evangeliſta quartam partem ſicli, id eſt quinque obolos) *Et convocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat eis, miſerunt: hæc vero de penuria ſua omnia quæ habuit, miſit totum victum ſuum.* Divites ſiquidem illi (liceat mihi cum Hieronymo ad ſenſum myſticum dicere) ſunt, qui proferunt de theſauro cordis ſui (ſapientiæ & ſcientię) nova & vetera, quę ſunt incerta & occulta ſapientiæ divinę utriuſque Teſtamenti. (Theologi nimirum Scholaſtici celeberrimi; Polemici tractatores eximii; Aſſetæ ſolidiſsimi juxtà & devotiſsimi; Sacrarum Scripturarum explanatores conſpicui; in doctrina morum tradenda deſudantes Magiſtri; veluti ſplendeſcentes lucernę ſupra Eccleſię candelabrum poſitæ, *ut lucean[t] omnibus qui in domo ſunt.* (Id eſt in Eccleſia, vel in mundo) Paupercula autem quæ eſt, niſi & ego & mei ſimiles? qui mitto quod poſſum, & deſidero quæ non poſſum vobis explanare?

Lucæ 21. v. 1.
Marci 12. a. v. 41.
V. Beda in Catena Aur.
S. Hieron. in Catena Aurea, ad locum Marci.
Matthæi 5. v. 15.
Div. Thom. ibid. in Comment.

Impotentiam meam agnoſco (candide Lector) verumtamen quinque *obolos* (in quinque quos tibi offerre decrevi Libris) in gazophylacium Chriſti, ſeu Eccleſiam ędificandam mittere geſtio, veluti paupercula illa vidua divinitùs commendat (juxta Cyrilli adnotationem) ex eo quod: *Quę quotidie per aliena poſcebat ſuffragia Deo donavit; oſtendens ei ſuam paupertatem fructiferam.* Sic ergo nihil de propri[æ] ſapientiæ & ſcientiæ theſauro mittere cùm habeam, quæ per aliena ſuffragia mihi depoſco, tibi tradere decrevi: à quibus autem ſuffragia mutuavi, habes in proſpectu Operis, conſpicies in proceſſu, ubi loquentes paſsim audies Prophetas & antiquos Patres, quibus comparati ætatis noſtræ Doctores, veluti pueri ſunt in humeris procerum Gigantum conſtituti, ut ingenioſè notavit profundiſsimus ſuique ævi celeberrimus Scholæ Theologus, re & nomine S. Thomæ Diſcipulus. Neque enim Patres & Prophetas loquentes adducere melius fieri poſſe judicavi quàm in uno Angelico Thoma cum PP. ex Prophetis loquente noſtrarum Diſputationum vim & efficaciam reponens: Sic enim loquente Thoma, quaſi Angelus ille apparet ad Danielem miſſus, de quo ſcriptum eſt: *Vox ſermonum ejus ut vox multitudinis*, prout operoſiùs dare conſtituimus ad calcem Proleg. 3.

S. Cyrillus in Cat. Aur. Lucæ 21.
Joannes à S. Thoma trat. de Fide, Diſp. 6. a. 2. n. 4.
Daniel. 10. v. 6.

Motivum ſcribendi & conſtitutum nobis ſcopum indicatum vides ſtudioſe Lector: in aliis tamen pręmonitum eſſe volo; quę autem ſint iſta, attende. Theologiam edocturi, eam partem aggreſsi ſumus in publicam utilitatem, juxta monita Jeſu-Chriſti & Apoſtoli explanandam, quæ & in hæreticis debellandis, & inſtruendis fidelibus occupatur. Inter hæreticos autem, eos præſertim exagitandos propoſuimus, qui pietatis falſo quæſito colore, pernicioſiùs decipiunt, prout in 1. Exordio & in generali totius operis partitione indicabimus. Inſtructionis tamen cauſa, plura elucidare tentabimus, quibus hæretici memorandi funditùs rejiciantur, & fideles ſolida pietatis doctrinâ enutriri valeant, ut Lectoribus conſtabit, ſi conſpexerint quæ de virtutibus, de oratione, de merito juſtorum, aliiſque

que ſimilibus ſuo reſpectivè loco abundè dicenda ſunt. In his omnibus tradendis Scholæ ſolidum ſtylum novo-antiquum emulare delegimus; quia ad convincendos hæreticos efficaciorem in 2. Proleg. monſtrabimus. Sic etiam ſtatui noſtro quadantenus reſpondebunt aſſumptæ lucubrationes; cùm materia ad directionem animarum ordinata tractari congruat ab illo, qui Oratorio, ſeu Congregationi Patriarchæ Philippi animarum Directoris eximii, Deo miſerante, nomen dedit. Scholæ autem Theologicus diſputandi ſtylus, Theologię Profeſſori publico, etſi immerito, quàm proprius ſit, dubitabit nullus. In toto operis decurſu ſatis frequenter loquendos eſſe SS. PP. indicavimus; eorum tamen teſtimonia ex ipſis originalibus tranſcribere otium non fuit, neque neceſſarium judicavi: quandoquidem in ſcriptis Div. Thomæ (unde totius ferè operis doctrinam deprompſi) ut plurimùm recitantur; in hiſque proinde fideliter apponendis, magna eruditione inſudarunt quamplures Dominicani, uti Magiſtri Zeraphinus Porrecta, Nicolai, Pelican, & alii, reſpectivè ad diverſa Angelici D. opera. In aliis autem teſtimoniis recenſendis, Auctores habui Magiſtros Combeffis, Natalem Alexandrum, Illuſtriſsimum Joannem Lopez, Crotonenſem Epiſcopum, in aureo ſuo opere *Epitome Sanctorum*, & Eminentiſsimum purpurâ, doctrinâ & virtute Cardinalem Robertum Bellarminum in Controverſiis, ſine controverſia admirandis.

In noſtris Theologicis Scholaſtico-Dogmaticis Diſputationibus, deſiderabunt fortè politi & limati ſtyli cultam elegantiam, humanæ litteraturæ ultra ſobrietatem cultores, quibus reponere in promptu habemus, in ſententiis veritatem attendere nos decreviſſe, non in verbis elegantiam, juxta exemplum datum ab Apoſtolo, qui *non venit in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ* (humanæ) *annuntians* nobis *teſtimonium Chriſti*:: *Non in perſuaſibilibus humanę ſapientiæ verbis.* Neque enim Ciceronianos agimus, ſed Chriſtianos, tradentes non quæ in Virgilio, Saluſtio, Terentio, Plauto, aliiſque ſimilibus tradita quantumvis eleganter ſint; ſed ea, quæ ex Sacra Scriptura, Conciliis & Patribus liquata dedit Div. Thomas, malentes cum Prophetis, PP. & omnium Patrum Diſcipulo & interprete loqui ut intelligant populi, quamvis irrideant grammatici, ſi qui fortè ſunt Vallæ & Eraſmo, magis quàm SS. PP. elegantiam adſcribentes, paganaſque & idololatricas jurandi & exclamandi formulas piarum aurium offenſivas, paſsim inculcantes. Nihilominus quantùm noſtrę licuit ruditati, à barbarie & nimis craſſo loquendi modo declinare in animo fuit, ut ſæculo noſtro benè ad culturam ſermonis dedito, utcunque fieret ſatis. Ea ſiquidem in aſſumpto indicato arriſsit ſententia ut crederem, ſtyli ſolidam elegantiam condimentum eſſe doctrinæ tradendæ, & inſtar vini, quod moderatè hauſtum ſuaviter lætificat; immoderatè ſumptum inebriat; de quo plura indicanda ſunt in Proleg. 2. adverſus petulantiſsimos Theologiæ Scholaſticæ oſſores.

1. Corinth. 2. v. 1. & 4.

Meliori fruge temeritati adſcribere valebunt Lectores, tam momentoſum opus perficiendum aſſumi ab homine vix Scholæ Theologo, & in myſtica Theologia parùm edocto, nihil exercitato. Verumtamen, ſi hucuſque indicata conſpiciant, non audaciæ, non temeritatis notâ inuſtum dicent Diſcipulum, etſi inter Diſcipulos minimum, qui Angelicum ſuum Magiſtrum cum PP. ex Prophetis loquentem inducere aggreditur, tranſcriptorem potius, quàm Operis aſſumpti Auctorem agens. Si qui autem & hoc improbent, quod verba ipſa D. Thomæ profuſo ſermone legenda obiiciam, eorum ſenſum contractiori ſtylo aliàs producere valens, ex adverſo reponam, non parùm mihi, & Lectoribus

utilitatis advenire cenſeo, ſi verba ipſa à Doctore Angelico voce & Calamo expreſſa, à nobis exprimantur, juxta ſalutare monitum ex Patriarcha Philippo ad calcem Proleg. 1. n.164. memorandum. Præſertim cùm D. Thomas *proprietatem habeat verborum, ſtylum brevem, gratam facundiam*, ut ſtabilitum dabimus ubi ſupra artic. 3. Inde fiet, ut collecta inveniat Lector, quæ diſperſa in operibus Div. Thomæ non levi defatigatione colligere valeat. Inde etiam cum SS. Borgia, ad calcem memorando (n.174) eveniendum ſpero, ut *Opus noſtrum quantumvis inconcinnum & nulla artis induſtriâ conditum, abundè gratum, ac ſalubre futurum, quod Sanctiſſimi ac doctiſſimi Thomæ titulo commendatum ſit.*

Accipe igitur Lector benevole, eadem qua tibi ofero bona voluntate, noſtras qualeſcunque lucubrationes in obſequium Sacræ Myſticæ Theologiæ, quam in ære inſculpto monſtravi, flores, fructus honoris & honeſtatis lactea ſuavitate plenos profundentem. Pro ipſa agonizare conſtitui, prælucente Doctore Angelico, in tabula ænea expreſſo, veluti à Prophetis Spiritu S. inſpiratis edocto, ex Patribus erudito, à Jeſu-Chriſto & Deipara Virgine in doctrina & moribus probato. Ut jam non mireris ipſum contemplare ſolaribus radiis circumfuſum & veluti ſole amictum, lucidæ Angelicæ doctrinæ radios emittentem ad illuſtrandos pios ſectatores: & contra Sectarios præcedentes, coevos, exortos poſtea, & exordiendos, ignitas ſaggitas vibrantem. Si ergo in totius operis decurſu utilia, & propoſito fini conſona inveneris, bonas Deo age gratias, qui per Thomam Angelicè cum PP. ex Prophetis locutum, diſſipatis errorum tenebris, clarificare dignatus eſt Eccleſiam ſuam: Si tamen in alia offendas dubia, in meliorem partem benignè trahe: ſi diſſona, non malitiæ, ſed ignorantiæ & oſcitantiæ noſtræ ducas tribuenda, & benevolè corrigenda. Interim verò ad omnes quicunque legerint, cum Apoſtolo, ſupplici demiſſione interpellare ducam: *Obſecro ergo vos fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & per charitatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum :: Ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum Myſterium Chriſti :: Ut manifeſtem illud, ita ut oportet me loqui :: Et liberemur ad importunis, & malis hominibus.* Vale Lector, & progredere: Si autem de aliquibus perſonis nondùm ab Eccleſia in albo Sanctorum recenſitis, virtutem, Sanctitatem, aut prodigioſa facta memorare in toto opere aliquandò contigerit, in eo ſolùm ſenſu me loqui intelligas, ut ne latum quidem ungem ab iteratis in hoc aſſumpto fælicis recordationis Urbani VIII. Decretis, recedere videar. In omnibus ſiquidem, quæ ſcripta, aut ſcribenda ſunt, S. Romanæ Eccleſiæ Summorumque Pontificum judicio, animo ſincero, ſubjecta volo.

Rom. 15. v. 30. Coloſſ. 4. à v.3. 2.Theſſal. 3. v.2.

IN-

INDEX

AD APPARATUM, DISSERTATIONESQUE, ARticulos & reliqua in Primo Tomo contenta.

APPARATUS *Præliminaris, quibuſdam Prolegomenis, in totius operis ſubſidium adornatus.* Pag. 1

PROLEGOMENON I. *Antiquorum errorum ſpurciſſima monſtra in Moliniſtis recrudeſcentia, & Apoſtolico gladio jugulata, hiſtoricè producens.* Ibid. 2

Articulus I. *Antiqua fœtida errata, nigris depingens coloribus.* Ibid.

Articulus II. *Beguardorum, & Beguinarum obſcura deliramenta in apertum prodit, indicatis etiam Lutheraniſmi, & Pſeudo-Illuminatorum deliriis.* 8

Articulus III. *Nova, veteribus ſupervenientia errata, in Moliniſtis collecta referens.* 11

Articulus IV. *Moliniſmum in ſuis aſſertis anathematizatum memorat.* 16

Articulus V. *Pſeudo-Myſticum ſub prætextu charitatis perfectæ perniciosum erumpens ſyſtema memorat.* 21

Articulus VI. *Præcedentium errorum Etherogeneas reliquias ad calcem colligit.* 25

Brevis Digreſſio *in commendationem Divinæ Providentiæ.* 29

PROLEGOMENON II. *Prædictarum hæreſum origine detecto & tranſcurſu, pro illis extirpandis arma parans.* 33

Articulus I. *In fædos errores prolabendi, ſuperbiæ adjumento ſunt mulierculæ.* Ibid.

Articulus II. *Fugiendam mulierum familiaritatem exhortatorio ſuadet ſermone.* 37

Articulus III. *Sacra Scriptura proponitur tanquam cœleſte armamentarium, contra veritatis & pudicitiæ hoſtes.* 42

Articulus IV. *Scholaſticæ Theologiæ contemptus præcipites dedit hæreticos, præſertim in Myſtica.* 45

Articulus V. *Theologiæ Scholaſticæ uſum extollens, abuſum rejiciens.* 48

Articulus VI. *Theologiæ Scholaſticæ naturam propriaſque notiones expendit; unam in diverſis muneribus proponens.* 51

Articulus VII. *Sacra ſcientia, ſtylo Scholaſtico contra hæreſes directa, ut victorias loquens commendatur.* 56

Articulus VIII. *Scholaſticum ſtylum antiquo-novum monſtrat.* 58

Articulus IX. *Contra Sacram Scholaſticam Theologiam attentatas calumnias, in ipſos Etherodoxos calumniatores detortas oſtendens.* 61

PROLEGOMENON III. *Sacræ Scholaſticæ Theologiæ contra fidei hoſtes victricem efficaciam, in Theologorum Principe D. Thoma demonſtrans.* 66

Articulus I. *Preliminaris, precipuos elucidans fontes, unde elogia D. Thomæ ejuſque doctrinæ hauriuntur.* 67

Articulus II. *Auguſtini elogia, propulſatis calumniis, indicatur breviter.* 72

Ar-

Articulus III. *Hæreticis non eſſe cur D. Thomæ imperitum ſermonem affingant, & uſum Philoſophiæ improbent.* 78
Articulus IV. *Inter Eccleſiæ Patres & Doctores, D. Thomam Theologorum Scholæ Principem, reponendum eſſe demonſtrans.* 85
Articulus V. *Theologiam in omni ſui munere illuſtratam oſtendens in Divo Thoma.* 95
Articulus VI. *Hæreſum profligatorem ſtrenuum, Divum Thomam proponens.* 99
Articulus VII. *Novis Summorum Pontificum adductis commendationibus, quantum obſequii doctrinæ D. Thomæ deferendū ſit, oſtendens.* 105
Articulus VIII. *Cœlicolas memorans cœlicolarumque Dominum, & Dominatricem, D. Thomę cœleſtem commendantes doctrinam.* 111
Articulus IX. *Calumniatores doctrinæ D. Thomæ gravi obnoxios cenſuræ oſtendit.* 116
Articulus X. *Divi Thomæ laudes epilogo complectens.* 122

LIBER I.

Adverſus pudicitiæ, & Chriſtianæ vitæ apertos hoſtes. Exordium & generalis partitio operis. 127
Humilitatis & Virginitatis Theologica præcommendatio. 129
Articulus I. *Naturam aſsignans, & ſubjectum humilitatis.* Ibid.
Articulus II. *Chriſtianæ humilitatis officiain, ſubjectione ad Deum & homines deſignans.* 132
Articulus III. *Ordinem humilitatis ad alias virtutes ſtatuens.* 136
Articulus IV. *Præcipua recenſens motiva humilitatis ejuſque gradus.* 140
Articulus V. *Virginitatem inter virtutes reponens.* 144
Articulus VI. *Virginitatem conjugio præſtare certò ſtatuens.* 152
Articulus VII. *Virginitatem fructibus fœcundam, & aureola decorandam monſtrans.* 156
Articulus VIII. *Virginitati ulterius commendatæ debitum inter virtutes ordinem tribuens.* 161
DISSERTATIO I. *Millenariorum phantaſtica placita proterens.* 165
Articulus I. *Cæremonialia Moſaycæ legis, velut umbræ per Evangelii lucem depulſæ, oſtenduntur.* 166
Articulus II. *Cæremonialia Moſaycæ legis pręcepta, mortifera etiam monſtrat.* 170
Articulus III. *Judæorum Sinagogam in noviſsimis temporibus, reducendam eſſe prę monſtrans, non ad Moſaycos ritus; ſed ad lucem Evangelii.* 175
Articulus IV. *Anticipatam juſtorum reſurrectionem, ut cum Chriſto Domino corporalibus fruantur deliciis, explodens.* 181
Articulus Appendix. *Nutritivæ & generativæ potentię operationes ob ſolam delectationem, reprobans.* 188
§. Unicus. *Proſcriptæ propoſitiones ſigillatim rejiciuntur.* 191
DISSERTATIO II. *Ignominioſas Gnoſticorum & ſequacium ſpurcitias, abominandas exterminans.* 199
Articulus I. *Luxurioſi monſtri fœtido ſpecifica capita deſignans.* Ibid.
§. Unicus. *Recenſentur luxurię ſpecies.* 203
Articulus II. *Fornicationis ſimplicis, intrinſecam malitiam oſtendens.* 207
§. Appendix. *In deteſtationem concubinatûs.* 215
Articulus III. *Contra ſtuprum & raptum arma vertens.* 218
Articulus IV. *Adulterii fœdam injuſtitiam multis pandens.* 221
Articulus V. *Promiſcuum communemque mulierum uſum omni jure deteſtandum, multis notoriè firmans.* 225

Ar-

Index.

Articulus VI. *Specialem inceſtûs deformitatem oſtendens.* 229
Articulus VII. *Graviſsimam ſacrilegii perverſitatem notam faciens.* 231
Articulus VIII. *Horribilia Gnoſticorum & ſequacium ſacrilegia, abominatione deteſtans.* 237
Articulus IX. *Sigillatim pandens vitiorum contra naturam brutalem deformitatem.* 242
§. I. *Mollities ſeu pollutio graviter deteſtanda.* 244
§. II. *Inordinatus concubitus majorem præſefert malitiam.* 245
§. III. *Sodomia abominanda ponitur.* ibid.
§. IV. *Beſtialitatis graviſsima malitia notatur.* 249
Articulus X. *Luxuriæ incitamenta omninò fugienda graviter ſuadens.* 251
§. I. *Oſcula, amplexus & tactus improbantur.* ibid.
§. II. *Aſpectûs & verba impudica removeantur.* 252
§. III. *Saltationes & ſpectacula fugienda.* 256
Articulus XI. *Inverecundam nuditatem, & impudicitiam abominandam oſtendens.* 260
Articulus Appendix. *Contra rejectæ in Gnoſticis impudicitiæ erumpentes Quiſquilias.* 264
§. I. *Peccata contra naturam diverſam ſpecie malitiam induere monſtrans.* 265
§. II. *Simplicem fornicationem Legi naturę diſſonam pluribus monſtrans.* 267
§. III. *Acceſſum ad conjugem altero conſentiente, adulterii malitiâ fœdatum monſtrans.* 272
§. IV. *Mollitiem jure naturæ prohibitam inapertum ponens.* 273
§. V. *Peccandi occaſiones removendas eſſe oſtendens.* 277
Digreſsio Meta-phyſico-Theologica circa ſpecies luxuriæ. 278
DISSERTATIO III. *Neceſsitatem bonorum operum contra Simonem Magum, infandoſque deinde ſequaces firmans.* 286
Articulus I. *Ad obtinendam per juſtificationem animæ ſalutem, prę ter fidem, opera oſtendens neceſſaria.* ibid.
Articulus II. *Actûs enumerans & ſtabiliens ad juſtificationem ex parte hominis, requiſitos.* 292
Articulus III. *Præter fidem opera ad ſalutem æternam neceſſaria firmans.* 297
§. Unicus. *Fides operibus deſtituta, ruinæ approximat.* 301
Articulus IV. *Chriſtum D. inducens, verbo & exemplo neceſsitatem bonorum operum promulgantem.* 303
§. I. *Libertas per Chriſtum qualis ſit.* 309
§. II. *Superabundans meritorum Chriſti efficientia ad bona opera pro utraque ſalute nos urget.* 316
§. III. *Chriſtus Dominus velut cœleſtis Medicus opera exigit bona.* 319
§. IV. *Ratio capitis in Chriſto D. bona opera in membris requirit.* 321
§. V. *Chriſtus D. vitis dicitur & homines palmites, ut iterum appareat neceſsitas bonorum operum.* 326
Articulus V. *Perfectio Evangelii perfectiora exigit virtutum opera.* 328
§. I. *Præcipua utriuſque legis diſcrimina ſtatuens.* ibid.
§. II. *Reliquæ differentiæ derivantur.* 334
§. III. *Perfectio Evangelii neceſsitatem inducit bonorum operum.* 342
§. IV. *Perfectio Legis Evangelicæ perfectiora exigit opera.* 350
Apoſtrophe ad bonorum operum oſſores. 361
Articulus VI. *Bona opera non ſigna ſolùm, ſed cauſa eſſe ſalutis ęternæ oſtendens.* 362
§. I. *Bona opera ſalutem operantur æternam.* ibid.
§. II. *Bona juſtorum opera meritoria ponit vitę æternę.* 364
§. III. *Meritum condignum operibus juſtorum tribuens.* 370
Calvini effugium prę cluditur. 373
Articulus VII. *Per ſummam injuriam peccato inquinata dicuntur*

ju-

juſtorum opera, vel ex ipſa concupiſcentia. 382
§. I. *Concupiſcentiam non eſſe formaliter peccatum monſtrans.* 383
§. II. *Proſcriptæ theſes ſigillatim exploduntur.* 388
§. III. *Peccato inquinata dici non valent juſtorum opera.* 397
§. IV. *Actus charitatis remiſsi defectuoſi non ſunt.* 403
Articulus Appendix. *In commendationem doctrinæ ex Scriptura & SS.PP. à D. Thoma traditæ.* 406
§. I. *Firmatur expoſitio D. Thomæ.* 407
§. II. *Odium inimicorum in antiqua Lege præceptum non fuit.* 411
§. III. *Circa uſuras & libellum repudii.* 416
Digreſsio Theologica Scholaſtico-Dogmatica de gratia ſufficienti comparativè ad ſtatum antiquę legis. 419
Articulus I. *Antiquam legem, ejuſque pro tunc cultores in tuto collocans contra noviſsimos calumniatores.* 420
§. I. *Stabilita Angelorum cuſtodia, auxilia ſufficientia antiquis Judæis diſpenſata fuiſſe deducitur.* 421
§. II. *Antiqui Judæi à voluntate ſalvandi omnes non fuerunt excluſi.* 422
§. III. *Antiquos juſtos fructibus fœcundos monſtrans.* 427
§. IV. *Queſnellanę propoſitiones rejectæ.* 428
§. V. *Queſnelli machinæ dirutæ, undè conſtrui prætenſę.* 434
Articulus II. *Quid dicendum ſit de gratia ſufficienti cõparative ad legem, juxta mentẽ Magni Auguſtini.* 440
DISSERTATIO IV. *Eleemoſynæ & jejunii neceſsitatem adverſus Chriſtianiſmi apertos hoſtes firmans.* 451
Articulus I. *Naturam exponens eleemoſynæ ejuſque genera.* 452
Articulus II. *Eleemoſynam ſub præcepto cadere demonſtrans.* 457
Articulus III. *Quibus & quo ordine eleemoſyna elargienda ſit.* 469
Articulus IV. *Bona deſignans undè facienda ſit eleemoſyna.* 473
Articulus V. *Ingentes monſtrans ex eleemoſyna reportandos ſpirituales fructus.* 477
Articulus VI. *Eleemoſynam, etſi aliàs utiliſsimam, impœnitentes non liberare ſtatuens ab incurrenda vel incurſa jam pœna æterna.* 483
Articulus VII. *Naturam præmittens & ſpecies jejunii contra ipſius hoſtes.* 487
Articulus VIII. *Ciborum delectum religiosè pro jejunio determinavit Eccleſia.* 491
Articulus IX. *Unicam comeſtionem ad nonam uſque aut veſperam pro diverſitate jejunii protractam, meritò ſtatuit Eccleſia.* 496
Articulus X. *Ad jejunium generatim lege Divina pręceptum, fideles ſuos jure quoad determinationem obligat gravitèr Eccleſia.* 499
Articulus XI. *Jejunii recenſendæ utilitates, Eccleſiaſticum de illo præceptum firmant, commendant.* 503
Articulus XII. *Inſtitutionem jejunii pro ſtatis temporibus, ſigillatim loquente Div. Thoma ex Patribus, convenientiſsimam monſtrans.* 507
Articulus XIII. *Chriſto Dom. exemplum præbente, ex Apoſtolica traditione ſtatuta tempora jejunii deſignavit Eccleſia.* 511
Articulus XIV. *Quænam apud Chriſtianos in uſu jejuniorum fuerit diverſitas.* 517
Articulus XV. *Reliqua indicans jejunia apud Chriſtianos uſitata.* 521
§. Unicus. *Rogationum præcipuarum prima inſtitutio, non ſimpliciter S. Mamerto videtur certò tribuenda.* 528
Articulus XVI. *Rationabiles aſsignans cauſas ab obligatione jejunii relevantes.* 530

APPA-



APPARATUS PRÆLIMINARIS QUIBUSDAM PROLEGOMENIS, IN TOTIUS OPERIS SUBSIDIUM ADORNATUS.

EXORDIUM.

OMNIPOTENS Mundi Conditor, & ſumma providentia moderator univerſalis Deus Unus, & Trinus, quas ad ſui imaginem ex nihilo rationales creaturas traxit, in finem uſque interminabilis, beatæque vitæ elevandas ordinavit. Cœleſtis proinde doctrinæ, verbique ſui lectiſsimum ſemen in myſtico humanæ naturæ agro ſeminare non intermiſit, nec intermittit. Bonus Pater familias, *qui ſeminat* potius, quam *ſeminator* meritò audiens: quandoquidem cum à Mundi primordiis verba ſua per antiquos Patres, & Prophetas ad homines tranſmiſerit: noviſsimè in dilecto Filio Mundo loqui dignatus, antiquis figuris in apertam lucem commeantibus, viam vitæ monſtravit. Et ne ſalutis ſemitæ errorum ingluvie occluderentur, Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores, veluti viæ, & veritatis cuſtodes ad finem uſque ſæculorum conſtituit: *Primùm quidem poſuit Deus in Eccleſia Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum ::: ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti.* (1. Corint. 12. v. 28.) (Ephes. 4. v. 12.)

Sed ò adoranda divinæ providentiæ æconomia! Deo permittente, ut ex malis datâ occaſione bona erueret, ex falſis vera, ex erroribus majorem veritati lucem daret, hæreticorumque malitiam in bonum Fidelium ordinaret, hæreſes in Eccleſia ingruere oportuit, Paulo ipſo affirmante; (Hæreſes permiſſæ a Deo.)

 Nam

1. Corint. 11. v. 19.

Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Dum enim ab adverſario mota fuerit quæſtio (verba ſunt Auguſtini) *diſcendi extitit occaſio: multa quippè ad Fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine excogitantur; ut adverſus eos defendi poſsint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & prædicantur inſtantius.* Unde & Proverbiorum 27. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.* Idque notavit perſpicuè in Patribus Græcis, in ipſoque Auguſtino, ejus Diſcipulus Thomas, dum rationem ſubjungens, unde Modernis antiquorum Eccleſiæ Græcæ Patrum dicta aliqua, dubia videantur, ſubjungit: „Primo quidem, quia „errores circa Fidem exorti, occaſionem „dederunt Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, ut „ea quæ ſunt fidei, majori circunſpectione „traderent ad eliminandos errores exortos: ſicut patet quod Sancti Doctores „qui fuerunt ante errorem Arii, non ita „expreſsè loquuti ſunt de unitate Divinæ „Eſſentiæ, ſicut Doctores ſequentes. Et „ſimile de aliis contingit erroribus. Quod „non ſolum in diverſis Doctoribus, ſed „in uno egregio Doctorum Auguſtino expreſsè apparet. Nam in ſuis libris, quos „poſt exortam Pelagianorum hæreſim edidit, cautiùs loquutus eſt de poteſtate liberi arbitrii, quam in libris, quos edidit ante prædictæ hæreſis ortum. In quibus libertatem arbitrii contra Manichæos „defendens, aliqua protulit, quæ in ſui „defenſionem erroris aſſumpſerunt Pelagiani divinæ gratiæ adverſantes. Et ideò, „non eſt mirum, ſi moderni fidei Doctores poſt „varios errores exortos, cautiùs, & quaſi elimatius loquuntur circa doctrinam fidei ad „omnem hæreſim evitandam.

D. Auguſtin. apud D. Thom. ibidē lect. 4.

Proverb. 27. v. 17.

D. Th. in Prologo Opuſc. cōtra Græcorum errores.

Poſt exortas hæreſes Ss. PP. cautius loquuti fuerunt.

Igitur poſt veritatem, error extitit; dum tenebrarum Princeps Diabolus, Dei inimicus, ſuperbia elatus, odio contra Deum plenus, indèque contra homines furens, ſive ut Chryſoſtomus loquitur: *Hominem vexans, non ab inimicitia quæ eſt ad homines, ſed quæ eſt ad Deum:* in agro dominico zizania ſuperſeminavit errorum. Superſeminaſſe utique dicitur, ut intelligi detur (aurea ſunt Chryſoſtomi verba) *quod error poſt veritatem exiſtit: quod & rerum exitus teſtatur. Etenim poſt Prophetas fuerunt Pſeudo-Prophetæ, & poſt Apoſtolos Pſeudo-Apoſtoli, & poſt Chriſtum, Anti-Chriſtus.* Videns inſuper callidus ſerpens *quod non poterat rapere, neque ſuffocare quod radicatum erat: per aliam deceptionem inſidiatur interſerens ſua, multis ea ſimilitudinibus colorans, ut facile ſubrepat his, qui habiles ſunt ad deceptionem: propter hoc non dicit, quod ſeminet aliquod aliud ſemen, ſed zizania, quæ ſecundum viſum aſsimilatur quodammodo frumento.* Diaboli aſtutiam ejus ebibentes miniſtri, hæreſum monſtra, ne ipsâ caliginosâ obſcuritate, falſitatiſque fœdâ ſuperficie humanos avertant obtutus, apparentibus fucant coloribus; & cum ab Eccleſiaſtici agri cultoribus, cuſtodibus, operariis, monſtra illa detegere, indeque facile debellare contingit, novis machinationibus, novo conatu, novis pigmentis, errores deformant hæretici, ut jam vera appareant, quæ reapſe à veritate alieniſſima ſunt; ut ita in calice aureo venena porrigant.

D. Chryſoſtomus, apud D. Thom. in Catena Aurea. Matth. 13.

In zizaniis hæreſes deſignantur.

PROLEGOMENON I.

ANTIQUORUM ERRORUM SPURCISSIMA MONSTRA IN MOLiniſtis recrudeſcentia, & Apoſtolico gladio jugulata, hiſtorice producens.

1 CUNCTA errorum monſtra retroactis ſæculis ad Fidelium perniciem exorta, nec facile eſt recenſere, neque noſtro inſtituto neceſſarium. Ea propter referendos dumtaxat aggredimur errores antiquos, in quibus recoquendis miſere inſudarunt poſteriorum temporum pſeudomyſtici à nobis debellandi, ut ſuis reſpectivè locis luculentiùs apparebit. Hi ſunt poſt Millennarios, Simonianos, & Nicolaitas, Gnoſtici, Maſſaliani, Adamitæ, Beguardi, & Beguinæ, Lutherani, Illuminati, & quotquot Chriſtianæ perfectionis, & pudicitiæ hoſtes in ſuam errorum cloacam traxit Michael de Molinos.

ARTICULUS I.

Antiqua fœtida errata, nigris depingens coloribus.

2 ZIZANIA igitur errorum à principio naſcentis Eccleſiæ in lege gratiæ ſuperſeminavit Diabolus per Cerinthum Millennariorum, ſeu Chiliaſtarum Choryphæum. Inter alia enim Judaica deliria (in Diſſertatione 1. ſequenti diſsipanda) aſſeruit apud Euſebium, & Theodoretum: Chriſtum D. ante diem generalis judicii per mille annos regnaturum in terris; Sanctoſque redivivos, una cum Domi-

Millennariorum error.

Euſebius lib. 3. Hiſt. cap. 39. Theodoretus, & alii apud Nicephorum lib. 3. c. 14. & lib. 6. c. 2.

no

no temporalium rerum opulentia victuros eſſe divitiis, luxu, eduliorum, ac ciborum omnigenis voluptatibus; quinimo & carnalibus deliciis, ac venereorum, & libidinum illecebris. Regnum iſtud, licet non prout à Cerintho phantaſiatum, moderatè propugnarunt ſanctiſsimi equè, ac doctiſsimi viri, ſequuti Papìam Hierapolitanum Epiſcopum, de quo memoria extat in Martyrologio Romano ad diē 22. Februarii. Refertur etiam in Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, Adonis, aliiſque citatis à Patre Henſchenio in Actis Sanctorum ad prædictum diem. Et licèt in veteri Romano Martyrologio, & Græcorum Menologio Sancti Papìæ mentio non fiat, nihilominus rectè Halloixius apud eruditum Antonium Pagium exiſtimat, nomen Papìæ primis temporibus inſcriptum fuiſſe ſacris Tabulis, & ſi poſtmodum ob unam, aut alteram ejus opinionem poſtea ab Eccleſia non probatam fuerit intermiſſum; à multis tamen jam ſæculis, ut in præſenti videmus, Martyrologio Romano reſtitutum. Et certè inter opiniones illas annumeratur præcipuè ea, quam indicavimus de Regno corporali Chriſti Domini per mille annos.

Martyrol. Rom. die 22. Februarii.

P. Henſchen. in Actis SS. eodem die.

Anton. Pagius ad annū 118. num. 4. in noviſsima Annalium Baronii editione.

3 Quapropter eruditus Baronius ita in Notis ad Martyrologium animadvertit. * Hic monitum velim lectorem, ne qua ſuſpicio de Papìa in mentem irrepat, eo quod aſſertor fuit improbatæ ſententiæ de mille annis, unde dicti ſunt hæretici Millennarii: nam ſancta Dei Eccleſia Catholica aliquandiu de ea re ſuperſedit, judiciumque ſuſpendit, nec aliquid de his, qui ea ſentiebant definivit: cum præſertim non vulgares homines, ſed ſanctiſſimi, atque doctiſsimi viri id affirmarent, ut poſt Papìam, Irenæus, Juſtinus Martyr (mittimus Tertullianum, & Nepotem extra claſſem Catholicorum vagantes) Lactantius, Victorinus, Severus, & alii, prout teſtatur S. Hieronymus. * De Severo tamen miratur idem Baronius in Annalibus in illam deveniſſe opinationem tunc temporis jam everſam à Gregorio Nazianzeno, Baſilio, Dionyſio Alexandrino, aliiſque Patribus, conſentiente Sancto Damaſo: & preterea cum diſcipulus fuerit Sancti Martini, & intimus Sancti Paulini amicus. * De quorum ſententia (proſequitur Baronius), idem Hieronymus hæc habet: Quæ licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum, & Martyrum iſta dixerunt, & unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta judicio reſerventur. Hæc S. Hieronymus quo tempore nihil adhuc ab Eccleſia de ea re fuiſſe definitum apparet. Paulopoſt autem, cum Apollinaris Hæreſiarcha hanc de Millennario ſententiam niteretur aſtruere, totiſque nervis defendere conaretur, atque ut dogma Catholicorum ſtabilire, ſcriberetque (ut ait Sanctus Hieronymus) duo volumina adverſus Dionyſium Alexandrinum, qui de ea re contra Irenæum librum ediderat: mox in eum, atque alios Millennarios zelus Sanctorum Patrum exarſit, ita ut in hæreſim, ac patronum ejus liberius inveheretur: cum præſertim ille adderet alias ad eam opinionem impietates, diceretque homines reſurrecturos eſſe ad legem, circumciſionem, & Sabbata ſervanda, ad cibos electos, ut olim, & templum materiale conſtructuros. Id de eo ſcribit Sanctus Baſilius. Tunc autem, ſicut cęteræ pravæ opiniones Apollinaris, ita hæc de Millennario à Damaſo Papa Romæ putatur eſſe damnata. * In Annalibus autem hanc Millennariorum, & Apollinaris opinionem cum aliis ſuis erroribus abſolutè damnatam eſſe, refert.

Baron. ad diem 22. Februarii.

Aliqui PP. antiqui ſine erroris nota Millennariis adheſſere.

Baron. anno Chriſti 411. n. 48.

Baron. anno Chriſti 373. n. 14.

4 In eam Millennariorum opinionem tot præclaros viros conveniſſe diximus, auctoritate ductos Sancti Papìæ, ſuo tempore celeberrimi, & quem non mediocri ſolum ingenio præditum agnoſcimus: quidquid in oppoſitum ſanctiſsimi illius Patris calumniator Iſaacus Caſaubonus, ſcripſerit, auctoritate ductus Euſebii lib. 3. cap. ultimo. Nam *fuit Papìas eâ ætate celebris, vir in primis diſertus, & eruditus, ac Scripturarum peritus*, ut in eodem libro ſcripſerat Euſebius ipſe: unde quod alibi dixit, benignè interpretari debet, ut Petrus Halloix obſervat: quin opus ſit prædictum elogium è libro Euſebii erradere cum Valleſio in Notis Euſebianis. Meritò igitur tantam apud antiquos Eccleſiæ Patres ſibi conciliavit auctoritatem S. Papìas S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ diſcipulus, & auditor, ut pluribus eruditè oſtendit laudatus P. Henſchenius; vel, ut Baronio placuit, non Joannis Apoſtoli, ſed Joannis Senioris diſcipulus. Nam duos eo tempore in Aſsia hoc nomine vixiſſe diſerte tradit Euſebius ubi ſupra.

Exercitat. ad Annales Baronii num. 16.

Euſebius lib. 3. cap. 36.

Cap. 39.

5 Diximus tamen laudatos PP. Regno illi mille annorum non adheſiſſe, prout à Cerintho phantaſiatum fuit: ſic enim inter errores Judæorum, & Saracenorum ab Angelico Doctore reponitur. Poſtquam enim verba illa Chriſti D. adducit: *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur*; ſubjungit: „Per hoc „autem excluditur error Judæorum, & Sara„cenorum, qui ponunt quod in reſurrectione „homines cibis, & venereis utentur ſicut & „nunc. Quos etiam quidam Chriſtiani hære„tici ſunt ſequuti, qui ponentes Regnum Chri„ſti futurum in terris terrenum per mille „annos, in ipſo ſpaçio temporis dicunt, eos, „qui tunc reſurrexerint, immoderatiſsime car„nalibus epulis vacaturos, in quibus ſit cibus „tantus, aut potus, ut non ſolum nullam mo„deſtiam teneant, ſed modum quoque ipſius „credulitatis excedant. Nullo enim modo poſ„ſunt iſta niſi à carnalibus credi. Hi autem „qui ſpirituales ſunt, iſtos ita credentes Chi„liaſtas appellant Græco vocabulo: quod ver„bum è verbo exprimentes nos, poſſumus „Millennarios nuncupare, ut Auguſtinus dicit „lib. 20. de Civitat. Dei, cap. 70. Non ſic laudati PP. & antiqui Doctores de Eccleſia benemeriti; non ſic, ſed moderatione indicata, & amplius indicanda, cum ad debellandos Millennarios ſermonem convertemus. Verumtamen doctrinam illam Millennariorum candidâ ſinceritate, & ſine erroris notâ à Patribus illis antiquis traditam, jam ſine hæreſis labe propugnare non licet. Poſtquam in Conciliis Oecumenicis Florentino præcipuè, & Tridentino proſcripta fuit, ut refert Graveſonius in Millenna-

D. Th. 4. contra Gent. cap. 83.

Matth. 22. v. 30.

Millennariorū opinio, jam non poteſt defendi.

nariis. Et merito quidem poſtquam per Auguſtinum, Hieronymum, Baſilium, Dionyſium Alexandrinum, alioſque bene multos penitùs everſa fuit. Inde Annalium Parenti dicere licuit: * Porro ejuſmodi Millennariorum inſaniæ; cum ubique jam rejicerentur, & ſibilis, atque cachinnis à diſertis deriderentur, ac pariter damnarentur, exaruerunt penitùs. *

Baron. anno 411. n. 49.

S. Epiphan. hereſ. 21.

Simonis Magi errores.

6 Cerintho ſuppar tempore, malitia, & illudendi arte impar fuit Simon Magus Samariæ in vico Gittor natus, hæreticorum facile Princeps; qui ſtultiſsimorum errorum zizania in agro Eccleſiæ ſuperſeminans, plures ſuæ impietatis diſcipulos reliquit, qui nullo frœno coerciti obſcęnis voluptatibus laxarunt habenas, & de quibus refert Irenæus: *Imaginemque Simonis habent factam ad figuram Jovis, & Helenæ* (viliſsimi Simonis Scorti) *in figuram Minervæ, & has adorant.* Simonis etenim Diſcipulos, ſæculi primi, & deinceps præcipuos hæreticos agnovit idem Irenæus de illis ita ſcribens: *Etenim Simonis Samaritani magi diſcipuli, & ſucceſſores ſunt: quamvis non confiteantur nomen magiſtri; attamen illius ſententiam docent.* Hinc S. Ignatius ajebat: *Fugite malas ſoboles diaboli, Simonem dico primogenitum ſobolis ejus, & Menandrum, & Baſilidem, & totam illam ipſius malitiæ colluviem.* Simon igitur ille primogenitus Diaboli, unde *prima hæreſis poſt Chriſtum initium accepit*, ut laudatus teſtatur Epiphanius: inter alia ſtultiſsima dogmata, & nefandiſsima dicta, & facta: (vel à noſtro inſtituto aliena, vel in Gnoſticis referenda) bonorum operum neceſsitatem eliminavit. De eis ſiquidem ait Baronius: *Per gratiam tantum ſalvari homines, & non ſecundum opera juſta: & liberos eſſe ſibi credentes, ut quæ velint, poſſent agere.* Pernicioſum hujuſmodi dogma, in quo debellando immorabimus plurimum, extumulatum vel potius continuatum fuiſſe ſignificabimus poſtea in Lutheranis, & Calviniſtis.

S. Irenæus lib. 1. cap. 20.

Lib. 1. cap. 30.

S. Ignatius M. epiſt. ad Tralianos.

Baron. anno 35. num. 24.

Nicolaitarum errata.

7 Simoni Mago, ejuſque ſpurciſsimis diſcipulis annumerandi veniunt Nicolaitæ temporibus Apoſtolorum ſuppares, promiſcuam libidinem permittentes (inter alios craſiſsimos errores) ut ipſis exprobant Irenæus, Clemens Alexandrinus, aliique Patres apud Baronium. Quinimò addit loquens de Nicolaitis: * Tam Petrus, quam etiam poſt eum Judas in dictis, quas ſcripſerunt epiſtolis in uno, eodemque verſati ſunt argumento, ut illis eoſdem fuerint inſectati hæreticos, qui luxuriis dediti turpiſsimi haberentur, de quibus in primis Petrus: *Hi*, inquit, *velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt. Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias, coinquinationis, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum, oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti.* Hæc Petrus, & alia plura; & Judas item de iiſdem: *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates, ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes: ſimiliter, & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant.* * Sanctus etiam Ignatius improbat Nicolaitarum impuriſsima dogmata, inquiens: *Fugite quoque impuros Nicolaitas falſum ſibi nomen ſumentes, voluptatum amatores, & Sycophantas.*

S. Irenæus lib. 3. cap. 11.

Clemens Alexandrin. lib. 3. Strom.

Baron. anno 68. à num. 8.

2. Petr. 2. v. 12. & 13.

Judas in ſua Canonica epiſt. v. 7. & 8.

S. Ignat. epiſt. 5. ad Trall.

8 Et quod caput eſt ab ipſo Chriſto Domino reprobati jam fuerant, dum Angelo, ideſt, Epiſcopo Epheſi, dilecto Joanni ſcribere mandavit: *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*; ideſt, exponit Do-
„ ctor Angelicus, eorum, qui ſequuntur Nico-
„ lai doctrinam in communi uſu mulierum:
„ quia abominabilia, quia ſunt facta immun-
„ ditiæ, & quæ diſsipant pacem humanam, &
„ quæ ſunt contra legem naturæ, & inſtitutio-
„ nem divinam. Et rurſus Angelo Pergami: *Habeo adverſus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* His verbis (exponit laudatus Doctor Angelicus) ponit arguitionem:
„ Quia ſuſtinebat eos, qui malè credebant, &
„ malè agebant, ſequentes, & ſervantes do-
„ ctrinam Nicolaitarum, quos vocat ſervato-
„ res Balaam doctrinæ, propter conformita-
„ tem, ſicut enim Balaam docuit Balac, quo-
„ modo deciperet filios Iſraël faciendo eos
„ fornicari cum mulieribus, & procurando,
„ quod comederent de ſacrificiis immolatis,
„ Idolis; ſic Nicolaus, & Nicolaitæ prædicabant
„ fornicari indifferenter cum mulieribus, ac
„ veſci idolothytis. Et poſtquam exponit ſcandalum, & doctrinam Balaam, doctrinam ſimilem habere, dicit Nicolaitas.

Apocalyp. 2. v. 6.

D. Thom. ibidem in Comment.

Verſ. 14. & 15.

Nicolaitarum errores, immerito tribuuntur Nicolao Diacono.

9 Non immerito Nicolaitarum errata poſteriori loco ad Simonem Magum retrudimus. Re ipſâ enim tempore poſteriori eruperunt; quia licet hæreſi Simonis Magi Nicolaitarum peſtis antiquior credatur à viris eruditis in eâ opinione conſtitutis, quà Nicolaus unus ex ſeptem primis Diaconis auctor creditur, ut Irenæo, Tertulliano, Hilario, Epiphanio, Hieronymo, aliiſque quam pluribus placuit. Verumtamen non facile crediderim Nicolaum illum tam ſpurciſsimè hæreſeos caput re ipſâ haberi: quantumvis Nicolaitæ tanti viri nomine abuſi fuerint, ſuamque ſectam impuriſsimam ornare mollirentur, ejus verba pravum in ſenſum detorquentes. In hujuſmodi namque ſententiam conſpirant Euſebius, Theodoretus, Victorinus, quibus adſtipulantur melioris notæ Critici moderni. Sed præſertim Annalium Parens, laudatis Auctoribus conſentiens efficaciterque evincens ex Sancto Ignatio Martyre, epiſtola ſupra laudata ad Trallenſes, ubi inquit: *Fugite impuros Nicolaitas falſum ſibi nomen ſumentes.* Et in epiſtola ad Philadelphios: *Finem* (inquit) *beatitudinis conſtituat voluptatem, ut hi qui falſo nomine Nicolaitæ dicuntur.* Ad quid igitur hæreticos illos falſo nomine Nicolaitas eſſe dictos inculcat, niſi quia illi (ut mos eſt hæreticorum) honeſto nomine, hæreſim ſuam quolibet quæſito prætextu velare cupientes, ſe Nicolaitas, quaſi à Nicolao deſcenderent, mendaciter, ac jactanter nominarent? Non me latet Henricum Cuykium Theologum inſignem, Epiſcopumque Ruremundæ exemplar quoddam prædictæ ad Trallenſes epiſtolæ inveniſſe, in quo ad verba data ſubjungitur: *Nam talis fuit Nicolaus Apoſtolorum Miniſter.* Verumtamen ex corrupto illo exemplari deceptus fuit: quia in exemplaribus probatæ fidei, non extant verba illa, ut eruditus Hyacinthus Segura eruditè probat in ſuo Polo critico.

Baron. anno 65. & PP. apud ipſum.

Diſc. 7. §. 4. n. 14.

10 Eamdem quoque nomenclaturã invenies apud Clementem Alexandrinum dum ait: * Alii inverecundè, quod nunc faciũt falſi nominis Nicolaitæ, quod verũ putamus. * Cęterùm Nicolaũ Diaconum, ut virum Fide Catholica probatiſsimum, auguſtiori auctum honore, factumque ab Apoſtolis Epiſcopum Samaritanorum, Hippolytus, (cujus fertur liber de ſeptuaginta duobus Diſcipulis) teſtatur, cui conſentit Dorotheus in Synopſi. Et quidem cui non erit incredibile, auctorem nefariæ hæreſis agnoſcere hominem, quem Scriptura Sacra annumerat viris boni teſtimonii, plenis Spiritu Sancto, & ſapientia, & quem nullibi damnat? Sed Scriptura Sacra *Nicolaum Advenam Antiochenum* ſeptem Diaconorum unum annumerat viris boni teſtimonii, plenis Spiritu Sancto, & ſapientia; & nullibi innuit ipſum tam divinas dotes hæreſi, aut libidine maculaſſe: etſi enim facta Nicolaitarum execrentur, Nicolai tamen nomini nullam notam inurit: veriſimile igitur eſt ipſum non fuiſſe hæreſeos auctorem. * Hæc licet ita ſint, inter Scriptores autem omnes convenit, ex Nicolai *facto* quodam, & *dictu* prætextum ſumpſiſſe veros Nicolaitas nefariæ hæreſis cudendæ. Imprimis enim cum Nicolaus ille Diaconus venuſtam haberet uxorem, eique ab Apoſtolis fuiſſe exprobatâ zelotipiâ, in medium adductâ ſuâ muliere, permiſsit cui vellet, eam nubere. Inde licitum eſſe promiſcuum cum altero ſexu conſortium effuciere Nicolaitæ. Immerito tamèn nàm dùm Nicolaus permiſsit uxori ſuæ, ut alteri nuberet, id ſincero animo non fecit, utpote ſciens hoc eſſe lege Dei ſtrictè vetitum; ſed id præſtitit fictione, & ſimulatione quadam, ut videlicet hoc facto ſeſe palam purgaret à ſuſpicione zelotipiæ, cujus inſimulabatur. * Inquit Graveſſonius in Nicolaitis.

Act. 6.

Apocalyp. 2.

11 Ex alio capite immunem reddit Nicolaũ Sanctus Clemens Alexandrinus: poſtquam enim de quibuſdã hæreticis loquutus eſt, qui per uſum voluptatis purgare ſe cum voluptate dicebant, hæc ſubjungit: Tales ſunt etiam hi qui dicunt, ſe ſequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid litterarum monumentis mandatum, ſed ab eis detortum; nempè oportere carne uti. Sed ille vir præclarus ſignificabat oportere voluptates arcere, eas frȩnando jejuniis, vel intra caſti thori limites. Qui vero inſtar Hircorum effuſi ſunt in voluptate, hi decretum ipſius voluptatis, non autem viri Apoſtolici ſequuntur. Et lib. 3. ſic rurſus Nicolaum Diaconum ab impura hæreſi vindicat. *Ego autem audio; Nicolaum quidem nulla umquam alia, quam ea, qua ei nupſerat uxore uſum eſſe; & ex illius liberis filias quidem conſenuiſſe virgines, filium etiam permanſiſſe incorruptum.* Docebat autem illud, uti carne oportęre (hoc eſt) exercere carnem, ne feratur extra matrimonii terminos. * Non enim (inquit laudatus Graveſonius) verba illa Epicureorum more intellexit, quaſi licitum eſſet indulgere carni, & corporis voluptatibus inſervire, ſed potius per hoc dictum ſignificare voluit Nicolaus, ſicut ipſius mentem explicant ſupra laudati Patres, quod carnem coërcere, frȩnare, & aſsidua virtutum exercitatione domare, & ſpiritui ſubjicere debemus. * Et quidem in hoc ſenſu, ſubjungit citatus Clemens: *Dicam itaque: Mathiam quoque ſic docuiſſe, cum carne quidem pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam, per fidem, & cognitionem.*

S. Clemens lib. 2. Stromat. pag. 311.

Lib. 3. pag. 318.

Gnoſticorum nomen, & origo.

12 Nicolaitis porro adjungendi ſunt Gnoſtici à verbo Græco, quod cognitionem, & ſcientiam ſignificat, dicti. Eos à Nicolaitis exortos fuiſſe tradit Auguſtinus, quamvis à Baſilide hæretico primi ſæculi originatos vellint aliqui cum Hieronymo: vel à Carpocrate, ut Sanctus Irenæus tradit: vel à Valentino, ut aliis placet. Quamvis eorum ſectæ venenum Romæ diffundere cȩperint circa annum 167. opera, & induſtria cujuſdam Marcellinæ venuſtæ quidem, & ingenioſæ, ſed verecundiâ, & ſceleribus oneratæ fȩminæ; unde aliqui Gnoſticorum diſcipuli Marcelliani dicti fuerunt ſub Aniceto Pontifice; *Gnoſtici* (ſcribit Auguſtinus) *propter excellentiam ſcientiæ ſic ſe appellatos eſſe, vel appellari debuiſſe gloriantur, cum ſint ſuperioribus omnibus vaniores, atque turpiores: & cum ab aliis per diverſas terrarum partes, aliter, atque aliter nuncupentur. Nonnulli eos etiam Borbonitas vocant, quaſi cȩnoſos, propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercere dicuntur.*

Baron. anno 120. num. 25.

Origen. lib. 5. adverſus Celsũ.

D. Auguſt. lib. de hæreſib. ad S. Epiſc. Quod vult Deus.

Gnoſticorum impudétiſsimi errores.

13 Fuerunt Nebulones iſti nomine Chriſtiani, ſed reipſa turpiſsimi dȩmonum fautores: obſcȩnis ſiquidem voluptatibus dediti nulla libidinum monſtra illicita putabant. Promiſcuum mulierum uſum, & libidinum furias permittebant: & (horret dictu) ſemine humano in ſacris libabant: aliaque præſtabant, quæ pudet referre. Unde Gentiles contra Chriſtianam religionem maledicta, diraque convitia vibrabant. Gnoſticorum errores Sanctus Epiphanius licet retinens, narrat apud Baronium anno Chriſti 120. num. 26. Immò Apoſtolus Gnoſticos ipſos ſatis indicat devitandos, dum Timotheum inſtruit *devitare profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quã quidam promittentes, circa fidem exiderunt.* In hoc ſenſu Apoſtolum intelligunt S. Joannes Chryſoſtomus, & Theodoretus, ut bene adnotat Petrus Annatus in Apparatu, verb. Gnoſtici, præjacta verba ſic expendens: * *O Timothee* doctrinam ſanam, & Catholicam à me tibi, & à Chriſto concreditam conſerva, *devitans* quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, *profanas*, ſeu vanas, quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, à Fide, Eccleſia & religione alienas, *vocum*, immò rerum, ſententiarum, ac conſequenter ſermonum *novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*, ideſt,

S. Epiphan. hæreſi 26.

1. ad Timoth. 6. v. 20.

ideſt, antitheſes, oppoſitiones, & objectiones falſo nominatæ ſcientiæ, ſeu hæreticorum illorum, qui ſe *Gnoſticos*, ſive ſcientes falsò nominant, qui ſibi falſo ſcientiam arrogant, quaſi ipſi ſoli ſaperent; cùm non ſit vera ſcientia, ubi non eſt vera fides, qua ipſi careant, cùm circa fidem exciderint. *

Adamitarum errores.

14 Ex hac peſsima ſchola pejores exierunt diſcipuli Adamitæ, qui nuditatem Adami in ſtatu innocentiæ imitandam eſſe verbo & facto dictitantes, novas ſpurcitias, quæ nominare pudet licitas dicebant. Cajanitæ aliique ejuſdem furfuris nebulones, quorum ſcripta ſunt nomina in abominatione hominum. * De „ illis enim ita ſcribit D.Ang. *Eſt error quo-* „ *rūdam, qui dicuntur Adamani* (ſeu Adamitæ) „ *hi imitantur nuditatem Adæ, nudi mares,* „ *fęminæque conveniunt, nudi lectionem au-* „ *diunt, nudi orant, Sacramenta nudi cele-* „ *brant, contra quos dicitur*: *Omnia honeſtè* „ *fiant in vobis.* Ad originem verò quod attinet Adamitarum merito diximus ex ſchola prodiiſſe Gnoſticorum, quos proinde ſicut & Gnoſticos, appellare poſſumus cum Baronio Baſilidianos, Carpocratianos, Valentinianos, Secundianos, Epiphanis ſectatores. Verumtamen Adamitarum (contrapoſitè ad alios Gnoſticos) Auctor extitit Prodicus carpocraticæ ſtirpitis nefandiſsima proles, ut laudatus Annalium Parens tradit. Et ſubjungit: * De his plura Epiphanius, qui horum eccleſias lupanaria fuiſſe tradit, ubi non niſi nudos commorari liceret, quas paradiſum nominabant. *

D.Thom.opuſc. 5. propè finem.

1.Corinth. 14. v.ult.

Baron. anno 120. num.42.

Ibidem n.41.

S.Epiphan.hæreſ.26.

Dulciniſtæ hæretici.

15 Hæc non tàm hominum, quam belluarum nefanda dogmata ipsâ ſuâ fœditate corruentia, & per plures annos ferè ſopita; poſt Beguardos, & Beguinos (de quibus plura dicenda ſunt) pullulare iterum viſa fuere circa annum 1300. operâ Dulcini impii quidem, & impuri hominis Novarienſis in Lombardia (unde Dulciniſtæ dicuntur) unà cum Scorto Margarita, quorum uterque flammis addicti fuere Vercellis in Pedemontio, poſtquam membratim conciſsi fuerunt cum aliis ſceleratæ factionis ſociis. Adeò tamen nefandiſsima hæc ſecta ſequaces utriuſque ſexus habuit, ut ad eos debellandos opus fuerit expeditionę Cruciatorum à Clemente V. indicta, ut refert Petrus Annatus, & Mag. Van-ranſt. Similia leguntur de Turilipinis nomine ſolum Chriſtianis, reipſa Epicureis de nulla re nobis à natura conceſſa erubeſcendum eſſe docentibus: unde more canum & jumentorum, ne alia dicam vivebant. Addebant inſuper voce orandum non eſſe, ſed ſolum corde. Recruduit Adamitarum ſecta ſæculo 15. circa medium operâ Pikardi, qui eam ex Belgio in Bohemiam tunc vitiis ſcatentem invexit: ſed ſtatim extincta fuit. Pikardo, ejuſque ſequacibus, novis ſcilicet Adamitis gladio peremptis: ſicut etiam ſæculo 16. in quibuſdam Hollandiæ partibus noviter erupit, ſed ſtatim extincta fuit, ut refert proxime laudatus Mag. Præjactis deliramentis adnumerare poſſumus *Heicetas* ad finem ſæculi 7. qui vitam pſeudo-religioſam profitentes, Eccleſiæque auctoritatem reverentes, nihilominus Dei laudibus præclarè dictitabant ſatisfacere: ſi unà cum ſanctimonialium turmis, choreis, tripudiiſque vacarent: ad inſtar chori à Moyſe inſtituti poſt ſubmerſos in mari Ægyptios, prout refert Mag. Van-ranſt in Appendice ad ſæculum 7.

Novi Adamitæ.

16 Poſt nefandas brutales Gnoſticorum delirationes, & ſequacium impudentiſsima, inverecundaquę opera; de Maſſalianis (vel Meſſalianis, ut notatur ad marginem in nova Baroniana editione) nonnulla referre convenit. Hi enim phanatici hæretici de impudicitiis Gnoſticorum aliqua retinentes, nova eructarunt pernicioſa errata ſub prætextu commendandi orationem; & inde non immerito dici valent pſeudo-myſticorum omnium, qui poſterioribus ſæculis in perniciem veræ pietatis ex abyſo prodierunt duces & anteſignani. Exorti illi fuere quarto Eccleſiæ ſæculo circa annum 361. ſub Liberio Papa, & Imperatorum Valentiniani & Valentis tempore ut tradit Theodoretus: licet magis ſtandum ſit S.Epiphanio ad tempus Conſtantii Imperatoris Maſſalianos referenti: quodque demonſtrat hiſtoricè Baronius ſubjungens, hæreſim iſtam detectam & exploſſam fuiſſe ad finem ejuſdem ſæculi ſub Theodoſio Imperatore adverſus hæreticos ſui temporis varia edicta promulgante. Inter alia enim ſic imperavit ad Poſtumianum Præfectum Prætorio ſcribens: *Omnes omnino, quoſcumque diverſarum hæreſum error exagitat, ideſt, Eunomiani, Ariani, Macedoniani, Pneumachomachi, Manichei, Encratitæ, Apotactitæ, Saccophori, Hydroparaſtatæ, nullis circulis coeant, nullam colligant multitudinem, nullum ad ſe populum trahant, nec ad imaginem eccleſiarum parietes privatos oſtendant: nihil vel publicè, vel privatim, quod Catholicæ ſanctitati officere poſsit exerceant. Ac ſi quis extiterit, qui tam evidenter vetita tranſcendat: permiſſa omnibus facultate, quos rectè obſervantiæ cultus & pulchritudo delectat, communi omnium bonorum conſpiratione pellatur, Dat.8. kal.Auguſt. Conſtantinop. Merobaude, & Saturnino Conſſ.*

Maſſalianorum errores.

S.Epiphan.hæreſ. 80.

Baron. anno 383. n. 34. & 361. n.34.

Edictum Theodoſii Imp. adverſ. hæretic. etiam Maſſalianos.

17 Inter hæreticos autem in Edicto memoratos, Maſſaliani indicantur vocabulo illo *Saccophori*, ideſt *Maſſaliani*, qui Saccophori fuerunt appellati eo quod ſacco induerentur, ut Epiphanius adnotavit. Ut inde jam appareat à Maſſalianis clandeſtinos conventus (in Moliniſtis reprobandos) exordium ſumpſiſſe, aliiſque memoratis hæreticis. Illi enim (habet Annalium Parens ex Theodoreto, & Epiphanio) ad preces cohibant permixti mulieribus, quod à ſanctis Chriſtianorum inſtitutis penitùs abhorrebat. Et hæc ſunt, quæ de impudicitiis Gnoſticorum retinuiſſe Maſſalianos diximus. Horum hæreticorum, præcipui fuere pſeudo-monachi quidam in Meſopotàmia, quorum nomina recenſet Theodoretus; dicti etiam *Eucatitæ*, Latinè *Precatores*, vel *Adelphii*: ut loquitur Synodus adverſus eos coacta, & à nobis adducenda. Similiter vocati fuerunt à Theodoreto, *Enthuſiaſtę*, ideſt, numine afflati, ut ſtatim ſignificabimus. In hujuſmodi hæreticis jure videmus adimpletum (quod in pſeudo-myſticis recruduit) Davidicum illud: *In via hac, qua*

S.Epiphan. ubi ſupra.

B[illegible]on. anno 36[illegible]1.35. cum fin[illegible]

Theodoret. li.4. hæretic. fabul. cap.10.

Pſal.141. v.4.

qua ambulabam; abſconderunt laquem mihi. Cum enim ſanctos Monachos deceat orationibus jugiter orare, pſeudo-monachi Maſſaliani id pravè intelligentes, iſtud jecerunt ſuæ impietatis fundamentum, * ut aſſererent, (inquit Baronius) ex ſententia Domini ſemper orandum, ac proinde precationi ſemper vacandum eſſe, ac cætera omnia negligenda: idque affirmantes eſſe tanti momenti, ut ſolum ſufficeret ad omnes poteſtates adverſarias ſuperandas. Ex hoc in primis provenit, ut quod erat Monaſticæ diſciplinæ conjunctum, opus manuum penitùs prætermitterent, illud Domini uſurpantes: *Operamini cibum, qui non perit.* Sed & jejunium penitus ignorabant, ſatis dicentes ſufficere ad mentem expurgandam orationem.

Joann.6. v. 7.

18 At parum fuit illis ex ejuſmodi malè aſſumpto principio labefactare Monaſticam diſciplinam, niſi etiam corrumperent Eccleſiaſtica dogmata. Siquidem eos nefandum illud dogma excogitaſſe Theodoretus affirmat, ut dicerent Sacramenta Eccleſiæ, nec prodeſſe, nec obeſſe, ſed oratione tantum peccata laxari, dœmoneſque fugari: ſeque habere (impie jactabant) baptiſmum adinſtar novaculæ: ut ſicut hæc pilos corradit, & tamen iidem ex radicibus iterum pullulant, ita ex illorum ſententiâ poſt baptiſmum remaneat peccatum originale; perpetuâ tamen oratione peccati radicem prorſus evelli aſſerebant: habereque unumquemque hominem dicebant habitantem in ſe dœmonem, nec ipſo caruiſſe Apoſtolos; eum verò tantum oratione fugari, qua ajebant poſſe quoque effici homines impaſsibiles atque participes divini Spiritus, & conjunctione animi cum cęleſti Sponſo, mirâ dulcedine perfrui. Duas inſuper addebant poſſidere homines animas, quarum alteram eſſe ſupercęleſtem: garriebant etiam capaces ſe eſſe corporeis oculis videndi Sanctiſsimam Trinitatem. Unde accidebat, ut hujuſcemodi viſionibus, quæ per dœmonum illuſionem ſolent fieri delectarentur; quarum apparitionibus, ac pariter revelationibus eo inſaniæ pervenere, ut non tàm dicerent ſe eſſe perfectos, ſed vel Angelum, vel Prophetam, immò & Chriſtum eſſe jactarent, reliquos autem indignos eſſe Chriſtiano nomine. *

19 Addit his Theodoretus: *Multa quoque alia faciunt, quę eorum phreneſin arguunt. Nam*, inquit, *repente ſaltant, & ſuper dæmones ſe ſaltaſſe jactant; & digitis ſagittantium ſpeciem præſeferunt, ſe in Dœmonem jaculari affirmantes; & quędam alia faciunt ſimili furore plena, & ideò Enthuſiaſtarum, hoc eſt, divinorum furore correptorum nomen ſortiti ſunt.* De Maſſalianis quoque affirmat Hieronymus in eâ fuiſſe ſententiâ, ut dicerent; poſſe hominem ad perfectionem, atque ad ſimilitudinem & æqualitatem Dei, humanâ virtute; ita ut aſſererent, ſe ne cogitatione quidem & ignorantia (cum ad conſummationis culmen aſcenderint) poſſe peccare. His de cauſis ſe ipſos ſpirituales nominabant, reliquos vero carnales. Eos autem quantum ad partem quâ negabant manibus laborandum eſſe; ſequuti fuerunt in Occidenti Monachi nonnulli, adverſus quos ſcripſit Auguſtinus librum *De opere Monachorum.* Hujus generis fuit ille, quem Abbas Silvanus ad meliorem frugem ingenioſâ quadam induſtriâ traxit: cum enim peregrinus devenerit ad Monaſterium dato illi codice ad legendum in cellulam miſſus fuit, poſtquam videns fratres manibus operantes dixerat: *Quare operamini eſcam quę perit? Maria optimam partem elegit.* Poſtquam autem tranſiit hora nona, nec vocatus fuerit ad prandium venit ad Abbatem Silvanum exprobans eum, quod non fuiſſet vocatus. Tunc vero dixit ei: *Tu homo ſpiritualis es, & non habes neceſſe hanc eſcam; nos autem tamquam carnales opus habemus comedere, ideò operamur: tu autem optimam partem elegiſti; legis enim quotidiè, & non vis carnalem eſcam accipere. Quod cum audiſſet, cępit pœnitere, & dicere: Indulge mihi Abba. Tunc reſpondit illi Silvanus: Ergo neceſſaria eſt Martha Mariæ: propter Martham enim & Mariâ laudatur.*

Theoret. ubi ſupra.

D.Hieron.Dialog.contra Pelagium inPræfat.

In Vit.PP.parte 2. cap.51.

Maſſaliani debellati.

20 De hac phanaticorum ſecta affirmat Petrus Annatus *in Maſſalianis* ſtatim debellatam fuiſſe ab Orientalibus Epiſcopis. Verumtamen ſi Baronio patenter oſtendenti credimus, non ita ſtatim detecta & everſa fuit. * Non enim (inquit) levis negotii erat opus, hos habitu ſancto latentes detegere: nam illis ex dogmatis præſcripto jurare, ac perjerare fas fuiſſe, idem qui ſupra tradit Damaſcenus. * Invigilaverunt (fateor) Catholici Epiſcopi hæreticos latentes detegere, eos præcipuè quos Imperator Theodoſius memorato Edicto præſtrinxerat. Id autem ad annum 183. conſequutos fuiſſe tradit Baronius Letojum Melitinenſem Epiſcopum, Amplilogium Lycaoniæ Præſulem, & Flavianum Antiochenum Epiſcopum de quo cum Theodoreto refert, quod Adelphium ſectæ ducem, & ſenem inveteratum convicit, & ad fidem reduxit Eccleſiæ Catholicæ. Licet de verâ ejus pœnitentiâ dubitaverit Synodus adverſus Maſſalianos illis temporibus congregata. De illâ ſic Theodoretus ſcribit: *Legimus Synodum Sydæ factam adverſus hæreſim Maſſalianorum, ideſt, Euchaitarum, vel Adelphiorum. Præfuit Synodo Amphilochius Epiſcopus Iconii cum Epiſcopis viginti quinque. Ex ea Synodo ibi eſt Synodica ad Flavianum Antiochenum Epiſcopum, qui eâ de cauſâ etiam aliam Synodum habuit. In eo Concilio Sydę habito Adelphius licet pœnitentiam polliceretur, non eſt admiſſus, quamvis hęreſim deteſtari videretur; quoniam non ex corde pœnitentia & renuntiatio facta eſſet.*

Baron.an.361. num.38.

S.Damaſc. hæreſ.80.

Theodoret.li.4. cap.10. diffuſi apud Baroniū anno 383. à num. 36.

Synodus Sydę cōtra Maſſalianos.

21 Latiori calamo prælibatum deſcripſimus errorem, ut jam inde appareat quam merito judicaverit SS. Pontifex Innocentius XI. & Conſultores, Michaëlem de Molinos in ſuis ſpurciſsimis deliramentis Maſſalianorum, ſeu Enthuſiaſtarum errata ſuſcitaſſe; quos, inter inſanos, mente captos, & furore arreptos, potius quam inter hæreticos annumerandos fore credit Baronius, niſi omnes hæretici diverſis modis inſania laborarent, & furore perciti

citi

Heſychiſtæ, ſeu novi Maſſaliani.

citi eſſent. Quis autem crederet deliria illa tam efficaciter rejecta iterum inſtauranda? Et nihilominus ita contigit: nam ſæculo 14. recruduerunt in Oriente per quoſdam Monachos, qui dicti ſunt Heſychiſtæ, Euchitæ, & Maſſaliani, eo quod inter orandum imitarentur infames hæreticos Maſſalianos, caput ad umbilicum deprimentes, & in eâ orationis quiete mirabilem ſe lucem intueri, & inexhauſtâ voluptate affici delirarent; cumque ab illis quæreretur, quid lumen illud eſſet, quo ſe ad certum illum, quem diximus corporis habitum conformatos perfundi gloriabantur? Reſpondebant eſſe gloriam Deitatis increatam, humano tamen viſui perviam. Hujus phanaticæ aberrationis auctor creditur à Graveſonio in hiſtoria ſæculi 14. Simeon *Sancti Mamantis*, aliàs Junior Theologus à ſuis appellatus, ut refert Natalis Alexander tom.7. cap.3. art.14. Sequacium Monachorum patrocinium ſuſcepit *Gregorius Palamas* Monachus Græcus, ac Theſſalonicenſis poſtea Epiſcopus, qui nomen ſuum huic ſectæ dedit. Sic memorat Joſephus de Turre in Enthuſiaſtis. In eadem errorum cloaca reponendi ſunt Enthuſiaſtæ circa annum 1534. quorum ſolemnis dementia erat: expectare divinos affatus, viſioneſque cœleſtes, quibus repleri & frui gloriabantur. Huc revocari poteſt ſecta illa, in qua (ut refert Felicianus Capitonus) tantam abundantiam Spiritus Sancti ſibi pollicebantur ſequaces, ut quæ in mentem venirent, opera Spiritus Sancti eſſe putarent, indeque viam ad omnia faſcinora, falſaque dogmata ſibi aperiebant.

Felicianus Capitonus, in Exemp. Novi, & Veteris Teſtamenti.

ARTICULUS II.

Beguardorum, & Beguinarum obſcura deliramenta in apertum prodit, indicatis etiam Lutheraniſmi, & Pſeudo-Illuminatorum deliriis.

22 INTER præcedentium ſæculorum errores per Michaëlem Molinos, ejuſque ſequaces renovatos, eminent Beguardorum, & Beguinarum eò pernicioſa dogmata, quo pietatis, orationis, & Chriſtianæ perfectionis larvato nomine contecta fuere. Quantum ad originem attinet Beguardorum, & unde ſint dicti nihil certi nobis conſtare poteſt, niſi quod eorum nomen commune fuit cum Fratricellis, Viſochis, aut fratribus de paupere vita, qui ſub Joanne XXII. extiterunt; poſteaque inde dicti ſunt Beguardi, & Beguini, quia ſeſe adjunxerint ſectæ, erroribuſque referendis ſub auſpiciis Ludovici Bavari Imperatoris Sedis Apoſtolicæ infenſiſsimi hoſtis, impune graſſantibus. Id colligimus ex laudato Joanne in Extravaganti, quæ incipit *Sancta Romana*. Ibi * Nonnulli profanæ multitudinis viri ſunt, qui vulgariter Fratricelli, ſeu Fratres de paupere vita, Viſochi, ſive Beguardi, vel aliis nominibus nuncupantur in partibus Italiæ, necnon in Inſula Sicilienſi, qui contra Canones habitum novæ Religionis ſumpſerunt. * Illorum anteſignani fuere Jacobus Juſti, & Bononatus Cathalani, ut indicat Magiſter Vanranſt. Ex quibus optimè deducit laudatus Magiſter à prædictis Beguardis valdè diſtinguendos eſſe Patres Beguardos, qui tertiam Sancti Franciſci Regulam profeſsi (ut videre eſt in Belgio) de Eccleſia bene merentur.

Beguardorum origo, & differentia.

Joann. XXII. Extravag. Sâcta Romana.

Mag. Franciſc. Väranſt in aureo Opuſc. Lux Fidei.

Beguinarum origo, & diverſitas.

23 Quantum verò attinet ad Beguinas, earum & nomen, & inſtitutionem nonnulli deducunt à Sancta Begga Sanctæ Gertrudis Nivellenſis ſorore, & Pippini Landenſis filia, quæ ſeptem Eccleſiarum Cœnobium fundavit, è vivis ſublata Andaniæ ad Moſam 17. Decemb. anno 698. Sed veroſimilius Auctores coëvi inſtitutionem acceptam referunt Lamberto Begio Leodicenſi Presbytero, qui ad medium ſæculi duodecimi florebat. * Suſcitavit Deus ſpiritum Sancti cujuſdam Sacerdotis viri religioſi, qui Lambertus le Begues (quia balbus erat) de Sancto Chriſtophoro dicebatur, cujus cognomine mulieres & puellæ, quæ caſtè vivere proponunt, Beguines gallicè cognominantur: quia ipſe primus extitit, qui eis præmium caſtitatis verbo, & exemplo prædicavit. * Sic habet Ægidius Monachus Aureæ Vallis apud Graveſonium, tom. 4. fol. mihi 177. Sed præter iſtas aliæ circumferuntur Beguinæ religioſam vitam prætextantes, quarum fundatrix, vel propagatrix fuit Margareta quædam Porretæ ex Hannonia oriunda, quæ Pariſiis flammis addicta fuit anno 1310. propter errores pertinaciter diſſeminatos, præſertim: *Quod anima anihilata in amore Conditoris, ſine reprehenſione conſcientiæ, vel remorſu poteſt & debet naturę quidquid appetit, & deſiderat concedere.*

Martyrolog. Rom. ad diem 17. Decemb. & Baron. in Not.

Graveſonius tom. 5. fol. 55. ex continuat. Guillielmi Nâgii.

24 Rem diſerte narrat Guillielmi Nangii continuator in prædicto anno, apud Graveſonium, inquiens. * Circa Feſtum Pentecoſtes accidit Pariſiis, quod quædam pſeudomulier de Hannonia, nomine Margareta, dicta Porreto, quamdam librum ediderat, in quo omnium Theologorum judicio, qui ipſum diligenter examinaverunt, multi continebantur errores & hæreſes; & inter cæteras, quod Anima adnihilata in amore Conditoris ſine reprehenſione conſcientiæ vel remorſu poteſt & debet naturæ quidquid appetit & deſiderat concedere, quod manifeſtè ſonat in hæreſim. Dum libellum hunc, aut in eo contentos errores abjurare nollet, quinimò latam in ſe excommunicationis ſententiam ab Inquiſitore hæreticæ pravitatis contemneret, quia coram Epiſcopo ſufficienter monita comparere nollebat, & per annum & amplius pertinaci ſuſtinuiſſet animo in ſua malitia finaliter indurata, tandem in communi platea Graviæ coram Clero ac populo ad hoc ſpecialiter evocatis de peritorum conſilio expoſita eſt, & tradita Curlæ Sæcu-

lari; quam Pariſienſis Præpoſitus in ſuâ poteſtate ſtatim accipiens, ibidem in craſtino, incendio fecit extingui. *

25 Hujus ſecundi generis Beguinarum inſtitutum abolendum eſſe Synodus Oecumenica Viennenſis ſub Clemente V. decrevit. Declaravit autem ſucceſſor Joannes XXII. conſtitutionem illam non eſſe extendendam ad Religioſas fęminas Sorores de Pœnitentia vulgò dictas, quæ inculpabiliter ſub habitu Beguinarum pro illo tempore, & etiam nunc extant præſertim in Belgio & Diœceſi Leodienſi. Hæc quæ de duplicis generis Beguinis diximus reipſa tradidit Graveſonius, in hoc ſolum diſcrepare viſus, quod non duplicem inſtitutionem admittat, ſed dumtaxàt quod damnatæ memoriæ relata Margareta, quam plures inſtituti Beguinarum puellas in errorem traduxit & ſocietatem cum hæreticis Beguardis.

Mag. Graveſonius ubi ſupr.

Errores Beguardorum, & Beguinarū.

26 Igitur famoſi Beguardorum & Beguinarum errores hi fuere. Primò: *Homo in hac vita poteſt talem perfectionis gradum aſſequi, ut reddatur penitùs impeccabilis, nec amplius in gratia proficere queat.*

2. *Jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſequutus; quia tunc ſenſualitas eſt ita perfectè ſpiritui & rationi ſubjecta, ut poſsit homo liberè corpori concedere, quidquid placet.*
3. *Illi qui ſunt in prędicto gradu perfectionis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientię, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur.*
4. *Homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vitâ beatâ obtinebit.*
5. *Quęlibet intellectualis natura in ſe ipſâ naturaliter eſt beata, nec anima indiget lumine glorię ad Deum videndum.*
6. *In actibus virtutum ſe exercere eſt hominis imperfecti; quia anima perfecti dimittit à ſe virtutes.*
7. *Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maximè cum tentatur exercens.*
8. *In elevatione Corporis Chriſti non debet hujuſmodi perfectus homo ei reverentiam exhibere; foret enim imperfectio ſi ab altitudine ſuę contemplationis ad cogitationem Euchariſtiæ, ſeu Humanitatis Chriſti deſcenderet.*

27 Vidimus hucuſque ſpurciſsima antiquorum dogmata, veluti zizania in agro Domini per Diaboli miniſtros, hinc inde ſparſa, atque per Beguardos & Beguinas ex orco revocata ſub ementitâ chriſtianæ perfectionis ſpecie. Videamus nunc Lutherum, Calvinum, eorumque Diſcipulos & Prodromos Uvicleffum, Huſsium, & Hieronymum Pragenſem à fine ſæculi 14. Eccleſiam infeſtantes antiquo veneno, novis condito ementitis pigmentis, ut zizania pro frumento incautis oſtentarent. Bonorum enim operum neceſsitatem pro æterna ſalute conſequendâ cum Simone Mago & Eunomio iterum evellere conantur ſub ſpecie magnificandi fidem, meritique Chriſti Domini extollendi: liberum arbitrium è medio tollentes, & veluti inanime quoddam nihil omnino in operationes effectivè influens ſupernaturales. Hinc arma ſumpſere contrà jejunium cùm Uvaldenſibus, corporiſque mortificationem, invocationem Sanctorum, indulgentias, vota, aliaque id generis. Quinimo Diabolus non de theſauro ſuo, quemadmodum bonus Paterfamilias, ſed de ſuperbiſsimo malitiæ ſuæ ſinu, & vetera, & nova doctrinæ figmenta per Lutherum & Calvinum exurgentes ex abyſſu locuſtas protulit. Vetera aliqua indicavimus: nova attendite: atque illud in primis monſtrum apparet, vel novum, vel novo modo conſarcinatum: bona nimirum opera à quocumque eliciantur juſto peccato inquinata ponunt, concupiſcentiamque poſt Baptiſmum remanentem (cum Proclo 2. ſæculi hæretico) peccatum palam appellantes.

Apud Belarminum ſuis reſpective locis. Prateolum, & Joſephum Maria de Turre.

Errores Lutheranorum, & Calviniſtarum.

28 Inſuper ſpei Theologicæ ſacram projecere anchoram, qua corruente, in omnia proruere flagitiorum genera homines Apoſtolus ſignificavit, ejuſque Diſcipulus & Doctorum Magiſter oſtendit. *Qui deſperantes* (verba ſunt Pauli) *ſemetipſos tradiderunt impudicitię, in operationem immunditię omnis, in avaritiam.* Præluxerat jam Propheta apud D. Thomam in Commentario inquiens: *Deſperavimus: poſt cogitationes noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus.* Jurè igitur concludit Scholarum Princeps: „Per ſpem revocamur à malis, & inducimur ad bona proſequenda. Et ideo ſublata ſpe, irrefręnatè homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur:: „Inde Gloſſa dicit: Nihil eſt execrabiliùs deſperatione, quam qui habet, & in generalibus hujus vitæ laboribus, & quod pejus „eſt, in fidei certamine conſtantiam perdit. Sacram hujuſmodi anchoram projiciunt Lutherani falſæ charitatis velo tecti affirmantes: illicitum eſſe operari æternæ mercedis intuitu. Inde non doctrinæ, ſed erroris conſequentiâ contra honeſtatem timoris ſervilis venenato ore inſurrexere maleferati homines. Et quod horribilius eſt, ad eum infernalis cęcitatis barathrum attigerunt, ut blaſphemiam illam Libertinorum: *Deus omnia etiam mala in homine operatur* renovarent, obganientes, non minus eſſe opus Dei proditionem Judæ, quam vocationem Petri. At tandem, ut januam luci Scripturarum occluderent, Eccleſiæque arma, argumentorumque ancipites gladios hebetarent, ſe ipſos, propriumque Spiritus ſancti imaginatum inſtinctum regulam Scripturæ intelligendæ conſtituunt. Deinde Sacram Theologiam Scholaſticam ab hominum memoria exulandam furore diabolico ambiunt: illi enim Theologiam Scholaſticam, quam ignorant ore blaſphemo, explodunt, exibilant; juxta illud Apoſtoli Judæ in Epiſt. Canonica: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blaſphemant.* Theologiam Scholaſticam nihil aliud eſſe effutiit Lutherus

Ad Epheſ. 4. v. 19.

Jerem. 18. v. 12.

2. 2. quæſt. 20. à 3. in corp. poſt medium.

Gloſſa ordinaria in cap. 24. Proverb.

S. Judas in Epiſt. Can. v. 10.

lib. adverſus Jacobum Latomum, *Quam ignorantiam veritatis inanemque fallaciam, quam ad Colloſſenſes 2. Apoſtolus præcavet.* In lib. inſuper 2. de abroganda Miſſa privata, Academias dicit eſſe Antichriſti lupanaria; Doctoremque Angelicum *Phialam iræ Dei* in verecundè vocitat. * Præterea obganiiſſe refertur ſcientias omnes ſpeculativas dicendas eſſe errores, Theologiamque Scholaſticam ignorantiam veritatis & ſcandalum juxta Scripturas poſitum. * Lutherum de more imitatus eſt Calvinus Theologos Scholaſticos vocitans Aſinos cornutos, Beſtias bipedes, & Sophiſtas. In eam tandem prorrupiiſſe blaſphemiam contra Theologos Scholaſticos mirùm videri non eſt in effręni iſto nebulone, antiquos etiam Patriarchas impudentiſsimè libidinis, fraudis, ſuperſtitionis traducente; & Apoſtolorum Principi, Gentium Doctori, aliiſque Apoſtolis crimina imponente. Venenatam enim linguam in ſchola acuit Lutheri, cujus duæ illæ referuntur contra Angelicum Thomam plaſphemiæ, in primis enim dubitat an D. Thomas ſit damnatus vel Beatus. Deinde blaterat, * Thomas multa hæretica ſcripſit, & auctor eſt regnantis Ariſtotelis vaſtatoris piæ doctrinæ. * Errantes Magiſtros aberrans ſequitur Philippus Melancthon in Apologia contra Pariſienſes, *Lutetię* (inquiens) *natam eſſe, profanam Scholaſticen, qua admiſſa Evangelium obſcuratum eſt & fides extincta.* Novatoribus iis præluxit ſuperbiſsimus Uvicleffus contra Sacram Theologiam Scholaſticam furiosè debacchans: quippè inter ejus articulos à Concilio Conſtancienſi damnatos unus eſt, quo aſſerebat: Univerſitates, Studia, Collegia, & Magiſteria in Eccleſia fuiſſe vanâ gentilitate introductâ, & tantum illi prodeſſe ſicut prodeſt Diabolus (& referente Uvaldenſi) Scholas Theologorum caſtra vocat Cainica. Sed de his deliramentis pluſquam ſatis, jam enim in Sacro Tridentino Concilio fulgurita, à gremioque Eccleſiæ excluſa videmus. Utinam Lutheraniſmi & Calviniſmi tenebroſum regnum mutuis ſectariorum ſubortis diſidiis in ſe ipſo diviſum deſoletur!

29 Anathematizatis per Eccleſiam anteactis erroribus, pugnarunt nihilominus filii contra piam matrem, quam ideò lugentem, Davidicaque verba illa pro planctu aſſumentem, conſiderare mihi videtur, *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* In medium enim adducere noſtri argumenti inſtitutum cogit, plurimos in ſinu Eccleſiæ enutritos fideles, qui malè conſarcinatos errores multoties deſtructos reedificare moliti ſunt; & quidem in florentiſsimis Europæ Provinciis, ubi maximè vigebat & viget Chriſtianiſmus, Hiſpania nimirùm, Gallia, Italia, Belgio, & Germania. In tam uberrimo Eccleſię agro inimicus renovata ſuperſeminavit zizania poſt veritatem (antiquis falſitatibus depulſis) in Conciliis Generalibus declaratam. Et verè quidem

Pſal. 54. v. 13.

zizania dicamus pſeudo-myſticorum enarranda deliramenta, ſi ad verba illa Hieronymi attendamus: *Inter triticum, & zizania (quod nos appellamus lolium) quandiù herba eſt, & necdum calamus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt: & in diſcernendo aut nulla aut difficilis diſtantia.* Illos enim ſpurios Aſcetas, ſi initio ſuæ diſſeminationis attendimus, nihil aliud oſtentabant niſi mollitos ſermones ſuper oleum; ſed reipſa inferni jacula. Audires enim illos in diſcipulorum incautos animos viam internam perfectionis chriſtianæ, purum Dei amorem, reſignationem in divina voluntate, propriam annihilationem, divinorum contemplationem, eximios orationis gradus, quietem contemplationis, unionem cum Deo, aliaque id generis oſtentare vocabula, quibus utiliter poſt Sanctiſsimos Patres uſi ſunt veræ Theologiæ myſticæ cultores ſapientiſsimi æque & ſanctiſsimi.

Hieronym. pud D. Tho. in Catena Mathæi 13.

Cur in zizaniis novæ, innovatæ hæreſes deſignatur.

30 Videas hucuſque zizania in herba ſub ſpecie tritici quaſi æquivocata: ut ergo ea attendas in calamum ſeſe erigentia, ſpicaſque germinantia venenatos infernalis illius ſeminis fructus monſtrare, neceſsitas argumenti cogit: quantumvis chriſtiana modeſtia inhorreſcens animum retrahat, ut Sancto Irenæo Gnoſticorum ſpurcitias referenti contigiſſe memoravimus. Liceat ergo mihi contra impuriſsimos Theologiæ myſticæ ſpurios Aſcetas uſurpare verba, quibus Athanaſius primam contra Arianos orationem adornavit: ***Neceſſarium duximus nefandę hujus hęreſis ſinus explicare, atque ejus ſtultitię patefacere fætorem, ut qui procul ab ea ſunt remoti eam magis adhuc fugiant; qui autem ab ea decepti fuerunt recipiſcant, apertiſque cordis oculis intelligant, quemadmodum tenebrę non ſunt lux, nec mendacium veritas.*** Nec putet aliquis periculoſum eſſe ea deliria putidaque figmenta in apertam lucem proferre, ne fortè infirmi vel malevoli in propriam vel aliorum perniciem his abutantur: quia ſi ita eſt, *pro Patria miles non armandus eſſet, quia contra Patriam nonnulli arma ſumpſerunt: neque boni doctique Medici ferramentis medicinalibus uti deberent ad ſalutem, quia his ad perniciem indocti peſsimique abutuntur, Auguſtinus ajebat.*

Athanaſius oratione 1. contra Arianos.

Auguſt. lib. contra Creſconium cap.

31 Manum igitur, etſi rubore trementem admoveamus referendis (commodiori quo fieri congruet ordine) erroribus adverſariorum, quos in hiſce lucubrationibus debellandos, datâ operâ, aſſumimus. Et in primis ordine occurrit illorum ſecta, qui ſe ipſos illuminatos dictitabant; quique falſæ pietatis velo in Hiſpania ſuborti ſunt ſæculo 16. decurrente circa annum ſcilicet 1575. Sed quia tenebroſi illi pſeudo-illuminati ſtatim juſto Sacrę Inquiſitionis judicio Cordubæ puniti fuerunt; illorum ſecta in ſuis veluti incunabulis illicò diſſipata, vel potius ſopita fuit. Etenim circa initia ſæculi 17. anno videlicet 1623. ſub Pontificatu Urbani VIII. ex cineribus præteritis, veluti novus erupit ignis, reviviſcereque cœpit in Hiſpalenſi Diœceſi fanatica illa ſecta, patronis nonnullis pro ea acriter decertantibus. Unde meritò iterum Sacræ Inquiſitionis De-

Pſeudo illuminatorum phantaſtici errores.

creto

creto proſcripti fuere hujus ſectæ viri, ejuſque ſeptem duces præcipui incendio combuſti, alii vero fugâ ſalvi, vel Regno exire juſsi, curâ, & zelo Andreæ Pachechi Hiſpalenſis Archiepiſcopi totiuſque Regni Generalis Inquiſitoris æquiſsimi. Inſuper ſexaginta ſex propoſitiones ab his ſectariis aſſertas juſtiſsimè proſcripſit apud Bonaventuram Malvaſia in Cathalogo hæreſum centuriâ decimâ ſextâ. Ex illis enim nonnullas in præſentiarum adducere convenit, ut facilius ſit intelligere, eos ſectarios à Quietiſtis, ſeu diſcipulis Michaëlis de Molinos nihil ferè diſcriminari. Aſſerebant enim.

1. Primò: *Mentalem orationem divino pręcepto adeò imperatam eſſe, ut per eam omnia impleantur.*
2. *Dei ſervos nec laborare debere, nec Prælato ulli obedire quando mentalis oratio impeditur.* Vide in his duabus propoſitionibus Maſſalianos redivivos.
3. *In elevatione Sanctiſsimi Sacramenti claudendos eſſe oculos.*
4. *Eum qui pervenerit ad certum perfectionis ſtatum, nec videre poſſe Sacras Imagines, nec Divinum verbum audire, nec alia facere huic ſectæ & doctrinę contraria.*
5. *Orationem & abſtinentiam non poſſe diu ſimul niſi miraculo conſiſtere.*
6. *Orantem ita ſe debere in Dei præſentiam colligere, ut nec diſcurrat nec meditetur vel Paſsionem vel Humanitatem Chriſti.*
7. *Eum qui orationi mentali vacat poſſe ab audienda Miſſa etiam diebus feſtis abſtinere.*
8. *Poſſe hominem ad eum perfectionis gradum pervenire, ut gratia animæ facultates ſubmergat, nec poſsit anima vel progredi, vel retrogredi, & ad eum perfectionis ſtatum pervenire, ut Sanctorum interceſsione non ægeat.*
9. *Illuminatos ſpernere debere omnes Theologos & Concionatores.* Denique ut cęteros prætermittamus errores effutiebant: *actus eo magis meritorios eſſe, quo minor eſt ſenſibilis devotio; & turpes actus & inhoneſtos tactus cum ſectę ſuæ fęminis, ac puellis non eſſe peccata, virtutem potius ac pietatem.*

gentes procul negotiis, & à Mundo longè ſemoti Deo ſoli ſanctè, quietèque vacabant. Sancta, & re vera laudabilis quies, non ſic illa, quam pſeudo-myſtici novatores effingunt, & cui accomodare poſſumus, quod Eccleſia in Hymno feriæ quartæ ad matutinum habet: *Nos à quiete noxia: merſos ſopore libera.* Illam inducit charitas perfecta, virtutum circumdata varietate: iſtam introduxit otium omnibus vitiis vallatum. Utriuſque differentiam, pio & eleganti metro deſcripſit pius ex Clericis Regularibus Sacerdos Cajetanus Corazza in oblectamentum animi audiendus, ante Moliniſmum detegendum.

Fervori, ſacro qui pectus inebriat æſtu,
Succedit placido mixta ſopore quies.
Sicut at æthereus fert caſta tripudia fervor;
Sic ſopor eſt vigilans, eſt operoſa quies.
Non hęc falſa quies, quā ſpōdet hypocriſis audax;
Nomine ne ficto decipiare cave.
Flagitiis parat illa viam, virtutibus iſta:
Iſta operare jubet, ſegnis at illa vetat.
Illa preces, motuſque pios & vota ſalutis,
Queis flagrant animæ, damnat: at iſta probat.
Illa reluctantes inhibet compeſcere ſenſus:
Prælia fędifragis ſenſibus iſta movet.
Ad ſtyga qui ducit lethalem diffuge ſomnum;
Sit tibi terrori deſidioſa quies.
Spiritus exanimi dùm corporis inſtar hebeſcit,
Mente nihil promens, nullaque corde movens;
Non orat, nec amat, ſed iners tabeſcit: inertes,
Qui nova ſemper agit, cęlicus odit amans.
Inferior laxis ubi pars procumbit habenis,
Pars hominis melior ſurgere in aſtra nequit.
Cum flammis prius unda, dies cum nocte coibit,
Et junget fœdus cum nece vita prius:
Quam ſursùm tendat virtutis perlita fuco
Improbitas, vitiis ingenioſa ſuis.
Terreſtri vacuum pax vera cupidine pectus
Implet: pura beat non niſi corda quies.
Hanc maculę, quamvis tenues, à cordibus arcent;
Hac Mundi affectus nè potiare facit.
Non aliter Solem nubecula celat adultum,
Rivulus & modico turbidus imbre fluit.
Vanarum, ſomnus, qui fert oblivia rerum,
Qui Sponſi tantùm commeminiſſe facit,
Ille bonus ſopor eſt: etenim tunc pervigil, unum
Scire cupit Numen, cętera neſcit amans.
Indue cor, ſimplex, & pennas ſume columbæ,
Detur ut innocua poſſe quiete frui.

ARTICULUS III.

Nova, veteribus ſupervenientia errata, in Moliniſtis collecta referens.

32 SIMILIA, immò & ipſiſsima pſeudo-illuminatorum fętida dogmata ex orco ſuſcitavit Michaël de Molinos ſub nomine orationis, quā *Quietis* dicebat; unde ejus ſequaces *Quietiſtæ* vulgò appellantur, licet per abuſum; nam Quietiſtæ ſapientèr olim, & verè dicebantur viri illi ſancti, qui ſolitariè de-

Tom. I.

33 Igitur Michael Molinos natus fuit circa initia ſæculi decimi ſeptimi *Munieſæ*, quæ Pagus eſt, aut ſuburbium Villæ de Gueſa in Archiepiſcopatu Cæſarauguſtano & Aragonum Regno; ſic narrat R. P. Franciſcus Porter Minorita *in Relatione hiſtorica de anſa Decreti adverſus Molinos* infra adducendi. Magis autem conſtat ex Actis in Viſitatione Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ hujus Civitatis Valentinæ per Illuſtriſsimum D. D. Petrum de Urbina digniſsimum Archiepiſcopum, mihique ſpecialiter colendiſsimum propter ingentia ejus erga noſtram Congregationem (cujus in ævum Patronus unà cum Catholico Rege veneratur) beneficia numquam à

Exordia Michaëlis de Molinos.

In Actis Viſitat. Illmi. D. Petri de Urbina.

no-

Nó fuit Theologiæ laurea donatus in Valētina Univerſitate.

Lib. *Memoriæ Hiſtoricæ Valent. Univerſit. cap. 10.*

nobis oblivioni donanda. E patria poſt tranſactam pueritiam Valentiam Edetanorum petens, liberalibus diſciplinis, Sacræque Theologiæ mediocriter operam navavit. In hac deinde noſtra Univerſitate Doctoralem Lauream aſſequutum fuiſſe indicat citatus Porter: falſo tamen: quia ut eruditus nobiliſque Scriptor D. Franciſcus Ortì & Figuerola, Theologiæ Doctor, Canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ, & Univerſitatis vigilantiſsimus Rector oſtendit: Nullum noſtra Univerſitas inter ſuos Doctores Theologos aliquod edidit monſtrum infernale hæreſis architectum. Et inde in laudem floridiſsimæ hujus Univerſitatis non dubitavit elogium producere, quo Maximus Hieronymus Galliæ Regnum ſuo tempore commendavit: *Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſsimis & eloquentiſsimis abundavit.* Obiit vir ille mihi dudùm cordialis amicitiæ nexu copulatus, dum vix annum attigiſſet ætatis quadrageſimum; quemque lamentati ſumus, & commendare juvat veluti *conſummatum in brevi explentem tempora multa.* Et ne fortè aliquis, critices immoderantia laborans, exceptionem præſumat intrudere in laudato teſtimonio, ipſum corroborare decrevi ex libro originali per ſingulos tranſcurſim annos apud Sacræ Facultatis Examinatores manentem, quemque hoc anno 1743. pro meo munere retineo; in quo ſcripta manent nomina eorum, qui Baccalaurei, & Doctoris laureis donantur. Hunc igitur librum diligenter evolvi ab anno 20. uſque 80. ſæculi præcedentis; nec tamen prædicti Michaëlis Molinos nomen inveni. Crediderim autem in alia Univerſitate Doctorali laurea donatum, prout indicant monumenta ex Regali Collegio Corporis Chriſti ſtatim referenda: & hoc ſolum ſignificare credendus eſt laudatus Franciſcus Porter, ponens Michaëlem Molinos Doctorem Valentinum, non tamen in Univerſitate Valentina.

S. Hieron. initio libri adverſ. Vigilantium.

34 Certum tamen eſt, memoratum Molinos Eccleſiaſticum obtinuiſſe Beneficium Valentiæ in Parochiali Eccleſia S. Andreæ, poſſeſſione donatum die 11. Julii anni 1646. * Sacris deinde initiatus, Miſsionibus obeundis aliquantis per operam navavit, mox excipiendis cujuſdam Monaſterii, in quo ejus ſoror degebat, Monialium confeſsionibus fuit Præfectus, inquit citatus Porter. * Poſt aliquot annos Pœnitentiariam Eccleſiæ Seminarii Corporis Chriſti cùm toto ambierit conatu, ſemel, iterumque repulſam paſſus fuit. Etenim vacante altera ex Capellaniis pro excipiendis confeſsionibus in Eccleſia illa deſtinatis, affixoque de more publico Edicto die 16. Decembris anni 1655. cum inter alios concurriſſet Doctor Michaël Molinos Presbyter Beneficiatus, &c. eo relicto, electus fuit Doctor Franciſcus Perez, Cathedralis Eccleſiæ Segobricenſis pro tunc Vicarius die 24. Februarii anni 1656. Contigit etiam poſt quatuor annos, nempe 1660. alterâ Capellaniâ vacante, fixiſque pro more Edictis die 8. Aprilis, iterum ambiens Molinos, iteratò repulſam paſſus fuit, electo Doctore Didaco Pau die 10. Junii memorati anni. Ita conſtat ex lib. aſſervato in publico Archivo prædicti Collegii, ubi electiones, electique, & concurrentes ad prædictas Capellanias adnotantur; accepique ab Egregio Doctore Theologo Balthaſare Mallent, prædicti Regalis Collegii Rectore. Quis dubitet iteratam illam repulſam præter communem expectationem contigiſſe? Attentâ non vulgari, qua Molinos ſibi animos devinxerat, virtutis & prudentiæ famâ, indefeſſoque labore (ut refertur) in confeſsionibus audiendis: dignus proinde judicatus, cui graviſsima cauſa procuranda demandaretur, ut ſtatim ſignificabimus.

Benefica Di providentia erga Eccleſiā Seminar. Corp. Chriſt ejuſque Ven. Fundatorem

35 Iteratam illam repulſam animo verſans, vix me contineo, quin venerabundus adorandam, beneficam, & fortè ſpecialem prædicem Divinam Providentiam erga Eccleſiam Seminarii illius: ne ſcilicet venenum evomeret putidus hæreſiarcha in Templo ipſo, ubi ſalutis anthidotum Venerabile nimirùm Euchariſtiæ Sacramentum ſpecialiſsimo cultu veneratur. Beneficæ divinæ hujuſmodi Providentiæ commendata ſigna, effectuſque non vulgares, jam pridem eluxiſſe cognovimus erga venerabilem mihique collendiſsimum Illuſtriſsimũ & Excellentiſsimũ D.D. Joannem de Ribera, Patriarcham Antiochenum, Archiepiſcopum Valentinũ, laudati numquam ſatis Collegii memorati magnificentiſsimum Fundatorem, virtutibus clarum, & pro effectu ſuæ Beatificationis Romano Pontifici propoſitis; utinam quantotius in Sanctorum Albo reponatur, prout in dies ſperamus. Venerabilis namque Patriarcha ab incunabulis pietati & orationi deditus, ad Dominum oculos ſæpiſsime levans, ab ipſo promeruit, ut de laqueo illius pedes (ſeu vitæ primordia) evellerentur: valens proinde cum Propheta decantare: *Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.* Eduxit namque illum Deus de laqueo, quem abſconderant inimici infernales, ideſt (exponit Doctor Angelicus) de fraudulenti inſidia, quam mihi præparaverant. Et quænam iſtę? Multæ prorſus cum ſcilicet bis & iterum, non ſine admiratione Divinæ beneficæ providentiæ à conſortio, familiaritate, & præparato hæreticorum magiſterio ereptus fuit. Rem narrat Deo gratulabundus venerabilis ipſe ſervus Dei, æternæ memoriæ in ſuo ultimo teſtamento conſignans. Et inde litteris mandarunt Scriptores illius vitæ: quod firmatum amplius videmus in proceſſu pro Beatificatione & Canonizatione ejuſdem Venerabilis Joannis de Ribera pag. 15. & 16. ubi ſic legimus. *Poſtquam Hiſpali prima litterarum rudimenta didicit, cogitabat pater eum mittere ad Salmantinam Academiam, & quondam Licentiatum, qui virtutum fama pollebat, ut eidem præeſſet, tamquam morum formatorem, elegerat, & dum iſte cum puerulo ex Urbe Hiſpalis diſceſſurus erat, in morbum incidit, & deinde criminibus ejus detectis à Sanctiſsima Inquiſitione mulctatus extitit.* Et rurſus: *Sub idem temporis Magiſtri Ægidius, & Conſtantinus, qui eruditorum, piorumque virorum nomine, & exiſtimatione*

Pſal. 30. v. 5.

D. Thom. ibi in Comment.

In Proceſſu causa Beatif. cat. V. Joann. de Ribera.

frue-

fruebantur; ſuaſerunt Peraſano Patri, ut filium Patavium mitteret, ubi longè melius, quam Salmanticæ Theologiam didiciſſet, opportunitate nactâ cujuſdam Doctoris, qui illuc proficiſcebatur, & eundem Joannem duceret; Pater inſigniter cupiens profectum filii, in hunc finem à Salmantinâ Academiâ Hiſpalim eum revocavit; ſed quodam interiori impulſu mutavit ſententiam, & paulopoſt homo ille Lutheri aſſecla cognitus, meritiſsimas pœnas luit in Tribunali Sanctiſsimæ Inquiſitionis :: Hiſpalim tandem anno quinquageſimo quarto ſupra milleſimum quingenteſimum reverſus eſt; cumque tunc temporis Peraſanus pater pro Rege Cathaloniam moderaretur, illucque pertranſiret prememoratus Magiſter Conſtantinus, à Concionibus Regis Philippi II. qui redibat ab illius itinere in Angliam, eundem rogavit, ut cum Hiſpali moraretur, quotidie doceret Joannem filium Sacram Scripturam, & de hoc etiam per litteras certiorem fecit ipſum Joannem, qui tamen, licet obſequentiſsimus parenti eſſet, & magnum ſciret apud omnes Conſtantini nomen, nunquam animo adduci potuit, ut eum ne ſemel quidem Præceptorem audiret, & ſibi ipſi abominatio hujuſmodi ſtuporis erat, ſed non multi effluxerunt dies, cum idem Conſtantinus ſub ovina pelle Lutheranus lupus apparuit, & ob id in carceribus Sanctiſsimæ Inquiſitionis pertinax hereticus necari meruit combuſtâ palam ejus effigie.

36 Hæc omnia memorare libentiſsimè coegit maxima, qua teneor erga laudatum Collegium, Collegiique Venerabilem Fundatorem obligatione; poſtquam per multos annos Theologiæ alumnum etſi immeritus egi. Nec tamen prætermittam in gratiam ſtabilitæ veritatis, & narrationis circa originem, patriamque Michaelis de Molinos argumentum proponere & pleniſsime diſſolvere; cui moderatæ etiam critices cultores innitentes in dubium revocare poſſent, quæ de origine & patria ſpurciſsimi hæreſiarchæ diximus. Hunc ſiquidem Eccleſiaſtico Beneficio donatum dedimus Valentiæ, eo tempore, quo vigebat ampliſsimè conſtitutio Sixti V. prohibens alienigenas ad Beneficia Eccleſiaſtica in Regno Valentino admitti. Verumtamen obſtare nihil poteſt hæc differendi & diſputandi ratio. In ipſa ſiquidem conſtitutione tres exceptiones appoſitæ cernuntur, quarum poſtrema illis verbis exprimitur: *Ita tamen ut ſi in fundationibus Beneficiorum de jure Patronatus laicorum, ſeu illorum, & Clericorum, mixtim, ut præfertur, exiſtentium caveatur expreſsè, quod non niſi per Clericos, ſeu Presbyteros de ipſorum fundatorum genere, & familiâ oriundos obtineri poſsint, eo caſu etiam alienigenę de genere, ſeu familiâ fundatorum hujuſmodi ad illa præſentari, ac in eis inſtitui liberè poſsint, nec ſub præſenti ſtatuto quoad aſſecutionem talium beneficiorum comprehendantur.*

...tus V. in ...ſtitutione ... quæ inci- Sixtus.

37 Si ergo ejus generis oſtendatur Beneficium à Molinos poſſeſſum, viribus omnino caſum apparebit propoſitum argumentum, etiam rigidiſsimis critices profeſſoribus. At ſic rem ſe habere monumenta Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ in aperto ponunt: ibi namque habetur, memoratum Beneficium ſub invocatione Puriſsimæ Conceptionis V. Mariæ, & S. Ægidii erectum fuiſſe à Joachimo de Murcia Presbytero, ejuſdem Eccleſiæ quondam Rectore, die 20. Octobris anni 1553. In ejus autem fundatione authorizata per Hieronymum Garcia Scribam jus patronatus conſanguineis deſignavit, hiſque deficientibus, transferre conſtituit ad Conſules Loci de Munieſa in Regno Aragonum, conditione præſcripta, ut ad illius obtentum præſentare debeant aliquem ex filiis prædicti loci; inde factum eſt, ut plures ex illo Regno prædicto Beneficio donati ſint, ut videre eſt in libro de Annatis ejuſdem Eccleſiæ.

38 Sed jam ad propoſitum (unde opportunè digreſſa fuit) hiſtorica redeat narratio. Repulſam itaque iteratò paſſus Molinos in Pœnitentiaria quam ambiebat, nihilominus fictâ pietate & hypocriſi, adeò intuentium animos ſibi devoverat, ut Clero & Parochianis dignus apparuerit, quominus in ſanctam Urbem mitteretur pro pia cauſa impius tamen patronus, annuentibus Illuſtriſsimo D. D. Martino Lopez de Hontiveros Archiepiſco tunc Valentino, & D. D. Joſepho Panzano ejuſdem Illuſtriſsimi Dñi Officiali, & Vicario Generali, ut apparet ex Decreto, quod extat in libro Deliberationum prædictæ Parochialis Eccleſiæ, fol. 130. ubi refertur: Michaelem de Molinos electum fuiſſe die 3. Octobris anni 1663. ut in Romana Curia conſtitutus actorem ageret in cauſa Beatificationis V. Franciſci Hieronymi Simò ejuſdem Eccleſiæ Beneficiati. Almam Civitatem ingreſſus ille, hæſit aliquando in hoſpitio B. V. de Monte-Serrato, non longè à Palatio Farneſiano. Hinc ad alias ædes in Urbe migravit, non procul à Monaſterio Monialium Sanctæ Claræ in *Pane & perna* vulgò dicto. Hic diabolicæ ſcholæ Tyrocinium inchoavit. Inſtituit namque conferentias quaſdam ſpirituales fictâ pietate fucatas: ſuaque habebat certis hebdomadę diebus muliercularum, ſimpliciumque hominum conventicula, quibus miro artificio ſub larvato prætextu contemplationis, & perfectionis ſpiritualis brevi intervallo comparandæ, venenum ſui ſtillabat erroris: at canceris inſtar incredibili profuſsione ſerpit, per duos ſupra viginti annos, quibus Romæ ſuos diſſeminaverat errores. Illius ſiquidem affabilitas, commitas, naturalis eloquentia, externa morum compoſitio, fucata pietas, ita ſibi Urbem devinxerant, ut omnium oculos in ſe converteret: à pleriſque ad inſtar ſancti exiſtimaretur, dicere (ut fertur) ſolitis, prius fortè Molinos in albo SS. collocandum ſperaſſe, quam V. Presbyterum Hieronymum Simò, cujus Beatificationis actorem in Urbe agebat. Sed pluribus indiciis, denuntiationibus, quærellis, tum in Civitate Romana, tum ex diverſis locis, quò peſtis illa ſparſis litteris & ſcripturis devenerat; tandem die 16. Auguſti labente anno

Romæ, Molinos errorum zizania occultè ſuperſeminat.

1685.

1685. comprehenſus fuit ſpurciſsimus zizaniorum ſuperſeminator Molinos ; carceribuſque ædium Sanćti Officii Inquiſitionis mancipatus.

P. Franciſcus Porter in relatione hiſtorica ſententiæ contra Michaelem de Molinos.

39 Præterea , * Inito ejus cauſæ judicio (verba ſunt ſupra laudati Franciſci Porter) & per integrum biennium continuato progreſſu , fuit de hæreſi apertè convićtus. Hinc die 28. Auguſti anni 1687. in Eccleſia Sanćtæ Mariæ ſupra Minervam coram toto ferè DD. Cardinalium Collegio, ac ingenti multitudine (me præſente & ſpećtante) populi , in pegma ad eam rem erećtum , fuit adductus, & coràm eodem , nullo mutati vultus dato indicio omnium illius errorum prolixo recitato cathalogo , ſpatio ferè trium horarum, hac durante funćtione fuit declaratus hęreticus , & ibidem flexis genibus per Reverendiſsimum Patrem Thomam Mazze Ordinis Prędicatorum , Sanćti Officii Commiſſarium publicè ab hæreſi abſolutus , & ad perpetuos carceres condemnatus , injunćto illi præterea , ut quater in anno ſua peccata confiteretur , ac Fidei Symbolum recitaret , & ſi id Confeſſario videretur , totidem vicibus Sacram Communionem reciperet ; die ſequenti duo ex ejus diſcipulis germani fratres , quorum unus erat Presbyter , alter laicus ſed homo pernicioſiſsimæ dočtrinæ in eodem pegmate recitatis illorum erroribus coram Cardinalibus , & magna hominum frequentia, ubi etiam interfui , fuere declarati hæretici, & ab hæreſi ibidem abſoluti , Presbyter ad decennii carceres , laicus utpote nocentior, & in dogmatibus ſuis longè periculoſior ad perpetuos damnati , & ne prędićtorum errores , vel ampliùs , vel latiùs ſerperent , edita fuit Bulla infra adducenda. *

AdverſusMolinos ſententia profertur.

Joannes Pacichellus tom. 1. pag. 220.

40 Subjećtæ narrationis teſtem adducimus etiam Joannem Baptiſtam Pacichellum Romæ tunc temporis degentem , cujus hæc inter alia extant verba in epiſtola familiari ea de re ſcripta: * Cujuſvis infamiam longè ſuperavit damnatiſsimi nominis Michaël Molinos natione Hiſpanus , patria Aragonius : viginti & duobus annis , quibus Romæ vixit , ſtabiliendæ Quietiſtarum hæreſi , quam ipſe commentus eſt , ſedulam navavit operam , à ſubornatione ſequioris ſexus , uti hæreticis , ſemper ſolemne fuit auſpicatus. Propriam annihilationem (ſic enim loquuntur vulgò) quâ mediâ Deo uniri poſsit anima , & quieſcere, minime ſollicita de his , quæ corpori obveniunt , ſummoperè inculcabat , qua in re nimirùm doćtrinæ ſuæ cardinem conſtituit. Ex hoc principio veluti fonte hauriebat , nullum aćtum animę poſitivum, aut pręmio , aut pœna dignum eſſe, cum nec anima, nec ejus potentia annihilatæ cooperentur. Hinc facilis in omne ſcelus , omnemque voluptatem ruina. Capto Molinos anno ſupra indicato propoſitionibus , quas ſe promulgaſſe faſſus eſt, ad examen à Fidei Inquiſitoribus coram Cardinalibus , & Summo Pontifice vocatis , orationis methodum , quam profitebantur Quietiſtæ , ſic dićti à quiete , ob quod & ſećtę nomen adhæſit , damnavit Sanćta Sedes ſimul cum ſexaginta ocło numero propoſitionibus hæreſeos , ſcandali, & blaſphemiæ. Juſſu etiam Summi Pontificis Innocentii XI. cunćta ejus opera flammis adjudicata ſunt. Coaćtus ipſe Molinos de pegmate erećto in Templo Dominicanorum Sanćtæ Mariæ ſuper Minervam in Urbe coram Sacroſanćtæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Senatu palinodiam canere , ad perpetuas carceres damnatus fuit. Fertur illum ſerio pœnitere criminum , ſexageſimum ætatis annum agens. Nativa, qua polebat, dicendi facultate , aliiſque artibus ita plurimis impoſuit , ut ſanćtus haberetur , licet vitam fœdiſsimam ſceleribus contaminatam duxerit. Per duodecim integros annos crimina apud Sacerdotem numquam depoſuit , quamvis à faciendo Sacro non abſtineret. Quatuor millia aureorum , & duodecim millia epiſtolarum, quarum ope ſećtatores ejus innotuerunt , reperta ſunt in illius ſcriniis. Tandem poſt quinque annos die nempè 28. menſis Novembris anni 1692. exceſsit è vivis, (ut traditur) pœnitens Molinos.*

41 Hujus Hęreſiarchæ ſequaciumque dočtrinę ſumma , in eo ſita eſt, ut vellent & aſſererent ; in vita ſpirituali ſeu myſtica eos dumtaxat perfećtos cenſeri debere , qui per unicum & ſimplicem fidei aćtum in contemplatione ſolius Divinę Eſſentiæ defixum , cujuſcumque alterius attributi , vel Myſterii divini conſideratione ſecluſſa ; Deo ſemel oblati , totaliterque uniti , & reſignati relinquuntur : atque adeò poſito illo aćtu fidei, & non retraćtato reliquos omnes aćtus tanquam ſuperfluos ſuſpendendos eſſe Moliniſtę phantaſiarunt pro ſua illa fićta via interna. Quinimo veluti exanimes conſiſtere debent viæ illius internę curſores (ajunt) nihil prorſus operando , neque volendo , neque petendo , nec de acceptis beneficiis Deo gratias agendo, nec ad proprios defećtus reflećtendo. Quapropter ſilendo , & merè paſsive ſe habendo in abſoluta permanent indifferentia de omnibus , etiam de pœna , vel de præmio , de Inferno , vel de Paradiſo , de æterna damnatione , vel de ſalute ; ſinendo, ut Deus ſolus operetur aćtivè , & ſuam divinam voluntatem impleat in illis. Inde (quod dićtu horrendum) nefaria libidinum monſtra , licita reddebant: ſuas abominationes non ſolum Dœmoni vim inferenti , ſed Deo diſponenti tribuere non verebantur : illis enim fœditatibus animam dićtitabant magis purgari , illuminari , roborari , candidiorem evadere , & perfećtam acquirere libertatem. In hujuſmodi flagitiorum barathrum innumeros, utriuſque ſexus , mulieres præſertim traxerunt pſeudo-myſtici illi, verè cęci , & cęcorum duces ; hanc quippè legem eis imponebant , ut in omnibus cęcam obedientiam ſuis ſuperioribus, & direćtoribus exhiberent , atque ut ſuas abominationes,quas violentias appellabant in confeſsione Sacramentali non aperirent , quippè quæ (inquiebant) non erant peccata , nec etiam venialia. Videbis in his falſitatem occultandi architećtis , renovatum Priſcilianorum antiquum effatum : *Jura , perjura , ſecretum prodere nolle.*

Moliniſti ſyſtema.

Hęc

42 Hęc perverſa putida figmenta nihil aliud eſſe , quam antiqua ſpurciſsima dogmata Enthuſiaſtis, Beguardis , Beguinis , Dulciniſtis , atque Pſeudo-illuminatis familiaria, facilè quis in animum inducet , ſi verè illuminatum Magiſtrum Taulerum contra Beguardos , alioſque ſui temporis ſpurios Myſticos ita dolentem audiat. * Hi ſunt , qui ſe à peccatis immunes , Deo ſine medio unitos , omnibus , & divinis , & humanis ſolutus legibus , & ad nulla demùm opera bona obligatos arbitrantur ; hoc errore ſedućti , quòd putent otium illud , cui vacant , pro ſui nobilitate , & excellentia nullo pačto eſſe interturbandum , impediendumque. Nihil penitùs in virtutibus ſeſe exercent , ſed otio vaniſsimo tradunt. Vis ſcire, quale ſećtentur otium? Non gratias agere , non Deum laudare , nihil habere , nihil cognoſcere , nihil amare , nihil orare , nihil deſiderare volunt :: Tantum ſibi libertatem uſurpant , ut nulli prorſus obedire vellint , neque Papæ , neque Epiſcopis , nec Paſtoribus ſuis , & quamvis interdum extrinſecus obedire ſe ſimulent , intus tamen nulli omnino ſubjiciuntur , nec voluntate , nec aćtione. Ab omnibus Sanćtę Eccleſiæ conſuetudinibus , & legibus exempti eſſe volunt , palam aſſerentes , quod quandiù aliquis virtutibus conſequendis navat operam , tandiù adhuc imperfećtus ſit. Inſuper credunt , ſe nec deinceps ullum poſſe vel virtutis augmentum capere , vel admittere peccatum , ea de cauſa, quod abſque voluntate vivant , ut ipſis videtur , ſpiritumque ſuum quieti , ac otio tradiderint. Proinde cunćtis naturæ deſideriis abſque peccato liberè ſe ſatisfacere poſſe , ſtultiſsimè credunt , utpotè qui ſummam adepti ſunt innocentiam , quibuſque lex nulla poſita ſit. Breviter ergo , ne ſpiritus etiam , quies, & libertas ullum patiatur impedimentum cunćtis naturę affećtibus, & concupiſcentiis indulgent , & obſequuntur :: Hi Anti-Chriſti pręnuntii ſunt , qui viam illius prępärant , deducentem ad infidelitatem , & damnationem perpetuam. *

…ag. Taulerus …m. 2. in Do…inic. 1. Qua…ageſ.

…edivivi Be…ardi , & id…neris anti…i hæretici.

43 Hęc cęlitus illuminati Tauleri verba, deſervire etiam poſſent ad deſcribenda Michaëlis Molinoſi impia , & ſpurciſsima dogmata : tanta utique eſt in erroribus ſimilitudo , vel idemptitas ; ut videas maleferiatos modernos Pſeudo-myſticos antiquam dumtaxàt crambem , in ſuo perverſo ſyſtemate recoxiſſe , jamque pridem exoletas antiquas illuſiones , & obſcęnitates ex orco revocaſſe. Inſuper Lutheraniſmum , & Calviniſmum, ſuſcitare videtur Molinos pro ſuis Pſeudomyſticis ſequacibus. Ab illis enim indulgentiarum laudabilem uſuram removet propoſitione 16. ſicut ſpem mercedis æternę , cujus magnam nimis mercedem, ne cogitare eis ſinebat propoſitione 7. & 12. Atque non ſpem ſolam , ſed & alias virtutes otioſas volebat, una dempta transformatione , àc unione illa phantaſtica cum Deo, propoſitionibus 12. 14. 15. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 39. 40. Immò & in illo chimericè perfećtionis ſtatu dimittendas eſſe virtutes , propoſitione 31. & dimittendas eſſe voluntarias mortificationes propoſitionibus 38. & 39. Reprobat etiam vota tanquam perfećtionis impeditiva , propoſitione 3. Contra Sacram Theologiam diſſerit propoſitione 64. Repellit etiam ſuos pſeudocontemplativos à Sacramento Pœnitentię propoſitionibus 59. & 60. Similiter regulam ad diſcernendas operationes , defećtumque conſenſûs in illis , ad internam aćtualem revelationem , propoſitione 53. Tandem ut alia omittamus, voluntatem illius , qui ſomniatam perfećtionem attigerit , viamque internam ingreſſus fuerit, merè paſsivè ſe habere, plurimis propoſitionibus inculcat , veluti ſuę ruinoſę machinę fundamentum , nempè propoſitionibus 1. 2. 4. 5. 20. 21. 22. 55. 61.

44 Plura certè , quę in prelibatâ errorum hiſtoricâ narratione ſubjecimus in admirationem candidos rapient animos , cui enim vel lumine rationis mediocriter pollenti mirùm non erit , in tot deliramenta devenire potuiſſe homines , alioquin ſcientiis inſtrućtos, vel ſapientiam plenis buccis concrepantes. Sed ut verum fatear , nihil eſt quod mihi in ſtuporem penè inducat , quam quod protraćto duorum ſupra viginti annorum ſpatio occulta pręſtitiſſet nefanda , obſcęna & fœtida Molinoſa ſećta. Certè mirari ſubiit ita latuiſſe in ipſa Romana Urbe , unde veritatis lumen in univerſas , quę toto patent orbe Provincias diffunditur. In Urbe ubi viget in detegendis erroribus vigilantia , in conſervandâ fidei puritate labor indefeſſus : ubi Spiritus Sanćtus in Petri Cathedra ſedentem Summum Paſtorem, omnem docet veritatem , in Eccleſię regimine dirigit, in dubiis certificat. Ubi Deus vigilantiſsimos Eccleſię tot poſuit Cuſtodes, quot eminentiſsimi vigent Purpurati , illuſtriſſimi eminent Apoſtolorum ſucceſſores , atque omnigenę ſapientię clariſsima luminaria ; in hac igitur Orbis Metropoli, Chriſtianiſmi matre , inter radiantia uſquequaque lumina latuit , & diù latuit caliginoſa ſpurciſsima & infernalis *Molinoſa* umbra, tenebricoſa peſtis, non in uno , aut alio naturę humanę decepto individuo , ſed in pluribus aſſervatim , cujus multitudinis numerum prodegerunt duodecim epiſtolarum millia , quibus innotuerunt Molinoſę ſećtę incauti ſequaces.

45 Cum ne unus inter tantos turpitudinum illarum colluviem quatuor luſtrorum decurrente ſpatio voluerit patefacere : certè , ſi hujus tam pernicioſi ſilentii cauſam dicere compellar , non dubito aſsignari poſſe candidam hypocritę illius morum apparientiam exteriorem , veluti dealbati ſepulchri interiùs pleni omni dolo & nequitiâ , putredine & operibus mortuis ; inde ſuperſtitioſa ſequacium in Michaëlem de Molinos obſervantia , obedientia , ſubmiſsio. * Verumtamen tam alti, tamque diuturni ſilentii cauſam , non aliunde ortam fuiſſe crediderim quam ex Quietiſtarum diſcipulorum Michaëlis Molinoſi mala conſcientia , ſimul & tranquilla , qua peccata ſine pudore , ſine dubitatione (inquam formali) operabatur : quia bona eſſe , & ad vitę ſpiritualis perfećtionem tendere deplorandis tenebris,

Moliniſmus cur per 22. annos occultus.

Graveſonius in Moliniſtis.

bris,

bris, ſed peccatorum frequentia, & nimiâ ergà ſuę ſectę principem credulitate aſſercitis, ſibi perperam blandiebantur. Hujus rei dignoſcendę nobis ſigna reliquit puritatis amator D.Thomas in opuſculo de puritate conſcientię ſępè lucubrationi noſtrę inſervituro.

D. Bernardus lib.de conſcientia. Sed quin Bernardum audiamus, omittere non poſſumus, de conſcientia mala & tranquilla, *Qua nihil pejus, nihil infelicius*, ita loquentem, vel lachrymantem: *Quæris quęnam illa ſit? Quę nec Deum, nec hominem reveretur, quę, cum venerit in profundum malorum contemnit. In brevi temporis ſpatio non ſolum non ſentit, ſed & placet, & dulce fit, quod amarum erat, & aſperum vertitur in ſuave. Ducitur deinde in conſuetudinem, ut jam non modo placeat, ſed & aſſiduè placeat, & ſe continere non poſſit. Ad extremum verò non poteſt avelli, quia conſuetudo vertitur in naturam, & quod prius ad faciendum erat impoſſibile, jam impoſſibile eſt ad continendum::: Hęc eſt mala conſcientia, quę per hujuſmodi diſcrimina, imò præcipitia ruit & corruit, & irruit ſuper ſe ipſam. Quomodo tranquilla cùm mundi hujus proſperitas alludit & illudit, cùm laudatur peccator in deſideriis animę ſuę, & iniquus benedicitur; cùm peccantium favor, & peccare nolentium pavor, nolens, & dolens arridet ei, cùm non eſt qui arguat:::: Nihil æquè exaſperat illius tremendi judicii majeſtatem, quam peccare, & ſecurè peccare, & de vitiis, quaſi de virtutibus gloriari. Hæc eſt iniquitas, cujus non miſeretur Deus, cùm homo defendit, quod Deus odit; peccatum, juſtitiam aſſerit, & quod Deus adſtruit, quantum in ipſo eſt, deſtruit dicens malum bonum, & bonum malum; amarum dulce, & dulce amarum; lucem tenebras, & tenebras lucem. Hanc vero tranquillitatem nutrit impunitas ſecuritatis & negligentię mater, noverca virtutum, & religionis virus, tinea ſanctitatis.*

46 Hęc eſt vera & fortaſis unica cauſa: cur ſerò orbi innotuerint ſordes, obſcęnitates, & nefanda flagitia horum pſeudomyſticorum hypocritarum, quos Apoſtolus Paulus graphicè deſcribit his verbis: *Hujuſ-*

Rom.16.v.18. *cemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Non enim prędicabant propter gloriam Chriſti, ſed propter quęſtum, ut ſuum „ ventrem implerent :: per dulces ſermones in „ quibus ſanctitatem prętendunt :: & benedi-

D.Thom. ibidē lec.2. „ ctiones, quibus ſcilicet benedicunt, & adu- „ lantur illis, qui eos ſequuntur, inquit Pauli fidelis Interpres.

ARTICULUS IV.

Molinifmum in ſuis aſſertis anathematizatum memorat.

47 CUM jam ſint detecta fęda errata in Michaële Molinos recrudeſcentia; bonas Deo gratias referre convenit, quia ſicut olim per Clementem V. in Concilio Viennenſi, Beguardorum iniqua canentium ora obſtrinxit: ita per Sanctiſsimum Innocentium XI. Molinoſa diſsipavit figmenta, propoſitiones proſcripſit, tanquam hęreticas, ſuſpectas & erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinę relaxativas & everſivas, ac reſpectivè ſeditioſas. Inſuper, quia ut ſapienter innuit Summus Pontifex, perverſum illud & ruinoſum ſyſtema eſt contra doctrinam & uſum à SS. PP. ab ipſis naſcentis Eccleſię primordiis receptum. Tendit pręterea, ut vidimus, ad ſuſcitanda inſulſa Enthuſiaſtarum ſomnia, renovandoſque impios & turpes Beguardorum, Beguinarum, Dulciniſtarum, atque Illuminatorum errores. * In ſui etenim dogmatis cęnum, veterum Maſſalianorum, Beguardorum, & Beguinarum, Heſychaſtarum, Illuminatorum, pluriumque aliorum Novatorum ſentinas attraxit, * ut rectè adnotat laudatus Porter, cauſam referens Pontificii adverſus Molinos Decreti.

Clemens V. Clementina noſtrum.

48 Quid autem lachrymabiliter proferret Angelicus pudicitię amator, religioſę perfectionis mirificus cultor & propugnator acerrimus dum in Moliniſmo cerneret, nedum rejecta ſacra vota, ſed & impudentiſsima errata Chriſtianę perfectioni intruſſa? Ex ſolo etenim primo capite dolore prę̄ſſus contra antiquos humanę perfectionis detractores inclamat: Humanę perfectioni Diabolus invi- „ dens, diverſos vaniloquos & ſeductionis „ magiſtros ſuſcitavit, qui prędictas perfe- „ ctionis vias (nempè vota religioſa) impug- „ narent. Et poſt recenſitos antiquos hoſtes, lachrymabundus ſubjungit: His autem anti- „ quis inſidiis diabolus non contentus, tem- „ poribus noſtris quoſdam dicitur incitaſſe, „ votum obedientię, ac alia vota communiter „ impugnantes, dicendo laudabiliùs eſſe bona „ opera virtutum facere ſine voto vel obedientiâ. Moliniſtas verbis iſtis deſignare viſus fuiſſet D.Thomas, niſi eorum errores, pejores eſſent prioribus. Sed jam Decretum vigilantiſsimi Eccleſię Paſtoris ſupremi (cujus memoria in benedictionibus manet) cum laudato auctore tranſcriptum demus.

D.Thom.op. 35. aliàs cap.12.

*** *** ***

INNOCENTIUS

Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

49 COeleſtis Paſtor Chriſtus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variiſque Gentium erroribus involutum à poteſtate Diaboli, ſub qua miſerè poſt lapſum primi noſtri Parentis tenebatur, ſua ineffabili miſeratione liberaret, Carnem ſumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis noſtræ affixo in teſtimonium ſuæ in nos charitatis ſeſe Hoſtiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus eſt, mox rediturus in cœlum Eccleſiam Catholicam ſponſam ſuam, tamquam novam Civitatem Sanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo non habentem rugam, neque maculam, unam, ſanctamque in Terris relinquens, armis potentię ſuæ contra Portas Inferi circumvallatam, Petro Apoſtolorum Principi, & Succeſſoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam ab ipſius ore hauſtam ſartam, tectamque cuſtodirent; nè oves pretioſo ſuo Sanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè B. Petro mandaſſe nos ſacræ litteræ docent; cui enim Apoſtolorum niſi Petro dixit, Paſce oves meas, & rurſus, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos? Quare nobis, qui non noſtris meritis, ſed inſcrutabili Dei Omnipotentis Conſilio in ejuſdem Petri Cathedra pari poteſtate ſedemus, ſemper fixum in animo fuit, ut populus Chriſtianus eam ſectaretur fidem, quæ à Chriſto Domino per Apoſtolos ſuos perpetuâ, & nunquam interruptâ traditione prædicata fuit, quamquè ipſe uſque ad ſæculi conſummationem permanſuram eſſe promiſit.

50 Cum igitur ad Apoſtolatum noſtrum relatum fuiſſet quemdam Michaëlem de Molinos prava dogmata tùm verbo, tùm ſcripto docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & uſum à Sanctis Patribus ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis receptum, Fideles à vera Religione, & à Chriſtianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpiſsima quæque inducebant. Nos, cui cordi ſemper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commiſſæ purgatis pravarum opinionum erroribus ad optatum ſalutis Portum tutò pervenire poſſint, legitimis pręcedentibus indiciis, prędictum Michaëlem de Molinos carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus Apoſtolicâ auctoritate ſpecialitèr deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis tùm voce, tùm ſcripto ſuſceptis, maturèque perpenſis, implorata etiam S. Spiritus aſsiſtentiâ, cum prædictorum Fratrum noſtrorum unanimi voto ad damnationem infraſcriptarum Propoſitionum ejuſdem Michaëlis de Molinos, à quo fuerant pro ſuis recognitæ, & de quibus Propoſitionibus tamquam à ſe dictatis, ſcriptis, communicatis, & creditis ipſe convictus, & reſpectivè confeſſus fuerat, ut latiùs in proceſſu, & Decreto de mandato noſtro lato die 28. Auguſti præſentis anni 1687. devenire, ut infra decrevimus.

PROPOSITIONES.

1. *Oportet hominem ſuas potentias annihilare: & hæc eſt via interna.*
2. *Velle operari activè eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus agens: & ideò opus eſt, ſeipſum in Deo totum & totaliter derelinquere, & poſteà permanere velut corpus exanime.*
3. *Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.*
4. *Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis ſine nobis,*
5. *Nihil operando anima ſe annihilat, & ad ſuum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata: & Deus tunc in ſeipſo remanet, quia tunc non ſunt ampliùs duæ res unitæ, ſed una tantùm: & hac ratione vivit Deus, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo.*
6. *Via interna eſt illa, in qua non cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio, & non oportet Deum cognoſcere, & hoc modo rectè proceditur.*
7. *Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.*
8. *Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, nec ne: nec opus eſt, ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.*
9. *Non debet anima reminiſci, nec ſui, nec Dei, nec cujuſcumque rei: & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones & ad proprios defectus.*
10. *Si propriis defectibus alios ſcandalizet, non eſt neceſſarium reflectere, dummodò non adſit voluntas ſcandalizandi: & ad proprios defectus non poſſe reflectere gratia Dei eſt.*
11. *Ad dubia, quæ occurrunt, an rectè procedatur, nec ne, non opus eſt reflectere.*
12. *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo: nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.*
13. *Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra; & relinquere, ut faciat in no-*

bis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio, cùm ſit actus propriæ voluntatis, & electionis; & eſt velle, quod divina voluntas noſtræ conformetur, & non, quod noſtra divinæ. Et illud Evangelii Petite, & accipietis, non eſt dictum à Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; imò hujuſmodi animæ eo perveniunt, ut non poſſint à Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia meliùs eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quàm divinam miſericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura & cognitione animæ noſtræ, non eſt ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus non adorat Deum in ſpiritu & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Aſſerere quòd in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt. Deus numquam loquitur, ejus locutio eſt operatio, & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus eſt manere in fide obſcura & univerſali, cum quiete & oblivione cujuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inſerviendum; ſed abſque productione actuũ, quia Deus in his ſibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non eſt actus à creatura productus, ſed eſt cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſteà cognoſcit illam ſe habuiſſe; & idem dicitur de amore.

23. Myſtici cum Sancto Bernardo in Scala Clauſtralium diſtinguunt quatuor gradus: lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, numquam ad ſecundum pertranſit: qui ſemper in ſecundo perſiſtit, numquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodò Deus animam non trahat (abſque eo, quòd ipſa id expectet) ad contemplationem infuſam; & hac ceſſante anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere abſque eo, quod ampliùs redeat ad ſecundum aut primum.

24. Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, ſed cum indifferentia & reſignatione tollerentur, non impediunt orationem fidei, imò eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.

25. Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio & contemplatio actualis: quia oratio & reſignatio; reſignatio & oratio idem ſunt: & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio,

26. Tres illæ viæ: Purgativa, Illuminativa, & Unitiva ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in myſtica, cùm non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.

27. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſeipſum; & malè agit, cùm eam deſiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis ſacris, quàm in diebus ſolemnibus.

28. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt, ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

30. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

32. Nec ante, nec poſt communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quàm permanentia in ſolita reſignatione paſſiva; quia modo perfectiori ſupplet omnes actus virtutum, qui fieri poſſunt, & fiunt in via ordinaria: & ſi hac occaſione communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei: aliàs ſunt impulſus naturę nondum mortuæ.

33. Malè agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum: quoniam animæ internę omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi; & idem dicitur de locis ſacris, quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

34. Verbis & lingua Deo gratias agere, non eſt pro animabus internis, quę in ſilentio manere debent; nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur

ſe non poſſe orationem Dominicam, ſeù Pater noſter recitare.

35. Non convenit animabus hujus vitę internę, quod faciant operationes etiam virtuoſas ex propria electione & activitate; aliàs non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, aut humanitatem Chriſti; quia, cùm iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde; quia ſolus Deus vult illud occupare & poſſidere.

37. In occaſione tentationum etiam furioſarum non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum; ſed debet in ſupradicto amore & reſignatione remanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideòque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendum ab anima vel unicam adhæſionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit omnibus Sanctis ſanctior; igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.

41. Deus permittit & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis etiam non arreptitiis dęmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſicè illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem; & idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos; in quo caſu non ſunt peccata, quia in his non adeſt conſenſus.

42. Poteſt dari caſus, quòd hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum ſcilicet maris & fęminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

43. Deus præteritis temporibus ſanctos efficiebat Tyrannorum miniſterio; nunc verò eos efficit ſanctos miniſterio Dęmonum, qui cauſando in eis prædictas violentias facit, ut illi ſeipſos magis deſpiciant, annihilent, & ſe Deo reſignent.

44. Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex Dęmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujuſmodi dęmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt; Unde ſcripſit: Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod nolo malum, hoc facio.

46. Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & eam ad veram transformationem & unionem perducendam; nec alia ſupereſt via: & hæc eſt via facilior & tutior.

47. Cum hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum; ſed permanere debet homo in ſuo nihilo: & etiamſi ſequantur pollutiones & actus obſcęni propriis manibus, & etiam pejora, non eſt opus ſeipſum inquietare, ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas; & præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſimè fit non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur dęmon, & acquiritur theſaurus pacis.

48. Satanas, qui hujuſmodi violentias infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas meliùs eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dęmonis ſe propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces: ſic interpretando locum ex cap. Job 16.

50. David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos, ut illud de Samſone, qui per violentiam ſeipſum occidit cum Philiſtęis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ aliàs erant probibita, & peccata fuiſſent: de Juditha, quæ Holopherni mentita fuit: de Eliſæo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab; an verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel miniſterio Dęmonum, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cùm hujuſmodi violentiæ etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.

53. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quod in his conſenſerint, & videre, quòd ſint animæ, quæ proficiunt in via interna; ſed regulam ſumere à lumine quodam actuali, cognitione humana & theologica ſuperiore, quod me certò cognoſcere facit cum interna certitudine, quòd talis operatio eſt violentia: & certus ſum, quòd hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quòd à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo, quo interdum contingit, quòd Deus aliquid revelando eo tempore animam certam reddit, quòd ipſe ſit, qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient & confuſos cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etſi

multa cum ſufferentia, ad purgandas & extinguendas omnes paſsiones, ita quod nihil ampliùs ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe ampliùs commoveri ſinit.

56. *Duæ leges & duæ cupiditates, animę una, & amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus eſt & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt ampiiùs duæ illæ leges & duę cupiditates, nec ulteriùs lapſus aliquis incurritur, nec ampliùs ſentitur aliquid, nec quidem veniale peccatum.*

57. *Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi ampliùs peccata, nec mortalia, nec venialia.*

58. *Ad hujuſmodi ſtatum pervenitur non reflectendo ampliùs ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.*

59. *Via interna ſejuncta eſt à Confeſsione, à Confeſſariis, à Caſibus conſcientiæ, à Theologia, & à Philoſophia.*

60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus confeſsionem aliquando efficit impoſsibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia præſervante, quantam in Sacramento reciperent; & ideò animabus hujuſmodi non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id eſt illis impoſsibile.*

61. *Anima cùm ad mortem myſticam pervenit, non poteſt ampliùs aliud velle, quàm quod Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.*

62. *Per viam internam pervenitur ad ſtatum continuum immobilem in pace imperturbabili.*

63. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimò ſignum, quòd quis in ſtatu nihilitatis maneat, ideſt mortis myſticę, eſt, ſi ſenſus exteriores non repreſentent ampliùs res ſenſibiles, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eas applicet.*

64. *Theologus minorem diſpoſitionem habet, quàm homo rudis ad ſtatum contemplativi: 1. quia non habet fidem adeò puram: 2. quia non eſt adeò humilis: 3. quia non adeò curat propriam ſalutem: 4. quia caput habet refertum phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.*

65. *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientię Religioſorum tantummodò ad exterius pertingit; in interiore verò res aliter ſe habet, quò ſolus Deus & Director intrant.*

66. *Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quòd anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo, quòd ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullę, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere poſſunt, quia Eccleſia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.*

67. *Dicere quòd internum manifeſtandum eſt exteriori tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio; quia Eccleſia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus & ſimulationibus.*

68. *In mundo non eſt facultas nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ, & ideò opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ.*

51 Quaſquidem Propoſitiones tanquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpectivè, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto, vel typis emiſſa, pariter, cum voto eorundem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus: deque eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſt hac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuſcumque interdiximus, & contra facientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, honoribus, Beneficiis, & officiis *ipſo facto* perpetuò privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipſo innodavimus, à quo niſi à Nobis, & à Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris valeant abſolvi: prætereà eodem noſtro decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco & idiomate impreſſa, nec non omnia manuſcripta ejuſdem Michaëlis de Molinos, vetuimuſque ne quis cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali notâ dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub eiſdem verbis, ſivè ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſivè abſque nomine, ſeu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa, ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere, & conſignare teneantur ſub eiſdem pœnis ſuperiùs inflictis; qui Ordinarii, & Inquiſitores ſtatim ea igni comburant, & comburi faciant. Tandem, ut prædictus Michaël de Molinos ob hæreſes, errores, turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtris Sanctæ Inquiſitionis Officii, in Sacra Theologia, & in jure Pontificio Magiſtris, cum eorumdem venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michaëlem de Molinos tanquam reum con-

Cenſuræ poſition

Pœnæ inobedie

vi-

victum & confeſſum reſpectivè, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipſum emittenda ſervato juris ordine damnavimus: mandantes, ut die & hora præſigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam hujus Almæ Urbis præſentibus omnibus venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ noſtræ Prælatis, univerſoque populo ad id etiam per conceſsionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor proceſſus ſtante in ſuggeſto eodem Michaële de Molinos unà cum ſententia inde ſequuta legeretur, & poſtquam idem de Molinos habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores & hæreſes publicè abjuraſſet, facultatem dedimus dilecto filio noſtri Sancti Officii Commiſſario, ut eum à cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret; quæ omnia in exequutionem dictæ noſtræ ordinationis die 3. Sept. labentis anni ſolemniter adimpleta ſunt.

52 Et licet ſupernarratum decretum de mandato noſtro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum & divulgatum fuerit, nihilominus ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſsit, utque Populus Chriſtianus Catholicâ veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhęrentes, hac noſtrâ perpetuâ valiturâ Conſtitutione ſupradictum decretum denuò approbamus, confirmamus & debitæ executioni tradi mandamus, iterum ſupradictas propoſitiones diffinitivè damnantes, & reprobantes, libroſque & manuſcripta ejuſdem Michaëlis de Molinos prohibentes, & interdicentes ſub eiſdem pœnis, & cenſuris contra tranſgreſſores latis & inflictis.

53 Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere: ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes & functuros ubique judicari, & definiri debere, ſublata eis, eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum & inane quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſsis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1687. 12. Kalend. Decemb. Pontificatus noſtri anno 12.

F. Datarius.

I. F. Albanus.

Regiſtrata in Sec. Brevium.

Viſa de Curia S. de Pilaſtris.

De Cimpinus.

Loco ✠ Plumbi.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1688. Indictione undecima die verò 19. Februar. Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris D. N. D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ XI. Anno ejus duodecimo, præſentes litteræ Apoſt. affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Eccleſiæ S. Joannis Lateran. Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. D. N. Papæ & Sanctiſſ. Inquiſitionis Curſ.

ARTICULUS V.

Pſeudò-myſticum ſub prætextu charitatis perfectæ pernicioſum erumpens ſyſtema memorat.

54 EXTINCTA tanti Pontificis opera, Molinoſa peſte, extinctoque infernali illo bituminoſo igne; ejus, nihilominus nonnullę ſcintillæ per Orbem ſparſæ agnoſcuntur. In Italia enim, ubi primùm propudiociſsimi Michaëlis de Molinos doctrina fuit diſſeminata, poſt tam ſolemnem damnationem erupit iterum in Brixiæ Epiſcopatu. Ibi enim auctore Jacobo Philippo à Sancta Pelagia (unde ejus ſequaces Pelagini dicebantur) nefanda quædam ſecta conflata fuit ex antiquis Gnoſticorum, Donatiſtarum, Quietiſtarum, aliorumque hæreticorum erroribus. Sed ſtatim detecta, & omnino extincta fuit hæc abominabilis ſecta zelo, prudentia, & ſolicitudine Petri Ottoboni tunc Brixienſium Epiſcopi, tandem ad ſummum Pontificatum in Eccleſiæ bonum evecti ſub nomine Alexandri VIII. Erupit etiam in Gallia, ubi plures nacta eſt peſtis illa patronos, præſertim Gioneam mulierem, cujus pernicioſa ſcripta circa annum 1694. cenſorio ſtigmate confixerunt clariſsi-

Pelagini Moliniſmum inſtaurantes.

Gioneæ errores.

mi

Graveſon. tom. 8. fol. 47.

mi plures, Galliarum Antiſtites, apud Graveſonium. Nec omittamus miſerum commentum cujuſdam viſionarii in Gallia circa annum 19. præſentis ſæculi, qui à præjactis erroribus non multum diſcrepans, Deum vel in hac vita videri ab hominibus, licet minus clarè à peccatoribus effutiit, plebem ſibi commiſſam ſeducens, atque iterum & iterum poſt promiſſam emmendationem majori impetu ſua deliria propalans, in carcere tandem recluditur, Galliarum regimen tenens Aurelianenſium Dux, in minoribus conſtituto Ludovico XV. clariſsimo nunc Galliarum Rege, ut refert Mag. Van-ranſt.

Novum Commentum cujuſdam viſionari.

Mag. Van-răſt ſæcul. 18.

55 Hujuſmodi igitur inſulſi hominis deliramentis omiſsis, memorare ſolummodo placet cum laudato Magiſtro Pietiſtarum noviſsimam ſectam in aliquibus Germaniæ regionibus, tum in Helvetia decurrente ſæculo graſantem. Hujus auctor, vel promulgator fuiſſe creditur Theologiæ profeſſor quidam Saxoniæ in Univerſitate Hallenſi cognomine Frank. Ejus ſequaces Pietiſtæ vulgò dicuntur à pietate quam verbis, vultu, oculis, toto corporis niſu adulterinè affectant, ſolitudinem amant: enthuſiaſmis, revelationibus, ſpecioſis gradibus perfectionis, imaginaria unione cum Deo, fucata quiete ſpiritus ſe paſcunt. Hinc non videntur differre niſi nomine à Maſſalianis, Beguardis, & Beguinis, Illuminatis, & Quietiſtis. Proinde tot illa damnatarum ſectarum congeries in Pietiſtis noviter erupit. Varii Pietiſtarum miniſtri nuper Eſcaphuſii in Helvetia virgis cęſi ſunt, ac deinde exilio mulctati; ſed in hiſce gloriati ſunt, ſe eſſe imitatores Apoſtoli, cujus cupiunt præmere veſtigia: unde nihil de ſua dementia remittunt. Quantum ad noſtram attinet Hiſpaniam nihil eſt, quod nos inducat, ut immoremur in præjactis erroribus noviter erumpentibus indicandis: nam vigilantiſsimo zelo quo ſacræ Inquiſitionis æquiſsimi miniſtri, fidei incolumitati diligentiſsimè inſerviunt, ſiqui fortè Molinoſę peſtis halitus alicui exurgere contingant, ſtatim ſpargere atque in nihilum redigere ſatagunt. His igitur indicatis pſeudomyſticorum vanis & impuris aberrationibus.

In Pietiſtis, Maſſaliani, & Moliniſtæ redivivi.

56 Mirari juvat poſt damnatum Michaëlem Molinos illuſtriſsimum Archiepiſcopum & Ducem Cameracenſem Franciſcum ſcilicet Salignac Fenelon plures ſtatuiſſe propoſitiones ab impuriſsimo Moliniſmo certè alienas; ſed quæ in barathrum illud poſſent inducere, ſub ſpecie etiam perfectionis in via interiori. Eas propoſitiones ſparſit in libello, cui titulus eſt: *Explication des Maximes de Saints, ſur la vie interiure; ſeu placita SS. circa vitam interiorem explicita.* Sed libellus hic poſt diuturnum examen Romæ habitum à fęlicis recordationis Innocentio XII. die 12. menſis Martii anno 1699. proſcriptus fuit una cum 23. propoſitionibus ex eo excerptis. Harum propoſitionum ſummam ita damus, vel earum auctorem quaſi ita loquentem; liceat chriſtianis remiſsè & imperfectè viventibus, viamque perfectionis evangelicæ ignorantibus, congruatque illis, jam intuitu atque ſpe mercedis æternæ, jam timore gehennæ à malis revocari: quia velut pueri, infanteſque in vita ſpirituali præmiorum oſtenſione attrahendi ſunt: aut quaſi ſervi, licet aliunde filii, à peccatis quibus Deus offenditur, deterrendi.

57 Verumtamen in chriſtiana perfectione provectis, vel ad ſummum perfectionis apicem convolantibus, orationi deditis, mortificationis utriuſque, interioris nempè & exterioris, cultoribus, vel jam mortificatis, in virtutibus exercitatis; quamvis liceat (nec aliud Eccleſia affirmare ſinit) neutiquam congruit ulterius operari mercedis æternæ intuitu aut ſpe: nam perfecti in vita ſpirituali ad eum perveniunt ſtatum, unionis nempè affectivæ & per charitatem cum Deo, ut jam eis opus non ſit moveri ad operandum ſpe præmii, aut mercedis æternæ: imò id eis eſſe incongruum, & impoſſibile. Quatenus debent à motivo proprii *intereſſe* alienari. Quid ergo mirùm, inferant ex hoc amore puro per excluſionem cujuſcumque alterius motivi, præter motivum charitatis habitualiter animam afficientis, non opus eſſe ad exercitia aliarum virtutum ex propriis motivis attendere: imò hoc eſſe potiùs pernicioſum quam utile, ſed unicè perſiſtere in amore puro.

Syſtema ... do-myſti...

58 Hac perniciòſiſsimâ doctrinâ excludere nititur, veluti inutilem & pernicioſum, timorem pœnarum ab animabus ita pſeudoperfectis. Illę enim (inquiunt) jam conſiderare pœnas æternas non debent, nec timore illarum operari, graves quantumcumque urgeant tentationes, jam ab intrinſeco, jam ab extrinſeco: quantumvis ad ſupremum deſolationis & probationis gradum deſcenderint, ad illaſque interiores afflictiones, ipſa morte amariores, in quibus occluſa ipſis videtur ſalutis janua. In hoc ſtatu, docent in primis tolli ab illis animabus futuræ ſalutis practicam cognitionem, adeò ut per involuntariam impreſsionem invincibiliter exiſtiment ſe juſtè à Deo reprobatas in æternum. Deinde in hoc ſtatu illis animabus congruere, ut abſolutè acquieſcant ſuæ juſtę reprobationi: ſeque ipſas abſoluto ſacrificio tradant divinæ voluntati, abſolutè ab ea in æternum ac juſtè damnandas. Tandem docent in eo ſtatu congruentiſsimo ad purgationem ſpiritus perfectam nullum aliud exercitium internum practicari poſſe. Hæc omnia nullo negotio innoteſcent cuique, ſubjectum decretum inſpicienti ubi propoſitiones 23. ex præindicato libello excerptæ damnantur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

59 CUm aliàs ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe

prodiiſſe librum quemdam gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la Vie Interieure, par Meſſire François de Salignac Fenelon, Archeveſque Duc de Cambray, Prècepteur de Meſſeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou & de Berri: A Paris, chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier*, 1697. ingens verò ſubindè de non ſana libri hujuſmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeò percrebuerit, ut opportunam paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit; Nos eumdem librum nonnullis ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, maturè, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porrò hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquàm in quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones ex eodem libro excerptas, diuturno, accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce quàm ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis deſuper actis Congregationibus, memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum, ſententiis, dominici gregis nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantùm nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, librum prædictum, ubicumque & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione, hucuſque impreſſum, aut in poſterum imprimendum, quippè ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent: ac inſuper tamquam continentem propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpectivè, tenore præſentium damnamus, & reprobamus: ipſiuſque libri impreſsionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecificâ & individua mentione & expreſsione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus & prohibemus. Volentes & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum librum penès ſe habuerint, illum ſtatim, atque præſentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hęreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere ac conſignare omninò teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Cæterum propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſurâ judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex gallico idiomate in Latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet:

...ſuræ Pro... ...tionum.

1. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe... Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*
2. *In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ, amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei.*
3. *Id quod eſt eſſentiale in directione animæ, eſt non aliud facere, quàm ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & numquàm ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo; quod adeò durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeò poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.*
4. *In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.*
5. *In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti, & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſsione ſuæ gratiæ.*
6. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.*
7. *Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Jeſus Chriſtus à nobis in evangelio requirit, poſtquàm externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium etiam æternum.*
8. *Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quàm maximè deſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem ſunt conditionalia... Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.*
9. *In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo.*
10. *Tunc anima diviſa à ſemetipſa expirat cum Chriſto in cruce, dicens:* Deus, Deus meus! ut quid dereliquiſti me? *In hac involuntaria...*

vo-

voluntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

11. *In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed numquàm amittit in parte ſuperiori, id eſt in ſuis actibus directis & intimis, ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium deſintereſſatum promiſſionum.*

12. *Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturę ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit.*

13. *Inferior Chriſti pars in cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.*

14. *In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori... In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca & involuntaria perturbatione; nam totum quod eſt voluntarium & intellectuale, eſt partis ſuperioris.*

15. *Meditatio conſtat diſcurſivis actibus qui à ſe invicem facilè diſtinguuntur... Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.*

16. *Datur ſtatus contemplationis adeò ſublimis, adeoque perfectę, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos.*

17. *Animæ contemplativę privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jeſu Chriſti, duobus temporibus diverſis. Primò: in fervore naſcente earum contemplationis... Secundò: anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus.*

18. *In ſtatu paſſivo ... exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando quod ſint virtutes... In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult; & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutem velit, nec unquàm ſit adeò virtute prędinus, quàm cum virtuti ampliùs affixus non eſt.*

19. *Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva & deſintereſſata, nec ipſum amorem vult ampliùs quatenùs eſt ſua perfectio & ſua felicitas, ſed ſolùm quatenùs eſt id quod Deus à nobis vult.*

20. *In confitendo debent animę transformatę ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem; ſed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.*

21. *Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.*

22. *Quamvis hæc doctrina (de puro amore) eſſet pura & ſimplex perfectio evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.*

23. *Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt.*

60 Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenùs approbare. Ut autem eædem præſentes litteræ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad Valvas Baſilicę Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicę, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, itaut ſic publicatæ omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatę & intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 12. Martii 1699. Pontificatus noſtri anno octavo.

Signatum: I. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti 1699. Indictione 7. die vero 13. menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Innocentii Divina Providentia Papæ XII. anno ejus octavo, ſupradictum Brevem affixum & publicatum fuit ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum, ejuſdem SS. D. N. Papæ Curſorem.

Subjecto Decreto humillime obediens Præſul Illuſtriſs. nihil altiùs animo impreſſit, quam ut à ſuis ſubditis, debita Summo Eccleſiæ Paſtori præſtaretur ſubmiſſio: ea propter poſt publicam retractationem, ſubſequens edidit mandatum.

Ap[illegible] Decret[illegible] militer [illegible] mittit[illegible] chipr[illegible] merac[illegible]

MANDATUM

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Ducis Cameracenſis, &c. datum Cameraci die 9. Aprilis anni 1699.

61 FRanciſcus miſeratione Divina, & S. Sedis Apoſtolicæ gratia, Archiepiſcopus Dux Cameracenſis, S.R.I. Princeps, & Comes Cameracenſis, &c. Clero Sæculari & Regulari noſtræ Diœceſis ſalutem, & benedictionem in Domino.

Vobis Fratres chariſſimi Nos toto debemus, quippè non jam noſtri, ſed gregi credito devoti ſumus, *Servos autem veſtros per Jeſum*, ſic affecti: quæ nos attinent ſuper libello, cui titulus: *Placita Sanctorum explicita, &c.* apertis pręcordiis hic exponendum eſſe putamus.

Tandem opuſculum cum 23. propoſitionibus excerptis damnatum ex Brevi Pontificio, Martii die 12. dato, quod jam vulgatum legiſtis: cui quidem Brevi Apoſtolico, tam de libelli contextu, quàm de 23. propoſitionibus ſimpliciter, & abſolutè, & abſque ulla vel reſtrictionis umbra adhærentes, libellum cum 23. propoſitionibus, eadem præciſè forma, iiſdemque qualificationibus, ſimpliciter & abſolutè, & abſque ulla reſtrictione condemnamus. Inſuper & eadem pœna prohibemus, ne quis hujus Diœceſis libellum aut legat, aut domi ſervet.

Cæterùm Fratres chariſſimi, quamquam humiliatur Miniſter, haud deerit ſolatium; modo verbi miniſterium, quod accipit à Domino ad ſanctificationem veſtram, non fordeſcat in illius ore; neque eò minùs grex apud Deum gratia creſcat.

Porrò Vos omnes ex animo adhortamur ad ſinceram ſubmiſſionem, & infimam docilitatem, ne ſenſim marceſcat illa erga Sedem Apoſtolicam obedientię ſimplicitas, in quà præſtandà, Deo miſericorditer adjuvante, ad extremum uſque ſpiritum vobis exemplo erimus.

Abſit ut unquam Noſtri mentio fiat, niſi fortè, ut meminerint aliquando fideles, Paſtorem, infimâ gregis ove ſe dociliorem præbendum fuiſſe, nullumque obedientię limitem fuiſſe poſitum.

Oro fratres chariſſimi ut gratia D. N. Jeſu Chriſti charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti maneat cum omnibus vobis. Amen.

Franciſcus Archiepiſc. Cameracenſis.
De mandato Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dñi, &c.
D. Sangez Secretarius.

62 Memoravimus Illuſtriſſimum Prędulem doctrinę & vitę integritate commendabilem: ſed qui potuit errare, erravit ut homo. Jam opere pretium erit ipſum recolere de errore pœnitentem, & humilitate celeberrimum. Quam primùm enim ei innotuit propoſitionum juſta & Apoſtolica damnatio, mirabilis fuit prompta, ingenua, candida ſubmiſſio, quâ Romani Pontificis ſententię acquievit. Et quod magis eſt ad veritatis Cathedram verba de more dicturus conſcendit, audientibus ſubditis, ſub obedientiâ prohibet ſtrictâ, ne quis libellum ſuum Romę proſcriptum, vel legat, vel apud ſe retineat. Eximiam incomparabilis Paſtoris ſubmiſſionem nullus fuit, qui non ſuſpexerit, lachrymiſvè & ſingultibus non exprimeret; adeò, ut fęlicem quodammodo errorem illum appellemus, qui tam ſingularem ad ſtuporem & ædificationem totiùs univerſi, nactus eſt illius retractatorem. Sed utinam proſcripta in tanto Paſtore doctrina ab hominum re- Memorati ſyſtematis ærumnentes favillę.

vocaretur memoria? Heu humana miſera cęcitas! Videmus adhuc eam ſatis ſerpere, pluribus diſſeminatis libellis in quibus venenata illa dogmata (aureo licet depicta colore) incautis propinantur. Et quod pejus eſt, ſummoperèque ad decipiendum conducens: eas falſæ pietatis oſtentoſas aberrationes, ſub nomine Sancti Franciſci Saleſii, vel tanquam ejus cęleſti doctrinæ conformes, evulgarunt nonnulli in Gallia. Ita videre licet apud auctorem libri ſub hoc titulo: *Chriſtiano interior, à la conformidad que deven tener los Chriſtianos con Jeſu Chriſto*, nuper proſcripti juſtiſſimo Sanctę Inquiſitionis decreto. Eandem ſubiit cenſuram liber ille gallico etiam idiomate vulgatus, & Hiſpanicè redditus per Licenciatum D. Franciſcum de Cubillas, ſub hoc titulo: *Quinta eſſentia del amor de Dios; lo puro, y acendrado de la dilaccion, ſegun la doctrina del glorioſo S. Franciſco de Sales.* Et aliis ejuſdem furfuris proſcriptis libellis, ſed quantum à doctrina meliflui Saleſii, pſeudo-myſtici devient illi, quavè injuria & ignorantia procedant, notum dabimus in operis decurſu.

ARTICULUS VI.

Præcedentium errorum Etherogeneas reliquias ad calcem colligit.

63 DIXIMUS etherogeneas, quia varios præcedentes errores redolent. Igitur Cameracenſem Præſulem ſequutus fuit errantem, ſed non pœnitentem Paſchaſius Queſnellus novarum excitator turbarum, quibus non parùm detrimenti à fine ſęculi pręcedentis Eccleſia paſſa eſt, in Gallia pręſertim & Belgio. Occaſio ſumpta eſt ex variis Queſnelli ſcriptis, pręſertim in Gallica verſione Novi Teſtamenti per plures tomos diſtributa ſub hoc titulo: *Novum Teſtamentum cum reflexionibus moralibus ſupra unumquemque verſum; vel aliter: Compendium moralis evangelicæ, Actuum Apoſtolorum, Epiſtolarum Pauli, &c.* Hic malè feriatus homo Pariſiis ex tenui familia natus fuit in Parochia Divi Benedicti, in eaque Eccleſia baptizatus 15. Julii anno 1634. Primordiâ Queſnelli.
Inſtructus deinde humanioribus diſciplinis, aliiſque forſan ſcientiis Presbyter admittitur Congregationis Oratorii Domini Jeſu, quę fundatorem agnoſcit Petrum de Berulle Pariſinum, approbante Paulo V. ad petitionem Mariæ Mediceæ Galliarum Reginæ, & Henrici Pariſienſium Archiepiſcopi, anno 1613. Hæc Congregatio, valdè diverſa eſt à Congregatione Oratorii, cujus Patriarcham Eccleſia colit Sanctum Philippum Nerium, erecta namque fuit ſub Gregorio XIII.

circa annum 1575. cujus Conſtitutiones Paulus V. approbavit anno 1612. Unde hac inſtituti diverſitate non cognita, nonnulli fuerunt veritatis hiſtoricæ ignari, qui Queſnellum inter noſtræ Congregationis Presbyteros (ut aliquando audivi) incautè reponerent. Nec enim in noſtro Inſtituto, locum habent comitia illa, quaſi provincialia (de quibus ſtatim) cum per conſtitutiones auctoritate Apoſtolica probatas, nobis (inter alia) propoſitum ſit cap.4. In primis: *Ut Congregatio perpetuò conſervetur ſolo charitatis mutuę nexu, nullis adſtricta votorum, juramenti, aut promiſſionum vinculis.* ::: *Deinde ut unaqueque domus, aut familia noſtrę formam imitata, ſeparatim ab aliis, & per ſe regat, & moderetur.*

Inter Presbyteros noſtræ Congregationis falsò reponitur.

64 Igitur Queſnellus anno 1676. fundamenta parans errorum, quos poſteà diſſeminavit, diſſertationes edidit ad Sancti Leonis magni opera, ſolidè (paulòpoſt) confutatas à Chriſtiano Lupo ex Ordine Sancti Auguſtini Theologo Lovanienſi, & Romæ damnatas eodem anno die 22. Junii. Exinde cępit Queſnellus ſuam acuere linguam contra Sedem Romanam, cujus decretum appellavit libellum famoſum contrarium legi Dei & bonis moribus. Deinde anno 1678. comitia Oratorii habita ſunt, ubi ſtatutum eſt ſeſsione 4. ſingulos Oratorii Presbyteros, debere ſubcribere cuidam formulæ in qua prohibitum erat Janſeniſmum docere. At Queſnellus nec Regi, nec Archiepiſcopo, nec ſuæ Congregationi obedivit: *Formula illa* (inquit ipſe in epiſtola ad Patrem Henricum de Noris Auguſtinianum poſteà S. R. E. Cardinalem) *me profectò ſuffragatorem habere numquam potuit.* Ideoque è domo Pariſienſi abire fuit compulſus. Cum autem poſt triennium iterato aſtringeretur prędictæ formulæ ſubſcribere, & protervè reniteret, timore perterritus, in Belgiam ſe ſubduxit, ibique per plures annos cum paucis ſociis clàm deliteſcens ſub fictis nominibus, & habitu frequentèr mutato, novos tumultus pernicioſis libellis excitans, Bruxellis die 5. Maii anno 1703. per Illuſtriſsimum Archiepiſcopum Humbertum Guillelmum, negotium adjuvante Excellentiſsimo Marchione de Bedmar, ex ſpeciali mandato Regis Catholici, in carcerem fuit detruſus Archiepiſcopalem cum duobus ſociis Arnoldo Joſepho de Brigode, & Gabriele Gerberon. Rex namque Catholicus pro habita pietate brachium protendit, & mandatum propria ipſe manu expedivit ad Marchionem de Bedmar, tunc Belgis Præfectum, qui præſtito opere, Archiepiſcopali miniſterio ſingulos comprehendit. Interea confederatorum ope perforato carcere evaſit profugus ad Provincias Holandiæ, ibique iteratis libellis ſchiſmata, & procellas excitans uſque ad annum 1719. Ætatis vero ſuæ 86. ultimâ infirmitate oppreſſus fuit, & quinque ante ejus mortem diebus, ſcilicet 28. Novembris formulam propria manu ſubſcriptam publicare fecit, in qua proteſtationem fidei edidit; non quidem ſincèram, ut per Europam divulgatum fuit, ſed fraudulentam & artificioſam; illam claudens cum appellatione ad futurum Concilium generale. In hujuſmodi pertinacia tandem obiit Amſtelodami die ſecundo Decembris anno 1719. Narrationis veritatem derivare placuit ex variis Epiſtolis ejuſdem Queſnelli: ex judicio Doctorum Lovanienſium in cauſa Queſnelli præſentato in Curia Eccleſiaſtica Mechilinenſi; ubi triginta ſeptem crimina Queſnelli uſque ad annum 1704. juridicè probata cernuntur apud Magiſtrum Van-ranſt. in ſinopſi vitæ Queſnelli, & ex aliis probatis auctoribus.

E Gallia exul cū ſociis Bruxellis incarceratur.

Obiit … lodami ſubdola … dei pr… tionem.

65 Nec eſt à noſtro inſtituto alienum Queſnelli damnatam doctrinam in medium adducere: quia licet ejus præcipui errores Bajaniſmo & Janſeniſmo accedant, nihilominus quam plures ejuſdem captioſæ propoſitiones ex parte ſaltem Moliniſmum inſtaurare molliuntur; ut apertè innuunt Theologi Lovanienſes, in judicio circa articulos 37. contra Queſnellum probatos, ut antea ſignificavimus. Sic enim habent infraſcripti, ſupra præmiſis 37. articulis illis à Domino procuratore officii Curiæ ſpiritualis Mechlinenſis adverſus Dominum Paſchaſium Queſnel Congregationis Oratorii Berullani Presbyterum, ſervato juris ordine legitimè productis, ac probatis, judicium noſtrum dare requiſiti in favorem juſtitiæ & veritatis, iiſdem articulis maturè perpenſis ſub correctione cenſemus: *Quod præfatus Paſchaſius Queſnel, notoriè ſit Bajaniſmi, & Janſeniſmi reus, ac fautor, hęreſumque, & propoſitionum à Sede Apoſtolica idemtidem damnatarum contumax, & pertinax propugnator, zizaniorum in agro Dominico diſſeminator, Eccleſiæ Catholicæ perturbator, turpiſsimi ſchiſmatis, factionis, & ſeditionis caput, & quantum in ipſo eſt, auctor; Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, necnon Regibus, ac Principibus inobediens, irreverens, injurioſus & rebellis, ſpurcitiarum jam pridem condemnati Michaelis Molinos inſtaurator; excommunicationi majori ſententiæ latæ, aliiſque cenſuris ac pœnis per indicem Concilii Tridentini, & Summos Pontifices fulminatis obnoxius, Eccleſiæ Dei, ac Reipublicæ pernicioſus, atque adeo per utramque ſupremam poteſtatem condignè ac publicè in aliorum terrorem, & exemplum puniendus.*

Ex par… liniſm… ſtaura…

66 Et quidem, ſicut Michaël de Molinos ſub falſa pietatis ſpecie, ſuos diſſeminavit errores; id ipſum in Queſnelli pernicioſo libro jam dudum obſervatum fuiſſe Sanctiſsimus ipſe Clemens XI. ſignificavit, dum inter alia inquit (in conſtitutione, quæ incepit *Unigenitus.*) ✱ Eundem propterea librum (*prohibemus, ac damnamus*) utpote per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis innocentium cordibus, longe accommodatum ::: cum libèr ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat, molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu, ita ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea oportunius (zelantiſsimus ſubjungit Eccleſiæ Paſtor) aut ſalubrius præſtari à nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem libri doctrinam, generatim ſolummodo à nobis hactenùs indicatam, plures ſigillatim ex eo excerptis propoſitionibus diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſti fidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam novè ad inventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur. ✱

Clemen… Conſt. … nitus.

In arte … di Mic… Moline … ſentit.

67 Ex quibus tamen Queſnelli propoſitionibus, eas dumtaxat hic ſubjungimus, quæ Moliniſtarum principiis immergi videntur: in primis enim ut charitatem Queſnellus commendet, reliquis virtutibus bellum parat ſequentibus propoſitionibus ſcilicet.

54. *Sola charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.*
55. *Deus non coronat, niſi charitatem; qui currit ex alio impulſu & ex alio motivo, in vanum currit.*
56. *Deus non remunerat niſi charitatem, quoniam charitas ſola Deum honorat.*
43. *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeò ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

68 Contra laudabilem inſuper pœnæ timorem ſub prætextu amoris Dei inſurgere conatur Queſnellus propoſitionibus illis nempè.

60. *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hęc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.*
61. *Timor non niſi manum cohibet, cor autem tandiù peccato addicitur, quandiù ab amore juſtitię non ducitur.*
62. *Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.*
63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*
64. *Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando.*
65. *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt abſque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.*
66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem & per amorem, ſicuti filii.*
67. *Timor ſervilis non ſibi repreſentat Deum, niſi ut dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

69 Jam tandem ut à referendis erroribus manum removeamus, juvat non nullas propoſitiones jam pridem ab Eccleſia proſcriptas, & quæ pſeudo-myſticorum ſyſtematibus infandis accedunt pro complemento hiſtoricæ narrationis in medium adducere; & in primis ad orationem quod attinet mentalem ſequentes circumferuntur propoſitiones damnatæ, prout refert Cardinalis de Laurea apud Mautheuchi in opuſculo contra Molinos.

1. *Oratio mentalis eſt ita cuilibet homini neceſſaria ad ſalutem, ut ſine ea nemo ſalvari poſſit.*
2. *Oratio vocalis reſpectu mentalis eſt parvi momenti, & veluti furfur reſpectu farinæ, & ſicut palea reſpectu tritici.*
3. *Qui exequi nequeunt orationem mentalem, non ſunt in ſtatu ſalutis.*

70 Præterea contra laborioſa, & ſatiſfactoria opera erravit Bajus cujus eſt hæc propoſitio numero.

56. *Per paſsiones ſanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſsiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*
73. *Satisfactiones laborioſæ juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

71 Præterea impuris dogmatibus Moliniſtarum accedere quodammodo videntur ſequentes propoſitiones ab Innocentio XI. damnatæ nempè.

48. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.*
49. *Mollities jure naturæ probibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.*
50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, ideoque ſufficit in confeſsione dicere, ſe eſſe fornicatum.*
8. *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini: quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* ✱ Cauſalis namque hujus propoſitionis aſſumpta fuit à Beguardis, ut licitum dicerent actum carnalem: quia ad illum natura inclinat. ✱
9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni pęnitus caret culpa ac defectu veniali.*

72 Similiter & propoſitiones ab Alexandro VII. damnatæ nimirùm.

24. *Mollities , ſodomia , & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ ; ideoque ſuffucit dicere in confeſsione ſe procuraſſe pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum ſoluta , ſatisfacit confeſsionis præcepto dicens : commiſsi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem.*

40. *Eſt probabilis opinio , quę dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem , quæ ex oſculo oritur , ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis.*

73 Circa obligationem jejunii , & obſervantiam feſtorum extant propoſitiones ſequentes ab Innocentio XI. damnatæ.

52. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali , ſepoſito ſcandalo , ſi abſit contemptus.* Et 23. ab Alexandro VII. damnata ſcilicet : *frangens jejunium Eccleſiæ ad quod tenetur non peccat mortaliter , niſi ex contemptu , vel inobedientia hoc faciat , puta : quia non vult ſe ſubjicere pręcepto.*

74 Circa ſpem & timorem ſequentes damnavit propoſitiones Alexander VIII.

10. *Intentio qua quis deteſtatur malum , & proſequitur bonum , merè ut cęleſtem obtineat gloriam non eſt recta , nec Deo placens.*

13. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur , charitate ſi caruerit , vitio non caret , quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.*

15. *Attritio , quæ gehennæ & pœnarum mętu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe , non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.*

23. *Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione , quibus nondum ineſt amor Dei puriſsimus, & omnis mixtionis expers.* ✱ Hæc propoſitio continet amorem illum puriſsimum,quem pſeudo-myſtici ſæpè inculcāt. ✱

75 Quantum attinet ad Calvini & Lutheri errores de peccato in omnibus operibus, magna ex parte per Bajum renovatos agnoſcimus propoſitionibus ſequētibus, ſcilicet.

48. *Prava deſideria quibus ratio non conſentit , & quæ homo invitus patitur, ſunt probibita præcepto* : Non concupiſces.

49. *Concupiſcentia ſive lex membrorum , & prava ejus deſideria , quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.*

71. *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati & probiti præcepto:* Non concupiſces , *unde homo eos ſentiens & non conſentiens , tranſgreditur præceptum*: Non concupiſces ; *quamvis tranſgreſsio in peccatum non imputetur.*

72. *Quandiù aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt,non facit præceptum* : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

35. *Omne quod agit peccator , vel ſervus peccati peccatum eſt.*

39. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

76 Bajo & Janſenio affirmantibus omnia peccatorum & infidelium opera eſſe peccata , Queſnellus aſſentitur propoſitionibus ſequentibus.

1. *Quid aliud remanet animæ , quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit , niſi peccatum & peccati conſequutiones , ſuperba paupertas , & ſegnis indigentia ; hoc eſt, generalis impotentia ad laborem , ad orationem, & ad omne opus bonum.*

38. *Peccator non eſt liber , niſi ad malum, ſine gratia liberatoris.*

39. *Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris , niſi ad ſe præcipitandum , virium, niſi ad ſe vulnerandum ; eſt capax omnis mali , & incapax ad omne bonum.*

40. *Sine gratia nihil amare poſſumus , niſi ad noſtram condemnationem.*

41. *Omnis cognitio Dei , etiam naturalis; etiam in Philoſophis ethnicis , non poteſt venire niſi à Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem , vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis,& amoris.*

42. *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium fidei ; ſine hoc nihil niſi impuritas , nihil niſi indignitas.*

44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei , qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor , quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt , non refert , & propter hoc ipſum fit malus.*

45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt , ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

46. *Cupiditas , aut charitas uſum ſenſuum bonum , vel malum faciunt.*

47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte , & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius , & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius ; alioquin non eſt niſi hypocriſis aut falſa juſtitia.*

48. *Quid aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio , & niſi peccatorum ſine fidei lumine , ſine Chriſto , & ſine charitate.*

49. *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.*

59. *Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit , eſt novum in eos judicium.*

BRE-

BREVIS DIGRESSIO in commendationem Divinæ Providentiæ.

77 VLTERIUS in hiſtorica narratione progredi recuſat animus ; niſi Divinam Providentiam mirè elucentem in permiſsione perverſi proximè memorati ſyſtematis breviter oſtendamus. Vix enim de Lutheraniſmo triumphaverat Eccleſia Catholica in Concilio Tridentino congregata : cùm ecce in agro dominico , ſelectiſsimum ſemen Divinus Pater-familias ſeminavit , pro compenſandis (& non abſque fęnere) malis ex inundatione Lutheranica ſequutis , atque ut antidotum prępararet , pſeudo-myſticorum veneno ; ut verum ſubſiſtat ex Chryſoſtomo in exordio operis , memoratum axioma : *Error poſt veritatem extitit.* Memoravimus jam Michaëlem de Molinos , ſimiliſque furfuris Nebulones, veluti aſpidem venenatum , virus infernale evomuiſſe in ipſius orationis exercitium cęlitùs commendatum , tanquam medium ad Chriſtianam perfectionem acquirendam benè neceſſarium. Sed ò ſummè ſine fine laudanda Dei erga Eccleſiam Sponſam provida benignitas ! Novos præmiſit operarios in vineam , novos ſeminatores verbi Dei , ut Eccleſiæ filios nova luce inſtruerent in via perfectionis : ut orationis pabulo non parùm inter ſæculares oblito , indeque in ſpiritu aridos , juxta illum Davidis pronuntiatum : *Aruit tamquam teſta virtus mea: quia oblitus ſum comedere panem meum*, nutrirent. [l.101.v.5.]

78 Hujus generis innumeri extant perenni veneratione digni operarii , juxta meſis abundantiam, ut jam non videatur nobis deplorandum : *Meſis quidem multa operarii autem pauci.* [tth.9.v.37.] Imprimis namque , quis non admirabundus beneficam prædicet Divinam Providentiam in uno Franciſco , de Lutheraniſmo & Calviniſmo triumphantem, & in adverſum continua arma monſtrantem? Guloſa libido voluptuoſos , indeque turpitèr & ſpurciſsimè errantes dedit illos , ſicut cęteros Hæreſiarcas : dat per oppoſitum abſtinentiam Franciſcus , ſuiſque alumnis ſervandam intimat. [Minimorum cra Religio ovatoribus verſatur.] *Cibi abſtinentia fuit admirabili ; ſemel in die poſt Solis occaſum reficiebatur , & ad panem, & aquę potum , vix aliquid ejuſmodi obſonii adhibebat, quo veſci in Quadrageſima licet : quam conſuetudinem , ut Fratres ſui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adſtrinxit.* [Officio S. anciſci de ula.] Et quiſnam Franciſcus iſte , quænam ſanctiſsima ſoboles ? Franciſcus utique de Paula. ✱ Tantæ continentiæ vir (loquitur Zacharias Lippeloo ex Bulla canonizationis) ut non carne , ſed ſolo ſpiritu compactus videretur. [Lipelous ad diem 2. April.] Neque proprię tantum ſaluti eum invigilaſſe putandum eſt , ſed totis in eam rem viribus incumbebat , & aſsidua mente pertractabat : quomodo alios quamplurimos ad ſimilem virtutis viam perduceret. Hinc ad Religionis ſuæ propagationem divino proculdubio ſpiritu inſtructus tres regulas Fratrum ſcilicet , ac Sororum inſtituit. Atque ut erat humanæ gloriæ contemptor eximius, & ſummus humilitatis amator , Fratres omnes ſui Ordinis *Minimos* , & Sorores *Minimas* vocari voluit , pręcepitque ut ante omnia in quovis negotio , ſeſe , ſuaque omnia ad Romani Pontificis Chriſti in terris Vicarii voluntatem referrent. Fuerunt autem ſaluberrima ipſius novi Ordinis inſtituta primum à Julio II. Pontifice approbata , & à Sixto IV. Innocentio VIII. & Alexandro VI. Romanis Pontificibus , ac poſtremò à Leone X. (qui eum in Divorum catalogum retulit) confirmata , multiſque gratiis ac privilegiis & indultis communita. ✱ Hujus præcelſi Patriarchæ venerandi filii etſi nomine *Minimi* , charitate & merito Maximi ; dum in Schola Divi Thomæ *Minimi* volunt audiri , affectu erga doctrinam Angelicam *Maximi* apparent : quid ergo mirùm Sacra illa Religio in grano ſynapis mihi ſymbolicetur: *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus : cum autem creverit majus eſt omnibus oleribus , & fit arbor , ita ut volucres cęli veniant , & habitent in ramis ejus.* [Matth.13.v.32.] In ramis ſiquidem , ſeu triplici ejus regula: *Volucres requieſcunt* (liceat cum Gregorio loqui) *quia ſanctę animæ , quę quibuſdam virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſublevant in eorum dictis atque conſolationibus ab hujuſmodi fatigatione vitę reſpirant.* [D. Gregor. lib. 9. Moral. cap. 1. apud D. Th. in Catena.]

79 Verumtamen , quis ſilentio præterire valeat , novæ militiæ in hoc præliandi genere ſtrenuiſsimum Ducem , novo-antiquæ orationis doctrinæ cęlitùs datum Magiſtrum? Ignatium illum dico ampliſsimæ , ſanctiſsimæ, atque utilimæ Religionis Societatis Jeſu Patriarcham eximium, cujus ope : *Novo ſubſidio Militantem Eccleſiam roborare* dignatus fuit Deus. [Eccleſia in oratione S. Ignatii.] Ignatius ille , qui à terrena ad cęleſtem militiam mirabiliter vocatus, adhuc tyronem agens , & vix litteras ſciens, in antro degens, orationis ſecuriſsimam methodum cęlitùs hauriens, librum illum Exercitiorum (vel ipſa Deipara dictante) edidit, iterata Pontificum auctoritate probatum , & perenni fructuum ſpiritualium abundantiſsima copia inde germinante , ferè ſacratum. *Et cum dicta Exercitia* (habetur in Relatione cauſæ canonizationis S. Ignatii) *ſint pietate , & ſanctitate plena , & ad ſpiritualem profectum utilia , & ſalubria , ut ex ſententia Inquiſitoris Vicarii Urbis , & Sacri Palatii Magiſtri atteſtatur Julius III. in ſuis litteris Apoſtolicis confirmationis dictorum exercitiorum , factaque fuerint eo tempore , quo dictus Beatus Pater erat idiota , & litterarum expers , utique cogi-* [Relatio Rotæ Auditorum tit. de temperātia.]

mur.

mur fateri, *dictam cognitionem & lumen, ſupernaturaliter infuſa potiùs, quàm acquiſita fuiſſe.* Scio equidem nonnullos contradicendi prurigine tinctos, quibuſdam ſeveris animadverſionibus conatos fuiſſe ſuadere, Sanctum Ignatium libri Exercitiorum auctorem non eſſe, illos autem ita revincit Bollandianus continuator. ✱ In parvo illo quidem, ſed nervoſo Exercitiorum ſpiritualium elogio, quod in Horis Sanctis Canonicis, poſtquam eſſet dictum de iis, quæ Sancto Manreſæ patefecerat Dominus, mox ita recitat Eccleſia. *Quo tempore homo litterarum planè rudis admirabilem illum compoſuit exercitiorum librum Sedis Apoſtolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum.* Ex illo inquam, elogio conſtitue, quid ex communi Eccleſiæ ſenſu ſit tenendum circa tria iſta quæſita, nimirùm à Sancto Ignatio Manreſæ degente anno 1522. librum iſtum fuiſſe compoſitum. ✱ Aurei illius libri utilitatem ingentem, ingentes oſtendunt perſequutionum tempeſtates, diabolo excitante, in adverſum ſubortę; ad eas autem ſedandas S. Franciſcus Borgia S. Ignatii addictiſsimus filius & diſcipulus, illuſtre ſanctitatis exemplum, & Hiſpaniæ noſtræ decus immortale, ſupplex acceſsit (non ad Julium III. ut fortè per errorem amanuenſis dictum eſt in proximè laudata relatione) ad Paulum III. ut librum examinari faceret. ✱ Poſtea commiſſo examine Cardinali Burgenſi, & Epiſcopo Salutii ſuo Vicario Generali, & Ægidio Foſcarario Sacri Palatii Magiſtro, iiſdemque referentibus, librum eſſe pietate ac ſanctitate plenum, & valdè utilem ad ædificationem & ſpiritualem profectum fidelium, litteris Apoſtolicis fuiſſe approbatum & confirmatum, & Apoſtolici Scripti patrocinio communitum, ut loquitur Benedictus XIV. ✱

PP. Bollandiani ad diem 31. Julii, §. 11. pagin. 419.

In Officio S. Ignatii.

Liber Exercitiorum S. Ignatii malevolè impetitus, glorioſè de adverſariis (faventibus Dominicanis) triumphat.

Benedict. XIV. lib. 3. cap. 43. num. 12.

80 Rem narrat, & fuſiùs expendit ſtylo penè ad admirationem eleganti Diatribarum adverſus auctores Cyriacos, flammis manu carnificis traditarum, debellator acerrimus. Sic enim omiſsis quibuſdam verbis calamo felle tincto exaratis pro tuenda laſceſſita veritate, ſuęque ſanctiſsimæ Religionis, candore adinſtar lilii albeſcentis, aſſumpto, loquitur. ✱ Oborta 1. Hiſpali tempeſtas, corroborata Salmanticæ, recrudeſcit paulopoſt Lutetiæ Pariſiorum. Involant plures in vitam Sancti & ſimul in Exercitiorum librum: ex utroque capite fama ejus hic proſcinditur. Indolent multi, nemo furentes compeſcit, nemo ſuccurrit laboranti. Fallor, accurrit, utrique ſuppetias allaturus Ordo Prædicatorius. Dicam quod vox publica eloquitur, ipſeque Societatis toties laudatus ſcriptor. Matthæus Ory Cyriacus, (*Dominicanus*) & Inquiſitor Pariſienſis protectionem ejus ſuſcipit; ſilentiū indicit adverſariis, impactam viro ſancto & libro purgat & depellit infamiam, meritumque evulgat. Petitum ac ſibi conceſſum ab Ignatio Exercitiorum exemplar, in gallicum idioma convertit proprię ſaluti profuturum, ut inquit Ribadeneira in vitâ compendioſâ. Nec dum ſatis. E Galliâ in Romanum ſolum devolans procella adverſus Sanctum, multos in almâ Urbe reperit, qui libellum præfatum apud Pontificem ſugillarunt. Examinandum tribus tradit Paulus III. auditaque eorum relatione, ſanum ac pium opus auctoritate Apoſtolica approbavit. At qui inſtigatores ac actores, quivè examinatores & patroni extitere? ::: Liquet ex Cōſtitutionibus Societatis, in quarum veſtibulo ſunt prædicta Exercitia cum approbatione Pauli III. & examinatorum ſuffragiis; tres à Pontifice fuere delecti, qui ea perlegerent, ſeveroque examine trutinarent ſingula. Quinam illi? Ex tribus duo fuere Dominicani; tertius Epiſcopus nulli Religioni annexus. Primus fuit Joannes Toletanus Cyriacus (*Dominicanus*) Cardinalis tituli S. Clementis & Epiſcopus Burgenſis in Hiſpania, qui pro duplici Exercitiorum translatione, duplex tulit ſuffragium. Primum ſic habet, referturque in præliminaribus conſtitutionū Societatis nuperrimæ editionis. *Legimus omnia in volumine hoc digeſta, nobiſque valdè placuerunt, & ad ſalutem animarum imprimis conducibilia ſunt miſſa.* Secundum autem eſt ejuſmodi tenoris. *Legimus ſpiritualia hæc exercitia, placentque nobis valdè, & digna judicamus, quæ ab omnibus Orthodoxę fidei cultoribus recipiātur, & magni fiant.* Utrobique ſubſcriptus. *Cardinalis Burgenſis.* ::: Secundū examinatorem prætereo, quia ſęcularem, Philippum Epiſcopum Salutiarum. Tertius examinator & ultimus, Ægidius Foſcararius Cyriacus (*Dominicanus*) & S. Palatii Magiſter, poſtea Epiſcopus Martinenſis, quem Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ, V. Ægidius, & V. Tullius Criſpolus, vocat Epiſcoporum omnium ſui temporis eruditiſsimum atque ſanctiſsimum. Claruit in Concilio Tridentino, deputatuſque fuit cum aliis Cyriacis, inter quos Leonardus de Marinis, ad reformationem Miſſalis ac Breviarii Romani, compoſitionemque Catechiſmi Concilii Tridentini. Hic itaque Foſcararius in prima Exercitiorum approbatione ſic fatur: *Non poterunt tam ſancta exercitia non maximum commodum præſtare cuilibet ſtudioſo: Ideò obuiis etiam ulnis amplectenda ſunt.* In ſecunda. *Cum nequeat ſubſiſtere diu Chriſtiana Religio ſine exercitationibus & meditationibus aliquibus ſpiritualibus (in meditatione enim, inquit vates, exardeſcet anima mea) nullas arbitror magis oportunas his, quæ proculdubio ex Scripturarum ſtudiis & longo rerum uſu natæ ſunt.* Subſcriptus in utraque. *F. Ægidius Foſcararius Magiſter S. Palatii.* ✱

81 Hujus cęlitùs dati Magiſtri dignisſimæque prolis venerandi Patris diſcipuli extitere quam plures, & innumerabiles Patri non degeneres filii, exiſtunt modo, conſurgent deinde, qui Ignatio Magiſtro, Duce, & Parente ſelectiſsimum verè devotionis, charitatis, & orationis ſemen in agro Dominico non intermiſerunt ſeminare, non intermittunt, non intermittent.

Ig-

82 Ignatio Parenti de Eccleſia benemerito, non adjungere non poſſumus Patriarcham Philippum, orationis edocendæ, Evangelicæ perfectionis promovendæ, Mundo in poſterioribus ſæculis datum Magiſtrum; in diſcernendo pretioſum à vili, ſpiritum à carne, lucem à tenebris, apparientiam vanæ virtutis à ſolida charitate, eximium diſcretionis Angelum, & veluti ore lampadis gladium verbi Dei, appoſitè ad omnes illas diviſiones faciendas intorquentem. Patriarcham inquam Philippum ſpiritu Apoſtolico per virtutem ex alto roboratum; qui ut veteraſcentem Chriſtianiſmum in fervorem primitivæ Eccleſiæ innovaret, Verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, orationis aſsiduitate, concordi charitatis vinculo, ſuos nutrit & extraneos, ut jam in novis credentibus unum ſit cor, anima una, ſintque *perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis, & Orationibus.* Verè novus Joſias, ut daret Gentibus pœnitentiam, & ut tolleret, datus, abominationes impietatis, pietatemque corroboraret in diebus peccatorum melliflua, dulcique attractione: *Ut in omni ore quaſi mel dulceſcat ejus memoria.* Veluti redivivus *Simon Oniæ filius*: *Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum :: qui curavit gentem ſuam, & liberavit eam à perditione*, Verbi Dei geminata efficacia adeò abundè, ut à diebus Philippi enumerati videantur aquarum putei, & quaſi mare adimpleti ſint ſupra modum. Novus Simon ad cujus prædicationis exemplum noviter exclamare viſi ſunt filii Aaron, in tubiſque productilibus ſonuere, ut auditam facerent, faciant *vocem magnam in memoriam coram Deo.* Ut inde omnis populus properet *adorare Dominum Deum ſuum, & dare preces omnipotenti Deo excelſo.* Hic eſt novus Jeſus filius Sirach, qui ambulans à juventute iter rectum, priuſquam viam agnoſceret erroris, veram ſapientiam in oratione quæſivit, pro illaque poſtulavit uſque in noviſsimos dies. Qui os ſuum aperiens attraxit ſpiritum, eo charitatis fervore cordi dominantem, ut veluti cæleſte muſtum laguncułas dirumperet, ut cor exęſtuans reſpirare haberet. Verè inde quaſi *ignis effulgens, & thus ardens in igne, quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo; quaſi ſtella matutina in medio nebulę, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quę ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus redolens in diebus ſtatis.*

…or. 4. v. 32. … 2. v. 42.

…cleſiaſ. 49. à … cap. 50. à 1. & deinde v. 4.

Patriarcha Philipus, ejuſque filii.

p. 50. à v.

…b. 32. v. 19.

…cleſiaſt. 50. 9. & 10. v. 7. 8.

83 In Schola novi hujus Oniæ enutriti atque eruditi prodierunt, prodeunt diſcipuli, & in ſpiritu geniti filii, ut in magna Eccleſiæ domo augeatur orationis, & prædicationis ſonus, ſuavitate, & efficacia plenus; adeò ut cum Eccleſiaſtico pronuntiare liceat: *Mortuus eſt Pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* An non ſimilis Philippo Parenti mundo eluxit filius Franciſcus vere Saleſius? cui merito dicere poſſumus:

Sal-es, quid mirum, ſalias dulcedine corda,
Cum tibi vel pietas debeat ipſa Sales.

Franciſcus inquam (novus ob dulcedinem ſermonis Bernardus) qui ad Chriſtianam perfectionem iter monſtrat planum, declinatis extremis, ut inter Scyllam & Charybdim, antiquos ſcilicet & novos fœtidos errores, ſine naufragio ad portum ſalutis æternæ, myſtica aſcendat Theologia. Nec eſt quod alios memoremus Patriarchæ Philippi filios; aut circa illum coronam fratrum, quæ eſt ut plantatio Cedri in Monte Libano. Hoc enim cum difficile ſit, lectorem attentum deſidero; cumque Sacerdotium in ſæculo, doctrina & pietate florens inſpexerit, de Philippo, Cleri ſæcularis ornamento maximo, pronuntiare poteſt: *Circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria ſua.* Circa Patriarcham Philippum, quaſi ramos palmæ ſtare piè credimus, quos tanti Parentis filios fecit virtutum imitatio: digni proinde quominus in Congregationis Oratorii hiſtoricis memoriis, memoria eorum in benedictionibus maneat. Hujus honoris & gloriæ benemeritos etiam, quam plures genuit Valentina noſtra Congregatio, quorum nonnullos ut ornamenta pariter Univerſitatis recenſet jam laudatus Ortinius artic. 4. præcedenti. Nec tamen oblivioni dandam judicamus ſpecialem huic Congregationi adauctam gloriam ex vigilanti zelo cujuſdam ex ſuis alumnis in aſſumpto principali noſtrarum lucubrationum. Et quæ illa? Moliniſmus exploſſus antequam publicè exortus. Et quomodo? Attendat lector: prima molinoſiorum zizaniorum ſemina occultè ſuperſeminavit putidus Hæreſiarcha, animas ſub prætextu contemplationis à meditatione avertens; interdicta proinde pia lectione, qua potentiis rationalibus cęleſte proponitur pabulum, ut in ſancta meditatione charitatis exardeſcat ignis juxta ſępè decantatum Davidis pronuntiatum. Arriſit doctrina circa annum 70. ſæculi præcedentis (quando Moliniſmus ambulabat in tenebris) cujuſdam Monaſterii Sanctimonialibus, quibus incautè placuit miſſam dare lectionem veluti diſpoſitionem præviam ad orationem, cui ex inſtituto vacare habebant. Obſtitit valdè V. Servus Dei Fr. Auguſtinus Antonius Paſqual Ordinis Eremitarum Mag. P. Auguſtini in Aragonia Provincia Prior Provincialis, & in Valentino Archiepiſcopatu Synodalis Examinator, in Monaſterio illo ad confeſsiones audiendas *Peregrinum* (ut dici cōſuetum eſt) agens ex commiſsione ſpeciali Illuſtriſſ. D. D. Ildefonſi de los Cameros: reſtiterunt illę, iſte vero *inſtabat opportunè, importunè.* Et tandem cum ipſi in-

Eccleſiaſt. 30. v. 4.

Eccleſiaſt. 50. v. 14.

D. Franciſcus Ortì, in memoriis hiſtoricis, cap. 11.

Pſalm. 38. v. 4.

P. Auguſt. Bella in vita V. Mag. Paſqual, lib. 2. cap. 29.

notuerit (ſic habetur in Hiſtoria vitæ ſuæ, quam luci publicæ dedit P. Auguſtinus Bella ejuſdem Ordinis Lector Jubilatus, Dr. Theologus , & Provinciæ Hiſtoriographus) ex commiſsione ejuſdem Illuſ. Archiepiſcopi quendam Sanctum Sacerdotem Congregationis Oratorii Valentini Viſitatoris munus aſſumpſiſſe in prædicto Monaſterio , ipſumque certiorem reddiderit. Contigit fęliciter , dum laudatus Presbyter Oratorii pro ſuo munere intimatum voluit *mandatum*, quo præcipiebat legendas eſſe meditationes P. Molina, Lapuente , alteriuſvè Auctoris, dum orationi in communi vacandum eſſet. Videas hucuſque lector benevole , utrumque Patriarcham Ignatium & Philippum in vita & poſt mortem , novos ſeminatores in agro Dominico , nova luce antidotum præparaſſe pſeudo-myſticorum veneno.

84 Sed præterea , ut abundantia pietatis divinæ ſupplicum fidelium vota tranſcenderet , juxta meſis abundantiam operarios miſsit ex omni Eccleſiaſtico ordine multos , qui myſticam Theologiam (ingruentibus ex adverſo infernalis malitiæ horrendis tempeſtatibus) in tuto collocarent. Eos omnes , vel indicare ſolus ille valet , *qui numerat multitudinem ſtellarum , & omnibus eis nomina vocat*. Verè enim ſunt , quaſi ſtellæ inter fętidas errorum tenebras ſcintillantes , ut qui in umbra mortis ſedent, lucem vitæ & veritatis aſpiciant , niſi in ſua malitia excęcati ſtultè pronuntient, vel corde : *Recede à nobis , & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Verumtamen quis poterit conceptum ſermonem tenere ſilentio , præteriens digniſsimos (in hoc doctrinæ genere) operarios in Eccleſiæ univerſalis utilitatem , noſtræque Hiſpaniæ immortale decus , & gloriam cælitùs miſſos? Quis inquam oblivioni tradat zeloſiſsimum illum Provinciæ Beticæ Apoſtolum M. Joannem de Avila , Evangelicæ perfectionis edocendæ clariſsimum directorem , Cleri ſæcularis pretioſum gemma , morum reformationis indefeſum operarium , & ut alia taceam (donec Eccleſiæ oraculum ut piè ſperamus ſuperveniat) verbi Dei eximium præconem. Et quid de Ludovico dicam Granatenſi , Theologiæ myſticæ novo modo tradendæ , facilè principè?

Pſalm. 146. v. 4.

Job. 21. v. 14.

85 Et quamvis de aliis plurimis taceam; ſilentio obſignari non valet Seraphica Tereſia , cujus myſticam Theologicam doctrinam veluti cęleſte pabulum , ejus cæleſtes libri palam faciunt ; innumerique ejuſdem filii verbo , exemplo , ſcriptis in apertum ponunt. Cum Seraphica Tereſia, pro ſolida myſtica Theologia decertavit vivens , decertat poſt mortem S. Joannes à Cruce ſocius ſimul & primogenitus filius: Carmelitani Ordinis Reformationem amplexus cum fuerit , *primus* poſt Seraphicam Tereſiam , *Carmelitarum Diſcalceatorum Parens eſſe meruit* , ut Eccleſia in Officio ejus habet. Subjungens deinde : *Libros cęleſti ſapientia refertos de myſtica Theologia conſcripſit admirabiles planè omnium judicio.* Decertant poſtmodum, decertarunt, decertabunt innumeri , quos ſeraphico ardore genuit , generat , generabit Matriarcha Tereſia ſuæ doctrinæ & pietatis filios , & imitatores. Ut enim quod verum credo ingenuè dicam : non poſſum non commendare tot Tereſiæ filios in omni ſcientiarum genere ex Schola D. Thomæ veluti ſplendidæ ſtellæ erumpentes : at (ſine aliorum injuria dictum ſit) in Theologia myſtica edocenda , propugnanda & ad praxim reducenda , concedatur mihi ut cum Eccleſiaſtico proferam : *Non eſt inventus ſimilis illi.*

Seraphica Tereſia cum filiis.

Officium S. Joãnis à Cruce.

Eccleſiaſt. 44. v. 20.

86 Hæc breviter prælibaſſe ſufficiat in commendationem benigniſsimæ erga Eccleſiam ſuam , juxtà & ſuaviſsimæ providentiæ Dei. Niſi etiam vel breviter attendere velimus ad novum antidotum (pro novo ſerpendo errorum in myſtica Theologia cancere) divinitùs præparatum. Illam dico ſolidam non minus , ac utiliſsimam devotionem , pro vera charitate in corde firmanda erga deificum , manſuetiſsimum, dulciſsimum cor Jeſu. Hujus enim devotionis praxis jam dudum Brigittæ , & Gertrudi Sanctiſsimis fœminis prænunciata ; initium (Deo inſpirante , imò , & præcipiente) habuiſſe legitur circa annum 1673. quo certè tempore Molinoſus Michaël in tenebris ambulans , erroris ſui venenum, Diabolo fovente, decoquebat. Infirma mundi elegit Deus , pro illa ſtabilienda devotione , ut confunderet fortes , contradictione armatos : elegit inquam humilem, & mundo abjectam Virginem *Mariam Margaritam Alaquoque*, Viſitationis ſacrum Monialium inſtitutum profitentem , & proinde noſtri Sanctiſsimi Saleſii in ſpiritu filiam. Unde factum eſt , ut contradicentibus plurimis , novum in dies , & ſplendorem , & robur acciperet , inter procellas perſecutionum , devotio illa Pontificiis fulcita favoribus & gratiis , & pluſquam trecentis congregationibus , in illius honorem, & obſequium inſtitutis. Utinam devotio illa fęliciter (ſolida charitate) fidelium cordibus hæreat , altaſque figat radices ; ut tanquam ſalutis antidotum , Eccleſiæ & veritatis filios , à veneno præſervet erroris, quod infandi Michaëlis de Molinos ſequaces (ut incautos inficiant) iteratis ſpargunt libellis , ut referantur indignis , dignis tamen ultricibus flammis , prout iterata monſtrant exempla. His ita breviter prælibatis , ad Hiſtoricæ narrationis aſſumptum, gradimur ita.

Utiliſsima devotio erga cor Jeſu.

*** *** ***

PRO-

PROLEGOMENON II.

PRÆDICTARUM HÆRESUM ORIGINE DETECTO ET tranſcurſu , pro illis extirpandis arma parans.

1 RECENTIUM & priſcorum errorum venenata peſte in lucem infandam prodita , quum originem , tum pernicioſos effectus , vel indicare convenit , ac medium, & veluti conductum , detegere, quo hæreticorum princeps Diabolus zizania in Eccleſiæ agro ſuperſeminavit & turbidas aquas tranſmiſit. Poſtmodum vero arma monſtrare curabimus ad ęrrores illos diſsipandos.

ARTICULUS I.

In fœdos errores prolabandi , ſuperbiæ adjumento ſunt mulierculæ.

2 AD Molinoſæ doctrinæ,ut venenati torrentis originem ſi pervenire velimus,in ipſam ſtatim offendemus ſuperbiam : hæc enim ſicut in Cœlo Angelos fecit Apoſtatas , in terra primum hominem à deliciis paradiſi deturbavit. Inde omnis peccati initium , criminum mater jurè prædicatur : vitiorum atque omnium , tanquam regina tyrannicè ſedet , ut jam pridem ex Magno Gregorio humilis Aquinatis Doctor, teſtatum ita relinquit : „ Quamvis ſuperbia „ ſecundum quod ſpeciale quoddam peccatum eſt , aliis connumeretur capitalibus „ vitiis ; ſed ſuperbiam poſuit vitiorum omnium reginam & matrem. Sed hæreſum præcipuè fautricem , atque errorum præformatricem , ab ipſis retro ante ſæculis , infelix oſtendit experientia. Hæc namque exitialis animæ febris , dum interiora cordis intumeſcit, rationem , veluti craciſsimus leviathanicus fumus obſcurat. Quid enim antiquos mundi ſapientes in eam fecit abire dementiam , ut gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem mutaverint , imaginis corruptibilis hominis , volucrum , & quadrupedum, & ſerpentium ? Quid ſapientiam in ſtultitiam convertit ? Ipſa, ipſa fuit ſuperbia , ut Gentium inſtructor & Apoſtolus diſſertis ſignificavit verbis : *Evanuerunt* , inquit, *in cogitationibus ſuis , & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Hæreſes omnes una genuit ſuperbia.

D.Thom. 2. 2. q. 162. art. 8.

D.Greg. lib. 31. Moral. cap. 31.

Ad Rom. 1. v. 21. & 22.

3 Si ante humilitatem , verbo à Chriſto Domino prædicatam , & opere , adeò fuit odibilis ſuperbia , exitialis adeò peſtis , fumus ita mentem obſcurans : quid poſtquam eam deformiorem reddidit humilis Deus? Certè ſi inexcuſabiles , antiquos Gentium ſuperbos ſapientes vocat Apoſtolus : quam ergo excuſationem habebunt , novæ legis ſapientes , vel qui dicunt ſe eſſe ſapientes , ſi in cogitationibus ſuis ſuperbiant ? Qualis obſcuritas inſipiens cor eorum tenebit ? In quos ſtultè devenient errores ? Ite, ite procul gentium Philoſophi , fidei lumine deſtituti , Chriſtianæ religionis myſteriorum ignari : majoris exceptionis , quia majoris malitię teſtes ſuperbiam prędicant , hæreſum matrem , Eccleſiæ transfugæ filii in hoſtes converſi , hæretici inquam , ab Eccleſiæ incunabulis ad uſque noſtra tempora , & deinceps. *Diverſis locis ſunt diverſæ , ſed una mater ſuperbia , omnes hæreſes genuit* , ut Auguſtinus teſtatum reliquit : poſtquam in lib. de ſalutaribus monitis , humillimus Parens , ſuperbiam , nedum in hęreſes ſcaturire, & ſchiſmata , ſed in alia plurima infanda vitia ; ut cum Propheta Regio verè pronuncietur : *Non havitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam. In domo inquam Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi* , ut Apoſtolus loquitur. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo ; quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor ejus* , apud Eccleſiaſticum legimus. Quid mirùm (arguit D.Thomas) proprio judicio tenacitèr inſiſtens, à fidei regula facillimè deviet , intellectum captivare nolens, in obſequium Chriſti ; indeque in infidelitatem corruat , qua homo maximè à Deo elongatur ut Angelicus Doctor oſtendit , jamque Auguſtinus pręluxerat.

D.Aug. lib. de Paſt. cap. 8.

Pſal. 100. v. 7.

1. ad Timoth. 3. v. 15.

Ecleſiaſt. 10. v. 14.

D.Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. ad 3.

D.Thom. a. 3. in corp.

4 Hujus rei tot extant teſtes , quot Hęreſiarchæ : ſi enim Ebionem , & Cerinthum, hęreticorum omnium primipilos , in memoriam revocaveris , tanta eos ſuperbia tumentes agnoſces , ut à Joanne Chriſti dilecto, primogeniti Diaboli nuncupari meruerint. Superbia inſuper in Simone Mago hęreticorum Coryphæo adeò extulit caput , ut tanquam Deus coli ambierit , eò per aërem circumferri tentans. Gnoſticorum (quibus Nicolaitas adjungimus) arrogantiam prodit nomen ipſum , quo ſuper alios homines ſapientia extolli vanè gloriabantur. Novatum, ſæculi 3. hæreſiarcham , immanium criminum colluvie potiùs quam nomine cognitum, arrogantia ſuperbi tumoris inflatum Sanctus Cyprianus appellat. Eo enim elationis devenit , ut ſe ſuoſque ſequaces Catharas appellari non erubuerit, ideſt mundos, eo quod ſe ita mundos dicerent , ut neque conſortium vellent habere cum lapſis. Ita Euſebius

Hæreſiarchæ omnes ſuperbia intumeſcentes.

S.Cyprian. epiſt. 49. ad Sanctum Cornelium Papam.

Euſebius lib. 6. hiſtoria cap. 35.

ſe-

teſtatur; ſed ut prudentèr monet Auguſtinus: *Si nomen ſuum voluiſſent agnoſcere, mundanos potiùs, quam mundos ſe vocaſſent.* Superbia inſuper Apollinarem, Montanum, ejuſque ſectatorem Tertullianum, in errorum abyſſum revocavit apud Baronium anno Domini 173. *Montanus enim* (verba ſunt Hieronymi) *nuper baptizatus, propriæque excellentiæ gloriâ elatus, & inſatiabili primatus cupiditate intentus, malo arreptus & furioſo ſpiritu; ac peregrinis vocibus, Prophetam cępit profiteri.* Et quid de Marcione, ejuſque gregalibus dicam; quos Satanæ primogenitos Martyr Polycarpus appellare non dubitaverit, ut Hieronymus, & Euſebius memoriæ tradiderunt? Quantum ad Eunomium attinet, ejuſque conſortes Anomæos, non tam ſuperbos, quam arrogantiâ ſtolidos appelles: cognitionem Dei certiſsimam, imò & comprehenſivam ſibi arrogantes, ut Chryſoſtomus indicat & Doct. Angelicus fulgentiſsimum Eccleſiæ Græcæ Doctorem præſiberans ab errore, de aſſerta impoſsibilitate viſionis beatificæ à Patre Vazquez ei imputato. Nec eſt, quod huic Theologo, doctrinæ Divi Thomæ in hoc non acquieſcenti, & ſolidæ interpretationi, qua Chryſoſtomum, pro innata ſui erga Sanctos Patres reverentia expoſuit; incredibile apparuerit Anomæos, ita fuiſſe ſtolidos & amentes, ut ſibi arrogarent cognitionem Dei comprehenſivam. Nam ſi Chryſoſtomo, paſſim ſtolidos & amentes hæreticos illos vocanti fidem detrectet; audire poteſt Theodoretum dicentem: *Eunomius auſus eſt dicere, ſe nihil de rebus divinis ignorare, ſed ipſam Dei eſſentiam exactè noſce, eamque notitiam de Deo habere, quam Deus ipſe habet de ſe ipſo; ad quem furorem, ab illo etiam perducti fuerunt, qui ejus peſtem hauſerunt: audent quippe ipſi, apertè profiteri, ſe ita Deum noſce, ut ipſe ſe ipſum.* Audiat ſimiliter Hieronymum exponentem illa verba: *Nemo novit filium niſi Pater*, ubi inquit: *Erubeſcat Eunomius tantam ſibi notitiam Patris & filii, quantam alteruter inter ſe habent, jactitans ſe habere.* Idem etiam refert Socrates apud Baronium.

S. Auguſt. de Agone Chriſtiano cap. 31.

S. Hieron. epiſt. 54. ad Marcellum.

D. Thom. 1. par. quæſt. 12. a. 1.

Theodoret. lib. 4. Hæretic. fabul. titulo de Eunomio.

S. Hieronym. in cap. 11. Matth.

Socrat. lib. 1. cap. 7. apud Baron. anno Chriſti 366.

5 Prælatos hæreſiarchas (poſt Gnoſticos) eò memoravimus, quamquam contra illos noſtra non dirigatur diſſertatio: quia eorum intumeſcens, & errorum procreatrix ſuperbia, iterum renovata cernitur in Maſſalianis, Euchytis, Enthuſiaſtis, Beguardis, & Beguinis, atque falsò nomine Illuminatis. In his enim falſitatum architectis, videſis ſuperbiam dominantem. Et quidem, dum Maſſalianos, (aliàs Euchytas) delirare audis per juge orationis exercitium, ad videndam corporeis oculis Sanctam Trinitatem capaces reddi, non ne Anomæos, nova ſtoliditate ſuperbientes redivivos conſpicies? Quid aliud produnt ſuperbi Enthuſiaſtæ antiqui & recentes, niſi Montani furioſi ſpiritus halitus, ſacro ſpiritus ſancti nomine palliatos? Et quid deinde in Beguardis & Beguinis immunitas illa phantaſtica à peccato, atque morum innocens puritas, vitæque ad extremum perfectæ tranquilla ſecuritas, in pſeudo-illuminatis miſerè recrudeſcens? Quid inquam in illis, ſe conſpiciendum oſtentat, niſi Novatianorum prętenſa mundities? Pro ſuperbia de palma contenderent mox relati Leviathanici ſpiritus participes: niſi ex orco prodierint Lutherus & Calvinus, in quibus ſicut antiqui omnes errores apparuerunt, ita antiquos hæreticos longè ſuperatos, ſuperbia agnoſcitur. Lutheri intolerabilem ſuperbiam ipſe ſuperbus prodit, dum ad Angliæ Regem, ita tumeſcens ſcripſit, ſe nihil curare, ſi mille Auguſtini & mille Cypriani contra ſe conſiſtant. Quid ergo mirùm, ſi omnes Sanctos Patres irridens, contra Eccleſiam, contra Apoſtolos, tanquam novus Lucifer, vel potiùs tenebrifer evomeret: *Nihil moror clamores, quibus quæritantur, Eccleſia, Eccleſia; Patres, Patres: ſcimus Prophetas lapſos eſſe, adeòque ipſos etiam Apoſtolos. Verbo Chriſti judicamus Apoſtolos, Eccleſiam, atque adeò ipſos Angelos.*

Bzovius in Romanos Pontifices cap. 21.

6 De Calvino autem, ſimilia, ſi non majora impudentiſsimæ præſumptionis, argumenta, narrat laudatus Bzovius: *Arrogantiſsimo* (inquiens) *quodam in veteres Eccleſiæ Patres faſtidio, & contemptu inflatus, manu ſacrilega, innumera deliria conſcripſit, ut in confeſſo ſit, illum, omnes præ ſe nihil duxiſſe.* Inſuper proprio exēplo ſequaces ſuos docuit, quod etiam opifices & infimæ plebis homines, imò & viliſsimæ mulierculæ Sacram Scripturam vulgari idiomate expreſſam, prout libuerit interpretari poſsint, nullo habito reſpectu, non attenta Sanctorum Patrum expoſitione, non obſervata Sanctorum Patrum ſententia, neglecta Conciliorum auctoritate, aut Eccleſiæ Doctorum regulis; juſſit itaque, ut omnes proprio judicio, & dictamini inſiſterent, non obſtante, quod vix ſyllabarum litteras ordinare ſcirent.

In Annalibus, anno 1524.

7 Horribilia hucuſque ex ſuperbia prodiiſſe vidimus errorum monſtra, quæ vix comparari poſſunt Anti-Chriſti blaſphemiis. Sed unde? Superbia, ſuperbia in eum impietatis barathrum revocabit, recrudet, præcipitabit. Anti-Chriſtum Daniel ipſe Propheta futurum eſſe prædixit: *Os loquens ingentia*, grandia ergo & ſublimia hominum ſuperbiſsimus jactabit, Luciferum ipſum ſuperbia vincens. Ambiebat enim apoſtatarum ſpirituum Anteſignanus, Deo eſſe ſimilem: *Similis ero altiſsimo.* Sed Deo, ſuperioritatem præſumere Anti-Chriſtus audebit, adverſans & extollens ſe ſuper omne quod dicitur Deus; ut inde cum Ambroſio dicere non dubitemus: *Magiſter ſimilem honorem præſumit, hic ſuperiorem.* Adducta Iſaiæ & Pauli teſtimonia, humilis Bernardus conferens, Luciferi ſuperbiam ita extollit: *Lucifer ille primus ſuperbus, qui ſecundùm Scripturam, Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, dixiſſe non legitur, altior ero, ſed ero, inquit, ſimilis Altiſsimo.* Anti-Chriſtus vero,

Daniel. 7. v. 8.

Iſaiæ 14. v. 14.

2. ad Theſſal. 2. v. 4.

S. Ambroſius ſerm. 3. in Pſal. 118.

S. Bernard. ſer. 5. in Vigil. Nativit. apud Paciuchelli lect. 27. in Joan. n. 30.

vero inſolentior Lucifero; arrogantiam ſuam ulterius protendet, & exceſsivos cupiet honores. Non ſatiaretur ſi ipſi cum Deo, æqualitas proponeretur, aut in eodem collocaretur ſolio: ſed eminentiorem locum ambiet. Primos & majores ſibi honores ex juſtitia contendet deberi, & fortè aſſentietur, ut ſecundi Deo, tanquam inferiori, & ſe minus digno exibeantur: unde concludit: *Non mentitur Apoſtolus, quoniam ille extollitur ſupra omne quod creditur, aut quod colitur Deus.* Horrent certè humanę aures, dum talia percipiunt; ſed horreant magis, dum Bernardum ita loquentem audiunt: *Dico enim vobis, quod non ille tantum, ſed & omnis ſuperbus, extollitur ſupra Deum.* Et meritò confirmans, comprobanſque, propoſitionem proſequitur Doct. mellifluus: *Vult enim Deus fieri voluntatem ſuam, & ſuperbus vult fieri ſuam, jam videtur æqualitas; ſed attende malè congruam proportionem: Deus quidem in his tantum, quę ratio approbat, ſuam vult fieri voluntatem; ſuperbus autem, & cum ratione, & contra rationem.*

8 Perſpeximus hucuſque errorum, hæreſumque omnium fontale principium, falſorumque dogmatum venenatam radicem: ſed quales fructus germinaverit conſpiſce primum, antiquæ Philoſophorum elationis pudendas non tam errorum, quam inſaniarum conſequutiones. Eas recenſet Apoſtolus inquiens: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Inſuper: *Tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ :: & mercedem, quam oportuit erroris ſui, in ſemetipſis recipientes: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia.* Hæc Apoſtoli verba, dum antiquorum tumeſcentium Philoſophorum fœdiſsimas produnt inſanias, hæreticorum prænunciant fœtida dogmata, obſcurecentis, & tenebroſæ ſuperbiæ obſcuriſsimos fœtus. Ab his autem recenſendis ſuperſedendum, hucuſque jam productæ narrationes compellunt: nam hæreticorum à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus ſpurciſsima errata, ſemel inſinuaſſe, ſatis eſt & pluſquam ſatis; ut liquido conſtet: hæreſum omnium originem, ſuperbiam dominantem nulla cunctatione agnoſcendam eſſe.

Rom. 1. v. 24. 26. 27. 29. 30. & 31.

9 Nec mirari debes lector in eos præcipuè errores, & crimina ſuperbos (Deo juſtè permittente) prolabi, quæ ipſâ ſuâ fœditate & turpitudine manifeſtiùs ſe omnium oculis produnt: ut vel ſic humiliati à confuſione exurgant: „ Sicut enim „ (verba ſunt D. Thomæ, ut audiantur „ digna) in ſyllogiſmis ducentibus ad im„ poſsibile quandoque aliquis convincitur „ per hoc quod ducitur ad inconveniens „ magis manifeſtum: ita etiam ad convin„ cendum ſuperbiam hominum Deus ali„ quos punit, permittens eos ruere in „ peccata carnalia, quæ etſi ſint minora, „ tamen manifeſtiorem turpitudinem conti„ nent. Unde Iſidorus dicit in libro de ſum„ mo bono: Omni vitio deteriorem eſſe „ ſuperbiam, ſeu propter quod à ſummis „ perſonis & primis aſſumitur, ſeu quod „ de opere juſtitiæ, & virtutis exoritur, „ minuſque culpa ejus ſentitur. Luxuria „ vero carnis ideò notabilis omnibus eſt, „ quoniam ſtatim per ſe turpis eſt, & ta„ men diſpenſante Deo ſuperbia minor eſt; „ ſed qui detinetur ſuberbia, & non ſentit, „ labitur in carnis luxuriam, ut per hanc „ humiliatus à confuſione exurgat. Ex „ quo etiam patet gravitas ipſius ſuperbiæ. „ Sicut enim Medicus ſapiens, in remedium „ majoris morbi patitur, infirmum in le„ viorem morbum incidere, ita etiam pec„ catum ſuperbiæ gravius eſſe oſtenditur „ ex hoc ipſo, quod pro ejus remedio „ Deus permittit ruere homines in alia „ peccata.

D. Thom. 2. 2. q. 162. a. 6. ad 3.

10 Si hæreſum omnium detectam dedimus radicem: ſi mali arboris fructus malitiæ, & impudicitiæ recenſuimus: extra rem non erit, ſi medium, & veluti conductum detegamus, quo hæreticorum Princeps Diabolus zizania in agro Eccleſiæ ſuperſeminavit, & turbidas aquas tranſmittit. Sed quid in hac materia immoramus? *Mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Quid ergo mirum poſt exploratam antiquorum temporum hiſtoriam, cum Hieronymo concludat Annalium Parens Baronius: *Nullam propè fuiſſe hæreſim, quæ non habuerit fęminam adjutricem.* Antiqua certè obvolvenda, revolvendaque eſſent exempla, niſi Doctor Maximus adverſus Pelagianos diſſerens, elegantèr ita produxiſſet: *Simon Magus hæreſim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio: Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos*: Marcion, Romam præmiſſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet: Appelles, Philomenem, ſuarum commitem habuit doctrinarum: Montanus, immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam, & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dimittam vetera: ad viciniora tranſcendam. Arius, ut orbem deciperet, ſororem Principis, ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quoſque fętentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania, Agape Elpidium, mulier virum, cæcum, cæca duxit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcilianum habuit, Zoroaſtis magi ſtudioſiſsimum, & ex mago *Epiſcopum: cui juncta Galla, non gente, ſed nomine germinam huc illucque currentem alterius, & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem.*

Eccleſiaſtici 19. v. 2.

Baronius anno Chriſti 146.

S. Hieron. ad Cteſipont. adverſus Pelagian.

Mulierum cótubernio hæreticorum lapſus adſcribitur.

Apud laudatū Paciuchelli.

fœminam

11 Gnoſticorum peſtis (addam ex dictis) non ne , Marcelina fęmina agente, Romam infeſtavit? Adamitarum recentium ſimul , & antiquorum procax , propudioſa hæreſis , perſonarum utriuſque ſexus comertio adinſtar canceris irrepſit. Quid inſuper de aliis dicam? Paulum Samoſatenum , fęmina quædam pervertit , turpiſsimumque hæreſiarcham reddidit. Et quod magis dolendum : Tertullianus ille penè in admirationem eruditus , in theologicis profunde verſatus , in evolvendis ſacris libris aſsiduus , in ſcriptis præclariſsimus : Tertullianus ille, quem Cyprianus , ut ſui magiſtrum agnoverat (inquiens) *Da magiſtrum, dum ejus efflagitabat libros*: Tertullianus ille, muliercularum viſionibus nimis credens , in Montani hæreſim miſerè lapſus eſt. Ruffinus Origenis errores contra D. Hieronymum defendendos ſuſcipiens , Melaniam habuit fautricem. Priſcillianiſtæ ad hæreſum ſuarum propagationem peſsimis uſi ſunt mulieribus Agapes , & Galas mille ſordium libidinibus conſperſis. Severus: ut hæreſis lue, fideles inficeret , tanquam novus Appelles, novam Philomenem adhibuit.

12 Nec ſolum ad tempora uſque D. Hieronymi , ſed in poſterioribus Eccleſię ſæculis tot ferè produci poſſunt exempla, quot referuntur hæretici. Si enim Gallarum regnum Manichæorum hæreſis invaſit, introductrix creditur à Baronio mulier quædam ex Italia prodiens , quæ ut erat Diabolo plena , ſeducebat quoſcumque volebat, non ſolum idiotas & ſimplices , ſed etiam pleroſque , qui videbantur Doctores in Clericorum ordine. Aureliis autem hæreſim cępit , ibique degens errorum veneno non paucos inquinavit : in alias deinde circumvecinas Civitates traducto. Hujus peſtiferæ fęminæ fallendi artem renovatam diximus Artic.5.n.1. in florentiſsimo illo Regno , ope Gioneæ mulieris perniţioſę ad medium ſæculi præcedentis. Quis inſuper Beguinas (ordinata fortè viventes inſtitutione) in errorem traxit , & in ſocietatem cum hęreticis Begardis? Non ne impia illa (quam diximus) Margareta Porreta? Quamvis ex novo comertio novæ creſcerent fœdiſsimorum errorum tenebræ: in miſeris illuminatis ſplendore ultricis ignis diſsipatæ. Ac tandem ut à producendis comprobatæ veritatis teſtibus ſuperſedeamus (omiſsis Lutheri, & Calvini miſeris experimentis , atque Dulciniſtarum , & Turilipinorum obſcęnis colligationibus) ſatis abundè dicturum me arbitror, ſi Angliæ duntaxat deplorandam mutationem , & dominantem errorum omnium colluviem (duabus obſtetricantibus maledictis fęminis , Anna Bolena, & Eliſabetha Britanorum Regina) ex orco conceptam , atque in publicam perniciem natam , memoraverim. Et quid mirari debemus : procacem fęminarum diabolicum halitum, miniſterialitèr , ita ad hæreſes præformandas , diſpergendas? Cum ſæpè, etiam ſpecie ſanctitatis (ut in Tertullano , aliiſque vidimus) errorum venena deguſtanda dederint.

Baronius anno Chriſti 1017.

13 Pateat hucuſque præcedentium ſęculorum infanda dogmata , ſcaturientis ſuperbiæ turbidas eſſe & cęnoſas aquas , in apertum , atque immunditiæ bituminoſum mare, fallacibus mulierum blandimentis decurrētes. Quid ergo mirùm ! Si ad præcedentis ſæculi finem , dum pernicioſæ memoriæ Michaël Molinos antiquos fœtidoſque recoxit errores: eadem (quæ in antiquis) in novatore iſto radix malorum dominaretur ſuperbia , pullularentque ſpurciſsimi fructus , quales nefandæ ejus propoſitiones produnt. Atque ut verum ſubſiſtat in noviſsimis temporibus , quod ab Eccleſię incunabulis circa hæreſum propagationem , compertum ſemper fuiſſe nos docuit ex Hieronymo Baronius : ad hujuſmodi pernicioſam hæreſim propagandam , fęminarum miniſterio , uſum etiam fuiſſe novum hæreſiarcham indicavimus ſatis. Sed clariùs oſtentant nocturni congreſſus, ſolemneſque inter utriuſque ſexus perſonas congreſsiones , occultaque conventicula , apud Moliniſticæ ſectæ ſequaces ; ejus exemplum imitantes. Sed quia in his poſterioribus momentis, univerſo orbi ſatis innoteſcentibus, nihil eſt , ut immoremur. Siſtere pauliſper non incongruit , in detegenda Molinoſa ſuperbia , tot fœtentium errorum origine. Totus fuit ſpurius ille Theologaſter fictis , fucatiſque coloribus , velo tegere hypocriſis, tumeſcentem, quo interiora ſuperplena erant, diabolicum ſuperbię halitum. Quia tamen, *Nihil eſt opertum quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur* : apparuit tandem , tumeſcens illius ſuperbiæ imago , notionibus illis , & characteribus ; quibus ſuperbiam deſcribit Angelicus juxta & humilis Doctor. Superbus enim eo dictus , quia ſupervult videri quam eſt (ut jam pridem Iſidorus notavit) undeque (Auguſtino docente) cum ſociis æqualitatem odiit, quibus dominari geſtit. Hanc vanam pręlationem, ut ſuſtineat , jactat ſe habere quod non habet , arroganter aliis ſe præfert ; cęteris deſpectis , ſingulariter vult videri ; à communi regula ſe ſubſtrahit : à peccato quod habet, ſe excuſat , ſimulatè confitetur : imò bonum innocentię , quod non habet ſibi attribuit, atque præ aliis ; bonum ſuum excellentiori modo judicat poſsidere. Ad majoraque adhuc ſe putat ſufficientem.

In Michaële de Molinos ſuperbia & mulierũ contubernium.

Matth.10. v. 26.

D.Thom. 2.2. q. 162. art. 1. & 4.

14 Præjactas ſuperbiæ notiones (aliis omiſsis ne nimis in littore ſiſtamus) ejus tumenti ſpiritui inviſceratas, ipſe protulit Molinos , ſui ipſius interpres. Et quidem quomodo non ſuperbus , qui non æqualitatem, ſed dominantem in ſuis ſequacibus magiſterium exercebat , à communi Patrum & Doctorum regulis in via illa ſua interna recedens. Et quaſi debita ei eſſent gratiarum chariſmata , à gratiis Deo agendis remotus, nedum ſe habere , quod non habebat exiſtimaſſe convincitur : ſed bonum ſuum excellentiori modo poſsidere , tanquam ſi ſibi foret debitum , jactaſſe videtur. Et ut omittamus fictam illam impeccabilitatem , & fę-

felicisſimum , imperturbabilem perfectionis ſtatum , quem ſibi arrogabat , tranſigere videtur & ipſos ſuperbiæ terminos : dum non ſolum à peccato quod habebat , ſe excuſavit, ſimulateque confitebatur : ſed, peccata ipſa fœdiſsima ; ne venialia quidem eſſe, cæcis cæcior dictitabat. Tandem ſuperbus ille opere docuit , quod verbo ſcripſit , ſcilicet: *Via interna ſejuncta eſt à confeſsione, à Confeſſariis , à caſibus conſcientiæ , à Theologia, & à Philoſophia.*

Propoſit. 59.

ARTICULUS II.

Fugiendam mulierum familiaritatem exortatorio ſuadet ſermone.

15 BEnè deteſtanda ſuperbia! ſed etiam , ò non minus fugienda mulierum familiaritas! Illa radicaliter, hæc miniſterialiter quamplurimos in errorum traxit abyſſum , à miniſterio Eccleſiaſtico pro animarum ſalute accepto , ad earum perniciem Diaboli adjutores conſtituit. Leviathan enim Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ , nullo magis potentiori vinculo , nullo magis impetu , præcipitem hominem etiam ſapientem , in execrabiles errores , ruere confidit atque , in criminum immanium tenebricoſam abyſſum , quam blandis mulierum incitamentis. Qua enim ratione Diabolus de Adamo victoriam decantans , homines cunctos fecit ſuæ tyrannidis tributarios , non ignoramus. Fęmina , fęmina , virum devicit , quem Diabolus aggredi non eſt auſus. Itaque *Fęmina virum* (pronuntiavit Ambroſius) *quem Diabolus tentare auſus non eſt , cibo oris , & vi amoris inflexum, molli quadam uxoriæ ſedulitatis affectione, traduxit.* Prohibeat meritò veritatis Doctor, non permittatque *Mulierem in Eccleſia loqui , ſed in ſilentio erudiri.* Rationi enim congruentiſsimum eſſe antiquiſsimus monſtravit eventus , funeſta nimirùm Protoparentum ruina. Cecidit Adamus , corruit Eva, & tamen Adamus non ſeductus (inquit Paulus) *Mulier autem ſeducta in prevaricatione fuit,*✻ Nimirum (Apoſtoli interpres fideliſſimus exponit) non eſt ſeductus primò , quia fortior erat , ſed tentator incepit à debiliori , ut faciliùs ſeduceretur fortior. ✻

Ad decipiendum , blandis mulierum incitamẽtis utitur Diabolus.

S.Ambroſ. ſermon 15. in Pſalm.118.

1.ad Timoth.2.

D.Thom. ibidẽ.

16 Nec mirum (ea fallendi arte) fallendum aggrederetur primum inter homines ſapientem , ſuperbiæ princeps Diabolus. Non ne , decipi facilis , decipere potens ſexus deprehenditur muliebris? Ita Chryſoſtomus nos docuit : *Sexus muliebris incautus, eique proximum decipi.* Cum jam Epiphanius obſervaſſet *Muliebre genus lubricum eſſe , & erroneum.* Et quid ad ſeducendum propenſius , ad decipiendum potentius ; & ſi dicere licet, in hac arte ſuperius? Iterum poſt Ambroſium loquatur Chryſoſtomus, *Semel loquuta eſt mulier , & totum mundum ſubvertit.* Ac tandem poſt Patres Patrum compendium inſpiciamus , ſcholarum nimirùm Doctorem , dum reſolvit : debitum ordinem , in tentando primum hominem tentatorem obſervaſſe , dum per mulierem virum proſtravit ; duplici ſubjecta ratione: „ Quod enim primum in aliquo genere eſt, „ his quæ in eodem genere conſequuntur „ proportionatum eſſe congruit; ſed in quo„ libet genere peccati invenitur ordo pri„ mæ tentationis , in quantum videlicet præ„ cedit in ſenſualitate , quæ per ſerpentem „ ſignatur , peccati concupiſcentia ; in ra„ tione inferiori , quæ ſignatur per mu„ lierem , delectatio , in ratione ſuperiori, „ quæ ſignatur per virum , conſenſus peccati , ut Auguſtinus dicit duodecimo de „ Trinitate : ergo congruus fuit ordo primæ „ tentationis. Altera Sancti Doctoris ratio „ hæc eſt ad litteram ferè : Homo namque „ ex duplici compoſitus eſt natura , intelle„ ctiva ſcilicet , & ſenſitiva ; & ideo gemino „ ad peccandum uſus eſt incitamento Diabo„ lus in prima hominis tentatione. Uno modo „ ex parte intellectus , promittendo nimirum „ divinitatis ſimilitudinem , per ſcientiæ adep„ tionem , quam homo naturaliter deſiderat; „ altero ex parte ſenſus , ſicque iis ſenſibili„ bus uſus eſt rebus, quæ maximam cum ho„ mine habent affinitatem , partim quidem „ in eadem ſpecie , tentans virum per mu„ lierem , partim quidem in eodem genere „ tentans mulierem per ſerpentem ; partim „ vero ex genere propinquo , proponens po„ mum ligni vetiti ad edendum.

Exempla antiqua.

D.Thom. 2. 2. q.165.ar.2. in ſed contra.

In corp.artic.

17 Huic veritati cum illud objeciſſet Sanctus Doctor ; quod ſicut ordine naturæ Angelus homine eſt ſuperior , ita vir perfectior eſt muliere ; atqui peccatum ab Angelo ad hominem pervenit , pari ergo ratione debuit etiam pervenire à viro in mulierem , ut ſcilicet mulier per virum tentaretur , & non è converſo. Reſpondet : „ In „ actu tentationis Diabolus erat , ſicut prin„ cipale agens , ſed mulier aſſumebatur quaſi „ inſtrumentum tentationis ad dejiciendum „ virum : tum quia mulier erat infirmior „ viro , unde magis ſeduci poterat ; tum „ etiam propter conjunctionem ejus ad vi„ rum maxime per eam Diabolus poterat „ virum ſeducere. Non valebat ergo ſeductor Diabolus potentiùs , ullum ſua ſagacitate adinvenire medium , quo virum dejecerit , quam primæ Parentis uti adminiculo. Pomum non obtulit , divinitatem non promiſsit , non aliud quidquam aptum judicat, ut hominem ad lapſum deduceret, quam mulierem. Hinc primò aggreſſus eſt Evam, quę Adamo fragilior erat & imbecillior ; adeoque faciliori negotio in fraudem impellenda.

18 Sed quid prohibet aurea , & æternitate digna Ambroſii verba propoſitæ annectamus veritati? Sic enim Jeſum in deſer-

tum

tum à ſpiritu ductum, ut tentaretur à Diabolo contemplans, loquitur: *In deſerto Salvator implet mandatum Dei, ut ibi Adam ſalvaret errantem, ubi fuerat de Paradiſo projectus. In deſerto ergo homini ſalus refunditur, ubi non ſunt epulæ, ubi deſunt deliciæ, ubi (quæ eſt malorum omnium cauſa) deeſt mulier. Potuerat enim Adam inter illas Paradiſi inconcuſas ſtare delicias, ſi Eva ibidem cum diabolicis illecebris non fuiſſet. Conveniens ergo eſt deſertum ſaluti, ubi non eſt Eva, quæ perſuadet; non eſt mulier, quæ blanditur. Videte rem miram: in Paradiſo, cum Adam Diabolus dimicat, ibique inſidiatur homini, ubique congreditur; ſed ubi mulierem invenit, vincit; ubi mulierem non videt, victus abſcedit.* *S.Ambroſ. ſermon. 37.*

19 Si antiquus ſerpens, hominem paulominus ab Angelis minoratum, virtute clarum, innocentia præmunitum, juſtitia originali vallatum, donorum omnium decore fulgentem, mulieris fallacibus blandimentis in inſipientiam ſtolidè revocavit, jumentis comparatum, ſimilemque effectum. Quid mirum victricia illa fere ſemper arma in noſtram perniciem flectat? ſagittas ad vulnerandum in femineo jaciat arcu? Non ne & filios Dei ante univerſale diluvium, filiarum hominum decore alliciente, ſibi Aſmodeus fecit tributarios? Et quid Samſonem, diræ Philiſtinorum ſubjecit crudelitati, niſi fallax Dalilę muliebris aſtutia? Davidem, non nę poſtravit Betſabeį aſpectus. Salomonem Regem ſapientiſsimum, inclytarum actionum cummulatum, laſcivis maculis fędavit cum mulieribus alienigenis contubernium? Hæc vincendi homines infauſta experientia, in cauſa eſt, ut Diabolus, dum alia media irrita videt, tandem ad feminea arma recurſum paret. Hujus rei, in ſancto Job, exemplum agnoſcit eloquens Chryſoſtomus: bonis omnibus ſpoliatum, maliſque cunctis ſuperplenum patientiæ miraculum, aggreſſus fuit Dęmon uxore relicta ut medio: *Omnia* (inquit Chryſoſtomus) *ut brevibus utar verbis auferuntur, ſola mulier relinquitur, antiquum Diaboli organum, ſcilicet, ſibi ipſi vetulam ſervans.* Ita ſibi ultimum reſervavit arietem callidus hoſtis, quo victoriam ſe reportaturum ſperabat. *S.Chryſoſt. homil. 3. in Job.*

20 *Confugiam* (ſecum muſitabat Origine teſte) *ad antiqua arma, per quę Adam ſubductum ſupplantavi, illic ſerpentem me induens ad Evam loquutus ſum, deinde per Evam loquutus Adam ſeduxi. Habet enim Job uxorem, qua me induens, ſubtiliter per eam eum ſeducam, atque fraudulenter per eam illi perſuadeam.* Hinc omnibus Jobum fortunæ bonis ſupplantator exuit, ſolam illi uxorem reliquit: *Ut hanc haberet pro noviſſimo Jobi laqueo, ut poſtquam per omnem rem deſperaret, tunc per uxorem juſtum perderet, ſicut ipſe arbitrabatur infęlix, æſtimabat, atque ſperabat.* Perſtitit ſine lapſu Jobus ille, ſed ejus victoriam ferè ad miraculum raram prædicant, præter antiqua exempla, benè plurimi, quos in noviſsimis temporibus arte illa, deluſos vidimus. Illis præterea Pelagium ſuperaddimus, hæreticorum fędiſsimum monſtruum, cujus in perſona Maximus Hieronymus verba illa ducit: *Ego etiam ſi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiſcentiam.* Sed ò hæreſiarcha! Si hoc verum eſſet (proſequitur Hieronymus) *cur ii, qui victores evadere cupierant, deſerta petebant, hominum fugiebant conſortia, cellulis ſe includebant, oculos claudebant, ne fęminas aſpicerent, occludebant aures, ne mundi voces audirent?* *Origin. homilia 2. in Job.* *S.Hieron. lib. 2. contra Pelag.*

21 Non omittendum duximus paulò fuſsiùs oſtendere, quod in ſuperioribus inſinuatum dedimus. Et illud eſt: vitandam nedum eſſe extranearum mulierum incautam familiaritatem, quod Auguſtinus ſuadendum proponit. Fugiendas inquam mulieres alienigenas, mulieres ad inverecundiam procaces, ad decipiendum paratas, ad perdendum proclives. Atque ut Eccleſiaſticus loquitur: *Ne reſpicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius. Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius:: Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris, multi perierunt; & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit:: Speciem mulieris alienæ, multi admirati, reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere ne ſedeas omnino.* Et ut paucis dicam: debent filii Dei (mihi in primis alloquor; ad vos deinde ſermonem converto Sacerdotes Dei altiſsimi: gratia & miniſterio filii Dei, in animarum ſalutem miniſterio fungentes, ſummi Regis legati, in Tribunali pœnitentiæ judices conſtituti; in via ſpiritus directores electi; hominem inter & Deum mediatores; potentiſſimi veritatis & pudicitiæ cuſtodes) debent nedum filiarum hominum vitare conſortium: ſed etiam à filiarum Dei incauta familiaritate recedere. Latet, latet fortè majus periculum, quia minus cognitum: quia ſub devotionis & inſtructionis velo, non ſemel venenum Diabolus parat: & ſi mihi non vultis credere, antiquis & recentibus credite experimentis. *D.Auguſt. ſerm. 250. de tempor.* *Eccleſiaſt. cap. 9. v. 3.* *V. 8. & 9.* *V. 11. & 12.*

22 Credite Scripturis, credite Patribus. Unum pro omnibus audite, puritatis certè Magiſtrum, militiæ angelicæ in terris ducem, Angelum in carne præter carnem viventem: Aquinatem nempè Doctorem contra periculoſam illam cum fęminis, quæ ſpirituales videntur, familiaritatem angelica perſpicacia differentem in Opuſculo de puritate conſcientię, & modò confitendi, cap. 14. verba Sancti Doctoris integra damus. Utinam in corde omnium ejus ſcribantur ſermones! In memoria tanquam in libro exarentur ſtyllo ferreo, & tanquam celte ſculpantur in ſilice: ,, Quoniam multi (lo- *S. Thom. opuſc. de puritate cõſcient. cap. 14.*
,, quitur Divus Thomas) videntur neglige-
,, re, ut agnoſcant affectus ſuos vitioſos, &
,, per conſequens, non curant confiteri, cum
,, tamen diligenter ſunt perſcrutandi, & cum
,, ſuis vitiis orientibus ex ipſis exprimendi.
,, Ideò prætermittere non intendo, quod
,, multi nimis afficiuntur ad ſe ipſos, qui-
,, dam ad aliquas perſonas, quidam ad ho-
,, nores, quidam ad divitias temporales. Et
,, quia hæc ſunt murus inter Deum, & ani-
,, mam, ideò nullus homo habens aliquid
,, de prædictis, poteſt in via Dei proficere,
,, nec habere puram orationem, & maximè
,, quando eſt carnalis affectio ad perſonam,
,, & de hac intendo loqui modo. Nam talis
,, affectio multos ſpirituales ſub ſpecie ami-
,, citiæ ſpiritualis à ſtatu orationis impedit
,, & impedivit. Hæc eſt inquietudo mentis
,, peſtifera, orationem mentis & oris inficiens
,, & diſpergens, & affectus contrarios oratio-
,, ni in mente generat & exercet. Nam ſi-
,, cut oratio pura mentem purificat & illu-
,, minat, lætificat, fortificat, & impinguat;
,, ſic carnalis affectio & immunda, mentem
,, inficit & obſcurat, contriſtat, debilitat, &
,, ſiccat, & corpus ejuſdem maledictionibus
,, implicatur. Et quoniam ſpiritualibus lo-
,, quor, propter quos iſta ſcribuntur, nove-
,, rint ipſi, quod licet carnalis affectio ſit
,, omnibus periculoſa & damnoſa, eis tamen
,, pernicioſa eſt magis, maximè quando con-
,, verſantur cum perſona, quæ ſpiritualis vi-
,, detur; nam quamvis eorum principium,
,, videatur eſſe purum, frequens tamen fami-
,, liaritas, domeſticum eſt periculum, dele-
,, ctabile detrimentum, & malum occultum,
,, bono colore depictum. Quæ quidem fami-
,, liaritas quantò plus creſcit, tantò plus
,, infirmatur principale motivum, & utriuſ-
,, que puritas maculatur. Non tamen de hoc
,, ſtatim perpendunt, quia ſagittarius à prin-
,, cipio non mittit ſagittas venenatas, ſed
,, ſolum aliqualiter vulnerantes, & amorem
,, augmentantes. Ad tantum vero in brevi
,, deveniunt, ut jam non velut Angelus ſi-
,, cut cęperant, ſe invicem alloquantur &
,, videant, ſed tanquam carne veſtitos ſe
,, mutuò intueantur, & ſentiant mentes
,, quibuſdam commendationibus ac verbis
,, blanditoriis, quæ videntur ex prima devo-
,, tione procedere. Exinde unus incipit ap-
,, petere alterius pręſentiam corporalem, quia
,, forma, vel ſpecies corporis in utriuſque
,, mente concepta, incitat eos ad volendum
,, præſentiam corporalem, qua inſit eis præ-
,, ſentia mentalis, ſicque ſpiritualis devotio
,, paulatim convertitur in corporalem & car-
,, nalem, & ſic ipſorum mentes, quæ ſole-
,, bant in oratione cum Deo abſque inter-
,, medio loqui, nunc inter ſe, & Deum; al-
,, ter ponit alterius corporalem effigiem,
,, quam velant, & obtenebrant, ponentes
,, ſibi ipſis faciem Dei cum facie creaturæ;
,, & non minus horrendum eſt, cum hi pro-
,, prium errorem percipere, & emendare de-
,, berent, in ipſius potius nutrimento erro-
,, ris, totum illud judicant ex maxima cha-
,, ritate procedere, cujus meritò pro, & ſibi
,, invicem mentientes, referunt, quod in ora-

,, tione unus alteri præſentatur magis eis
,, delectabile, ac ſi pro ſe invicem orare co-
,, gantur gratia & virtute divina, ac per hoc
,, conſolationem ſimpliciter ſenſualem, quam
,, habent in illarum præſentatione de ſe in-
,, vicem facta in oratione prædicta, æſtimant,
,, & affirmant ac aſſerunt eſſe ſpiritualem
,, gratiam, & divinam. Quales autem illu-
,, ſiones recipiunt à ſagittario ſupradicto ſpi-
,, ritualiter mulieres, quæ citiùs fidem adhi-
,, bent illuſioni mentali, eſſet horribile, &
,, quaſi impoſsibile declarare. Sentiunt nam-
,, que in oratione præfata, & repræſentatio-
,, ne mentali calorem quemdam ignitum à
,, ſagittario illo illatum, quem credunt &
,, dicunt eſſe ignem charitatis à Spiritu San-
,, cto tranſmiſſum: volentem conjungere ſpi-
,, ritum unius ſpiritui alterius vinculo cha-
,, ritatis, cum inde ſit ignis libidinoſi amo-
,, ris, prout ſequentia manifeſtant: & tamen
,, deliberant ſe tanquam ſpirituales unitos
,, poſſe ſecuriùs, ac prolixiùs ſimul loqui,
,, atque in hoc tempus non perdere, ſed
,, lucrari. Proinde modos inſolitos & cau-
,, telas mirabiles adinvenerunt, quibus pro-
,, curant ſimul colloqui & frequenter alle-
,, gantes unus alteri cauſas utilitate ac ne-
,, ceſſitate depictas, cum tamen in veritate
,, nihil aliud ſit cauſa, niſi onus, cui ratio
,, jam ſuccumbit. Sic itaque carnali con-
,, cupiſcentia, ſeu complacentia excęcati,
,, tempus quod olim conſueverunt in ora-
,, tione expendere, ac ſpiritualiter occupare,
,, nunc in hujuſmodi familiaritatibus & col-
,, loquiis perdunt, & ſic quod dolendum eſt,
,, allocutiones divinas pro carnalibus com-
,, mutantes, quodammodo niſi mora ſerotina
,, cogente, aut alia inevitabili cauſa, non poſ-
,, ſunt ab invicem diſcedere, & tunc invitè,
,, & triſtes diſcedunt. Hæc autem triſtitia eſt
,, certiſsimum indicium, quod carnis vincu-
,, lo ſunt alligati, & per hoc viſitationes &
,, conſolationes divinæ à carnalibus & dia-
,, bolicis diſcernuntur. Denique quamvis ſe
,, multis exponant periculis, & multa mala
,, incurrant, dum eorum obtenebratis conſ-
,, cientiis judicant, tanquam ſpiritualibus
,, ſibi quædam eſſe licita, quæ fieri nequeunt
,, abſque periculo & peccato. Putavi tamen
,, melius eſſe non multa de hoc calamo exa-
,, rare, hæc tamen tacere non valeo, quin
,, aliqualiter referam maximè quia non lon-
,, ge à temporibus iſtis ſimilia contigerunt.
,, Tandem ſpiritualibus prædictis quandoque
,, ſe deduci permittunt; ut ſe invicem fami-
,, liariter tangant ſub ſpecie charitatis re-
,, ſerantes ſibi invicem immenſum cordis
,, amorem, quòd impudenter charitatem ap-
,, pellant. Sed in hac reſeratione amoris eſt
,, ſummum periculum; quia ex hoc fabricantur
,, ſagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mor-
,, taliter, ac venenant. Et quod ſuper omnia
,, videtur mihi horrendum, Deo, Angelis, ho-
,, minibus, ac dęmonibus, fuerunt vel aliquę
,, ſpirituales nomine ſpiritu luxuriæ imbutæ,
,, quæ in excuſationem ſuæ libidinis præſump-
,, ſerunt dicere ſe habuiſſe in illis actibus
im-

» impudicis magna ſentimenta de Deo. Quod nihil aliud judico eſſe, niſi quoddam incitamentum inductivum ad ſimilia ſecurius intrandum, & pejora perpetrandum. Dic mihi qui talibus credis & adhæres. Si iſti ſunt veræ ſpirituales, ut aſſeris, quid aliud loqui aut facere deberent, niſi quod à Spiritu Sancto procedere poteſt vel procedit? Ab illo autem nihil procedit noxium, ſed ſolum quod utile & honeſtum. Quid enim ad Spiritum Sanctum de tactibus & oſculis, aut qualem honorem inde conſequitur Deus, & quæ utilitas aut quæ neceſsitas tibi ad ſalutem vel alteri, ut hos tactus facias vel patiaris? Quæ conventio ſpiritus ad libidinem carnis? Quæ igitur tua præſumptio: ut hanc contumeliam inferas Spiritui Sancto, ſcilicet attribuendo ſibi tuæ impudicitiæ fętorem, quem vix dęmones patiuntur? Quæ inquam temeritas tu mulier hypocrita à facie Dei projecta, ut dicas delectationem carnis libidinoſam eſſe gratiam & conſolationem divinam? Recede ergo fera peſsima de finibus meis: quia dęmones nequeunt tuam præſentiam ſuſtinere. Hæc itaque fratres chariſsimi non incongruè huic operi ſunt inſerta: ut ſciat unuſquiſque, quod hæc venenoſa affectio ſub colore ſpiritus acquiſita, ſummè impedit puritatem confeſsionis, & cordis munditiam: ut ſic hanc fugiat, tanquam vitioſam rubiginem, quæ vix poteſt aboleri de mente, ſi alicui fuerit applicata. Præcipuè quia tales perſonæ quandiù ſunt hac ſagitta percuſæ, quaſi numquam purè & integrè confitentur: eo quod ipſum morbum deſpectabilem in perſona ſpirituali verecundantur toties detegere plenè & integrè confeſſori, quia verentur exprimere aliquas circunſtantias tali affectioni annexas, quas vel tacent, vel exprimunt imperfectè, utentes verbis operientibus dictum morbum: ſic occupationem mẽtis quaſi continuam habent circa perſonam dilectam: & in oratione, & in cunctis actibus ſuis, & imaginationes turpes de ipſa vana complacentia cordis, in memoria, & aſpectu mentali ipſius retinentes, & negligentes in evitando ejus præſentiã & colloquuntur quæ ipſi experiuntur. Propterea ſæpè mutãt confeſſorem, aut vellent mutare ſi poſſent, ſicque triſtes ſunt & accidioſi frequenter, tam ratione affectionis fluctuantis in mente, quam ratione confeſsionis imperfectæ, de qua ipſimet contriſtantur. Sed quod pejus eſt: cum ipſi deberent quærere Medicos ſpirituales cautos, & peritos, ac expertos, qui ſcirent illam ægritudinem, & cauſas ejus agnoſcere, & congruum remedium adhibere, non ſolum non faciunt, ſed potiùs ſi ſemel ad aliquem talem pervenerint, ipſum ex tunc fugiunt, nec revertuntur ad ipſum. Quærunt ergo confeſſores idiotas & ſimplices, qui nec morbum intelligunt: nec cauſas ejus agnoſcunt: nec ideò ſciunt congruam adhibere medicinam. Tantum de hac materia dixiſſe ſufficiat, ut per hoc animentur per viam puram & immaculatam incedere, & fugere periculoſam peſtem, familiaritatem mulierum ſpiritualium, quæ non melius quam fugiendo vitatur. Satis enim poteſt quis hac ſagitta percuſus, ſe jejuniis, vigiliis, ac diciplinis affligere, & orare: quia ſi non fugiat perſonam, & omnem occaſionem deſpiciat, numquam curabitur ab illo morbo, ſed magis augebitur illud vulnus. Propter quod ſequamur auxilium ſivè conſilium Beati Hieronymi dicentis: *Fœminam quam vides benè converſantem, mente dilige, non corporali frequentia. Quia initium libidinis in viſitatione mulierum eſt: & mundus cum mulieribus non meliùs quam fugiendo vincitur, quia cum cæteris vitiis & morbis quis poſſet reſiſtere, huic tamen non poteſt niſi per fugam.* Et alibi. *Si mulier potuit vincere eum, qui jam erat in paradiſo, non eſt mirùm ſi eos impediat qui non dum ad paradiſum pervenerunt.* Et idem. *Solus cum ſola non ſedeas in ſecreto, abſque arbitro & teſte.* Et iterum. *Ne ſub eodem tecto cum muliere manſeris: nec in prę terita caſtitate confidas, quia nec tu Samſone fortior, nec Salomone ſapientior. Si fortè dicas jam corpus mortuum eſt, dico tibi, quoniam Diabolus vivit, cujus flatus prunas extinctas ardere facit.* Item idem dicit: *Omnes virgines Chriſti & puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora.* Item Beatus Auguſt. dicit: *Sermo brevis & rigidus cum mulieribus eſt habendus. Nec tamen quia ſanctiores fuerint ideò minus cavendæ. Nam quò, ſanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impiiſsimæ libidinis, crede mihi. Epiſcopus ſum, Epiſcopo loquor; non mentior. Cedros Libani, ideſt, contemplationis altiſsimæ homines, & gregum arietes, ideſt, magnos Prę latos Eccleſiæ ſub hac ſpecie corruiſſe reperi, de quorum caſu non magis præſumebam, quam Hieronymi, & Ambroſii.* Sicut etiam ait Bernardus. *Quotidiè converſaris cum muliere, & continens vis putari? Eſto quod ſis: maculam tamen ſuſpitionis portas. Scandalum mihi es. Tolle materiam & cauſam ſcandali: quia vè homini illi per quem ſcandalum venit.*

Familiaritas etiam cũ mulieribus ſpiritualibus fugienda.

23 Audivimus ad pudicitiam conſervandam cum Sanctis Patribus ex Prophetis angelicè Angelicum Magiſtrum hortantem. Sed quid mirùm hominibus viam caſtitatis doceret grandis factus, qui à pueritia cęleſti prudentia cautus, blandam propriæ genetricis, ſororumque familiaritatem declinaſſe fertur, ab omnibus fęminis fugiendam eſſe lepidè pronuntians: eo quia ab earum una natus fuerat. Angelici Magiſtri ex Scriptura, & Sanctis Patribus prælibata conſilia ad praxim reducens, reducendaque monens addictiſsimus diſcipulus ſanctiſsimus Patriarcha noſter Philippus Nerius poſteritati commendavit. Inter alia enim cęleſtis prudentiæ monita, quæ Confeſſariis reliquit, quam maximè

ximè conſulebat: ut in audiendis fęminarum confeſsionibus (cancellò mediante ſemper) verba cum illis non protraherent, averſiſque à muliebri facie oculis, habentes in uſu aſpera potiùs quam lenia verba. Monet deinde Confeſſarios non facilè domos pœnitentium fœminarum ingredere, niſi gravi urgente neceſsitate aut maxima utilitate, nec tunc quidem ſolos & ſine ſocio, quamvis enim fortaſſe tentationum ſtimulos paſſos adhuc non eſſe ſentiant (ſubjungit caſtitatis puriſsimus cultor & propagator) non proinde ſibimetipſis fidendum eſſe judicent, quia fraudulentus hoſtis ſecuros quandoque relinquere videtur, ut cadere deinde ſecuriùs moliatur, ope mulieris tanquam debilioris partis. Hinc deinde neque ægrotantium fęminarum confeſsiones audiendas dicebat, niſi circunſtantium oculis negotium pateſcat.

24 Philippi Patris exempla ſequutos fuiſſe addictiores filios, experientia prodit, & noſtrę Congregationis hiſtoricæ memoriæ oſtendunt. Atque ut appareat, quam altè illis impreſſa cernatur cęleſtis illa cautela, quamque in aliis imprimendam in votis habeant, cum innumera extent monumenta; ad memoriam revocare ſatis eſſe arbitror, prudentiſsimum conſilium quo Juvenalis Ancina (Saluſentium venerabilis Præſul, in ſchola Philippi mirabiliter eruditus, Sancto Franciſco Saleſio cordialiſsimo amicitiæ vinculo unitus) Parochum quemdam ſibi ſubditum, ſub prætextu devotæ eruditionis, nimia incauta familiaritate cum devota fęmina, cui erat à confeſsionibus irretitum: monuit inquam prudens juxtà & pius paſtor, devitandam illam familiaritatem; annuit humilis Sacerdos, unde cęleſtem medicinam, qua à peccatis ſibi imminentibus (ut ipſe confeſſus fuit) meruit liberari. Ut videas quam rectè ſcripſerit Doct. Angelicus paulò antea laudatus: *Quia ſi non fugiat perſonam, numquam curabitur ab illo morbo, ſed magis augebitur illud vulnus.*

25 Nec ſolum Philippi, ſed & Ignatii filios, PP. in Chriſto, cęleſtem cautelam imitantes à pernicioſa illa familiaritate abhorrentes admiramus. Unus pro omnibus memoretur V. inquam P. Balthaſſar Alvarez inter magiſtros myſticæ Theologiæ pro ſuo & ſequentibus ſæculis, non ſine gloria nominandus. Hic enim in ſchola D. Thomæ ſcientia educatus theologica in Conventu nimirùm D. Thomæ Ordinis Prædicatorum Civitatis Abulenſis, adeò muliebrem familiaritatem declinavit, ut ſi quando mulierem aliquam inviſſendam haberet, numquam ſedere conſuevit, quouſque ſedile ſocio ad ſedendum apponeretur. Quinimò mulieres ſpirituales frequentèr directionis gratia alloquendas habens, dicere ſolitus erat, majori circumſpectione & cautelâ in his opus eſſe; quia ſpiritualis amor proprios tranſiliens terminos, in carnalem converti conſuevit, ſicut vinum, etſi bonum in acetum. Hujuſmodi deploranda metamorphoſis non apparet, quouſque adeò voluntates conglutinantur, ut potiùs gaudeant à Deo longè ire, quam viciſſim ſeparari, ne ingrati ſibimetipſis appareant. Sic diſpoſitis infernalem ignem conglutinantem & obſcurantem Aſmodęus impuriſsimo flatu excitat. Lib. 1. cap. 5. §. 1. in vita illius per P. Ludovicum à Ponte.

26 Nec mirùm eâ cautelâ muniendos eſſe conveniat Jeſu Chriſti Miniſtros in poſterioribus Eccleſiæ ſæculis; cum hoc ipſum verbo non ſolum ſed opere in exemplum reliquere antiquiores Sancti. In primis enim Sanctus Martinianus maluit marinis fluctibus quaſi abſorbendum ſe tradere (niſi duo delphines in terram detulerint) quàm mulieris cujuſdam miſerabiliter naufragaturæ ſocietati ſe diù committere. Non ne & Sanctus Arſenius in eremo degens ad inſperatum matronæ cujuſdam non obſcuri generis aſpectum, repente ſeſe avertit, atque de venia precatus reſpondiſſe fertur: *Precabor Deum, & quidem multum, ne numquam meminerim tui?* Penè mortua inſuper, redux Alexandriam mulier, ſolatii inſuper & inſtructionis cauſa Theophylum Archiepiſcopum dicentem audivit: *Numquid neſcis te eſſe mulierem? Et quia per fęminam ſolet inimicus hominem impugnare; ideò vultum tuum de corde ſuo delere dixit: nam pro anima tua Dominum deprecatur.*

Surius in ejus vita, 13. Februarii.

Metaphraſtes apud Mag. Paciuchelli lect. 64. in Jonam n. 17. & ſeq.

27 Plura hujus generis exempla, quia in hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis obvia libenter prætermitto. At duo in admirationem pro materia præſenti non poſſum non ſubnectere cum Magiſtro Paciuchelli. Ejus accipe verba latinè reddita. Tam exoſi ſunt mulierum ſocietatem ſanctiores, ut nec mortui quidem inter eas morari ſuſtinuerint. Abbas Thomas magnæ ſanctitatis vir Theopolim conceſſerat, ibique aliquantulùm moratus, in morbum incidit & mortuus eſt, eumque Clerici veluti extraneum in peregrinorum ſepulchreto terræ mandarunt. Die ſequenti in eodem loco mortuam mulierem etiam ſepelierunt, idque ſummo manè ante tertiam. Eodem die circa ſextam cadaver ejuſdem mulieris extra monumentum invenientes admirati, veſperè quidem iterum eidem loco & tumulo illud intulerunt. Sed manè inanem & cenotaphium invenerunt. Paucis deinde ab hoc facto diebus aliud cujuſdam mulieris exanime corpus detulerunt in eandem foſſam, ſed & illud poſt paucarum ſpatium horarum exhumatum fuit repertum; tunc agnoverunt quod non permittit ſenex mulierem ſuper ſe humari. Unde cum pompa ſolemni corpus illud aliò detulerunt, & in cæmeterio Martyrum, terræ reddiderunt.

28 Memorat in vita Sancti Iſidori Lucas Tudenſis, regium Hiſpalenſe palatium contiguum eſſe Templo Sancto Iſidoro dicato; ex quo Sanctia Regis filia, quæ Deo perpetuò virginitatis voto conſecrata, & devotiſſima viro ſancto erat, per feneſtram illius proſpiciendo ſepulchrum juges fundebat preces. Dierum aliqua cum precibus intenta oraret, ei Sanctus Iſidorus luminoſo circumdatus ſplendore apparens, injungit ut ocyùs cu-

curiam deſereret ; ac in alio loco à Templo ſuo remotiori degeret, dicens : nolle ſe illam oſsibus ſuis vicinam. Audite verba ipſa tanto digna Doctore & Sancto. *Quamvis ipſa virginitatis voto te Deo ſacraveris, & ego Deo devotas ſemper dilexerim fęminas, tamen nunquam acceptam habui mecum diutinam reſidentiam corporalem.* Quid ad illa mihi chriſtiane ? Quid inquam dicis ? Quid ſentis? Anima Iſidori jam Cęlo recepta erat, ſacra ejus oſſa in Altari aſſervabātur, & tamen conſortium ac mulieris vicinitatem abhorrebat. Ex his & millenis aliis deducamus, quam cautos nos eſſe & circumſpectos oporteat ; quam longè à peccandi nos ſubducere deceat occaſionibus. Sed in hoc aſſumpto exemplum præbeat Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, & quem virginitatis prærogativa majori præ cęteris privilegio decoravit. Sic namque Magnæ Gertrudi in ſpiritu, ejus gloriam in Cęlis admiranti alloquutus fuit inter alia: Ego equidem, cum offendicula, unde caſtitas maculari poſſet diligentiſsime fugerim, quam maximo ſtudio mulieres etiam bonas alloquendas vitavi ; etſi aliàs ad Eccleſiæ miniſteria cum aliis Apoſtolis communicare contigiſſet. Quinimo, ſi (neceſsitate cogente) per breve tempus mulierem aliquam communicandam habui : nunquam acceſsi, niſi oratione pręventus & cautelâ, ne fortè verbo aliquo, opere, aut cogitatione corruerem.

Lib. 4. revelationum cap. 4. apud Alfonſum Andrade in vita S. Gertrudis cap. 11.

29 Nec eſt quod mireris lector, ita Diſcipulos & feciſſe & docuiſſe : ſi à Magiſtro exempla ſimul & documenta acceperunt ? Vide apud Evangeliſtam Marcum Chriſtum Dominum poſt multitudinem in deſerto mirabiliter ſatiatam, ſtatim Diſcipulos ſuos coëgentem aſcendere navim, ut præcederent eum transfretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum. Cavebat enim illis à conſortio nocturno tot mulierum, prout acutè ad litteram (de more) notat Cajetanus. Quod utinam obſervaſſent Moliniſtæ ? Et quod magis mirari ſubit, divinus ille Magiſter peccare impotens, à deceptione infinitè remotus, nullis periculorum illecebris ſubjici potens ; ut quos in animarum ſalute procuranda ſui Diſcipulos relinquebat, inſtrueret ; pauca ad mulieres verba habuit, & dum ad ſe pœnitentiâ trahendas incumberet, ut in converſione Magdalenæ videre eſt apud Lucam, hæc dumtaxàt Chriſti referuntur verba : *Remittuntur tibi peccata :: fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Similiter in abſolutione mulieris in adulterio deprehenſæ, ita dumtaxàt loquutum fuiſſe Chriſtum refertur : *Mulier ubi ſunt qui te accuſabant ? Nemo te condemnavit ? :: Nec ego te condemnabo : vade, & jam amplius noli peccare.* Ad mulierem Chananæam, brevem Chriſtus Dominus habuit ſermonem. Et ut alia omittamus ad mulierem viduam cujus unicum filium redivivum fecit, *dixit* : *Noli flere :: & dedit illum matri ſuæ.* Sed an tunc loquutus fuerit mulieri Chriſtus Dominus, Evangeliſta non refert. Etſi aliquando (niſi dicamus ſemel) longiorem texuit cum muliere (Samaritana nimirùm) ſermonem ; venientes Diſcipuli : *Mirabantur quod cum muliere loquebatur* : *nulla in textu* (inquit Cajetanus) *hujus admirationis ratio redditur, niſi loquutio illa Jeſus cum muliere, & dixit hoc Evangeliſta, ad ſignificandum inſolitam fuiſſe loquutionem Jeſu cum muliere* : *miramur enim inſolita.*

Marci 6. v. 45.

Cajetanus ibid.

Docuit Chriſtus D. familiaritatem illā fugiendam.

Lucæ 7. v. 48. & 50.

Joann. 8. v. 3. Matth. 15. v. 22.

Luc. 7. v. 13. & 15.

Joann. 4. v. 27.

Cajetanus ibid.

ARTICULUS III.

Sacra Scriptura proponitur tanquam cæleſte armamentarium, contra veritatis & pudicitiæ hoſtes.

30 JAM ergo poſtquam Moliniſtarum fędiſsimi errati & originem & fędiſsimos memoravimus fructus : unde antiquæ illi recrudeſcenti peſti medicamina paremus (ne iterum ſerpat) paucis dicere congruit. Monſtruoſæ illius beſtiæ exurgentia vidimus errorum capita : quibus autem armis ad ea conterenda uti conveniat, indicare in promptu, diſſertationis aſſumptum cogit. Sed nihil eſt quod in electione dubitemus : cum jam Deus ſuos miniſtros contra veritatis hoſtes ſcuto præmunierit ſalutari. Verbum inquam ſuum veluti cęleſtem pharmacopeam ad Eccleſiam tranſmittens ; unde diverſa pro vulnerum, morborumque diverſitate efficaciſsima præparantur remedia. Verbum ſuum (regio teſtante Propheta) ad infirmos homines miſit, ut eos ſanitate donaret atque de interitionibus liberaret. Nec mirùm ſanare omnia verbum divinum, ſapiens ipſe diſſertè concludat ; fideleſque incolumes conſervare. Hęccine eſt Scriptura Sacra, *in qua* (inquit Ambroſius) *invenit unuſquiſque, quo aut vulnera ſua curet, aut merita confirmet. Fercula exhibet delicioſa ad ſaporem, ſolida ad nutrimentum, efficacia ad medicinam.* Doctor ajebat meliſluus.

Pſalm. 106. v. 20.

D. Ambroſius Pſal. 18.

D. Bernard. in Cant. ſerm. 67.

31 Eſt etiam, veluti ſalutis galea, & acutiſsimus gladius, ſcutum fidei, arma divina, quibus tela omnia nequiſsimi errorum omnium præformatricis extinguere poſſumus: *In omnibus* (inquit Apoſtolus) *ſumentes ſcutum fidei in quo poſitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere : & galeam ſalutis aſſumite ; & gladium ſpiritus* (*quod eſt verbum Dei.*) Gladius præterea eſt de ore Dei procedens utraque parte acutus : quia ſpiritum ſeparat à carne, quia ſua acie opera ſcindit carnalia & internas concupiſcentias (exponit Doctor ille, qui libidinoſæ concupiſcentiæ motus angelico præcinctus cingulo neſcivit) Gladius (inquiens) ejus doctrina ſeparans ſpiritum à carne. ,, Acutus ex utraque parte, quia ſua ,, acie ſcindente ſcindit opera carnalia, & ,, internas concupiſcentias, & ita ſcindit in- ,, tus

Ad Epheſ. 5. v. 16. & 17.

Apocalypſ. 1. v. 16.

D. Thom. ibid.

,, tus & extra. Sed cur verbum Dei gladium dumtaxàt dicamus pro utraque parte acutum? Vivus: *Vivus eſt enim ſermo Dei*, (Gentium Doctor pronuntiat) *& efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti : & pertingens uſque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Comprehendant, comprehendant uſquequaque eorum tenebræ mentis faciem, confundant hæreſum nubilo pretioſum cum vili, bonum cum malo, verum cum falſo, carnem cum ſpiritu, Demonum luces fatuas cum cęleſtibus ac divinis illuminationibus, aurichalcum amoris proprii cum divina charitate : vitiorum impetus cum virtutum fructibus, orationem cum illuſione, noxiam quietem cum tranquilla contemplatione, pernicioſum otium cum dulci activo ſilentio. Sed unus divinus ſermo, Scriptura Sacra, verbum Dei prætioſum nos docet ſeparare à vili, malum à bono, verum à falſo, & ut alia taceam ; omnes iſtas diviſiones & differentias operatur & diſcernit verbum Dei : dicam cum Pauli interprete fideliſsimo.

Ad Hebr. 4. v. 12.

Scripturā Sac. gladius eſt utraque parte acutus ad jugulanda putida & doloſa hęreſum monſtra.

D. Thom. ibidē lect. 2.

32 Scripturam Sacram tanquam armamentarium munitiſsimum in Eccleſia collocavit Deus, ut ex ea arma educantur ad nequiſsimorum hoſtium impetus comprimendos & elidendas inſidias. Agmen ſuo duxit exemplo Chriſtianæ militiæ ſupremus Princeps dum tribus è ſacra pagina teſtimoniis, veluti jaculis mendacii & errorum principem compreſsit, devicit & debilitavit. Hæc ſunt arma, hæc præſidiā, hæc fulſimenta, quibus Eccleſię collum, Sancti nimirùm Doctores atque Evangelici miniſtri, adinſtar fortiſsimæ Davidicæ turris eminent in terris : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea : omnis armatura fortium.* ,, Et benè ,, turri David comparantur Doctores (verba ,, ſunt Scholarum Angeli) quia ſemper quaſi ,, in bello ſunt pro defenſione Eccleſiæ pugnantes. Propugnacula, quibus Doctores ,, ſacri ad pugnandum pro chriſtiana veritate contra veritatis hoſtes, tenebrarum ,, principes & errorum architectos præmuniantur : divinarum ſunt Scripturarum, Sacramenta, ſententiā, teſtimonia de quibus ,, veluti jacula procedunt, quibus adverſariæ poteſtates repelluntur. Hinc clypei veritatis pendent : Hinc fortium omnis armatura derivatur ut Eccleſiæ (quam cuſtodiendam accipiunt) documento non ſolum ,, & exemplo ſint, ſed etiam patrocinio. Subjungit ferè ad litteram Sanctus Doctor.

Matth. 4. v. 4. 7. & 10.

Cantic. 4.

D. Thom. in expoſitione ſecunda ibidem.

Omnigena pręparat arma cōtra pudicitiæ & veritatis hoſtes.

33 O lector qualiſcumque ſis ! Scrutari non te pigeat Scripturam Sacram. Ex ea enim, quaſi ex cæleſti torrente, adinſtar David fortiſsimi juvenis, limpidiſsimos lapides tibi deſumere poteris ad confringendum tumeſcentis in Goliath hæreſum monſtrum. Ex Scriptura ſimiliter clavum veritatis tollere, malleumque argumentorum aſſumere convenit ad hæreticos in Siſara percutiendos, adinſtar benedictæ Jahelis, cujus memorabile facinus ad perpetuam memoriam litteris conſignatum legimus: *Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum : & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram : qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.* Et ut alia ſymbolica omittam, Scripturam Sacram, & ſi ab hæreticis in caſum expugnatam, veluti turrim excelſam mihi video in medio Eccleſiæ collocatam. Unde Doctores ſacri fragmine molæ infernalis Abimelechi caput illidunt. Ita ad ſpiritum indicant verba, quę ad litteram Judicum 9. referuntur : *Erat autem turris excelſa in media Civitate, ad quam confugerant ſimul viri, ac mulieres & omnes principes Civitatis, clauſa firmiſsimè janua, & ſuper turris tectum ſtantes per propugnacula. Accedenſque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortitèr, & appropinquans oſtio, ignem ſupponere nitebatur ; & ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech & confregit cerebrum ejus.*

Judicum 4. v. 21.

Judicum 9. v. 51. &c.

34 Hæc in cauſa abs dubiis fuere cur Paulus in Timotheo ejus à juventute in ſacris litteris didiſcendi ardorem commendaret : *Et quia ab infantia ſacras litteras noſti.* Contra ſenes, qui uſque ad ſenectutem differunt venire ad Theologiam (ſubjungit Hugo Cardinalis) monens inſuper in his evolvendis litteris permanere, quibus ad decertandum pro fide inſtructum, præmunitumque evaſurum non dubitavit Apoſtolus: *Quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Hæc non ſolum Timotheum inſtruendum ſibi propoſuerat Apoſtolus, ut perfectus eſſet homo Dei ad omne apoſtolicum opus idoneus, ſed etiam & Titum dilectum filium erudiendum curavit (atque in ipſis Eccleſiæ Sanctę nedum Doctores, ſed Paſtores omnes ad miniſterium Eccleſiaſticum præmunivit) primum in vita, poſtmodum in doctrina : *Oportet ergo Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum ; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* His verbis inſtruit Apoſtolus in vita, Miniſtros Eccleſiæ in doctrina autem ut inſtrueret, & diligentiam in ſtudio & ſtudii proponit materiam ; ut angelica dexteritate Pauli magiſtri Thomas diſcipulus pro more elucidavit. ,, Diligentiam pulchrè deſcripſit, dum: *Amplectentem* ,, dicit : aliquid enim amplectens illud diligenter conſtringit, & amplexus ex dilectione fit : oportet ergo eum ſcientię inhærere ,, cum amplexu, ideſt, firma adhæſione animi & cordis dilectione : *Pręoccupat eos qui* ,, *ſe concupiſcunt. Arripe illam & exaltabit* ,, *te & glorificaberis ab ea, cum eam fueris* ,, *amplexatus.* Sed quænam ſtudii materia? ,, *Eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem* ; id eſt verum : id eſt ſermonem fidei, in quo oportet Epiſcopum inſtrui, & non ſolum ut addiſcat & operetur,

2. ad Timoth. 3. v. 15.

Hugo Card. ibidem.

In vita & doctrina inſtruit Miniſtros Eccleſiæ.

Ad Titum 1. v. 7. & 8.

D. Thom. ibidē lect. 3. ad litteram ferè.

Sapient. 9.

Prover. 4. v. 8.

tur, ſed & ut alios inſtruat, & contradicentes arguat, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* Exhortari inquam, vel in promptu exhortationes habere, quando congruat *in doctrina* abſque corruptione falſitatis; *ſana*, ut cum Apoſtolo dicant Doctores exhortatio noſtra non fuit de errore neque de immunditia; *arguere*, inquam, id eſt, convincere, & hoc per ſtudium Sacræ Scripturę. Hæc eſt enim Scriptura divinitùs inſpirata, utilis ad docendum, ad argumentandum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.

35 Sacram Scripturam armamentarium dicamus munitiſsimum Doctoribus Eccleſiæ in pręſidio ſemper & ubique poſitum. Inde ſcuta, gladii, clypei; inde arma, tela, ſagittę; inde lapides, clavi, lanceæ ad conterendos chriſtianę veritatis hoſtes, ad debellandos, confringendos, diſsipandos hæreſum architectos, ad proſtrandos, devincendos hęreticos, quos in Eccleſia futuros gemebundus prævidit, hiſque nigris depingit coloribus Gentium Apoſtolus: *Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immittes, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* In his Apoſtoli verbis tumeſcens hæreticorum frequens ſuperbia deſcribitur; indeque ſcaturientes perverſi mores, quos in anterioribus patentes dedimus, præſertim impudicitia veluti caracter & notio, quibus in abominatione hominum hæreticorum vertitur memoria; adeò ut Hieronymo dicere licuerit: *Vix invenies aliquem hęreticum caſtum.* Sed proh dolor! Si verba Pauli percurrimus ſtatim in ipſos (ad oculum ferè) deveniemus Moliniſtas, quos præcipuè adverſarios in noſtris his lucubrationibus debellandos aſſumimus. Si enim eorum in mentem deſcriptos jam mores revocamus, non ne ab Apoſt. ſatis ſingulariter illis verbis notantur: *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Quid enim nebulones illi magis verbo, vultu, externa oculorum modeſtia oſtendebant, quam pietatem atque pietatis virtutem, charitatem nempè, unde & pietas ipſa, & tota dependet ſpiritualis vitæ perfectio? At nulli leguntur à vera pietate remotiores hæretici, quam Moliniſtæ impietatis cultores, ventri dediti, crucis Chriſti inimici, voluptatum amatores, turpis lucri cupidi, ſemper mendaces, qui charitatem deinde cum (ſpecioſis & ad devotionem vocabulis ad inventis) prætextant, deſtrunt, & deſtruere in ſuis ſequacibus moliuntur, operibus mortuis ad apparientiam vivis. Operarii verè ſubdoli habentes pietatis ſpeciem, virtutem autem negantes pietatis: „Quæ dicitur hic dupliciter (loquitur veræ pietatis cultor D. Thomas) uno modo, ipſa vis pietatis, ideſt, ejus virtus, unde dicit abnegantes, ideſt, veritatem non habentes. Ad Titum 1. *Confitentur ſe noſce Deum, factis autem negant.* Alio modo, quia virtus rei dicitur illud, ex quo pendet tota res. Tota autem virtus pietatis dependet ex charitate, ideò dicitur virtutem ejus, ſcilicet charitatem abnegantes.

2. ad Timoth. 3. à v. 2.

Moliniſtæ ab Apoſtolo jam deſignati videntur.

D. Thom. ibid. lect. 1.

36 Operarii inquam, verè ſubdoli quos vitandos Apoſtolus monet (*& hos devita*) in quibus nempè præjacta ſigna apparent, non quidem apparuerunt ſolum; ſed etiam apparent in his noviſsimis temporibus; *Hos devita*, qui non ſolum fuerunt, ſed ſunt: *Quia jam ſunt aliqui tales*, inquit D. Thomas. Quod de Moliniſtis jure & nos dicamus: *Hos devita*:: *qui penetrant domos*; contra eos arma ad redarguendos aſſume, qui univerſas *domos* ſubvertunt, *penetrant* inquam, ideſt, ſubintrant & diſcurrunt per domos ad decipiendum, & quaſi de aula in cameram ut ſecretiùs loquantur, omniaque ſecreta ſciant, quærunt latebras ut in verecundiam diſcurrendi per domos prodant, aſtutiamque occultè & latentèr ſeducendi, ut benè Hugo Cardinalis exponit. Sive ut docet caſtiſsimus Thomas: „Cum doctrina catholica publicè proponatur in Eccleſia, hæretici ſuam latentèr docent & ideò quærunt latibula, Proverb. 9. *Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior.* Hujuſmodi enim nebulones adinſtar Diaboli antiquæ ſerpentis cauda blandientes mortifero ſeductionis veneno traducunt, non quidem viros conſtanti virtute munitos, cęleſti ſapientia præditos, humilitate ſtabiles, ſacro charitatis igne eruditos, in periculis cautos, doctrinâ ſobrios. Non quidem mulieres, quæ tanquam *magnę Dominæ* (inquit D. Thomas) *habent aliquos conſiliarios, unde non poſſunt ſeduci. Mulieres* inquam otii impatientes, de ſe ipſis humilitèr ſentientes, aſperitatem amantes, ſanam doctrinam in ſilentio ebibentes, domi curam habentes, ſacræ lectioni meditationibuſque deditę, hominum colloquia fugientes, ſolitudinem anhelantes, caſtitatem redolentes, chriſtianâ verecundiâ rubeſcentes.

V. 5.

D. Thom. ibid. lect. 2.

Hugo ibidem.

D. Thom. lect. 3. in cap. 1. Epiſt. ad Titum.

Lect. 2. ubi ſup.

37 Seducunt enim & captivas ducunt *mulierculas*, à verâ Chriſti libertate, & ſtatu gratiæ in ſtatum ſervitutis abducentes. *Mulierculas* (inquit Paulus) *oneratas peccatis*, quibus veluti gravi onere in erectum ſtare, ſurſumque aſpicere vix permittitur; ſed in miſeriæ barathrum corruunt; & ideò iſtas ſpecialitèr decipiunt, quia peccatum parat viam ſeductioni. *Mulierculas quæ ducuntur variis deſideriis*; unde animo inconſtantes in omnibus viis ſuis aptæ ſunt, ut ſeducantur. *Mulierculas* inquam honoris & laſciviæ deſideriis repletas, occulta ſuperbia tumeſcentes, ſibimetipſis placentes, in magnis & mirabilibus ſuper ſe ambulantes, obedientię jugum refugientes, à ſolitudine, labore, aſperitate, ſilentio aborrentes. *Mulierculas*, inquam *ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes* (ideſt) ſemper curioſè inquirentes & curioſa diſcentes; quid

D. Thom. ibid.

ergo

ergo mirùm ſi ad ſcientiam veritatis numquam perveniant? Ad ſcientiam illam, qua verâ in Cęlum viâ dirigitur, ſemitaque chriſtianæ perfectionis oſtenditur? Quid mirùm, ſi (adinſtar impiorum) in circuitu ambulantes per pſeudo-viam internam à Moliniſtis commentatam ad interitum ducantur? Maneat ergo abſque dubitatione ullâ tenendum Scripturam Sacram armamentarium eſſe è cęlìs in terram tranſmiſſum, unde arma Eccleſiæ Doctoribus deſumere oporteat ad hæreticos confringendum omnes. At præcipuè urgentiori momento Moliniſtæ bonum cum malo, pietatem cum impietate, carnales motus cum affectionibus divini ſpiritus ſimulatâ diabolicâ aſtutiâ confundentes, confutandi veniunt verbi Dei, ſermonis divini, Scripturę ſacræ vivido & ancipiti gladio debitam differentiam operanti, ut ex Apoſtolo jam nos docuit Doctor Angelicus.

Ad Hebr. 4. v. 12.

D. Thom. lect. 3.

38 Sed quid opus habuimus Scripturam Sacram pro diſsipandis hæreſibus multum commendare? Non ne & hæritici ipſi plenis buccis Scripturam prædicant, Scripturam objiciunt, ad Scripturam provocant? Fateor ita eſſe in quam plurimis hæreſum monſtris, Lutheranis præſertim & Calviniſtis, ejuſdemque furfuris ſequacibus Novatoribus, qui ſeipſos evangelicos audiri jactant. *Alia doctrina in Eccleſia tradi aut audiri non debet, quam purum verbum Dei; hoc eſt Scriptura*, effutiit Lutherus. Sed quid inde? Scripturam verbo commendant, ſed eorum obcęcante malitia, ipſis in laqueum & in ſcandalum fit; adeò ut Prophetam regium pronuntiare mihi videar: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Ut inde pro hęreticis iteratò pronuntiare poſsimus, quemadmodum de Iſraëlitis quam plurimis in deſerto pravè obloquentibus ſcriptum eſt: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei deſcendit ſuper eos.* Arcus eſt (fateor) Scriptura ſacra unde ſagittæ Domini contra impios Aſſyrios jaciuntur, ſed apud hæreticos ea abutentes, malèque exponentes arcus eſt, ſed in propriam eorum perniciem deſerviens, ut jam pridem Hugo Carenſis notavit. *Jaciunt ſiquidem, emittuntque ex ſcriptura detortas argutiarum ſagittas, quibus ſeipſos occidunt in livorem phreneticum devenientes, adinſtar ante-diluviani Lamechi cujus verba illa in ſui perniciem aptari poſſunt: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum.*

Scripturâ Sacram in ſui perniciem detorquent hęretici.

Pſalm. 68. v. 23. & 24.

Pſal. 77. v. 30.

4. Reg. 13. à v. 17.

Gen. 4. v. 23.

ARTICULUS IV.

Scholaſticæ Theologiæ contemptus præcipites dedit hæreticos præſertim in Myſtica.

39 MENSAM Sacræ Scripturæ, ejuſque ſalubria fercula in errorum venena, unde habeant hæretici convertere paucis dicam. Eos ſiquidem præcipites dedit Theologiæ Scholaſticæ ignorantia, neglectus & abjectio; imò & contra ſacram illam doctrinam diabolicum, quo ſcatent hæretici odiũ in Lutheranis & Calviniſtis ingenti blaſphemia (ut vidimus) pateſcens. Eorum tamen genium à Moliniſtis imitatum, propoſitiones 59. & 64. patefaciunt. Inde ſcaturiunt in Theologos Scholaſticos novatorum convicia, maledicta & oblatrationes. * Hac de cauſa Scholaſticos Theologos, veluti publicam perniciem exhibilant; quoniam in fabulâ eſt Demoſthenis, non poſſunt pecuarii canes (quod gregis ſint propugnatores) non eſſe lupis inviſi: ajebat ad Tridentinæ Synodi Patres magnum illud Theologię Scholaſticæ ornamentum, Hiſpaniæ noſtræ decus Dominicus Soto Ordinis Prædicatorum cum gloria nominandus filius. * Et quidem ſi in Lutheranis & Calviniſtis antiquæ omnes recruduerunt hæreſes, non aliundè id ortum crediderim, niſi ex Theologię Scholaſticæ ignorantia. * Illi enim in excolendis linguis inſudarunt quam maximè, qui (in ſua nuncupatoria præfatione laudatus proſequitur Theologus) Auguſtino & id Patribus legendis plus temporis inſumpſerunt? Qui pluriès ſacram paginam involverunt? Quid ergo reſtet illis cauſę tam plurium errorum, quam quod Theologiam Scholaſticam neglexerint? Ex cujus ignorantia omnes dimanaſſe facilè erit, rem perpendenti conjicere. Profectò ſimul apud eoſdem cępere, & linguarum cultura & ſcholaſticæ rationis contemptus & hæreſum turba. *

Mag. Soto lib. de Natura & Gratia, in Pręfatione nuncupatoria ad PP. Tridentinæ Synodi.

40 Sed quid opus eſt inſignis hujus Theologi (inter Tridentinos Patres quam maximè irradiantis) auctoritate præjactam firmare veritatem, in ſupremo illo Patrum congreſſu benè auditam? Non ne, ſi ſcrutari non piget ſacros libros, evolvere divinam Scripturam, ipſa ejus ad majeſtatem profunditas, ad exercitium difficultas Scholaſticæ Theologiæ (ne homo erret) neceſsitatem dilucidè oſtendit, evincit? Quid in ſacris libris utiliùs, ubinam cæleſtis doctrina magis effulget & eminet (remota tamen quacumque comparatione ſemper odioſa) quam in ſacris illis Epiſtolis, quas Petri chariſsimus frater Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit? Vel (ita dicere liceat) è cęlo, ubi

2. Petri 3. à v. 15.

Theo-

D.Thom. ibidē. Vel Auctor illius Commentarii.

Theologiæ lauream adeptus ad terram tranſmiſit. In his epiſtolis nihilominus *ſunt quędam difficilia intellectu*, ut Apoſtolorum Princeps loquitur: *Difficilia* inquam ad intelligendum, ut ita eorum myſteria perverſis hæreticis celarentur, quemadmodum à Petro edoctus Thomas exponit, ne ſcilicet margaritæ ante porcos abjicerentur contra Chriſti Domini expreſſam admonitionem.

Indocti Sacrā Scripturā depravant ad ſui perditionem.

41 Sed quid inde? Jeſu Chriſti Vicarium ſubjungentem audiamus. *Quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Singula cum Apoſtolorum diſcipulo verba percurramus, ut inde pateat, iterumque percunctantèr perſonet dignè commendata ad Patres Tridentini ſententia: *Ex Theologiæ Scholaſticæ ignorantia hæreſes omnes ortum duxiſſe.* ,, *Quę indocti* (ſupple hęretici indocti) quo ad ſcientiam divinam, *inſtabiles*, quoad fidei perſeverantiam: quia divina non ſtatuunt ſeu ſapiunt nec curare volunt, ideò autem ſunt indocti :: *Depravant*, malè interpretando & minuendo, pervertendo, & mutando. *Sicut cæteras ſcripturas.* Nullus veteris teſtamenti vel novi liber eſt, in quo hæretici aliqui non pervertant, vel diminuendo, vel addendo, vel mutando. *Ad ſuam ipſorum perditionem*, ideſt damnationem, hujuſmodi enim depravatio ſcripturarum cauſa eſt in præſenti & in futuro. Damnationis in pręſenti, quia nunc præſcinduntur ab Eccleſia militante: & damnationis in futuro, quia ab Eccleſia triumphante. Si ergo depravationis Scripturę ſacræ, ignorantiam in ſacra ſcientiam cauſam eſſe tot momentis eruditi cognoſcimus; nullo negotio breve hujuſmodi argumentum ſcholaſtica forma ſubjicere poſſumus: hæreſes omnes ex depravatione Sacræ Bibliæ pullularunt, pullulant, pullulabunt: at Scholaſticæ Theologiæ ignorantia obſtetricante, parturiuntur errores: erit ergo ſacrę ſcientię ignorantia, neglectus & abjectio monſtruoſæ cujuſcumque doctrinæ infernalis noverca.

2.Petri 1. v. 20.& 21.

D.Thom. ibidē.

42 Sed quid prohibet id ipſum amplius firmare ex Apoſtolorum Principis ſacro eloquio. Inquit enim: *Quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.* ,, Ut edoceamur (verba ſunt Angelici Doctoris) non ad noſtrum ſenſum ſcripturam exponere ſeu texere, ſed noſtrum intellectum ſententiis Prophetarum, & aliorum Sanctorum expoſitionibus ſubjicere. *Non enim voluntate humana, allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpiranti loquuti ſunt ſancti Dei homines.* ,, Quaſi ita philoſophetur Apoſtolus Petrus, juxta intelligentiam ejus, qui profundè penetravit: Non eſt interpretanda ſcriptura proprii cordis ficta expoſitione, propria prophetantis voluntate, ſed Spiritu Sancto in eo loquente: ſicut enim Prophetę, non ſua, ſed Dei verba ſcribebant, ita lector non ſuâ interpretatione vel propriâ expoſitione uti debet, ne à fide exorbitet. Quęnam autem inter omnes ſcientias ſola docet ſacra verba non ad privatum judicium, non ad beneplacitum exponere, interpretare, ſed ad ſcripturam pro intelligenda ſcriptura recurrere, ad Sanctos Patres verbi ſcripti & traditi cuſtodes appellare? Non ne Theologia Scholaſtica? Quid ergo mirùm eâ neglectâ, faſtidiatâ, odioque habitâ; ſacras illas exponendi ſcripturam regulas parvipendant hæretici, noviſque in dies involvantur erroribus? Recolantur quæ diximus in Lutheranis & Calviniſtis Patres omnes parvipendentibus, dum proprio judicio, imò & muliercularum dictamini infimæque plebis hominum, ſcripturæ genuinam intelligentiam arrogantibus.

Prælucēte Sacra Scholaſtica Theologia dignè aſſumitur verbū Dei contra veritatis adverſarios.

43 Sed quid plura? Scripturæ morem Patres imitavere, præſertim antiquiores Apoſtolorumque temporibus non longè coevi: quædam difficilia protulerunt, ſoliti altiſsima præſertim noſtræ fidei myſteria, non ita palam oculis gentilium exponere, ne eorum prophanationi ſubjicerent. Quinimò, nec etiam ipſis Neophytis (ideſt noviter ad fidem converſis) ſtatim religionis arcana credebant, quorum inde nondum erant capaces. Unde appoſitè, eruditus demonſtrat Scheltratius (in ſingulari diſſertatione de diſciplina arcani) aliquot ſæculis diſciplinam arcani, ſeu occultationem quorumdam myſteriorum Catholicæ religionis viguiſſe; & ex ea diſciplina exponi poſſe quam plures Patrum ſententias, quas Proteſtantes contra Catholicos adducunt. Eandem conſuetudinem Albertinus fuſiùs probandam ſuſcepit. De quo plura videri poſſunt in laudata diſſertatione, & in nota 4. ad num. 24. Baronii, anno Chriſti 120. editionis noviſsimæ anni 1738. Inſuper eo uſi fuerunt ſtylo Sancti Patres, ut majeſtatem Sacræ Scripturæ in ſuis emularentur ſcriptis; eâ præſertim temporis ratione, dum hæreſibus non cogentibus neceſſe non habebant clariùs loqui: ut memoriæ traditum dedimus à Divo Thoma in Prologo opuſculi contra errores Græcorum. Inde emanatas credimus duriores nonnullas priſcorum Patrum loquutiones, quarum plures recenſuimus, dùm in myſterio Trinitatis elucidando ejuſque firmanda traditione operam in manuſcriptis dedimus.

Albertin. lib.2. de reticent. Myſterior.

44 Sed quid ſint hæc pro noſtro aſſumpto? Oſtendit ipſe Sanctorum Patrum humillimus venerator: ,, Unde (inquit) ſi aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tantâ cautelâ non dicantur, quantâ à modernis ſervatur, non ſunt contemnenda aut abjicienda: ſed nec etiam ea extendere oportet, ſed exponere reverenter. Id præſtat humilis Doctor toto illo opuſculo admirantibus cunctis, quia ſacra Scholaſtica Theologia ad miraculum inſtructus, ad pondus Sanctuarii antiquorum loquutiones expendens, Patreſque ipſos cum Patribus conferens rejicit, ſi quæ rejicienda; probat abſolutè, quę probanda; exponit, quæ difficilia; elucidat, quę obſcura. E contrariò autem hęretici Scholaſticæ Theologiæ infenſi, ſicut Scripturam ſacram detorquent ad ſua pra-

D.Thom.in Prologo opuſculi contra errores Græcorum.

va dogmata; ita & Patrum venerandas ſententias, vel hęreſeos nota innurunt vel ad ſuas aberrationes trahunt. Ex illis unde antidotum veritatis pendet, errorum venena ſibi & aliis deglutienda paraverunt: ut inde pateat ex ignorantia Scholaſticæ Theologię hæreſes ſcaturiiſſe. Hoc enim jam pridem Lactantius Firmianus ab antiquis temporibus obſervavit. Verba ipſius audiamus: *Quidam verò non ſatis cęleſtibus litteris eruditi, cum veritatis accuſatoribus reſpondere non poſſent objicientibus, vel impoſſibile vel incongruum eſſe, ut Deus in uterum ſe mulieris includeret, nec cęleſtem illam majeſtatem ad tantam infirmitatem potuiſſe deduci, ut hominibus contemptui, deriſui, contumeliæ & ludibrio eſſet, poſtremo etiam cruciamenta perferret, atque execrabili patibulo figeretur: quæ omnia, cum neque ingenio nec doctrina defendere, ac refutare poſſent (nec enim vim rationemque penitùs pervidebant) depravati ſunt ab itinere recto, & cæleſtes litteras corrumperunt, ut novam ſibi doctrinam ſine ulla radice ac ſtabilitate componerent.*

Lactantius lib. 4. cap. ultimo, apud Baronii anno Chriſti 146. n. 31.

Scholaſticæ Theologię ignorātia, in via myſtica fętidos & fallaces errores intruſit.

45 Si prædicta vèrum tènent in erroribus, quos ſpeculativos magiſque ad lineam intellectivam attinentes, appellare poſſumus. Noſtro inſtituto congruere, agnoſcet quilibet, ſi hæreſes (ut ita dicam) practicas ad lineamque affectivam propiùs accedentes ex eodem ignorantiæ fonte profluxiſſe, profluere perſpicuum faciam. In aliis doctrinis theologicis dogmata immiſcuit pernicioſa hęreticorum cæca malitia, ſed quam maximè in Myſtica Theologia fędanda incubuit. Id autem Scholaſticæ Theologiæ neglectui, in Moliniſtis jam pridem notato tribuendum eſſe, paulo ante propoſita argumenta ad pręſentem materiam exacta, apertum & perſpicuum reddent. Quam plurima in ſacris libris difficilia eſſe catholicorum ullus inficiatur. At nihil difficiliùs conſpicitur divinis illis loquutionibus, quæ Myſticæ Theologię viam parant, materiam ſubminiſtrant, principia pandunt. Hujus namque ſuaviſsimæ, ac ſuper mel & favum dulcis, & experimentalis ſapidæ ſcientię arcana occulta ſunt, audiuntur in corde, leguntur in corde, tanguntur in corde, deguſtari poſſunt; at facilè explicari non poſſunt. Atque ut paucis plura dicam, quiſnam inter ſacros libros Myſticæ Theologiæ delitias ſacras magis deſcribit? Non ne Canticum Canticorum? Appoſitè ita inſcriptum, quia cęteris Canticis, jam Salomonis, jam Moyſis, Iſaiæ, aliorumque excellentius eſt: comprehendit etenim ſub metaphora ſponſi & ſponſæ, admiranda myſteria, atque Dei erga animam ſibi addictam ineffabilem philantropiam. Non ne in ſacro illo caſti amoris epithalamio, profuſa dulcedine ſparſæ cernuntur expreſsiones melliflug, in quibus deguſtandis adinſtar apuum Sancti Patres dulciter quieſcere; quaſque Doctor Angelicus *in lucem abdita pandens*, collegit, variiſque nominibus expreſsit; vocat namque *contemplationem, extaſim, raptum, liquefactionem, transformationem, unionem, exultationem, jubilum, rapi in divinam caliginem, guſtare Deum, amplecti ſponſum, oſculari eum, introduci in divina cellaria, inebriari torrente voluptatis, currere in odorem unguentorum ſuorum, audire vocem ejus, intrare in cubiculum, in pace in idipſum dormire & requieſcere.*

D. Thom. apud Mag. Vallgornera in Theologia Myſtica q. 1. art. 1.

Elogium myſticum cur obſcurum.

46 Verumtamen prælaudati libri obſcuritatem, quùm metaphoricæ & ſymbolicæ loquutiones, quibus abundat, perlucidè oſtendunt; tùm etiam priſci Hebræi veneratione, qua Canticum Canticorum proſequuti fuere, ut ejus lectionem non niſi poſt trigeſimum ætatis annum ſuis permiſerint, propter arcanos in eo libro latentes ſenſus. Quinimo inter Chriſtianos plures non contemnendi nominis expoſitores eadem reverentia ducti exiſtimarunt, explanationem hujus libelli non eſſe in juventute attingendam, ſed in ſolatium chriſtianę ſenectutis ac ſanctæ migrationis viaticum reſervandam: exemplum ſequuti melliflui Bernardi, Gilberti Abbatis, Aquinatis Angeli, Joannis Gerſonii, qui in meditatione ac expoſitione hujus operis fęliciter mortalitatem depoſuerunt. Unde librum hujuſmodi Doctori Angelico ad finem vitæ exponendi meritò appropriatum fuit: *S. Thomas, ut cantando moreretur & moriendo cantaret, rogatu Monachorum Foſſęnovæ, Cantica Canticorum exponens, majori amoris vi, quam morbi ad Cęlum rapitur.* Sed ipſum audiamus ita loquentem: ,, Salomon inſpiratus Divino ſpiritu compoſuit hunc libellum de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ, & quodammodo epithalamium fecit Chriſti & Eccleſiæ, ideſt, canticum ſuper thalamos: unde & Cantica canticorum vocavit hunc libellum, quia omnia cantica ſuperexcellit; ſicut etiam dicitur Rex Regum & Dominus dominantium & Solemnitas ſolemnitatum; ſic dicuntur Cantica canticorum ob excellentiam & dignitatem. Eſt autem in hoc obſcuriſsimus iſte liber, quia nullæ ibi commemorantur perſonæ, cum tamen ſtylo quaſi comico ſit compoſitus.

D.Thom. in Prolog. 2. expoſitio, lib. cant.

47 Nec mirùm ſub obſcuris cælata ſinè loquutionum figuris divini amoris, ſapidæque cęleſtis ſapientiæ arcana myſteria, quia aliàs hæreticis non ſolum, ſed & fidelibus ipſis indoctis deſpectui ſubjicerentur. Scripturæ ſacræ morem, ſicut in doctrinis ſpeculativis, ęmulati fuere antiquiores Patres: ita & quidem maximè in myſticis arcanis methodum eundem obſervaſſe, eorum ſcripta luce clariùs oſtentant: atque ut in hoc dicendi genere brevis ſim, unum inter alios, imò & aliorum Patrum in Myſtica Theologia facilè principem, in medium proferre teſtem ſatis eſſe judicavi: Dionyſium nimirùm Areopagitam Pauli diſcipulum, cęterorumque aſſeticorum primum magiſtrum. Dionyſius enim ille in profundiſsimo arcano aſſeticæ doctrinæ, veluti novus Judas Patriarcha, novi Moyſis Pauli auctoritati innixus, primus viam ingreſſus, cæteros veri nominis Theologos, ſicco veſtigio, profundum Theologicæ My-

Myſticæ pelagum penetrare adinſtar antiquorum Iſraëlitarum docuit. Beatus Dionyſius (audiamus Dionyſii perlucidum explanatorem Doctorem ſcilicet Angelicum) „ in omnibus libris ſuis obſcuro utitur ſty„ lo, quodquidem non ex imperitia fecit, ſed „ ex induſtria, ut ſacra & divina dogmata „ ab irriſione infidelium occultaret. Hujus in Dionyſii libris obſcuram difficultatem ex triplici capite fidelis Dionyſii diſcipulus oſtendit. „ Quia plerumque utitur ſtylo „ & modo loquendi quo utebantur Platoni„ ci, qui apud modernos eſt inconſuetus. „ Platonici enim omnia compoſita vel ma„ terialia volentes reducere in principia ſim„ plicia & abſtracta poſſuerunt ſpecies rerum „ ſeparatas, dicentes; quod eſt homo extra „ materiam, & ſimiliter equus, & ſic de aliis „ ſpeciebus naturalium rerum: Secundo, quia „ plerumque rationibus efficacibus utitur ad „ propoſitum oſtendendum, & multoties pau„ cis verbis, vel etiam uno verbo eas impli„ cat. Tertio, quia multotiès utitur quadam „ multiplicatione verborum, quæ licet ſuper„ flua videantur, tamen diligenter conſide„ rantibus magnæ ſententiæ profunditatem „ continere inveniuntur. Cum hęc ita ſint, liceat nobis à minori ad majus ita theologico-dialecticè concludere: minor difficultas, obſcuritas minor in ſacris teſtimoniis, unde Theologia pro ſuis doctrinis ſpeculativis principia derivat, occaſio fuit non data, ſed pravè accepta in hæreſes prolabandi his, qui neglectâ ignoratâque Scholaſtica Theologia ſacros auſi ſunt evolvere libros: ſi ergo longè obſcuriores pro myſticis arcanis loquutiones Dei cernuntur, priſcorumque Patrum ſententiæ, abſdubio concluditur majori Scholaſticę Theologiæ ſubſidio in myſticis ſcrutandis propugnandiſque myſteriis opus eſſe. Quid ergo mirum ex hujus ſacræ ſcientię ignorantia, in ſpurciſsimorum errorum abyſſum Moliniſtas prolapſos eſſe dixerimus.

Prolog. in lib. de Divinis Nominibus.

D. Thom. initio Cōmentariorū in lib. B. Dionyſii de Divinis nominibus, ſive in Prolog. ubi ſupra.

48 Et quidem ſi verum non eſſet in antiquis & recentibus errorum fędiſsimis tenebris, non ita acriter profectò contra Theologos ſcholaſticos oblatrarent hæretici: non ita hæreticorum coryphęus, & tenebrarum princeps Diabolus illos toto conatu eliminare molitus fuiſſet, moliatur de facto adinſtar Philiſthinorum, in quibus Diaboli aſtutia innoteſcens creditur à Cardinali Hugone, in quo admirare eſt, qualiter in ſpiritualem ſenſum appoſitè elevat, quæ ad litteram in cap. 13. libri primi Regum narratur: *Porrò* (hęc ſunt verba ſacri ſcriptoris) *faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſrael. Caverant enim Philiſthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, ut exacueret unuſquiſque vomerem ſuum & ligonem & ſecurim & ſarculum.* Hujus litterę ſingula elevatiori ſenſu percurramus verba vel potiùs ſæpè laudandum, & numquam ſatis laudatum expoſitorem audiamus, paulò quamvis diffuſiùs in noſtro aſſumpto de Doctoribus Theologis, & pari ratione de verbi Dei præconibus utiliter loquentem: ✱ Faber ferrarius eſt Prędicator vel Doctor, qui operatur in igne vel malleo ſuper incudem, ideſt, in verbis Sacræ Scripturæ, quæ ſunt ignis & malleus (Hieremiæ 23.) verba Domini ſunt ignis, quia conſumunt rubiginem peccatorum, & calefaciunt ad amorem Dei, & illuminant ad cognoſcendos articulos fidei. Sunt etiam malleus, quia duritiam cordium frangunt & emolliunt ad compunctionem. Lapis igne calefactus citò frangitur malleo; ſic cor hominis, quando eſt calore verbi Dei calefactum, citò liqueſcit. Incus eſt cor peccatoris, ſuper quod debet prædicator operari & formare vas in honorem in domo Domini. (Eccleſiaſtici 38.)

Heretici in antiquis Philiſthæis adumbrati Scholaſticam Theologiam eliminare moliuntur.

1. Regum cap. 13. v. 19. & 20.

Hugo Card. ibidem, ad mores.

49 Faber ferrarius ſedet juxta incudem conſiderans opus ferri, vapor ignis urit carnes ejus & in calore ignis concrematur: vox mallei innovat aurem ejus, & contra ſimilitudinem vaſis oculum ejus; cor ſuum dabit in conſummationem operum, & vigilia ſua ornabit imperfectionem. Iſte faber ferrarius non invenitur in omni terra Iſraël, ideſt, in Eccleſia non invenitur Prædicator aut Doctor verbi Dei. Multi ſunt doctores & multi prędicatores, ſed pauci fabri ferrari, quia pauci ſunt, qui ob ſtudium & amorem verbi Dei ſuſtineant ardorem aut laborem, ut faber ferrarius facit. Caverant enim Philiſthiim, ne fortè facerent Hebręi gladium aut lanceam. Ideſt, maligni ſpiritus cavent, ne ſit prædicator in Eccleſia Dei; quia per prædicationem converterentur ad Deum, qui ob defectum verbi Dei remanent & moriuntur in peccatis (gladium aut lanceam) gladius, qui de prope percutit, dicitur Sacra Scriptura ubi peccata deſtruit, & lancea dicitur ubi futura docet cavere vel præterita plangere. Deſcendebat ergo omnis Iſraël ad Philiſthiim, ut exacueret unuſquiſque vomerem ſuum & ligonem & ſecurim & ſarculum, ideſt, ad Philiſthęos deſcendunt acuere vomeres, qui ad verba Philoſophorum prædicationem aut doctrinam Sacrę Scripturæ convertunt. Multi deſcendunt hodie, ſed tantum poteſt acui gladius, quod totus conſumitur, ſic etiam quidam tantum Philoſophiam ſequuntur, quod Theologia anihilatur. ✱

ARTICULUS V.

Theologiæ Scholaſticæ uſum extollens, abuſum rejiciens.

50 QUID ergo nobis reſtat lectores ſtudioſi, veritatem amantes, intemeratæ fidei propugnatores, Chriſti Jeſu boni milites, in opus miniſterii ad edificationem corporis Chriſti vocati. Quid reſtat niſi gratiarum canticum aſſumere, Deum lingua & corde benedicere, qui in domo ſua ſacram menſam pro ſalute & præſidio parans, dum *loquutus eſt per os ſanctorum à ſæculo Prophetarum ejus*, immeritos nos eligere dignatus eſt, *ad dandă ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſsionem peccatorum eorum*, ad cuſtodiendum ſacrum depoſitum, ad arcendos è grege dominico lupos. Eia ergo milites Chriſti abjicite opera tenebrarum, induimini arma lucis, apprehendite galeam ſalutis, & ut ſalutem ex inimicis noſtris, deque manu eorum qui oderunt nos deſumamus; eorum contra ſacram Theologiam Scholaſticam odium in noſtram convertamus inſtructionem, addictiores reddens ſacræ illi ſcientiæ, de qua ſub nomine Dialecticæ ſacræ jam Baſilius pronuntiavit: *Facultas enim hæc muri inſtar eſt dogmatibus, quod ea non ſinit facilè diripi, & quorumlibet incurſionibus patere.* Et Auguſtinus ſub nomine Theologiæ teſtatum relinquit: *Per hanc ſcientiam fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.*

Luca 1. v. 70.

V. 77.

D. Baſilius in cap. 1. Iſaiæ.

D. Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 1.

51 Ad voces Sanctorum Patrum, non obmuteſcere contra ſacram Scholaſticam Theologiam oblatratores hæreticos, mirùm non eſt, quippè qui Sanctos omnes Patres peſſum iri ſolemne habent. Sed dolendum maximè, quod jam ampliſsimo coram Tridentinorum Patrum Senatu indoluit Tridentinæ Synodi irradians ſtella: Soto inquam noſter. ✱ Atqui inſuper ſi ſuperis, placet, ac ſi eſſent ipſi qui jura deberent ponere orbi, ita ſunt inter Catholicos multi, quod eos audientes, quæſtionarios poſthabent, Philoſophiam abjiciunt, & ſolis volunt linguarum ferculis convivium inſtrui, utpotè, quarum cognitione & ſubſidio arbitrantur, abſque Theſeo per ſe poſſe in Sanctorum Patrum, tum etiam ſacræ paginæ adire volumina, cui profecto malo (id quod coram veſtra ſanctitate in publica Synodo declaravi) niſi obviam publicitus occurratis, & univerſitates melius ſibi, & bono publico conſultum properent; totum brevi Chriſtianū orbem, errores ebulliri dolebimus. ✱

Mag. Soto de Natura & Gratia, in Præfatione ad PP. Trident. Synodi.

Exulâte Scholaſtica Thelogia, ebullirent errores.

52 Et quidem nulli dubium eſt, quantum pernicici Eccleſiæ Catholicæ ſacroque ejus depoſito diverſis temporibus diverſi intulerunt petulantiſsimi Grammatici, in linguarum & vocum cultura toti intumeſcentes; elegantiam potius in verbis, quam in ſententiis veritatem attendentes, quorum cum plurimi in antiquis hiſtoriis numerentur, duos hic dumtaxàt ſubjungam: nempè Deſiderium Eraſmum, & Laurentium Vallam. Hujuſmodi enim novatores elegantiæ vocum, linguarum culturæ ultra ſobrietatem incumbentes, in varios prolapſi errores atque errorum ſemina, Luthero, Calvino aliiſque ſequacibus veluti præcurſores habentur; unde de Eraſmo vulgatum illud decantatur proverbium: *Eraſmus innuit, Lutherus irruit: Eraſmus parit ova, Lutherus excludit pullos; Eraſmus dubitat, Lutherus aſſeverat: vel Eraſmus Lutherizat, vel Lutherus Eraſmizat.* Non ne, Laurentius ille petulantiſsimus rationem perſonæ Deo inficiatus fuit, ab ipſa voce *perſona* fundamentum deſumens, juſu Sanctæ Inquiſitionis everſum? Non ne & Eraſmus, malè de Trinitate ſentiens, uſitatam illam inter priſcos Patres vocem *homouſion*, exibilavit?

Lignuarum ultra ſobrietatē cultura prę cipites dedit Eraſmum & Vallam.

53 Hinc merito audit Eraſmus *Novatorum* Magiſter, cujus originem ita ex P. Poſſevino, & Catalogo illuſtrium Germaniæ Scriptorum memorat Magiſt. Joſephus Maria de Turre. ✱ Fuit Eraſmus natione Batavus, è Civitate Gundanæ, de parente Parocho natus, qui cum à famula ſuſcepit, profeſſus eſt Regulam Canonicorum Regularium S. Auguſtini: poſtmodum Religionis deſertor, per omnes fermè Europæ Academias vagus inceſſit. Multa ſcripſit, *major futurus ſi minor eſſe voluiſſet*, dixit quidem. ✱ Revelino & Luthero confederatus à Dominicanis Inquiſitoribus validè fuit debellatus: unde contra ipſos turbas excitavit tum in tota Germania, tum Bernę, ut memoriæ tradit Cardinalis Palavicinus, de Eraſmo & confederatis Novatoribus ſcribens ✱ Humaniſtarum tunc odia (quæ communia in Scholaſticos erant) adverſus Dominicanos ſpecialiora fuiſſe, eo quod Dominicani fungentes munere quæſitorum fidei, ſæpè humaniſtis hujuſmodi editionem quorundam ſcriptorum ſuorum præpediebant. ✱ Sed præſertim Eraſmi & confęderatorum exitiale odium, jam aliàs contra Regulares omnes excitatum verbiſque illis expreſſum: *Fraterculos quoſdam magnis titulis inſanientes jube ſuorum Cœnobiorum curam gerere*: majori conatu exarſit adverſus Jacobum Hocſtratanum (quem, *illius tragędiæ Coryphęum* appellavit Eraſmus, de ejus morte gaudens) dum ad Carolum Auſtriacum in Romanorum Imperium anno 1519. evectum ſcripſit (audaci qua ſolent hæretici libertate) Hermanus Comes Nuenarius ex Commitiis Francufurtenſibus: *Unica, crede mihi, peſtis eſt in Germania Jacobus Hocſtratanus.*

Poſſevinus in Apparat. Mag. de Turre tom. 4. in Eraſmianis fol. 468.

Eraſmi odium erga Dominicanos Inquiſitores.

Cardin. Palavicin. lib. 1. hiſt. Tridēt. cap. 23 n. 6.

Hermanus Nurrarius epiſt. ad Carol. Auſtriacum.

54 Neque enim diffiteor, linguarum peritiam & cultum, cui noſtro ævo diligentiùs incumbitur (ſubjungit laudatus Soto) ſacris intelligendis Bibliis magno uſui eſſe, ut Auguſt. admonet. Verum in his oſtentoſis humanę ſapientię verbis perſiſtere in eiſque argumentorum vim collocare, prohibuerat jam Gentium Apoſtolus eloquia ſua profundens: *Non in perſuabilibus humanæ ſapientiæ verbis.* Vel ut paulò ante præmiſerat: *Non veni in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.* Non enim magnus ille veritatis Magiſter, quamvis ſapientia ſæculari emineret, eloquentię mundanæ excellentiam oſtendere ſatagebat. Quapropter (Angelico interpretante Doctore.) „ Gentium ille Magiſter, ſicut „ ſuam prædicationem rationibus purè phi„ loſophicis, vel ratiocinandi ſubtilibus & „ inaniis viis, non inſtituit; ita neque rheto„ ricis perſuaſionibus vim ſententiarum ad„ ſcriptam voluit. Deſertavit (quis dubitet) ſapientiſsimus ille Paulus contra Evangelicæ, & veritatis & caſtimoniæ adverſarios eloquentia incomparabili., non inanium vo-

Non repellit Scholaſtica Theologia linguarum culturam & eloquentiam.

S. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt.

1. Corinth. 2. v. 1.

D. Thom. lect. 1.

cum ſed ſententiarum gravitate, qua ratione ad Corinth. iterum ſcripſit: *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.*

2. *Corinth.* 11. *v.*6.

55 Fateor etiam ſophiſmatum, nugarum, atque id generis ſordes quam plurimas obſcurare Theologiam Scholaſticam. Indolui ſæpè in Scholaſtica Theologia introductas innumeras ſine diſciplina quæſtiones; quippè quæ non ad veritatem firmandam deſerviunt, ſed obſcurandam potius, variiſque circulorum ambagibus occludendam, ne ſtatim pateat. * Intelligo autem (verba ſunt magni illius incomparabili eloquentia eruditi Theologi, re potius quam nomine Cani) fuiſſe in Schola quoſdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolverint, & vanis, invalidiſque ratiunculis, magnum pondus, rebus graviſsimis diſtrahentes ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſsima ſint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi Philoſophia quidem, ſed ferè puerilibus diſciplinis; Scholaſtici tamen (ſi ſuperis placet) Theologi vocantur, nec Scholaſtici ſunt, nedum Theologi, qui ſophiſmatum fæces in ſcholam inferentes, & ad riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum :: Intelligo etiam in ſchola fuiſſe nonnullos, quaſi ad diſcordiam natos, qui tum optimè diſſeruiſſe ſe putant, cum contra Doctores dixerint, ut non tam verum inveniſſe velle videantur, quam adverſarios convincere, concertationibuſque & rixis totas chartas implere. Atque horum ſunt in Eccleſia multi, qui tanquam milites auctorati, vel tuentur vel impugnant, & tota eorum de re theologica diſputatio, partium ſtudium eſt, contentio atque diſſidium. *

Illuſt.Cano lib. 8.*de Locis,cap.* 1.

56 Hujuſmodi abuſus ferè cum ipſo Theologiæ Scholaſticæ introducto nomine, introductos memorant Eccleſiaſtici ſcriptores. Quapropter Sanctiſsimus Pontifex Gregorius IX. ennatos in ſcholis, Pariſienſi præſertim memoratos abuſus ſæculo 13. radicitùs extirpare pro votis habens, epiſtolam ad Pariſienſes Magiſtros ſcripſit anno 1228. in qua ſignificat ſe graviter admodum, ac moleſtè ferre Theologos Pariſienſes ad varias deſcendiſſe Philoſophorum tricas ineneſque quæſtiones, oſtentandi tantum ingenii cauſa excogitatas: *Tacti dolore cordis intrinſecus* (inquit) *amaritudine repleti ſumus abſinthii, quod ſicut auribus noſtris eſt intimatum, quidam apud vos ſpiritu vanitatis, ut uter diſtenti, poſitos à Patribus terminos prophana transferre ſatagunt novitate, cęleſtis paginæ intellectum Sanctorum Patrum ſtudiis certis terminis limitatę, quos tranſgredi non ſolum eſt temerarium, ſed prophanum, ad doctrinam Philoſophorum naturalium inclinando, ad oſtentationem ſcientiæ, non profectum aliquem auditorum, ut ſic videantur non theodidacti, ſeu theologi, ſeu potius theophanti. Cum enim Theologiam ſecundum approbatas traditiones Sanctorum exponere debeant, & non carnalibus armis, ſed Deo potentibus deſtruere omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & captivum in obſequium Chriſti omnem redigere intellectum; ipſi doctrinis variis & peregrinis abducti redigunt caput in caudam, & ancillæ cogunt famulari reginam.* ::: *Ne igitur hujuſmodi dogma temerarium & perverſum ut cancer ſerpat, & inficiat plurimos, oporteatque filios perditos plorare Rachelem, præſentium vobis auctoritate mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenùs prædicta veſania penitùs abdicata, ſine fermento mundanæ ſcientiæ doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philoſophorum figmentis, ſed contenti terminis à Patribus inſtitutis, mentes auditorum veſtrorum fructu cęleſtis eloquii ſaginetis, &c.* Integram epiſtolam refert Bulęus.

Gregorius IX. epiſtola ad Pariſienſes.

Abuſus Scholę in Theologia ab antiquis temporibus, & deinceps Romani Pótifices abolendos curarunt.

Bulęus tom. 3. *hiſtor. Univerſit. Pariſienſ. pag.*129.

57 Similes abuſus decurrentibus ſæculis renovatos, abolere cupiens Joannes XXII. rectamque in hac ſacra ſcientia addiſcendi & docendi methodum præſcribens ad DoctoresPariſienſes hanc direxit epiſtolam, quam ex Vaticano Codice ita refert Odoricus Raynaldus: *Quidam etiam Theologi* (ait) *poſtpoſitis vel neglectis neceſſariis, utilibus, edificativis doctrinis; curioſis, inutilibus & ſupervacuis Philoſophiæ quæſtionibus, & ſubtilitatibus ſe immiſcent, ex quibus ipſius ſtudii diſciplina diſſolvitur, luminis ejus ſplendor offunditur, & ſtudentium utilitas impeditur.* Ita refert Graveſonius. Concludit inſuper & ſubjungit laudatus Pontifex: *Ne unde veritatis derivari conſuevit irriguum, remotiſsimas etiam irrigans nationes, inde ſcaturire* (*quod abſit*) *videantur errores; ſalubrem Apoſtoli doctrinam ſecuti ſuggerimus; ut non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem unuſquiſque conetur: nullus in verborum novitatibus, aut nimię curioſitati, egreſſu ſe occupet, ut doctior videatur, ſed juxta ſapientis eloquium: quivis ſuæ prudentiæ modum ponat, ſicque comedat ex melle invento, quod ſufficit, ne illud evomat ſatiatus.*

Joannes XXII. in epiſtola ad Pariſienſ. DD.

Odoricus Raynaldus ad annum 1318.

58 Pari cum Theologia detrimenta ſuſtinuiſſe ſcientiam Canonicam antiquis monumentis comprobatur. Eodem ferè tempore utraque illa ſacra ſcientia novâ methodo illuſtrata fuit, ut infra innoteſcet: at ſicut Theologiæ, ita & Canonicæ ſcientiæ ſimiles adjuncti fuere abuſus, quos jure improbarunt viri illius ſæculi eruditi; in primis Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, qui Romanum Pontificem, ut inutiles Commentarios Theologiæ, & inextricabilem Decretalium ſylvam ſuccideret, vehementer in epiſtola 251. adhortatur his verbis: * Labſa ſunt apud nos in confuſione officinarum ſacrarum ſtudia litterarum, dum & diſcipuli ſolis novitatibus applaudunt, & Magiſtri gloriæ potiùs invigilant, quam doctrinæ, novas recenteſque ſummulas & Commentaria firmantia ſuper Theologia conſcribunt, quibus auditores ſuos demulceant, detineant, decipiant, quaſi nondū ſufficerent

Apud Graveſonium tom. 4. *fol.*163.

Similes in ſcientia Canonica abuſus intruſsi fuere.

rent Sanctorum opuſcula Patrum, quos eodem ſpiritu ſacram Scripturam legimus expoſuiſſe, quo eam compoſuiſſe credimus Apoſtolos & Prophetas. Ignota ac peregrina conviviis apponunt fercula, cum in nuptiis filii Regis tauri, & altilia ejus ſint occiſa parataque omnia: nec reſtat venientibus ad nuptias, niſi quæ appoſita ſunt prehendere & prodere. Diſputatur publicè contra ſacras conſtitutiones, de incomprehenſibili Deitate, de Incarnatione Verbi verboſa Caro & Sanguis irreverenter litigat. Individua Trinitas in triviis ſecatur & diſcerpitur, ut tot jam ſint errores quòt Doctores, tot ſcandala, quòt auditoria, tot blaſphemiæ quot plateæ. Rurſus ſi ventum fuerit ad judicia, quæ jure Canonico ſunt tractanda, vel vobis commiſſa, vel ab ordinariis Judicibus cognoſcenda, profertur à venatoribus inextricabilis ſylva Decretalium Epiſtolarum, quaſi ſub nomine ſanctę recordationis Alexandri Papæ, & antiquiores ſacri Canones abjiciuntur, reſpuuntur, expuuntur. Hoc in volucro prolata in medium ea, quæ in Conciliis SS. PP. ſalubriter inſtituta ſunt, nec formam Conciliis, nec finem negotiis imponunt prævalentibus epiſtolis, quas forſitan advocant & conductitii ſub nomine Romanorum Pontificum, jam Prophetæ in cubiculis ſuis confingunt & conſcribunt. Novum volumen ex eis compactum, & in ſcholis ſolemniter legitur, & in foro venaliter exponitur, &c. Hęc omnia, patet, correctionis Apoſtolicæ manum deſiderant, ut uniformitas docendi, diſcendi, diſputandi auctoritate veſtra certam redigatur ad formam, ne ſermo divinus attritione vulgari vileſcat. *

59 Hæc altiſsima momenta indicaſſe ſufficiat, ut inde inferas, lector, quam meritò eruditiſsimus Canus contra abuſus in Scholaſtica Theologia intruſos declamaverit. Nec minori energiâ loquutus fuit poſt Canum Mag. Medina, cujus hæc verba adducimus. * An non eſt ab hominibus condemnandus Theologus & diris omnibus devovendus, qui pro ſana doctrina & ſermone fideli, ad conſolandos eos, qui abjecto ſunt animo, & redarguendos eos qui contradicunt, paradoxa quædam, & nova profert, quo ſit admirationi populo inanium rerum ſemper admiratori? An non exibilandus eſt Theologiæ Magiſter, qui quæſtiones frigidas & valdè implexas diſputat, oſtendens quantum in palęſtra litteraria profecerit, has tantum ut ſubtiles, & quæ Doctoris explicatione indigent pertractans, quæ verò ad charitatem & pietatem conducunt, tanquam pervia & expoſita negligens? Si quid explicandam eſt ex D. Paulo, aut verò ex ſacro eloquio videtur in alium mundum translatus, ſi de inſtantibus, ſi de hæcceitatibus, de relationibus, originibus, circumincesſionibus (nomina prorſus incognita) velis aliquid plura dabit, quam quę tribus onerariis navibus vehi poſſint. Hi ſunt ſane, de quibus Apoſtolus Paulus, quod *languent circa quæſtiones, & pugnas verborum, quod converſi ſunt in vaniloquium, & volentes eſſe legiſdoctores non intelligunt, nec quę dicunt, neque de quibus affirmant.* *

Mag. Medina q. 1. *Introductionis in materiam de Incarnatione.*

60 Et quidem ſi Theologis laudatis ita de Theologis ſui ævi pronuntiare licuit: quid nobis pro noſtra ætate non addere poſſumus; novis quotidie ebullientibus in Theologorum ſcholis, non tam rerum quam vocuum controverſiis, ad ingenii potius, quam veritatis examen vocatis. Unde ut verum fatear, ab hujuſmodi metaphyſicis portentis, nugis, vaniſque ſubtilitatibus adverſū me profiteor: atque ſi ea ſolum faſtidiiſſent Catholici illi ſuppreſsè à MM. Soto, Cano, & Medina aſportati; in fatidioque habeant, qui ſequentibus luſtris, Scholaſticæ Theologię offenſi dicuntur (nec aliter judicare ſinit chriſtiana benignitas) illorum ſententiæ nullo negotio acquieſcerem. At non poſſunt non mihi diſplicere rigidi illi Theologi, qui per aliud extremum totas implent chartas longiſsimis auctoritatuum nexibus; ordinatâ Scripturæ ſacræ, Conciliorum, Sanctorumque Patrum congerie, convincendi energiâ ſublatâ, quam ſtylus ſcholaſticus ad ſolidas Dialecticæ regulas expreſſus oſtendit, manifeſtat, quamque hæretici non valentes declinare blaſphemant. Quid enim perſpicatiæ, vivacitatis in intellectu expoſcit mera illa auctoritatum aſportatio? Quid enim de theſauro ſuo proferant Theologi hujuſmodi non video. Hæc ſunt duo extrema Theologo crediderim vitanda, quamvis priores illi tractatores magis à vera Theologia Scholaſtica recedere non dubitem, quam poſteriores. Proferat ergo Theologus tanquam ſcriba doctus in Regno Cęlorum de *theſauro ſuo nova & vetera.* Proferat inquam, antiquæ & novæ legis divina elogia, ſacras Conciliorum cujuſcumque ævi diffinitiones; priſcorum & ſubſequentium Patrum venerandas ſententias, ſed novâ energiâ, urgentiori ſtylo pro rerum & temporum varietate propoſitas. Hoc vera Theologia Scholaſtica præſtat (ſi declinatis paulò antenotatis extremis) ejus naturam, characteriſticaſque notiones ab illo, qui Theologiam methodicè illuſtravit, ſcholarum Principe ebibere, alteque retinere totis viribus nitamur.

Scholaſtica Theologia inter duo devitanda extrema utilitèr incedit.

ARTICULUS VI.

Theologiæ Scholaſticæ naturam propriaſque notiones expendit; unam in diverſis muneribus proponens.

61 EST Theologia quaſi generatim (ſi Græcum vocabulum in Latinum vertimus) ratio, ſermoque de Deo, ad quem ordinare habet quidquid ampliſsimo ſui ambitu complectitur, idque paucis notat Theologorum Princeps, dum in-

D. Thom. 1. p. q.2. in Prologo.

inquit : „Principalis intentio hujus ſacræ doctrinæ eſt, Dei cognitionem tradere, & non ſolum ſecundum quod in ſe eſt, ſed ſecundum quod eſt principium rerum & finis earum, & ſpecialiter rationalis naturæ. Hac etenim ratione præcipuum ſacrę ſcientiæ objectum aſsignaturus, (artic.7. in quæſt. 1. proœmiali) inſiſtit Doctor ille clariſsimus : ubi ſolum Deum objectum, aut ſubjectum eſſe (ſive formale, ut in Scholis dicitur) Sacræ Theologiæ demonſtrat, licet quam plura alia ſint, in quibus contemplandis occupetur : quia nimirum omnia pertractantur in ſacra doctrina ſub ratione Dei, vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium & finem. Inde facillimum eſt deducere Theologo non ſatis eſſe, quæ Deo in ſe abſolutè conveniunt perſcrutari, niſi etiam illa attendat, quæ in ordine ad creaturas Deo conveniunt. Altiſsima ſunt (quis dubitet) divina prædicata : irradiat Dei inviſibilis natura, immenſæque lucis ſplendore aciem noſtram, ſenſumque vincit; adeo ut ſicut ſolem intueri in ſe ipſo nequimus, ſic ad divinæ lucis obtutum mentis noſtri oculi allucinantur & caligant. Sed quid facto opus ſit laudatus Theologiæ Angelus oſtendit inquiens : quod licet de Deo non „poſsimus ſcire quid eſt, utimur tamen ejus effectu in hac doctrina, vel naturæ, vel gratię loco diffinitionis, & ad ea, quæ de Deo in hac doctrina conſiderantur, ſicut & in aliquibus ſcientiis philoſophicis demonſtratur aliquid de cauſa per effectum, accipiendo effectum loco diffinitionis cauſæ.

[illegible] *In corp.*

A creaturis ad Deum Theologia aſcendere docet.

Solut. ad 1.

Rom. 1. v. 20.

62 Subjectam differendi rationem in Apoſtolo didicit Apoſtoli dilectus Thomas : *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Tria namque (ſubjungit ad ſenſum D. Thomas) per creaturas viſibiles de Deo cognoverunt Philoſophi, vel in illis ſicut in quodam libro legerunt : eſſentiam nimirum Dei per quaſdam ſimilitudines in creaturis repertas, quæ id, quod in Deo unum eſt, multipliciter participant, & ſecundum hoc intellectus noſter conſiderat unitatem divinæ eſſentiæ. De Deo inſuper cognoverunt virtutem ipſius, ſecundum quam res ab eo procedunt, ſicut à principio. Poſtremo Divinitatem cognoviſſe dicuntur, quatenus cognoverunt Deum ut ultimum finem, in quem omnia tendunt. Divinum enim bo„num. (concludit ille) dicitur commune, quod ab omnibus participatur, propter hoc potius dicitur *devinitas*, quę participationem ſignificat, quam *deitas*, quæ ſignificat eſſentiam Dei. Meritò ergo obſervat Angelicus idem Magiſter, quod ſacra doctrina non determinat de Deo, & de creaturis ex æquo, ſed de Deo principaliter, & de creaturis, ſecundum quod referuntur ad Deum, ut ad principium vel finem.

D. Thom. ibidem lect. 6.

D. Thomas ubi ſupra art. 5.

63 Unde quam ſit aliis ſcientiis dignior ſacra ſcientia, toto articulo quinto ineluctabili auctoritatis, & rationum pondere firmat communis Magiſter : utitur enim ſcientiis omnibus naturalibus, ſed tanquam ancillas vocat ad propriam arcem, ut ſcilicet divino ſuo miniſterio inſervire cogat. Sed quid prohibet Doctoris Angelici verba audire, ſolutione ad ſecundum ita loquentis: „*Dicendum*, quod hęc ſcientia accipere poteſt aliquid à philoſophicis diſciplinis, non quod ex neceſsitate eis indigeat, ſed ad majorem manifeſtationem eorum, quæ in hac ſcientia traduntur. Non enim accipit ſua principia ab aliis ſcientiis, ſed immediatè à Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis ſcientiis tanquam à ſuperioribus, ſed utitur eis tanquam inferioribus & ancillis; ſicut architectonicæ utuntur ſubminiſtrantibus, ut civilis militari. Et hoc ipſum, quod ſic utitur eis, non eſt propter defectum vel inſufficientiam ejus ſed propter defectum intellectus noſtri : qui iis, quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ ſcientiæ) cognoſcuntur, facilius manuducitur in ea, quæ ſunt ſupra rationem, quæ in hac ſcientia traduntur. An non equidem ancillas theologiæ dicas, quas omnium dominatrix ſcientia & ſuo mancipiat obſequio, atque dum à veritatis tramite deviare deprehendit, coërcet fortiter, durè corrigit, vanam oſtentationis cæſariem radens, falſitatiſque aculeos circumcidens. Hoc pacto alienas ſcientias, veluti mulieres alienigenas in obſequium Dei introducit Sacra Theologia, raſis nimirùm crinibus, circumciſiſque unguibus, ideſt rejectis ſuperfluis, ut Hieronymus admonet in epiſtola ad Damaſum. Apparetque Deuteronomii 21. ad ſenſum moralem verbis illis aſſumptis : *Si videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluериſque habere uxorem, introduces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet ungues, & deponet veſtem, in qua capta eſt.* Sed quid prohibet id ipſum clariùs audire à clariſsimo Doctore ita loquente. „Dicendum, quod aliarum ſcientiarum principia vel ſunt per ſe nota, & probari non poſſunt, vel per aliquam rationem naturalem probantur in aliqua alia ſcientia. Propria autem hujus ſcientiæ cognitio eſt, quæ eſt per revelationem, non autem quæ eſt per naturalem rationem. Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum ſcientiarum; ſed ſolum judicare de eis. Quidquid enim in aliis ſcientiis invenitur veritati hujus ſcientiæ repugnans, totum condemnatur ut falſum. Unde dicitur Corinthiorum 10. *Concilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.*

Theologia aliis ſcientiis dignior ad arcem ſuam tāquam ancillas vocat utiliter.

Solut. ad 2.

Hieronym. in epiſtol. ad Damaſum.

Deuteronom. 21.

D. Thom. 1. par. quæſt. 1. art. 6.

2. Corint. 10. v. 5.

64 Pateat ergo, Sacram Theologiam inferiorum ſcientiarum miniſterio jure optimo uti; dum creaturas, quarum naturam & proprietatem illæ ſcrutantur, in cognitionem

nem

nem Dei altiori lumine deſervire præſtat; cùm vero inter creata omnia humano ſenſui obvia rationalis creatura ſimillima Deo ſit : *Ad imaginem quippè Dei factus eſt homo*; nihil profecto invenies, in quo divina bonitas, poteſtas, & ſapientia, pietas & majeſtas magis eluceant. Quare ſacra ſcientia de Deo pręcipuè differens, & de creaturis ſecundario, plurimum tamen circa homines, humanoſque actus verſatur. Actus enim humanos tripliciter conſiderat Theologia (ut nos docuit communis Theologorum Magiſter) primò, ut per eos homo ad beatitudinem ordinetur. Præterea quatenus in eis bonum & malum, melius & pejus invenire eſt. Poſtremò tandem, prout æternæ vel temporalis mercedis meritorii ſunt. Et meritò quidem, cum ex homine, & ex his etiam bonis, quæ Deus homini pręſtat; divinę naturę, attributorumque cognitionem quærit ſacra illa ſcientia, quam divinitùs revelatam, & veluti divinæ ſcientiæ impreſsionem prædicat Theologię Princeps. Providentiam namque Dei, benignitatem, aliaque id generis plura indagat verus Theologus, dum ad Deum ultimum finem conſequendum variis diſputationibus expendit; diverticulaque, ut fugiantur monſtrat, ab inſtituto non recedens Sacræ Theologiæ; non ſolũ ne Theologia, quæ effectrix ſimul, & ſpeculatrix à D.Thoma ſtatuitur, quaſi manca, & imminuta relinqueretur in ſola ſiſtens ſpeculatione: ſed multò magis, quod eæ res (ut loquitur M. Cano) Dei ipſius probitatem, ęquitatem, virtutem, integritatem, beneficentiam, liberalitatem, miſericordiam, pacientiam, longanimitatem inſigniter & præclarè patefaciunt & illuſtrant.

Geneſ. 9. v. 6.

Theologia practico-ſpeculatrix actus dirigit humanos.

D. Thom. 1. p. quæſt. 1. artic. 3. ad 2.

65 Sed quid præſtant tot producta commendationis monumenta? Theologiam ſub hoc præciſè nomine inſignitam *rationalis* nemo fortè rejecit; nullus hæreticorum diris laceſsivit, exibilavitque maledictis? At Theologiæ Scholaſticæ magnificandæ encomia illa quid deſervire poſsint inter Catholicos, aliqui in dubium forſan vertent. Verumtamen ſi ita eſt Theologiæ Scholaſticę naturam, egregias notiones, ſacraque munera ignorare illos hac dubitatione notum faciunt; dum Scholaſticam Theologiam à Theologia ſecernunt, quæ aliis nominibus pro rerum diverſitate inſigniri ſolet. Hujus falſę exiſtimationis umbram facilè eſt diſsipare. Habet ergo (ut diximus) Theologia, vel ex ſui etiam nomine, & revelatis tum verbo, tum traditione ad alias veritates rectè ratiocinando deſcendere : imò diſputationis energiâ fidem roborare, ut ex Baſilio & Auguſt. dixiſſe me memini. Idque Sanctorum Patrum lucidus explanator pro ſuâ dexteritate perſpicuum reddit in articul. 8. Ibi enim qualiter ſacra ſcientia pro tuenda fide argumentetur, nempè ex uno articul. credito ad alium articul. negantibus ſuadendum, vel oppoſitas rationes diſſolvens his verbis clarè prodit : „Hæc doctrina non argumentatur ad ſua principia probanda, quæ ſunt articuli fidei, ſed ex eis procedit ad aliquid oſtendendum, ſicut Apoſtol. ex reſurrectione Chriſti argumentatur ad reſurrectionem communem probandam. Sed tamen conſiderandum eſt in ſcientiis philoſophicis, quod inferiores ſcientiæ nec probant ſua principia, nec contra negantem principia diſputant, ſed hoc relinquunt ſuperiori ſcientiæ : ſuprema verò inter eas ſcilicet Metaphyſica diſputat contra negantem ſua principia, ſi adverſarius aliquid concedit; ſi autem nihil concedit, non poteſt cum eo diſputare : poteſt tamen ſolvere rationes ipſius. Unde Sacra Scriptura cum non habeat ſuperiorem, diſputat cum negante ſua principia, argumentando quidem, ſi adverſarius aliquid concedat eorum, quæ per divinam revelationem habentur; ſicut per auctoritates ſacræ doctrinæ diſputamus contra hęreticos, & per unum articulum contra negantes alium. Si vero adverſarius nihil credat eorum, quæ divinitùs revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, ſed ad ſolvendum rationes, ſi quas inducit contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impoſsibile autem ſit de vero demonſtrari contrarium, manifeſtum eſt probationes, quæ contra fidem inducuntur, non eſſe demonſtrationes, ſed ſolubilia argumenta.

Qualiter Sacra Theologia argumentetur.

Artic. 8.

1. Corinth. 15.

66 Dividant methodi gratia Doctores Theologiam in eam, quæ jam poſitiva, quæ moralis, nunc polemica, jam myſtica dicitur. Eſt enim Theologia poſitiva (fundamentalis etiam dici ſolet) ſacra illa ſcientia, quatenus locos theologicos (intraneos nempè) exponit, veluti promptuaria quędam, unde Theologus media eruit ad ſuas veritates comprobandas. Meritò ergo ſacra ſcientia, quatenùs in illis locis exponendis & examinandis verſatur, veluti ſacri illius edificii fundamentis, poſitiva appellatur & fundamentalis. Sic autem Theologia ſacrarum litterarum expoſitioni præcipuè incumbit, earum ſenſum ex ſermonis contextu, atque etiam ex Sanctis Patribus, aliiſque Interpretibus ſedulò perquirens; quem dum invenit, propria principia (quæ ſunt dogmata fidei, quatenùs vel in ſacris litteris continentur, vel ex eis eruuntur) explicat ac ſtatuit, frequentèr poſitiva dicitur Theologia. Sed per Theologiam poſitivam ſignificatur inſuper eadem diſciplina, quatenùs divinas & Apoſtolicas traditiones, non ſecùs ac Sacram Scripturam vero Theologo tanquam media ſeu fundamenta ſubminiſtrat. Moralis appellatur Theologia, quatenùs ad mores informandos ſpectat. Polemica vero, in quantum veritates primas, quę inſtar principium ſacrę ſcientię deſerviunt; jam contra infideles, jam contra hæreticos defendit. Theologia tandem myſtica dicitur, quatenùs dirigit affectum in Deum, ſapidæ Dei ac divinorum cognitioni incumbens.

Multiplex Theologiæ munus.

67 Cæterum munera hæc ſunt, varięque ſacræ ſcientiæ acceptiones, membra autem ſe

ſe

ſe mutuo excludentia neutiquam. Eadem reipſa Theologia eſt diverſis juxta materiæ diverſitatem nominibus inſignita; verumtamen Theologia Scholaſtica per omnes materias ſacræ ſcientiæ ſubjectas utilitèr diſcurrit, ſubtilitèr diſputat, lepidè argumentatur, quæ omnia ſacrę ſcientiæ (ad quàm pertinet in doctrina ſana exhortari, & eos qui contradicunt arguere) propria eſſe inficias eat nullus, niſi in Eraſmi ſchola didicerit: *Magni Theologi nihil ultra eſſe, quam id diffinire, quod ſacris litteris proditum eſt.* Quis autem non videat hoc nihil aliud eſſe, quam in Theologiæ principiis Theologum hærere, ratiocinationi, & diſcurſui locum non darę? Sed quid abſurdiùs (ut ſolitâ eloquentiâ Canus ſubjungit) quam ſola diſciplinę principia habere diffinita, concluſiones verò, quę certò atque evidenti ſyllogiſmo ex illis conficiuntur, aut ignorare velle, aut in ambiguo relinqui? Quod ſi in Geometria, Phyſica, Aſtrologiave quiſquam aſſereret, verè & juſtè ſtultiſsimus haberetur. Si de Theologia, quam aliqui (ſi ſuperis placet) Theologi Scholaſticam inde dicunt, quia in Metaphyſicis duntaxàt quęſtionibus vix lucubratione dignis, ut paulò ante ſignificatum eſt, verba eſſent facienda, abſdubio utique ſecernenda eſſet à Theologia, quam Dogmaticam, Poſitivam, Moralem, & Myſticam diximus. Verum ſpinoſa, ſophiſtica, & inutilis Theologia Scholaſtica per ſummam injuriam Theologia dicitur, cujus natura, eſſentia, notio, & character cum ſit de Deo, & in ordine ad Deum diſcurrere, non poteſt non aliena eſſe ab inanibus & inutilibus quęſtionibus.

Eadem eſt in multiplici munere Theologia.

68 Eſt ergo Theologia Scholaſtica ipſa ſacra ſcientia, quatenùs conformiter ad Dialecticę regulas ex principiis revelatis verbo vel traditione, hęreticos vi conſequentiæ revincere habet, dogmata ſacra tueri, morum doctrinam illibatam ſervare, inter malum & bonum dividere, interiores motus ad menſuram ſanctuarii examinare. Ut inde diſcas, quam verè à nobis pronuntiatum ſit: Theologiam Scholaſticam per omnes materias ſacræ ſcientiæ ſubjectas utilitèr diſcurrere. An non docuit id ipſum Theologorum Princeps & verbo & facto? Docuit verbo, dum articul. 3. ſacram divinam ſcientiam unam eſſe invictè demonſtrat. Imò, & unum eſſe indiviſibilem habitum ſcholę noſtrę Theologi pronuntiant. Non ne artic. 4. totus fuit Sanctus Doct. ut oſtenderet eam ſcientiam modò ſpeculatricem, modò effectricem eſſe, ut inde daret intelligi, ad omnia illa ejus extendi energiam argumentandi, quæ ampliſsimo ambitu generatim Theologia complectitur? Et quid mirùm ita univerſaliter protrahatur argumentativa illa ſcientia, cui tot ſunt arguendi ſedes, tum ex ratione humana, tum prçcipuè ex auctoritate divina multipliciter propoſita. Quæ omnia cum art. 8. data opera oſtendat S. Doct. in ſolutione ad ſecundum, audiendum hic eſſe congruit.

D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 3.

Artic. 4.

69 „ Ad ſecundum dicendum, quòd argumentari ex auctoritate eſt maximè proprium hujus doctrinę, eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et ſic oportet quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta eſt. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ: nam licet locus ab auctoritate, quæ fundatur ſuper ratione humana, ſit infirmiſſimus; locus tamen ab auctoritate, quæ fundatur ſuper revelatione divina eſt efficaciſsimus. Utitur tamen ſacra doctrina etiam ratione humana: non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) ſed ad manifeſtandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, ſed perficiat, oportet quod naturalis ratio ſubſerviat fidei, ſicut & naturalis inclinatio voluntatis obſequitur charitati. Unde & Apoſtolus dicit 2. ad Corinthios 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Et inde eſt, quod etiam auctoritatibus Philoſophorum ſacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoſcere potuerunt, ſicut Paulus Actor. 17. inducit verbum Arati, dicens: ſicut & quidam Poëtarum veſtrorum dixerunt, *genus Dei ſumus.* Sed tamen ſacra doctrina hujuſmodi auctoritatibus utitur, quaſi extraneis argumentis & probabilibus. Auctoritatibus enim Canonicę ſcripturę utitur propriè ex neceſsitate argumentando: auctoritatibus autem aliorum Doctorum Eccleſiæ quaſi arguendo ex propriis, ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra revelationi, Apoſtolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſi quę fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Auguſt. in epiſt. ad Hieronymum: *Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid, firmiſsimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant: non ideò verum putem, quod ipſi ita ſenſerunt vel ſcripſerunt.*

70 Quod verbo docuit, uſu probat, dum ſacram Theologiam ſcholaſtico methodo ad miraculum ferè ordinatè diſpoſitam redègit in ſummam. In illam inquam Summam, quæ omnis ſapientię epitome eſt, atque opus ex defloratione omnium ſæculorum, omnium PP. atque omnium Philoſophorum compoſitum, prout in prima ſolemni inſtauratione ſcholæ Caſanatenſis anno 1701. publicè declamatum fuit, & meritò: quia admirabili Angelicæ illi Summæ celebres quoſcumque in unaquaque ſcientia floridiſsimos Auctores deſervire in votis habuit Doctorum Doctor, ut videre licet in Sylabo Auctorum, de quibus meminit: ut jam non mireris, Cajetanum non minus doctrina, quam purpura clarum pronuntiaſſe, id ex perpetuò ſtudio Patruum aſſequutum fuiſſe Divum Thomam, ut de ipſo affirmari liceat: *Intellectum omnium Patrum adeptus eſt.* Quemadmodum de

Summa Div. Thomæ commendatur.

Cajetan. 2. 2. q. 148. art. 4.

de Auguſtino Proſper contra Collatorem ajebat: *Unam cunctorum Sacerdotum manu ſententiam ſcripſiſſe.* Meritò igitur eruditus Poſſevinus Summam Divi Thomæ *Quintam eſſentiam* vocans ſubjungit: *Summa ejus omne tulit punctum, ac reliquis omnem videtur præcidiſſe viam, qua aliquid auguſtius, aut plenius, aut brevius fieri poſſe unquam putent.* Et eruditus Pater Labbęus in elogio Sancti Thomæ hæc habet: *Myſteriorum compendium eſt Summa Thomæ, epitome fecit alienę ſapientię, & ſummam ſuę. Didicit omnes, qui Thomam intelligit, nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit. Thomas pervenit ad ſummum Summâ ſuâ. Ire ulterius non poteſt, niſi aliquid quærat poſt omnia.* Et ut alia omittamus, dicere nobis liceat de Summa Divi Thomæ, vel de Divo Thoma in ejus Summa: *Fit Paradiſi fluvius: quadripartitè pervius.*

Pater Poſſevinus lib. 3. Bibliothecæ cap. 12.

Pater Petrus Labbè in elogio S. Thomæ.

Eccleſia in Officio S. Thomæ.

71 Cum ergo in ea theologica Summa Scripturæ ſacræ contineantur teſtimonia ad verum ſenſum expoſita, Divinæ, & Apoſtolicæ traditiones ex Patribus firmatæ, ſacra dogmata contra hæreticos inexpugnabiliter roborata, morum doctrina angelicè tradita, divinorum ſapida ſcientia (quam myſticam vocant Theologiam) in tutò apertè collocata: (*Dum profunda ſcrutans fluminum, in lucem pandit abdita, dum ſupra ſenſus hominum obſcura fecit cognita.*) Jam inde ſatis oſtendit Theologiæ Princeps ſcholaſticæ Theologię univerſalitatem. Id ipſum videre eſt in quatuor Petri Lombardi Sententiarum libris, in quibus Theologiæ ſcholaſticæ methodo antiquorum Patrum Theologicę ſententię ordine colliguntur. Videſsis inſuper Bonaventuram Doctorem Seraphicum, Durandum incomparabilis ingenii virum, Scotum ſubtilitate conſpicuum, celeberrimoſque benè multos, qui Magiſtri normæ inhærentes, quidquid ſacra ſcientia in ampliſsimo omnigenarum veritatum Occeano ambit, ad ſcholæ methodum, ad Theologię Scholaſticæ leges conſignarunt: ut jam inde nemo (niſi cæcus) non videat: univerſam ſacræ ſcientiæ ſubjectam materiam, Theologię prout Scholaſticę jure meritò dicitur magiſterio ſubeſſe.

Ibidem.

72 De propoſita inſuper veritate licet ſatis dictum ſit; plurimum tamen & lucis & jucunditatis adlaturam eſſe non dubito expreſsivam quandam ſimilitudinem pro Scholaſtica & Myſtica Theologia, qua utitur Sanctus Franciſcus Saleſius, quamque in confirmationem eorum, quæ circa unitatem Theologię diximus, adaptare facile erit. Theologiam enim Scholaſticam vino comparat, dum myſticam Theologiam ad inſtar lactis contemplatur. Et quomodo vino non comparetur ſcientia illa ſacra, quatenus ſub argumentorum, diſputationum, & ſubtilium diſſertationum prçlo acquiritur, & quaſi diſtillat in mentem? Quę utique dum divinas perfectiones attentius contemplatur, in divini Sponſi corde ſuos alumnos dulciter quieſcere docet? Suaviter inebriatos reddit, dum divinam complacentiam, ad inſtar lactis alte ebibunt: dulci violentia tracti cum ſponſa clamarè coguntur: *Exultabimus & lętabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum?*

D. Franciſcus Saleſius in Praxi Divini amoris lib. 5. cap. 2.

Scholaſtica Theologia in vino, Myſtica in lactè ſymbolizatur.

Cantic. 1. v. 3.

73 Sed veritatem ſub his metaphoris latentem in apertum ducamus. Miniſtrat utique Scriptura Sacra ad inſtar ligni vitæ, ſcientiæque boni & mali labiorum Dei cęleſtes fructus, articulos nimirum fidei, & per ſacros Scriptores, veluti per antiquos exploratores uberes offert uvas. Sed quid inde? Theologia Scholaſtica ſacros illos racemos ſub prælo collocare videtur, dum argumentorum vi, gravi diſputationum pondere, pertinaci ſtudio exercitationum, ac Scholę laborioſo circuitu ſacras ſcrutatur veritates: ut inde vinum diſtillet theriacale ad roborandos fideles, curanda peccatorum vulnera, hæreſumque languores. At quando vinum illud in corde Theologorum charitatis ardore, orationis flamma decoqui contingit, jam veluti lac mentem dulcedine inebriat. Ita enim connexas, amicabilique fœdere in SS. PP. unitas videmus Myſticæ, & Scholaſticæ Theologiæ ſacras notiones, quarum una alteram vicario munere roborat. Inde myſtica Divi Thomæ doctrina eo (inter alia) mirabili pollet auctoritate; quia in doctrina Scholaſtica ſtabilitur, fundatur. Atque adeò Aſſetici tractatores, dum ex Angelico Scholarum Doctore ſuam hauriunt Theologiam, illibatè diſcurrunt; contrariò autem, qui præcisè de rebus myſticis pertractant ſine præſidio Scholaſticæ Theologiæ divi Thomæ, non ſemel ſub ſpecie devotionis in ſcopulo incidunt. Utriuſque Theologiæ notiones diximus, aut munera, quia eadem quantum ad naturam Theologia diverſas habet notiones illas, eo ſolum diſcretas, quod Theologia ut præcisè Scholaſtica immaturum poſſumus dicere vinum, quodquidem calore devotionis, & meditationis ſuaviſsimum efficitur per exercitia myſtica, ut laudatus Saleſius indicat. Niſi cum eodem mitiſsimo Doctore Theologiam Scholaſticam ſanguinem velimus dicere, qui in corde matris in lactem convertitur. Vel tandem ſi auſteritatem, aut aſperitatem Scholaſticæ tractationis, totam in dulcedinem myſtica convertat occupatio, ut cum ſponſa dicere contingat Theologis: *Meliora ſunt ubera tua* (myſticæ lactis) *vino*: (Scholaſticæ aſperitatis.)

Theologia myſtica ſcholaſticæ innixa ſecuriùs incedit.

Cant. 1. v. 1.

AR-

ARTICULUS VII.

Sacra ſcientia, ſtylo ſcholaſtico contra hæreſes directa, ut victorias loquens commendatur.

74 IGNOSCET lector, ſi nimis me diffuſum invenerit in Theologiæ Scholaſticę explicanda & firmanda natura. Id enim neceſſarium judicavi, ut Theologiæ ſtudioſis, proque ſacra hac ſcientia candidatis, pretioſum non contingat cum vili confundere, falſam cum vera Theologia, umbram cum luce, inanem apparientiam cum ſolida veritate. Nec aliud mihi præſtare ſinit cordialis affectus, quo cęleſti huic diſciplinæ dulci adſtrictum violentia officii mei munus, docendique ſuavis neceſsitas trahunt. Theologia igitur Scholaſtica in tuto collocata, tempus eſt oſtendere, quantum præſtet ſtylo communita ſcholaſtico, fidei noſtrę adverſus hęreticos defendendæ, imò & hæreſum monſtra omnigena proterendi (ut alia plura innumerabiliaque honeſtatis, & utilitatis inſignia omittamus, quæ per manus ſacræ Scholaſticæ Theologiæ cęlitus nobis devenerunt.) Ita etiam Eccleſia ſancta innuere nobis videtur, dum Sanctum Anſelmum Cantuariæ Pręſulem eo inter alia commendat: *Quod aſſequutus fuerit famam nedum Sanctitatis, ſed etiam doctrinæ, quam ad defenſionem Chriſtianæ Religionis, animarum profectum, & omnium Theologorum, qui ſacras litteras ſcholaſtica methodo tradiderunt, normam cęlitus hauſiſſe; ex ejus libris omnibus apparet.*

In 3. lect. 2. Nocturni Officii S. Anſelmi.

Scholaſtica methodùs è cælo illuxit.

75 Eſt quippè ſcholaſtici Doctoris proprium (ut Magiſter Sententiarum in prœmio ex Auguſtino tradit) ſcire, quemadmodum fides Catholica & piis opituletur & adverſus impios defendatur. Quod adeò verum eſſe arbitramur, ut ſcholaſticę Theologiæ Doctorem apud vulgum exiſtimari; apud ſapientes verò neutiquam, qui fideles doctrinam ſanam non poſsit docere, & eos qui ſanam non habent redarguere. Nec certè aliam ob cauſam ſcholaſticorum ſobrię diſputationes hęreticis infenſę ſunt, quòd intelligant Catholicam fidem quam expugnare molliuntur, Scholaſticę Theologię inexpugnabili arce muniri. Inde blaſphemantibus licet Lutheranis, ex adverſo ſupremus ſacri depoſiti cuſtos, Petri in Cathedra veritatis ſucceſſor, Scholaſticam Theologiam tanquam novum prę ſidium ad conterendas hęreſes in Eccleſia conſtitutam eſſe palam pronuntiat. Sixtus V. nimirum in Bulla, quæ incipit: *Triumphantis*, cujus hęc prodimus verba: *Divino Dei munere, qui ſolus dat ſpiritum ſcientiæ & ſapientiæ & intellectus, quique Eccleſiam ſuam per ſæculorum ætates, prout opus eſt, novis beneficiis auget, novis præſidiis inſtruit, inventa eſt à majoribus noſtris ſapientiſsimis viris Theologia ſcholaſtica :: ſive ad Patres ſecuriùs & utiliùs perlegendos, ſive adverſus errores varios, & hæreſes detegendos, ac repellendos.*

Sixtus V. in Bulla Triumphantis.

76 Acceperunt (fateor utique) Doctores ſacri ſacrum verbi Dei depoſitum, innotuit mundo Chriſti fides, in omnem terram lux evangelica penetravit, ad fines uſque orbis Catholicę religionis oracula inſonuerunt, abſque humanę ſapientię vehiculo, ſine philoſophię atque rhetoricæ ornamento, inferiorumque ſcientiarum apparatu. Id enim ſuaviſsimę providentiæ omni potentiſsimus juſta & ineluctabilis ordo exigebat. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? :: Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes* ajebat Gentium Apoſtolus, exponitque ejus Diſcipulus: cum enim illi, qui ſapientes mundi reputantur, à via ſalutis defecerint, non ne Deus ſapientiam hujus mundi ſtultam fecit? Quia ſcilicet illi, qui in hac ſapientia pollebant, tam ſtulti inventi ſunt, ut viam ſalutis non acciperent, juxta illud Hieremiæ 10. & 51. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua*; vel paulò aliter poteſt intelligi quod dictum eſt, ac ſi diceret (utique Paulus) perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo: ideſt: eligam eam, nempè ſtultitiam prædicationis in primis meis prædicatoribus, juxta illud Proverbior. 30. ſtultiſsimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum: *Ubi ſapiens, ubi ſcriba, ubi inquiſitor hujus ſæculi*, quod ſcilicet inter prædicatores fidei (primos nempe, ut paulò ante dixerat S.D.) non invenitur.

1. Corinth. 1. v. 20.

D. Thom. ibidem lect. 3.

77 Et quidem Paulum ipſum inter reliquos Apoſtolos litteris ſacris jam, ante acceptum Apoſtolatum ad pedes Gamalielis inſtructum, qualiter ad veritatem Evangelicam diſſeminandum miſſum fuiſſe, ipſemet teſtatur: *Non in ſapientia verbi*; (inquit) ideſt „ in ſapientia mundana, quæ verboſos facit, „ in quantum per eam multis vanis rationi- „ bus homines utuntur: Eccleſiaſt. 6. *Verba* „ *ſunt plurima multam in diſputando ha-* „ *bentia vanitatem.* Proverb. 14. *Ubi verba* „ *ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas*; vel „ ſapientiam verbi nominat rhetoricam, quæ „ docet ornatè loqui, ex quo alliciuntur in- „ terdum homines ad aſſentiendum errori- „ bus & falſitatibus: Unde Rom. 16. *Per dul-* „ *ces ſermones ſeducunt corda innocentium.* „ Et de meretrice dicitur Proverb. 2. in figu- „ ra hæreticæ doctrinæ: *Ut eruarius à muliere aliena & extranea, quæ mollit ſermones ſuos.* Subjungamus ergo cum Bernardo: *Apoſtolum ibi non prohibere ſtudia litterarum* (quibus ipſe jam utilem navavit operam) *ſed nimis affectatam & ambitionis quæſitam humanę ſapientię operam*: quæ duo procul abſunt à vera Scholaſtica Theologia.

1. Corinth. 1. v. 17.

D. Thom. ibid. lect. 3.

78 Concludamus jam Apoſtolum Corinthios fideleſque omnes integro illo teſtimonio modum docere, quo Eccleſia Chriſti primo inſtituta, ejuſque fides per orbem propagata fuit. Dicit enim, quod Deus omnipotentiſsimam ſuæ virtutis poteſtatem oſtēdere volens, non prudentes, aut ſapientes hujus ſæculi deſtinavit, *ſed ſtulta mundi elegit, ut confundat fortia*, theſaurumque doctrinæ ſuæ in vaſis fictilibus mundo erudiendo collocavit, *ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis*: mediis namque ſignis & portentis, quæ Apoſtoli qui erant rudes Piſcatores operati ſunt, opus adeò eximium præſtitit, quale eſt totius orbis converſio ac illuminatio.

79 Inferant inde (per me licet) Theologię Scholaſticæ oſſores, quæcumque quidem ignorant blaſphemantes ſcholaſticum ſubſidium in prima fidei propagatione neceſſarium, imò nec utile fuiſſe, ſemonem Apoſtolorum confirmante Deo, ſequutis ſignis & portentis. Veruntamen ad conſervandum ſacrum illud depoſitum, devitandas prophanas vocuum novitates, arguendoſque contradicentes, quis niſi cæcus, & cęcorum ductor non videat, ſubſidio illo opus habere Apoſtolorum ſucceſſores? Non ne portenta illa, ubi præſertim Chriſtianiſmus viget, magna ex parte ceſarunt? Ceſarunt utique, & quidem convenienter, ut declarat Sanctus Gregorius, in quo aliquando legiſſe memini exemplum pro hac materia aptum: *Quia & nos cum arbuſta plantamus, tandiù eis aquam infundimus quouſque ea in terra jam convaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.*

S. Gregor. Homil. 29. in Evāgel. poſt initiū.

80 Neque enim nova ſigna & portenta ſunt expectanda ad fidei defenſionem, ſed ſicut prioribus Eccleſiæ ſæculis, ubi aliquę exortę ſunt hæreſes, ſelectos Deus ſuſcitavit PP. qui illas arguendo etiam methodicè, ſeu per uſum artis Dialecticæ exarmarunt, ut conſtat pręſertim de Divo Athanaſio, qui Arium proſtravit in Nicęno Concilio, atque ut inquit Photius: *Acutus erat & altus, & argumentationibus omnino vehemens, Logicis autem methodis non tenuiter, aut juveniliter, ut pueri & rudes, ſed philoſophicè & magnificè utens*: ita noviſsimis temporibus Deus Theologos Scholaſticos PP. ſubſtituit, qui non arte ſolum, ſed ſtylo etiam dialectico poſteriores hæreſes, non minori fęnore oppugnarunt. Eo enim fine, datam Theologiam Scholaſticam docuit nos ſupra SS. Pontifex Sixtus V.

Scholaſticę Theologiæ ſubſidio opus fuit poſt prima Eccleſiæ ſæcula.

81 Nec novum eſt, ita commendari ſacram Scholaſticam Theologiam à vigilantiſſimo hoc Eccleſiæ Paſtore, cùm prædeceſſorum ſequutus ſit veſtigia. Jam enim circa finem ſæculi 12. quia multò plures ad Juris Civilis, quam ad Theologiæ ſtudium ſeſe conferebant, veriti Romani Pontifices, ne Juris profeſsio invaleſceret, ac ſenſim ſine ſenſu à Theologiæ cæterarumque diſciplinarum ſcholis ſtudioſos avocaret, ſub excommunicationis interminatione inhibuerunt, ne Monachi, imò nec ſæculares Clerici, Presbyteri, & in Dignitatibus Eccleſiaſticis conſtituti ad audiendum leges admitterentur. Id ſancitum eſt ab Honorio III. Pontifice Maximo anno 1217. referturque lib. 3. Decretorum tit. ult. cap. *ſuper ſpecula*, ibique leguntur hæc verba: *Quia vero Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, ut dilatato ſui tentorii loco funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus reſiſtere valeat, aſcendentibus ex adverſo, ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos perſonatus habentes, necnon Presbyteros hoc extendi volumus, & mandamus.* Adeò utiliſsimam Summi Eccleſiæ Paſtores ſacram ſcientiam judicarunt, gravi methodo arguendi contra hæreticos directam, à SS. PP. in ſubſidium vocatam: unde Auguſtinus de arte Dialecticè arguendi teſtatum reliquit: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt diſſolvenda, & penetranda plurimum valet, tantum ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium.*

Honorius III. in lib. 3. Decret. tit. ult. cap. Super ſpecula.

Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtian. cap. 31.

82 Et quidem (ut alia omittamus) quis dubitet, hæreticos bellum contra Eccleſiam ſumpſiſſe ſublimibus argumentationibus Dialecticę velo quo ad apparientiam ſplendeſcentibus? Contigit etiam non ſemel fideles aliàs mediocriter doctos, ſed intelligendi acumine debiles ad aſpectum falſi illius ſplendòris ſecutiiſſe, offuſcatoſque in erroribus fuiſſe. Ut ergo hęreticorum arma illa confringerentur, & confringantur, adverſuſque ipſos retorquantur; vera docet Dialectica, etherodoxa ſophiſmata in apertum prodere, cujus rei exempla offerunt plurima antiqui PP. contra antiquos de myſterio Trinitatis malè audientes, & ſophiſticè argumentantes hæreticos; quibus in erroribus ſuccedentes moderni Sociniani illorum ſophiſmata reproduxere. Ex adverſo Scholaſtici Theologi antiquorum PP. pro doctrina fidei cuſtodienda ſucceſſores, nova vel renovata eorum ſophiſmata extricarunt, infumumque abire coëgerunt, cogunt. Ut inde appareat meritò à Clemente Alexandrino pronuntiatum eſſe: *Perſpicuitas confert ad tradendam veritatem, & Dialectica ne proſternamur ab hæreſibus. Eſt quidem per ſe perfecta ſervatoris doctrina, & nullius indiga, cum ſit Dei virtus & ſapientia: accedens autem Philoſophia, non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adverſus eam efficit ſophiſticam argumentationem: & propulſans doloſas adverſus veritatem inſidias, vineę eſt ſepes & vallum. Et quę eſt quidem ex fide veritas, tanquam panis neceſſaria eſt ad vivendum: quæ autem pręcedit diſciplina, eſt obſonio ſimilis & bellariis. Deſinente autem cœna, ſuavis eſt placentula.* Hac diſputandi methodo Arium poſtratum diximus in Concilio Nicęno per Athanaſium. Nec mirùm eam ſortiatur vim methodus hujuſmodi, quippèque naturæ rationalis conformis ad modum eſt. Etenim (ut aliquando urgebat Magiſter

Clement Alexād. lib. 1. ſtromatum.

Soto. * Homo rationale animal eſt, qui nulla idcircò vi magis viaque pollet ad eruendam undecumque veritatem, atque ex ſuis cauſis deducendam, quam ratiocinatione & diſcurſu. Atque adeò ut rerum cauſas naturaſque diſquirat, conſequentia judicet, & conciliet contraria, incognitum denique quidvis ex penitiſsimis latebris in lucem prodat, nulla re magis adjuvatur quam congreſsibus, ſi ordine fiant; cæteriſque ſcholaſticis exercitiis. Cum enim naturam fides non averſetur, ſed perficiat, vicaria ſe luce mutuò perfundunt. *

ARTICULUS VIII.

Scholaſticum ſtylum antiquo-novum monſtrat.

83 SIT notum jam, ſcholaſticum differendi ſtylum à primis naſcentis Eccleſiæ ſęculis in uſu fuiſſe apud priſcos Patres; nec ita novum eſſe, ut etherodoxi blaterantur: licet novam formam, novamque perfectionem ſuccedentibus ævis acceperit; quo ſenſu affirmavit magnus Gregorius: *Scientiam ſpiritualium Patrum, per incrementa temporum creviſſe.* Idipſum exemplo apparet in ipſo Sole ejuſque luce, quæ cum prima die quo ad ſubſtantiam, informis tamen producta fuerit, poſtmodum tamen novam perfectionem accepit, novamque virtutem ad producendos effectus particulares; ut ex magno Dionyſio docuit nos magnus Dionyſii diſcipulus illis verbis: ,, Et ideò eſt dicendum quod ut ,, Dionyſius dicit cap.4. de Divinis nominibus quod illa lux fuit lux Solis, ſed adhuc ,, informis, quantum ad hoc, quod jam erat ,, ſubſtantia Solis: & habebat virtutem illuminativam in communi, ſed poſtmodum ,, data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ,, ad particulares effectus. Hujus igitur ſtabiliendæ veritatis gratia diſtinguendum eſſe congruit inter ſtylum ſcholaſticè differendi in ſacra ſcientia quo ad ſui naturam ſubſtantiamve: & inter novam accidentalem perfectionem ipſi decurrentibus ſæculis acreſcentem: eo ſolum intercedente diſcrimine, quod jam pridem in articulis ipſis fidei Doctor notavit Angelicus: ,, Eos nimirùm quo ad ,, ſubſtantiam numquam acceptos eſſe augmentum; creviſſe tamen quantum ad majorem explicationem. Sed quid prohibet ita loquentem Thomam audiamus: ,, Sic ergo dicendum eſt, quod quantum ad ſubſtantiam articulorum fidei non eſt factum ,, eorum augmentum per temporum ſucceſſionem: quia quęcumque poſteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum licet implicitè. Sed quantum ,, ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quædam explicitè cognita ſunt ,, à poſterioribus, quæ à prioribus non cognoſcebantur explicitè.

D. Gregor. Homil.46.in Ezechiel. apud D. Thom. adducendum.

S. Dionyſ. cap. 4. de Divin. Nominib.

Scholaſticus ſtylus novam per dies perfectionem accepit.

D.Thom.1.par. queſt.67.art.4. ad 2.

D. Thom. 2.2. q. 1. art.7. in corpore.

84 Igitur Scholaſtica Theologia, ſecundum quod habet argumentativo procedere modo, atque per ſolidæ Dialecticæ artem ex principiis fidei proprias deducere concluſiones, ad fidem ipſam conſervandam, exponendam, declarandam, contra infideles inſuper & hęreticos defendendam (ut cum Auguſtino & Baſilio notavimus ſupra) ſtylo utitur Scholaſtico quo ad ſui naturam & ſubſtantiam. Verumtamen ſervat novum ordinem in tradendis theologicis doctrinis, novamque diſpoſitionem in abſolvendis diſputationibus: in nonnullis etiam ſubortis dubiis utiliter & ſubtiliter reſolvendis pro novis inſurgentibus hæreſibus diſsipandis juxta illud magni Gregorii: *Cum graviora prodeunt hoſtium certamina, tum profectò ſunt ſubtiliora ſpicula requiſita*: Et Auguſtini. *Singulas quaſque hæreſes intuliſſe proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur ſcriptura divina.* Et inde notatum volumus, quam immeritò Theologos Scholaſticos hæretici carpant, quod novas quæſtiones (graves inquam & utiliſsimas) in ſcholam vocant. Inſuper ſi ſtudiorum, univerſitatum, doctoralium graduum inſtitutionem attendamus, aliaque hujus generis, novam ſolùm accidentaliter perfectionem, novamque formam Scholaſticæ Theologiæ, ejuſque ſtylo ſuperadditam dicimus.

Auguſt. lib. de Dono perſeverant.cap.20.

85 Jam ergo ad antiquitatem ſtyli ſcholaſtici quo ad naturam & ſubſtantiam devenientes eam ab antiquis temporibus deſumendam eſſe inficias ire nullus debet: imò in Lege Gratiæ ab ipſo Jeſu Chriſto, à quo legem accepimus, deſumendam eſſe nemo ambigere debet. Chriſtus enim Dominus, qui è Cęlis ad terram deſcendit, ſacram ſcientiam edocturus hac differendi methodo veritatis hoſtes convicit ſæpiſsimè, obmuteſcereque fecit. Hujus rei cum plurima ſint exempla, unum aut alterum producere ſat erit. Imprimis enim immortalitatem animæ, reſurrectionemque mortuorum contra Sadducęos hac ſubtili ratiocinandi forma oſtèdit: Deus in Scriptura Veteris Teſtamenti Deus Abraham, Iſaac, & Jacob, quamſepè vocatur: cum ergo Deus non dicatur mortuorum ſed vivorum, neceſſum erit Abraham, Iſaac, & Jacob vivere adhuc: at non ſecundum corpus, ergo ſecundum animam, quæ non moritur. Aliundè ſi eſt Deus vivorum, ergo & totius ſuppoſiti, vivere quippè ſuppoſitorum eſt: ergo cum Abraham, Iſaac, & Jacob mortui ſint, ſequitur quod ſint aliquando reſurrecturi. Et ut alia exempla omittamus, non ſubjungere non poſſumus ſubtiliſsimam ratiocinationem, qua ſuam Divinitatem contra Phariſæos oſtendit Chriſtus Dominus eos ita interrogans: *Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt?* Cum autem reſpondiſſent ei: *David*, ita

Antiquitas ſtyli ſcholaſtici quo ad ſubſtantiam.

Matth. 21. à v.31.

Eo ſtylo Chriſtus D. & Apoſtoli uſi fuere ad revincẽdos veritatis hoſtes.

Matthæi 22. à v.42.

redarguit: David vocat Chriſtum Dominum ſuum: ergo Chriſtus non eſt filius David: cum ergo ſecundum carnem & naturam humanam dicatur filius David in Scripturis ſanctis, neceſſum erit naturam Divinam ponere in Chriſto Domino, ſecundum quam non David, ſed Dei filius eſt. Præterea Chriſtus D. ut Phariſęos redargueret; ita eos vi conſequentiæ peremit. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: Siquidem ex fructu arbor agnoſcitur.* His enim ,, verbis, Phariſęos conſtringit Chriſtus D. ,, (loquitur S. Hieronymus) ſyllogiſmo quem ,, Græci vocant *aphyctum*, nos *inevitabilem* ,, poſſumus appellare, qui interrogatos hinc ,, inde concludit & in utroque cornu premit. *Si* (inquit) *Diabolus malus eſt, bona ,, opera facere non poteſt: ſi autem bona ſunt ,, quę facta cernitis, ſequitur ut non ſit Diabolus qui illa fecit*: Neque enim fieri poteſt ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum.

Matth. 12. v. 33.

S.Hieron. apud D. Thom. ibidẽ in Catena aurea.

86 In ſchola Chriſti Apoſtoli inſtructi exurgentes hæreſes ſimili arguendi methodo diſsiparunt: præſertim Paulus Theologica ſcientia in Cęlis imbutus, ſicut plus omnibus, in deferendo ad gentes nomine Jeſu laboravit, & in docendo pariter; ita nullus vehementiori efficacia contra Judæos, Gentiles, & Hęreticos ſacram ſcientiam illo diſſerendi genere direxit; nihilque ferè aliud ejus redolent epiſtolæ. Ad Romanos enim nono inde Theologicè probat gratiam non eſſe ex operibus: quia ſi ex operibus eſſet, debita pariter nobis eſſet; ſed quod debitum eſt, non dicitur eſſe ex gratia: ergo ſi gratia ex operibus eſſet, non poſſet nec eſſe nec vocari gratia. Præterea Theologicè arguendo Apoſtolus reſurrectionem noſtram ex reſurrectione Chriſti methodicè procedens à cauſa efficienti ſimul & exemplari (ut loquitur D.Thomas) ad effectum. Neque huic doctrinæ obſtat, propoſitiones illas illatas formaliter ſub revelatione cadere, ut inde concluſiones theologicę dicendæ non ſint. Quandoquidem propoſitiones illæ quantumvis prout in ſeipſis formaliter revelatæ ad fidem pertineant; verumtamen quatenùs ex pręmiſsis (in quibus virtualiter tantum continentur) legitimè deducuntur ad Theologiam & quidem quam maximè ſpectant. Quia ſi ut loquitur Div. Thomas: *Propria hujus ſcientiæ cognitio eſt, quæ eſt per revelationem*; eo magis concluſio aliqua ad Theologiam ſpectabit, quo magis ex revelatis procedit, ſivè quo magis divinæ revelationi (medio tamen diſcurſu) innititur. Si autem Deus nedum pręmiſſas revelaret, & concluſionem atque bonitatem illationis; dicendum eſt, quod propoſitio illa ſeu concluſio illata ad fidem pertineret, & ad Theologiam: aliter tamen & aliter, ad fidem quidem, quatenùs intellectus illi aſſentiretur immediatè propter revelationem Dei de bonitate hujus conſequentiæ: ad Theologiam verò, quatenùs eidem aſſenſum præberet, præcisè ob eandem bonitatem conſequentiæ ſecundum ſe ſpectatam, qua mediante ipſi innoteſceret, talem concluſionem eſſe in præmiſsis mediatè revelatam; neque enim eam ſic fides attingeret, utpotè cujus motivum adæquatum eſt teſtimonium Dei formale & immediatum.

1. Corinth. 15.

D.Thom. ibidẽ lect.2.

D.Thom.1.par. q.1.ar.6. ad 2.

Quænam ſit cõcluſio theologica.

87 Cæterùm ad pleniorem notitiam concluſionis Theologicæ, quæ verè ac propriè eſt talis, obſervare hìc non pigebit; quod cum nomine concluſionis Theologicæ ſignificetur propoſitio, quæ ex una vel duabus veritatibus à Deo in ſeipſis proximè, ſeu formaliter revelatis, per conſequentiam neceſſariam eruitur. Duplex in propoſito diſtingui poteſt hujus generis concluſio; nam alia eſt expoſitiva tantum, ſeu declarativa alicujus articuli ad fidem pertinentis, ſeu quæ aliis tantum verbis explicat id, quod explicitè continetur in aliqua veritate immediatè revelata à Deo, unde deducitur. Ut in iſto ſyllogiſmo: *Chriſtus eſt verus homo, ſed verus homo corpore & anima unitis conſtat: ergo Chriſtus corpore & anima unitis conſtat.* Iſta concluſio non dicitur, nec eſt (ſaltem propriè) Theologica, quia non virtualiter, ſed formaliter eſt revelata in majori, in qua formaliter continetur, & cujùs etiam eſt tantum explicatio. Verùm propoſitio virtualiter contenta in veritate formaliter revelata, tanquam effectus in cauſa, verè ac propriè Theologica eſt concluſio, quia non proximè immediatè & formaliter, ſed remotè, mediatè, & virtualiter tantum in pręmiſſis vel in pręmiſſa, quæ ad fidem immediatè ſpectant vel pertinent, eſt revelata. Inter concluſiones Theologicas non videntur pariter recenſendæ (propriè ſaltem) propoſitiones illæ particulares, quæ tanquam partes continentur in propoſitione aliqua univerſali, formaliter revelata; quia propoſitiones particulares, ſub univerſali contentæ tanquam partes, ſunt formaliter revelatę licet implicitè, eo ipſo, quod univerſalis eſt revelata formaliter: unde ad fidem potiùs, quam ad Theologiam propriè pertinent. Exemplum ſit in hac propoſitione particulari: *Hic ſingularis homo ritè baptizatus accipit gratiam*; quæ in iſta univerſali: *Omnis homo ritè baptizatus accipit gratiam, revelata eſt immediate ac formaliter, ſed implicitè tamen.*

88 Poſt Chriſtum D. & Apoſtolos Apoſtolorum Diſcipuli, & Succeſſores ſtylo ſcholaſtico (quem diximus, quo ad ſubſtantiam) uſi fuere: per artem nimirum Dialecticæ ex principiis fidei proprias concluſiones deducentes; cùm ad veritates fidei declarandas; tùm ad hæreſes oppugnandas. Hanc enim artem SS. Patres apprimè callebant, ac frequenter etiam uſurpabant. Itaque, jam S. Hieronymus in Cathalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum de Panthęno verba faciens non obſcurè indicat à temporibus D. Marci Evangeliſtæ in Alexandria Theologię fuiſſe Scholam, in qua poſt Clementem Presbyterum, Origenem ejus Diſcipulum publicè docuiſſe. Item Euſebius Panthænum ejuſdem Clemen-

Antiqui PP. illo, quem diximus ſtylo, hæreticos cõfutarunt.

Hieron. in Cathalogo Scriptorum Eccleſiaſt. & Epiſt.64.

Euſebius lib.5. cap. 10.

tis Prçceptorem eidem Scholæ præfuiſſe refert. Inter primos etiam Theologos communiter recenſentur S. Dionyſius Areopagita, qui fuit Apoſtolorum diſcipulus, & ſæculo ſecundo Sanctus Juſtinus Martyr. A ſæculo 3. uſque ad finem 6. ſæculi adverſus Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Pelagianos, & alios hæreticos decertarunt, (& quidem virili animo) plures Patres, qui fuere Theologi præſtantiſsimi, nempè ex Grçcis Ss. Athanaſius, Baſilius, uterque Gregorius, Niſſenus, & Nazianzenus, Cyrillus, &c. Ex Latinis vero, SS. Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, &c. Ineunte ſæculo 7. S. Iſidorus Hiſpalenſis florebat in Hiſpania; ac circa ejuſdem ſæculi finem, nec non principium ſequentis Venerabilis Beda in Anglia ambo Theologi inſignes.

89 Ad originem quod attinet ſtyli ſcholaſtici eo ordine & diſpoſitione, quo noſtra floret ætate non me præterit, S. Joannem Damaſcenum ex Græcis Patribus Theologiam ad certos limites traxiſſe; adhibita etiam ſcholæ aliquali methodo circa octavum ſæculum: atque ex Latinis Patribus ſæculo undecimo finiente Sanctum Anſelmum, cælitùs accepiſſe diximus methodum illam ſcholaſticè differendi: unde SS. iſtos PP. non immeritò novi ſtyli ſcholaſtici anteſignanos dixerim. Verumtamen ſæculo 12. in meliorem formam Scholaſticam Theologiam redegerunt Scriptores celeberrimi collectis Scripturæ ſacræ SS. PP. & Conciliorum ſententiis ordine quodam Diſciplinæ directis. Inter illos namque Theologos Primas tenet, ac facile omnium Princeps, & non ſine honore nominandus eſt Petrus Lombardus ſic vulgari cognomine dictus, natione Inſuber, Patria Novarienſis. Sicut enim Inſubria à Longobardis ſive Lombardis ſuis quondam incolis, Longobardia ſive Lombardia dicta fuit; ita & Petrus noſter Lombardus vulgo cognominatur. Et quamvis non omnia probentur, quæ in ſententiarum libris docuit Petrus Lombardus, præſertim in articulis viginti ſex ad calcem libri illius appoſitis: nihilominus jure meritò Magiſter Sententiarum appellatur. Ex Academia enim Bononienſi ad Pariſienſem tranſlatus, ibique in Epiſcopum aſſumptus doctorales gradus inſtituit; atque (ut Henricus Gandabenſis habet) Theo-

Novæ ſtyli ſcholaſtici methodi origo, & tranſcurſus.

„ logiæ Scholę Pariſiis Præſidens ſcripſit qua-
„ tuor libros ſententiarum, opus magnum &
„ arduum, quo opere uſque hodie vel ma-
„ ximè utuntur ſtudia Theologorum.

Indè Sixtus Senenſis: omnes Theologorum Scholas Petrum Lombardum ſingulari quadam venerationis excellentia Magiſtrum Sententiarum appellare, & in ejus Theologiæ compendium, innumerabilia diſputationum volumina eruditiſsimos clariſſimarum toto Chriſtiano Orbe Academiarum Theologos elaboraſſe. Ferunt aliqui ex vulgo Petrum Lombardum, Gratianum, & Petrum Comeſtorem Germanos fratres fuiſſe ex adulterio procreatos, quorum mater de peccato, quo tantos viros pèpèrat, vix dolere potuerit. Sed hęc hiſtoriola inter aniles fabulas reponenda eſt, cum certiſsimè conſtet Petrum Lombardum Inſubrum fuiſſe & patria Novarienſem; Gratianum ex Etruria in Oppido Cluſio oriundum; Petrum vero Comeſtorem natione Gallum patria Trecenſem. Quid igitur fieri potuit, ut tres illi inſignes viri nationibus adeò diverſis ex ejuſdem matris utero prodierint?

Sixtus Senenſis lib.4.Bibliotheca.

90 Subjungere hic placet ſcientiam Canonicam ad inſtar ſacræ ſcientię ſuos habuiſſe progreſſus: Etenim ipſo ſæculo duodecimo Juris Canonici diſciplinam illuſtrarunt clariſsimi viri, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, & Gratianus. ✻ Porro licet in Galliis (verba ſunt eruditi Graveſonii) duodecimo Eccleſiæ ſęculo vigere cæperit juris Canonici ſtudium, illud tamen in Italia & præſertim Bononiæ magis fuiſſe exultum, ex eo maximè patet, quod ſicut hi, qui artes liberales & Theologiam perfectè callere cupiebant, ad Pariſienſem confluebant Academiam; ita & illi, quibus Juris Canonici ſcientiam in animo erat in ipſo fonte haurire Bononiam petebant, teſte Nekamo ajente: *Juris peritiam ſibi vendicat Bononia, ſed cęleſtis Scriptura, & liberales artes Civitatem Pariſienſem cęteris præferendam eſſe convincunt.* ✻ Hujus profeſsionis Juris Canonici Bononiæ inſtitutę originem acceptam referre debemus à Gratiano Bononienſi Monacho, qui corpus decretorum Pontificiorum, & Canonum Eccleſiaſticorum conflavit, quod Eugenius III. Pontifex Maximus in Univerſitatibus, ſeu ſtudiis generalibus maximè Bononię publicè perlegi juſsit; & ſuggerente eodem Gratiano gradus quoſdam Academicos excogitavit, ſcilicet, Baccalaureatus, Licentiatus, & Doctoratus, ut hocce ſpecioſo titulo ſtudioſos ad jus Canonicum amplectendum excitatet, & privilegiis accenderet. Aliqui ante Gratianum Collectiones Canonum dederant, ut Dionyſius Exiguus, Creſconius, Burchardus, Ivo, & ſi qui alii ſunt; ſolus tamen Gratianus id obtinuit, ut publicè in Scholis perlegeretur, & multorum doctiſsimorum virorum commentariis illuſtraretur.

Graveſonius tom.4.fol.163.

Nova in ſcientia Canonica methodus.

NeKamus lib. 2. de Naturis rerum.

91 Sed ad noſtrum regredientes inſtitutum ſuperaddere congruit, maximam perfectionem & efficaciam additam fuiſſe Scholaſticæ Theologiæ circa ſæculum decimum ſextum ad revincendos hæreticos. Gloriabantur enim illius ſæculi novatores linguarum, Hæbraicæ prçſertim, & Grçcæ peritia, atque Latinæ elegantia. Inſuper, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia; ſicque Scripturam ſacram, Sanctoſque Patres antiquiores obtorto collo ad ſuas partes trahere molliebantur, ſuis vanis artibus ſuffulti. Imò linguarum & Eccleſiaſticæ eruditionis ignorantiam elato ſupercilio objiciebant noſtris Theologis. Qua propter Theologię Scholaſticę ſtudio (ea præſertim tempeſtate) linguarum peritiam & elegantiam ſapientiſsimè adjunxerunt, ut falſas, Scripturæ ſacræ & Priſcorum Patrum interpretationes ſoliditate ſimul & eleganti perſpicuitate oppugnarent; atque in Sanctis Patribus genuina ſecernerent à Spuriis, falſoque aſſutis Sententiis. Et quantum pertinet ad hiſtoriam Eccleſiaſticam ſolidâ criſi poſteris tradendam, inter plures ſęculo illo florecentes eruditos viros eminet Cęſar Baronius eruditione non minus, quam Purpura Orbi toti litterario notus. A Santiſsimo enim Patriarcha noſtro Philippo, tamquam chariſsimus filius in ſpiritu Apoſtolico genitus & nutritus, vaſtiſsimam illam Provinciam ſęliciter excolendam aſſumpſit; fęliciuſque ad optatum finem perduxit; ipſo Patriarcha Philippo hortante, præcipiente, imò & manum veluti ducente; ut de tanto Patriarcha ingenuè fateatur Baronius, quod æterna ſapientia, Chriſtus ipſe Redemptor docuit, cùm de Patre ad Philippum Apoſtolum dixit: *Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Quid ergo mirum de Cardinali Baronio (contra infernales illas Magdeburgenſes centurias in ſuis Annalibus differente) ita pronunciet Laudatus Graveſonius: *Quod licet plures eruditi Scriptores Catholici in illis falſitatibus diſsipandis egregiè inſudaverint: Palmam tamen omnibus prærripuit Eminentiſſimus, & omni laude ſuperior Cardinalis Cęſar Baronius, qui iſtud natalitiis tenebris damnandum opus ſolidiſsimè ac dilucidiſsimè diſpungit, cribravit & in pulverem redegit, inſigni illo, nec umquam ſatis laudato opere Annalium Eccleſiaſticorum.*

Novam ſcholaſticæ Theologiæ perfectionem addidere linguarũ cultura, & Eccleſiaſticæ hiſtorię notitia à ſæculo 16.

Baronius tomo 8. in gratiarum actione præmiſſa ad PP. Philippum.

Joan.14.v.10.

Graveſonius tomo 7. colloquio 3.

92 Hac arte in Theologia Scholaſtica utiliter Theologi profitient, neglectis vanis, & frivolis quæſtionibus, nugis, & quiſquiliis, quadam innovandi prurigine introductis. Cum tamen vera Theologia circumſcribi debeat terminis à Majoribus ſapienter conſtitutis, illeque dumtaxat in hac divina ſcientia ſapiens haberi debet, qui ſapientis normam ex Divino Sapientiali libro addiſcit: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit: Narrationem virorum nominatorum conſervabit.* Hanc regulam qui ſequuti fuerint, pax ſuper illos, & in pace Theologia, quæ poſuit fines ſuos pacem, ejuſque locus factus eſt in pace. Inde ſapientes in divina ſcientia PP. & antiqui Theologi evaſerunt: Inde Magnus Baſilius, & Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus meritò commendantur, quòd ſacrorum librorum ſententias non ex proprio ingenio, ſed ex Majorum ratione & auctoritate interpretarunt. Ut jam proinde cum laudato Mag. Medidina dicas: ✻ *Is erit Theologus tam admirabili nomine dignus, qui de rebus divinis & de ea, quæ in nobis eſt fide, & gloria ſpei, paratus eſt reſponſa dare, & quæ audivit à Patribus ſuis committere fidelibus hominibus, qui idoneus eſt alios docere, qui rectè tractat verbum veritatis. Operarius inconfuſibilis qui numquam ſit in ſermone adulationis aut vanitatis, neque prætextu avaritię. Qui non quærat gloriam ab hominibus.* Qui ſit doctor ad perfectionem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem Corporis Chriſti, ut exhibeat omnem hominem perfectum in Chriſto, & hunc (pleno ore) appello Theologum. Qui verò de rebus inanibus aut inutilibus quæſtiones ſerit, eum theologaſtrum liberè pronuncio. Sed hoc ad abuſum hominum pertinet, non ad condemnandam artem. ✻

Non debet Theologus terminos tranſire à Majoribus conſtitutos.

Eccleſiaſt. 39.

In officio Eccleſiaſt. S.Greg. Nazianzeni.

93 Conſpirant ergo vera Scholaſtica Theologia, & poſitiva (ſive eadem cum duplici munere) ſibique mutuo auxilium præſtant, nec una ſine altera eſſe debet. ✻ Quia ſicut Theologia Scholaſtica (inquit Graveſonius) contra fidei hoſtes ſua arma ex Theologia poſitiva promit; hoc eſt, ex ipſis Scripturæ Sacrę fontibus, ex doctrina Sanctorum Patrum, ex definitionibus Summorum Pontificum & Conciliorum, ſeu ex auctoritate Eccleſię ſua potiſsimùm haurit argumenta: ita & Teologia poſitiva mutuatur à Scholaſtica modum hæc arma tractandi, ſeu adverſus fidei hoſtes bellandi peritiam. Unde ſicut Theologus Scholaſticus ſine prçſidio Theologiæ poſitivæ caret omninò armis, quibus fidei hoſtes aggredi, impetere, ac proſternere quæat; ita vir Theologiæ poſitivę peritus, ſed auxilio Theologię Scholaſticæ deſtitutus, artem armis quibus inſtructus eſt cum ſolertia & induſtria utendi, ſeu modum contra inimicos Eccleſiæ bellandi unquam callere haùd poterit; eritquè planè ſimilis Davidi, qui ut dicitur, poſtquam eum Rex Saul induiſſet veſtimentis ſuis, & impoſuiſſet galeam æream ſuper caput ejus & veſtiviſſet eum lorica: *Cępit tentare ſi armatus poſſet incedere, non enim habebat conſuetudinem; dixitque David ad Saul: non poſſum ſic incedere, quia uſum non habeo & depoſuit ea.* ✻

Poſitiva & Scholaſtica Theologia amicabili fædere contra fidei hoſtes decertant.

Graveſonius tomo 4. colloquio 6. fol.166.

1. Reg. 17. v. 39.

ARTICULUS IX.

Contra Sacram Scholaſticam Theologiam attentatas calumnias, in ipſos Etherodoxos calumniatores detortas oſtendens.

94 CONTRA veram Scholaſticam Theologiam putidum ab hæreticis objectũ ſchema illud eſt primum, ut obganiant, quod Theologica illa diſciplina barbara in locutione ſit, & inquinata novis vocabulis à cultura politi & limati ſtyli quàm maximè abhorrentibus. Verumtamen (ut obiter dicam) non abeſt omninò à Theologia Scholaſtica ſermonis ille nitor & caſtigatæ dictionis elegantia, cui Theologi quam plures Scholaſtici non medioeriter indulgent. At quamvis exquiſita illa cultura, verborum, nitor, & orationum elegantia ita deſideraretur in ſacra hac ſcientia, cujus eſt ſcripturarum

rum arcana fidelibus pro ſuo captu oſtendere, quid inde oblatrandi occaſionem ſumant hæretici ? Obganiant illi, irrideant, conclament, dum Theologis Scholaſticis pronuntiatum illud Auguſtini aſſumere video: *Melius eſt ut irrideant Grammatici, quam ut non intelligant populi.* Quid inſuper enim ? Sua cuique arti erunt concepta verba, ſuæ pictoribus, nautis, militibus, aliſque id genus artificibus, erunt voces certæ atque ſolemnes, etſi deſint, fingent ad arbitrium, reclamante nemine, & Theologis non eadem dabitur venia ? Non eis licebit iſtud inter diſputandum intercalare verbum *concedo*, *nego*, *diſtinguo*, *&c.* aliaſque ſolemnes ac ſæpiùs in ſcholis frequentatas uſurpare voces; quę licet ob inelegantiam ad ſalivam quorumdam non ſatis temperatę videantur, ſunt tamen ad res expreſsiùs ſignificandas, & ad difficultates promptiùs ſubtiliùſque expediendas per quàm appoſitè excogitatæ?

Nova vocabula utiliter Sacra Theologia invenit.

95 Evolvant, evolvant loquaces hęretici, & ignari grammutiones eruditionem plenis buccis concrepantes, evolvant antiqua priſcorum Patrum & Conciliorum monumenta, ſtatimque in voces illas offendent, etſi Therentio, Ciceroni, aliiſque ſimilibus ignotas. Invenient in Lactantio Firmiano, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino vocem illam *Incarnatio* ſacris litteris etſi non expreſſam, conſentaneam. Invenient vocabulum *tranſubſtantiatio*, pręſertim in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. In Concilio Nicęnò inventa vel conſecrata eſt illa *homoution*, ſeu *conſubſtantialitas*. In Concilio Epheſino primùm audita eſt vox illa *Theotocos*, ideſt *Deipara* & ſic de aliis ſexcentis exemplis, quorum abundat antiquitas. Et quidem Ciceroni ipſi conveniens apparuit nova vocabula invenire, *cum novę res apparent, ſemper licuiſſe* (ſcribit) *ſemperque licere novis adinventis rebus nova adinvenire vocabula.* Ettamen quod Ciceroni licere viſum fuit, Conciliis, Patribus, Theologis non licebit? Concludamus ergo cum Auguſtino: *Non timeamus Grammaticorum ferulas, dum tamen ad veritatem ſolidam cognoſcendam perveniamus :: mallem cum Barbariſmo dicere, non eſt occultatum oſſum meum, &c. quam os meum, ut ſit minus apertum, quia magis latinum eſt.* Item, *quid prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt, aut quid obeſt lignea, ſi poteſt?*

Lactantius lib. 4. inſtitut. cap. 11.
S. Cyprianus lib. 2. contra Judæos cap. 2.
S. Hieronym. in cap. 1. Marcii.
S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu S. cap. 12.
S. Auguſt. lib. 12. de Civitate Dei cap. 24.
Cicero lib. 1. Academ. quæſtionum lib. 2. de finibus.
S. Aug. tract. 2. in illud Joann. qui nō ex ſanguinibus, *lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 3. lib. 4. c. 11.*

96 Secundum contra ſacram Scholaſticam Theologiā hæreticorum objectū illud eſt, quod hæc diſciplina ad methodum ſcholæ deducta, contentionibus plena eſt & certaminibus agitata; in variaſque ſcholas diviſa, jam Thomiſticam, jam Scoticam, aliaſque id generis: erit ergo (inquiunt Lutherani) Theologia Scholaſtica, terrena, animalis, diabolica, quam condemnat D. Jacobus: *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus, & contentio :: quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.* In hac objectione, veluti cæcutientes & cæci in propriam ruinam ipſi etherodoxi demerguntur; dumque Catholicos hac jejuna ratiocinatione ferire non valent, ſe ipſos jugulant. Etenim diſcrepantibus Theologis, contendentibuſque (exercitationis gratiâ) in aliquibus opinionibus, veritatis agnoſcendæ gratiâ, ſummè tamen concordes inveniuntur circa doctrinam fidei, ſacras traditiones, Eccleſiæ præcepta, dogmataque Sanctorum Patrum oraculis ſtabilita. Videre etiam licet in Theologis Catholicis in ſacras litteras humilis reverentia, effulgens pudicitia (primus color in pictura ſapientiæ, quæ reformat imaginem Dei in anima per peccatum deformata) pax (hominem pacificans cum Deo, hominem cum homine, & in eodem homine ſpiritum cum carne, ut carnem ſpiritu ſubjiciens.) *Modeſta* (modum non excedens, ultra fineſque debitos non progrediens.) Videre etiam eſt Theologorum doctrinam, qua à defectibus ſuis corrigi non retractant, aliorum bona promovent imitatione, miſericordes fiunt, bonis operibus abundant, à falſis & temerariis judiciis abſtinent, ſimulationemque & hypocriſim fugiunt.

Jacob. 3. à v. 15.
Sapientia cæleſtis, quęnam.

D. Thom. ibidē, vel Auctor illius Cōmentanii, exponit utriuſque ſapientiæ conditiones.

97 At hæreticis objicientibus ſcientia ineſt prędictis characteribus ſignata? Minime gentium. Potius enim objectæ conditiones adamuſim hærent objicientium phantaſticæ Theologicæ diſciplinæ. In hæreticorum ſcholis infinitæ ſunt diſsidentes ſectæ in ipſis Chriſtianæ religionis præcipuis myſteriis, quin poſsibile ſit ad concordiam revocari abjecto viſibili Eccleſiæ Capite ſupremoque controverſiarum Judice, Jeſu Chriſti Vicario, ac adhibita ſolum pro regula Spiritus Sancti commentita interiori inſpiratione, pro voluntate & exiſtimatione uniuſcujuſque hęretici conficta. In illis videre eſt rabidos ad invicem morſus amaritudine plenos, terrenę gloriæ cupiditatem, voluptuoſę & carnalis vitæ (more animalium) oblectamenta; ambitionemque inſatiabilem, quam ſuggerit Diabolus. Ut inde eorum pſeudo-theologia, terrena, animalis, diabolica jurè prædicetur. Niſi aliter dicatur (& incidit in idem) *terrena* propter concupiſcentiam oculorum, *animalis* propter concupiſcentiam carnis, *diabolica* propter ſuperbiam vitæ. *Omne quod in mundo eſt concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.*

Sapientia terrena animalis & diabolica, qualis eſt, & in quibus.

1. Joann. 2. v. 16.

98 Videant hęretici (depulſis aliquantulum propriis ſuperciliis) videant ſuperbi Grammatici Eraſmus & Valla, quænam damnetur à S. Jacobo Theologia? Atque ſi in Therentio, Homero, aliiſque ſumma veneratione proſequutis Auctoribus, id non inveniunt, Theologum Scholaſticum unum inter alios audiant, Mag. Medina eleganter diſſerentem, dignumque ut à Theologię candidatis audiatur. * Libet hic explicare quam ſcientiam condemnet D. Jacobus in illa ſententia, quam reprehenſores Theologiæ à ſe proferunt. An quam habent Theologi? An verò quam jactant Grammatici? In primis oſten-

Mag. Medina ubi ſupra.

oſtendit Jacobus, quod qui zelum animarum & contentiones in cordibus ſuis habent, non eſt cur glorientur nomine Theologię aut ſapientiæ divinæ, qua in ſententiâ vitium hominum condemnat, non facultatem ſcientiæ, quin potius condemnat omnes Grammaticos, omnes Lutheranos qui noſtrę Theologię inſultant. Hi enim ſunt, qui conſtant ex felle & amaritudine, qui plauſtra contumeliarum afferunt, qui rabiosè doctis omnibus maledicunt, antiquos Patres ſpernunt, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, & cęteros Eccleſię Heroas prę ſe deſpiciunt, & libros Propheticos & Apoſtolicos contumeliâ afficiunt. Hi ſunt qui ſemper inter ſe ſunt diſcordes, furiosè inter ſe dimicant, reſiſtunt contumacitèr, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, qui catholico ſenſui repugnant, qui terminos quos majores noſtri nobis poſuere audacter tranſiliunt, qui antiquitatem contumeliâ afficiunt, catholicum ſenſum non venerantur, contendunt omnia certa incerta reddere, conantur omnia in ambiguo relinquere, vel ſaltem laborant (virgulâ cenſoriâ arreptâ) de omnibus judicium uſurpare, de ſacris cæremoniis, Pontifice, Sacerdotibus, conſuetudinibus, traditionibus judicium ferre. Hi ſunt, qui ex contentionibus nati ſunt, & mendaces adverſus veritatem; nam ex propriis loquuntur, & ideò mendacium dicunt. Is enim ex propriis loquitur, qui non hoc ſequitur, quod omnium eſt, quod catholicum eſt, quod Orbis totius chriſtiani conſenſu receptum eſt & approbatum, ſed in eo libentiùs acquieſcit, quod uni alicui lunatico nonnumquam viſum eſt, vel quod ſibi per ſpiritum ſuum malè ſanum verum apparet. In hoc albo ponas Lutheranos, numeres Grammaticos Eraſmum, Vallam tanquam onagros liberos & nulli legi ſubjectos, nulli ſententiæ addictos. Horum ſapientia non eſt de ſurſum deſcendens à Patre luminum, ſed terrena ideſt, ex affectu terrenorum derivata.

99 Hoc affectu laborant qui illotis (ut ajunt) manibus ad tractandum verbum veritatis accedunt, qui eodem ſpiritu ſacros libros & canonicos legunt, quo Homerum, Virgilium, Therentium interpretantur. At impudentior eſt audacia, nam hos ſine magiſtro, ſine commentariis non legunt, illos vero ſine magiſtro, ſine Patruum annotationibus interpretare præſumunt. Hi ſunt qui voluptatibus mancipati cum nolunt credere, omni veneratione dignam irrident veritatem, tanquam barbariem habentes ludibrio. Hi ſunt de quibus dicit Paulus, quod quęrunt ſapientiam adverſus Crucem Chriſti. Horum ſapientia animalis eſt, quę non percipit quæ Dei ſunt, quæ divina myſteria non ſpiritualia ſpiritualibus comparando, ſed ad Homerum, aut Virgilium referendo examinat & expendit. Hæc dictiunculas venatur in nominum delectu, & certa dictionum compoſitione & connexione verſatur ſuos diſcipulos cicadis facit loquaciores, verbis elegantibus demulcentes, ad linguam aſpicientes & dulcia verba loquentes. Hęc erudivit Eraſmum, hæc linguam Vallæ armavit. Ex hac tanquam ex Equo Trojano, exierunt Lutheranorum mortiferæ peſtes. Sed & illorum ſapientia dęmoniaca eſt, ideſt, ſuperba, nulli ſubjecta, nulli addicta. Pluris æſtimant voculas Homeri, quam Pauli vivum ſermonem: ob hanc ergo artem dęmonum, homines grammatici ſe offerentes in omni loco ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo proſternuntur meretrices, fabricantur lupanar in capite omnis viæ, & divaricant crura omni tranſeunti, & multiplicant fornicationes ſuas, ideſt, ſimul ut vident collem aliquem ſublimem, aut lignum frondoſum, hoc eſt, ſimul ut quempiam conſpexerint, qui ſcientiæ habet opinionem, qui inflexis verbis ornatis prava dogmata ediſſerat, ſtatim illi adhærent. Initio ſublimis illis viſus eſt collis Eraſmus, & lignum valdè frondoſum, illicò ſub eo proſternabantur, Eccleſiam, antiquitatem, majorum ſtatuta deridentes. Non tamen multo ante extitit Valla, viſus eſt collis magis ſublimis, & lignum magis frōdoſum, ac mox ſub eo quoque proſternabantur, ſanctas ſcripturas, & eorum translatores, ac Patrum traditiones, & explicationes contemnentes. Quorſum autem attinet omnes numerando recenſere? Coram quolibet grammatiſta, qui ſciat dicere, ſecùs habetur in Græco, ſecùs in Hebræo legitur, ſe proſtraverunt, & verbum illius tanquam verbum Dei adoraverunt. Illum ſolum ſcire, cæteros barbaros, & nihil ſcientes, ac languentes circa quęſtiones Thomiſticas, Scoticas arbitrantur.

100 Cum his rogo conferas noſtros Theologos, quos iſti infamant. Theologi, qui per Dei gratiam ſunt Catholici, ſin minus eruditè, ſaltèm timidè cumque reverentia ſacras litteras tractant. Et quo magis conſtet eſſe ſapientes, à ſapientia moniti, non innituntur prudentiæ propriæ, non loquuntur viſiones cordis ſui, non ſolitariam aut domi ſuæ natam, aut unius opinionem ſequuntur, memores illius, quod ab eodem Sapiente ſcriptum eſt: *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? Magis illo ſpem habebit inſipiens.* Sed orthodoxorum, qui præceſſerunt veſtigiis inhærent, in eorum interpretationibus acquieſcunt. Ab ejus, qui columna & firmamentum eſt veritatis, Eccleſiæ decretis diſcedere non audent, atque ita quod univerſis viſum eſt unanimiter, hoc dicere ſcripturam, hoc eſſe verbum Dei credunt, neque ab eo ulla ratione dimoveri patiūtur, etiam ſi millies per membra ſua Sathanas occinat, quod ipſum aliquando ceciniſſe legimus. Scriptum eſt enim. Rhetores verò, & Grammatici noſtræ Theologiæ reprehenſores violenter irumpunt; & ſubmotis omnibus, quod volunt & ſuis ſententiis commodum eſt, hoc ſentire ſcripturam contendunt, & ſic rem gerunt quaſi non Interpretes, ſed Domini ſanctarum ſcripturarum exiſterent, & critici Judices ſederent. Hanc tyrannidem ferre non poſſumus, & quod dixit aliquando Paulus, obſtre-

Proverb. 26. v. 12.

ſtrepentibus, nos dicere poſſumus, an à vobis verbum Dei proceſsit, aut in vos ſolos pervenit, & vobis ſolum ſenſus ſanctarum ſcripturarum aperuit? Taceant igitur Grammatici, ſacra Biblia relinquant Theologis, in ſuas latebras redeant & ad Grammaticorum ſodalitatem ineundam revertantur; Theologis ſacra myſteria enarrare permittant, ſacros libros nec attingant quidem, ſed humana humilitate adorent majorum ſtatuta, nec convellant, neque eorum terminos tranſgrediantur, putridas chartas Therentii, Suetonii & voculas in eis repertas addiſcant, explicent, in eo laborent, crucientur, ſpiritum emittant, ſacras litteras, ſacris Doctoribus tractandas dimittant. Sin minus intelligant ſe habere ſapientiam terrenam, animalem, dęmoniacam, quæ deſurſum nunquam deſcenderit. *

101 Tertium hæreticorum objectum (in quo veluti inſanientes, phręneticoſque ſe ſe oſtendunt) inde deſumunt, quod videant in noſtra Scholaſtica Theologia introductam Philoſophiam, ſcientiaſque alias inferiores, imò non ſemel ornatas loquutiones, rationes item humanas, aliaque id generis monumenta: at quis (inquiunt) non faſtidiat eam diſciplinam, in qua eminere videtur Ethnicorum Philoſophia, humanæ ratiunculæ, fucata pigmenta, & quæ proinde appellari poteſt inanis illa Philoſophia per Apoſtolum proſcripta, cum ſcribit: *Videte, nequis vos decipiat, per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Inde inſuper Eccleſiæ Patres ingemuerunt, quod ſuo tempore Philoſophia in Eccleſiam irrepſerit, ſtrageſque ex illa ſerpentes Ægyptiacis plagis comparantes. Hæc & alia ſimilia hæreticorum deliramenta, quorum aliqua in ſuperioribus dedimus, in apertum eorum cæcutientem animum produnt, quia ſine delectu ratiocinantes, abuſum confundunt cum recto uſu ſacræ Scholaſticæ Theologię. Illi enim ſunt, qui ſophiſtarum more, inanem Philoſophiam ad decipiendos incautos oſtendunt, qui verborum elegantiam rejecta veritate ſententiarum quærunt, qui non ad menſuram ſanctuarii, ad Eccleſiæ auctoritatem, ad Conciliorum normam, ad SS.PP. venerandam antiquitatem, ſuas referunt opinationes.

Ad Coloſſenſ. 2. v. 8.

Inanis Philoſophiæ uſum reprobat Apoſtolus.

102 Damnat igitur Apoſtolus non omnem Philoſophiam, ſed Epicuræam, quæ tollit providentiam, in Deorum numerum referens voluptatem. Condemnat Philoſophiam, quæ adverſus ſcientiam Dei ſe extollit, quæ ſequitur hominum traditionem non veram & à Deo datam lucem, quæ adorat elementa hujus mundi, ſecundum quam Diogenes quidem aërem, Thales aquam, Hippaſus ignem adorant & colunt. Et (ut uno verbo dicam) damnat Philoſophiam, quæ divinæ ſapientiæ non ſit ſubjecta. Cum autem ſubjungit Apoſtolus: *Videte nequis vos decipiat per inanem fallaciam,* minimè præcepit, ne ſophiſmata & captiones ſyllogiſmorum non intelligamus, quin potiùs, ut in hac re diligenter laboremus ſuadet, ut præſtigiis harum artium non decipiamur. Quamobrem alibi dicit: *Oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: ut probetis potiora.* Condemnat enim Philoſophiam inanem, garulam, improbam & phantaſticam, & quæ dictiunculas tanquam quædam ornamenta proponit. Adverſus illos ſapientes invehitur, qui ſe erigunt & tanquam jurgiorum conſarcinatores omni veneratione dignam veritatem, veluti barbariem ludibris habent. Damnat inſuper, quòd in Philoſophia, aliiſque ſcientiis, humaniſque ornamentis conſeneſcant & per totam vitam cōmorentur Theologi. Uno verbo, reprobat omnino Paulus, quod ſcientiæ illę inferiores dominentur in Theologis, quod in earum ornatu vim reponant ſacrę ſcientiæ tractatores, ut optimè pro more expendit Paulum explicans, Pauli diſcipulus dum reprehendens eos, qui de ſapientia mundana gloriantur, ſubjungit ſtatim: ,, Sed contra hoc ,, videtur eſſe, quod multi Doctores Eccleſię ,, in doctrina fidei, ſapientia, & rationibus ,, humanis, & ornatu verborum ſunt uſi: ,, dicit enim Hieronymus in epiſtola ad mag- ,, num Oratorem Urbis Romæ: quod omnes ,, Doctores fidei *in tantum Philoſophorum* ,, *doctrinis atque ſcientiis ſuos refercerunt* ,, *libros, ut neſcias quid in illis primum ad-* ,, *mirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcien-* ,, *tiam ſcripturarum.* Et Auguſtinus dicit ,, in 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 5. *Sunt* ,, *viri Eccleſiaſtici, qui divina eloquia non* ,, *ſolum ſapienter, ſed etiam ſuaviter tra-* ,, *ctaverunt.* Dicendum eſt ergo, quod aliud ,, eſt docere in ſapientia verbi, quocumque ,, modo intelligatur, & aliud uti ſapientia ,, verbi in docendo: ille in ſapientia verbi ,, docet, qui ſapientiam verbi accipit pro ,, principali radice ſuæ doctrinę; ita ſcilicet ,, quod ea ſolum approbet quæ verbi ſapien- ,, tiam continent, reprobet autem ea quæ ,, ſapientiam verbi non habent, & hoc fidei ,, eſt corruptivum: utitur autem ſapientia ,, verbi, qui ſuppoſitis veræ fidei fundamen- ,, tis, ſi quæ vera in doctrinis Philoſophorum ,, inveniat, in obſequium fidei aſſumit: un- ,, de Auguſtinus dicit quod *ſi quę philoſo-* ,, *phi dixerunt fidei noſtræ accommoda, non* ,, *ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis tan-* ,, *quam ab injuſtis poſſeſſoribus in uſum no-* ,, *ſtrum vendicanda.* Et in 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 2. dicit: *Cum poſita ſit in medio facultas eloquii, quę ad perſuadendum* ,, *ſeu prava, ſeu recta valeat pluribus, cur* ,, *non bonorum ſtudio comparetur, ut mili-* ,, *tet veritati, ſi eam mali in uſum iniqui-* ,, *tatis & erroris uſurpant?*

Ad Philippenſ. 1. v. 9. & 10.

D. Thomas in cap. 1. 1. ad Corint. lect. 3.

D. Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 40.

Sapientia verbi uti, qualiter conveniat.

103 Conformiter ergo ad propoſitam Auguſtini doctrinam Theologis quam maximè convenit Philoſophiâ, aliiſque inferioribus ſcientiis, tanquam ancillis uti, prout ſupra cum Divo Thoma ſtatuimus. Ut enim appoſitè pro inſtituto notavit eruditus Magiſter Cano, ſpectat ad ſcholaſticorum functio-

ctionem Chriſti, Eccleſiæque doctrinam, quantum fieri poteſt, ex diſciplinis humanis aut illuſtrare aut etiam confirmare. Sic enim continget ſæculares doctrinas veluti ancillas, reginæ ſcientiarum omnium Theologiæ in obſequio eſſe & famulatu. Atque ut verbis Auguſtini utar: *Sicut vaſa & ornamenta de argento & auro Iſraeliticus populus exiens de Ægypto, ſibi ad meliorem uſum clanculo vindicavit (præcepto Dei, non propria auctoritate, ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea quibus non benè utebantur) ſic doctrinas etiam gentilium, quæ liberales diſciplinas, & quædam morum utiliſsima præcepta continent, debet ab eis Chriſtianus auferre ad uſum juſtum prædicandi Evangelii &c.* Et mox: *Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Cyprianus Doctor ſuaviſsimus, Lactantius, Victorinus, Optatus, Hilarius, & innumerabiles Gręci, &c.* Ut inde etherodoxi ipſi, univerſique Scholaſticę Theologię oſſores, hujus ſacræ ſcientiæ utilitatem pariter & neceſsitatem agnoſcant, fateanturque utiliſsimum nedum eſſe, verum etiam & neceſſarium Philoſophiâ aliiſque inferioribus ſcientiis inſtructum debere eſſe verum Theologum.

D. Auguſt. ubi ſupra.

Qualiter ſciētiis inferiorib. utatur Theologus.

104 Utilitatem inquam Philoſophię ſacræ ſcientię deſervientis, natura ipſa oſtendit, cui fides non averſatur, ſed per fidem perficitur. * Quapropter (ut eleganter pro more aliàs laudatus Magiſter Soto) vicaria ſe luce mutuò perfundunt. Nempè ut plurima nos fides erudivit naturæ ſecreta Philoſophis ante inacceſſa; ſic viciſsim & intelligendis explicandiſque myſteriis fidei plurimum cognitio rerum naturalium ancillatur. Eo potiſsimùm, quòd præter illa divinorum arcana; cętera omnia, nempè quæ ad leges, quæ ad virtutes & vitia, quæ ad officia humana, contractus, neceſsitudineſque hominum attinent (quæ ſunt cuncta in republica Chriſtiana cognitu maximè neceſſaria) ſoli ſunt ſcholaſtici, à quibus diſcutiuntur & pertractantur, quorum deinde rationes magna ex parte Philoſophia ſubminiſtrat. * Et quidem neceſsitas, quam Theologia habet diſputandi cum Atheis, aut Ethnicis, ipſi utilem reddit ad Philoſophiam, ſcientiaſque inferiores recurſum. Cum enim Gentiles ſacram auctoritatem ignoranter deſpiciant, de ſuis erroribus aliter convinci non poſſunt, niſi ratiocinationibus ad naturæ principia exactis. * Hac ratione diſcunt Theologi ab Apoſt. Paulo, vel inſcriptionem fortuitam, arte torquere in argumentum fidei (ut aliquando ajebat Canus) & quæ in alium uſum ſcripta ſunt, ea ad emolumentum Eccleſiaſticæ doctrinæ convertere. Diſcunt cum Daniele, ac Moyſe Chaldæorum, Ægyptiorumque ſapientiam, ſi non ut ſequantur, at ut indicent atque convincant. Nec æquum eſt, ut ſi adverſus Philoſophos diſputant, ignorent dogmata Philoſophorum; nam etſi quiſpiam adverſus Mathematicos velit ſcribere imperitus Matheſeos, riſui patet. *

Actor. 17. v. 23.

Mag. Canus lib. 8. cap. 3.

37. d. cap. Qui de menſa.

105 Sed quid dicam utilitatem? Neceſſitatem etiam dicere debemus. Sectarii namque ipſi in cauſa ſunt, quòd Theologi ad Philoſophiam recurrant, quia hi (veterum hæreticorum more, quorum ſunt filii & quidem non degeneres) noſtra dogmata humanis ac philoſophicis diſcurſibus impetunt, puta veritatem Sacramenti Euchariſtiæ, quia nequit (ut contendunt) idem corpus eſſe in diverſis locis, & quia accidentia non poſſunt à ſubjecto ſeparata ſubſiſtere. Idipſum Ariani, Sabelliani, aliique antiquiores hęretici præſtiterunt, Philoſophi magis quam Theologi, imò nullo modo Theologi meritò dicendi. Attamen niſi inter priſcos Theologos non extitiſſent, non extarent modo, qui Philoſophos ex ipſa etiam Philoſophia revincerent, vix belluas illas novaſque abyſsi beſtias ſuperarent. Sic enim Theologi diſcunt à Davide extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſsimi caput proprio mucrone truncare. Et ut tandem ſæpè laudatus Soto loquitur. * Philoſophos fuiſſe neceſſe erat, qui explicarent ut non eſſet demonſtratio, quam Arius invictiſsimam cenſebat: nempè quod ſi individua eſſentia eſt Pater, eademque filius, Pater ſit perſona filii. A Philoſophia deceptus fuit Berengarius, qui negabat accidentia Sacramenti eſſe ſine ſubjecto, quia repugnare allucinabatur ipſi eorum naturę, quo nunc etiam Germanorum permulti tenentur errore. Sed vera Philoſophia eſt, quæ edocet minimè id repugnare. Si fieri poſſet ut nulli eſſent pſeudophiloſophi, qui hæreſes progignerent, nulla fortè in hunc uſum neceſſaria eſſet Philoſophia, quæ hæreticorum auſum retunderet. Verùm quàm eſt (auctore Paulo) neceſſe hęreſes eſſe, tam neceſſarium exiſtimaverim Philoſophiam inter Theologos confovendam eſſe, qua ſint juxta verbum Petri paratiores ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe. Eſt enim naturalis Philoſophię munus, ſupernaturalia fidei myſteria non quidem demonſtrare (quippè quæ ex ſolis, ſint divinis teſtimoniis recepta) ſed tamen explicare, & contra Philoſophos aſſerere, dum eorum enervat, deſtringitque argumenta; oſtendens nihil adverſus nos evincere. Unde & Paulus Epiſcopum admonet, ut fidelem habeat ſermonem, quo potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Et ſanè Auguſt. quantò ſua Dialectica & Philoſophia majus Eccleſię (dum erat Manichæus) bellum indixit, tanto fuit ei poſteà adverſus hęreticos utilior. Therifcam Philoſophiam cenſete circunſpectiſsime Senatus, quæ earumdem medetur viperarum morſibus, ex quarum conficitur carnibus. *

Hæreticorum ſophiſticæ argumētationes neceſſarium Theologis reddunt Philoſophię uſum.

1. Regum 17.

Mag. Soto in Præfat. ad PP. Trident. laudata.

106 Tandem Ariſtotelis Philoſophiam præcipuè in Scholaſticę Theologiæ uſum, nedum à Theologis aſſumptam fuiſſe, ſed etiam à Sacris & quidem Oecumenicis Conciliis, hic ſubjungere congruit. Et cum in pluribus Conciliis ita appareat, unius dumtaxàt (brevitatis gratia) mentionem facere judicavimus, Florentini nimirùm, ubi iterato Philoſophiam

Philoſophia Ariſtotelis in Concilio Florentino commendata.

Concilium Florent. ſeſſ. 4.

phiam illam laudatam eſſe cuique obviam eſſe poteſt: in ſeſſ. nimirùm 4. ubi Andreas, Colloſsis, ajebat: *Ac in primis Ariſtotelica auctoritate probatæ quæſtioni, &c.* Cui reponet Joannes Theologus: *Vos enim non ignorare putamus duo genera quæſtionum apud Ariſtotelem eſſe*: Mox ſeſſ.6. idem Andreas: *Teſtis eſt Ariſtoteles in ſuis poſterioribus Analyticis.* Mox idem ſeſſ.7. *Ut Ariſtoteles noſter teſtatur*, ubi ſi quis miretur quod coram Pontifice, ac Synodo Sacroſancta Ariſtoteles Ethnicus hoc titulo *noſter* inſigniretur, occurreret in ſimili omnino Hieronymus dicens: *Origines tuus, &* (ne fortè quæraris figurata te laude percuſum) *Origines noſter, noſtrum enim voco ob eruditionem ingenii, non ob dogmatum veritatem*, & eodem modo *noſter Seneca* vocatur ab eodem Hieronymo; imò & à Tertulliano. Iterum itaque in eadem ſeſſ.7. idem Andreas: *Quoniam inquit apud Ariſtotelem voces ſunt earum, quæ ſunt in anima paſsionum notæ, &c.* Mox ſeſſ. 8. Baſſarion: *Argumentatio, ut Ariſtoteles inquit, ita fit, &c.* Mox ſeſſ.19. Joannes Theologus: *Subſtantia pro ſuppoſito capitur, quemadmodum Ariſtoteles in 5. Metaphyſicę libr juxta omnium Doctorum expoſitionem.* Et tandem ſeſſ.20. idem Joannes ex eodem Ariſtotelis libro, aliud recitat teſtimonium: ut inde appareat, quam frequenter Ariſtotelis Philoſophia in ſacro illo Concilio uſurpata ſit.

S.Hieron.lib.2. in Ruffin. cap. 9.

Lib.1. in Jovinan.

Tertullian. lib. 1. de Anima, cap.20.

(§)

PROLEGOMENON III.

SACRÆ SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ CONTRA FIDEI hoſtes victricem efficaciam in Theologorum Principe D. Thoma demonſtrans.

1 DEDIMUS hucuſque momenta ſacrę Scholaſticę Theologię utilitatem prędicantia, hæretici quoque ipſi nolentes licet, commendant, eo quo contra illam odio debacchant: adeò ut nobis uſurpare liceat quod in alio aſſumpto Martyr Ignatius ajebat: *Iniquitas autem eorum, mea doctrina eſt.* Etherodoxi enim Theologorum Scholæ efficaces declinare non valentes argumentationes, veluti veritatis gladios ſagittaſque ſalutis; ad inſtar rabidi canis, gladios, ſagittaſque dentibus premere nituntur. Atque Theologos ipſos ſuis non valentes ferire armis, linguâ mordent. Sed quid quòd inter omnes Scholaſticos Theologos Thomam Theologum, ita ſpecialiter exoſſum habeant, quemadmodum & ipſum Ariſtotelicæ Philoſophiæ illuſtratorem? Quid quod unum Thomam ab Eccleſia tollendum optaverint etherodoxi, temerariâ luziferinâ ſuperbiâ inde ſperantes diſsipaturos Eccleſiam, quaſi hæc contra inferorum portas non eſſet in æternum permanſura, Jeſu Chriſto ipſo promittente ſimul & atteſtante? Quid quod impius Lutherus *proſternere moliretur duo majori veneratione habita in ſcholis nomina; nempè Ariſtotelem in Philoſophia, atque in Theologia SanctumThomam?* Ut Cardinalis loquitur Pallavicinus, oſtenditque ex epiſtolis ejuſdem Lutheri. Inſuper quod de D. Thoma inſaniens protulerit: *Thomas Aquinas multa hæretica ſcripſit, quid ad me, quod Bullarum Epiſcopus eum canonizavit?* Et ut alia omittamus in ſuperioribus indicata; à Magiſtro calumniato ad calumniandos diſcipulos peſsimè progreditur Lutherus, poſtquam in ſupremam ipſam Eccleſiæ poteſtatem, horrendis illis verbis ad Angliæ Regem uſus fuit: *Vivens, Papatus hoſtis ero; exuſtus, bis hoſtis ero. Facite, ò Thomiſtę quod poteſtis; Lutherum habebitis Urſum in via, & Leænam in ſemita.*

S.Ignat. Mart. epiſt.ad Romanos.

D. Thomam inter alios Theologos exoſſum habent hæretici.

Pallavicini lib. 1. hiſtoriæ Trident. cap.4.

2 Verumtamen nihil habemus quod miremur, tot maledicta in Thomam vibraſſe hæreticos à Thoma percuſos. Facilèque ſuſtineri poſſe probra illa, juxta illud Davidici effati: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.* At non poſſumus non dolere, viros quoſdam alioquin Catholicos, plura contra doctrinam D. Thomæ publicaſſe ſcripta; proſcripta tamen, quorum & nomina propria, & inſtituta auctorum reticenda duximus, ut quæ videri poſſunt apud Mag. Seraphinum Piccinardum de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ. Verumtamen cum doctrina Sancti Doctoris tam amplè commendata ſit, judicio præſertim ſummorum Pontificum, animadvertere deberent calumniatores quicumque ſint: *Se hanc injurię magnitudinem in uno cunctis, ac præcipuè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus intuliſſe*, ut in ſimili ajebat D.Proſper. Hæc dum attentè conſiderant, faſtidientes (ſi qui ſunt inter Catholicos) doctrinam D. Thomæ nobis cum Nazianzeno dolentibus, repetere poſſunt: *Non jam ultro cum dogmatibus hęreticorum, ſed cum invidia pugnare compellimur, cum hoſtibus, atque cum ſociis: illi ſaltem pectus feriunt, minuſque voti compotes fiunt, dum qui apertas inimicitias gerit, facile caveri poteſt: hi vero & terga obſervant, magiſque moleſti fiunt, dum qui minime ſuſpectus eſt pernicioſius vulnus infligit.* Sed agè properemus jam per ordinem indicare, quę in doctrina D. Thomæ, ejus faſtidiunt etherodoxi oſſores. Et certè nihil aliud hoc eſt, quam idipſum, quod in Theologia Scholaſtica criminantur: unde ſicut illorum impetus ſplendidiorē reddidere (data occaſione) Scholaſticam Theologiam, ita & Theologię Principem, ut oſtendere aggredimur.

Pſal.54. v.13.

D.Proſper. lib. contra Collat. initio.

D. Gregor. Nazianz. orat. ad Epiſcopos.

ARTICULUS I.

Præliminaris præcipuos elucidans fontes unde elogia D. Thomæ, ejuſque doctrinæ hauriuntur.

3 VERUMTAMEN quia in commendationem Doctoris Angelici, angelicæque ejus doctrinæ plerumque continget adducere elogia ex Breviario quum Romano, tum Dominicano Apoſtolica auctoritate munitis; neceſſarium duximus prælibare, quonam certitudinis gradu hiſtorica facta in Breviario relata, veniant accipienda. Et quidem poſtquam de mandato Clementis Papę VIII. accuratè inſpectum atque examinatum fuit per eruditos quoſdam doctiſsimos & pios viros, Baronium præcipuè & Belarminum, doctrina ac pietate, magis quam Purpura claros. Addita etiam emendatione, Urbano VIII. præcipiente, poſtmodum facta, adhibitis viris quibuſdam doctiſſimis, quos memorat P. Bartholomæus Gavantus, qui utique ſuam operam navavit in utraque illa emendatione: jam inde vel mediocritèr doctus tenebit longè majoris auctoritatis ponderè fulciri facta hiſtorialia, quæ in Breviario ità emendato & recognito adhuc referuntur. * Humanæ namque hiſtoriæ ibidem memoratæ (inquit Gavantus) fuerunt à Cardinalibus Belarmino & Baronio recognitæ & approbatæ, qui rejecerunt ea omnia, quæ jurè meritò revocari poterant in dubium. * Nihilominus ingenuè fatetur. In re perdifficili viſum eſt illis ad hiſtoriæ veritatem bona fide reſtituere, Sanctorum lectiones, idque minimâ quâ fieri potuit mutatione: imò quæ controverſa alicujus tamen gravis Auctoris teſtimonio ſuffulta, aliquam haberent probabilitatem, retentæ ſunt eo modo, quo erant, cum falſitatis argui non poſsint; quamvis fortaſsè altera ſententia ſit à pluribus recepta. * Iteratam illam emendationem Apoſtolica auctoritate conceptam, ſimul atque ingenuam confeſsionem utriuſque illius eruditi Cardinalis attendentes poſteriorum temporum Scriptores, Criticeſque profeſſores per extrema vitioſa incederunt nonnulli, quæ vitanda eſſe à nobis firmatum erat in Prolegomeno præſenti, jam typis proximè parato.

Breviariũ diligenter recognitum.

Bartholom.Gavant. Commẽt. in Rubric. Breviarii Roman. ſect.2.cap.3.

Sect.5. cap.12. num.16.

4 Interea tamen in manus præter expectationem devenerunt quatuor de Beatificatione & Canonizatione Sanctorum libri, quos luci publicæ dedit Proſper de Lambertinis, humanæ litteraturę floſculis ornatus, omnigena eruditus hiſtoria, Theologiæ in omni ſuo munere cultor, & quidem eximius, in utroque Jure ſupra admirationem verſatus, ex Anconenſibus, Bononienſibus infulis, & Purpura, quam illuſtravit, ad ſupremum Eccleſiæ Apoſtolicum culmen meritis potiùs, quam hominum ſuffragiis, Divino ſpirante Numine, toto gratulante Orbe evectus ſub nomine Benedicti XIV. Haccine ergo fęliciter occaſione nacta illuſtrare decrevi, quod jam elaboratum erat. * Ex hac ingenuâ confeſsione (verba ſunt laudati Auctoris) nonnulli anſam arripuerunt acriter obloquendi Breviario Romano, item aſſerendi id fabulis eſſe repletum, ejuſque auctoritatem in factis hiſtoricis eſſe omnino ſpernendam, aliis contra adverſus Eccleſiæ Romanæ ſenſum ſuſtinentibus, impium eſſe & quaſi hęreticum de factis hiſtoricis in Breviario Romano relatis dubitare, & multò magis iis refragari. * Hoc ultimum Hiſpani tenebant ſumiſsione inquam revera plauſibili, tanquam indicativa animi benè affecti ad Sedem Apoſtolicam, * ut ſignificat eruditus Segura. Primum tamen Critici nonnulli pręſertim in Gallia propugnarunt, quorum nomina refert Honoratus à Sancta Maria, nimirùm Joannes Baptiſta Thiers, Bernardus Lamy, Simon, inſuper Joannes Launoius, de quo nihil mirum eſt; poſtquam in Auguſtinum Eccleſię Doctorem maledicta vibravit in fœtu illo poſthumo (quem Launoii non eſſe aliqui eruditi propugnant) peculiari Clementis XI. Pontificis Maximi decreto juſtiſsimè inuſto. Illius ſumma eſt: * Primò Auguſtinum de Gratia & Prædeſtinatione diſputantem in extremos errores abiiſſe, novam in veteri ſpacio viam calcaſſe, ignotos priſcis Eccleſiæ Patribus calles aperuiſſe, fidelium animos turbaſſe, motus tota paſsim Africa, Gallia, Italia dediſſe; Uvitkleffo, Zuinglio, Luthero, Calvino horridis dogmatibus præluſiſſe. Secundò Proſperum, Hilarium, Cæſarium, Prudentium, Remigium, cęteroſque Auguſtini diſcipulos, ſanctitatis & eruditionis laude præcipuos, peſsimè apud æquos æſtimatores audiiſſe, Romanis Pontificibus illuſiſſe, decreta malis artibus extorſiſſe, æmulos ſuos falſis criminationibus oneraſſe, juſtam denum damnationis ſententiam ſubiiſſe. Tertiò Semipelagianos è contrario meliori jure uſos, antiquæ majorum traditioni hæſiſſe firmiter, Auguſtino ejuſque diſcipulis firmis rationibus obſtitiſſe. * Obiit ille anno 1678. annis 24. antequam liber ille poſthumus in lucem editus fuiſſet.

Benedict. XIV. lib.4. cap. 13. num.5.

P.Honoratus à Sanct.Maria in Animadverſionibus ad regulas & uſũ Criticæ tom.2.lib. 1.diſſert.2.§.3

Mag. Serry in Auguſt. vindicato, Præfatione ad lect.

5 Quid autem tenendum ſit prudentiſſimè reſolvit jam ſupralaudatus Benedictus XIV. inquiens. * Sed quatenùs per mediam viam, quæ tutior eſt, incedendum ſit, videtur

Quænam Breviarii auctoritas in factis hiſtorialibus.

tur quidem tuto pede aſſeri poſſe, non modicum auctoritatis pondus factis hiſtoricis accreſcere, quæ relata ſunt & approbata in Breviario Romano, ecquis enim de hac aſſumptione poterit dubitare, poſtquam certum eſt, Breviarium Romanum pluries fuiſſe recognitum atque emendatum, habito tot virorum pietate & doſtrina illuſtrium conſilio? Attamen ita ut vetitum exiſtimari non poſsit, debita cum modeſtia, & non ſine gravi fundamento, quæ contingunt in factis hiſtoricis difficultates exponere, eaſque judicio Sedis Apoſtolicæ ſupponere, ut eorum *ſubſiſtentiam* perpendat in *hypotheſi*, quod manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem; quę porrò videtur eſſe ſententia plurimorum, qui de hiſtoriis relatis in nonnullis lectionibus ſecundi *Nocturni* Breviarii Romani dubitare viſi ſunt. * Hujus rei plura memorat exempla, quæ etiam recenſet jam laudatus Segura, ex Ludovico Tillemontio, Auguſtino Calmet, Patribus Bollandianis, aliiſque viris ſolidè eruditis. Neque injurioſum ſibi putat Sacra Congregatio (inquit P. Janingus) ſi quis oppoſitum aſſertioni ſuæ in hiſtoriis Breviarii ſententiam teneat. *

P. Conradus Janingus tom. 1. Junii, in Apolog. 1. Præ-lim. pag. 4. n. 6.

6 Et certè nemo etſi pius, ſi mediocriter eruditus ſit, Sedi Apoſtolicæ, Sacræque Rituum Congregationi injurios dicet Auctores, qui factibus nonnullis hiſtorialibus in Breviario recenſitis refragantur graviſsimis ducti fundamentis. Id namque præter PP. Bollandianos, qui de ſinceritate Actorum dubitant, unde lectiones ſecundæ in Officio S. Venantii Martyris deſumptę ſunt; de S. Dionyſio Pariſienſium Patrono dubitant etiam, an ſit idem cum Areopagita, ut aſſerit Breviarium Romanum ad diem 9. Octobris: ſicut de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam; ut nihil dicamus de lapſu S. Marcellini, qui refertur in quinta lectione Officii de eodem ad diem 26. Aprilis. Hunc etenim lapſum plerique commentitium probant (inquit laudatus Benedictus) primò ex ſilentio veterum omnium Scriptorum, qui Romanorum Pontificum geſta deſcripſerunt. Secundò ex inani Donatiſtarum labore, qui factum illud Catholicis objecerunt nec unquam probare potuerunt, qua ratione S. Auguſtinus loquens de Petiliano, ejus fabulæ auctore ait: *Ipſe ſceleratum & ſacrilegum fuiſſe dicit: ego innocentem fuiſſe reſpondeo. Quid laboro probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?* Tertiò ex fictitio Concilio Sinueſano quod eâ occaſione dicitur celebratum; de quibus omnibus legi poſſunt Continuatores Bollandiani, Tillemontius, Natalis Alexander, Pagius, Cardinalis de Aguirre & de Noris. * Subjungit etiam inter plura, impunè utrinque diſputari inter eruditos de translatione corporis S. Clementis Martyris in Romanam Urbem, de his quæ referuntur in lectionibus S. Catharinę Virginis & Martyris, de Baptiſmo Conſtantini à S. Silveſtro, aliiſque benè multis.

PP. Bollandiani in Annotat. Critica ad diē 18. Maii.

Apologia pro Actis Ss. Antverpiæ anno 1695. pag. 12.

D. Auguſt. lib. de unico Baptiſmo cap. 16.

LapſusS. Marcellini dubius eſt.

7 Nec omittere poſſumus pro aſſerta reſolutione Patronum advocare Benedictum XIII. prout advocat & adducit ſæpè laudatus eique addictiſsimus noſter Benedictus XIV. Dum enim adverſatus eſt translationi Reliquiarum ſeu Corporis Sancti Bartholomæi Apoſtoli, à Civitate Beneventana ad Urbem, oppoſitâque ſibi auctoritate Breviarii Romani, ita reſpondet: maximę quidem auctoritatis eſſe Breviarium Romanum in iis, quæ per ſeſe ad cultum Eccleſiaſticum attinent, minoris tamen ponderis eſſe in privatis factis, aut geſtis, quæ in vita Sanctorum ex occaſione referuntur, ita ut efficax indè argumentum peti non poſsit, ubi præſertim antiquiora monumenta adverſantur. Nec enim Eccleſia ipſa, quæ iis utitur, inconcuſſa infallibiliſque veritatis judicat, quęcumque Breviariis ſuis ſunt inſerta, cum multoties pro variis temporibus varia ex occaſione ea mutaverit, correxitque. Et poſteà cum Guidone Grando, omnium conſenſu docto & erudito concludit. In triplici differentia eſſe ea, quæ in Eccleſiaſticis Officiis proponuntur; cum alia deprompta ſint ex libris Sacrarum Scripturarum, & hæc exigant fidem divinę auctoritatis; alia aſſumantur ex Homiliis & Sermonibus Sanctorum Patrum, quibus tanquam Eccleſiæ Magiſtris, omnis reverentia debetur, minor tamen ea, quæ eſt debita Divino Verbo in Canonicis codicibus ſcripto; cętera è Sanctorum vitis, & hiſtoriis in Breviario derivantur, quæ humanam duntaxàt fidem per ſeſe exigere poſſunt, & ita quidem, ut quandiù gravis momenti ratio non urget, excipienda ſint omnis obſequii ſignificatione, iiſque ſine fundamento repugnare, temeritatis notæ ſit obnoxium, cum fundamento verò non item. *

Guido Grandus diſſert. 3. Camaldulen. cap. 8.

8 Inde apparet infallibilis non eſſe veritatis hiſtorica facta, aliaſve ſimiles notitias in Breviario pro SS. feſtis recitatas: nihilominus ab eis recedendum non eſt, niſi antiquiora monumenta, graviſsimaque fundamenta, & rationes adverſentur, ut laudati Auctores, & quam plures alii ſtatuunt. Præcipuè tamen ſilentio à nobis obvolvi non poteſt eruditus juxta & doctiſsimus, Pontificięque auctoritatis propugnator validiſsimus Fr. Joannes Thomas de Rocaberti Artium Magiſter, Sacræ Scientiæ Doctor, utriuſque Facultatis in noſtrâ Univerſitate emeritus Profeſſor, hujuſque Diœceſis Archi-Præſul digniſsimus, totius Regni ſemel, & iterùm integerrimus Pro-Rex, Hiſpaniæque Regnorum æquiſsimus Generalis Inquiſitor, almi Prædicatorum Valentini Conventus (doctrinæ, pietatis, & ſanctitatis emporii) filius & honor. Hic enim Illuſtriſsimus, mihique jure ſpeciali colendiſsimus, cum circa lapſum S. Marcellini lectionibus Breviarii adverſatus fuiſſet, venerabundus ſubjungit. * Igitur quamvis Eccleſia in Breviario permittat legi Acta de Marcellini lapſu, longo antiquitatis argumento probata, non tollit graviſsima in oppoſitum momenta, quibus tractu temporis veritas potuerit lucidiùs examinari. *

Non eſt facile recedendum à factis in Breviario relatis.

Ill. Rocaberti de infallibilitate Rom. Pontif. tom. 1. lib. 2. cap. 14. §. 4.

At

9 At majus abſdubio auctoritatis pondus Breviario accreſcit juxta prudentem obſervationem cruditiſsimi juxta & doctiſsimi viri Mag. Gravina aſſerentis: * Si ex ipſiſmet actis Canonizationis ejuſmodi collecta ſunt, in majorem auctoritatem elevantur ex judicio diffinitivo Eccleſiæ circa ſanctitatem alicujus, ad quam miracula, actiones particulares virtutum multarum, dona, prærogativę, motiva ſubminiſtrant ad ſacram Apotheoſim perficiendam: ut ſi non elevant ad eam certitudinem, qua aliquis Sanctus proponitur in gratiâ deceſsiſſe, elevant ad tantam certitudinem, ut prudentialem aſſenſum neceſſariò requirant. Adeò (jubjungit laudatus Magiſter) ut ea detrectans capitoſus, imprudens meritò taxari poſsit, imò ut temerarius non aſſentiens iis, quæ tantâ cum maturitate recepta ſunt, & Apoſtolica Sedes tantâ cum maturitate decoxit. * Majorem inſuper certitudinem narrata Sanctorum geſta induunt, ſi per Eccleſiam in oratione propria illius Sancti, pro motivo & veluti fundamento apponuntur. Unde meritò proſequitur eruditus ille Theologus. * Si miracula probata ſint ab Eccleſia, vel à Doctoribus gravibus ſcripta, & propterea ſecurè ab Eccleſiâ recepta promulgantur, ut orationis fundamentum, tunc pariter non poſſunt ſine audaciâ, & effręni licentiâ, ac temeritate negari. * Hujus rei exemplum apponit in oratione aut collecta pro Sancto Raymundo de Peñafort, unde miraculoſa ſuper aquas maris traductio, & pœnitentiarii inſignis munus tanquam certa deducuntur. Meritò proinde Auguſtinus, ipſa Eccleſiaſtici officii auctoritate ductus, Pelagianos ipſos exagitat dicens: *Non auderes dicere hæc in Eccleſia mendaciter geri.* Et ſignantèr verba faciens de collectis, quæ in Eccleſiaſtico Officio recitabantur (unde ſolemne fuit Aquilino Doctori inimicos gratiæ confutare) ita ab inconvenienti concludit: *Alioqum non veras, ſed perfunctorias orationes haberet Eccleſia, quod abſit à nobis.* Concludamus aſſumptum verbis illis Concilii Toletani IV. pro auctoritate Eccleſiaſtici Officii decernentis: *Excommunicatione plectendos eos, qui Hymnos reprobant pro eo quod de ſcripturis Sanctorum Canonum, vel de Apoſtolica traditione non exiſtunt. Nam & illum Hymnum* (inquit) *gloria in excelſis, reliquaque quæ ſequuntur, Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergo nec ipſi in Eccleſiis canendi eſſent, qui in Sanctarum Scripturarum libris non inveniuntur; componuntur, & Miſſæ ſive preces, vel orationes &c.*

Mag. Gravina tom. 3. lib. 4. ar. 7. pag. 375.

Quæ in Breviario recitātur ex Actis pro Canonizatione, majori ſecuritate debent admitti.

D. Auguſt. epiſt. 105.

Lib. de Bono perſev. cap. 23.

Concil. Toletan. IV. cap. 12.

10 Hæc de Breviario Romano (unde elogia benè multa D. Thomæ, & plurima etiam de aliis Sanctis, in totius operis decurſu deſumentur) prælibare neceſſum habui. Quia tamen de Breviario Dominicano derivandę ſunt egregiæ Doctoris Ang. commendationes, operæ pretium eſt ejus indicare auctoritatem, ne fortè alicui ſciolo & veritatis ignaro contingat cum Petro Alva, iteratò pronuntiare ad floccifacienda elogia producenda. * Hæc officia, nullo modo nec ab aliquo Summo Pontifice in particulari, quod eſt per ſe notum, imò nec etiam in communi approbata fuiſſe. Et rurſus: Officium ſpeciale de Sancto Thoma recitatum à Patribus Prædicatoribus à nullo Summo Pontifice fuit, nec eſt approbatum in forma ſpeciali aut communi, Deo ſic permittente, quouſque corrigantur illa ſuperiùs ſignata de approbationibus doctrinæ Sancti Thomæ, quæ à veritate ſunt prorſus aliena. * Certe tamen admirare eſt tam craſſam ignorantiam in viro aliàs ingenioſo, quam nullo negotio deponere potuiſſet ſola inſpectione Breviarii, quo à plurimis annis Dominicani Patres utuntur. Illud ſiquidem iteratis Summorum Pontificum approbationibus, in lucem prodit; eaque de re dicendum nobis eſſet abundè, niſi in aperto collocaſſet jam (poſt plures alios) Seraphinus Piccinardus, vir certè omnigenè eruditus, & in firmanda approbatione doctrinæ Sancti Thomæ nulli ſecundus. Statuit namque, præter Nicolaum V. approbantem antiquas Ordinis Prædicatorum conſuetudines & regularia inſtituta; Julium III. confirmantem libros Chorales & Ritualia ejuſdem Ordinis, prohibentem mutationem in ipſis, *niſi aliter Capitulo Generali viſum fuerit juxta laudabiles conſuetudines Ordinis*; approbaſſe etiam conſtat Breviarium Dominicanum Clementem VIII. anno 1602. Urbanum VIII. anno 1625. & Innocentium X. anno 1651. quæ omnia in fronte Breviarii Dominicani videre eſt, ubi reiteratum legitur Breve Clementis VIII. per Urbanum VIII. & Innocentium X. & noviſsimè per Clementem XII. die 19. Septemb. anno 1736. Pontificatus ſui anno ſeptimo.

P. Alva nodo 1. §1. & §. 2.

Immeritò detrahitur Breviario Ordinis Prædicatorū.

Mag. Piccinardus tom. 2. lib. 3. quæſt. 2. art. 2.

Breviariū Dominicanū ſæpius à Summis Pontificibus approbatum.

11 Quinimò, etſi Breviarium illud non ita fuiſſet iteratis approbationibus confirmatum, non propterea ejus contemnenda eſſet auctoritas. Ut enim ſubjungit laudatus Piccinardus. * Officia antiqua Eccleſiaſtica etſi non poſitivè approbata, dummodo tamen tollerata & permiſſa ab Eccleſia, non contemnendam adhuc aliquam retinent auctoritatem, quemadmodum *de actis Sanctorum ab Eccleſia tolleratis*, tradit Epiſcopus Albertinus. * Et quidem ſi ſcriptura privata longo tempore obſervata, pro publica meretur fidem; & rurſus *ſcriptura collocata ab antiquis in loco pubiico, meretur integram fidem juxta principia juris*, ut habet Gloſſa, & Juris-conſulti quam plures apud Piccinardum: quis integram fidem negabit Breviario Dominicano, quod publicè in Eccleſia ab antiquis temporibus legendum proponitur, nemine ante Pozam, vel Alvam repugnante? Quinimò univerſorum Dominicanæ familiæ Fratrum longo uſu approbatum eſt, cum pręſertim eodem uſi ſint in albo Sanctorum quam plures conſcripti Dominicani, quos inter Sanctus Vincentius Ferrarius, Sanctus Antoninus, Sanctus Ludovicus Bertrandus, Sanctus Pius Quintus, aliique benè multi numerantur, qui à tempore decantatæ præfationis (quam præcipuè exufflat Alva à

Albertin. quæſt. 5. n. 8.

Alexander, Joannes Andreas, Antonius de Butt. Cravet. Gloſſa in cap. Cum cauſam, *Baldus, Decius, & alii apud laudatū Piccinardum.*

Do-

Dominicano Officio) in eodem Ordine floruerunt.

12 Quæ diximus hucuſque de auctoritate Breviarii ſuo modo applicari debent Summorum Pontificium reſcriptis, quantum ad facta hiſtorica particularia (quæ nimirum dogmatica non ſunt, in quibus infallibilem habere auctoritatem Romanum Pontificem, cum theologis melioris notæ firmavimus in tractatu de Auctoritate Summi Pontificis in Scholis ad diſcipulos tradito) ſi præter aſſumptum principale inſerantur. Neque fas eſt in hoc auctoritatis genere exceptionem prætextare in Reſcriptis Apoſtolicis, ex eo ſolum quod ad Eccleſias, Univerſitates, aut particulares Provincias directa legantur; alias actum eſſet de auctoritate quam plurium Decretorum Romani Pontificis, etiam in materia *Fidei* & *Morum*: quandoquidem eorum plura in corpore juris inſerta ad particulares Eccleſias, & Epiſcopos directa fuere. Inde profundiſsimus Theologus Joannes à Sancto Thoma inter alia concludit. * In jure ferè omnes Deciſiones ad particulares Epiſcopos, aut Eccleſias diriguntur :: & tamen pro ſimilibus caſibus in Eccleſia recipiuntur. * Et meritò inquam conformiter ad teſtimonium illud Juris Canonici: *Si Romanorum Pontificum Decreto cęterorum opuſcula tractatorum approbantur, aut reprobantur, ut quod verè Sedes Apoſtolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenùs inefficax habeatur; quanto potius ea quæ ipſa pro Catbolica fide, pro ſanis dogmatibus, pro variis & multifariis Eccleſiæ neceſsitatibus, & Fidelium moribus diverſo tempore ſcripſit, omni honore debent proferri, & ab omnibus prorſus in quibuslibet neceſsitatibus, vel opportunitatibus, diſcretione, vel diſpenſatione magiſtra reverenter aſſumi.* Et quantum ad elogia attinet, & reſcripta Apoſtolica in commendationem doctrinæ Divi Thomæ idipſum proportionaliter obſervandum eſt, quemadmodum de epiſtola Cęleſtini I. approbativa doctrinæ Auguſtini obſerbavit laudatus Joannes à Sancto Thoma. * Et approbatio (inquit) doctrinæ Auguſtini :: facta eſt per epiſtolas ſcriptas ad peculiares perſonas, ut Cęleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ, Hormiſdas Papa ad Poſſeſſorem Epiſcopum, Joannes II. ad Abienum Senatorem, & tamen ex his epiſtolis reddita eſt Auguſtini doctrina altiori modo approbata. *

Apoſtolici reſcripti qualis ſit auctoritas.

Joannes à S. Thoma diſp. 1. art. 2.

1. Part. Decreti, diſt. 19. cap. Si Romanorũ.

13 Pręmonitum lectorem congruere judicavimus circa auctoritatem, qua roborata prodeunt Reſcripta & Bullæ Apoſtolicæ, ex quibus elogia quam plurima in commendationem D. Thomæ ejuſque Angelicæ doctrinæ mutuare habemus. Nec inde credat in animo noſtro eſſe, approbationem illam Ang. Doct. doctrinæ tribuere, quæ definitiva appellatur, prout ejuſdem doctrinę calumniatores nonnulli, per calumniam affingere tentarunt Dominicanis; irrito tamen connatu, ut patenter oſtendit poſt plures alios laudatus jam Piccinardus. Calumniati utique fuere Thomiſtæ in hoc genere, fateor. Sed quis fuerit hujus calumniæ auctor? Lutherus ipſe cum de S. Thomę doctrina inſultabundus ajebat in epiſt. ad Silveſtrum Prieratem Dominicanum Lutheraniſmi debellatorem: *Vos Thomiſtæ graviter eſtis reprehendendi qui S. hujus viri opiniones pro articulis fidei venditatis.* * Ergo pudor eſt (ſubjungit Piccinardus) hanc ipſam denuò à Catholicis Thomiſtarum obtrectatoribus ſtropham inſtaurari. Adeò ut Thomiſtæ valeant de hujus auctore criminationis repetere cum Tertulliano de Nerone: *Tali dedicatore damnationis noſtrę gloriamur; qui enim ſcit iſtos, intelligere poteſt nonniſi aliquod bonum grande ab ipſis damnatum; probatioque eſt veritatis noſtrę, accuſatio ipſorum atque calumnia.* * Extitit quidem (non me latet) auctor qui ſcriptò vulgavit: *Neminem diſſentire poſſe à doctrina S. Thomæ ſine hæreſis ſuſpicione*; & conſequenter ſupponens eſſe definitivè approbatam. At vulgator iſte à Dominicanorum cœtu, & ſchola extraneus, ab ipſis Dominicanis rejectus fuit Mag. Bieſcas, Joanne à S. Thoma, Gravina, aliſque pluribus. Extraneus inquam à Thomiſtica ſchola, & longè recedens à Doct. Ang. nos docente qualiter accipienda ſit doctrina particularium Eccleſiæ Patrum & Doctorum: „Utitur ſacra doctrina auctoritatibus aliorum DD. Eccleſiæ quaſi arguendo ex propiis, ſed probabiliter; innititur namque fides noſtra revelationi Apoſtolis, & Prophetis factę, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta. Unde dicit Auguſtinus in epiſtola ad Hieronymum: Solis eis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in ſcribendo erraſſe aliquid, firmiſsimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant; non ideò verum putem, quod ipſi ita cenſerunt, vel ſcripſerunt. * Idipſum ferè repetit Sanctus Thomas (verba ſunt Piccinardi) quodlib. 3. art. 10. opuſculo 73. ab initio, & opuſculo 10. & alibi. Ergo nec verus Thomiſta potuit inquam fixè adeò Sancti Thomæ adhęrere, quin ſimul de ipſo eodem S. Thoma approbato ab Eccleſia conceſſerit argumentum ab ejus auctoritate deductum, non firmum ex fide, vel certum omninò, ſed ſolum probabile ex hac parte, ſeu magis probabile permanere. *

Piccinard. tom. 1. lib. 2. q. 1. ar. 2.

Doctrina D. Thomæ non permiſsivè ſolum, nec definitivè, ſed electivè dumtaxàt approbatur.

Tertullianus in Apologet. cap. 5.

Hieronim. Balbus lib. de Coronat. Imp. à pag. 28.

Joann. à S. Thom. diſp. 1. art. 3.

Bieſcas quæſt. Proœm. dub. 9. Gravina lib. 4. Chèrubim cap. 3.

D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2

14 Inter fabuloſas calumnias approbatio illa definitiva amandari debet; ut breviter ſignificemus, quodnam approbationis genus in doctrinæ Divi Thomæ commendationem deducere, in animo habeamus. Multigenam enim doctrinæ & librorum approbationem cum Sanctis Patribus agnovere Theologi: quas ſolido diſſerendi genere reducit Piccinardus ad tres ſpecies; definitivam nimirum, & permiſsivam veluti extrema; electivam deinde tanquam me-

mediam. Exploratum tamèn nobis apparet Divi Thomæ doctrinam non eſſe purè permiſsivè approbatam: Non enim permiſsivè dumtaxàt cenſeri debet approbata doctrina illa, pro qua intelligenda preces Deo fundere nos monet Eccleſia, Auguſtino pronunciante: *Oratio dicitur clariſſima gratię teſtificatio*: dum ergo Eccleſia orat: *Da nobis quęſumus, & quę docuit intellectu conſpicere*, apertè ſatis innuit non purè permiſsivè Sancti Thomæ doctrinam fuiſſe approbatam. Significavit etiam Urbanus V. ad Toloſſates reſcribens, imperanſque, ut doctrinam Divi Thomæ totis viribus ampliare ſtudeant. Et quidem ſi Angelici Doctoris & Auguſtini doctrina (quæ eadem dici poteſt) permiſsivè dumtaxàt fuiſſet approbata, approbanda reſtaret electivè; quod non videtur conforme Alexandro VII. ad Lovanienſes ſcribenti: *Præclariſsimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſsimaque dogmata, :: quorum profectò Sanctiſsimorum virorum penès Catbolicos univerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina novi præconii commendatione planè non egent.* De quibus infra redibit ſermo. Jam inde ſuâ ſponte occurrit ſecundi generis approbatio pro doctrina Divi Thomæ: nempè electiva in Eccleſiæ Patrem, & Doctorem, Principemque Theologorum Scholæ. Cuncta patebunt toto hoc Prolegomeno.

D. Auguſt. Epiſt. 95. lib. de perfect. juſtitiæ cap. 16. lib. de natura & gratia cap. 18. S. Hieron. Epiſt. ad Cteſiphon.

15 Nec tandem ſilentio pręteteamus, Romanum Martyrologium, inde dictum, quod auctoritate Romani Pontificis emendatum prodiit, juſſu nimirum Sixti V. Gregorii XIII. Clementis VIII. & tandem Urbani VIII. in ultima præſertim editione ex tribus, quæ tempore Cardinalis Baronii factæ fuerunt. * Monendum putamus (habet Baronius) Romani Martyrologii triplicem hactenùs in Urbe eſſe factam editionem, ejuſque primam & ſecundam eſſe mendoſam, nec ſatis dignam, quæ iterum pręlo tradatur: quod cujus culpâ acciderit, libentiùs ſilentio præterimus. Tertia editio purior eſt, atque ſincerior, facta anno Domini 1584. illi enim tantùm, ut legitimę, atque germanę acceſſerunt litteræ Apoſtolicę datæ die 14. Januarii eodem anno. * Quantum vero diligentię adhibuerint in emendando Martyrologio Romani Pontifices, in aperto ponunt eruditi quam plures Scriptores, qui de hoc aſſumpto utiliſsimas edidere lucubrationes; quas compendioſè deflorare viſus eſt Benedictus noſter XIV. ſe ipſo eruditione ſuperior. Editioni etenim laudatæ quaſdam adjecit notas Cęſar Baronius antequam purpureis Inſulis donaretur, ex mandato Cardinalis Sirleti Apoſtolici Bibliothecarii, approbante Romano Pontifice, ut ipſe loquitur Baronius. * Cui editioni ſcilicet anni 1584. etſi ex noſtris notationibus levis certè aliqua acceſsit emendatio, vel ſi quid additum reperitur, quod ſemel tantum, vel iterum factum invenies, id nos ejus, cujus ſumma eſt in Eccleſia auctoritas, conſtanti voluntate feciſſe intelligas. * Prodiit inde nova Martyrologii editio cum notationibus Baronii tempore Gregorii XIII. ſub Pontificatu Sixti V. de quo ita loquitur Franciſcus Maria de Aſte. * Nullum namque dubium eſt, quin Martyrologia ſępè numero variata fuerint, cum illud quod à Gregorio XIII. approbatum, litteriſque ejus Apoſtolicis obvallatum eſt, occaſione poſtea notationum Baronii, qui ſuggeſſerat nonnullos ſe in eo errores reperiiſſe, aliqua ex parte commutatum ſit, non variatis modò quibuſdam, ſed nonnullis etiam adjectis atque detractis, ut utramque editionem antiquam & novam conferenti, Gregorianam ſcilicet cum Sixtina, liquidò conſtabit. Quamquam hæc poſterior non appelletur Sixtina, licet ſub Sixto V. facta; viſum eſt enim, quòd non tanta eſſet facta mutatio, ut non poſſet relinqui Bulla, & nomen Gregorii XIII. Jam autem uſus ferè obtinuit, ut poſtrema illa editio ſub Sixto V. facta, & Baronii notationibus illuſtrata Baronii Martyrologium vocitetur. *

Baron. Pręfat. ad Martyrol. Rom. cap. 8.

Magna etſi nõ infallibilis Martyrol. diligenter recognito tribuenda eſt auctoritas.

Notæ Cęſaris Baronii.

Franciſcus Maria de Aſte diſceptat. in Martyrologium Romanum, Monit. ad lect.

16 Similia imò eadem verba refert Petrus Haloxius (apud Hyacinthum Segura) ſubjungens: * Et ſanè egregiè in eo & fructuosè, ad gloriam Dei, & Eccleſiæ utilitatem laboravit. Verum non eſt unius hominis videre omnia, nedum examinare. Unus in uno clariùs videt, alter in altero, alius in alio. Sic in dies lux creſcit, & eruditio: & multorum ſplendoribus redditur Eccleſia illuſtrior: ſic & bona melioribus, dum multi intendunt oculos, permutantur. * Inde factum eſt, quod tempore Urbani VIII. nova recognitio Baronianę acceſsit editioni, de qua ſic habet Gavantus. Recognita fuit hæc editio Urbani VIII. juſſu, additis Sanctorum feſtis, qui nuper canonizati ſunt (ſicut poſtea factum fuit tempore ſubſequentium Pontificum) & in primo loco poſitis iis quibus datum eſt Officium de præcepto; tum verò emendatus fuit textus multis in locis juxtà veritatem certiſsimę hiſtoriæ, me quoque minimò omnium Collegarum pręſente; & minùs certa interim commiſsimus tempori decernenda maturiùs. * Subdit etiam Florentinius, tunc fuiſſe Sulpitium Severum à *Martyrologio* Romano expunctum. * Non equidem (inquit) Gregorius XIII. multa laude alioquin dignus, poſtremam Eccleſiaſticis tabulis emendationem decrevit, ſed quantùm potuit emendatas prodire curavit, nec omnem exhaurire potuit, quam habet Romana Sedes in examinandis Eccleſiaſticis libris auctoritatem. Ita accerrimi judicii Pontifex Urbanus VIII. noſtro ſæculo demonſtravit, qui Sulpitium Severum, tam ex ipſo Romano Martyrologio, quàm ex Breviarii lectionibus Sancti Brunonis prodigioſam cõverſionem expunxit. *

Segura, diſc. 7. §. 4. diviſ. 3. n. 23.

Gavantus in Theſauro, lect. 6. caſ. 21. n. 7.

Florentinius, admonit. 11. ante ſuũ Martyrologium.

17 Hucuſque indicata, eximiam oſtendunt RR. PP. diligentiam adhibitam, ut ac-

accurata fieret & omnibus numeris abſoluta editio Romani Martyrologii : digni propterea , ut magni ejus cenſeatur auctoritas , licet aliqua fortè remaneant emendari digna ; adhibita tamen ea prudenti cautione , quam ex erudito Florentinio adducit Benedictus XIV. * Cçterum etſi aliqua videantur animadverſione digna , non cujuſque juris eſt cenſorem agere , ſed expectandum , quouſque re maturè diſcuſſa, emendationem , ſi opus eſt, Eccleſia ipſa decernat. * Ea etiam cautione , & debita Eccleſiæ ſubmiſsione procedit Nicolaus Antonius , Militaris Ordinis Sancti Jacobi Æques in Hiſpania , Hiſpalenſis Eccleſiæ emeritus Canonicus, Catholici Regis Caroli II. à Conſiliis, vir certè omnium ore ob ſuam eruditionem laudandus. Cum enim graviſsima ſibi occurrerent monumenta , quibus ſuaſum iri poſsit, expungendam eſſe à Martyrologio *Martham*, quç velut Martyr memoratur die 20. Septembris. *Item Sanctarum Martyrum Suſanæ filiæ Arthemii Idolorum Sacerdotis, & Marthç.* Quamvis eruditè diſcurrat & excuſet Martyrologii Romani correctores , veluti equivocatione ductos ex Menologio Græcorum (& meritò cum Baronius in Annotationibus habeat : *Suſanæ & Marthç , de his etiam Græci hac die*) auctoritate Patris Raderi in Viridario Sanctorum munitus concludit : * Videtur Martyrologium Romanum in hac equivocatione lapſum fuiſſe , dignum proinde prompta emendatione. * Dignus utique imitari à viris eruditis , qui operi illi poſthumo cudendo operam navarunt , quos in hoc laudo; non vero cum in indice rerum notabilium uſi ſunt illa deciſsiva expurgatione : pag.725. *Se ha de barrar en 20.de Setiembre la memoria de Santa Martha Martir, por no aver ſido ni Santa,ni Martir, ſino impia, y Judia* : nimirùm: *Delenda eſt* (in Martyrologio Romano) *die 20. Septembris memoria Sanctç Marthæ Martyris , quòd non fuerit Sancta , nec Martyr , ſed impia , & Judça.*

Nec facilè, nec auctoritate propriâ à Martyrologio eſt recedendū.

18 Concludamus igitur cum Benedicto XIII. in diſſertatione jam laudata. * Idem de Martyrologio Romano , ac de Breviario ferendum judicium; cum ſi quæ in uno ſint, quæ eruditis negotium faceſſant, in alterum transfundantur. * Et cum noſtro Benedicto XIV. * Noſtrum denique eſt, aſſerere Apoſtolicam Sedem non judicare : inconcuſſæ eſſe & *infallibilis* veritatis quæcumque in *Martyrologium* Romanum inſerta ſunt , uti quoque animadvertitur *in citata diſſertione art. 7. necnon in animadverſionibus ſuper regulas,& uſum Criticæ* editis à Patre Honorato de Sancta Maria *tom.2. lib.1. diſſert. 2. §.3. in fine.* Quod & optimè colligitur ex mutationibus , & correctionibus à Sancta ipſa Sede demandatis. Enim verò prçter ſupra expoſita , ſcimus , claræ memoriæ Cardinalem Leandrum Colloredum (ex Congregatione Romana ad Purpuram aſſumptum) multa paraſſe pro nova expurgatione *Martyrologii* Romani; at mortuum eſſe antequam opus abſolveret , & typis ederet. * Hactenus de Martyrologio Romano.

Benedict. XIV. ubi ſupra n.9.

ARTICULUS II.

Auguſtini elogia propulſatis calumniis; indicantur breviter.

19 AUDIENDUM Thomam cum PP. ex Prophetis loquentem in noſtris dogmaticis lucubrationibus dare conſtituimus, ut qui in erroribus volutantur ad veritatem aſſurgant ; & qui veritatem tenent, brachiis ſtrictiùs excipiant. Ex PP. autem Auguſtinum maximè in ſubſidium vocamus , quia Auguſtino quàm maximè Thomas adhçſit : vel per Thomam Auguſtinus frequentiùs verba ſalutis & veritatis contra novos Aſſyrios (fçtidos hæreſiarchas) veluti ſagittas Domini emittit. * Omnibus ſiquidem ſçculis (piè & verè ajebat nitidi eloquii cultor eximius Contenſonius) præſtantes doctrina & pietate viros Eccleſiæ ſuç providit Deus , qui ſacrum Religionis depoſitum & fide ſua cuſtodierunt , & eruditione illuſtrarunt. Sed ſalvâ (quæ debetur) maximâ viris ſummis reverentiâ , id veridicè pronuntiaverim, præclara illa Eccleſiæ lumina , vel operum anguſtiis & brevitate, vel ſpecialium ſectatorum raritate & infrequentia quibuſdam veluti limitibus circumſcripta fuere. At in Auguſtinum & Thomam omnes univerſæ Theologiæ theſauros infudit Deus , quibus & arcanas Catholicæ fidei veritates elucidarunt , & mores omni caſtimoniâ informarunt , & veræ Theologię magiſterium ſibi juſtiſsimè compararunt. * Ea de cauſa utrumque S. Doctorem tanquam Eccleſiæ vocem & oraculum , jam in capite libri conjunctos monſtravimus & ære inſculpſimus : quia inter utrumque non tam ſimilitudo , quam idemptitas , & ſpiritus ac pietatis intima, velut transformatio invenitur, prout in hoc Prolegomeno ſpeciatim , & in toto opere generaliùs pateſcet. Inde non parum gloriæ utrique Doctori adinvicem accreſcere, Sapiens ipſe ſapienter innuit , dum teſtatum reliquit ; *Gloria filiorum patrem eorum :: Filius ſapiens lætificat patrem ſuum.* Cum igitur ingentia D.Thomæ ejuſque doctrinæ elogia ex Summis Pontificibus , Conciliis , Eccleſiaque ipſa producturi ſimus ; in ipſis commendatum quis non videat Auguſtinum? Quis non judicet fruſtra à nobis aſſumi Auguſtinum ſpecialitèr commendandum? Judicabit certè eruditus quilibet & ſapiens : quia tamen , *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum* , juxta monitum Apoſtoli ; neceſſarium duxi pauca, ex multis prçſtingere in hoc articulo elogia ; repellens va-

M.Contenſ.diſſ. 6. lib.8.

Proverb.17. v. 6. cap.10.v.1.

Ad Romanos 1. v.14.

validè, etſi breviter injurioſas contra Auguſtinum attentatas criminationes , ut mirùm jam non videatur à Magiſtro calumniato ad calumniandum diſcipulum , nocturnos lucidç veritatis , Auguſtinianæque & Angelicæ glorię hoſtes tranſiiſſe. Nec eſt quod admiremus , poſtquam Chriſtus Dominus de ſe ipſo & Apoſtolis loquens , ad noſtrum aſſumptum indicavit : *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum :: ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut Magiſter :: Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt , quanto magis domeſticos ejus?*

Matth. 10. v. 24.& 25.

20 Igitur Auguſtinum , Thomæ ejus regulam profitentis Patrem , & Magiſtrum utporè illius in omnibus doctrinam ſecuti, qualiter Beelzebub vocaverint hæretici habes ex S. Proſpero dicente : *Ut Catholicorum mentes caſtitatem gratiæ defendentes calumniando corrumpant , præcipuum noſtro tempore in doctrina Eccleſiaſtica virum , ſcilicet Auguſtinum, rabido ore diſcerpunt.* Et ut nihil ſpeciatim dicamus de antiquis hæreticis ab Auguſtino rejectis , indeque contra ipſum furentibus , ſatis erit eundem audire Proſperum in laudato libro concludentem: *Credunt ſe omnia auctoritatum munimina poſſe convellere , ſi hanc paſtoralis ſpeculæ validiſsimam turrim crebra Pelagiani arietis illiſione pulſaverint. Firmum quidem fundamentum Dei ſtat , ſed congruentèr iſti non deſunt partibus ſuis ; dignum quippè eſt, ut quorum ſequuntur ſententias , imitentur inſaniam. Nec alia poſſunt dicere , quam quæ damnantur, & quærellis procaciſsimis Juliani, ac cæterorum ſunt vulgata convitiis. Paria ſunt unius ſeminis germina , & quod latebat in radicibus , manifeſtatur in fructibus.* Inde cum obtrectatores Auguſtini adhuc poſt iteratam SS. Pontificum approbationem adverſus illum inſurrexiſſent,ad Epiſcopos in Piceno ſcripſit Leo Papa : *Adbuc majus ſcelus accreſcit , ut ſub conſpectu & præſentia Sacerdotum, beatç memorię Hieronymum & Auguſtinum Eccleſiaſticorum lumina magiſtrorum muſca moritura , ſicut ſcriptum eſt , exterminans oleum ſuavitatis lacerare contenderet.* Hæc & alia contra Auguſtinum probra meditans , ipſum conſidero cum Sancto Job ita loquentem: *Docete me , & ego tacebo : & ſi quid fortè ignoravi , inſtruite me. Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis , cum è vobis nullus ſit , qui poſsit arguere me? Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis :: Reſpondete obſecro abſque contentione : & loquentes id quod juſtum eſt , judicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem , nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit.*

S.Proſper. lib. contra Collatorem.

Hçretici calumniatores Auguſtini.

S.Leo Papa I. ad Epiſcopos in Piceno.

Job.6. à v.24.

21 Contra Auguſtinum attentatas Semipelagianorum calumnias pacifico vultu aſpicere eſſet eo tempore , quo nondum Auguſtinianæ doctrinæ ſupremi Eccleſiæ Paſtores Apoſtolica auctoritate robur invictum addidere , Semipelagianis expreſsè adhuc non damnatis juxta illud Proſperi de Maſsilienſibus, ac ſemipelagianis: *Horum tamen, dum adhuc non ſunt à fraterna ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio , donec Dominus per Eccleſiæ Principes , & legitimos judiciorum ſuorum miniſtros , hçc , quæ per paucorum ſuperbiam & quorundam imperitiam ſunt turbata, componat.* Quis autem patientèr ferat calumniatum Auguſtinum poſtquam ejus doctrina per ſupremos Eccleſiæ Paſtores , non tàm approbata , quàm conſecrata fuit , & præſertim in materia de Gratia & Prædeſtinatione , in qua poſteriores hæretici & Catholici plures , erroris notarunt fulgentiſsimum Eccleſię Solem? Poſtquam Innocentius I. in reſponſione ad Synodum Carthaginenſem atque Milevitanam (quarum Auguſtinus anima & ingenium fuit) ait nihil ab illis Conciliis prætermiſſum , nihil ſuppreſſum , illorum Patrum relationem ſcripturarum relationibus eſſe plenam , nec aliquid quod ad cauſam poſsit proficere præteriiſſe. Litteras etiam utriuſque Concilii ab Auguſtino ſcriptas , *plenas fidei* appellat , *totoque Catholicæ religionis vigore firmatas.* Cœleſtinus etiam Papa , ſic Auguſtini ſcripta & doctrinam ſuâ approbatione firmat, his verbis : *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus , nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis rumor aſperſit , quem tantâ ſcientiâ olim fuiſſe meminimus , ut inter Magiſtros optimos etiam à meis prædeceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in communi cenſerunt , utpotè qui omnibus ubique cunctis amori fuerit & honori.* Cui eximiæ Auguſtini commendationi nihil addi poteſt præter obſervationem Sancti Proſperi. *Librorum* , inquit, *qui errantibus diſplicebant , pietate laudatâ , quid oportet de eorum temeritate ſentire , ſancto manifeſtavit eloquio. Contra iſtam clariſsimæ laudationis tubam , contra iſtam ſacratiſsimi teſtimonii dignitatem audet quiſpiam malignæ interpretationis murmur emittere , & perſpicuæ , ſinceriſsimæque ſententiæ nubem obliquæ impietatis obtendere.* Unde infert Cœleſtinum validiſsimè compreſsiſſe Auguſtini contradictores , *qui piiſſimo diſputatori obviare præſumunt, & tanquam neceſſarium modum exceſſerit , obloqui non verentur.*

S.Proſper. lib. contra Collatorem in fine.

Auguſtini doctrina per Sūmos Pōtifices approbata.

Cœleſtinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ.

S.Proſper. lib. contra Collat. cap.43.

22 Idem ſuccedentes deinde Pontifices cenſerunt. Nam Hormiſdas Papa ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum ait : *De libero arbitrio & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia in variis libris beati Auguſtini , & maxime ad Hilarium & Proſperum poſſe cognoſci.* Aſtipulatur Joannes II. ad quoſdam Senatores: *Auguſtini doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.* Denique Clemens VIII. doctrinam Auguſtini dotem Eccleſiæ relictam eſſe dicebat , ad eamque velut adamuſsim, exigendas eſſe de gratia controverſias pronuntiabat. Unde in Congregationibus de Auxiliis ità de Auguſtino loquutum fuiſſe referunt dominus Le Buſſu Doctor Pariſienſis , & P. Gi-

Hormiſdas Papa in epiſt.70. ad Poſſeſſorem Africanū Epiſc.

Joannes II. in epiſt.3.ad quoſdam Senatores.

Clemens VIII.

biuſus: *Quamvis* (verba ſunt Clementis) *nemini niſi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræſentiarum rationes, propter quas aſtringere ſtatui totam hanc diſputationem ad normam Sancti Auguſtini de gratia. Prima eſt, quod ſi teſte beato Proſpero ferè initio libri contra Collatorem viginti annorum ſpatio acies Eccleſiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Auguſtino duce vicerit, oportet etiam, ut in cauſa ſimili eundem ducem cognoſcamus & ſequamur. Secunda eſt, quod idem Sanctus nihil videatur prętermiſiſſe eorum, quæ ad præſentes controverſias pertinent, quandoquidem ſi agitur de neceſſitate gratię, eam deſcribit, dicens eſſe neceſſe, ut nos pręveniat committetur & ſequatur, ſi de vi, aſſerit vires efficaciſſimas prębere voluntati; ſi de effectu, teſtatur facere de non volente volentem; ſi de modo, aſſerit Deum id facere potentiſſimâ facilitate. Denique ſic diſſolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium non tantùm benè cum illa gratia cohęrere, ſed etiam fieri liberiùs, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio eſt, quod cum multi Pontifices prædeceſſores noſtri doctrinę Divi Auguſtini de gratia tam acres fuerint aſſertores ac vindices, ut eam quaſi hæreditario jure in Eccleſia relinqui voluerint, ęquum non eſt, ut patiar, illam hac quaſi hæreditate privari.*

Novi calumniatores Auguſtinianę doctrinæ.

23 Quis inquam patienter ferat novas in Novatoribus adverſus Auguſtinum audire calumnias, toties Apoſtolico fulmine in cineres & favillas reductas? Quis ſine ſtomacho infernalium centuriarum fraudulentos architectos audiat obganientes, non paucos errores in Auguſtini libris inveniri? Marcum Antonium de Dominis Eccleſiæ transfugam, & adverſus Auguſtinum oblatrantem lib. 11. de Republica cap. 10. *In Auguſtini doctrina contineri imò errores damnatos in Concilio Arelatenſi ac Lugdunenſi?* Cui ſubinde patrocinatus eſſe videtur Auctor Theſium à Cenſoribus Sacræ Fidei proſcriptarum in Hiſpania anno 1650. inter quas hæc erat in ordine decima: *Si triumphi Eccleſiæ de Pelagianis niterentur poſterioribus Auguſtini ſcriptis immeritò de illis Eccleſia triumphaſſet.* Omittimus Arminium modernorum ſemipelagianorum Ducem, & Anteſignanum adverſus Auguſtinum inſanientem, ut refert P. Macedo in Antitheſi Arminiana, alioſque novatores hæreticos, ut lamentationi tempus maneat, dum Theologos audio Catholicos, nec contemnendi nominis viros, minori qua oportet veneratione de doctrina Auguſtini loquentes. Plures hujus generis Auctores recenſent Philalethes, ſeu Carolus ab Aſſumptione in Thomiſtarum triumpho cap. 2. n.125. Magiſter Contenſonius in Commendatione SS. Auguſtini & Thomæ, Cardinalis de Noris in Vindiciis Auguſtinianis, & alii apud Mag. Piccinardum lib.5. q.2. & alibi frequentèr, eorum tamen verba reticenda duximus.

24 Inter Auctores deinde Auguſtinianæ doctrinæ parùm affectos, ne dicam injurioſos, reponendus meritò venit Joannes Adamus pluriès in Auguſtini doctrinam invectus. * Tenebræ ajebat 3. p. Calvini deſtructi cap.16. pag.760. Tenebræ me cogunt ad lucem alibi quærendam, quam in Synodis, & aliorum Doctorum libris invenio. Et rurſus cap. 4. inquit. * Arma Auguſtini inexpugnabilia non eſſe, neque hæreticorum argumentis ſatisfeciſſe, neque poſitas ab ſe theſes convincentibus argumentis comprobaſſe. * Tandem, ut alia omittamus de doctrina Auguſtini in materia reprobationis effutiit. Credo mihi licere, eam exhorreſcere, quia mater eſt Calviniani dogmatis. * Inſuper uno ictu Auguſtinum & Fulgentium impetitur Auctor libelli *Cenſura inofficioſæ cenſuræ* inquiens: * Sancto Fulgentio familiare Auguſtini placitis ita mordicùs adhærere, eoque rigore, ut non ſit ſollicitus ſententiam duriorem mollire benigna interpretatione. * Plures ex productis auctoribus aliiſque prætermiſsis, præſertim Acatholici deſudarunt infęliciter in maculanda Auguſtini doctrina plurium errorum, improbabiliumque opinationum nebulis: Sed inter omnes caput extulit Launoius, nedum auctoritatem Breviarii floccifaciens, ſed contra Auguſtinum inſaniens, retroacti temporis calumnias in uno ſui abortivo & poſthumo fœtu collectas dedit, prout generatim retulimus articulo præcedenti n. 2. utque rugientem contra Auguſtini doctrinam leonem iſtum ex ungue monſtremus, quid in ipſa 1. pag. ſcripſit tranſcribimus. * Doctores, quanti ſint, non aliam ſibi dictorum fidem conciliare, quam quę illis ex rationum queis nituntur, momentis accedit: atque adeò magnam illam, qua tota Eccleſiâ Catholica valet Auguſtinus, exiſtimationem nihil obeſſe, quominus ſi cauſa ſubeſt, erroris à viro Theologo poſtulari queat, nulla debitæ venerationis injuria. *

25 Nec aliquis vitio vertat, prædictas in Auguſtinum criminationes me retuliſſe; quia ut S. Proſper ajebat in ipſo quod tractamus inſtituto: *Non negligendum eſt hoc malum, quod ab occultis parviſque ſeminibus augetur quotidiè, & ab ortu ſuo latiùs longiùſque diſtenditur: ſed ſtudendum eſt, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorem hypocriſis detegatur; quia ex pia injurię magnitudine, quam in uno Auguſtino, cunctis ac pręcipuè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parùm cautis, excellentioris ſcientiæ judicantur; & miſero perverſoque ſucceſſu facilem mendacio conſenſum eliciunt, quia reverentiam ſibi præſumptione pepererunt.* Videas in S.Proſpero benè deſcriptos Auguſtinianæ doctrinæ antiquos calumniatores, & præindicatos ſimul poſteriorum temporum ejuſdem doctrinæ oſſores, quos injurios Eccleſiæ, Summis Pontificibus, & clariſsimis PP. & Doctoribus Auguſtini obſequentiſsimis diſcipulis, benè dicamus. Atque ut in uno Launoio vel auctore libelli ejus nomine vulgato, cę-

S. Proſper. in Proluſione operis contra Collatorem.

cęteros reſpectivè & proportionaliter comprehendamus, ſatis erit Sanctiſsimum audire, & loquentem dare Clementem XI. adverſus malè conſarcinatum Launoii libellum ex Petri Cathedra ſtatuentem.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

26 CUm, ſicut Nobis innotuit, in lucem prodierit Libellus quidam, cui titulus: *Veritable Tradition de l' Egliſe, ſur la predeſtination, & la grace, &c. Par Mr. de Launoy Docteur en Theologie, de la Maiſon, & Societè de Navarre. A Liege chez Nicolas le François, proche les Carmes en Isle, à la prudence. MDCCII.* Nuperrimè verò venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales in totâ Republicâ Chriſtianâ contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, à Sede Apoſtolicà ſpecialitèr deputati, auditâ Libelli hujuſmodi cenſurâ, illum ad minùs tanquàm impium, blaſphemum, necnon fulgidiſsimo Eccleſiæ lumini, maximoque Doctori ſancto Auguſtino, quinimò ipſimet Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi injurioſum, damnandum, & prohibendum eſſe cenſuerint: Hinc eſt, quod Nos pro commiſsâ Nobis divinitùs gregis Dominici curâ, animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex præfati Libelli lectione, & uſu provenire poſſent; paſtorali ſollicitudine, quantùm cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, qui ejuſdem ſancti Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus veſtigiis firmitèr inhærere volentes, de memoratorum Cardinalium conſilio, Libellum prædictum auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ac legi, ſeù retineri prohibemus, ipſiuſque Libelli impreſsionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecificâ, & individuâ mentione, & expreſsione dignis, ſub pœnâ excommunicationis per contrafacientes ipſo facto, abſque alia declaratione, incurrendâ, à qua nemo à quoquam, præterquàm à Nobis, ſeù Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium obtinere valeat, omninò interdicimus. Volentes, & auctoritate præfatâ mandantes, ut quicumque Libellum hujuſmodi penès ſe habuerint, illum, ſtatim atque præſentes Litterę eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, atque conſignare teneantur; hi verò exemplaria ſibi ſic tradita illicò flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Ut autem eædem pręſentes litterę ad omnium notitiam faciliùs perducantur; nec quiſquam illarum ignorantiam allegare poſsit, volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, illas ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; ſic verò publicatas, omnes & ſingulos, quos concernunt, perindè afficere, ac ſi unicuique illorum perſonalitèr notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Ipſarum autem præſentium litterarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiam impreſsis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem tàm in judicio, quàm extrà illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur eiſdem pręſentibus, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſę. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxviii. Januarii MDCCIV. Pontificatus noſtri anno quarto.

F. Oliverius.

Damnatur libellus Launoii à Summo Pontifice Clemente XI.

27 Videas inde qualiter Auguſtinianæ doctrinæ calumniatores injurios declarat Summus Pontifex Auguſtino, Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, quemadmodum de oſſoribus Angelicæ D. Thomæ doctrinæ ſignificabimus: ut inde appareat fulgentiſsima in firmamento Eccleſiaſtico luminaria iſta, vel luminare unum eiſdem ferè calumniis à nocturnis veritatis hoſtibus impetitum; conſimili approbationum honore, eluceſcere ampliùs. Nec enim ſine delectu Summi Eccleſiæ Paſtores Alexander VII. & Benedictus XIII. Auguſtini, & Thomæ uno commendationis elogio inconcuſſa & tutiſsima dogmata prædicarunt. Licet ergo nobis admonere eos, qui Auguſtini doctrinam calumniare audent, & cum S. Proſpero in defenſionem D. Thomæ in Exordio n. 2. adducto advertere: *Illos hanc injurię magnitudinem in uno cunctis, ac pręcipuè Apoſtolicæ Sedis Pontificibus intuliſſe*, ut paulò ante abundantiùs retulimus. Nec inde lector inferas, eam nos Auguſtinianæ doctrinæ approbationem tribuere, quæ Canonica ſtrictè dicitur, & quæ ſolis Canonicis Auctoribus concedenda eſt. Nullo namque pacto id affirmamus, neque affirmare poſſumus, non aliam prætendentes approbationem, niſi quam electivam diximus articulo præcedenti pro doctrina D. Thomæ eiſdem fere Summorum Pontificum decretis munita. Ad ſummum enim in ſenſu latiori & minus ſtricto dici poſſunt dogmata Auguſtini, & Thomæ *Authentica*, & *Canonica*, ſeu meliùs *tutiſsima*, & *inconcuſſa*. Inde prudenter ſcripſit P. Suarez. * Non dicitur Auguſtinus Apoſtolicè ſcripſiſſe, quia vel ſcriptor Canonicus fuerit vel quia infallibilem habuerit Spiritus Sancti aſsiſtentiam in ſcribendo, ſicut Apoſtoli habuerunt, ſed quia tam verè, ac fideliter de gratia ſcrip-

S. Proſper. lib. contra Collat. initio.

Qualiter D. Auguſtini doctrina fuerit approbata.

P. Suarez Proleg. 6. cap. 6. num.15.

ſcripſit, ut Apoſtolica ſedes Auguſtini doctrinam in his, quæ ad dogmata pertinent, ſuam effecerit, & probarit. ✱ Et juxta hanc limitationem intelligi debet Gloſſa quædam, objectioni contra Sectatores Auguſtinianæ doctrinæ tanquam vellent eſſe Canonicam, reſpondens: *Intelligi ſecundum illa tempora, cum adhuc ſcripta Auguſtini & aliorum Sanctorum Patrum non erant authentica, ſed hodiè jubentur omnino teneri uſque ad ultimum Jota.*

Gloſſa in diſt. 9. decreti Gratiani.

SS.PP. & Doctores Auguſtini doctrinam commendant, extollunt.

S. Hieron. Epiſt. 25. ad Auguſt.

S. Gregor. lib. 8. Epiſt. 37.

28 Nihilominus in uno Auguſtino cunctos poſt ipſum Eccleſiæ Doctores, Patres, & Theologiæ Principes injuria afficiunt Auguſtinianæ doctrinę injurii, Oſſores: Hieronymum primò de Auguſtino in vivis adhuc agente, ita ajentem: *Te Catholici conditorem antiquæ rurſus fidei venerantur;* Gregorium illum Auguſtini ipſa potius humilitate magnum de ipſius ſcriptis ſic imperantem: *Beati Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quęratis.* Rupertum Abbatem qui ejus veneratione ductus, ajebat: *Iſte, ſcilicet Auguſtinus eſt columna & firmamentum veritatis.* Bernardum affectu circa veritatem ita Auguſtino hærentem ut ſcriberet: *Ab his duabus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, difficile avellor, cum iis me errare aut ſapere fateor;* Remigium Altiſiodorenſem, ipſum, ut luminare majus inter Eccleſię Patres venerantem, ſecundum quod ajebat: *Omnes Doctores lumen recipiunt ab Auguſtino.* Injuria item afficiunt nedum proximiores Auguſtini Diſcipulos Proſperum, Fulgentium, alioſque coęvos Patres; ſed etiam poſteriores, ex quibus omittere non poſſumus Sanctum Vincentium Ferrarium de Sancto Auguſtino affirmantem: *Omnes Doctores, qui venerunt poſt Auguſtinum, ſuſtentantur ſuper ejus doctrinam ſanctam, puram, immaculatam.* Quibus omnino conſentit S. Antoninus. Et poſtea S. Thomas à Villanova affirmavit: *A ſole omnia Aſtra lucent, ab Auguſtino omnes qui poſt ipſum fuerunt Doctores Sapientiæ lumen accipiunt, ipſe vero propria luce lucet, quam à nullo homine, ſed à ſolo Deo accepit.* Injuria tandem afficiunt Theologicæ Scholę Principes, Magiſtum Sententiarum libros ſuos ex Auguſtino præcipuè adornantem. Scotum adeò Auguſtinianæ doctrinę addictum ut in ſolis Theologicis commentariis in ſuarum aſſertionum teſtem octingentiès ac quindeciès protulerit teſtante Baſilio Pontio.

Rupert. lib. 7. de operibus Spiritus S. cap. 19.

S. Bernard. Epiſt. 77. ad Ugonem.

Altiſiodoren. in Epiſt. 2. ad Corint.

S. Vincent. ſermone de S. Auguſt.

S. Antonin. par. 2. titul. 8.

S. Thom. à Villanova concion. 1. de S. Auguſt.

Baſilius Pontius in Apologia.

29 Sed quid opus habeamus ſcholę inſignes memorare Theologos: cum unus pro omnibus ſufficiat Scholarum Princeps Doctor Angelicus, quem cum Auguſtinianæ doctrinæ calumniatores injuriâ afficiunt in ipſam Eccleſiam injurii cenſeri debent. Hic namque ſanctiſsimus filius pro ſanctiſſimo Parente laborans fęliciter, diſcipulus pro Magiſtro, de ſuo, & alieno theſauro novą protulit, & vetera innovavit eloquia, dum Officium compoſuit (S. Pio V. teſtante, ut poſtea ſignificabimus) quo Auguſtiniani profeſſores Parentem colunt ab antiquis temporibus approbante poſtmodum Clemente X. Ut jam verum maneat, ſine injuriâ in Eccleſiam, injuriâ affici non poſſe Doctorem Angelicum in Auguſtinum, ejuſque doctrinam laudibus effuſum. Audiant igitur ut obmuteſcant oſſores illi Eccleſiam de Auguſtino, ejuſque doctrinâ intonantem inter alia plurima. Tum in Sequentia pro Miſſa S. Parentis.

Calumniatores Auguſtinianæ doctrinę injurioſi ſunt Eccleſiæ, & Sedi Apoſtolicæ.

In ſequent. pro Miſſa S. Auguſtini.

Firmans fidem, formans mores,
Legis ſacræ perverſores
Verbi necat gladio
Salve gemma Confeſſorum;
Lumen Chriſti vox cœlorum
Tuba vitę, lux Doctorum
Pręſul Beatiſsimè.

30 Plura etiam in ſacris Hymnis videre eſt eloquia, ex quibus, unam ſubiiciemus aut alteram ſtropham in eorum oblectamentum, qui ad uſum non habent Eccleſiaſticum illud Officium. Cum enim in Orationibus innuat Eccleſia Sancta: Deum Omnipotentem præclaro ſapientiæ lumine mentem illuſtraſſe Auguſtini, & ſancti amoris jaculo cor tranſverberaſſe. Inſuper: abditiora divinę ſapientiæ arcana Auguſtino revelaſſe, atque in ejus corde divinę charitatis flammas excitaſſe, ut miraculum columnæ nubis & ignis in Eccleſia renovaret. Quid mirum exultabunda metricè concinnat.

In Officio Auguſtiniano.

Quę obſcura prius erant,
Nobis plana faciens;
Tu de verbis Salvatoris
Dulcem panem conficis,
Et propinas potum vitę
De Pſalmorum nectare.
Vivus index Trinitatis
Buccina orbis aurea:
Nemo ſcit quod ipſe neſcis;
Tu Magiſter omnibus.
Cœli ſidus amabile,
Virtutum viridarium
Tu Sol ſole micantior,
Et lux luce nitentior.
Tu legis Salomon novæ
Vivæ fons ſapientię:
Prodes plus fidei unicus
Omniſquàm nocet hæreſis.
Tu vitæ colis arborem,
Quæ fert poma ſcientiæ
Chriſti ſanguine conſitam
Tu ſudoribus rigas.
Magiſter Orbis maximè
Qui mente clara cęlitus
Scrutaris inſcrutabile
Trini Dei myſterium.
Eccleſiæ ſol ſplendide,
Ardore cujus igneo
Solvuntur imbres criminum,
Nubes jugantur hæreſum.
Scriptis refutas Arii,
Manetis orta dogmata,

Do-

Donati & atra ſchiſmata
Verbo potente diſſipas.
Per te ſubactis hoſtibus
Chriſti triumphat Gratia,
Et veritatis fulmine
Anguem Britannum conteris.
Quæcumque monſtra protulit
Orcus, quot inde proferet,
Libris repreſſa concident,
Quibus fides innititur.

31 Et tandem ut compendioſè omnia dicamus, dicamus cum Eccleſia: *Quia vas electionis tuæ, & lux doctorum mellifluus Auguſtinus, toto terrarum orbe radio mirę claritatis infulſit: & Eccleſiam ſanctam fidei orthodoxę verè Auguſtinus illuſtravit: deſtruxit hęreſes: errores repullit: hęreticoſque proſtravit: ac ſtatus fidelium univerſę Chriſtianæ vitę Auguſtinus moribus decoravit. Clericos docuit: laicos monuit: devios in viam veritatis reduxit: cunctorumque conditionibus ſalubriter providendo, tuam in hoc mari naviculam Auguſtinus providè gubernavit.* Quis etiam non judicet injuriâ affectam Eccleſiam ex illo etiam capite, quod in Conciliis congregata à temporibus Auguſtini, & deinceps, ipſum veluti Anteſignanum agnovit? ✱ Auguſtinus, (ſcripſit Caramuel) tametſi non dirigat Concilia generalia ut cauſa principalis, bene tamen ut inſtrumentalis, illo enim utitur Deus ut dirigente Concilia ad percipiendam revelationem à Spiritu Sancto factam in materia gratiæ. ✱ Merito proinde cecinerat Proſper.

In Præf. Miſſę.

Caramuel in Theolog. fund. 2. edit. fund. 1. n. 54.

S. Proſp. Carm. de ingratis.

Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat.

32 Inde Numidiæ & Carthaginenſis Concilii Patres Auguſtino in commentarios deducenda demandarunt eorum Conciliorum Acta. Et Theodoſius ipſe Imperator, prętor generales ad alios Epiſcopos convocatorias litteras, ſingulari Auguſtinum Epiſtola advocarat in Synodum Epheſinam; ſic etiam à Cyrillo rogatus. Quid ergo mirum ante P. Decamps, ſcripſerit ad Regem Britanniæ Celeberrimus Cardinalis Perronius. ✱ Conciliorum ſanctiones, & Romanorum Pontificum edicta, quibus Pelagiana hæreſis jugulata occubuit, ex Sancti Auguſtini libris petita ſunt, Sancti Auguſtini doctrinam continent, Sancti Auguſtini verbis exprimuntur. Fuit Auguſtinus quodammodo Eccleſię pręceptor, cum Romanis Pontificibus & Conciliis ore præivit, quod de ſuperbiſsima hæreſi judicarunt, fuit lingua Eccleſiæ, cum ejus verbis decreta concepta ſunt, & quę prius fuerant Auguſtini voces, Spiritus Sancti oracula eſſe cęperunt, fuit ille Conciliorum Dux atque ingenium, cum iis rationes & argumenta ſubminiſtravit, quibus Pelagium ejuſque complices fregerunt. ✱ Id ipſum ante Perronium tota quanta eſt teſtatur antiquitas: in Auguſtino equidem cęterorum PP. compendio conjuncta prædicatur auctoritas, quos cum *Eccleſię Magiſtros* ab antiquis temporibus appellatos videamus, cum Joanne II. iterum pronuntiare non piget; *S. Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.* Id obvium eſt in omnibus Conciliis ab ipſo Auguſtini tempore celebratis.

Liberat. cap. 5. Breviarii.

Cardinal. Perron. lib. 1. cap. 12.

Hormiſdas Epiſt. 67. ad Poſſeſſorem.

In Synodo Chalcedon. Act. 1.

In 6. Synodo Actione 12. aliiſque ſequentib. Conciliis apud Piccinardum lib. 5. q. 2. ar. 3.

33 Et inde jam cum laudato Clemente XI. bene injurios Apoſtolicæ Sedi dicamus Auguſtinianę doctrinæ oſſores, à Sede Apoſtolica ſępiùs fulguritos. Quinimò & ab ipſo Auguſtino rejectos, & prędebellatos, ut ſuæ famæ ad aliorum utilitatem conſuleret, juxta prudentiſsimum ejuſdem monitum: *Quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit; quiſquis etiam famam, in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra.* Et præſertim cum de Auguſtini calumniatoribus, dicere cum Magno Gregorio potuiſſet: *Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant, ut unde plus detractationis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi ſunt tamen etiam iſti, tranquillè admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus decet, ſcientes quod de eis veritas dicit: Ne fortè ſcandalizemus eos.* Ut igitur Auguſtinus ſuos calumniatores revinceret, monitum voluit: *Sicut lectorem meum nolo eſſe mihi deditum, ita correctorem nolo ſibi, & ſicut illi dico noli meis litteris quaſi ſcripturis canonicis inſervire :: Ita iſti dico noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, ſed ex divina lectione, vel inconcuſſa ratione corrigere.*

D. Auguſt. lib. de Bono viduit. cap. 12.

D. Gregor. apud Contenſonium tom. 6. fol. 591.

D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. in Proœmio.

Auguſtinus ſuos debellavit debellatores.

34 Quænam autem fuerint præcipua adverſus Auguſtinum plena calumniis objecta, compendio, etſi infeliciter effutiit Launoius Juliani, Fauſti aliorumque Semipelagianorum perſonam induere viſus. At Launoio aliiſque ſimilis furfuris homuntionibus, jam Auguſtinus viam calumniandi præcluderat ad Julianum antiquum hoſtem ita occurrens: *Quid eſt, quod exultas & mihi quaſi victor inſultas, tamquam non invenirem, quid facerem, quo confugerem? Ita enim tibi ponis ante oculos noſtrum in diſputatione certamen, & te argumentante me quid reſpondeam non habentem fingis, ut placet.* Et rurſus: *Ad omnia me tibi reſpondiſſe, Juliane, & omnia refelliſſe:: Puto quod proſpicis, ſi pervicax non ſis. Et hujus oppoſitum, hoc quidem dicis, qui autem legit, & intelligit, ſi non Pelagianus eſt, hoc non dicit.* Et tandem (ut alia innumera omittamus.) *Non ſunt ergo verba mea inter ſe contraria, quamvis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non ſinendo contrarium.* Sed rem totam à noſtro audiamus eruditiſsimo Baronio ajente. ✱ Quænam fuerint, quę à Pelagianis clam ſub Catholico nomine latentibus, objicerentur, ex iiſdem eorum litteris intelligere potes, ea nimirum, quæ

S. Auguſt. lib. 2. contra Julian. cap. ultimo.

Lib. ultimo in Epilogo.

Lib. 1. operis imperfect. cap. 15.

Lib. 5. cont. Julian. cap. 5.

Baronius anno 426. n. 21.

San-

Sanctus Auguſtinus ſcripſiſſet de vocatione,& pœnitentia electorum, deque gratia prævenienie, quam à voluntate hominum præveniri jactabant, & alia his cognata, ut idem, qui ſupra S. Proſper pluribus ea epiſtola ſignificavit: præſtitit idipſum Hilarius Arelatenſis plura addens. Quibus omnibus acceptis, Auguſtinus hiſce diebus ad ea elucidanda, & adverſariorum objectiones confutandas converſus, in altum pelagus ingenii vela pandit: inſpiranteque Divino Spiritu, duos ad eoſdem conſcripſit libros, alterum inſcriptum de Prædeſtinatione Sanctorum, alterum verò de Bono perſeverantiæ: ad cujus finem ejuſmodi conteſtationem appoſuit: *Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias. Qui autem non intelligunt, orent ut eorum ille ſit doctor interior, à cujus facie eſt ſcientia & intellectus. Qui vero errare me exiſtimant, etiam atque etiam quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent. Ego autem,cum per eos, qui meos labores legunt, non ſolum doctior, verumetiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco, & hoc per Eccleſiæ Doctores magis expecto, ſi & in ipſorum manus veniunt, dignenturque noſſe quæ ſcribo.* Hæc ipſe; digna quidem Sancti Auguſtini modeſtia, animique ejus admirabili cum ſubmiſsione verecundiâ, ut planè, niſi aliunde, ex his ſaltem intelligere valeas, afflatum ipſum Divino Spiritu illa ſcripſiſſe: cum non ſuper quempiam alium, quam ſuper humilem, quietum, & trementem ſermonem Dei, divinum affore numen, Deus per Prophetam fuerit conteſtatus, ſicut & Jacobus docuit. *

D. Auguſt. lib. de Bono Perſever. ante finem.

Iſaiæ 46. ſecundum 70. Jacob 3.

35 Tot egregia commendationum Auguſtinianæ doctrinæ ſumma momenta, vel ipſos hæreticos compulerunt, ut ſummis laudibus Auguſtinum extollerent, aſſerente pro omnibus Covello in reſponſione ad Burgenſes pag.3. *Sanctus Auguſtinus ſcientia tam divina quam humana cæteros omnes qui fuerunt, vel erunt iis ſolum exceptis, qui à Spiritu S. inſpirati ſunt, longe ſuperavit.* Et nihilominus Launoius, aliique ſimiles, adhuc fulgentiſsimo Eccleſiæ Soli umbras affingit; dignus propterea ut contra illum, & illos Facundum Hermianenſem ita intorquentem proferamus. * Audeant iſti, ſi poſſunt, hæreticum dicere Auguſtinum; audeant ſollicitâ præſumptione damnare: & tunc verè diſcent, quæ ſit pietas & conſtantia Eccleſiæ Latinorum, quam Deus magiſterio ejus inſtituit, atque firmavit: cum ab omnibus confeſtim anathematizati fuerint, & tanquam putrida, & morbida membra præciſi. * Concludamus tandem cum D.Proſpero, inter alia graviter loquente: *Placet igitur tibi* (Launoii, vel quiſquis ſit Auguſtini calumniator) *cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores, & eos erroris nota addurere, qui errorem ab Eccleſia depulerunt. Erravit igitur Papa Innocentius? :: Erraverunt Orientales Epiſcopi? ::: Erraverunt ducenti quatuordecim Sacerdotes? Erravit ſacroſancta Petri Sedes?*

Hermianenſis lib.9. contra Montianum.

D.Proſper. contra Collat. cap. 10.

ARTICULUS III.

Hæreticis non eſſe cur D.Thomæ imperitum ſermonem affingant, & uſum Philoſophiæ improbent.

36 LONGE lateque vulgatum fuit ſemper apud verbóſos & petulantiſſimos hæreticos,in Divo Thoma imperitiam criminare ſermonis, adeò ut eos obganientes & obloquentes audire videar: involvere Thomam, *ſententias ſermonibus imperitis*; *rudem* inſuper & *indoctum*, Miniſtri Scotiæ in Apologia vocant. At, quomodo ſermones imperitia obvolutos, ſtylo obſcuros, & barbarie implicatos protuliſſe, niſi inſanus homo credat, Doctorem illum, ideò Angelicum jure ab Eccleſia prædicatum; quia *ejus ſcripta & multitudine & varietate & facilitate explicandi res difficiles excellunt?* Quomodo ſacram doctrinam imperito ſermone obvolvere jactant Nebulones Divum Thomam, quem *Doctorem Eccleſiæ, lumen mundi, novique ſolis radium in mundi veſpere emicantem, audivimus? Et de ejus fonte luminis verbi coruſcant faculæ, quia doctrinæ radiis fulgent?* Quomodo non verbis conſpicuus, ſermone clarus, in loquendo peritus, in exprimendo elegans, in ſtylo gravis, in methodo ſingularis Thomas ille Sanctus, cui *de excelſis fons ſapientiæ infundit copiam, tanquam flumen claræ ſcientiæ, qui ſusceptam refudit gratiam: dum fluentis ſummæ peritiæ rigat totam Sanctam Eccleſiam?* Nonne in Doctore Angelico angelicè docente, *ſtylus* irradiat *brevis, grata facundia:: cœlica, clara, firma ſententia?* Et quomodo non claritate doctrinæ emineat felix ille Doctor, *cujus ſolatio Angelorum ſervit attentio! :: Qui profunda ſcrutans fluminum, in lucem pandit abdita: dum ſupra ſenſus hominum obſcura facit cognita?*

In Officio Dominicano pro feſto S. Thomæ.

Ibidem.

Stylus D.Thomæ brevis, fæcundus, conſpicuus, eruditione clareſcens.

37 O utinam ad tot mirifica Eccleſiæ Sanctæ encomiaſtica pronuntiata, rugientium leonum obturarentur ora? Finemque dicendi facerent anonimi (ut in plurimum) Catholici nonnulli ſcriptitantes in proſcriptis proſcribendiſque libellis, in quibus maculas ſoli Aquinatis ejuſque doctrinæ umbras, affigere ſomniant? Dubitent (per me licet) graviſsimis in oppoſitum ducti fundamentis criticæ diſciplinæ profeſſores, etiam moderati, de aliquibus in Breviario appoſitis, enarratiſque factis hiſtorialibus, præſertim *ubi antiquorum monumenta adverſantur*, ut loquitur Benedictus XIII. diſſert. de Reliquiis S. Bartholomæi articulo primo præcedenti laudata.

38 Nihil tamen eſt viris Catholicis, ſe-

ſeveriorem quantumvis criticem profiteantur, ut prudentem exceptionem prætendere poſsint in elogiis Divi Thomæ, ejuſque angelicæ doctrinæ. Tum quia geſta non narrant, jam Breviarium, jam Reſcripta Apoſtolica, ipſa antiquitate obſcura, & antiquorum Auctorum diſſenſionibus dubia. Tum quia pro majori parte ex Bulla Canonizationis, actiſque pro ea expedienda, elogia illa emanant. Tum etiam quia non præter aſſumptum, & quaſi per tranſennam (ut vulgò dicitur) ſed data opera Summi Pontifices commendare prætendunt Divum Thomam, ejuſque doctrinam. Quinimò ejuſdem commendationis, honoris, gloriæ, & obſequii, teſtes dabimus Auctores, quos rigidior hiſtorica criſsis taxare haud valet. Teſtes nimirùm quam plures Doctori Angelico coetaneos, atque ejus ætati proximos; Auctores mundo & cœlo ſanctitate conſpicuos, in albo Sanctorum relatos, honoribus Eccleſiaſticis redimitos, Auctores omnigena dignitate Eccleſiaſtica fulgentes, Summos Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopos, & hujuſmodi. Teſtes dabimus in omni ſcientiarum genere fulgentes, atque in ſacra ſcientia micantiſsimas ſtellas. Teſtes dabimus, & domeſticos in ſchola Angelici Thomæ ſolares ejus radios ebibentes, & extraneos profeſsione, & fortè doctrina, à quibus certè ſuſpicio omnis de exceſſu encomiaſtico, longè abeſt. Teſtes inſuper dabimus ipſos veritatis adverſarios, rabidos nimirùm hæreticos: ut ita iteratò pronuntiemus, nihil fundamenti viris eſſe Catholicis, quamvis criticem profiteantur, ut prudentem exceptionem prætendere poſsint in elogiis Divi Thomæ ejuſque angelicæ doctrinæ.

Ex omni ordine teſtes, omnique exceptione majores in cõmendationem doctrinæ D.Thomæ producuntur.

39 Affirmare liceat ergo nobis in aſſumpto præſentis articuli, Doctorem Angelicum ita in ſententiis tradendis angelica claritate procedere, ſermonis peritia micare, perlucido ſtylo eminere: ut Eccleſiam mira eruditione clarificare, meritò Eccleſia ipſa pronuntiet. Et Innocentius VI. *Hujus Doctoris ſapientia, præcæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum.* Quid ergo mirùm, ſi in hujuſmodi elogio conſpirent tot producendi teſtes? Sed age, inſpiciamus breviter mirabilem ordinem in ſacris doctrinis tradendis, ut meritò pronuntiatum ſit: hic eſt Doctor ille, *qui poſt primum articulum poſuit ſecundum.* Methodum igitur (unde claritatem tradita accepit doctrina) admirare eſt in Angelico Doctore, præclarumque ordinem, quo res tractandas diſpoſuit; adeò ut poſterius ex priori, non ſolum pendeat, ſed etiam lucem accipiat, æque ideò verum habet proximè laudatum pro doctrinâ D. Thomæ elogium. An non D. Theologus noſter in Summa ſummæ ſapientiæ ſuæ ordinem illum à magno Dionyſio in Angelorum operandi modo didiſcit, exponitque, ac tandem æmulatur? Angelos (animadvertit Dionyſius) triplici operatione moveri, ſeu motu, *circulari* nimirùm, *recto, obliquo.* Dum enim perpetua circa Deum veritatis & amoris centrum, contemplatione & amore veluti undequaque feruntur, & ut inquit Areopagita: *Choream agunt*, dicuntur motu circulari moveri; cum vero inferiores res cognoſcunt, quarum iis cura demandata eſt, ſuaque ſtudia illis promovendis & regendis conferunt, recta veluti linea pertranſeunt, & recto motu feruntur; cum vero utrumque motum miſcent, & ex ipſa Dei contemplatione, unde rationes agendi accipiunt,creaturis inferioribus operam ſuam impendunt, obliquo motu,ex utroque, recto & circulari mixto, moventur.

Innocentius VI.

S.Dionyſius lib. 4. de Divinis nominibus.

D.Thom. 2.2. q.180.art.6.

Angelicũ ordinem in ſua doctrina tradenda Angelicus Doctor emulavit.

40 Triplicem hujuſmodi motum, ordine quem in pertractandis rebus Theologicis obſervavit noſter Thomas, eſt imitatus. Etenim ut benè habet Theologus dignè laudandus (Mag.Gonet) * Dum prima parte totus in divinis eſt, de attributis Divinæ naturæ, de Perſonis Trinitatis diſputat, & circa divinum illud centrum circumquaque agitur, & numquam ab eo deflectit; an non motu circulari movetur? Sed cum de Deo rerum efficiente, de creatione, & creaturæ intellectualis actibus, virtutibus, gratia, legibus, quibus ad ſuum finem conſequendum tendit, diſponitur, juvatur, dirigitur, an non motu recto fertur & movetur? Sed demùm cum ultima ſuæ Theologiæ parte de myſterio Incarnationis agit, quam Auguſt. epiſt. ad Voluſianum,Dei & hominis mixturam vocat, quis negaverit obliquo motu, & ex utroque, recto & circulari mixto moveri? * Meritò igitur Sixtus V. Thomam commendavit, quatenùs præ reliquis in ſua doctrina tradenda, Angelos ipſos imitari viſus eſt.

Mag. Gonet de Commend. Doctrinæ D. Thomæ §. 5.

Sixtus V. in Bulla *Triumphantis.*

41 Sed de claritate & peritia ſermonis, de ordine & methodo in doctrina tradenda, de eruditione ſolida, de eloquentia gravi, materiæque congruenti, ſatis dicta ſint: cum alias ſubjicienda elogia in eandem conſpirent veritatem. Et quidem (ut verum fatear) animo non ſemel volvẽte ſcriptorum D.Thomæ, ſummæ præſertim Theologiæ characteriſticas notiones concludi ſæpè, nullum eſſe ſcriptorum genus cujus ſoliditatem juxta & claritatem magis fuiſſe imitatum, quam Sacra & Canonica. Atque (niſi me mea fallat opinio) Summam Theologicam D.Thomæ adinſtar putei aquarum cœleſtis doctrinæ conſiderare licet; *alti* nimirùm & *profundi*; alti propter claritatem omnibus patentem, nec à puro Grammatico remotam, ut Sanctus Vincentius Ferrarius pronuntiavit. Profundi, quia in illo penetrando ſemper habent, quod magis, ac magis Theologi inſudent, ut innumera commentaria doctiſsima & ampliſsima in apertum reddiderunt. Ea omnia inſignium Theologorum utiliſsima opera, demiſſo animo, obſervantiſsima veneratione, ſingulari obſequio proſequor, ſed liceat mihi & ſi parùm experto concludere: numquam theologicarum difficultatum reſolutiones clariores apparent, quam in ipſa lit-

te-

Univerſitas Pariſienſis.

tera Divi Thomæ. Jam ergo mirari non libet, Univerſitatem Pariſienſem publico decreto in laudem doctrinæ D.Thomæ, ita affectum ſuum declaraſſe, quod fuerit nempè *Univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Univerſitatis noſtræ Pariſienſis ſpeculum clariſſimum, & candelabrum inſigne ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident, claritate vitæ, famæ claræ, & ſcientię lucidę velut ſtella præfulgida, & matutina refulgens.* Sed præſertim Clementem VIII. pro aſſumpto præſenti audiamus. *Doctrinæ quidem ejus teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breviſſimo tempore in omni fere diſciplinarum genere ſingulari ordine ac mira perſpicuitate, ſine ullo prorſus errore conſcripſit.*

Clemens VIII. in Brevi ad Neapolitanos.

42 Miram deinde eruditionem in Angelicis Thomæ ſcriptis Romana Eccleſia agnovit, miram perſpicuitatem ex omni diſciplinarum genere Angelicæ ſuæ doctrinæ accreſcentem, ſummus ipſe Pontifex admiratur. Et tamen (quis crederet) fuere nonnulli defectum eruditionis, & perſpicuitatis in doctrina D. Thomæ criminantes ex multiplici capite: in primis enim anonimi quidam apud Magiſtrum Gravina ex eo faſtidioſam habent doctrinam D. Thomæ, quod quæſtiones eaſdem iteratò pertractet, ut videre eſt in ſententiariis pręſertim & Sũma Theologica. Præterea obſcuritatem objiciunt. Inſuper quod Theologorum ſui temporis, quorum doctrina, ſcriptis, & magiſterio plurimum profeciſſe videtur, non meminit. Objiciunt etiam politioris litteraturæ ignorantiam, & Græcę præſertim linguæ imperitiam, quod veterum Patrum Græcorum volumina legere non potuit; vel quia nondum erant ad Latinam linguam tranſlata, vel quia defectu impreſſionis evulgari tunc non potuerunt. Et inde ſimiliter pro certò venditant non legiſſe Divum Thomam antiquos Philoſophos, hiſtoricos & Poëtas. His leviſſimi momenti ſubſidiis exurgunt contra D. Thomæ doctrinam oſſores illi Eraſmum imitati, eo ſolum diſcrimine, quod Lutheranorum prodromus iſte, non auſus perfricata fronte criminari D. Thomam, ut virum doctiſſimum à ſe ipſo agnitum, fingit crimina dum excuſat, inquiens: *Thomæ ſolidior eruditio adfuit, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum artium ſuppellex contingeret, qui iis, quæ per eam tempeſtatem dabantur, tam dextrè ſit uſus*: Et alibi *idem Thomas* (inquit) *ad dicendum non fuit natura ineptus, ſi ſe perinde his exercuiſſet, ut exercuit in philoſophicis, & argumentando.*

Perſpicua eruditio ex omni diſciplinarum genere in Theologia D. Thomæ elucet.

Eraſmus dum laudat, crimina fingit in D. Thoma.

43 Sic Thomam Scholę Theologum impetere moliuntur ipſimet Scholaſticę Theologiæ jurati hoſtes, dum Scholaſticos pleroſque ejuſdem imitatores appellant ſordidos & incultos, omniſque litteraturæ politioris prorſus experſtes, indigoſque Latinis & benè inſtitutis auribus. Subjectam criminatione pro Scholaſtica Theologia diſſipavimus jam, in ipſos criminatores intortam Prolog. 2. art. 9. Nunc pro Scholarum Angelo nullo negotio proteretur. Non quidem reſpectivè ad varios invicemque contrarios imperitorũ cenſorum genios aut guſtus (hoc enim impoſſibile eſt) ſed reſpectivè dumtaxàt ad viros prudentes ſolidè eruditos, & ſine fauſtu doctos: hoc enim ultimum ſufficit Doctori Angelico inter *doctos doctiſſimo, & inter ſanctos ſanctiſſimo.* Et quantum attinet ad criminationem ex primo capite, in promptu Cyrillum habemus, ſimiliter accuſatum, ſicque Neſtorii blaſphemias prævenientem: *Quia ſæpè adverſarii eadem inculcant verba, nos quoque, qui illis adverſamur eaſdem repetere ſententias neceſſe eſt. Date obſecro nobis veniam, qui non ſpontè ad verba eadem iteranda venimus, ſed quocumque illorum verborum ſcopus pergit, ibidem illis occurrendum eſſe decrevimus.*

S. Cyrillus lib. 1. in Neſtorii blaſphemias.

44 Hæc tamen potiori jure in ſcriptis Divi Thomæ locum tenere habent: eo quia in multiplici adornanda Theologica ſumma multiplicem ſcopum attigiſſe videtur. Jam enim Gentiles ex lumine præſertim rationis profligandos aſſumit; commentatorem agit Magiſtri ſententiarum in altera ſumma, in compendium reducit Theologiam ad preces Cardinalis Annibaldi, & in opuſculo 2. Et ut prætermittamus Quodlibeta, & quæſtiones diſputatas, * quas (ut benè notat Vvielmius Eſpiſcopus Argolicenſis) cum doctiſsimis viris in Templis, inque Gymnaſiorum Scholis congrediens (excipientibus fortè Notariis, quod Antiquorum Patrum tempeſtate fieri ſolebat) meditatus eſt. * Summam ſummę ſapientiæ, ut diximus, veluti propriam præclarè adornavit. Quid ergo mirum iteratò pro diverſitate methodi Thologicas doctrinas aliquando fuſiùs, aliquando breviùs traderet, prout Philoſophis mos eſt apud Ciceronem dicentem. * Nam Geometrę, cum aliquid docere volunt, ſi quid ad eam rem pertinet eorum, quæ ante docuerunt, id ſunt pro conceſſo & probato, illud modo explicantes, de quo ante nihil ſcriptum eſt: Philoſophi verò quamcumque rem habent in manibus, in eam quę conveniunt, congerunt omnia, etſi alio loco diſputata ſunt. *

Diverſimodè pro diverſa ratione doctrinam tradidit Theologicam D.Thomas.

Vvielmius lib. 2. de Scriptis. S. Thomæ pag. 426.

Cicero lib. 5. Tuſculanarum.

45 Pro ſecunda criminatione diſſipanda in memoriam revocare poſſumus, ſimili accuſatione, qua diſcipulus Thomas impetitur, jam antea Magiſtrum Auguſtinum à ſuis ęmulis fuiſſe criminatum. Quapropter ipſum audiamus pro ſe ipſo, & pro Angelico Diſcipulo reſpondentem. Affert enim ea Petri Apoſtoli verba, quibus difficultatem in Epiſtolis Pauli ita agnoſcit. *Sicut, & cariſſimus frater noſter ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis; ſicut & in omnibus epiſtolis loquens eis de his; in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quę indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Hinc inſuper inferebat, *qui ea, quæ pro natura quæſtionum dilucidè dicta exiſtimo, adhuc non intelligunt; non mihi calumnientur pro negligentia, vel pro meę facultatis indigentia, ſed Deum potiùs pro accipienda intelligentia deprecentur. Aliunde arbitror* (ajebat) *ſanè nonnullos tardiores id opinaturos me cenſiſſe, quod non cenſi, aut non cenſiſſe, quod cenſi; quorum errorem mihi tribui non debere quis neſciat, ſi velut me ſequentes, neque apprehendentes deviaverint, dum cogor per quędam denſa & opaca viam capere? Quando quidem nec ipſis ſanctis divinorum illorum auctoritatibus ullo modo quiſquam rectè tribueret tam multos & varios errores hæreticorum, cum omnes ex eiſdem ſcripturis falſas, atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere.* Præterea contra ſibi imponentem obſcuritatem reponebat Sanctus Parens: *Quę tenebras veſtras redarguunt, vobis lucida non videntur.* Sive, ut alibi reſpondit: *Prorſus intelligor velis nolis: ſed tu contra non laboras ut me intelligas, quod facillimè potes, ſed laboras ut me refellas, quod non potes.* Et tandem Julianum lepidè carpens aloquutus ita fuit: *Si non vis intelligere, aut ſi te fingis non intelligere, noli obſtrepere volentibus, & valentibus intelligere.*

2. Petri 3. à v. 15.

D. Auguſt. lib. 3. de peccat. meritis cap. 2.

Lib. 1. de Trinit. cap. 2.

Lib. 3. operis imperfect. cap. 61.

Lib. 4. cap. 140.

Lib. 3. cap. 141.

Lib. 4. contr. Julian. cap. 46.

46 Hæc Auguſtinus, quæ tanto opportuniùs cadunt in Sancti Thomæ patrocinium, quanto ut inquit Joannes à Sancto Thoma. * D. Thomæ doctrina eſt valde profunda, quia conatur radices veritatis penetrare, quod maximè occultum & laborioſum eſt, unde non poſſunt omnes eam intelligere, & conſequenter, nec ſequi. * Et ante eum Cajetanus in dedicatoria primæ partis. * Ideò formalis ſermo doctoris noſtri magnam recondit ſenſuum altitudinem, licet verborum collocatio & delectus perplexi nihil habens prima facìe lectorem videatur allicere, ac facilitatem ſenſuum polliceri. * De criminante autem hac de cauſa eundem Angelicum Præceptorem exclamaret, ut puto, ſive repeteret Prudentius Epiſcopus: *O monſtrum horrendum! O linguam præcidendam! Quę vel ignorantiam, vel invidiam tantis Doctoribus importare, non metuit, ut qui obſcura revelare ſubjerant, obſcurioribus dictis ea implicaſſe credantur!* Cum imò de Sancto Thoma peculiariter Urbanus V. in priori Bulla ad Toloſanos in Bolandi legenda atteſtatus ſit: *Quod tamquam Doctor egregius per ſua perlucida ac ſalutifera documenta univerſalem illuſtravit Eccleſiam:: Sua fœcunda facundia Cęleſtis irrigui gratia influente ſcripturarum enigmata reſeravit, ſolvit nodos, obſcura dilucidavit, dubiaque declaravit.* Reſtat ergo concludere cum Epiſcopo Vvielmio: * Cum plerique omnes perpicuitatem, & lucem clariſsimo huic Doctori miro conſenſu, præ cæteris fermè recentioribus tribuant, conſentaneum eſt, ut nequaquam ipſius vitio, ſed vel rerum magnitudine quas expendit, vel eorum tarditate qui legunt, obſcurus quibuſdam eſſe videatur. Sic enim Hieronymus alicubi ait: Obſcuritas aut rerum difficultate, aut Magiſtri imperitia, aut dicentis nimia tarditate naſcitur. * Nec eſt quod hæreamus in objecta à pluribus contrarietate, in ſcriptis D. Thomæ: Quia Doctor Angelicus juxta & humillimus numquam ſibi directè & formaliter contrarius invenitur: pauca enim in Sententiariis (Interpretem agens) reſolvit quę in majorem perfectionem in Summa redegit Theologica, tanquam veroſimiliora amplectens, quod & aliis Patribus Auguſtino præſertim contigit; at ubique ſemper abſque erroris labe diſcurrens. Unde adverſariis, ipſe D. Thomas mihi videtur occurrere verbis illis Auguſtini: *Non ſunt verba mea inter ſe contraria, quamvis te patiantur, vel non intelligendo, vel alios intelligere non ſinendo contrarium.* Et alibi: *Hinc eſt quod ſententias meas inter ſe contrarias putas, vel putare cupis, tamquam improbem quod antea probaverim, aut amplector quod antea reſpuerim. Audi ergo apertè ſententiam meam, & intellige, vel ſine intelligere alios, non offundendo caligines nebuloſæ diſputationis ſerenitati ſinceriſſimæ veritatis.*

Joan. à S. Thoma art. 3. verſus finem.

Cajetanus in Dedicatoria 1. partis.

D. Prudentius lib. de Prædeſt. contra Joannem Erigmatem cap. 1.

Urbanus V. in priori ad Toloſanos Bulla.

Vvielmius lib. 1. pag. 402.

D. Auguſt. lib. 5. cont. Julian cap. 5.

Ibidem cap. 9.

47 Objectum ex tertio cap. diluere haud poſſumus D. Thomam cum Hieronymo ita loquentem conſiderantes: *Operis mei eſt & ſtudii multos legere, ut ex plurimis diverſos flores caperem, non tam probaturus omnia quamque bona ſunt electurus.* Cum enim prudentiſsimus Doctor Eccleſiæ conſuetudini inniteretur, quæ auctoritatem & pondus ab antiquis Patribus derivare ſolet, mirari nemo debet, ſi celeberrimos ſui temporis Auctores graviſsimus Doctor, vel ad ſua confirmanda, vel ad aliena refellenda tanquam teſtes numquam aut raró ſaltem adduxit: Quamobrem nec multum Magiſtris Hugoni, Præpoſitivo, Gilberto Porretano, aliiſque nonnullis, qui ante Albertum, & Alenſem Lutetiæ floruerant, quorum volumina accuratiſsimè etiam legerat tribuere ſolet. Sectatur Aquinas veteres illos Eccleſiarum eximios Magiſtros, quibus diuturnus Catholicorum conſenſus, exiſtimationem & auctoritatem peperit, ac tanquam teſtes omni exceptione majores frequenter, ac de nomine profert. In ordine vero ad alios Doctores cum ab illis recedit, graviori ut putabat rationum, & auctoritatis ductus pondere; ſępè honoris ut opinor & obſequii gratia nominibus parcit, non contemnendi prurigine.

S. Hieron. apud Uvielmium pagin. 394.

Doctos ſui tẽporis in pretio habuit D. Thomas.

48 Et quidem quis talia vel ſuſpicetur in Doctore illo Angelico, penè ad miraculum humili, ad ſtuporem humillimo, qui *peſtiferæ ſuperbiæ numquam perſenſit ſtimulum?* Qui mundanam gloriam à juventute calcare didicit? Hac methodo Theologię candidatis exemplo ſimul fuit, & utiliſsimo magiſterio, ut prodit ipſe dum intentionem in ſcribendo prodidit, ita loquens

In Officio Dominicano.

D.Thom.inProlog. ad Sūmam Theologicam.

in prologo Angelicæ ſuæ Theologiæ Summæ: ,, Quia Catholicæ veritatis Doctor, non ſolum provectos debet inſtruere, ſed ad ,, eum etiam pertinet incipientes erudire ,, (ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Corinthios 3. tanquam parvulis in Chriſto lac ,, vobis potum dedi, non eſcam) propoſitum noſtræ intentionis in hoc opere eſt, ,, ea quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, eo modo tradere, ſecundum quod ,, congruit ad eruditionem incipientium. ,, Conſideramus namque hujus doctrinæ ,, novitios, in his quæ à diverſis conſcripta ,, ſunt plurimum impediri. Partim quidem ,, propter multiplicationem inutilium quæſtionum, articulorum, & argumentorum. ,, Partim etiam, quia ea quæ ſunt neceſſaria ,, talibus ad ſciendum non traduntur ſecundum ordinem diſciplinæ, ſed ſecundum ,, quod requirebat librorum expoſitio, vel ,, ſecundum quod ſe præbebat occaſio diſputandi. Partim quidem quia eorundem ,, frequens repetitio, & faſtidium & confuſionem generabat in animis auditorum. ,, Hæc igitur, & alia hujuſmodi evitare ſtudentes, tentabimus cum confidentia divini auxilii, ea, quæ ad ſacram doctrinam ,, pertinent, brevitèr ac dilucidè proſequi ,, ſecundum quod materia patietur.

Latinę &Gręcæ linguæ imperitia per calumniam Div. Thomæ affingitur.

49 Ad linguæ Latinę imperitiam, Gręcęque ignorantiam quod attinet, quarto loco objectam, nihil ferè reponendum eſſet pro Theologiæ Scholaſticæ Principe, poſtquam pro Scholaſtica Theologia ipſiſsimam criminationem diſsipatam dedimus. Nihilominus patietur lector, Jacobum Brutum audire, in humanioribus litteris celebrem, ita de ſtylo Divi Thomæ ſcribentem: *Stylum habet Div. Thomas clarum atque facilem, nulla barbarie reſperſum.* Imò Ludovicus Vives rigidus alioquin Cenſor: *Eum minimè ineptum appellavit*. Unde meritò Cajetanus ex productis antea oraculis infert: *Ea ſtyli Sancti Thomæ puritas eſt, ut ſuperfluat, ſi quid addideris, areſcat ſi quid exemeris, eaque in verbis formalitas ac proprietas, ut nihil extraneum, nihil accidens inſit.* Nec officeret Angelici Doctoris Theologico magiſterio, etſi aliqui, juxta latinitatis regulas defectus, tractationibus ſcholaſticis irrepſerint. Nam ut loquitur Arnovius eloquentię magiſter adverſus gentes ſimilia Chriſtianis objicentes: *Barbariſmis obſitæ ſunt, inquiunt, res veſtræ.* Pueriles ſanè atque anguſti pe,, ctoris reprehenſio, quam ſi admitteremus, ,, ut vera ſit, objiciamus ergo ex vocibus no,, ſtris quorumdam fructuum genera, quod ,, cum ſpinis naſcantur & purgamenta alia, ,, quę nec alere nos poſſunt, nec tamen im,, pediunt nos perfrui, eo quod principaliter ,, excellit, & ſaluberrimum nobis voluit eſſe ,, natura. Quid enim officit quæ cum aſpe,, ritate promatur? Inflectatur quod acui, an ,, acuatur quod oportebat inflecti? Aut quid ,, minus id, quod dicitur verum eſt, ſi in ,, numero peccetur, aut caſu præpoſitione, ,, participio, conjunctione? Pompa iſta ſer,, monisſet oratio miſſa per regulas, concio,, nibus, litibus, foro, judiciiſque ſervetur. ,, Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſe,, motis, quid dicatur ſpectandum eſt, non ,, quali cum amœnitate dicatur, nec quid ,, aures commulceat, ſed quam afferat utili,, tatem: maximè cum ſciamus, etiam quoſ,, dam ſapientiæ deditos, non tantum abje,, ciſſe ſermonis cultum, verumetiam cum ,, poſſent ornatiùs atque uberius eloqui, tri,, vialem ſtudii humilitatem ſequutos eſſe ne ,, corrumperent gravitatis rigorem.

JacobusBrutus.

Ludovicus Vives.

Arnovius lib. 2. adverſus Gentes.

50 Secundum objecti caput confringens, ſanè contra ſui adverſantes Auguſtinus ipſe intorquet, dum inquit: *Ego quidem Gręcę linguæ per parùm aſſequutus ſum, & prope nihil*; potiori titulo in ſubſidium dilectiſsimi ſui Angelici diſcipuli diſſolvit, conterit, cōminuit. Quippè qui Doctor Sanctus Græce Latine eruditos conſuluit, eorumque opera in vertendis Theologis & Philoſophis frequenter uſus fuit, ut laudatus Vvielmius oſtendit & probat. Præſertim quia ut legitur in vita antiquiſsima ſtatim poſt Sancti Thomæ canonizationem ſcripta, Humberti nomine: *Sanctus Thomas Ariſtotelicorum etiam librorum procuravit quod nova translatio fieret, quę ſcientię Ariſtotelis clariùs continet veritatem.* Imò Sanctus ipſemet Doctor in pręfatione expoſitionis trium Evangeliſtarum poſt Matthæum ait: ,, Et ut magis integra & ,, continua prædicta Sanctorum expoſitio ,, redderetur, quaſdam expoſitiones Do,, ctorum Gręcorum in Latinum feci tranſ,, ferri: ut agnoſcit laudatus Vvielmius dicens. ✱ Eorum nonnullos, vel paternis ſumptibus, vel Principum & amicorum liberalitate, loqui Latinè fecit. ✱ Et ſimiliter alios plures Græcorum Commentarios, de quo videri poteſt eruditus Piccinardus graviter oſtendens, Divum Thomam in Græca lingua fuiſſe ſatis peritum, ut vel ipſe Voſsius hęreticus ingenuè fatetur. Indicatque ipſe Divus Thomas opuſculo 16.

S. Auguſt. lib. 2. in Petilianum cap. 38.

Vvielmius laudatus.

Humbertus in vita D. Thom. cap. 18.

Vvielmius pag. 420.

51 Ultimæ criminationis machinam ipſi objicientes evertunt, dum Thomam inſultant: quod Philoſophiam aliaſque ſcientias inferiores in Theologiam vocaret; unde nollentes oſtendunt in antiquis evolvendis Philoſophis, hiſtoriis, aliſque id generis, non mediocrem navaſſe operam, quamvis id non oſtenderet Elenchus auctorum totius retrò antiquitatis. Ad Patres quod attinet tum Gręcos, tum Latinos falſiſsima certè objectio deprehenditur, cum in Angelico Thoma Patres omnes loquantur; atque cum Magiſtro Gravina affirmare non renuam (poſtquam in Breviario teſtatum video: *Nullum fuiſſe ſcriptorum genus, in quo non fuerit diligentiſsimè verſatus.* Et in vita ejuſdem Sancti Thomæ antiquiſsimè ſcripta: *Nulla ſcripturę veritas remanſit ſibi abſcondita, nec Doctoris cujuſquam ſcriptura inacceſsibilis involuta.*)✱ Injurioſa quoque hæc objectio eſt in Eccleſiam Latinam, quæ Sancti Thomę opera probavit, ejuſque Catholicam

Mag. Gravina tō. 3. pag. 329.

In Officio Rom.

Apud Bolandū ad diē 7. Martii cap. 4.

&

& veridicam doctrinam dilatandam mandavit etiam ſi poſtmodum in lucem prodierint alia opera Græcorum Patrum, quibus cum experimento probatum ſit non contradicere doctrinam Sancti Thomæ, imò per eorum dicta ampliùs doctrinam firmari & roborari, vel ex hoc argumento probatur veritas doctrinæ Sancti Thomæ, imò totius Eccleſię, quę Sancti Thomæ doctrina, & in Florentino contra errores Græcorum, & in tot aliis Conciliis adverſus hæreſes uſa eſt, imò & in Canones redegit. Quod ſi contenderet adhuc protervus dicta Sancti Thomæ per novos Gręcorum Patrum codices translatos emendanda, videat, ne conſequenter inferat Latinam Eccleſiam per Gręcam corrigendam eſſe. ✱

52 Homo mendax facilè capitur in ſermone (commune habet effatum) monſtrantque in propoſito aſſumpto Divi Thomæ calumniatores Etherodoxi, & fortè inter Catholicos nonnulli: defectum eruditionis in humanioribus diſciplinis, & in evolvendis ſcientiarum antiquiſsimis monumentis, objectum Divo noſtro Theologo vidimus, diluimus. Cum eccè per oppoſitum criminare moliuntur Sanctum Doctorem, quod Philoſophiam, aliaſque humanas ſcientias in Theologiam invexerit, de quo plura licet ſubjecta ſint, iterum pro omnibus hęreticis, eorum effręni inverecundia, facilè principem Lutherum blasphemantem memoremus, apud Ambroſium Catharinum; Divus Thomas (effutiit ille) *Vere eſt adulterator Theologiæ, ut qui Chriſtum ad mundi doctrinam, non mundum ad doctrinam Chriſti trahat.* Mitiori ſtylo Anonimus quidam Pariſienſis venenum calumniæ ita propinavit incautis Theologis.✱ In pluribus locis doctrinæ ſuę, ipſe Sanctus Thomas erravit per hoc, quod principia Philoſophiæ, ſeu potiùs quædam Philoſophorum verba ad concluſiones Theologiæ nimis applicavit, non enim loqui taliter debent Theologi, qualiter loquunt Philoſophi, ex Auguſtino 10. de Civit. Dei cap. 23. ✱ Idipſum licet occulta quodammodo manu Janſenius indicare videtur, dum primo ſugillatis univerſim ſcholaſticis, ex nimio uſu Philoſophiæ, ſeu Metaphyſicæ, inde nominatim de Sancto Thoma concludebat cap. 9. exemplo S. Thomæ, & ſimul Cajetani comprobatum eſt non poſſe præcellere in poſitiva Theologia, qui in Scholaſtica præcelluerit.

Catharinus dolo 8.

Janſenius lib. 1. Proœmiali.

Dum occultè D. Thomam mordet, ſe ipſum dilacerat.

53 Sed quemadmodum rèliqui oſſores, apertiùs tamen Janſenius ipſe capitur in ſermone, ſibique ipſi notoriè adverſans deprehenditur, dum Auguſtinum, ultra ſobrietatem commendans, in Thomam tanquam gladium acutum linguam intorquet. Et tamen ſui immemor Doctorem Angelicum *Auguſtinum contractum.* Imò in ejuſdem gloriæ cumulum, illud alterum addit: ,, *Quidquid verę Theologię in Scholaſtica S. Thomæ continetur, uſque ad ipſorum articulorum fundamenta, ex Auguſtino ita mutuatum eſt, ut quemadmodum novum Teſtamentum nihil eſt aliud niſi vetus revelatum, & Auguſtini de gratia Dei doctrina, nihil præter fidei principia in ſuas deducta concluſiones*; Ita Sancti Thomę Summa, ubi ,, *Theologiam tractat pro magna parte nihil ſit aliud, niſi Auguſtinus contractus, certaque proportione naturalibus principiis alligatus.* Pergunt tandem, ut alia omittamus, propoſitam criminationem iteratò ingeminantes Auctores memorialis contra juramentum Salmantinum objectione quintà dicentes: ✱ In Summa Sancti Thomæ multas eſſe quæſtiones de formalitatibus, & de entibus rationis, quæ Deus non revelat, ſicut & multas quæſtiones Philoſophicas, ſine quarum traditione Eccleſia perſeveravit annis 1200. neque circa illas quidquam diffinere neceſſe eſt.✱

Apud Baſilium Pontium.

54 Videas lector univerſos D. Thomæ oſſores tum hæreticos, tum Catholicos pro majori parte anonimos, vel ſub larvato nomine deliteſcentes ęque ſemper vel ferè ſemper Theologiam Scholaſticam cum ejus Principe laſceſſere molitos. At deſtructis pro Theologia machinationibus, nihil ferè eſt nobis addendum pro Scholaſtica D. Thomę Theologia, niſi argutiones adverſantium in laudem & gloriam doctrinæ Theologicę D. Thomæ convertere. Non ne utiliſsimum eſſe Scholaſticę Theologiæ, inde demonſtravimus, uſum Philoſophiæ inferiorumque ſcientiarum, quia ſacræ doctrinæ eas deſervire ad ſobrietatem facit? At quis inter Theologos hac diſſerendi arte majori cum dexteritate eminet quam D. Thomas? Fatemur enim non aliunde magis in ſacram doctrinam deformitatem aliquam irrepere: quam ſi in exponendo & pertractando, Auctor naturale lumen principaliter in corde habeat. Inde enim hæretici Canonicis doctrinis apertè refragati ſunt: imò inter Catholicos quidam, ſi non apertè; minus tamen cautè aberrarunt. Id ut caveremus Tertullianus ipſe (poſtea minus cautus) admonuit inquiens: *Alius manu ſcripturas, alius ſenſu expoſitiones intervertit. Neque enim ſi Valentinus integro inſtrumento uti videtur, non callidiori ingenio, quam Marcion, manus intulit veritati. Marcion enim exertè, & palam machæra non ſtylo uſus eſt: quoniam ad materiam ſuam cędem ſcripturarum confecit: Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiam ad ſcripturas excogitavit; & tamen plus abſtulit, & plus adjecit, auferens proprietates ſingulorum quoque verborum, & adjiciens diſpoſitiones non comparentium rerum.* Sed ex oppoſito penitùs S. Thomas totus quantus fuit, ex integro ſtuduit primò explorare ſenſus ſacrorum ac fidei, ac ſecundariò inde ad ejuſdem fidei normam ſuam etiam naturalem dirigere atque adaptare Philoſophiā, quemadmodum eâ breviſsimâ ſed profundiſsimâ periodo Pontifex Joannes XXII. decernit dicens: *Omnem ſuam verbo vel ſcripto doctrinam ad ejuſdem fidei Eccleſiæ normam fideli devotione reduxit*; & in proceſſu Ca-

Tertullian. lib. de præſcriptione ad medium.

Div. Thomas Philoſophia & inferiores ſcientias ad fidei normam reduxit.

Joannes XXII. in Bulla Canonizationis Div. Thomæ.

no-

nonizationis, ubi ſermo eſt de Sancto Thoma ſimul cum D. Auguſtino apparente Beato Alberto de Brixia cum ingenti monili in pectore ſic dicebatur: *Lapis pretioſus, quem geſtat in pectore dicit intentionem rectam, quam ad defenſionem fidei habuit, & declaratione oſtendit.*

55 Et quidem ſicut fides incipit à revelatione divina, ac inde deſcendit ad creaturas: cum tamen Philoſophia per oppoſitum à creaturis ducat ad Deum, juxta illud Pauli: Inviſibilia Dei per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur, certè doctrina Theologiæ ad illa ſua munera explenda, myſteria nimirùm fidei explicanda & defendenda, congruentior erit, quę deſurſum deſcendens à divinis ad humana progreditur, ut humana ad divina elevet. In hac autem methodo Theologiam D.Thomæ eminentem eſſe, Davidicum illud pronuntiatum: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra*, oſtendit, & Joannes ipſe XXII. ſatis declarat, inquiens: *In eo veriſsimè impletum eſſe, quod utique idem Sanctus, dum eſſet in ſacra pagina magiſterium ſumpturus, aſſumpſit.*

Joannes XXII. ubi proximè.

56 Et quidem ſi Philoſophiâ ſcientiiſque inferioribus ad ſobrietatem Patres etiam antiquiores jure meritò uſi ſunt, ut memoravimus: ſi Concilia œcumenica hoc ſubſidio non ſemel de fidei hoſtibus triumpharunt; quid eſt quod in uno Thoma ad crimen vertant id quod in ejus debet majorem cedere honorem? Diſpliceat doctrinæ Div. Thomę adverſariis Philoſophiæ ejus methodus, pluriumque quæſtionum tractatio? ✱ Diſplicet illis in primis, quod Sanctus Thomas diſtinctionibus rerum nimis indulgeat, earumque prodigus velit eſſentiam ab exiſtentia, & à ſuis potentiis, quantitatem à materia, aliaque accidentia à ſubſtantia, relationem à ſubjecto, verbum ab intellectione diſtingui realiter; quod aſſerat animam rationalem, dum degit in corpore, obliquè tantum ſingularia noſce beneficio ſpeciei naturę univerſalis, & Angelos ſemel lapſos in peccatum numquam poſſe ſui errati pœnitere, neque retractare judicium &c. ex quibus paucis ſelectis de reliquis quid ſentiendum ſit facilè prudens lector agnoſcet. ✱

Vincentius Toloſſanus lib. 1. ſect. 5. a. 2. §. 3.

57 At hæc ipſa non abſque ſummo delectu ex Philoſophis aſſumpta fuere à Sancto Thoma ad res fidei illuſtrandas, confirmandas, ut jam pridem obſervavit Illuſtriſsimus Vvielmius, pergitque ad comprobandum in praxi laudatus Vincentius inquiens: ✱ Creaturas ubique Sanctus Doct. opponit Deo, ut propè modum nihil entium ſupremo, atque ex illarum compoſitione ad Dei ſimplicitatem aſſurgit, omnis omnino diſtinctionis realis in abſolutis expertem &c. qua vero ratione concipias aut defendas conſtitui relationibus divina ſuppoſita, ſi univerſim pronunties relationes nulla ratione diſtingui à ſubiecto, & nihil eſſe pręter abſoluta, niſi fortè denominationes extrinſecas? Si verò cum Nuperis Philoſophis accidentia corporibus auferas, vel quantitatem à materia cum nominalibus indiſtinctam velis, haud ſcio, an ſtare poſsit myſterium Euchariſtię ijs ſalvis, quæ docet fides de ſubſtantia panis & vini mutata in Chriſti Corpus, quod accidentibus opertum lateat miris, ſed veris modis? Neque etiam à verbo mentali intellectionem, ut à termino & objecto intrinſeco quod erroribus intrinſeco, quod exterius exhibet, quaſi præſens menti, parum confert diſtingui ad fidei myſteria, & ad verbi generationem revelatione notam, & exemplis explicandam. Quod vero de potentiis ab eſſentia animæ profluentibus, & operationum adminiſtris docet D. Thomas, mirùm eſt quanti referat ad conſtituendum ex ſcriptura, & Patribus conſortium illud, quo divinæ per gratiam naturæ participes facti, deinde per lumen gloriæ poſterius gratiâ, majus charitate, altius quam affectu & amore, in ſimilitudinem & ſortem divinitatis evehimur. Ad quid illa ſingularium indirecta notitia, dum ſumus in corpore, ex Ariſtotele aſſumitur à D. Thoma, niſi ad animarum immortalitatis fidem pluribus aliis inductam argumentis confirmandam? Qua tandem ratione defendas præcipuum religionis myſterium, communem ſcilicet homini, & Angelo lapſum, redemptionis gratiam ſoli homini, nihil Angelo profuiſſe, nempè quod caſus Angelo mors fuerit. Et cum medius inter hominem & Deum conſtituatur, eo ordine, ut Deus ſit expers omnis mutationis, homo illi ſit ſemper obnoxius, Angelus utriuſque particeps, ante electionem mutabilis eſt in bonum malumque arbitrii; ſed ubi ſe alteri addixerit, neque à malo recipiſcere poteſt, neque à bono averti. Decurrimus itaque breviſsimè omnes doctrinę Angelicę partes, quę duplici quaſi vinculo, aut fœdere, & fidem rationi, & inferiora ſuperioribus jungit, obſequio nempè in ſcientiam Beatorum, cui ſubditur à qua ſua principia haurit, & rurſus imperio in ſcientias inferiores, quas ad arcem vocat, & illarum opera fidem tuetur. ✱

58 Eluxit igitur inter antiquos Patres Auguſtinus Philoſophiam, & reliquas humanas ſcientias, præciſis unguibus & raſis capillis, ut diximus, ad myſteria fidei explicanda & contra contradicentes defendenda deſervire ut ancillas faciens, ut benè monet D.Thomas inquiens: „ Dicendum quod ſi„ cut Auguſt. dicit qui Philoſophi vocan„ tur, ſi quæ fortè verà, & fidei noſtrę ac„ commodata dixerunt: ab eis tanquam ab „ injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum ven„ dicanda ſunt. Habent enim doctrinæ Gen„ tilium quædam ſimulata, & ſuperſtitioſa „ figmenta, quę unuſquiſque noſtrum de ſo„ cietate Gentilium exiens debet evitare. „ Et ideò Auguſtinus, qui doctrinis Plato„ nicorum imbutus fuerat, ſi quę invenit fi„ dei accomoda in eorum dictis aſſumpſit. „ Quę vero invenit fidei noſtrę adverſa in „ melius commutavit. Poſuit autem Plato „ ſicut ſupradictum eſt, formas rerum per „ ſe ſubſiſtere à matęria ſeparatas, quas ideas „ vocabat per quarum participationem di„ cebat, intellectum noſtrum omnia cognoſ„ cere, ut ſicut materia corporalis per par„ ticipationem ideæ lapidis ſit lapis, ita in„ tellectus noſter per participationem ejuſ„ dem ideæ cognoſceret lapidem. Sed quia „ videtur eſſe alienum à fide quod formæ „ rerum extra res per ſe ſubſiſtant abſque „ materia, ſicut Platonici poſuerunt dicentes „ per ſe vitam, aut per ſe ſapientiam eſſe „ quaſdam ſubſtantias creatrices, ut Diony„ ſius dicit; ideò Auguſt. poſuit loco harum „ idearum quas Plato ponebat, rationes „ omnium creaturarum in mente divina exi„ ſtere, ſecundum quas omnia formantur, „ & ſecundum quas etiam anima humana „ omnia cognoſcit.

D.Thom. 1. q. q. 48. art. 5. in corp.

S. Auguſt. lib. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 39. in fine.

S. Dionyſius 11. cap. de Divin. nomin.

59 Quid mirùm cęleſtem Auguſtini Mag. dexteritatem in Thoma diſcipulo hęreditario jure advenientem admiremur; & quod pronuntiet Eccleſia: *Pluſquam Doctores cęteri, purgans dogma Gentilium.* Sed jam antea admiratur Cardinalis Palavicinus affirmans, hujuſmodi Philoſophiæ pro rebus Theologicis uſum, *id fortè eſſe, quo maximè apud Eccleſiam incomparabilis ille Doctor promeruit.* Nec mirùm cum jam longè ante D.Thomam, uſum illum Philoſophię Ariſtotelis probaverat, ac vindicaverat Sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine de vita ſua, ubi de ſe ipſo teſtatur dicens: *Hanc quoque, ſcilicet Philoſophiam Chriſti ante pedes, humilem pronamque jacere coëgi.* Hæc omnia probè noverat vitę S. Thomæ antiquiſsimus Scriptor ante illius canonizationem cap. 4. ſic pro aſſumpto præſenti proloquens. ✱ Hic Doctor viſus eſt, quaſi campum ſæcularium ſcientiarum ingrediens floſculos excepiſſe de ſenſibus, & ſimul plenam manum habere de Apoſtolicis cophinis fragmentorum Sacræ Scripturæ, quæ Deus mandavit Apoſtolis colligere, ne perirent, & futuris Doctoribus componenda ſervare. Et antea cap. 3. Hic eſt Moyſes qui ſub duplici columna nubis & ignis, fideles de Ægypti tenebris eduxit duplici ſcientię habitu doctus, ut in columna nubis intelligatur ſæcularium ſcientiarum, quas ſenſibus acquiſivit, & columna ignis lux illa ignea, quam ex dextera divinæ largitatis, Deo revelante ſuſcepit. ✱

In Officio Dominicano.

Palavicinus lib. 7. hiſt. Trident. cap. 14.

S. Nazianzenus carm. de vita ſua.

Scriptor antiquus vitæ S. Thom. apud Bolandum citatū.

ARTICULUS IV.

Inter Eccleſiæ Patres & Doctores Divum Thomam Theologorum Scholæ Principem, reponendum eſſe demonſtrans.

60 NOSTRI Thomæ doctrinam fœdatam rejecti etherodoxi evomuere, maculis, quæ non in ſole fuerunt Aquinatis, ſed in oculis intuentium fallacibus invidiæ ſuperciliis inſtructorum; niſi oculis dicamus ægris, quibus odioſa ſemper fuit irradians lux, ſanis oculis benè placens. Jam lector benevole, veritatis Theologicæ ſtudioſe, ſemotis præjudiciis, abjectis falſis ſuperciliis, ſolem ipſum Aquinatem in ſui luminis fonte inſpiciamus, contemplemur, admiremur. Atque imprimis Thomam Angelicum, inter Eccleſiæ Sanctæ Patres agnoſcunt Catholici Theologi, & veluti quintum Doctorem. Primum inſitiantur pro more hæretici, ſecundum quaſi doctrinæ conſequentiæ abjicientes. Aſſerunt enim, ordinem PP. uſque ad annos 600. poſt Chriſti D. magiſterium perduraſſe. Sic Lutherus in captivitate Babylonis, & ſequaces communiter. Imò uſque ad annos 500. nonnulli reſtrinxerunt etherodoxi, ut videre licet in Humfredo de Juvellio, cujus geſta conſcripſit ita conquerenti: *Quod amplum nimis ſpatium Papiſtis conceſsiſſet.* Inde Jacobus Rex Angliæ impiè deducebat in ſuo Baſilicodoro; *Quod ſi Romana Eccleſia ex officina fidei articulos ante 500. Chriſti annum inauditos ac inviſos recenter excudit, nec ipſe damnandus eſſet pro hæretico, ſi ad novitia, & nupera non accederet.* Sed non poſſum non mirari viros deinde alioquin Catholicos, & quibus Pontificia auctoritas in magno pretio eſt, hoc ipſum quodammodo incautis propinaſſe molitos fuiſſe; affirmat enim Petrus à Valle clauſa. Diatrib. 3. §. 42. ne ipſos quidem *SS. Thomam & Bonaventuram Patres Eccleſię denominari.* Quantum ad ſecundum, quendam ſcripſiſſe conſtat: *S. Thomam non eſſe receptum ut Doctorem Eccleſiæ directè & formaliter.* Fundamenta quibus nituntur producti Auctores evincerent ex parte hæreticorum aſſertiones errantes, ut apparebit.

Petrus à Valle clauſa & Auctor de titulo Paternitatis nō abrogando. Petrus de Alvanodo: 10. §. 1. & alii apud Piccinardū lib. 2. q. 2. ar. 1. & 2.

61 Igitur Divum Thomam inter Eccleſiæ Patres & Doctores reponendum venerandumque eſſe, Sanctiſsimus Pontifex Pius V. dubitare non ſinit, dum eum hæreſum profligatorem appellat. Et Sixtus V. concludens ex hoc ipſo motivo: *Unde meritò Patres tam Sacrę Theologiæ quam Eccleſiæ dici poſſunt & debent*, ſcilicet Divus Bonaventura, & Divus Thomas. Ut autem veritas propoſita firmius piorum animis hæreat; congruum imò

S. Pius V. in Bulla: Mirabilis.

Sixtus V. in Bulla, Triumphantis.

imò neceſſarium judicavimus, prælibare proprias notiones quibus Eccleſiæ PP. agnoſcuntur, nempe: Doctrina pro rebus fidei propugnandis, exponendis; eminens; inſignis vitæ ſanctitas; competens antiquitas; tacita vel expreſſa Eccleſiæ declaratio. Prima & ſecunda notio, ita à Petro Annato probatur: quia duæ illæ conditiones pro Eccleſiæ Doctoribus præciſè exiguntur: ergo & requiruntur pro Eccleſiæ Patribus, cum Pater Eccleſiæ dici poſsit nemo, niſi fuerit etiam Doctor Eccleſiæ. Sunt enim Patres Eccleſiæ inſtructores & Doctores, quos conſulit & interrogat Eccleſia, licet non omnes ſint ejuſdem ſapientiæ, ejuſdem ſanctitatis, ejuſdem ponderis, eruditionis, & approbationis; ſicut enim ex Apoſtolo: *Stella differt a ſtella in claritate*: ſic & Eccleſię Doctor ab Eccleſiæ Doctore in eruditione. Probatur conſequentia: De ratione Patris Eccleſiæ eſt, filios in Chriſto Jeſu per Evangelium generare, genitos Evangelico lacte nutrire, parvulis petentibus panem verbi Divini frangere, eoſque verbo & vitæ exemplo ad Chriſtianam & cęlo dignam formare vitam, ſicque Eccleſiam propagare, ampliare, inſtruere, & in eſſe perfecto quodammodo generare; atqui id implere nequit Eccleſiæ Pater, niſi fuerit etiam Doctor Eccleſię, ſeu niſi eminenti doctrinâ, ac inſigni vitæ ſanctitate, cęteriſque Doctoris Eccleſiæ dotibus fuerit inſignitus: ergo ut quis ſit Eccleſiæ Pater, neceſſe eſt, ut eminentem doctrinam, & inſignem vitæ ſanctitatem habeat, imò & competentem antiquitatem, ut ſic.

Patres Eccleſiæ agnoſcuntur *doctrina*, *vita*, *antiquitate*, & tacita vel expreſſa declaratione, ſicut & Doctores.

1. ad Corinth. 15. v. 42.

62 Probatur jam ſecunda notio: ſicut in naturalibus pater, quia eſt principium eſſendi filio, neceſſę eſt præcedat filium, ſitque prior ac antiquior illo; ita & à pari in hac ſpirituali generatione, ille qui dicitur Eccleſię Pater, quia Eccleſiam doctrina & vitæ exemplo quodammodo formavit & inſtruxit, ad illam in eſſe perfecto conſtituendam elaboravit, illiuſque talis eſſe perfecti quodammodo principium fuit, neceſſe eſt ut illam, in hoc eſſe perfecto conſtitutam præcedat, ſit prior, & antiquior illa quo ad illud eſſe perfectum conſiderata: ergo & ut, ad hoc requiſitam competentem antiquitatem habeat; alioquin ſi illa careat, nullo modo Eccleſiam genuiſſe dici poteſt, nec proinde Eccleſiæ Pater vocari, juxta illud Pauli: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres; in Chriſto enim Jeſu, per Evangelium ego vos genui.* Quod etiam requiratur Eccleſiæ declaratio, ſic.

1. Corinth. 4. v. 15.

63 Probatur: SS. Eccleſię Patres ſunt hi, quos in decidendis fidei controverſiis tenetur Eccleſia conſulere juxta illud: *Interroga patrem tuum, & dicet tibi, majores tuos, & annuntiabunt tibi.* Imò & juxta Tridentinum ſeſsione 4. non poteſt Eccleſia, nec ullus Eccleſię fidelis contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari: ergo debet certò ſcire Eccleſia illum unanimem Patrum conſenſum, & illos conſulendos Patres certò cognoſcere; ſed non poteſt pro certo cognoſcere illos, niſi prius eos examinaverit & probaverit; tanquam ſuos agnoverit, & ut tales habendos eſſe judicaverit, vel uſu declaraverit: ergo ut quis habeatur pro Eccleſię Patre debet per Eccleſiam declarari.

Deut. 32. v. 7.

64 Conformiter ad datas pro Eccleſiæ Patribus notiones, philoſophandum eſt pro Eccleſiæ Doctoribus, requiri nimirùm eminentem doctrinam, inſignem ſanctitatem, atque declarationem Eccleſiæ. Primum ita oſtenditur: Doctores Eccleſiæ cenſendi ſunt illi ſoli, de quibus Chriſtus ait: *Vos eſtis ſal terrę*::: *Vos eſtis lux mundi &c.* Illi ſoli juxta Sanctum Auguſtinum: *Per quos condiendi ſunt quodammodo populi, illi quos elegit Deus, ut per eos errorem auferat cæterorum*: atqui nulli tales eſſe poſſunt, ut toti mundo ſuæ doctrinæ lumine luceant, ut ſuæ ſapientię ſale, populos quodammodo condiant, & cęterorum errores auferant, niſi eminentis doctrinæ lumine fulgeant: ergo nulli cenſendi ſunt Eccleſię Doctores, niſi eminentis doctrinæ lumine fulgeant, imò, & niſi fuerint inſigni vitæ ſanctitate clari, ut ſic. Probetur ſecunda pars primò, ex ipſa Eccleſiæ praxi; ex eo ſcilicet, quod nullos uſquam, ut ſuos eſſe ac dici voluerit Eccleſia Doctores, niſi & eminenti doctrinâ, & inſigni vitę ſanctitate claruerint. Secundò: Quia ut viſum eſt: Eccleſię Doctor debet populos ſuę ſapientiæ ſale condire, & errantium errores auferre; atqui ut id præſtare poſsit, debet nedum, ſuæ doctrinę luce lucere, ſed etiam morum exemplo clareſcere; ſeu debet nedum docere, ſed etiam facere, imò potiùs facere, quam docere, cum Chriſtus, qui eſt Magiſter & Doctor omnium ſanctiſſimus & primus, prius cœperit *facere*, & *docere*. Et apud Matthæum in Evangelio per Eccleſiam Doctoribus adaptato, expreſsè dicat: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra.* Et *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum; qui autem fecerit & docuerit hic magnus vocabitur*: ergo ut quis Doctor Eccleſiæ dici poſsit, non ſatis eſt quod eminenti doctrinæ lumine fulgeat, ſed debet inſuper ut talis ab Eccleſiâ recipi, ſive declarari, ut ſic.

Matth. 5. v. 13.

D. Auguſt. lib. 1 de ſerm. D. in monte, cap. 6.

Matth. 5. v. 15.

V. 19.

65 Probatur tertia pars primò: Ex eo quod ſicut nullus quantumvis doctrinâ celebris, poteſt in univerſitate ulla, Doctoris titulo gloriari, niſi fuerit ab illa Doctoris gradu ritè donatus. Et ſicut nullus poteſt ut Sanctus in Eccleſia coli ritu publico, cultuque Sanctis debito, quantumvis vitæ ſanctitate & meritò clarus, niſi fuerit ex iis, quos in Sanctorum canonizatione adſcripſit Eccleſia: ita poteſt nemo Doctoris Eccleſiæ titulo gaudere, quantumvis eminenti doctrinâ, & inſigni vitę ſanctitate conſpicuus, niſi is quem prius ipſamet tali titulo decoraverit: ergo ad conſtituendum Eccleſiæ Doctorem, præter eminentem doctrinam, & inſignem vitę ſanctitatem, requiritur Eccleſiæ declaratio, ſaltem aliqua, tacita vel expreſſa. Secundò: ex eo quod Doctores Eccleſiæ ſunt hi, quos in decidendis fidei, morumque controverſiis conſulit & audit Eccleſia; ſed Eccleſia cum non agat cæco modo, non conſulit nec audit indiſcriminatim quoſcumque Doctores; ſcit enim & benè novit Eccleſia, non omnium eſſe, ea quæ fidei ſunt docere, juxta illud Pauli dicentis: *Numquid omnes Apoſtoli; numquid omnes Prophetæ; numquid omnes Doctores.* Nec omni credit ſpiritui, ſed hos ſolum conſulit & audit, quos prius maturè probaverit, & ut dignos, qui conſulerentur & audirentur, elegit ac declaravit: ergo hi ſoli Eccleſię Doctores dicendi, quos ut tales agnovit & declaravit Eccleſia; ac proinde præter eminentem doctrinam & inſignem vitę ſanctitatem requiritur aliqualis Eccleſię declaratio tacita vel expreſſa ad conſtituendum Eccleſiæ Doctorem.

1. Corinth. 12. v. 29.

66 Ex inde meritò deducitur, quod quāvis Eccleſię Patres poſt Chriſtum Dominum dici debeant Apoſtoli, Evangeliſtæ, primævique, ac præcipui Jeſu Chriſti auditores ac Diſcipuli; necnon Apoſtolorum in Chriſto filii, nempè ſucceſſores Epiſcopi. Jam vero ex communi Theologorum omnium uſu, nomine Patrum Eccleſię prout ad præſens attinet, non intelliguntur Apoſtoli, Evangeliſtæ, primævique Chriſti Diſcipuli, neque Epiſcopi per orbem hodiè diſperſi, quantumvis eruditione, & vitę ſanctitate conſpicui, ſed antiquiores dumtaxàt Doctores, in quibus notiones illę effulgent, pro Eccleſiæ Patribus exactę: eo ſolum diſcrimine, ut Pater Eccleſię dumtaxàt dici valeat ille, qui præter conditiones pro Doctoribus aſsignatas competenti antiquitate polleat. De Patribus Eccleſię, juxta priorem ſenſum propheticè dictum eſt: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*, ideſt inquit Auguſt. *Patres miſsi ſunt Apoſtoli pro Apoſtolis, filii nati ſunt tibi conſtituti ſunt Epiſcopi.* ✱ Hi enim, ut præcedentium Apoſtolorum filii, & ſubſequentium populorum Patres perpetuâ ſucceſsione ſunt Eccleſiæ dati, ut filios Eccleſiæ continuò per Evangelium in Chriſto generent, vel genitos Divini verbi pabulo foveant, conſervent, & paſcant, per ſe quidem, & ex officio, vel per alios in hunc finem miniſteriumque deputatos. Qui id implent munus, non ex officio, ſed ut deputati & ſolo charitatis impulſu, Magiſtri quidem dici poſſunt, & Pædagogi ſive Doctores, ſed non Patres, ut inſinuavit olim Paulus dicens: *Si decem millia Pędagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres: nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* Idem & ſinguli ſuis populis inſinuare poſſent Epiſcopi, ideò in Conciliis congregati, Concilii Patres vulgò nuncupati; ſi Concilii Patres dicendi, ergo & Eccleſiæ; in Concilio enim congregatur Eccleſia; ✱ ut benè advertit Petrus Annatus.

Pſal. 44. v. 17.

Petrus Annatus de SS. PP. art. 2.

67 Deducitur etiam quod licet verum ſit & indubitatum, fuiſſe ſemper & ad finem uſque futuros eſſe in Eccleſia Doctores, juxta illud Pauli: *Et ipſe dedit quoſdā quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum.* Et iterum *quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, & tertiò Doctores.* Falſum tamen eſt, eos omnes & ſingulos, qui Doctoris titulo gloriantur in Eccleſia, viros quantumvis ſcientiâ & eruditione claros, eſſe Doctores Eccleſiæ dicendos, magnum ſiquidem diſcrimen eſt inter eſſe Doctorem in Eccleſia, & eſſe Doctorem Eccleſiæ: ut quis enim Doctor in Eccleſia dicatur, ſatis eſt, quod ſit fidelis, ſeu de Catholicæ Eccleſię gremio, & ab univerſitate aliqua probata Doctoris gradu ritè donatus. Si inquam ſcientiâ & virtute clareſcat; atque in inſtruendis fidelibus, fideque pro tempore & occaſione, tuenda invigilet. Alias enim Doctoris habebit nomen apud homines, neutiquam verò apud Deum. Indignus propterea, ut aureolâ Doctoris inter cęleſtes cives ſpeciali gloria effulgeat. Ita enim nos docuit quintus Eccleſiæ Doctor: aureola enim perfectiſsimæ victoriæ contra Diabolum obtentę Doctoribus debita eſt, quando Diabolum impugnantem repellit etiam ab aliis: unde meritò aureolam hujuſmodi nec omnibus, quos Pileatę inſigniæ in Univerſitatibus decorant: ſicut per oppoſitum illis conceditur, qui ſine hujuſmodi honore in ædificationem Eccleſiæ laborant: quia à peccatoribus, quos Bernardus appellat *nidos Diaboli* diabolum repellunt, inſignem de ejus tyrannide victoriam reportantes. Sed quid prohibet fulgentem in Cœlò Doctorem Angelicum ita in propoſito loquentem audire: „ Reſpondeo dicendum „ quod ſicut per martyrium, & virginitatem „ aliquis perfectiſsimam victoriam obtinet „ de carne, & mundo: ita etiam perfectiſ„ſima victoria contra Diabolum obtinetur, „ quando aliquis non ſolum Diabolo im„pugnanti non cedit, ſed etiam expellit „ eum; & non ſolum à ſe, ſed etiam ab aliis. „ Hoc autem fit per prædicationem & do„ctrinam: & ideò prædicationi & doctrinę „ aureola debetur, ſicut & virginitati & „ martyrio. Nec eſt dicendum, ut quidam „ dicunt, quod debeatur tantum Pręlatis. „ quibus competit ex officio prædicare & „ docere, ſed quibuſcumque, qui licitè hunc „ actum exercent. Pręlatis autem non debe„tur quamvis habeant officium prædicandi, „ niſi actu prędicent: quia corona non de„betur habitui, ſed pugnæ actuali, ſecun„dum illud 2. Timoth. 2. Non coronabitur, „ niſi qui legitimè certaverit. Jam ergo Divum Thomam inter Eccleſiæ Patres & Doctores meritò revocatum eſſe, notiones proximè indicatæ oſtendunt, patefaciunt. Singula percurramus. Eminens namque doctrina in Divo Thoma conſpicitur ad hęreſes diſsipandas, hęreticis reſiſtendum, optimo ordine diſpoſita, ut laudatus S. Pius V. affimat, confirmatque Sixtus V. laudatâ conſtitutione; ibi

Ad Epheſios 4. v. 11.

Et 1. Corinth. 12. v. 28.

D. Thō. in ſupplemento q. 96. ar. 7. in corpor.

Div. Thomas inter Eccleſiæ Patres annumeratus.

enim

enim poſtquam Scholaſticam Theologiam commendat, veluti à Sanctorum Patrum fontibus dimanantem ; ad eos ſecuriùs & utiliùs intelligendos non parùm conducentem, atque maximum ſemper Eccleſię adjumentum afferentem, ad rem noſtram addit : *Quam duo potiſsimum glorioſi Doctores Angelicus Sanctus Thomas, & Seraphicus Sanctus Bonaventura clariſsimi hujus facultatis profeſſores, & primi inter eos, qui in Sanctorum numerum relati ſunt, excellenti ingenio, aſſiduo ſtudio, magnis laboribus & vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optimè diſpoſitam, multiſque modis præclarè explicatam poſteris tradiderunt.* Si verò inſignem vitę ſanctitatem ſpectes, non ne in Angelico Thoma, Eccleſiâ ipsâ diffiniente, teſtatam habemus? Meritò ergo Chriſti Domini pronuntiatum : *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum.* Doctori noſtro, ſicut aliis Eccleſiæ Doctoribus Sixtus V. adaptavit; ut nobis cum Cyrillo liceat dicere : *In ordine Patrum diſcipuli ſapientiſſimi Eccleſiæ præpoſiti ſunt.*

Sixtus V. in Bulla, Triumphantis.

68 Nec video quid obſtare poſsit, ne in Patrem Eccleſię Angelicus Thomas reponatur? Defectum antiquitatis objiciunt oſſores adverſarii. At ſi ipſis credendum eſſet, pręrogativa hęc melifluo Bernardo deneganda foret cum Calvino : cum tamen Andręas ipſe Riverus (hęreticus licet) contra Calvinum pręrogativam illam propugnet. Quandoquidem Bernardus longè poſterior antiquioribus Eccleſiæ Patribus eluxit. Si ergo hęc nihil obſtant, quominus non niſi per calumniam ab ordine Patrum Eccleſiæ melifluus Bernardus excludatur, ex eo quod multum in hęrereſi Petri Abailardi convincenda, fidelibus inſtruendis, & ſchiſmate Petri Leonis dirimendo laboravit : pariter non obſtante in oppoſitum antiquitatis defectu objecto, adhuc & Sanctus Thomas, hæreſum profligator, Eccleſiam mirâ eruditione clarificans, & ſanctâ operatione fęcundans, in ordine Patrum Eccleſiæ retineri debet.

69 Sed amplius rem oſtendamus pro Bernardo, Thoma, Bonaventura, in ſimilitudine ſiſtentes corporalium Parentum. Sicut enim illi, etiam ſi filii reſpectu priorum, dicuntur patres in ordine ad poſteros, ita & hi Sancti Doctores, qui ſuo ſęculo filii Eccleſiæ fuerunt, pro ſubſequentibus deinde ſæculis (ut ex Sanctis Patribus oſtenſum eſt) in ordine Patrum provehi potuerunt, & ſicut Catones, Cicerones, & alii licet patriam non fundaſſent, quia tamen eandem tutati erant, ideò & Patres patriæ nominati ſunt, cur non ſimiliter Divus Thomas Eccleſiam vindicans ab hęreticis, ut ex Bulla S. Pii V. jam vidimus, Eccleſię Pater nominari non poterit? Cur ſaltem quatuor ſæculorum, majorve antiquitas Patris titulo non ſatis erit? Cur hic non valebit ea admonitio S. Gregorii : *Et ſtellæ Pleiades vicinitate ſibi conjunctę ſunt, licet ſitu disjunctæ. Simul quidem ſitę ſunt, & tamen lucis ſuæ radios variatim fundunt, ita omnes Sancti aliis ad prędicandum temporibus apparentes, & disjuncti ſunt per viſionem ſuæ imaginis, & per intentionem mentis conjuncti. Simul micant, quia unum prędicant, ſed non ſemetipſos tangunt, quia in diverſis temporibus partiuntur* : Quemadmodum & Hieronymus explicans illud : *Feriam eis pactum ſempiternum*, ait : *benè fuit, & eſt & erit non ſolum ipſis, ſed & filiis eorum poſt eos ; nobiſcum enim pepigit pactum ſempiternum, nec deſinet nobis ultro bene facere*; idemque expendit in Ezechielem. Hinc jam me piget, ac pudet, pro retundenda conſimili objectione ulterius alia ſubjungere, præterquam verba Joannis Baptiſtæ Gonet pro laudibus Sancti Thomæ dicentis : * Egregiè Iſidorus advertit Lunam quaſi luminum unam nuncupari, quod inter Planetas ultimus omnium lucem excipiat velut omnium capaciſsimus ſinus, quo aërei influxus foventur, & temperantur, & rerum inferiorum generationibus promovendis diſponuntur, & parantur. Non negaverim itaque Divum Thomam, etſi ſupra cęteros Theologos, & Doctores claſsicos in altiori gradu conſtitutum, ultimum eſſe Eccleſiæ ſidus, quintum Eccleſiæ Doctorem, infra antiquos Patres, nobiſque propinquiorem. Sed quid inde contigit, aut quod Eccleſiæ emolumentum, & commodum ſuo gradu & ordine contulit? Ultimum eſt Eccleſiæ ſidus (velut Luna plena in diebus ſuis) ut lucem omnium, radioſque ſinu capaciſsimo excipiat, foveat, temperet, & Theologię Scholaſticæ illuſtrandę, & promovendę infundat. *

S. Gregor. lib. 29. Moral. cap. 16.

S Hieronym. in Hierem. cap. 32

In Ezechiel. cap. 34.

Mag. Gonet in Præfat. Theolog. §. 3.

70 Si antiquitatis defectus aſſertæ prærogativæ Patris Eccleſię contra Doctorem Angelicum nihil obſtat : quomodo prærogativę Doctoris Eccleſiæ obſtabit non ita antiquitatem exigenti, cum in aliis notionibus nullum ferè agnoſcant diſcrimen? Eccleſię declarationem ſpectandam eſſe non dubitamus, affirmante Hieronymo : O *Eccleſia! Filii tui quos genuiſti, tibi vertentur in Patres tuos : cum è diſcipulis feceris eos Magiſtros, & in Sacerdotii gradu omnium teſtimonio collocaveris.* Et meritò : quia diſcernere inter eos qui Doctores Eccleſię numerandi ſunt, majus quid eſt, quam judicare, quęnam Doctrina in Academiis permittenda ſit, ut publicè doceatur. Sed iſtud ad Apoſtolicam Sedem ſpectat, ut docet Divus Thomas, qui etiam ad id probandum adaptat rationem iſtam Philoſophi 2. Ethicorum, quod nimirùm *Politicus ordinat quas doctrinas oporteat addiſcere, & uſquequo* : Ergo pariter illud primum ad eamdem Apoſtolicam Sedem, vel Generale Concilium ſpectare debet ; nempè ut ſicut juxta Apoſt. ad Epheſ. 4. Chriſtus quoſdam dedit, non ſolum Apoſtolos, Prophetas, & Paſtores, ſed Doctores etiam : ita Eccleſia ſeu ejus Caput Pontifex maximus, vel Concilium Generale ipſam repręſentans, ſuos debet etiam inſtituere ſeu declarare Doctores. Et hinc eſt quod Bonifacius VIII. de reliquiis, & veneratione Sanctorum cap. *Glorioſus*, laudatis ejuſdem Apoſtoli verbis, ubi ordinem Apoſtolorum, & Evangeliſtarum mi-

ris

S. Hieronym. epiſt. 140.

D. Thom. opuſc. 19. cap. 3. verſus finem.

Ad Eccleſiam pertinet ſuos cõſtituere Doctores.

Bonifacius VIII. quatuor recenſet priores Doctores Eccleſiæ, & præcipuos.

ris encomiis celebravit ; Ordinem poſtea Doctorum Eccleſiæ ſegregandum eſſe concludit, quatuor Eccleſiæ Doctores recenſens, ſeu Sanctos Gregorium, Ambroſium, Auguſtinum & Hieronymum. Neque huic determinationi officit, quod quinta Synodus generalis aſſerat : *Super hęc ſequimur ſuper omnia Sanctos Patres, & Eccleſiæ Doctores, Athanaſium, Hilarium, Baſilium, & alios.* Quia ut reſpondet ex Joanne à Sancto Thoma Piccinardus, licèt titulus Doctoris Eccleſiæ multis ex Sanctis Patribus ſit attributus ; Bonifacius tamen VIII. præcipuos dumtaxàt Eccleſiæ Doctores aſsignavit, ſicut de Sanctis Thoma, & Bonaventura ſtatim patebit.

Quinta Synodus Generalis Collat. 5.

71 Declarationem igitur Eccleſiæ oſtendit cum Piccinardo, & aliis Magiſter Rabaudi probatque ex utraque Bulla nempè, Sancti Pii V. & Sixti V. Pontificum. Primò Sanctus Pius V. in Bulla quæ incipit *Mirabilis* poſt magnificam doctrinę D. Thomæ commendationem ex fructibus quos habuit in Eccleſia, poſtea auctoritate Apoſtolica pro univerſo orbe Chriſtiano, non autem dumtaxàt pro Regno Neapolitano, ut fingit Petrus de Alva, conſtituit : *Ut quemadmodum Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum feſtivitates pię memoriæ Bonifacii Papæ VIII. pręcepto celebrantur, ſic eundem diem feſtum S. Thomę in perpetuum poſt hęc, omnes fideles celebrent, & revereantur.* Conſtat autem nec ipſe etiam adverſarius diffitetur, Bonifacium VIII. directè, & formaliter inſtituiſſe in præcipuos Selectoſque Eccleſiæ Doctores, quatuor illos vulgatos, qui in ejus conſtitutione recenſentur. Ergo cum eandem honoris pręrogativam Angelico noſtro Doctori concedat præfatus Pontifex Sanctus Pius V. utique illum albo ſeu Choro præcipuorum Eccleſiæ Doctorum aggregavit. Porrò aut fallitur, vel ſuis lectoribus illudit Petrus de Alva, ubi ait Eccleſiam Doctoris nomen S. Thomæ non tribuere, ſicut tribuit D. Bonaventuræ in oratione ejus feſti, & licet ipſius eruditionem celebret, eum confeſſorem tantum appellare. Nam præter quod verba illa collectę Sancti Thomæ, *Mira eruditione*, ſunt adminus æquè ſignificativa, ac iſta, quę uſurpantur in oratione ſeu collecta D. Bonaventurę *Doctorem mirabilem* ; falſum eſt poſt Bullam pręfatam S. Pii V. in Officio, & in Miſſa Sancti Thomæ, titulo Confeſſoris junctum non fuiſſe Doctoris titulum, tum in oratione vulgari, tum adhuc in ſecreta, quæ in Miſſali Romano ſic habet : *Sancti Thomæ Confeſſoris tui, atque Doctoris nobis Domine, &c.*

S. Pius V. & Sixtus V. in conſtitutionib. laudatis.

Inter præcipuos Eccleſiæ Doctores à Summis Pontificibus reponitur D. Thomas.

In Officio & Miſſa D. Thomæ.

72 Confirmatur : quia idem S. Pontifex Pius V. ſtatuit & mandat, ut celebretur feſtum S. Thomæ, non pręcisè tamquam alicujus Doctoris Eccleſiæ in communi, ſed quemadmodum inquit, *præcipuorum quatuor Eccleſię Doctorum, ſeu egregiorum* (ut inquit Bonifacius VIII. cujus conſtitutionem Pius etiam laudat) *Doctorum Eccleſiæ pręcipuis, & ſpecialibus honoribus venerandorum.* Ergo illum directè & formaliter inſtituit in ejuſdem Eccleſiæ Doctorem, non etiam qualemcumque, ſed inter inſigniores, ſeu pręcipuos reponendum, ſeu pari honore cum SS. Gregorio, Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo colendum. Hinc Cardinalis Baronius in notis Martyrologii ad ſeptimum Martii, ubi recenſuit, quantum ejus illibatæ doctrinæ à SS. Patribus in Sacroſancto Oecumenico Tridentino Concilio conſidentibus fuerit acclamatum, ſubjicit ſtatim : *Jureque ob eam cauſam à Sanctiſsimæ memoriæ Pio V. Romano Pontifice inter celebriores Doctores Eccleſię fuit annumeratus.*

Baronius in notis ad Martyrologium die 7. Martii.

73 Secundò : Sixtus V. in Bulla quæ incipit : *Triumphantis*, qua D. Bonaventuram præcipuorum Eccleſiæ Doctorum Choro aggregavit ; illum quod ſpectat ad hujus honoris prærogativam, cum D. Thoma æquat omninò ; ut conſtat primò : quia refert Sixtum IV. dicentem : *Hos duos perſimiles, & quaſi geminos in Chriſto fratres agnoſcens ſtatuerit, Sanctum Bonaventuram conſimili venerationis, & honoris prærogativa, atque Sanctum Thomam decorandum eſſe.* Secundò : quia Sixtus V. adhuc profitetur, ſe ad hanc ſuam novam conſtitutionem in honorem D. Bonaventurę ſimilem ei, quam pro Sancto Thoma fecerat S. Pius V. concedendam motum fuiſſe, *ex tam multa, inter eos virtutis, Sanctitatis, doctrinę, meritorum conjunctione, & ſimilitudine* : & adhuc *fęlicis recordationis*, inquit, *prædeceſſorum noſtrorum Bonifacii Papę VIII. qui de Sanctis quatuor Doctoribus & Pii V. de prędicto Sancto Thoma eadem praeceperunt, exemplo adducti, pręcipimus, ut ejuſdem Sancti Bonaventuræ dies feſtus, &c. Et iterum de eodem Pio V.* inquit : *Is enim religioſâ pietate & ſingulari devotione permotus, quâ afficiebatur erga S. Thomam de Aquino ordinis ſui decus, & Eccleſiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eundem Sanctum, ob ejus præſtantiſsima in Catholicam Eccleſiam merita, congruis honoribus exornare, præter alia, hoc juſsit, atque decrevit, ut illius feſtus dies quotannis duplicis Officii ritu ad inſtar Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum perpetuò celebraretur ; quod & Sancto Bonaventuræ Doctori eximio tribui debere, æquum profectò exiſtimamus.* Quibus ultimis verbis declarat apertè Sixtus V. Sanctum Thomam per laudatam ſupra conſtitutionem S. Pii V. quatuor Eccleſię Doctoctorum fuiſſe adſcriptum Choro, ac per ſuam illam eundem ſe honoris titulum D. Bonaveturę concedere, quem S. Pius S. Thomæ priùs tribuerat. Sed non diffitente etiam Petro de Alva, Sixtus ſuâ conſtitutione D. Bonaventuram ſacro celebriorum Doctorum Eccleſię Choro aggregavit : Ergo

Sixtus V. ubi ſupra.

id ipſum anteà ergà D. Thomam conſtituerat S. Pius V. ſicque manet, ambos illos Doctores, non communi tantum Doctorum Eccleſię, ſed eximiorum etiam, ac præcipuorum Choro fuiſſe conſcriptos. Et hinc eſt, quod paſsim D. Thomas quintus Eccleſiæ Doctor nuncupetur. Quo autem jure Scholaſticorum Princeps vocandus ſit D. Thomas oſtendere aggredimur.

Scholaſticæ Theologiæ Princeps D. Thomas prædicatur.

74 Innatum adverſus Theologos omnes ſcholaſticos odium, quo fervent hæretici, novâ diabolicâ machinatione in pectore quaſi recoligunt, ut inde tanquam ex infernali clibano ſtylans, unum Thomam præcipuè laceſſere tendat. Arcum enim Sacræ Scripturæ in manu ſua timent, certi quod inde emiſſas Scholaſticoque ſtylo acutas ſagittas declinare non valent; coacti proinde Thomam fateri ſicut hæreſum extirpatorem: ita & Theologiæ Scholaſticæ Principem. Teſtes adducamus ipſos etherodoxos: Eraſmum in primis fatentem: *Meo quidem judicio nullus eſt Theologorum, cui par ſit diligentia, cui ſanctius ingenium, cui ſolidior Doctrina, quam Thomę Aquinati.* Ipſius Sancti Doctoris Doctrinam vocavit Joannes Chuſus Oxonienſis hæreticus in ſpeculo Moralium quæſtionum contra quoſdam, qui cum audiunt nomen Thomæ, ſupercilia ſtatim contrahunt, & labia diſtorquent; vocavit inquam: *Puriſsimum granum ſublatâ ſchoriâ, aurum ſplendidiſſimum eſſe.* Et ne amplius in his producendis ſpurciſsimis teſtibus detineamus, ſat erit doctiſsimum audire Gregorium de Valenzia Societatis Jeſu inſignem Theologum, ita pro noſtro aſſumpto loquentem * Sanctum Thomam inter Scholaſticos Theologos excellere adeo compertum eſt, ut neque id hæretici, quibus eſt infenſiſsimus, poſsint diffiteri. Nam & Theodorus Beza Calviniſta non ignobilis, eum non ita pridem Scholaſticorum Theologorum facile Principem eſſe affirmavit; neque alio nomine alii Sectarii exoſum habent, quam quod videant illum inter reliquos Theologos præcipua vi doctrinæ & auctoritatis ipſorum erroribus adverſari. *

Eraſmus apud Roſenſem lib. 1. contra Oecolampadiū cap. 2.

Joannes Chuſus in ſpeculo q. Moralium.

Gregorius de Valenzia tom. 1. in Præfat.

75 Sed ò bone Deus! quantum diminutæ ſunt veritates à filiis hominum! quam mendaces ſunt in ſtateris ſuis? Veritatem enim ita patentem, ut nec hæreticorum oculos ſubterfugerit, ſunt inter catholicos qui in dubium vocant. Qui negant in proſcriptis libellis, atque cum perverſi illi Centuriatores Magdeburgenſes recognoſcunt prȩſagium illud matri gravidæ de filio Thoma datum: *Doctrina ſua mundum illuminabit*; Catholici iſti vix credunt vel datum vel impletum, dum Scholaſticæ Theologiæ Principem ab omnibus agnitum, nollunt recognoſcere. Sed quid ad nos? Si Orator Tridentini Concilii coram integra Synodo agnovit, poſt plura alia elogia ita concludens: *Ipſum denique fȩliciſsimum Anteſignanum Theologorum exercitus conſectatur.* In eadem cum egregio iſto Oratore opinione fuerunt ejuſdem Tridentini Patres, unde nobis conſtare poteſt quantum obſequii doctrinæ Divi Thomæ delatum fuerit in illa Sacroſancta Synodo. Unum aut alterum ex illis Patribus producamus: Imprimis illuſtriſsimum ſæpè laudatum Vvielmium ita loquentem: *Certè in hac Tridentina Oecumenica Synodo, quam cum hęc ſcribimus frequentiſsimè celebramus; nemo Patrum eſſe videtur, cui religio non ſit, cum de fidei dogmatibus agitur, à Thomę Sententiâ vel latum unguem recedere, aut ab illa provocare; ut à veteribus Patribus nihil minùs Aquinas habuerit, & Scholaſtici omnes Principem hunc ſuum receperint modis omnibus ornatiſsimum.* Titelmanum deinde D. Thomam appellantem: *Doctorem celeberrimum omniſcium, adamantem, Theologorum Theologum, Theologorum Choryphæum, alpha litterarum omnium, veritatis unicum artificem, & architectum, omnis litteraturę delicias, primum medium, & noviſsimum ſapientum.*

Frigerius lib. 1. cap. 1.

Orator Concilii Trident.

Titelm. ſuper Pſalm. 109.

76 Similiter Andreas Vega ex Patribus Tridentini alter ejuſdemque cum Titelmano Ordinis Seraphici D. Thomam appellat: *Theologiæ Scholaſticæ florem.* Quemadmodum & Joannes Roſenſis in opuſculo contra Lutherum ajebat: *Quem* (ſcilicet Sanctum Thomam) *plerique in ſacris litteris exercitatiſsimi, Theologiæ florem appellare conſueverunt.* Cardinalis Hoſsius: *Afferemus quos Theologiæ Scholaſticę Principes fuiſſe conſtat, &c. Ac primò loco eum, qui imprimis celebris habetur, Thomam Aquinatem collocabimus.* Laudatis Tridentini Patribus præluxerunt in Concilio Florentino & ipſi Græci, Theologiæ Scholaſticæ principatum Angelico Doctori tribuentes. Nam imprimis Cardinalis Beſſarion S. Thomam dicit, *non minus inter doctos ſanctiſsimum, quam inter ſanctos doctiſsimum.* Nilus deinde Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, unus ex Patribus Concilii Florentini tranſlatus è Græco in Latinum à Michaële Sophiniano, *Thomam latinę Theologię facile Principem.* Georgius Scholarius poſteà dictus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, eidem Nilo contemporaneus, & cujus mentio in eodem Florentino Concilio habetur: *Si quis Sancti Thomę ſcriptis animum adhibuerit, hunc nullis aliis indigere opinor, &c. Quamobrem, & Romanæ Eccleſiæ ſuffragiis ornatus, & in Divorum numerum eſt relatus, cum reliqui ſolum in Scholaſticos congreſſus aliquid honoris ſint conſequuti.* Marcus Antonius Flamminius in præfatione: *Apud Grȩcos floruere imprimis Baſilius Magnus, & duo Gregorii, apud Latinos multi quidem, ſed ante omnes, ſine ulla controverſia, Thomas Aquinas.*

Andreas Vega in opuſc. de juſtificat. q. 6.

Roſenſis in opuſc. contra Lutherum.

Cardinal. Hoſſius in Confeſſione cap. 37.

Cardinal. Beſſarion contra calumn. Platonis.

Georgius Scholaris, alias Gennadius Patriarcha Conſtantinop.

77 Principatum igitur Scholaſticę Theologię, tot illuſtrium virorum teſtificatione ducti Dominicani, Angelico Doctori tribuendum validè demonſtrarunt Cajetanus,

Six-

Sixtus Senenſis; Joannes à Sancto Thoma, Gravina & alii benè multi de Commendatione doctrinę D. Thomæ ſolidiſsimè diſſerentes. Nec mirùm, cum id ſupponant vel plurimi profeſsione non Dominicani: Mattheus Pereſius D. Thomam appellans: *Scholaſticorum Vexillarium.* Joannes Barclaus: *Nedum primum Theologum, ſed primum etiam ab Ariſtotele Philoſophum.* Joannes Arboreus: *Cui* (ſcilicet D. Thomæ) *in palæſtra, & exercitatione Theologicâ nemo proximus eſt.* Et quidem ſi Scholaſticæ Theologię munus proprium eſſe Proleg. 2. diximus, Fidei myſteria explicare: *D. Thomas* (ajebat benè Suarius) *in explicandis Fidei myſteriis cȩteris Theologis Scholaſticis antefertur.* Sed quid opus eſt innumeros quos adducere facilè eſſet, vocare teſtes, poſtquam à Coſma Alamanio teſtatum audimus: *Communi proborum & doctorum virorum conſenſu, ſanctitatis & doctrinæ preſtantia, D. Thomas primum inter Scholaſticos doctores locum conſequutus eſt.* Hęc & ſimilia altè meditatus Cardinalis Palavicinus, novo in dies erga D. Thomę Angelicam doctrinam affectu ardens ad Mag. Generalem Ordinis Prædicatorum ſcribebat. * Hoc mihi dolendum accidit, commendationes meas rude quid, & impolitum eſſe pro ingenio tuo. Sed tanquam tabulas fabre pictas exornare ſtudui, illito auro, utique Ophyrio, nempè ab illis venis eruto, unde tu quoque locupletatus es, Divi Thomæ codices loquor: viri, quo non tam ordo tuus, quàm Chriſti Eccleſia, ipſumque humani generis nomen, meritò glorietur. Sentio equidem in me tanti Scriptoris pretium, unà cum ȩtate, ſed longè ſupra ȩtatis incrementa creviſſe, vix crederem, niſi expertus, ab aliquibus in Theologica luce diù verſatis, tanti Doctoris magnitudinem ſibi inaſpectam favori, ac famæ quadamtènus aſsignari. Perinde his accidere mihi videtur, ac terricolis cȩlum auſpicatis, quibus quantò ſole inferioribus, tantò ipſe minor apparet. :: Jam verò hæ poſtremi hujus anni diſputationes, quas è ſuggeſtu dictavi & quarum tibi ſummam dico, plus aliquanto, quàm ſuperiores editæ à me, tibi Aquinatem tuum redolebunt: quo tantoperè nunc delector, ut vix alium è Scholaſticis diù teram ſine faſtidio: Non quòd in cȩteris multa non inveniam, ignota mihi, & oppidò pulchra; ſed alia plura longe pulchriora à me inventurum fuiſſe intelligo, ſi Divi Thomæ tempus illud impendiſſem. Quis autem piſcatoris conſilium probaret, qui omiſſo vivarto, certiſsimam lectiſsimamque prȩdam pollicente, in fluvio potiùs quamquam piſcoſo retia fortunæ committeret? Id ex me ſæpè audiunt, qui me audiunt: quamvis tanta ſit Divi Thomę & ſectatorum frequentia, & laudatorum approbatio, utramque tamen adeò infra merita mihi videri, ut inde communem humanę perſpicientię tenuitatem, vel aſpernari cogar, vel miſereri. Ipſe vero, qui tibi longè prȩ me ſanctiſsimi Scriptoris, ut doctrinam ita gratiam comparaſti; id mihi ab eo impetra, ut non minor mihi ſit ejuſdem imitatio ac admiratio. * Prælibatis teſtimoniis doctiſsimum Silvium ita loquentem adjungamus: *Cum magnum olim Dominicanorum, nunc & totius Eccleſiæ lumen prædiceris, Princeps Theologorum, Scholaſticorum ſignifer, Theologiæ ſplendor, Dr. Angelicus, ingenioſiſsimus, eruditiſsimus, & cui in palæſtra Scholaſtica, nemo ſit proximus, quo nihil ſua ætas doctius tulit, nihil vidit religioſius.*

Pereſius lib. de Traditionibus part. 3. conſider. 3.

Barclaus lib. 1. pag. 139.

Arboreus tom. 1. lib. 1. cap. 25.

Suarez Proleg. 6. cap. 6.

Alamanius in Præfat. ad Lectorem.

Palavicinus lib. 7. de Pœnitentia in Epiſt. nuncupat.

Silvius in Orat. Apolog. pro S. Thoma.

78 In hoc tamen genere, magis abſdubio glorioſum reddidere Angel. Doctoris in Scholaſtica Theologia Principatum, quùm Religioſę Familię, tùm celebriores litterarum Academiæ in propugnanda D. Thomæ doctrina eminentes. Sic enim in conſtitutionibus Sanctiſsimę Religionis Societatis Jeſu ordinatum fuit: *In Theologia legetur vetus, & novum teſtamentum, & doctrina Scholaſtica Divi Thomæ.* Et in libro de Ratione ſtudiorum, inter regulas pro Scholaſticę Theologiæ Profeſſoribus hæc deſignatur: *Non ſatis eſt Doctorum referre ſententias, & ſuam reticere, ſed defendat opinionem S. Thomæ, vel quæſtionem ipſam omittat.* Hæc & alię regulę approbatæ recenſentur à Deputatis in hunc finem, & decreto 56. ſubditur apud Mag. Gonet: *Patres deputati ex variis nationibus pro libro de ratione ſtudiorum recognoſcendo, cùm de delectu opinionum, primo loco tractandum cenſuiſſent, ac tanquàm fundamentum propoſuiſſent doctrinam Societatis debere eſſe uniformem, ſecuram & ſolidam: poſt accuratam diſcuſionem, & collationem multorum dierum; ſtatuerunt communi conſenſu quæ ſequuntur. Primò noſtri omninò Sanctum Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholaſtica Theologia ſequi teneantur: tùm quia conſtitutiones nobis eum commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id ſe cupere ſignificavit,* (ſubjungiturque ſtatim veritas quam ſtabiliendam propoſuimus de Principatu D. Thomæ in Scholaſtica Theologia) *tùm quia cùm unius ſcriptoris doctrinam in Societate eligendam, conſtitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina poteſt occurrere, quæ ſit ea ſollidior aut ſecurior, ut non immeritò Sanctus Thomas, Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.* Præſcriptum illud ex conſtitutionibus ampliùs firmatum videmus in Congregatione 5. Generali ubi legitur: *Sequantur noſtri Doctores in Scholaſtica Theologia doctrinam D. Thomæ, juxta praxim in libro de ratione ſtudiorum ponendam, & à Præpoſito Generali explicandam: neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, niſi qui D. Thomę doctrinæ benè affecti fuerint; ab ea verò alieni, à docendi munere expellantur.* Et rurſus: *Cum deputati pro ratione ſtudiorum recognoſcenda, poſt accuratam diſcuſionem, & mul-*

Religioſæ Familię D. Thomæ doctrinam propugnātes.

In conſtitut. S. J. part. 4. cap. 14. §. 1.

Lib. de Ratione ſtudiorum regula 13.

Mag. Gonet §. 9.

In Congregat. 5. can. 9.

Cau. 41.

torum dierum collationem, ſententiam ad Congregationem retuliſſent circa partem ſpeculativam, & delectum opinionum, Congregatio judicio illorum probavit: & primò loco, unanimi omnium conſenſu, ſtatuit doctrinam Sancti Thomæ in Theologia Scholaſtica, tanquam ſolidiorem, ſecuriorem, magis approbatam & conſentaneam noſtris conſtitutionibus, ſequendam eſſe à noſtris Profeſſoribus.

Palavicinus lib. 7. de Pœnitentia in Epiſt. Nuncupatoria.

79 Præjacta ſtatuta apprimè callens & maxima animi oblectatione complectens Cardinalis Palavicinus ajebat: *Pręclarè mecum egit divina bonitas quod me vocavit ad eam Religioſam cohortem, quæ jubetur Angelici Pręceptoris Theologiam ſequi; eam namque ſequerer, vel injuſſus; imò vix non ſequerer vel prohibitus: certè perinde ſequerer Scriptoris auctoritatem nihil illectus, ſed cujus non eſſem ignarus.* Divum Thomam veluti proprium habuere Doctorem (pro ut alias præcipitur in lib. de Ratione Studiorum) Cardinalis Toletus cum Poſſevino ita loquens: *Pace aliorum Doctorum dixerim, unus D. Thomas inſtar eſt omnium, tantam enim lucem ſuis ſcriptis Philoſophiæ, ac Theologiæ attulit unus, quantam cęteri omnes poſſunt; nec in hoc arbitror quidquam ex alterius laude detrahi, quia id de D. Thoma dicitur, quod ipſorum quiſque, ſi viveret, & adeſſet, videretur de eodem eſſe dicturus.* Et Pererius inquiens: *D. Thomam eximium Philoſophię decus, ſplendidiſſimum Theologię lumen, firmiſſimumque columen præ cæteris miramur, & colimus.* Pro hiis aliiſque ejuſdem inſtituti addictioribus doctrinę D. Thomæ fortè opus non erat limitatio quæ videtur appoſita in lib. citato: *Sequantur noſtri omnino in Scholaſtica Theologia doctrinam D. Thomæ, eumque ut doctorem proprium habeant: ponantque in eo omnem operam, ut auditores erga illum quamoptimè afficiantur. Non ſic tamen Sancti Thomæ aſtricti eſſe debere intelligantur, ut nulla prorſus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipſi, qui ſe Thomiſtas maximè profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctiùs noſtros Sancti Thomæ alligari par ſit, quam Thomiſtas ipſos.*

Poſſevinus lib. 13. Bibliotheca cap. 4.

Pererius Præfat. in lib. de cõmunibus principiis

Lib. de Ratione ſtudiorum n. 2.

Conſtit. Ordinis Prædicat. diſt. 1. cap. 14.

80 Nam quid de ſequenda doctrina D. Thomę ſolidi & verè undequaque Thomiſtę ſentire debent, congruit accipere ex ipſo Dominicano Ordine, ubi magis de propinquo Solares Solis Aquinatis radii eluxerunt. In eo enim ſic præcipitur: *Diſtrictè conjungimus Lectoribus omnibus, & ſublectoribus, ut præſtantiſſimam noſtri Angelici Doctoris Sancti Thomæ Doctrinam, ſemper legant, diſcant, & doceant, & juxta eam omnia quæſita, & diſputata determinent, & definiant, ſuoſque diſcipulos erudiant, & faciant, ut ſtudentes in eam toto animi impetu diligenter incumbant. Eſt enim excellentiſſima hęc doctrina, ſana præ cæteris, culta à doctioribus viris, Ordini noſtro utilis, ſalutaris univerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum Orbi admirabilis, ac denique Chriſti Salvatoris noſtri judicio comprobata. Lectores ergo atque Studentes, eam in lectionibus, atque diſputationibus non prætermittant, ſed in ea verſentur, eamque explicent; ipſi denique in fine ſuarum diſputationum, rationibus contrariis ſolutis & fractis, firmiſſimè adhæreant: ſtrictè prohibentes ne Fratres legendo, determinando, reſpondendo aſſerere audeant ex propriâ ſententiâ, oppoſitum ejus quod communi omnium judicio creditur aſſertum à Sanctiſſimo Præceptore.* Nec minori affectu tenetur erga Angelici Præceptoris doctrinam Sacra Carmelitarum Excalceatorum familia, * quæ non ſolum (verba ſunt Salmanticenſium) præcipit Artium, & Theologiæ lectoribus, ut S. Thomæ doctrinam ſequantur, & colant, ſed contrarium ſub pœna privationis officii eis interdicit. Verba hujus legis habentur in noſtris conſtitutionibus ubi ita ſancitur: *Ad hoc munus* (ſermo eſt de officio lectorum Theologiæ) *perſonę virtutibus, & litteris idoneę omnino aſſumantur, qui operam dabunt ſacram doctrinam à Sanctis Patribus, pręcipuè à D. Thoma traditam edocere, idemque lectores Artium obſervent, ſin minus ab officio lectorum priventur, ſtudeantque ſubtiliores quæſtiones, quæ neque utilitatem, neque ędificationem afferunt, aliaſque periculoſas novitates, à noſtra Religione arcere.* Cujus conſtitutionis obſervantiæ ita Paſtores noſtri invigilant, ut quidam provincialis vir ſanè ſcientiâ, & Religione conſpicuus, cum ſui prędeceſſoris (more apud nos ſolito) viſitationem ageret, voce elatâ vultuque gravi, & męſto de illo conquereretur hanc culpam in illo ſe deprehendiſſe, ſcilicet quod in ſui muneris adminiſtratione remiſsiùs ſe geſsiſſet, eo ſolum, quod quendam Artium lectorem, qui unicam tantum opinionem contra Thomiſtarum receptam ſententiam, non tamen ſuo judicio contra Sancti Thomæ mentem, ſuos edocuiſſet diſcipulos ab officio non removiſſet. * Et in conſtitutionibus eorumdem Fratrum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ B. Mariæ de Monte Carmelo, vulgò Italię dictis, quibus & utuntur Carmelitæ Diſcalceati in Galliis ſic habetur: *Pręlectores ceterique Fratres univerſi opiniones malè fundatas, & novitatem præſeferentes deponant, & S. Thomæ doctrinam, tàm in Philoſophicis, quàm in Theologicis omnibus ſequantur: & quæ in Summa docuit, præferant iis quę alibi tradidit.* Et rurſus: *Philoſophiæ Lector, tàm in Logica, quàm in Phyſica, & Metaphyſica, doctrinam D. Thomæ amplectatur, ita ut contra ejus Doctrinam nihil affirmet: pręleget Auctorem Thomiſtam, à Præpoſito vel Provinciali deſignandum.* Pręlaudatis Religionibus non poſſumus non ſubjungere ſacram Scholarum Piarum Familiam in affectu ad doctrinam D. Thomæ nulli ſecundam. Sic enim in hoc puncto determi-

na-

PP. Salmanticenſes in Oratione exortatoria, §. 12.

Conſtitut. Carmelit. Excalceatorum, cap. 4. §. 6.

In Congregatione Italica, part. 2. cap. 15.

Scholæ Piæ in Congreg. Gen. 1677. & 1692.

navit: *Jubentur Lectores noſtri, & Magiſtri Scientiarum juxta mentem Doctoris Angelici Theologiam tradere, & profiteri. Item præcipiuntur tàm in Philoſophicis, quàm in Theologicis illibatam ejus ſententiam tueri; maximè circa phyſicam præmotionem, & efficaciam Gratię prædeterminantis, ſub pęna inhabilitatis ad Cathedras.*

Mag. Gonet in commendat. doctrinæ D. Thomę §. 9.

Ordo Eremitarum S. Auguſt. part. 5. cap. 2.

81 Similia proferunt in ſuis Regulis aut conſtitutionibus clariſsimæ aliæ Religiones de quibus loquentem damus Magiſtrum Gonet. * Sacer Auguſtinienſium, ſeu Eremitarum S. Auguſtini Ordo, de Officio & Auctoritate Magiſtri Regentis ſtatuens: *Ut autem uniformitas, quo ad alia in Ordine noſtro cuſtodiatur: volumus ut Magiſtri Regentes in lectionibus, & determinationibus diſputationum, in omnibus ſequi, & tueri debeant ſanam, & Catholicam Doctrinam fundatiſsimi Doctoris noſtri Ægidii Romani: ubi verò hujus ſcripta non reperiuntur, ex D. Thomę doctrina ſuppleatur, &c.* Fuit autem Ægidius Romanus Ordinis S. Auguſtini Generalis, & Archiepiſcopus Bituricenſis, ac Cardinalis, quondam Diſcipulus, auditor, & amanuenſis S. Thomæ, ejuſque Doctrinæ ſectator, ac propugnator acerrimus, pro cujus Doctrinæ defenſione librum edidit, cui titulus eſt: *Defenſorium adverſus corruptorem, ſeu impugnantem doctrinam D. Thomæ.* Congregatio S. Salvatoris Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in ſuis conſtitutionibus hæc habet: *Porrò Lectores certam methodum in legendo obſervent. Imprimis in ſacra Theologia viam D. Thomæ ſequendam præcipimus, quæ cæteris Scholaſticorum viis, ordine doctrinæ, facilitate, integritate, & ſoliditate meritò præferri debet.* Et anteà: *Si ambo Theologi ex noſtris haberi non poterunt, ſaltem alter ſit ex noſtris, alter verò ex Ordine D. Dominici, vel ex alio qui viam D. Thomæ Aquinatis ſequatur, quam in noſtris Scholis ſequendam fore mandamus.* Gallicana Congregatio Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, in Capitulo ſuo Generali Pariſiis in Abbatia Sanctæ Genovefæ celebrato anno 1650. cujus hic eſt extractum authenticum, è Gallico idiomate Latinè fideliter redditum: *Capitulum Generale Canonicorum Regularium, S. Auguſtini Congregationis Galliæ, congregatum in Abbatia Sanctæ Genovefæ Pariſiis menſe Septembri anni 1650. ſtatuit in Scholis Theologię dictę Congregationis, legatur S. Thomę doctrina pura.*

Congregatio Lateranenſis Canonicorum Regularium S. Aug. par. 2. cap. 11. pag. 188.

Congregat. Gallicana, in Capitulo Generali anni 1650.

Ordo Carmelitarum Reformat. in Gallia, part. 1. cap. 21. §. 15. pag. 143.

82 Sacer Carmelitarum Reformatorum Ordo in conſtitutionibus Provinciæ Turonenſis Reformationis Gallicanæ, ſub Reverendiſsimo P. Theodoro Stratio editis, ubi de ſtudiis & ſtudentibus ita ſtatuitur: *Pro Theologia, quantùm fieri potuerit, duo Lectores deputentur in eodem Conventu, qui ut plurimum docuerint Philoſophiam: manè unus, alter à prandio legat, juxta ordinem à Definitorio pręſcriptum, ita ut intra triennium, tota Divi Thomę Summa perlegatur, hac ſeriè & methodo, &c.* Et rurſus habetur: *Quod ſpectat ad D. Thomam quantùm in ipſis erit, illius doctrinam amplectantur, cum interpretatione Doctorum Ordinis noſtri.* Regalis etiàm & Sacer Ordo B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum ſtatuit: *Ad aſſequendos Religionis gradus legi debet doctrina Sancti Thomę, prout explicatur à noſtro Reverendo Patre Magiſtro Zumel. Ita pręcipitur in virtute obedientiæ, & ſtatuitur à tribus continuis Generalibus Capitulis, celebratis Gaudalajari anno 1609. Murciæ intermedio Capitulo, anno 1612. & Calatayudi, anno 1615.* Sacra Patrum Minimorum, ſed meritò Maximorum, Religio, in Capitulo Generali Barcinonenſi, Doctorem ſibi aſſenſu communi elegerunt D. Thomam. Unde quantumcumque ex incaleſcente in dies affectu erga doctrinam Angelicam poteſt conjici, nequaquam in hoc agone erunt ampliùs Minimi, ſed Noviſsimi primi, granumque Sinapis, cùm ſit *Minimum*, excreſcet in immenſum, ita ut volucres Cęli, præcelſa, ſcilicet illius Ordinis ingenia, habitent & requieſcant in ramis Arboris hujus: * prout diggreſsione in commendationem divinæ Providentiæ n. 78. indicavimus.

Ordo B. Mariæ de Mercede titulo 6.

Ordo Minimorum S. Franciſci de Paula in Capitulo Barcinonenſi 1661. ſeſſione 15.

83 Quantum verò attinet ad Celebriores litterarum Academias, Pariſienſis imprimis cęterarum Univerſitatum antiquiſsima Parens, in litteris Univerſitatis anno 1325. editis à Stephano Pariſienſi Epiſcopo cum aſſenſu ſui Capituli, ac 72. Doctorum, inter plurima alia pro S. Thomæ doctrina eundem haberi vult & appellat *Fontem Doctorum, & Univerſitatis ejuſdem ſpeculum clariſſimum, & candelabrum inſigne ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanę ingrediuntur, lumen vident, &c.* quo illuſtrius neſcio an dici poſſet pro Scholaſtico, ſeu Theologico Principatu S. Thomæ. Toloſana Academia ea eſt quę excepit, & proſequuta eſt Urbani V. mandatum ajentis: *Volumus, & tenore præſentium vobis injungimus, ut B. Thomę doctrinam tamquam veridicam, & Catholicam ſectemini eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Salmantina ſuos Profeſſores obſtrinxit hoc juramento ſolemniter ędito die 9. Junii 1627. *Juro in quotidianis lectionibus, quas in Academia, vel Cathedra Moderator, vel voluntarius Profeſſor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia Scholaſtica doctrinam S. Auguſtini, & Concluſiones D. Thomę, quas in Summa Theologica docet.* Duacenſis concinit, electaque Fratrum Prædicatorum Eccleſia ad conſuetos Academię conventus, eleganti ſtatuę S. Thomæ ſpeciem referenti hanc ſubjecit Epigraphen: S. Thomas Aquinas Patronus Academiæ Duacenſis. Lovanienſis adeò eundem ſpecialem colit, ac veneratur Patronum ſuum, ut non modo doctrinæ illius, & Auguſtini tenaciſsima fuerit (ut laudat

etiam

Celebriores litterarum Academię doctrinâ D. Thomæ ſequentes.

Univerſitas Pariſienſis.

Toloſana.

Salmantina.

Duacenſis & Lovanienſis.

etiam Alexander VII. in Brevi ad eandem) verùm & ſpeciali illius ſtatuto teneantur Alumni ejuſdem ad prolatum S. Thomæ nomen nudato, pronoque capite humilem illi reverentiam exhibere, & teſtatur Joannes à Sancta Maria in vita S. Thomæ gallicè ſcripta, repetitquè Gonetus. Univerſitas Burdigalenſis, ut inquit idem Gonet Profeſſor ibidem, inſtar Toloſanæ erecta, iiſque legibus ad D. Thomæ doctrinam propugnandam tenetur. In Avenionenſi inſtituta duplici Cathedra ad D. Thomę doctrinam defenſandam ac promovendam, verè regnare ibidem S. Thomas dicendus eſt. Patavina tandem, nedum velut Patroni ac tutelaris habet in veſtibulo oſtii majoris erectam ſtatuam Sancti Thomę, verùm & in hujus feſto quotannis in Templo Dominicano congregata profeſſorum, ac ſcholarium Univerſitate, recitataque ab altero eorundem Alumno Oratione in laudem S. Thomæ (quę ſemper imprimitur, ac Syndico Prorectorique dicatur) ſolemni ſemper eidem obſequio parentat. De aliis Univerſitatibus, ne nimis diffundar, taceo: quia nulla eſt aliquo ſpeciali honore digna, in qua maximo in pretio non ſit Ang. Doctoris doctrina; quantumvis aliæ doceantur opiniones, ut videre eſt in noſtra Valentina Academia, Cęſaraguſtana, Complutenſi, aliiſque ſimilibus.

Burdigalenſis. *Avenionenſis.* *Patavina, & aliæ plures.*

84 Sacris Religionibus, & floridiſsimis litterarum Academiis, eo in D. Thomæ doctrinam conſenſu euntibus altè mihi videtur impreſſum, quod jam ab antiquis temporibus Illuſt. Jacobus de Viterbio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini dignus Alumnus in Proceſſu Canonizationis D. Thomę depoſuit: *Nulli ſibi attribuant, vel adſcribant in Sacra Scientia aliquid plenè ſcire, niſi qui ſequuntur & inhærent ſcientiæ & ſcriptis Fratris Thomę.* Et rurſus ille: *In ſcriptis Fratris Thomæ communis veritas invenitur, communis claritas, communis illuſtratio.* Unde nihil mirum encomiaſticè concluderet, in eodem Proceſſu: *Ego credo in fide & Spiritu S. quod Salvator noſter Doctorem veritatis pro illuminatione Orbis & univerſalis Eccleſiæ miſerit Paulum Apoſtolum, & poſtea Auguſtinum, & noviſsimo tempore Fratrem Thomam, cui uſque ad finem ſæculi non credo alium ſucceſſorem.* Et ne aliquis exceſsiſſe credat in commendanda D. Thomæ doctrina laudatum Archipręſulem, audire poteſt B. Albertum Magnum de Thoma diſcipulo pronuntiantem in eodem Proceſſu, poſt plura alia: *Eundem Fratrem Thomam in ſcripturis ſuis impoſuiſſe finem omnibus laborantibus uſque ad finem ſæculi, eo quod omnes deinceps fruſtra laborarent.* Et tandem ut compendio cuncta de Principatu Scholaſticæ Theologię complectamur, audiendos damus egregios duos Theologos, alterum Jeſuitam alterum Dominicanum. Primus ſic loquitur ad rem noſtram. * D. Thomæ doctrina doctiſsimorum virorum conſpiratione, atque conſenſu, tum ſubtilitate & perſpicuitate, tum ſoliditate & multiplicitate, omnium Scholaſticorum doctrinis longiſsimè præcellit, cum Chriſti Domini fuerit teſtimonio comprobata, Deiparæ Virginis oraculo confirmata, & ab Innocentio Summo Pontifice ita commendata (quod de nullo alio Doctore, vel ſanctitate, vel doctrinæ gloria illuſtri dictum, vel ſcriptum reperitur) ut dicere non dubitaverit; hujus Sanctiſsimi Præceptoris doctrinam planè divinam (exceptaque canonica) habere proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, & nullum ex iis, qui ejus doctrinam ſequuti ſunt, unquam à veritatis tramite deviaſſe, & quotquot eum oppugnare auſi ſunt, ſemper fuiſſe de veritate ſuſpectos. * Secundus vero ita loquitur. * Cęteris Scholaſticis magno ingenio & acumine præditis, ſuum honorem meritamque laudem negari nolim. Sed boni, & æqui conſultos puto, ſi D. Thomam cæteris qui in Scholis audiuntur, & regnant, ea laude ſuperiorem omnino dixerim, cui cæteros æquaturum me eſſe polliceor, cum Deus miraculis, Chriſtus ſua voce eorum ſcripta probaverit. Et rurſus: Enim verò quem inter cæteros licet eximios Theologos, quos ulla unquam ętas tulit, reperies, qui ſcientiam *cæleſti infuſione*, & ab Apoſtolis edoctus revelatione acceperit, *& inconcuſa, tutiſsimaque dogmata, ſine ullo prorſus errore conſcripſerit*? Quis unquam magis preſsis veſtigiis Patrum adhæſit, omniumque ſenſum tanquam ſuæ in eos obſervantię præmium aſſequutus eſt? Sed cujus ſcripta Chriſti voce comprobata ſunt. Quem tanti fecere Concilia, ut ne contra dubitatam mentem quidquam ſtatuerent, ſententiam ſuſpenderint? Quem Pontifices pluribus, aut inſignioribus encomiis commendarunt? In cujus verba Academiæ jurarunt? Aut quem demùm præclariſsimę totius orbis Familiæ unicum ſibi Magiſtrum ſequendum elegerunt? Hæc cùm in alio repereris, ipſe Aquinati meo primus æquabo: ſed ſi his dotibus ſanctiſsimus Vir omninò ſingularis ſit, & cæteros infinitis penè intervallis ſuperet; quid dubites cęteris Divum Thomam anteponere, qui parem non habet, & tantùm cęteris eminet, *quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* *

Viterbius in Proceſſu Canonizat. cap. 2. *Cap. 9.* *Alamanius in Præfat. laudata.* *Mag. Gonet, §. 6.* *§. ultimo.*

ARTICULUS V.

Theologiam in omni ſui munere illuſtratam oſtendens in Divo Thoma.

85 THOMAM Scholaſticæ Theologiæ Principem, communi ſapientium plaudente choro, prædicavimus. Jam igitur in omnigena Theologia, cunctis ſeu Theologiæ muneribus veluti fulgentem ſolem proſpiciamus. Unam diximus Scholaſticam Theologiam, omnia ſacræ hujus ſcientiæ munia ampliſsimo ſui ſinu ambientem, ut inde Thomam in ſcholis Principem Dogmaticæ, Myſticę, atque Moralis Theologiæ, tanquam lucentem & ardentem lucernam admirare ſit: nec aliter ejus cęleſti doctrina Orbis diceretur illuminatus, & Eccleſia clarificata. Sed agè, ſingula percurramus munera; in poſterum reſervantes hujus Cherubici Angeli ancipitem gladium pro dogmatibus fidei cuſtodiendis, hæreſibuſque jugulandis. Et imprimis in exponendis ſcripturis brevitatem ſimul cum claritate demiratur ſtupens litterarius orbis. Nec mirum ſi in perſcrutandis Sacræ Bibliæ myſteriorum fluminibus orationi mortificationem adjungens, veluti duabus alis ſurſum mirabiliter ingenio evolans, luſtrato mentis oculo celſa novit myſteria. *In difficultatibus locorum Sacræ Scripturæ ad orationem jejunium adhibebat*, ut in Officio Romano Sancti Doctoris expreſſum habemus. Quid ergo mirum in declarandis Sacræ Bibliæ profundiſſimis arcanis prędicetur Thomas ab Eccleſia ipſa *Cœli doctus oraculo*; Apoſtolorum inquam Petri & Pauli, de quorum dignatione, cum jam aliqua dicta ſint, eos dumtaxàt in præſentiarum memorare præſtat, Aquinatem noſtrum in penetrando ſcripturarum ſenſu erudientes.

In exponendis Sacris litteris eluxit D. Thomas cęlitùs edoctus per Apoſtolos.

In Officio Romano S. Thomę. *In Officio Dominicano.*

86 Rem ita narrat ante Bernardum Guidonis, ſępè laudatus Guilielmus Thocus in vita Sancti Thomæ; inquit enim in priori capite: * Scripſiſſe Beatum Thomam ſuper Iſaiam, & in ejus quodam textu difficili poſt orationes frequentes & lachrymas, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui ipſum inſtruerent, habuiſſe viſionem. * Ad quod caput Bollandus ita ſubjungit. * Hæc viſio latè deſcribitur etiam à Bernardo Guidonis, qui videri poteſt apud Mombritium, quam etiam Sanctus Antoninus, & paſsim alii habent. * In cap. vero 6. idem Thocus eamdem diffuſsè ſic reaſſumit de Sancto Thoma, dum ſcriberet ſuper Iſaiam, ac narrat his verbis: * Uno dierum celebrato cum devotione & jejunio, de nocte audivit prædictus ejus ſocius Raynaldus ipſum loquentem, cum quo vel quibus ignorans: ſonum quidem percipiens, materiam autem de qua currebat loquutio, non perpendens; qua loquutione finita, prædictus Doctor dixit ſocio: filii Raynalde ſurge, & accende candelam, & accipe quaternum, in quo ſuper Iſaiam ſcripſeras, & parate iterum ad ſcribendum; qui cum diutiùs ſcriberet, quæ Doctor ea facilitate dictabat, quaſi in libro legeret &c. tandem finita ſcriptione genuflexus exoravit per nomen Omnipotentis Dei, ut ſibi Doctor diceret, cum quibus antea loqueretur, * ut pergit enarrare Thocus. Tandem, inquit * prædictus Doctor prorumpens in lachrymas reſpondit: Fili vidiſti his diebus afflictionem meam ſuper dubio quod habui ſuper iſtum textum, quem modo expoſui, quem multis lachrymis à Deo ſcire petivi; unde hac nocte Deus miſeratus mei, miſit ad me Beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, per quos ipſum rogaveram, qui me omnia pleniſsime docuerunt. Sed ex parte Dei tibi pręcipio, ut in vita mea non audeas revelare &c. O fęlix Doctor, hoſpes mundi & civis Cęli, qui cum cęleſtibus loquitur, dum adhuc in corpore hoſpitatur! O certa, vera, & digna fide prædicti Doctoris approbata doctrina, quæ divina revelatione ſuſcipitur, & à cęleſtibus Doctoribus edocetur. *

Guilielmus Thocus cap. 4. & 6. vitę S. Thom. apud Bollandum. *Bernardus Guidonis, apud citatum Bollandum in nota ſignata per I. Thocus cap. 6.*

87 Hæc Thocus, poſt quæ ſi adeſſet etiam ejuſdē beati Raynaldi (qui & Reginaldus) ſocii, ac confeſſarii S. Thomæ conteſtatio, poſt mortē ejuſdem S. Thomæ depoſita, ac comprobata in proceſſu canonizationis ejuſdem Sancti Thomæ, quid obſecro amplius vel ab æmulo aut adverſario deſiderari liceret? Nunc itaque conſule ſolum eam proceſſus partem, quæ (non inventis reliquis duabus partibus) in Bollando nunc ita legitur: * Frater Raynaldus audivit noctis tempore dictum Fratrem Thomam in camera ſua loquentem cum aliis, cùm quibus, vel quo neſciens. Poſt loquutionem ſtatim prædictus Frater Thomas rogavit dictum ſocium ſuum, ut accenderet ſibi candelam, qua accenſa dixit ei: *Scribatis in quaterno ſuper Iſaiam; qui* (poſtquam ſcripſiſſet) *genuflexus petivit cum lachrymis, & adjuravit eum ut revelaret ſibi, cum quibus vel quo fuerat loquutus, qui ne videretur contemnere nomen Dei per quod adjuratus erat, prorupit in lachrymas, & dixit, quod Deus miſertus ejus, miſſit ei Beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, qui ipſum locum dubium, & ſecretum pleniſsime docuerunt: & addidit, ex parte Dei tibi pręcipio, quod hæc in vita mea non audeas revelare.* Interrogatus quomodo ipſe teſtis ſciret ſupradicta &c. Dixit, quod ipſe vidit, & cognovit dictum Fratrem Thomam, & converſatus fuerat cum eo pluribus vicibus Neapoli, & audivit etiam dici, & referri prædicta à pluribus Religioſis, & ſæcularibus antiquis, qui cognoverunt, & converſati fuerant cum eo, & ſpecialiter à ſupradicto Fratre Raynaldo, & à domino Bartholomæo de Capua; & ut mox antea idem teſtis depoſuerat, etiam ab ore domini Franciſci de Amore de Alatro, Vicario Domini Epiſcopi Nolani. *

Proceſſus Canonizationis capit. 7. n. 59.

88 Angelici Doctoris in ſacris intelligendis ſcripturis perſpicaciam, exponendiſque dexteritatem Eccleſia ipſa nos docet, in ordine præcipuè ad Pauli Epiſtolas, in quibus certè utriuſque legis arcana recondita eſſe, nõ eſt qui dubitet: *Scholas Thomæ* (inquit) *Paulus ingreditur, ſacra ſimul fantur myſteria, dignè tandem per raptum trahitur, vir cęleſtis ad cęli præmia. Clamor fratris trinus emittitur, Doctor noſter à nobis tollitur.* In his enim verbis memorat, probatque mirabilem illam viſionem, quam ſæpè productus Thocus ita narrat, ✱ Quia prædictus Doctor ad Beatum Paulum, ſpecialem devotionem habuit, qui ei cum Beato Petro textum ſcripturæ dubium, ut prædictum eſt revelavit, in morte conſolatione Apoſtolicâ non caruit: nam ipſo migrante in Foſſa Nova, Frater Paulus de Aquila, vir magnę probitatis & famæ, qui fuit Lector & Inquiſitor hæreticæ pravitatis, exiſtens in Conventu Neapolitano, vidit in viſione imaginaria prędictum Doctorem in ſcholis legentem Neapoli coram multitudine copioſa ſcholarium, & Beatum Paulum ejus ſcholam intrantem cum ſocietate Sanctorum. Cui cum Lector de Cathedra deſcendens vellet occurrere, Apoſtolo illi innuente quod legeret, & quod proſequeretur, quam cœperat lectionem, Doctor rogavit Apoſtolum, ut ei diceret, ſi habuiſſet verum de ſuis Epiſtolis intellectum. Qui reſpondit: benè, ſicut in hac vita homo vivens in corpore poteſt ſcire; ſed volo ut mecum venias, & ducam te ad locum, ubi clariorem habebis de omnibus intellectum, & videbatur ipſum per cappam accipere, & ducere extra ſcholas. Ad cujus Doctoris exitum prędictus Frater cœpit fortiter clamare: Succurrite, quia Frater Thomas à nobis tollitur, ad cujus clamorem Fratres excitati interrogaverunt, quid clamans in viſione vidiſſet; qui narravit per ordinem viſionem. ✱ Audi nunc conteſtationem authenticam ejuſdem cęlitus immiſſæ viſionis, ne cauſetur Alva de hoc Dominicano Fratre, ut Joſepho olim ejuſdem Fratres opponebant: *Ecce ſomniator venit* (ſic pergit hiſtoria) ✱ Qui fratres horam notantes compererunt, quod tunc conceſſum fuit Doctori ex hac vita tranſire, qua viſus fuerat Beatus Apoſtolus ipſum ad gloriam invitare. Fęlix Doctoris anima, cui cęleſtes cives obviant, ut ad cęleſtia regna perducatur, & quem habere meruit, dum viveret inſtructorem ſcientiæ, dum ex hac vita tranſiret, habuit ad cæleſtem gloriam conductorem. ✱

In Officio Dominicano.

Guilielmus Thocus cap. 10.

89 Splendeſcentem Doctorem Angelicum admirati ſumus in Theologia Expoſitiva. At in Theologia morum tradenda non minùs prælucentem contemplare debemus Doctorem Thomam, *repletum gratia, præmonſtratum ſacris oraculis, exemplar datum ſęculis, normamque morum & legem.* Et quomodo doctrinam morum ab omni corruptela & laxitate alienam non tradiderit Doctor ille, cui cæleſtis caſtimonia ab incunabulis adhæſit: adcò ut cum noſtro Thoma ab utero matris egreſſa fuiſſe videatur Angelici candoris inæſtimabilis prærogativa? Nec mirùm eſſe debet adeò puram fuiſſe mentis Aquinatis aciem: cum divini luminis clariſſimi radii animam penetrent virgineo ſplendidam nitore. Ut enim alicubi Gregorius ſcribit: *Quando mens hominis carnali delectatione deprimitur, ejus ita viſus obtunditur, ut ſpiritualia bona cognoſcere non mereatur, ſed cum in ſuis carnalibus infirmari incipit, paulatim in ſpiritualibus convaleſcit, ut ſuperna proficiendo videatur, infima obliviſcendo derelinquat.* Si igitur mens, quæ carnalia paulatim domat, veritatis fulgore magis, magiſque perfunditur, quis & qualis, quæſo, erit mentis illius ſplendor, qui virginali corporis, animique munditiâ ſemper floruit?

In Officio Dominicano.

Doctrinã morum ab omni corruptela & laxitate alienam tradidit Doctor Angelicus.

D. Gregor. lib. 5. in cap. 14. ſuper libros Regum.

90 Talis porro fuit Aquinas noſter, qui poſt reportatam celebrem illam, de muliere ad labefactandam ejus caſtitatem armatâ, victoriam, poſt repudiatas meretricis circumornatę, ut ſimilitudo Templi illecebras, poſt ſuperatum igne ignem, ideſt inflammatam infernali ardore puellam titione fugatam; ſingulari Dei dono *omni poſtea libidinis ſenſu caruit.* Talis fuit Thomas noſter eo virginitatis flore ad mortem uſque refulgens; ut Reginaldus ejus angelicæ converſationis ſocius, non dubitaverit affirmare: *D. Thomam virginitatis lilium conſervaſſe veluti puerulus quinquennis.* Meritò ergo Eccleſia Sancta in commendanda Angelici Doctoris angelica puritate, tota diffunditur. Vocatur enim: *Nitens pudicitia: vivens abſque piaculo: flos puritatis: clarus vitę munditia.* Et ut alia omittamus, ita concludit: *Viror carnis flore munditiæ, vigor vitę, fructu juſtitiæ, ſplendor verbi, dono ſcientiæ, te decorant ſtantem in acie, te coronant in ſtatu glorię. Militantis Doctor Eccleſiæ, virginali florens munditia, triumphantis optata curiæ, Sancte Thoma, largire gaudia. Collaudetur Chriſtus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Eccleſiæ, mundum replet doctrina gratiæ.*

In Officio Romano.

Fr. Reginaldus in Exequiis D. Thom. apud Frigerium lib. 2. cap. 5.

In Officio Dominicano.

91 Nec omittere poſſumus in angelicæ puritatis argumentum, humilem ejuſdem Sancti Doctoris confeſsionem, qua in extrema vitæ hora: *Impollutum ſe à vita decedere* pronuntiavit. Neque ſuaviſsimum è corpore exanimi emanantem odorem, Monachoſque cunctos allicientem, de angelica ejus puritate dubitationi locum dare non poſſe agnoſcimus: & nedum in prima tumulatione, ſed etiam poſt ſeptem annos cum honorificentiori tumulo corpus ejus demandatum fuit. Imò poſt quadraginta duos annos à D. Thomæ morte, Canonicum quendam Salernitanum graviter punitum ob temeritatis culpam, de eaque pœnitentem; oſculata piè Sancti Doctoris manus, ejus ſuaviſsimo odore ſanitati reddidit. Sed quid prohibet Eccleſiam ipſam audire in Officio Dominicano canentem? *Beati Thomæ gloria, divo fulcit miraculo, dum odoris fragrantia mira fluxit ex tumulo.* Plura etiam in commendationem angelicæ D. Thomæ puritatis argumenta derivat perenne in omnigenâ exercendâ chriſtianâ mortificatione ſtudium, in vita Div. Thomę admirandum; ut inde in Theologiâ morum tradendâ cæleſtem ejus doctrinam admiremur.

Frigerius lib. 4 cap. 1.

In Proceſſu Canonizationis.

In Officio Dominicano.

92 Veruntamen ſi D. Thomam in diſciplina morum incomparabilem admirantes vidimus Magiſtrum: non niſi ſtupore preſsi proſpicere ipſum valemus, profunda Theologiæ myſticæ arcana ſcrutantem, elucidantem. Hęc namque eſt ſacra illa ſcientia, quæ non tàm per ſtudium, quàm per orationem acquiritur: quæ deducente divino ſpiritu, interiuſque docente addiſcitur, dum guſtatur. Quæ inter charitatis ardores nutritur, roboratur, perficitur; hæc eſt tandem quæ ſuperbis occluſa, pauperculis & humilibus indeſinenter communicatur. Hæc cum ita ſint. O bone Deus! Quis comprehendere valeat Doctoris noſtri in Theologia Myſtica ſupereminens magiſterium? An non Angelicus Thomas ad attrahendum divinum ſpiritum os ſuum aperuit, ut in oratione Deum deprecaretur, illius Magni Gregorii memor: *Mens, quę ferventibus deſideriis interna deſiderat, dum terrenę lętitiæ blandimentum reſpicit, inſtantibus gemitibus infundi ſibi ſupernæ lucis amœnitatem expetit.* Ea de cauſa *numquam ſe ſcriptioni, aut lectioni dedit* (Thomas) *niſi poſt orationem.* Niſi dicamus, & quidem meritò, ſtudium in Thoma orationem, & orationem ſtudium. Quandoquidem ſi orandi frequens exercitium dulcitèr quandoque juſtos extra ſe rapit: nonne in ſtudio ipſo ſæpè Thomam extaſes paſſum hiſtoriæ memorant Eccleſiaſticæ. Teſtes omni exceptione majores interrogare poſſumus, vel in aſſertę veritatis comprobationem adducere, Sanctum nempè Ludovicum Galliarum Regem, ad cujus conſpectum menſæ recumbens cogitabundus Thomas *concluſum eſſe* dixit *contra Manichęos.* Deinde Eminentiſsimum Cardinalem Summi Pontificis Legatum, contra Gentiles profundè diſcurrentem Thomam admirantem, dum audit: *Modo habeo quod quęrebam*: Nonne Thomas noſter ex ſuggeſtu diſcipulos edocturus ſæpè dulces paſſus fuit extaſes? Ut prætereamus hic extraordinarium illum mentis exceſſum; qui Thomam de Trinitate ſcribentem ita extra ſenſus rapuit, ut ne candelæ flamma manum adurens à dulci illo ſomno excitaverit.

In Myſtica Theologia Angelus jure prædicatur Doctor Angelicus.

D. Gregor. lib. 1. in cap 1. Regum.

Frigerius lib. 1. cap. 9.

Frigerius lib. 3. cap. 3.

93 Et quid mirum in oratione ita defixus permanſerit Thomas grandis factus, ſi jam puerulus quinquennis & deinceps cæleſti hoc pabulo per plures horas ſpiritum nutriebat. Quid mirum orandi ſtudium mentem ejus cæleſtium contemplationi ita defigeret; ne externis occupationibus prohiberetur, docente ipſo: *Quod oratio non requirit locum de neceſsitate; quia poteſt fieri mentaliter in omni loco.* Ita, ita os aperuit Thomas Magiſter Angelicus, ut veram ſapientiam velocitèr acquireret, ſicque per inſpirationem juxta illud Thomæ noſtri pronuntiatum: *Acquiſitio ſapientiæ per inſpirationem eſt velox.* Sed quid immoramur in ſtabilienda veritate ab ipſo Sancto Doctore dilecto ſocio Reginaldo ſub ſigillo perpetui ſilentii communicata, dum dixit: *Quidquid ſciret, non tàm ſtudio ac labore ſuo peperiſſe, quàm divinitus traditum accepiſſe.* Pro veritate D. Catharinæ Senenſi divinitùs revelata. Et deinde à ſupremo Eccleſiæ Paſtore Joanne XXII. dum in Bulla Canonizationis decrevit D. Thomam *non abſque ſpeciali Dei infuſione libros perfeciſſe.*

D. Thom. lect. 2. in cap. 2. epiſt. 1. ad Timoth.

In Officio Romano.

Joannes XXII. in Bulla Canonizationis D. Thom.

94 Thomæ ferventèr oranti cęleſtis ſapientiæ theſauros, è luminum fonte ſcaturientes inſpiratos vidimus. Ipſi ſpeciali gratia *luſtrato mentis oculo, celſa patuerunt myſteria.* Verumtamen ſi humilibus, mitibuſque dat Deus intelligendi gratiam, & parvulis intellectum juxta illud Auguſtini: *Qui didicerunt à Chriſto eſſe mites, & humiles plus cogitando, & orando proficiunt.* Si humilitas cęleſtis ſapientiæ character eſt, ut obſervat Gregorius inquiens: *Spiritus Sanctus, qui majori luce virtutum, electorum corda irradiat, eo & abundantiori dono humilitatis ditat*: quia ut alibi adnotat: *Lumen intelligentiæ humilitas aperit, ſuperbia abſcondit.* Si tandem, ut Chryſoſtomus habet: *Humilitas virtus eſt, & ſublimioris Philoſophiæ mater & origo. Propterea Chriſtus Dominus dum nobis divina traderet inſtituta, ab humilitate initium fecit: diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Si hæc inquam ita ſunt, Angelicę ſapientiæ, ſeu ſapidæ ſcientiæ abyſſum in Thoma quis inveſtigabit? In Thoma inquam cujus *anima ſupra humanam eloquentiam dulcis fuit, & humilis*, ut aliquando dulciſsimus Saleſius pronuntiavit.

In Officio Dominicano.

D. Auguſt. epiſt. 112.

D. Gregorius in 1. lib. Regum, & lib. 25. Moral. cap. 11.

D. Chryſoſt. homil. 39. in cap. 11. Matth.

S. Franciſcus Saleſius lib. 4. epiſt. 81.

95 Imò humilitas Aquinatis non tàm virtus quàm prodigium virtutis fuit ✱ Quid enim (eleganter pro morè addit Contenſonius) eo demiſsius, qui ſepulto propriæ voluntatis arbitrio, totus è ſuperiorum nutu pendebat, qui quotidie à Deo poſtulare conſueverat, ut regularis vitæ humilitatem poſſet ad mortem uſque ſervare; qui ab Urbano IV. Romam vocatus adduci non potuit, ut honores acciperet, & Archiepiſcopatum Neapolitanum deferente Clemente IV. recuſavit; qui perfuſus lachrymis Pariſienſis Doctoris gradu initiatus eſt; qui Fratri converſo dura ſibi infirmo & ignoto nomine ſuperioris pręcipienti obtemperavit; qui correctori menſæ accentum imperitè, & intempeſtivè corrigenti obſequutus eſt, dignamque hanc Angelo vocem confratribus, cæcam nimis obedientiam improperantibus protulit: „ Quid intereſt an ſyllaba corripiatur, an producatur? Obedientiæ autem, „ & humilitatis pretium eſt infinitum, quibus perficitur omnis religio. Denique pergens ad Concilium Lugdunenſe, ubi erat „ cum D. Bonaventura ad Purpuram certiſſime aſſumendus, mortem à Deo obtinuit, „ humilitatis ſtatum pro quo retinendo quotidiè orabat, ne defereret, Chriſtum imitatus, qui ut ait Bernardus, ne perderet „ obedientiam & humilitatem perdidit vitam.

Contenſonius in commendatione S. Auguſtin. & Thomæ in elogio 5.

„ tam. Nec illum extollebat rara illa ſapientię ſupellex, qua inſtruebatur, quia eam è crucifixi pedibus hauſerat, non eſt autem noxia capiti, quæ ſugitur è pedibus Salvatoris; nec ſcit eſſe ſuperba, cujus objectum eſt Deus humiliatus. ✱

96 Concludere etiam convenit cum Eccleſia Sancta, Thomæ humilitatem ita admirante: *O munus Dei gratiæ, vincens quodvis miraculum, peſtiferæ ſuperbię numquam perſenſit ſtimulum.* Quinimò nec inanis gloriæ aut vanæ complacentię affectum paſſum fuiſſe humillimum Doctorem, ingenuè dilecto ſodali Reginaldo aliquando confeſſus fuit. Et pręterea, quia ſi ab effectu ad cauſam arguere Philoſophia nos docuit; paupertas, Thomę ſumme dilecta, atque in opuſculo 17. mirificè commendata, ejus profundam oſtentat humilitatem: ornamenta etenim paupertatis, lacerę nimirùm veſtes deſpectui patentes, aliaque ejus ſupellectilia, cordi infixa habuit; ut ſpiritu pauper & humilis ſapientię domum prępararet, ædificiumque gratiæ & veritatis ædificaret. Altè pro eo conſtruendo ædificio fundamentum uſque ad profundum fodit, ut in ſummam celſitudinem perveniret, ad Deum inquam prout viæ ſtatus patitur conſpiciendum: eò enim Angelus Thomas à pueritia direxit affectum, tranſmiſit intellectum, opportunè importune directorem Monachum deprecatus, ut quis eſſet Deus ſibi oſtenderet, jam inde ad inſtar prodigioſæ Aquilæ nihil habens in terra quod quęreret, ad cęli Libanum quaſi elevatus, medullam cedri, ſivè Dei cognitionem tulit. Ad Dei cognitionem perrenni meditatione menti altiùs infixam; cęleſtis ille charitatis ardor dilectioniſque divinæ flamma erupit, qua veluti odorifero unguento à Deo tractus, in Deum inceſſanter evolare ſe cenſit Thomas: vel experire ſecundum amoris gradum, in quo *inceſſanter quęrere* dilectum, præſtat charitas, ut expertus Thomas ſcripſit.

In Officio Dominicano. — *Frigerius lib. 2. cap. 9.* — *Lib. 1. cap. 1.* — *De gradibus charitatis in opuſcul. 61.*

97 Inde, inde mirabilis illa: *à quibuſdam implicationibus ſæcularibus abſtractio*, ut de noſtro Thoma in proceſſu canonizationis legitur: quid ergo mirum ſi tanto charitatis affectu in Deum tenderet: cum *humanum cor* (ſcribebat Aquinas) *tanto perfectius ad diligendum Deum fertur, quanto magis ab affectu temporalium revocatur. O anima ſanctiſsima! Qua contemplante dulciter, corpus linquebat infima, ſtans ſurſum mirabiliter!* Et quidem mirabile non eſt vitam Thomæ veluti perennem extaſim contemplare; atque cum Sancto Antonino affirmare ita Angelo noſtro, mentem & voluntatem in Deum facilè erat tranſmittere, quaſi corporis ſarſina non gravaretur. Jam proinde admirare non eſt extaticum Thomam ſacra facientem, aut veluti Angelum throno Dei aſſiſtentem, dum ſacroſancto Miſſę ſacrificio quotidiè miniſtrabat & aſsiſtebat. Mirentur (& quidem meritò) alii, Pauli diſcipulum triduo extra ſe raptum, arcanaque Dei agnoſcentem, ad quorum conſpectum fateri (à ſocio quodammodo) compulſus fuit, penè moriturus Thomas: *Omnia quæ ſcripſi videntur pallea reſpectu eorum, quæ vidi & revelata ſunt mihi.* Mirentur inquam alii, & cum Labbæo pronuntient:

In Proceſſu Canonizationis. — *Opuſc. 18. de perfectione vitę ſpirituali.* — *In Officio Dominicano.* — *In Proceſſu Canonizationis.*

Audivit Apoſtolus arcana verba, ſed illa tacuit:
Quæ Paulo dicere non licuit, hęc Thomas dixit.

Nos autem ſtupore preſsi, ne dicta iteremus, efficaciam divini amoris & charitatis flammæ in raptu illo mirabili expreſſum conſpicimus: cum enim ex Medicorum conſilio in tibia adhibendum eſſet cauterium, cumque urendus eſſet, extendit quidem tibiam, ſed adeò mente in Deum elevatus fuit, ut ab omni ſenſu alienus, dolorem neutiquam perciperet. Ita de Thoma, cauterio graviter uſo, pronuntiare nobis liceat quod de Levita Laurentio Sanctus Leo Papa litteris mandavit: *Segnior fuit ignis, qui foris uſit, quam qui intus accendit.* Jam inde quis dubitet Thomam adhuc in terra viventem corpore in Cœlis defixam mentem habuiſſe, ut ibi ejus eſſet cor, ubi erant theſauri, ubi ſperabat præmium virtutis, ipſum ſcilicet, qui virtutem dat, prout alicubi notavit Auguſt. Hęc in cauſa Thomæ fuerunt, non aliam à Chriſto Jeſu pro laboribus mercedem poſtulare, niſi Deum ipſum; juxta illud Auguſtini monitum: *Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult ſervire Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipſum à quo vult accipere. Nullum præmium Dei, nullum pręter ipſum. Pręmium Dei ipſe Deus eſt: hoc amat: hoc diligit, ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor.* Concinat meritò Petrus Labbæus, elogiumque Divi Thomę ita concludat:

S. Leo ſermon. in Natali S. Laurentii. — *S. Auguſtin. in Pſalm. 72.*

Quam benè ſcripſerit, collige ex teſtimonio;
Quam benè vixerit, diſce ex præmio,
Ut ſcias meritum virtutis, datur optio præmii;
Quid eligat niſi Deum, qui novit pretium Dei?
Nec potuit eligere majus, nec debuit minus:
Malè ſcripſerat ſi aliter elegiſſet.

Erudito Labbęo non minus eruditum ſubjungamus Contenſonium, deſiderium mercedis in Angelico Doctore eloquentèr juxtà ac devotè, ita expendentem: ✱ Petiit Chriſtus, quàm pro tot vigiliis & ſtudiis, pro tot laboribus exantlatis optaret ſibi rependi mercedem: *Non aliam*, inquit puriſsimus Aquinas, *niſi te ipſum.* Quid cauſæ eſt ò Thoma, cur omnem creatam mercedem refugias? Nonne faſtidioſus es, aut delicatus nimis? Mercedem poſtulat princeps Apoſtolorum, & poſt relicta omnia, id eſt retia, & ut Gregorius ait, *penè nihil*, ſciſcitatur: *Quid ergo erit nobis?* Mercedem etiam vir ſecundum cor Dei Propheta Regiùs depoſcebat, & inclinaſſe cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei in æternum propter retributionem affirmabat. Cur ergo tu mercedem reſpuis, qui & longè plura quam Petrus reliquiſti,

Contenſonius ubi ſupra.

nec

nec Davidè minus ad faciendas juſtificationes Dei cor tuum inclinaſti? O Aquinatis! O Aquinatis verè cor nobile, quod nulla deorſum humana traxit affectio! Datur quidem illi optio præmii, ſed quid eligeret niſi Deum, qui noverat pretium Dei, noverat & bonorum operum dignitatem? Dilanientur, inquiebat, quantum voluerint homines variarum diverſitate cupiditatum: eligant alii divitias, alii gloriam, alii voluptates, & partes ſibi faciant de rebus humanis; ego autem cum Propheta canam: *Pars mea Deus*, non ad tempus pars mea, ſed *pars mea Deus in æternum.* Aurum etſi ſemper habeo, quid habeo? Deum ſi ſemper habeam, ſummum bonum poſsidebo. Poſtquam ſeipſum mihi Deus promiſit mercedem futuram magnam nimis, quid aliud ſperare mihi, quid poſtulare licet, aut decet? Cor caſtum à Deo accepi, acceptum ſervabo. Te ipſum quæro mi Jeſu, gratis te amo Deus cordis mei, nec abs te præter te aliud pręmium poſtulo. ✱

98 Videſis Aquinatis ſolem mundum illuminantem, replentem doctrina gratiæ, Eccleſiam clarificantem ſapientiâ illâ cęlitus datâ, qua univerſam Theologiam illuſtravit, illuſtrat: tamquam principem Scholaſticæ diſciplinæ, & cæleſti armatura galeatum adverſus hæreſes omnes ſpeculativas ut diximus; atque ad purganda gentilium dogmata. Tamquam eximium ſcrutatorem cælitus edoctum ſacræ Bibliæ profundi abyſſus. In morali inſuper doctrina tradenda Magiſtrum Angelicum, quippè qui, ajebat Labbæus:

Ingenerat horrorem peccati, dum oſtendit,
Amabiles facit virtutes, dum deſcribit.
Norma factus morum, omnium vas virtutum: Exemplar datum ſæculis.

In Officio Dominicano.

Ac tandem, Thomam diximus myſticę Theologię Seraphicum Doctorem & veluti Angelum, qui thuribulum cordis igne charitatis replens, in Diſcipulos tranſmittere videtur. Sive ut jam oſtenderat V. P. Joſephus à Jeſu & Maria Seraphicæ Tereſiæ digna proles: ✱ Non minus in Theologia Scholaſtica quam in Myſtica Doctor Angelicus jure prędicatur Thomas, qui haud ſine ſpeciali cæleſti lumine, recondita illius ſcientiæ arcana potuerit abunde & diſſertè exponere, elucidare. ✱ Experti fateantur, qui in Summa Angelica lumen pro intellectu illuſtrando hauriunt: ſpiritumque ardoris & devotionis pro voluntate divinitus inflammanda inveniunt: ut de ſe ipſo Illuſtriſsimus Vvielmius illis verbis expreſsit. ✱ Propterea, divini caloris igniculis quibuſdam nos calefieri, & ſagittis potentis acutis corda noſtra ſæpè numero vulnerari, pro modo illo tractando experimur. ✱ Hujus cæleſtis efficaciæ in doctrina Divi Thomæ originem indè videtur deducendum; quod illa non tam in ejus Angelico intellectu per ſtudium fuit acquiſita; quam in Seraphica ipſius voluntate ad impulſum orationis cęlitùs accenſa. Quid ergo mirum ſi Thomam noſtrum ex Prophetis loquentem cum Propheta dicentem: *Eructavit cor meum verbum bonum*, quodammodo inſpiciamus juxta ipſius Doctoris Angelici expoſitionem: *Eructatio ex nimia plenitudine, ſive repletione procedit: in quo ſignificatur, quod ex abundantia devotionis & ſapientiæ loquitur.* Hæc enim eſt illa ſapientia, quam à juventutè ardenter concupivit Divus Thomas, in cujus ſignum pueriles lachrymas non aliter in riſum commutare didicit, niſi in evolvendis libris. Hęc eſt illa ſapientia, in cujus amplexum velocitèr à pueritiâ cucurrit, ad lucem publicam proinde cum quodam luminis refulgentiâ natus radios deinde è vultu ejus vibrari viſus, dum ad Dominici clauſtra gaudens acceſsit. Hæc eſt illa ſapientia, cujus nimiam refulgentiam jam ſplendeſcentes, & ſcintillantes Cometæ, jam lucentes ſtellę ſupra moribundum Thomam cælitus datę patentèr monſtrarunt. Hęc tandem eſt illa ſapientia, quam optavit, & perenni invocatione in mentem Thomæ irradiavit: quam præpoſuit Regnis & Sedibus, Divitiis, Auro, Lapidi pretioſo. Quam ſine fictione didicit, ſine invidia communicavit, honeſtatem illius non abſcondens; ut dicere liceat: *Quoniam ipſe Sapientiæ Dux eſt, & Sapientium emendator.* Fuit in Thoma ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſanctus in doctrina, ſubtilis in ſchola, diſſertus in methodo, incoinquinatus in traddendis morum regulis, ſuavis in aliciendo, ſtabilis in veritate, ſecurus in aſſerendo, acutus in feriendo hoſtes; omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, adeò ut ſit unicus propter doctrinę conſenſum, multiplex propter ſacræ ejus ſcientię diverſa munera; & qui tandem omnes ſpiritus capiat, dicernens bonum à malo.

Apocal. 8. v. 5. — *Joſephus à Jeſu & Maria, tom. 4. lib. 17. cap. 25.* — *Frigerius lib. 1. cap. 8.* — *Pſal. 44. v. 1. D. Thom. ibid.* — *Frigerius lib. 1. cap. 2. & lib. 4. cap. 3.* — *Sapient. 7. v. 15.*

ARTICULUS VI.

Hæreſum profligatorem ſtrenuum Divum Thomam proponens.

99 PRæmemorata eſt origo hæreſum in utroque ordine ſpeculativo & practico. Reliquum igitur eſt Thomam in carne præter carnē Angelicè, & Seraphicè converſantem, cunctarum hęreſum debellatorem proponere. Id me abundè ſatis demonſtraturum crederem, inde ſolum, quod Thomam dicerem Magni Dominici relictum poſt ſe ſimilem ſibi filium, & Dominicani firmamenti ſplendeſcentem ſolem. Venerabundus ſiquidem demiror Prædicatoriam Familiam ſingulari Providentiâ Dei in Eccleſiâ Sanctâ conſtitutam, cui ex officio incumbat hæreticę pravitatis Sectatores de-

bel-

In Officio S. Dominici.

S.Dominicus, ejuſque Ordo datus & prænuntiatus, veluti hæreſum profligator.

bellare. Miniſterium reipſa ſacroſanctum in Patriarcha Dominico, nondum nato, prænuntiatum, *cum hujus mater gravida ſibi viſa eſt in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Quo ſomnio ſignificabatur, fore ut ſplendore ſanctitatis ac doctrinę gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur. Veritatem* (ſubjungit Eccleſia Sancta) *exitus comprobavit: id enim præſtitit per ſe, & per ſui ordinis ſocios. Hujus autem ingenium ac virtus maximè enituit in evertendis hæreticis, qui pernicioſis erroribus Toloſates pervertere conabantur.* Quo autem pręſidio munitus adverſus hæreticos triumphaturus proceſsit, ipſis quibus utitur Eccleſia verbis monſtramus. *Cum Albigenſium hæreſis per Toloſatium regionem impiè graſſaretur, atque altiùs in dies radices ageret, Sanctus Dominicus, qui nuper Prędicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id, ut præſtaret validiùs; auxilium Beatę Virginis, cujus dignitas illis erroribus impudentiſsimè impetebatur: cuique datum eſt cunctas hæreſes interimere in univerſo mundo, enixis precibus imploravit: à qua (ut memoriæ proditum eſt) cum monitus eſſet, ut Roſarium populis prædicaret, velut ſingulare adverſus hęreſes ac vitia pręſidium; mirum eſt, quanto mentis fervore, & quàm fęlici ſucceſſu injunctum ſibi munus ſit executus.*

In Officio Solemnit. SS. Roſarii.

P. Joannes de Caſtro in Approb. quodlibet. D. Thom. quas elucidavit Mag. Sanchez.

100 Aptè igitur, nec minus piè quam verè ajebat Seraphicæ Familiæ doctus & pius alumnus: ✱ Ad hunc altiſsimum æternæ diſpoſitionis finem piiſsima Virgo Deipara Amantiſsimum Parentem meum Dominicum in chariſsimum Filium adoptavit, & Nutricis munere fungens, puriſsimo ſuæ lactis candore lactavit, ille ſuxit ab ubere Matris proprietatem, quę, ut canit Eccleſia: *Cunctas hæreſes ſola in univerſo Mundo interemit: Sic Dominico* (ait Gregorius IX.) *ſagittante & fulgurante, omnis hæreticorum ſecta contremuit.* En filium ab ubere Matris ſimilem, & hac lacteâ doctrinâ Alumnos ſuos ab infantiâ nutrientem, debellare Eccleſiæ hoſtes, & adverſus hęreticos pugnare, non eſt Dominicanis labor, ſed genium; eſt quędam naturalis propenſio ab ubere genita, quam nulla univerſarum rerum attentio vel remiſſam, vel hebetatam reddere valet. ✱

Honorius III. in Bulla confirmat. Ordinis Prædicatorum.

Prænuntiati Dominicani ut pugiles fidei.

101 Præviderat jam, & propheticè prænuntiavit Prædicatorię Familiæ accreſcendas de hæreticis reportandas victorias, Summus Pontifex Honorius III. in prima Bulla confirmationis Ordinis, verbis illis concepta. *Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Dilecto filio Fratri Dominico Priori Sancti Romani de Toloſa, & Fratribus tuis regularem vitam profeſsis & profeſſuris, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nos attendentes, Fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum cum omnibus caſtris, & poſſeſsionibus habitis & habendis. Et ipſum Ordinem, & poſſeſsiones ac jura ſub noſtra protectione & gubernatione ſuſcipimus. Datum Romæ apud Sanctam Sabinam, 11. Kal. Januar. indict. 5. anno Incarnat. Domini 1216. Pontificatus primo.*

102 Propheticæ Honorii eloquutionis veritatem, poſt iteratam experientiam, poſteriores Summi Pontifices nobis in ſuis Diplomatibus teſtatam reliquerunt, ipſaque decurrentium ſæculorum non interrupta Dominicanorum ad deſtructionem hæreſum felix & triumphatrix vigilantia. *Iſtius Ordinis* (ajebat S. Benedictus XI.) *Profeſſorum fructuoſa ſtudia, mentes fidem orthodoxam confitentium fragiles, in tenebris erroris, inimici hominis ſuggeſtione illapſas, lumine veritatis illuſtrant, & ſpinas punctionis lethiferę, in horto ſuccreſcentes Dominico, novacula labiorum ſuccidunt, in quibus æternæ ſapientiæ gratia diffuſa eſt.* Eadem ferè verba habet Clemens VI. eaque repetebat Gregorius IX. dicens: *Fratres Prædicatores tàm contra profligandas hęreſes, quàm contra peſtes alias mortiferas extirpandas ſe dedicaſſe Evangelizationi verbi Dei.* Similiter Innocentius IV. de eiſdem Dominicanis ajebat: *De fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare ſalubria, necnon muniti ſpirituali pro defenſione Fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione diſſimilitudinis converſantes, ad unitatem Matris Eccleſiæ revocare diligentiâ indefeſſâ procurant.* Poſt Innocentium Alexander IV. *Pro impugnanda* (ait) *hęreticorum perfidia viriliter, omni modoque confutanda Fratres Prædicatores velut ſtrenui pugiles orthodoxæ fidei ſunt ita vigiles & intenti, quod ducunt pro delitiis, ſi hac de cauſa aliquando bibant calicem paſsionis, &c.* Et tandem ut alios omittamus Summos Eccleſiæ Paſtores Prædicatoriæ Familię Encomiaſtas, audiatur Clemens IV. ad Fratres Prædicatores inquiens: *Altiſsimus in Ordine veſtro ſibi habitaculum præparavit, conſtituens lucem in populis, viam ſalutis & gratię fidelibus oſtenſuram.*

S. Benedict. XI. in Bulla edita idibus Februarii apud Lateranum.

Similia habet Clemens VI. Gregorius IX.

Innocentius IV.

Alexander IV.

Clemens IV. & alii ut videre eſt in Bullario Dominicano.

103 Veritatem igitur tot oraculis firmam, per temporum intervalla Dominicani ipſi proprio ſudore & cruore teſtatam reliquerunt. Poſt Patriarcham etenim laborantem, ejus filii non degeneres eidem labori dediti fuere. Laboravit Patriarcha Dominicus toto ſeptennio in evertendis Albigenſium erroribus, & juxta laboris abundantiam, fructûs reportavit abundantes, ad fidem revocans centum millia ex illis, ut conſtat ex Bulla Canonizationis. Poſt Dominicum eluxit D. Petrus Martyr, qui ejuſdem zeli cum Patre Catharos, Manichæos, Patarenos alioſque ejuſdem furfuris homines, vel diſputationibus & miraculis evicit, vel uſque ad Martyrii lauream inſectatus eſt. Nil dicam de innumera Agarenorum multitudine in Hiſpania, Cata-

S. Dominicus centum millia Albigenſium revocavit ad fidem.

S.Petrus Martyr, aliique Dominicani conſecutivè hæreſes profligarunt doctrinâ, & ſanguine.

lonia, Africa, Syria, Majorica, in Regno Valentino, Granatenſi, Tunetano finitimiſque regionibus à S. Raymundo, S. Vincentio Ferrario, Fratre Guidone, aliiſque Fratribus Prædicatoribus ad Apoſtolicam fidem reducta. Sanè Stedinghos hæreticos, qui multa affinia cum Albigenſibus evomebant Dominicanorum ope tandem à Germania profligatos fuiſſe demonſtrant annales Dominicani. Adverſus Vualdenſes ſeu pauperes de Lugduno, ſub Gregorio IX. iterum ebullientes admixtos Catharis & Patarenis, Fratrem Monetam Dominicanum ſtrenuè ſe oppoſuiſſe teſtatur ejuſdem Codex manuſcriptus contra eoſdem inſcriptus, adhuc in Bibliotheca S. Dominici Neapoli aſſervatus. Guillelmi de Sancto Amore & Giraldi Pariſienſis hæreſes adverſus ordines Religioſorum, profligarunt ſub Alexandro IV. editis in eoſdem opuſculis, S. Thomas, & Albertus Magnus, qui coram eodem Pontifice eoſdem celeberrima diſputatione convicit. Flagellantium ſectę dementantis Germaniam, intrepidè Frater Germanus Dominicanus occurrit, qui propterea etiam ab eiſdem deinde in hoſtiam Dei mactatus eſt. Gerardus Sagarellus ad annum 1296. veteribus extumulatis hęreſibus deturbans Italiam, opera Manfredi Inquiſitoris Dominicani detectus & exuſtus fuit. In Gallia contra Beguardos, & Beguinas (damnatos poſtea in Concilio Viennenſi ut diximus Prolegomeno 1. artic. 2.) arma ſumpſerunt Eimericus Placentinus, & Berengarius Ordinis Prædicatorum alumni. Adverſus Dulcinum cum ſua ſpurciſsima Margareta, Eccleſiaſticum mucronem intorquerunt in Auſtria Dominicani Inquiſitores. Adverſus Michaëlem de Ceſena hæreticum, ejuſque ſectarios, Dominicani Joannem XXII. tunc Summum Pontificem ejuſque decreta tutati ſunt. Petrum de Baldach in Civitate Gerundenſi in hæreſi pertinacem Frater Arnaldus Burquetus Inquiſitor Dominicanus incendio addixit. A Berengario de Montefalcone effutitos errores, extinxit Nicolaus Roſelius Dominicanus.

Maluenda ad annum 1234 cap. 12.

Mag. Caſtillo 1.p. lib.3. cap. 14.

Mag. Diagus lib.1. cap.13.

Mag. Fernandez ad annum 1312.

104 Et certè poſt mundo enatam Prædicatoriam Familiam, qui unquam exorti fuere errores, quos Dominicani aut Inquiſitoris munere, aut Doctoris officio non exturbarent, everterent, diſsiparent? Quinam hæreſim Armachani cujuſdam Pſeudo-Archiepiſcopi in Ordines Mendicantium iterum oblatrantis devicit? Dominicani præcipuè. Quinam primo in Vvicleffum inclamarunt? Dominicani. Unde ipſe Vvicleff Dominicanos *generalem contra ſe terremotum appellabat.* Ubinam primò Joannes Hus ſuccedens eidem, ſimul cum Hieronymo de Praga, ne errores effunderent carceri mancipatus fuit? In Conventu Dominicano Conſtantiæ. Quis in Neognoſticos ſeu Adamitas hæreticos in Bohemia graſſantes à Sede Apoſtolica delegatus fuit? Cardinalis Joannes Dominici. Quinam rebullientibus ibidem Huſsitis, etſi comprobarent ad oculum ſua devaſtari cœnobia, intrepidè reſtiterunt? Dominicani. Quinam præcipuè impugnarunt errores Joannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis circa Confeſsionem Sacramentalem, poſtea ab Eccleſia damnatos? Quinam errores ſimiliter Petri Oxomenſis Salmantini Doctoris, poſtea demandante Sixto IV. ab Archiepiſcopo Toletano proſcriptos? Dominicani profeſſores Petrus de Ochanna & Didacus de Beriſcò. Quinam fuit ille Quæſitor fidei in Aragonia, qui habito Theologorum Concilio errores alios eidem Sixto IV. pro ſuprema ſententia tranſmiſit? Quinam ille alter Quæſitor fidei in Italia, qui inauditum antea abſurdum inventum de Chriſto concepto, non in utero, ſed juxta cor Virginis, primò repreſſit, damnatum poſtea à Julio II. ut hæreticum? Prior fuit Fr. Chryſoſtomus Galves, poſterior Fr. Hieronymus Faventinus Inquiſitores Dominicani.

Idem ad annū 1357.

Caſtillo 2. p. lib.2. cap.4.

Mag. Gravina de Sacro Depoſito cap.22.

Fernandez ad annum 1414.

Cochlęus lib. 4. de Hiſt. Huſsitarum.

Fernandez ad annum 1479.

Diagus lib. 1. cap. 33.

Paramus lib.2. tom.3. cap.4.

105 Quinam niſi Dominicani primitùs compreſſerunt nefandiſsimas Pſeudoilluminatorum obſcenitates & hæreſes in Prolegomeno 1. n. 30. recenſitas, delectaſque mirabili opera Fr. Alfonſi de Fonte. Qui tandem (ut alia innumera taceam ſine injuria illorum, qui ex omni ordine & ſtatu Eccleſiaſtico adverſus hæreticos decertarunt, validiſsimè decertant, decertabunt) vel primi in illam immaniſsimam devaſtandæ Germaniæ emiſſam ab inferis belluam (Lutherum dico) veluti cuſtodes Eccleſiæ canes, extemplò voces dederunt, vocibuſque pro grege tutando excitavere Paſtores? Quinque ſine dubio Doctores Dominicani, nimirum Joannes Tetzelius Francofurdienſis Inquiſitor, Silveſter de Prierio Apoſtolici Palatii Magiſter, Conradus Kęlim, Jacobus Hocſtratanus (cui, quam inviſus fuerit Eraſmus in præcedenti Prolegomeno n. 53. indicavimus) & Thomas de Vio Cajetanus. Horum omnium opera adverſus Lutheranos extant tunc primo conſcripta, antequam exurgerent alii. Et ipſe Magiſter Sacri Palatii (referente Poſſevino) impudentiſsimi Hæreſiarchæ citati & non comparentis doctrinam, Romæ in Foro Navonio anno 1521. pridiè idus Junii unà cum Hieronymo de Gelutiis Epiſcopo Aſculano condemnavit, prolatâque ſententiâ à Mag. Cypriano Ordinis Prædicatorum in Romana Academia primario Theologiæ profeſſore, Lutheri ſtatua & libri concremati ſunt. Inter Dominicani autem Ordinis Alumnos fidei pugiles à Deo miſſos, & ab Honorio pręnuntiatos, Doctorem Angelicum maximè præeminere aggredimur oſtendere.

Mag. Gravina lib.1. de Viſionibus cap.6.

Annales Dominicani ad annū 1521. & ſequentes.

106 Verum in hoc dicendi genere prævenerunt nos Vigiles qui cuſtodiunt Civitatem, Sapientiſsimi Conciliorum Patres. Prævenerunt nos ſupremi Eccleſię Paſtores. Adeò inquam & ipſis Oecumenicis Conciliis pręluxit poſt fęlicem ejus tranſitum Thomas; ut meritò ei poſt mortem aptari valeat, quod de Auguſtino vivente ceci-

nit

nit Sanctus Proſper, aliàs laudatus art. 2. n. 31.

Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat.

Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 7. Martii.

Hæc Eminentiſsimus Baronius contemplans, animoque verſans quanto in pretio per Patres Tridentini Concilii habita ſit doctrina D. Thomæ, ita ſcripſit. * Vix quiſquam enarrare ſufficeret, quot vir Sanctiſsimus atque eruditiſsimus Theologorum præconiis celebretur, quantumque illius illibatæ doctrinæ à Sanctis Patribus in ſacroſancto Oecumenico Concilio Tridentino conſidentibus fuerit acclamatum. * Sed pręcipuè audiendus eſt Orator ejuſdem Concilii, nempè Magiſter Joannes Gallio-Burgenſis, Hiſpanus, Sacræ Theologię Doctor, Catholici Regis Theologus in oratione de laudibus D. Thomæ die 7. Martii 1563. ubi circa medium hæc habet. * Ipſum denique fęliciſsimum anteſignanum Theologorum exercitûs conſectatur. Cumque omnibus in pretio ſit, dignus ſanè Venerabilis Eccleſię Doctor, quem hæc ſacra & Oecumenica Synodus, maximis iiſquę ampliſsimis honoribus proſequatur, ſanctiſsimę ſiquidem vitæ diem clauſit extremum, cum ad generale Concilium Lugduni celebratum juſſu Gregorii X. Pontificis Maximi, iter arripuiſſet. * Et per decem lineas deſcriptâ glorioſiſsimâ ejuſdem Doctoris morte, novo etiam ſydere, ſeu comete præſignata, ſubjungit: * Demùm ad extrema perductus, Epithalamio Salomonis expoſito, velut candidus Olor carmine vitam finivit. Non ergo potuit Eccleſiaſticis intereſſe conciliis, morte præventus. Verum ecce ſuperſtes, atque in ęternum victurus vobis adeſt, bona ſua, ſpirituales doctrinę theſauros, hæreditario jure vobis delegavit. Nulla proinde ab ejus fęlici tranſitu Concilia ſine ſacro Doctore celebrata ſunt; ut enim de cęteris ſileam, quod audimus, quod vidèmus, quod manibus noſtris contrectamus, quidni aperta voce ad ejus laudem teſtemur? Veſtra comitia perpendite, ex plurimo, eoque honorabili Doctorum cętu quotuſquiſque conſultor accedit, qui D. Thomæ auctoritate veluti ſplendenti gemma ſuam ſententiam non ornet? Ac in conſultiſsimo Patrum receſſu, Doctor hic ſententiam rogatus frequentiſsimè cenſet, ad quem ut lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis aut controverſiæ fuerit exortum, communibus votis referendum exiſtimatis, ut qui eum ſui placiti patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non ſit habiturus, quin ſecundum eum ſententia ferenda ſit; atque adeò hujus religionis nomine, graviſsimæ veſtrę auctoritati gratias agere libeat, quod Doctoris Thomæ nomen ubique celeberrimum, veſtra in eum obſervantia celebrius poſteritate reliqueritis. *

Orator Concilii Trident. in oratione de laudibus D. Thomæ.

107 Sed quid prohibet univerſa percurrere poſt mortem Sancti Doctoris celebrata Concilia, in quibus Angelica ejus doctrina, veluti malleus, aſſumpta eſt ad conterendos inſurgentes hæreticos. Atque ut incipiam narrare, Concilium occurrit imprimis Lugdunenſe ſequutum immediatè poſt mortem Sancti Thomæ, celebratum ſub Gregorio X. qui eumdem Sanctum Doctorem, ad Concilium vocaverat, licet in itinere è vivis exceſſerit. In illo namque Concilio definitum fuit: Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere unicâ ſpiratione & tanquam ab unico principio: & tamen pro hac ſtabilienda diffinitione deſervit doctrina Sancti Thomæ quęſt. 36. ex prima parte, atque in opuſculo contra errores Græcorum, de mandato Urbani IV. compoſito. Pręterea in ſubſequenti Concilio Viennenſi ſub Clemente V. primò definitum fuit, animam rationalem ſive intellectivam, eſſe per ſe eſſentialiter formam humani corporis, quod eiſdem verbis prædocuerat Sanctus Thomas 1. part. q. 76. ar. 1. & aliis pluribus locis ibidem in margine citatis. Secundò fuit definitum, Sacramentum Baptiſmi eſſe parvulis perfectum remedium ad ſalutem, quod idem ſcripſerat D. Thomas 3. part. q. 68. ar. 9. Inſuper fuit definita infuſio virtutum ſimul cum gratia, quod eiſdem verbis reſolverat D. Thomas 3. part. q. 69. ar. 4. Poſteà damnati fuerunt errores octo Beguardorum, quos ex doctrina D. Thomæ ibidem fuiſſe contritos, conſtat ex Actis ipſius Concilii, noſque ſingillatim oſtendere habemus in ſecundo volumine.

S. Thom. et à poſt mortem de hæreticis triumphat in Conciliis.

In Concilio Lugdunenſi.

In Concilio Viennenſi.

108 In Concilio demùm Conſtantienſi (quod poſt obitum Divi Thomæ tertium fuit) damnati fuerunt quadraginta quinque errores Joannis Vvicleffi per ordinem recenſiti in Bulla Martini V. damnationem illam confirmantis, quos quidem jam priùs rejecerat ſingillatim Doctor Angelicus; locis reſpectivè notatis à Seraphino Piccinardo lib. 2. q. 4. ar. 3. & omiſsis erroribus Joannis Hus, Vvicleffi ſectatoris in Concilio illo damnatis, & ex D. Thoma ſimiliter rejectis. Gradum facimus ad ſubſequens Baſileenſe Concilium, etſi legitimè congregatum; in conciliabulum deinde degenerans: præſertim poſtquam ab Eugenio IV. cujus auctoritate inchoatum fuerat, meritò diſſolutum fuit, ut apparet ex Bulla diſſolutionis illius Concilii. Quapropter ex eo tunc Sanctus Antoninus illud appellat: *Conciliabulum viribus caſum, ſinagogam Satanę, temerarium, & præſumptuoſum conventum.* Sanctus Joannes de Capiſtrano: *Synodum profanam, excommunicatam, interdictam, baſiliſcorum ſpeluncam, Dæmonum catervam.* Concilium deinde Lateranenſe ſeſſion 11. Baſileenſem Synodum vocat: *Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum & nullius prorſus auctoritatis.* Inſtructum tamen lectorem deſideramus, & præmonitum: Bullas ſeſsion. 16. illius conciliabuli recenſitas in ipſius confirmationem, falſas eſſe prorſus & ſubreptitias, ut Cardinalis de Turrecremata, omnium conſcius, & teſtis ocularis affirmat: expeditæ namque fuerunt à quibuſdam Cardinalibus graviter jam ærumnis & morbo decumbente Pontifice Eugenio. Sicut, & quod Nicolaus V. continuationem illius Concilii cum actibus ſuis approbaſſet, falſum eſſe teſtatur eruditus Cardinalis Belarminus. Hujuſque falſitatis evidens ſignum reipſa eſt Eugenius IV. ab univerſali Eccleſiâ tanquam verus Pontifex ſemper agnitus: rejecto Felice Anti-Papa per illud conciliabulum temerariè electo. His itaque in gratiam veritatis obitèr indicatis, illud pro noſtro aſſumpto facit: quod poteſtatem Concilii ſupra legitimum Pontificem ſtabilire prætendens; ex adverſo tanquam murus ſe opponens pro domo Iſraël Cardinalis de Turrecremata, doctiſsimum edidit opuſculum pro auctoritate Summi Pontificis firmanda, ex Divi Thomæ doctrinâ tranſcriptum: cujus etiam doctrinę efficacia præſcribuntur errores Auguſtini de Roma, in eodem Concilio aliàs ritè damnati.

In Concilio Conſtantienſ.

In Concilio Baſileenſi, aliàs in conciliabulum degenerante.

In Concilio Florentino.

109 Quantùm deinde contra Græcorum errores in præſidio fuerit Angelica Divi Thomæ doctrina in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. ad annum 1436. quis enarrare ſufficiat? Quandoquidem (præter Cardinalem Julianum ex hiſtoria Eccleſiaſtica quandoque diſputantem) duo præſertìm fuere athletæ ſtrenuique fidei propugnatores, diſputantes contra Gręcos, Joannes, ſcilicet de Monte nigro Provinciæ Lombardiæ Provincialis, & Andreas Coloſſenſis Epiſcopus, uterque Dominicanus: duo namque hi inſignes Theologi ex doctrina D. Thomæ, adeò contra Græcos ſtrenuè decertarunt, de illis reportatâ victoriâ; ut Cajetanus adhibitâ Sancti Doctoris multiplici doctrinâ non dubitaverit affirmare: *Scito quod in eodem Florentino Concilio canonizata eſt quaſi ad verbum iſta doctrina.* Et quidem ſi decreta Concilii Florentini, cum doctrina Angelici Doctoris conferantur, mira aſſonantia apparet. Ea propter Trithemius de laudato Andrea Coloſſenſi in Actuario hęc ſcripſit: *Andreas Archiepiſcopus Rhodi apologiam demonſtrativam ex ſcriptis D. Thomæ ad Beſſarionem Nicæę, de Divina eſſentia & operatione ſcripſit, quæ in Italia extat.* Verè igitur S. Thomę doctrina ibidem adhibita fuit, & vicit adverſus Græcos, adeò glorioſè, ut ſicut probat Thomas Aquinas: inde admirantes Gręci, Joannis Theologi rationum copiam acutè ſciſcitati ſint, è quonam fonte hauſiſſet eaſdem, ac de Sancto Thoma reſponſum protinùs accipientes, inde curarint, vel opera Demetrii Cydonii (ut actuarium Trithemii, & Poſſevinus agnoſcunt & Vvielmius) vel alterius: iterum Summam Sancti Thomæ contra gentes in Græcum è Latino converti, uti & tranſlatum fuiſſe. * Opuſculum de ente & eſſentia (inquit Vvielmius cum quibuſdam aliis ejuſdem operibus & Summam Theologię, Commentariis etiam Græcorum ornatam. * Imò in Actuario Trithemii ſubjungitur. * Demetrium Cydonium ſcripſiſſe quoque in Creta de proceſsione Spiritus Sancti adverſus Cabaſilum, qui contra D. Thomam Aquinatem calamum ſtrinxerat. * Et demùm Georgius ille Scholarius, qui in fine ſeſsionis ultimæ ejuſdem Florentini Concilii orationem habens *in conventu Grecorum vir doctiſsimus celebratur* hic ipſe factus Patriarcha Conſtantinopolitanus, mutatoque (de more) nomine in Gennadium Conſtantinopolitanum, ut ejuſdem verba ex ejuſdem libro tranſcribit idem Vvielmius; hic inquam, & ipſe ab ipſo forſan experimento concluſit: *Si quis Thomæ ſcriptis animum adhibuerit, hunc nullis aliis indigere opinor.* Ut ſupra n. 76. recitatum eſt, ſicut elogium Cardinalis Beſſarionis.

Cajetanus 1. 2. q. 30. art. 4. & 3. p. q. 72. art. 8.

Trithemius in Actuario.

Thomas Aquinas Clericus Regularis lib. 2. dè Politic. Chriſt. cap. 6.

Vvielmius lib. 1. pag. 419. & 437.

Gennadius Conſtantinop. Patriarcha.

Cardinalis Beſſarion.

110 Tandem, ut non immoremur in poſteriori Lateranenſi Concilio ſub Julio II. & Leone X. ubi Angelica D. Thomę doctrina, agente præſertim Cajetano Religionis Dominicanæ tunc Generali, de erroribus Lutheri, aliiſque ſimilibus victoriam reportavit. Concilium Tridentinum iterùm non memorare non poſſumus, in quo quantum doctrinæ D. Thomę delatum fuerit, docuit jam nos poſt Oratorem Concilii eruditus Baronius. Quibus ſuperaddere congruit in ejuſdem Angelicæ doctrinæ per Tridentini Patres commendationem, quod teſtatum reliquit Antonius de Aubertmunt, ſcilicet: *In medio templi Tridentini ſuper Altare fuiſſe imaginem Chriſti Domini Crucifixi, & à dextro latere ſacros Bibliorum libros, à ſiniſtro Summam Sancti Thomæ.* Et quidem ſi oſſoribus doctrinæ D. Thomæ adducta teſtimonia magni quid non videntur, quia ex Dominicanis referuntur; illos vocare poſſumus, ut de viſu teſtimonium proferant, poſsintque adinſtar Samariæ incolarum pronuntiare: *Quia jam non propter tuā loquelam credimus* (propter atteſtationem plurium ex Patribus Tridentini) *ipſi enim audimus & ſcimus.* Poſſunt enim & expertos audire, & per ſe ipſos certificari, quod Tridentini decreta Angelicam D. Thomæ redolent doctrinam, adeò ut meritò affirmare poſsimus in Tridentino legi D. Thomam: vel in D. Thoma totum Tridentinum anticipatè inveniri.

In Concilio Tridentino.

Antonius de Aubertmunt in Oratione Panegyrica typis data Lobanii 1663.

Joan. 4. v. 42.

111 Magna erga doctrinam D. Thomæ Patrum Tridentini venerationis argumenta dedimus: at niſi me mea fallat opinio, maximum in eo aſſumpto argumentum miniſtrat Didacus Payva Luſitanus, Hiſpaniarum Regis in Tridentino Theologus (tanquam vir doctus & magnâ præditus auctoritate à Cardinali Palavicino commendatus) referens, quod *cum ventilata fuiſſet ſeſsio 22. in qua decretum eſt Chriſtum Dominum, Diſcipulos ſuos in nocte Cœnæ Sacerdotes inſtituiſſe, & coram omnibus Concilii Patribus hic articulus legeretur, aſſurgens quidam Epiſcopus dixit, hanc determinationem doctrinæ Div. Thomæ contraire videri, quod audientes Concilii Patres ſeſsionem illam ſuſpenderunt, & decretum illud, quouſque de mente Doctoris Angelici conſtaret, retinuerunt.* Rem totam Eminentiſsimus Palavicinus dilucidè narrat; nobis autem ſat eſt indicare, quod cum aliqui Patres ad verba illa ſeſsionis 21. in cap. 1. *Non tamen illa inſtitutio, & traditio eo tendunt, ut omnes Chriſti fideles ſtatuto Domi-*

Didacus Payva Baſilius Pontius & alii cum Palavicino lib. 17. Hiſtoriæ Trident. cap. 11. apud Piccinardum lib. 3. q. 6. art. 3.

mi-

mini ad utramque ſpeciem accipiendam aſtringantur, additionem non nullam facere ſtatuiſſent; Guerrerius Archiepiſcopus Granatenſis, productâ in medium 3. parte Summæ S.Thomæ, & lectâ doctrinâ ejuſdem coram Patribus ex quæſt. 80. ar. 11. cui videbatur (ſaltem ſub dubio) illa additio contraire, adeò id audientes Patres commovit, ut licet ratione loci (pro tunc indicto à Legatis ſilentio diſputationis) contentio quieviſſet; tamen ad finem Miſſæ lecto prædicto capite, & collectis Patrum ſuffragiis, additio illa approbata non manſerit, dilatata per conſequens conſideratione melioris alterius modi dicendi ad ſeſsionem ſubſequentem 22. ſub die 17. Septembris, in cujus cap. 1. hæc poſtea verba de Corpore & Sanguine Chriſti Domini (non eadem omninò cum addictione prędicta) approbata leguntur: *Apoſtolis, quos tunc Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, pręcepit per hęc verba. Hoc facite in meam commemorationem.*

112 Conciliorum morem ſequuti Eccleſiæ ſupremi Paſtores Divum Thomam ſæpè prędicarunt, tanquam hęreſum profligatorem, & hæreticorum malleum: hujus rei cum plura extent Pontificia oracula; memorandus hic venit Sanctiſsimus Pius V. ita de Sancto Thoma loquens: *Omnipotentis Dei providentiâ factum eſt, ut Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ ex eo tempore, quo cęleſtibus civibus adſcriptus fuit, multæ, quę deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ & convictæ diſsiparentur, quod & antea ſępè & liquidò, nupèr in Sacri Concilii Tridentini decretis apparuit*; & poſt eum Paulus V. inquit de eodem Sancto Doctore: *Cujus ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela fæliciter elidit.* Quæ omnia brevitèr complexus fuit Sanctiſsimus Pontifex Benedictus XIII. inquiens: *Quandoquidem omnipotentis Dei providentiâ factum eſt, ut Angelici Doctoris vi ac veritate doctrinę, non ſolum innumerę, quæ vel ipſius ętate, vel antea graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam, quę deinceps exortę ſunt hereſes, confuſę & convictę diſsiparentur.* His accedit Jacobus Florentinus Ordin. Minorū præfat. in opus Rayneri de Piſis inquiens: * Summi Dei providentia factum eſſe reor, ut noviſsimis diebus, cum nulla ferè mirabilium rerum opera coruſcarent, hujus viri (Sancti Thomæ) doctrinâ profundiſsimis, ac validiſsimis rationibus, pręmunita clareſceret, per quam Eccleſia hęreticorum prælia, & quondam exorta, & in poſterum oritura repellere poſſet. Quiſnam error per eum illicò non eſt extinctus? Aut quis novus fidei oppugnator acceſsit, in quem non protinus jacula Catholici ſui Dogmatis contorſerit? * Imò, etſi alia non extarent propoſitæ veritatis argumenta; experientiâ ipſâ comprobante innoteſcit, jam in laudato Cardinali Turrecremata; deinde in Venerabili Seraphino à Porrecta, Mag. Gravina, aliiſque pluribus cum Mag. Vanranſt, qui ex uno D. Thoma hęreſes univerſas diſsipandas, fęliciter ſumpſere: & nos ipſi tentabimus in propoſito præſentis operis aſſumpto. Propoſitam veritatem, vel ipſe Lutherus à Summis Pontificibus ex doctrina D. Thomę protritus, etſi ore blaſphemo faſſus fuit, ſupponens art. 7. *Impiam illam extravagantem Clementis VI. ex opinionibus Thomæ inſulſiſsimi, & meris figmentis conceptam.* Criminabatur etiam referente Cochlęo de actis, & ſcriptis Lutheri ad annum 1518. Leonem X. ſimul cum Silveſtro, nimis Thomam in pretio habentem, ex privata ejus doctrina, in diffinitionibus uſum fuiſſe. Addit Baſilius Pontius: Lutherum appellaviſſe Eccleſiam Romanam Thomiſtam, ejuſque doctrinam Thomiſticam.

S. Pius V. in Bulla: Mirabilis Deus.

Paulus V. in Brevi ad Neapolitanos pro Sancto Thoma.

Benedict. XIII. in Brevi: Demiſſas preces.

Florentin. Præfat. in opus Rayneri de Piſis.

Baſilius Pontius art. 2 pro jurament. Salmant. §. 19.

113 Nec ſolum hæreſum deſtructor audiri habet D. Thomas: cum etiam ad eliminandas à Chriſtiano populo corruptæ laxitatis molles & in rebus morum pernitioſas doctrinas, puriſsimus juxta & ſanctiſſimus Doctor, normam & arma dederit. Hæc cum agnoſceret Summus Pontifex Alexander VII. laxiores in re morali propoſitiones non nullas damnaturus, ſignificari mandavit anno 1655. *Tędere ſanctitatem ſuam novarum opinionum hoc ſæculo in materiam moralem introductarum :: maximèque velle à Theologis Dominicanis in Eccleſiæ hoc morbo laborantis remedium opus parari ex ſeveriori & tuta D. Thomę doctrinâ, quo hæc morum licentia, quæ in dies graſſatur quaſi cauterio cohibeatur.* Hujuſmodi Pontificis cautelam præveniſſe videtur Mutius Vitelleſcus Societatis Jeſu Prępoſitus Generalis litteris ad totam Societatem datis; in quibus filios exhortans, ut eas ſequantur ſententias, quę bonis moribus conducunt magis, &c. ſubjungit. * Quoniam verò conſtitutiones, decreta, Regulas probè callent de S. Thoma ſequendo, de non provehendis ad Cathedras, aut etiam removendis, qui ejuſdem doctrinam parvifacere, aut cordi non habere præſeferunt, præſertim ſi novitatum amantes deprehendantur, qui nulla ratione ſunt ferendi; reliquum mihi præterea nihil eſt, niſi ut hæc ipſa ſerventur, uti maximi rem momenti, quam ardentiſsimè poſſum urgere. *

Alexander VII. apud Gonet de opinionum probabilitate.

Mutius Vitelleſcus, litteris datis 4. Januarii anno 1617.

ARTICULUS VII.

Novis Summorum Pontificum adductis commendationibus, quantum obſequii doctrinæ D. Thomæ deferendum ſit, oſtendens.

114 HUCUSQUE ſatis pontificio ore commendata prodit Thomæ noſtri doctrina, Angelicaque vita, adeò ut Joanni XXII. dicere licuerit, in Bulla Canonizationis: Beatus Thomas de Aquino, *Fama clarus, vita clariſsimus.* Verumtamen nova elogia non poſſumus prętermittere de Sancto illo Doctore, cui meritò laudatus Pontifex illud Pſalmi adaptavit: *Scitote quia mirifiavit Dominus ſanctum ſuum.* De Angelico illo Theologo, cujus doctrina ad miraculum Eccleſiam erudivit; quippè, qui *tot miracula fecit*, quot *articulos ſcripſit* Summo illo Pontifice teſtante, prout habetur in officio Dominicano, conſtatque ex Proceſſu Canonizationis, agente Guilielmo Thoco. Refert etiam Joannes Gerſonius in opuſculo contra impugnantes Ordinem Carthuſienſium inquiens. *Cum in Canonizatione S. Thomę de Aquino opponeretur, quod non fecerat miracula in vita, vel non multa; dictum fuit per Papam: non eſſe curandum: nam tot miracula fecit, quod quæſtiones determinavit.* Non extant (inquiunt doctrinæ D. Thomæ obtrectatores) verba illa in Canonizationis Bulla? Sed quid inde, ut non credamus, viva voce protuliſſe Joannem verba, ſi non formaliter, ęquivalenter ſatis ibidem aſſerta; dum ſcripta D. Thomæ *Dei opera* (Summus Paſtor appellat) *non abſque ſpeciali Dei influxione perfecta.* Inſuper nulli incredibile apparebit prælibatum elogium, ſi ex Guilielmo Thoco, Summum illum Pontificem ad Cardinales in Conſiſtorio de Sancto Thoma ita loquentem attendat: *Ipſe plus illuminavit Eccleſiam, quam omnes alii Doctores, in cujus libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitę ſuæ.* Inſuper: *Nos credimus, quod Frater Thomas eſt glorioſus in Celo, & doctrina ejus non potuit eſſe ſine miraculo.* Fateatur ergo Theophilus Raynaudus, & ferè repetat de S. Thoma. * Ad miraculum doctus, ad miraculum in doctrina ſolidus, ad miraculum accuratus atque ordinatus, profundus, acutus, perſpicuus, omnibus probati ſcriptoris ac Theologi dotibus eminentiſsimè inſignis. Parcè, ac jejunè commendo hominem, privata quacumque commendatione ſuperiorem. *

Joannes XII. in Bulla Canonizationis.

Gerſon. opuſc. cōtra impugnātes Ordinē Carthuſianum. Vvielmius, & Paulus Frigerius apud Benedictū XIV. lib. 2. cap. 25.

Joannes XXII. apud Thocum.

Raynaudus in clauſula Parenetica pro P. Leſio.

115 Joannis XXII. morem imitati Summi Pontifices ſucceſſores, ęgregia in D. Thomæ doctrinam commendationis monumenta reliquerunt. Imprimis Clemens VI. ita ad univerſos Chriſti fideles loquens de Ordine Sancti Dominici: *Attendentes igitur, quod Ordo prędictus in horto plantatus Eccleſiæ, ac in germine ineffabilis utilitatis ſuccreſcens, illum perlucidum ac fructuoſum palmitem, Beatum videlicet Thomam de Aquino Confeſſorem ac Doctorem egregium, ex cujus ſapientię ac doctrinę ſcriptis & traditis, univerſalis Eccleſia multiplicem ſpiritualis ubertatis fructum recolligens, ipſius fructûs odore reficitur inceſſantèr, produxit.* Deinde Urbanus V. Prædicatoriæ Familiæ humilibus precibus annuens, benignè indulſit, ſpecialique Bulla conceſsit corpus Sancti Thomæ, in Toloſano Dominicanorum Templo transferendum, collocandum, perpetuòque venerandum: decens enim, & congruum reputans: *Ut dictum corpus illius glorioſi Sancti, qui dum vixit Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtens, tamquam Doctor egregius per ſua perlucida, ac ſalutifera documenta univerſalem illuſtravit Eccleſiam, eam decorando virtutibus, & moribus informando, cum eiſdem fratribus collocetur, ex certa noſtra ſcientia ad laudem Dei, exaltationem Eccleſiæ, fideliumque ſalutem tenore præſentium ſtatuimus & etiam ordinamus, quod corpus prædictum ad domum dictorum Prædicatorum Toloſam transferatur, & ibidem collocetur, & honorabiliter perpetuò veneretur.*

Clemens VI. ad univerſos Chriſti fideles in Bulla: In Ordine.

Urbanus V. in priori Bulla, quę incipit: Urbanus.

116 In alia inſuper Bulla ad Toloſanos idem Urbanus inter alia ita loquitur: *Nos attendentes quantâ à Deo ſcientiæ doctrinâ Ordinem Fratrum Prædicatorum ac univerſalem Eccleſiam illuſtravit, ac Beati Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam eandem doctrinis, & ſcientiis quam plurimis adornavit .... Volumus inſuper & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti Beati Thomę doctrinam tamquam benedictam, & Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.* Et ut ǫmittamus jam ſæpè laudatum Sanctum Pium V. qui præter alia, feſtum D. Thomæ in Civitate & Regno Neapolitano præcepit celebrandum, ſicut alias ſolemnes Feſtivitates, prohibitis operibus ſervilibus. Præſtat ut memoremus Sixtum V. de utroque Doctore Angelico & Seraphico in Bulla Triumphantis, in qua D. Bonaventuram Eccleſiæ Doctorem declaravit: Ibi: *Sanè ad id quoque non mediocriter excitati ſumus exemplo ſanctæ memoriæ Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri de Chriſtiana Republica optimè meriti, quem ut parentem adhuc reveremur, & colimus. Is enim religioſâ pietate, & ſingulari devotione permotus, quâ afficiebatur erga Sanctum Thomam de Aquino Ordinis ſui decus, & Eccleſiæ Catholicæ ornamentum, cupiens eodem modo eumdem Sanctum ob ejus præſtantiſsima in Catholicam Eccleſiam merita congruis honoribus*

Urbanus V. in poſteriori Bulla ad Toloſanos.

S. Pius V. in Bulla: Mirabilis.

Sixtus V. in Bulla: Triumphantis.

exornare; præter alia, hoc juſsit, atque decrevit, ut illius feſtus dies quotannis duplicis Officii ritu ad inſtar Sanctorum, quatuor Eccleſiæ Doctorum perpetuò celebraretur, quod & Sancto Bonaventuræ Doctori eximio tribui debere, æquum profectò exiſtimamus, cum tam multa inter eos virtutis, ſanctitatis, doctrinæ, meritorum conjunctio & ſimilitudo intercedat. Hi enim ſunt duę olivæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant. Hi ſingulari Dei providentiâ eodem tempore, tanquam duę ſtellæ exorientes ex duabus clariſsimis Regularium ordinum familiis prodierunt, quę Sanctæ Eccleſiæ ad Catholicam Religionem propugnandam maximè utiles, & ad omnes labores & pericula pro Orthodoxa fide ſubeunda paratæ ſemper exiſtunt, ex quibus, tanquam ex fertili & benè exculto ſolo, quotidiè per Dei gratiam fęcundæ, & fructuoſæ plantę procreantur, hoc eſt viri doctrinâ, & ſanctitate pręſtantes, qui Petri Naviculę tot fluctibus agitatæ, & Romano Pontifici ejus clavum non ſine magna ſolicitudine tenenti, fortem & fidelem operam navant.

Clemens VIII. in Brevi ad Neapolitanos.

117 Demùm Clemens VIII. ad ſupplices preces Civitatis Neapolitanę D. Tomam in Patronum prædictę Civitatis deſignavit, ſubjungens: *Proinde piè prudenterque cogitatis de novo Civitatis Patrono adſciſcendo cive veſtro, divinæ voluntatis Angelico interprete, vitę ſanctitate, miraculis claro, Thoma Aquinate, cujus doctrinę tantùm fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ divinum etiam illud habeat teſtimonium: benè de me Thoma ſcripſiſti.* In alio item Brevi hæc habet laudatus Clemens de Angelico Doctore in Patronum Civitatis illius electum: *Hic ſiquidem honor ejus virtutibus, cum admirabili doctrina conjunctis, jure optimo debetur, ac doctrinæ quidem teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breviſsimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mirâ perſpicuitate ſine ullo prorſus errore conſcripſit: in quibus conſcribendis, interdùm Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locoſque illi quoſdam Dei juſſu enarrantes habuit; & quos deinde conſcriptos expreſsâ Chriſti Domini voce comprobatos audivit. Cum autem illi nunc peculiare ejuſdem veſtræ Civitatis Patroni nomen accedat, ſperandum eſt fore, ut ratione perfectæ charitatis, quâ Deo propinquior eſt, & patrocinii, ad quod eligitur, vobis magis proficiat precibus, quod ejuſdem antedicta doctrina, eximię virtutes & ſumma præſertim, quâ ſemper excelluit humilitas, hunc ipſum honorem poſtulaſſe videatur. Quapropter cum ille tam religioſè, ac demiſsè ſemper de ſe ipſo exiſtimaverit, ut inter cętera oblatum à fel. recordat. Clemente IV. Romano Pontifice prædeceſſore noſtro Civitatis veſtræ Archiepiſcopatum, inſigni cum modeſtiâ recuſaverit. Meritò Deus hoc tempore vobis in animum induxit, ut eum, qui cum in terris eſſet, vobis ob ſummam humilitatem præeſſe noluit, nunc cum in Cęlis eſt, propter ejuſdem Sanctitatem in numerum veſtrorum patronorum adſciſcatis.*

In alię ad eoſdem Brevi.

Deinde amplius creſcente apud Neapolitanos obſequentiſsima devotione erga novum Angelicum Patronum, ab eodem Clemente & ſucceſſore Paulo V. obtinuerunt, ut dies anniverſaria tranſlationis Brachii S. Thomæ die 20. Januarii, tanquam Feſtum de pręcepto coleretur. Tandem Alexander VII. ad Doctores Lovanienſes in ſuo Brevi die 7. Auguſti, Pontificatus anno 6. hæc inter alia ſcripſit: *De reliquo non dubitamus, quin præſingulari ſcientiæ, pietatiſque ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adverſus Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis, necnon præclariſsimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini & Thomę Aquinatis inconcuſa, tutiſsimaque dogmata ſequi ſemper, ut aſſeritis, ac impensè revereri velitis. Quorum profectò ſanctiſsimorum virorum penes Catholicos univerſos ingenia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, novi præconii commendatione non egent.*

Alexander VII. ad Lovanienſes.

118 Hucuſque Pontificia monumenta, quorum originalia extant reproduximus. Reliquum eſt in medium adducere decantatum meritò digneque memorandum elogium ex Innocentio V. ſive ut aliis placet hujus nominis VI. in ſermone, quę incipit: *Ecce plus, quam Salomon hic*, cujus originale authenticum non facilè eſt invenire. Sic enim pręſtrinctim habet: *Hujus Doctoris ſapientia præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut numquam, qui eam tenuit, inveniatur à veritatis tramite deviaſſe, & qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.* Hęc eſt magnifica doctrinæ D. Thomæ commendatio, quam Nodorum conſarcinator cum auctore memorialis ad judices veritatis, velut ex tripode pronuntiando, *prorſus fictum* eſſe decernit. Leviſsimis tamen ductus conjecturis. Primò inquam: quia in auctore auctores non conveniunt: affirmantibus nonnullis cum Ribadeneira, Silvio, Joanne à Sancto Thoma, aliiſque recentioribus frequenter (haberurque in Breviario Dominicano in octava Sancti Thomæ) fuiſſe Innocentium VI. Aliis per oppoſitum ſcriptoribus Innocentium referentibus, quin explicent, an quintus, an ſextus fuiſſet, uti pręter alios tùm antiquos tùm recentes referunt auctores editionis Romanę ſub Sancto Pio V. Nonnulli etiam extant apud, & cum Mag. Gravina, qui elogium illud Innocentio V. tribuunt, qui antea fuit Petrus à Tarentaſia Dominicanus. Præterea in ſuæ imaginationis favorem nodoſus ille auctor adducit, neque ab Innocentio V. neque ab Innocentio VI. prolatum fuiſſe elogium illud. Etenim Innocentius VI. nullum habuit ſermonem, ſed ſolum ſcripſit quaſdam *Epiſtolas, quæ extant in Bibliotheca Vaticana, & in Collegio Navarræ.* Similiter opponit auctor ille pro Innocentio V. quia *verba allegata ſupponunt Angelicum Doctorem jam fuiſſe Canonizatum, aliter enim de ipſo non concionaretur Summus Pontifex.* At verò Innocentius V. antea Petrus à Tarentaſia dictus, ex Ordine Prædicatorum electus fuit ad ſupremam Petri Sedem anno 1276. 13. Kalen. Februarii poſt duos annos à morte Sancti Thomæ, Canonizati deinde anno 1323. Non igitur Innocentius V. prædicti auctor elogii fuit. Præterea opponit: quia licet Innocentius ille, Cardinalis adhuc Concilio Lugdunenſi interfuerit, *non legitur tamen illic habitus aliquis ſermo incipiens (Ecce plus quam Salomon hic) neque hic Innocentius ullos ſermones ſcripſit*: non ergo ipſi tribui valet elogium recenſitum.

Innocentius V. in ſerm. Ecce plus quam Salomon hic.

Objectiunculę cōtra eloquiū Innocentio V.

Prælibatum Innocentii elogium pluribus firmatur.

S. Hieronym. Epiſt.61.

Petrus Alva nodo 1. §.1.

119 Sed priuſquam attentatas objectiones in fumum abire monſtremus, ipſum opponentem pro aſſerta veritate ſuffragatorem (fortè pręter intentionem) memoremus, ut cum Hieronymo dicere liceat: *Illud verum teſtimonium eſt, quod ab inimica voce profertur.* * Circa annum etenim 1470. cum quidam Magiſter Ordinis Pręedicatorum vocatus Damianus, Doctor Pariſienſis, & Ticinenſis Academiæ Alumnus in publicis theſibus propoſuiſſet iſtam approbationem Innocentii (qui ſequitur S. Thomam, numquam à veritatis tramite aberravit, & qui non ſequitur ſemper fuit de veritate ſuſpectus) contra hanc theſim ſurrexit quidem Pater Ordinis Minorum vocatus Frater Samuel de Caſsinis in quodam opuſculo impreſſo Papiæ, &c. Sed contra hujus opuſculum ſurrexit Frater Vincentius Dodi Ordinis Pręedicatorum, ſcribens quæſtionem Apologeticam impreſſam Rothomagi, & ſparſam per totam Galliam. * Pergit adhuc loqui inquiens: * Patrem Samuelem de Caſsinis reclamaſſe impugnando illam clauſulam, quæ acrior videbatur, ſcilicet (& qui eam impugnavit ſemper fuit de veritate ſuſpectus) quam propter doctrinam Scoti fuiſſe poſitam, non eſt dubitandum, & ſic non erat mirum, quod Scotiſtę conarentur illam ſubvertere rationibus, cum non haberent, unde poſſent illam de falſitate convincere. * Quis non videat præfatum elogium jam illis temporibus altas fixiſſe radices inter eruditos Theologos; adeò ut nec conantes Schotiſtæ habuerint unde falſitatis convincere illud poſſent. Sed ò bone Deus! poſt tria ferè ſęcula Nodorum ſcriptor, ferè unicus audet prorſus fictum pronunciare, & à legitimis poſſeſſoribus furare! Sed bonas Deo gratias, quod depredatori incautè exciderit, unde ejus improbitas convincatur; juxta illud Tertulliani: *Et furibus ſolet aliquid excidere de præda in judicium.*

Nodo 4. §.1. pag. 356.

Tertullianus lib. 5. contra Marcion.

120 Ad noſtrum regredientes aſſumptum (ſi fortè declinavimus) dicere in primis convenit, nihil opponenti poſſe ſuffragari, quod authenticum originale laudatis ſermonis non extet: quia ignorare non poteſt fragmenta nonnulla, imò & libros ipſorum etiam Sanctorum Patrum non extare; qui tamen ab auctoribus laudantur de ſcriptoribus Eccleſiaſticis hiſtoriam adornantibus. Quid ergo mirum, ſi admittatur ſermo ille à graviſsimis & antiquiſsimis auctoribus non ſine laude memoratus? Quod autem ſupponit Nodorum ſcriptor: *Elogium illud omnibus incognitum, à Bandello primò vulgatum fuiſſe*; prorſus à veritate alienum eſt, contradicitque ipſi opponenti, ut oſtendit eruditus Piccinardus. Etenim Magiſter Capreolus, qui floruit ad annum 1415. indicat ſatis, dum approbatam fuiſſe recenſet doctrinam D. Thomę per Joannem XXII. Urbanum V. & multos alios Summos Pontifices. Deinde Jacobus Ægidius, qui floruit anno 1447. in opere de veritate Conceptionis hæc habet. * Innocentius Papa in ſermone Beati Thomę, qui incipit: Ecce plus quam Salomon hic, ita dicit: hujus Doctoris ſapientia præ cæteris, &c. * Id ipſum tradidit Gabriel Barleta, qui claruit ad annum 1471. Similiter Vincentius Dodi in Apologia ſupra citata 1470. Præterea Antonius Piſſamanus exhibens antiquum Officium feſti Sancti Thomæ, in quo Innocentii verba extabant, & modo leguntur. Ut videas abſque ulla veritatis apparientia poſſe affirmari, elogium illud à Bandello prius cognitum fuiſſe; qui Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter conſtitutus fuit poſt annos 1500. Inde quis non videat ſtandum non eſſe exiſtimationi laudati auctoris, quâ prædictum elogium deturbare nititur à poſſeſsione per plura ſæcula.

121 Etenim præter antiquiſsimos ſuprà laudatos auctores, adducere poſſumus Petrum de Vincentia, in Catena aurea Typis data anno 1494. & alios ſucceſsivè ſcribentes, quos hic recenſere (omiſsis Dominicanis) præſtat. Et imprimis Laurentium à Ponte Clericum Regularem, qui refert Lambertum de Monte in aſſumpti noſtri comprobationem illis verbis. * Hunc ſermonem, ut ab originali ſumptum tradit Lambertus de Monte in libris de Anima, Coloniæ Agrippinæ excuſis anno 1494. Et poſtea ſubdit: Hoc dixerim, ne quia adhuc ille non extet ſermo, aut non reperiatur, in dubium, quod certiſsimum eſt, alicui veniat. * Unde quidquid ſit de poſterioribus libri illius editionibus, in quibus fortè abraſum ſit integrum Innocentii elogium; ſtandum non eſſe, nullus non videt Alvæ criminationi. Et pręſertim cum (ipſo fatente) de D. Thoma hæc ſcripſerit laudatus Lambertus, in pręfatione ad libros Phyſicorum: *Eum inſpirante Spiritu Sancto ſcrip-*

Laurentius à Ponte Hom.13. in cap. 9. Sapientiæ referens Lambertum de Monte.

ſcripſiſſe: Inſupèr initio tractatus de generatione & corruptione vocatur *Sancti Thomę doctrina irrefragabilis, atque invictiſsima, quam Spiritus Sancti unctio potiùs, quam lectio; plus oratio, quam ratio docuit.* Tandem in prępfatione librorum de anima: Innocentii elogium, ſimul cum integra epiſtola Stephani Pariſienſis, cæteriſque approbationibus doctrinæ Sancti Thomæ, perlegitur. Nec mirum in Univerſitate Colonienſi extaſſe tempore Lamberti originalem illum Innocentii ſermonem: in illa inquam Univerſitate, in qua jam pridem eluxerat B. Albertus Magnus, doctrinæ Sancti Thomæ poſt ejus obitum ſtrenuus defenſator, ut apparet ex proceſſu Canonizationis. Pro eodem aſſerendo elogio conſpirant ſequentium temporum Scriptores frequentèr; Pater Salmeron, inquiens: *Beati Thomę Aquinatis libri, per Chriſti Vicarium Innocentium confirmati ſunt.* Similia habent Patres Ribadeneira, Bonifacius, Granados, Alamaînus, Thomas Pius à Ponte, & ex aliis Petrus Cabrera, Petrus de Valderrama, Thomas de Aquino Clericus Regularis, Baſilius Ponzius, Franciſcus Silvius, aliique plurimi apud ſæpè laudatum Piccinardum. Imò Religio D.Franciſci in ſuo memoriali reſponſivo juramento Salmantino, illis verbis: *Teſtimonium Innocentii veridicum eſt, loquendo de doctrina Sancti Thomæ in communi.* Et quidem integra Salmantina Univerſitas ſatis eſſet: in ſuo enim memoriali pro juramento, eadem Innocentii verba commendat. Et ideò ſinguli ſuccedentes per tempora Auctores elogium iſtud approbarunt ut certum, nulluſque ex aliis hucuſque (ante Pozam, aut Alvam) de eodem legitur dubitaſſe, ut non immeritò Xantes Mariales concludat: ✱ Uni ne Pozæ neganti præfatum ſermonem eſſe Innocentii, & ne vel unum ex ſuis ſocium ex nomine adducenti; an potius tot aliis graviſsimis teſtibus, totiuſque orbis conſenſui præfatum ſermonem, ut Innocentii, venerantibus ſtandum erit? ✱

Salmeron tom. 1. in Evang. Proleg. 18.
Apud Piccinar. tom. 2. q. 2. a. 2.
Memoriale pro juramento Salmant. §. 3. a. 3. num. 12.
Xantes Mariales in Proleg. ad Bibliothecam Thomiſtarum.

Exiles objectiunculæ diſſipantur.

122 Jam verò ad diſſolvenda jejuna ſatis objecta gradum facimus. Et imprimis: ſi Innocentio VI. laudatum elogium tribuere volumus, nihil eſt quod repugnet, quia Pontificem iſtum nullos edidiſſe ſermones, ſolus Alva pronuntiavit veritate hiſtoricâ repugnante. Nam ſi Joannes XXII. poſt Canonizationem Sancti Thomæ in ejus laudem aliquos habuit ſermones: ſimiliter & Clemens VI. ut ipſe Alva non inficiatur; neſcio unde auctor iſte affirmare poſsit Innocentium VI. Clementi VI. ſuccedentem (prædeceſſorum more) de Sancto Thoma ſermones aliquos non ediſſe? Quis enim credat Pontificem illum litteris additiſsimum, viros litteratos foventem, Claromontenſium Epiſcopum, Epiſcopali muneri non feciſſe ſatis? *Cum tamen prædicationis munus Epiſcoporum proprium ſit*, ut habetur in Concilio Carthaginenſi, Toletano, Tridentin. & aliis. Benè ergo Poſſevinus Nomenclator verbo *Innocentius VI.* Ludovicus Jacobus à Sancto Carolo Carmelita in ſua Bibliotheca Pontificia affirmant: aliquos fuiſſe editos ſermones ab Innocentio VI. Imò ipſe Alva fatetur: relatam approbationem doctrinæ Sancti Thomæ, ſe legiſſe in ſexaginta quinque auctoribus diverſis.

Odoricus Raynaldus ad annum 1352.
Concilium Carthag. 4. can. 20.
Toletanum 11. cap. 3.
Tridĕt. ſeſſ. 24. cap. 4. & ſeſſ. 5. cap. 2.
Poſſevinus lib. 2. fol. 101. & alii.
Raynaldus ad annum 1274.

123 Hac objectione in fumum abeunte, corruit & ipſa, ſi pro Innocentio V. proponatur (quem dati elogii auctorem fuiſſe mihi veroſimilium eſt) etenim Innocentius V. plures habuit ſermones in Concilio Lugdunenſi, ut ex actibus conſtat: erat enim pro tunc Cardinalis Oſtienſis, & præſertim concionem habuit in funere Cardinalis Bonaventuræ, aſſumpto themate ex 2. Regum 2. *Doleo ſuper te frater mihi Jonatha.* Ibidem etiam referente Odorico, ex mandato Gregorii X. Præſules Concilij pro anima ejuſdem Bonaventurę Miſſam unam celebrarunt, & alteram pro hiis, qui arrepto ad Concilium itinere, è vivis deceſſerant, ex quorum numero erat Sanctus Thomas. Circa illud etiam temporis Capitulum Generale Ordinis Prædicatorum in eadem Civitate Lugdunenſi celebrabatur, in quo memoratis Fratribus defunctis, quis dubitet eximiè commendatum fuiſſe Thomam Aquinatem ante paucos menſes defunctum; cum aliàs pręſcriptum ſit, ut ſinguli Sacerdotes Ordinis pro ipſo etiam D. Bonaventura, ſemel Deo ſacroſanctum Miſſę ſacrificium offerrent. Capitulo illi generali pręſes adfuit ipſe Innocentius V. tunc Petrus à Tarentaſia; *Curans aliquas fieri ordinationes: quæ coram Summo Pontifice, & Cardinalibus perlectæ placuerunt.* Attendat nunc lector, & judicet; an in illis circunſtantiis concionem ſaltem ad Patres Dominicanos habuerit Petrus à Tarentaſia in laudem Thomæ, qui in laudibus D. Bonaventurę coram Patribus Concilii maximè intonuit?

Auctor vitę Innocentii V. in Commentariis ejuſdem ad libros Sententiarum.

124 Petrus inquam ille ſanctitatis, doctrinæ, & beneficentiæ vinculo Thomę adſtrictus, Thomæ illi, qui in opuſculo ad Joannem Vercellenſem, tunc Ordinis Generalem, defendendos ſuſcepit, ejuſdem Petri à Tarentaſia articulos quoſdam malè à quibuſdam ſuſceptos. Petrus ille, qui audierat ſapientię Aquinatis à Pariſienſibus tunc editam approbationem apud Guilielmum Thocum, Humbertum, D. Antoninum, & alios, ſcilicet. ✱ Cum omnium concordavere ſententiæ quidquid Frater Thomas Doctor determinaret, & diffinitivè proferret hoc communis ſchola, inconcusè teneret, experti namque fuerant in aliis de eodem, quam ipſe ſubtiliùs in omni genere veritatem attingeret, & eam clariùs edoceret. ✱ Petrus ille tandem, qui pręter Commentarios in ſententias, ac pleroſque in Scripturam, cum Trithemio enumeratos à Plodio: *Scripſit etiam compendium, in quo breviter reſtrinxit doctrinam Sancti Thomæ*, ut loquitur idem Plodius, & ante Plodium, Sixtus Senenſis ait: *Omnia opera D. Thomæ in epitomem redegit.* Et ante Senenſem Leander Albertus inquit: ✱ Strictim dicti Thomæ Aquinatis doctrinam com-

Thocus in vita S.Thom. cap. 9.
Umbertus ſimiliter cap. 53.
S. Antoninus tit. 23. cap. 7.
Plodius lib. 4.
Sixtus Senenſis lib. 4.
Leander lib. 3. de Innocĕtio V.

plexus eſt. Quare epitomate uno, ferè omnia ejus ſcripta comprehendit; maximus enim fuerat propugnator, & aſſectator ipſius doctrinæ, qua apprimè delectabatur, ejus etiam conſuetudine, dum in humanis, plurimum uſus. ✱ Sed advertere quam maximè convenit (pro rejiciendo motivo, quo ducitur Poza) non dixiſſe Innocentium V. *Hujus Sancti, ſed hujus Doctoris ſapientia*; quia ſcilicet adhuc non erat canonizatus D. Thomas, & nihilominus de ipſo concionem habere potuit, ſicut habuit de Sancto Bonaventura. Sed audiatur iterum Jacobus de Viterbo, de S.Thoma paulò ante defuncto: verba Innocentii quaſi ad ſenſum æquivalentem indicans, ita enim in proceſſu Canonizationis legitur: ✱ Nulli ſibi attribuant, vel adſcribant in ſacra ſcientia aliquid plenè ſcire, niſi qui ſequuntur, & inhærent ſcientię & ſcriptis Fratris Thomæ de Aquino. ✱ Audis?& rurſus idem dixiſſe memoratur: In Fratris Thomę ſcriptis communis veritas invenitur, communis claritas, communis illuminatio, communis ordo, & doctrina certò perveniendi ad perfectam intelligentiam. Et tandem Ægidius Romanus dixiſſe laudatur frequenter Pariſiis: Si Fratres Pręedicatores voluiſſent, & non communicaſſent nobis ſcripta Fratris Thomæ, ipſi fuiſſent ſcientes, & intelligentes, nos verò idiotę &c. Euge gratiæ ſint Deo, qui non permiſit hæc, & hujuſmodi elogia doctrinę Sancti Thomæ poſſe ſimiliter dici conficta à noſtris, cum in authĕtico apud Bollandum Canonizationis proceſſu legantur. Quare igitur ejuſcemodi pariter verba in pręedicto Innocentii elogio, peculiariter adeò Alvæ inviſa fuere, *ut in probabilia, & à Dominicanis prorſus ficta*, dicantur?

Viterbius in proceſſu Canonizat. S.Thomæ cap. 2. & 9.
Ægidius Rom. ibidem.

125 Omittere tamen non poſſumus, Petrum de Alva, ut de falſitate convincat Dominicanos, referentes ſæpè laudatum Innocentii elogium, gloriabundum exultare, quod ſermo *Ecce plus quam Salomon*, editus fuerit à Clemente VI. in laudem Sancti Thomæ. Quinimo in hoc ſermone Clementis VI. elogiū illud formaliter non reperiri. Sed demus adverſario prædictum ſermonem re ipſa Clementis VI. fuiſſe; quia jam inde apparebit doctiſsimum hunc Pontificem, aliàs ſupra in commendatione doctrinæ D. Thomæ laudatum, profuſiori ſtylo D.Thomæ doctrinam magnificaſſe, dum non ſolum coęquavit, ſed prætulit Salomoni Thomam noſtrum, inquiens inter alia: *Beatus Thomas erat omnium virtutum Patronus :: Audacter dico, quod iſte præceſsit ſapientiâ omnes, qui fuerunt ante eum, imò & poſt eum in Univerſitate iſta Pariſienſi :: Clara enim, inter omnes doctrinas, iſta eſt magis clara: Habet quatuor conditiones conformes cum doctrina Salomonis; prima eſt, quod habet certitudinem exiſtentiæ & veritatis. Secunda, pulchritudinem evidentię & claritatis. Tertia, plenitudinem affluentiæ & utilitatis. Quarta, latitudinem continentiæ & univerſitatis. Eſt enim vera ſine contagio falſitatis, clara ſine tędio obſcuritatis, fructuoſa ſine vitio curioſitatis; copioſa ambitu ſuę generalitatis.* Subdit etiam, *unde poteſt dici illud Joannis 17: ſermo tuus veritas eſt, hanc veritatem eme, & noli vendere ſapientiam &c. ne ſis de numero illorum, quos Apoſtolus vocat ſuperſtitioſos, qui non vacabant, niſi audire aut dicere aliquid novi, Actorum 17. Hæc ergo doctrina, chariſsime, non recedat ab ore, non recedat à corde, quia ipſam certè ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris, ipſi ſtudens ad veritatem pervenis.*

D. Thomam Salomoni pręetulit Clemens VI.

Petr. de Clerq. in ſua pro S. Thoma orat.

126 Sed non habet inde (admiſſa illa hypotheſi) adverſarius falſitatis arguere Auctores, qui ſubjectum antea elogium Innocentio tribuunt: nam expreſsè diſtingunt ad invicem, & ſermonem Clementis proximè indicatum, & Innocentii à nobis adducti. Ut in Lamberto de Monte notat ipſe Pater Alva; ſimiliter diſtinguit Franciſcus Silvius. Præterea nihil prohibet affirmare ſermonem illum ſub eo themate: *Ecce plus quam Salomon*, reipſa tribuendum eſſe Innocentio, quamvis repertum ſit in manuſcripto continente ſermones Clementis VI. ut rectè obſervat Piccinardus. Nobis autem ſat eſt indicare, in eo volumine inveniri, poſt ſermonem de Sancto Thoma ſermonem alium in tertia Dominica Adventus, cum hoc titulo: *Sermo quem feci ego Petrus Rotomagenſis Archiepiſcopus Biſuntinus in Domo Pręedicatorum anno Domini* 1334. Etamen Clemens VI. nec fuit Patria Rotomagenſis, nec Archiepiſcopus Biſuntinus, ſed fuit Petrus Rogerius Patria Lemovicenſis.

Piccinard. lib. 3. q. 2. ar. 2.

127 Laudatum Innocentii elogium, illud evincit, quod doctrinæ D. Thomę magnus honor debitus ſit & reverentia; adeò ut licet ſequi poſsit opinio oppoſita S. Thomæ, nulli tamen licet ab ea recedere cum irreverentiâ vel contemptu: quia hoc *in Eccleſiam redundaret*, inquit Joannes à Sancto Thoma: atque adeò meritò P. Vazquez ajebat: ✱ Verum enim verò video aliquos, qui data opera Sancti Thomæ doctrinam refellere nituntur, & tunc demùm glorioſum aliquid feciſſe arbitrantur, cum aliquid contra ipſius ſententiam, quam Theologi meritò ſuſcipere debent, pronuntiaverint. Hi ſanè, non levi reprehenſione digni ſunt, & eos veritatis cognoſcendæ viam ſibi ipſis, præcludere dubium non eſt. ✱ Ad præcavendam in ſuis ſimilem irreverentiam, Societas ipſa Jeſu in quinta jam laudata Congregatione generali can. 41. ita decrevit: ✱ Neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, niſi qui Sancti Thomæ benè affecti fuerint, qui verò ejuſdem Auctoris parùm ſtudioſi, vel etiam ab eo alieni ſunt, à docendi munere repellantur. Itidem de Sancto Thoma numquam loquantur non honorificè libentibus illum animis, quoties oporteat ſequendo, aut reverenter, & gravatè ſi quando minus placeat deferendo. ✱

Joann. à S.Thoma art. 3.
Vazquez tom. 1. in 1. p. diſp. 3. cap. 4. n. 7.

Non licet à doctrina Div. Thomæ cum irreverĕtiâ, & contemptu recedere.

128 Hinc videat lector, noſtro non eſſe in animo Theologos vel minimè taxare, qui ex-

extra ſcholam D. Thomæ incedentes à ſententia S. D. recedunt, ea quæ SS. PP. & Eccleſiæ Doctoribus debetur reverentia. Vellem tamen eos Theologos audire P. Alfonſum Deza apud Nierembergum admonentem. ✱ Nullus audere debet D. Thomæ doctrinam impugnare, niſi habeat ingenium, memoriam, & orationem, quibus Doctor S. fuit præditus. ✱ Sed quis eſt hic, & laudabimus eum, tanquam in vita, & doctrina mirabilem? Ea propter laudatus P. ſi quandoque aliqua non intelligere in Doctore Angelico humiliter judicabat, non minus humili obſequio ajebat. ✱ Fateor ò Doctor Sancte, te verum dicere, quamvis ego non intelligam. ✱

P. Nierembergus tom. 4. in P. Alfonſo Deza.

Mag. Arriaga in vita S. Thom. lib. 2. cap. 12. n. 17.

129 Nec ſolum ſanctiſsima, & ſapientiſsima Societatis Religio ab incunabulis Angelicę doctrinæ lacte enutrita, debitum honorem communi Scholarum Magiſtro deferendum curavit. Sed etiam Seraphici Franciſci, humilitate & paupertate glorioſa familia, numquam ſuis permiſit contemnere, aut irreverenter tractare doctrinam Sancti Thomæ: In Capitulo enim Generali celebrato Mediolani anno 1278. (quatuor dumtaxat elapſis ab obitu Sancti Doctoris annis) ✱ Diſtinctè injunctum fuit Fratri Raymundo de Medullione, & Fratri Joanni Vigoroſo, quod cum feſtinatione vadant in Angliam, inquiſituri diligenter ſuper facto eorum, qui in ſcandalum Ordinis, de ſcriptis venerabilis Fratris Thomæ de Aquino obloquuntur. ✱ Et in ſubſequenti Capitulo 1313. ordinatione octava dicitur: ✱ Item cum doctrina venerabilis Doctoris Fratris Thomæ de Aquino ſanior, & communior reputetur, & eam Ordo noſter proſequi teneatur, inhibemus diſtrictè, *quod nullus frater, &c. audeat aſſertivè tenere contrarium ejus, quod communiter creditur de opinione auctoris prędicti, &c.* ✱ Inde ut benè notat Joannes à Sancto Thoma: ✱ Quamvis ſubtiliſsimus Scotus ante Canonizationem D. Thomæ ſcribens, in multis D. Thomæ doctrinam impugnaverit, ſed hoc cum magnâ modeſtiâ & nullâ irreverentiâ, ſolâ diſputatione, nullis aliis verbis agens. ✱ Et quidem quomodo reprehenſione non levi digni non erunt, qui D. Thomam inter Doctores, & Patres Eccleſiæ meritò repoſitum, irreverentèr conſpiciant? An non graviter ſine dubio objurgandus eſſet diſcipulus irreverenter Præceptori inſultans, & filius Patri. Nonne inconſimiles replicaret ea ſua verba Petrus venerabilis Epiſtola contra Petrobuſiam? *Audite quicumque talium aliquid animo verſatis, audite magnos Sanctos, & poſt Apoſtolos, & Prophetas* (Corinth. 1.) *Præcipuos Doctores Eccleſiæ, & ſi filii eorum eſtis, Patribus, ſi Diſcipuli, Magiſtris acquieſcite, nec quamlibet ſubtiles intellectûs veſtros præpoſtero ordine velitis eorum ſenſibus anteferre: quia ut veritas ait; perfectus omnis erit, ſi ſit ſicut Magiſter ejus.* Hinc nec mirandum ſanę, in hoc ſenſu Capitulum Generale Romæ 1629. (præmiſſo Brevi Urbani VIII. laudantis tunc zelum Magiſtri Generalis Rodulphii) commiſsione 4. *Commiſiſſe eidem Reverendiſsimo, ut curaret debitum honorem S. Thomę doctrinæ adhibendum, & ut Patres Inquiſitores invigilare, & in hujuſmodi delinquentes animadvertere ſtuderent, enixè rogaviſſe,* ut legitur ibidem.

Capit. Generale S. Franciſci anno 1278.

Joannes à S. Thom. art. 3. concluſ. 3.

Capit. General. Dominicanorū 1629. commiſſione 4.

130 Præterea quis poſſet ſine offenſione audiri in republica ſęculari, ſi ex pravo affectu arma moliretur evertere aut floccifacere, quibus de hoſtibus triumphavit; cum ergo D. Thomæ ſcripta arma ſint, clypeus, quibus Eccleſiaſtica reſpublica ſeu Eccleſia, fidei hoſtes diſsipavit; certè non poſſunt (ſine gravi nota) ſcripta D. Thomæ flocciferi & contemni: aliàs ipſis improbare poſſemus illud D. Proſperi: *Cur de iis armis, quibus communis fides eſt defenſata, cauſantur? Cur bellum confectum retractant, ac munitiones ſecuræ dudum pacis infirmant?* Imò (quis dubitet) contemptum, & irreverentiam erga doctrinam D. Thomæ quodammodo redundare in Eccleſiæ contemptum, ut bene arguit Joannes à Sancto Thoma; inquiens: ✱ Eccleſia univerſalis orat ut Deus det ſibi intelligere ea quæ docuit Sanctus Thomas; ergo ſi contemnimus, aut irreverenter loquimur de iis, quæ docuit Sanctus Thomas, &c. irreverenter tractamus id, quod tam anxiè Eccleſia poſtulat à Deo: ergo hoc in injuriam cædit Eccleſiæ, quæ ſibi ut firmiſsimum propugnaculum contra hæreticos ponit doctrinam D. Thomæ, ideoque eam intelligere poſtulat à Deo. ✱

D. Proſper in Collatorem cap. 1.

Joannes à S. Thom. ubi ſupr.

131 Et quid ſi alicui non facilè hoc perſuaſum fuerit? Negare tamen non poſſet irreverentiam doctrinæ D. Thomæ, viam parare ad gradatim contemnendos reliquos Patres, imò & Pontifices electivè approbantes eam doctrinam. Exemplum cum Sancto Dorotheo ita ſubjicio: *Fuit* (inquit) *quidam frater, qui cum aliquando quiſquam boni quidquam prædicaret, ſtatim reſpuebat eum dicens: Quis eſt iſte, non eſt qui momenti ſit alicujus niſi Zoſimus, & qui cum eo ſunt. Poſt cępit & hunc contemnere, ac nihil pendere dicens: Nemo eſt, qui quidquam valeat pręter D. Macarium: At non multo poſt ait; quid eſt Macarius? Nullus quidpiam eſt præter Baſilium, & Gregorium. Et paulò poſt cępit & hos teruntii facere dicens; quid eſt Baſilius? Quid Gregorius? Nemo quidquam valet niſi Petrus, & Paulus. Cui ego dixi: Frater & hos etiam contemnes. Credite mihi, non mentior: non multo poſt dicere cępit: quid eſt Petrus? Quid eſt Paulus? Nemo alicujus momenti niſi Sancta Trinitas. Poſtmodum vero, & contra Deum ipſum ſuperbire cępit & inſoleſcere.*

S. Dorothæus ſerm. 7.

132 Hæc cum ita ſint, quid reſtat dicendum, ſi nihilominus ſuperſtites ſint aliqui, quibus doctrina D. Thomę parum arridet, certè reponendum eſt quod antiquiſſimus auctor in ejus vita (apud Bollandum) profert: ✱ Hic ipſe Thomas, eſt veluti Moyſes, cui de rubo Dominus loquitur, & hic quaſi Deus loquutus ei fuerit edocetur, & ideò miſſus ad Fratres ſuos, non ſine ſignis admirandis, & prodigiis ductor populi delegatus: Hic eſt Moyſes, cujus ex divini ſermonis conſortio facies ſplendens efficitur, ut non poſſent filii Iſraël, niſi velatis vultibus, in illum aſpicere, quem Deus prę aliis decreverat illuſtrare, ut dum odio quorumdam facies velatæ permanent, ad hujus Doctoris intelligentiæ faciem, aut cęcâ æmulatione, aut ignorantiæ tenebris obſcurati eorum aſpectûs, non pertingant. ✱ Ad calcem omittere non poſſumus nihil contemnentibus doctrinam D. Thomæ prodeſſe poſſe effugium illud, quod D. Thomas in ſcribendo, & ipſe homo fuerit. Imò timere poſſunt, quod in Bulla Canonizationis habetur. ✱ Alius dum non devotè de Sancto Thoma ſentiret, virtutem Dei in Sancto in ſe duplicem eſt expertus; infirmitatis, dum contemnit; ſanctitatis dum à contemptûs culpâ diſceſsit; nam cum ſibi devotionis causâ à quodam Capellano plures venerandę reliquiæ monſtrarentur, ipſe quoque oſtenſor pretioſiores adhuc ſe habere reliquias, videliſcet manum Fratris Thomæ de Aquino fateretur, illicò hunc deriſoriè de iis triumphantem, cum eas videre non curaret dicens: Sanctus non eſt, ſed quidam Ordinis Prædicatorum Frater, tremor eum apprehendit, & caput ejus ad modum magnæ ciſtę groſum, & valde ponderoſum ſibi eſſe videbatur. Sed infirmitate correptus & pęnitens, ſimulque de ſuâ incredulitate dictiſque deplorans, dum veniam à Sacerdote petitam obtinuit, reverenter manum ejus Sancti deoſculans, confeſtim à tremore, & inflatione capitis liberatus evaſit, ſenſitque progredientem, & retulit maximum ex dicta manu ſuavitatis odorem; qui odor cum ipſius curati capitio, perſonæ quæ ex tactu manus ejuſdem per magnum tempus inhæreret, multis eundem poſtmodum percipientibus, ſciſcitantibuſque, quid eſſet, hoc ſigno narrare quod acciderat (etſi nollens) miraculum cogebatur. ✱

Tocus apud Bollandum.

In Bulla Canonizationis.

ARTICULUS VIII.

Cęlicolas memorans cęlicolarumque Dominum & Dominatricem, D. Thomæ cęleſtem commendantes doctrinam.

133 SANCTOS hucuſque dedimus doctiſsimoſve viros in commendanda D. Thomæ doctrina conſpirantes: Summoſque Paſtores Militantis Eccleſiæ. Nec mirari quiſque habet, ſi univerſam Chriſti Eccleſiam intueatur, illius doctrinæ nedum ſuffragantem, ſed illius etiam amore illectam. Publicam namque Eccleſiæ orationem, quam in feſto D. Thomæ ad Deum fundit, mirari nos cogit, quod Eccleſia ſub cęlo toto doctrinæ ejus intellectum vel intelligentiam depoſcit: *Da nobis* (inquit) *& quæ docuit intellectu conſpicere, & quæ egit imitatione complere.* Orationes Eccleſiæ tanti fecit Auguſtinus, ut ex iis neceſsitatem orationis inferat, quia nefas eſt orationes Eccleſiæ credere perfunctorias. Eccleſia porrò veritatem, & charitatem in omnibus orationibus ſuis depoſcit. Falſitatem Eccleſia vera à Deo vero poſtulare non poteſt. Vide ergo quanti ea doctrina facienda ſit, pro qua intelligenda Deum ſolemnibus ſuis precibus Eccleſia exorat: ergo dum Eccleſia pro Angelici Doctoris intelligenda doctrina deprecatur, ipſa filios ſuos operam navare exoptat, ut eâ tanquam ſpirituali pabulo nutriantur, ut in Seraphica Tereſia impletum credimus. Judicatque etiam verum Scripturarum ſenſum, germanam Orthodoxæ Religionis fidem, & ſolidam Catholicorum dogmatum defenſionem, ejus è libris ſecurè hauriri, cujus intelligentiam enixè à Deo ſupplicat.

Eccleſia in Oratione pro S. Thoma.

134 Conſpeximus novam Civitatem Jeruſalem deſcendentem de Cęlo in comprobanda doctrina, morumque caſtimonia D. Thomæ occupatam. Quid ergo reſtat niſi animum attollere ſurſum, accedentes ad *Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Jeruſalem cęleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cęlis, & judicem omnium Deum; & ſpiritus juſtorum perfectorum, & Teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem, melius loquentem, quam Abel.* Inde enim, unde juſtitia & veritas emanant perenniter elogia D. Thomæ ejuſque doctrinæ mirabiliter inſonant. An non Angeli ipſi in adjutorium Angelo noſtro angelicè ſcribenti advenerunt? Ita ſe vidiſſe teſtatur Doctor

Ad Hebręos 12. à v. 22.

ctor Seraphicus dum ſui amiciſsimum Thomam, de Euchariſtiæ Sacramento ſcribentem inviſit? Atque eorum Spirituum frequenti cum fuerit converſatione ſuaviter potitus, meritò cecinit eruditus Labbæus.

D. Thomas Angelorũ aſſiſtentia donatus.

Angelorum diſcipulus, & penè æmulus fuit.
Multa ab Angelis didicit, quædam Angelos docere potuit.

Sivè ut ſecurius cum Eccleſiâ in Officio Dominicano canere poſſumus:

Fęlix Dr. cujus ſolatio Angelorum ſervit attentio.

Jam deinde primitivos, qui conſcripti ſunt in cęlis, D. Thomæ doctrinam audiamus commendantes. Loquatur imprimis addictiſsimus ille Thomæ diſcipulus Frater Romanus. Mox in cęlum vocatus, ipſique apparens propheticis illis verbis: *Sicut audivimus ſic vidimus*, veluti cęleſti calculo doctrinam firmans D. Thomæ circa profundas in viſione Dei viatoribus exurgentes difficultates; ut dicamus:

In Proceſſu Canonizationis.

Doctrina D. Thomæ cęlitus probata à diſcipulo cęlos conſcendente.

Aut ſcivit in via, quod videtur in Patria.
Neque aliud ſupereſt, niſi lumen gloriæ poſt Summam Thomæ
De Deo loquitur, quaſi vidiſſet.

Magnum præterea Auguſtinum cęlicolam, Div. Thomam ejuſque doctrinam mirificè collaudantem damus in apparitione facta Fratri Alberto de Brixia, in vita & poſt mortem miraculis claro. Illius viſionis teſtes ſunt antiquiſsimi vitæ S. Thomæ ſcriptores: Imò in proceſſu Canonizationis juridicè deponitur. Ibi enim Frater Antonius de Brixia Sacerdos & Frater Jaminus de Brixia ſocius ſeu condiſcipulus adjurati per nomen Dei ſubjectam atteſtationem B. Alberti de Brixia, ex auditu depoſuerunt. * Ego ſequutus ſum in omnibus doctrinam Fratris Thomæ de Aquino, & frequentèr admiratus ſum quomodo potuit in tam parvo tempore, quo vixit, ad tantam ſanctitatem & ſcientiam pervenire. Unde cum ſuper hoc mirabili Deum, Beatam Virginem & Beatum Auguſtinum frequentius exoraſſem, ut oſtenderetur ejus gloria, quam habebat: quadam vice me in oratione projeci ante Altare Beatæ Virginis, & cum intentiùs cum lachrymis diù exoraſſem, vigilanti mihi in oratione apparuerunt duæ reverendæ perſonæ cum ſplendore mirabili, & ornatu, quarum una Mitram portabat in capite, alia erat in habitu Ordinis Fratrum Prædicatorum, &c. (Et diſcripto ornatu præſertim iſtius ſecundæ, ſic pergit.) Tunc ille, qui Mitram geſtabat, oranti reſpondit: quid Frater Alberte ſic admiraris? Exauditæ ſunt preces tuæ, & ecce nunc manifeſto tibi, quod ego ſum Auguſtinus Doctor Eccleſiæ, qui miſſus ſum ad te, ut tibi indicarem doctrinam & gloriam Fratris Thomæ de Aquino, qui mecum eſt. Ipſe enim eſt filius meus, qui doctrinam Apoſtolicam, & meam in omnibus eſt ſequutus, & Eccleſiam ſuâ doctrinâ illuminavit, &c. Et mihi in gloria eſt æqualis excepto, quod ipſe in virginitatis aureolâ me excedit, &c. Hæc ibi. *

Ubi ſupra cap. 7. n. 66.

Auguſtinus Thomæ ſibi addictiſsimi doctrinam mirè collaudat.

135 Imò infra in eodem cap. ejuſdem proceſsûs deponitur altera ſimilis revelatio facta Domino Gratia de Brixia Ordinis S. Benedicti, qui erat homo magnę ſanctitatis & ſcientiæ, & imitator doctrinæ Fratris Thomæ, exiſtens juxta Eccleſiam S. Clementis de Brixia, & dixit, &c. *Ego vidi, & Deus mihi revelavit, quod Beatus Auguſtinus, & Frater Thomas ſub eodem jugo, erant ambulantes in gloria Paradiſi.* Quid dicere habeant in hoc aſſumpto D. Thomæ doctrinam adverſantes neſcio: hoc autem ſcio, quod Eccleſia ita habet in Officio Ordinis Prædicatorum per Clementem VIII. approbato: *Sertum geſtans cum torque duplici, cappa gemmis ornata cernitur, ex monuli fulgoris cęlici lux emiſſa mundo diffunditur: Auguſtinus Fratri ſic loquitur: Thomas mihi par eſt in Gloria, virginali præſtans munditia.*

Ubi ſupra n. 67.

136 Non mirum igitur præjactum elogium nedum in Officio Eccleſiaſtico legi, verum in D. Antonino, & paſsim in aliis, ut Bollandus loquitur. Hinc Abbas Trithemius verbo *Thomas* appellat *alterum Auguſtinum*. Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſub eadem *voce* inquit: Thomas de Aquino; *ita ſapientiſsimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem ejus, & omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, ut juxta Pythagoræ Metempſichoſin, communi doctiſsimorum adagio jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam.* Deinde Pater Suarez hæc ſcripſit: *D. Thomas ſicut in explicandis cæteris fidei myſteriis Scholaſticis Theologis antefertur, & primis Eccleſiæ Patribus comparatur, ita in illuſtrandis difficillimis de gratia & libero arbitrio controverſiis, ipſi Auguſtino eum ſupparem reputamus.* Tandem ut alios omittamus Joannes Caramuel pro theſi ſtatuit: *Thomas Auguſtini fideliſsimus interpres eſt, ut quod contra Thomam eſt, Auguſtini non ſit.*

Bollandus ad cap. 4. Thoci in vit. D. Thomæ. Trithemius verbo Thomas, *& Sixtus Senenſis.*

Suarez Prolegom. 6. de grat. cap. 6.

Caramuel in Theologia fundamentali cap. 1. fundam. 1.

137 Angelico Thoma, ejuſque cęleſti doctrina per Auguſtinum cęlicolam commendata, conſpicere eſt diſcipulum à Magiſtro laudatum, diſcipulum inquam non ſupra Magiſtrum; illi enim non parum glorię affulget ex eo quod ſit ſicut Magiſter. Reliquum ergo eſt Parentem audire dilectiſsimi filii doctrinam extollentem, Seraphicum namque Patriarcham Franciſcum filiali affectu Thomam noſtrum proſequentem, quia magni Dominici generoſam prolem. Igitur rem ita narrat Bernardus Guidonis Epiſcopus Lutevenſis. * Frater Eleutherius Ordinis Fratrum Minorum, cum eſſet in quadam quæſtione perplexus & in libris Sancti Thomæ negligeret quærere veritatem devotè oravit, & Dominum, & Sanctum Franciſcum, ut ſibi veritas panderetur: & ecce vidit ibi in-

Seraphicus Franciſcus Thomæ doctrinam numquam deficiẽdam pronuntiat.

Bernardus Guidonis p. 3. miraculorum cap. 98.

vi-

viſione Sanctum Franciſcum, & Sanctum Thomam de Aquino cappâ ſtellis ſplendidis ornatâ indutum, & ſuper ipſos Virginem Matrem Dei cum filio, duas coronas ſplendidas tenentem, & ſuper ipſorum capita imponentem; cumque tali viſione plurimum delectaretur, audivit Sanctum Franciſcum dicentem ſibi :: Crede huic (oſtendens, & indicans Sanctum Thomam) quia ejus doctrina non deficiet in æternum. Qui evigilans, & ſcripta Sancti Thomę legens, de dubio ſuo certificatus extitit, cognitâ veritate. Prædicta Frater ipſe Eleutherius pluribus enarravit, ſub fide aſſerens eſſe vera. *

138 De hac revelatione dubitat Vvadingus celeberrimus Annalium Ordinis Minorum ſcriptor; eo præſertim, quod revelatio illa uſque ad annum 1620. latuit. Ut omittamus utrumque Petrum de Alva, & Valleclauſa; ſed immeritò admodum, quia præter Baſilium Ponzium, Joannem à Jeſu Maria, Doctores Salmanticenſes in Apologia, alioſque innumeros, veritatem pręjactę revelationis firmavit Magiſter Gonet. Nec de ea prudenter dubitare ſinit Joannes Bollandus in tomo primo Martii ad diem ſeptimum, oſtendens, vitam Sancti Thomę, ex qua deduximus illam revelationem, ſcriptam fuiſſe ab anno 1324. circa tempus Canonizationis Sancti Thomæ. * Præmittit enim pag. 655. „Bernardum Guidonis, &c. „Epiſcopum Tudenſem in Galletia; deinde „anno 1324. conſtitutum in Gallia Narbo- „nenſi Epiſcopum Lutevenſem, mortuum „fuiſſe 13. Decembris anno 1331. * Hujus calamo (ſubdit) habemus conſcripta acta Sancti Thomæ duobus libris, quorum primus continet geſta ejuſdem Sancti, &c. Liber ſecundus continet miracula, à nobis in tres partes diſtincta, &c. Reperiuntur dicta acta in Bibliotheca Vaticana codice 1218. Extant eadem manuſcripta in Collegio Pictavienſi Societatis Jeſu, & in Cœnobio Pariſienſi Canonicorum Regularium Sancti Victoris, & in Bibliotheca Pragenſi Eccleſiæ Cathedralis, &c. Eadem denique acta, ſed ordine narrationis ſub inde mutato, ac non nullis ultima parte omiſsis miraculis, habemus ex codice manuſcripto Rubeæ Vallis propè Bruxellas, qui prima pars hagiologi inſcribitur. *

Bollandus ex laudato Guidone.

139 Hujus Bernardi ſcripta nedum in aliis Bibliothecis, ut oſtendit Magiſter Gonet; ſed etiam in Bibliotheca Vaticana aſſervantur, ex qua Bollandus vitam illam Sancti Thomæ typis dedit. Ex eiſdem codicibus revelationem memorat noſter Paulus Frigerius in vita Divi Thomę. Hæc omnia ſi ad manum habuiſſet eruditus Vvadingus, nihil certè in noſtro aſſumpto dubitaſſet: quippè qui loco ab adverſariis adducto fatetur: quod ſi Scotiſtæ omnium dubiorum ſolutionem in Scoto non habent, ut conſulatur Divus Thomas libentèr admittit; ſubjungens: *Diffuſius enim, clariùs, copioſiùs, frequentiorum quæſtionum partitione divinam moralemque tradidit ille diſciplinam.*

140 Reſtat proinde ex cęleſtis Jeruſalem Civibus Petrum & Paulum memorare; vel Sanctum Vincentium Ferrarium ita loquentem audire: *Apparebant ei Angeli, Sanctique Apoſtoli Petrus & Paulus.* Refert etiam Divus Antoninus. Imò & Clemens VIII. poſt laudatos Sancti Thomæ libros ſubjungit: *In quibus conſcribendis, interdum Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locoſque quoſdam Dei juſſu enarrantes habuit.* Et quod caput eſt, Eccleſia canit: *Scholas Thomæ Paulus ingreditur, ſacra ſimul fantur myſteria, dignè tandem per raptum trahitur, vir cęleſtis ad cęli præmia ::: Petrus, Paulus favent obſequio.* Eandem apparitionem non ſolum ex Bernardo Guidonis, Guilielmo Thoco, aliiſque antiquiſsimis vitæ S. Thomæ Scriptoribus damus; ſed etiam ex Proceſſu Canonizationis, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt. Inde in præſentiarum notatum dumtaxat volumus: oracula Eccleſiæ Summi Pontifices ſatis indicare multotiès fuiſſe Doctorem Angelicum Apoſtolorum Petri & Pauli converſatione petitum.

D. Thomas Apoſtolos habuit Petrum & Paulũ inſtructores.

S. Vincentius Ferrar. ſerm. de S. Thoma.

Clemens VIII. in laudata Bulla.

In Officio Dominicano.

In Proceſſu Canonizationis.

141 A cęlicolis ad cęlorum Reginam, omniumque dominatricem Mariam, tempus eſt jam aſcendat encomiaſtica noſtra oratio. Si enim Thomæ vix unius anni puerulo, è cęlis Regina ſapientiæ ſalutationem angelicam ſcriptam miſit (ſi Divo Vincentio Ferrario credimus) ut illius divinæ doctrinę lactè (ſi ita licet dicere) nutriret: quid mirum, ſi *aliud grande prodigium Divi Thomæ ſocius Beatus Raynaldus de illo retulerit :: quod Beata Virgo glorioſa Mater Dei ei apparuit, quę ipſum certificavit de vita ſua, & ſcientia.* Si autem tantæ dignationis Matris ad Filium ſuſpectos forsàn teſtes, judicat Pater Alva Sanctum Vincentium Ferrarium aſſerentem: *Aliquando ipſiſsima Dei Mater cum filio apparebat ei, illumque de veritate inſtruebat.* Sanctum Antoninum, Venerabilem Seraphinum à Porrecta, Franciſcum Sylvium, Patres Granados & Coſmam Alamanium, Bollandum, alioſque plurimos, Eccleſiam audiat in Officio Dominicano canentem: *Dei Mater mulcet elogio.* Addeat etiam antiquiſsimos vitę Divi Thomæ Scriptores apud laudatum Bollandum, Guilielmum ſcilicet Thocum ipſius Sancti Thomæ auditorem, Bernardum Guidonis, citatum Raynaldum, ipſum proceſſum Canonizationis, & alia inſuper antiqua monumenta; ut inde convincatur Pater Alva, non ab anno 1475. aut 1419. revelationem illam atteſtatam fuiſſe, ſed per integrum antea ſæculum cum dimidio.

B. Virg. Maria Thomam de vitâ certificavit, & doctrinâ.

S. Vincentius Ferrar. ſerm. de S. Thoma.

B. Raynaldus, Thocus, Guidonis, in Proceſſu Canonizationis

In Officio Dominicano.

142 Divinam Matrem cum Filio, & Filium divinum cum Matre, dilectum Thomam erudientem admiravimus. Jam igitur mediatorem novi Teſtamenti Jeſum melius loquentem, quam Abèl audiamus, ex Cathedra Crucis Doctoris noſtri doctrinam approbantem, bis, & iterum. Triplex inquam circumfertur approbatio iſta: primùm Pariſiis,

Crucifixi trina voce benè probatur Thomæ doctrina.

riſiis, dum ſcilicet de Sacramento Euchariſtiæ ad Pariſienſium inſtantiam ſcripſiſſet. Deinde, in Civitate Ubertana, ubi Officium Corporis Chriſti ex mandato Urbani IV. abſolverat anno Domini 1264. Tertiò tandem: cum poſtremæ parti Summæ Theologiæ morti proximus inſudaret, ſeu ut addit Bieſcas: cum Neapoli diſceſſurus erat ad Lugdunenſe Concilium. Scio equidem Petrum de Alva (poſt Joannem Launoi, damnatæ doctrinæ Auctorem) concludere: Hanc hiſtoriam de Crucifixo loquente Sancto Thomæ Neapoli (etſi pia vocetur à Beato Pio V.) piam quidem, non tamen veram, ſed falſam & ſuppoſititiam eſſe. Sed ò ingens temeritas! Rejicere traditionem illius hiſtoriæ, quam acceptavit Eccleſia, ſummoque honore venerata eſt; quamque nedum in Breviario Ordinis Prędicatorum, ſed in Breviario Romano, univerſo Chriſtiano Orbi ita propoſuit: *Neapoli cum ad imaginem Crucifixi vehementiùs oraret, hanc vocem audivit: Bene ſcripſiſti de me Thoma: quam ergo mercedem accipies? Cui ille: non aliam Domine, niſi te ipſum.* Hiſtoriam illam ab Urbano V. jam indicatam; & à S. Pio V. in Bulla, *Mirabilis Deus*, ad totam Eccleſiam directa, mirificè commendatam; dum indulgentiam conceſsit viſitantibus Altare in Eccleſia Sancti Dominici Neapolitani ſitum: in quo ſcriptoris Angelici doctrina, Salvatoris Crucifixi ore (ſicut pia teſtatur hiſtoria) mirabiliter probata fuit. Hiſtoriam geminis Bullis Clementis VIII. teſtatam: *Cujus doctrinæ tantum fuit tributum, ut Chriſtianę eruditionis ſaę divinum etiam illud habeat teſtimonium: Bene de me Thoma ſcripſiſti.* In ſecunda ejuſdem Sancti Thomę *Librorum ingentem numerum* laudans, univerſim de eiſdem, ita concludit: *Et quos deinde conſcriptos expreſſâ Chriſti Domini voce comprobatos audivit.* Hiſtoriam in proceſſu Canonizationis Sancti Thomæ comprobatam, ab antiquiſsimis Scriptoribus relatam Guilielmo Thoco, Bernardo Gaidonis, ut videre eſt in Bollando. Ut inde appareat decantata adverſariorum calumnia contra Dominicanos, quaſi hiſtoriam ante annum 1383. ignotam, in ſuo cerebro fabricaverint.

In Officio Dominicano, & Romano.

Urbanus V. & S. Pius V. ſæpè laudati.

143 Et ut tandem finem dicendi in hoc aſſumpto faciamus, audire convenit duos ex Societate Jeſu teſtes omni exceptione majores, Eminentiſsimum ſcilicet Cardinalem de Lugo, & Albertum de Albertis. Ille quidem de caſu noſtro interrogatus, illis verbis reſpondet: *Temerarius etiam eſt, qui negat hiſtorias pias communiter ab Eccleſia receptas & propoſitas, v.g. quod Chriſtus Beato Thomæ Aquinati dixerit: Bene ſcripſiſti de me Thoma.* Alter vero adverſus quendam hominem ſuſpectum de hereſi (ut ipſe oſtendit) qui audiens hanc piam hiſtoriam in quodam familiari colloquio reſpondit, quid mihi fabulas Æſopi narras? Sic eruditus Jeſuita indignabundus invehitur: Quot in uno crimine agglomeras crimina? Nonne certiſsimum imprimis eſt, ejuſdem cęleſtis cum Thoma colloquii hiſtoriam ab univerſo Patrum Dominicanorum cœtu, velut compertiſsimam haberi & prędicari, & per ora omnium vulgari, & quidem meritiſsimè? &c. Quid, quod hæc ipſa tam magna injuria in omnes æque Põtifices Maximos, quorum auctoritate illa hiſtoria firmatur, tùm in ipſum conſecrationis D. Thomæ diploma, tùm in Romanum ſacrarũ precum Breviarium ad hujuſmodi feſtum ornandum relata, totique Chriſtianę Reipublicæ, ut rata, & fixa ad credendum propoſita eſt, haud dubiè redundat? Quid enim Apoſtolicæ Sedi fœdius; tibi vero antiquo Lutheri ſtabulario, quid congruentiùs poteſt accidere, quam camdem illam Sedem, tanquam Æſopicarum fabularum inventricem, altricemque mentiri? Imò verò non ſolum Pontifices Maximos ejuſdem fabulæ convicio, ſed totam etiam Chriſti Eccleſiam cunctoſque Eccleſiæ filios, quibus eadem illa hiſtoria extra controverſiam omninò proſpecta eſt, turpiſsimè vulneras, & quiſquam ampliùs de tua hæretica impudentia, atque impietate ambigat? Sed quęro præterea ex te, non ne, qua fronte hiſtoriam indubitatam totiuſque Eccleſiæ calculo confirmatam, tu proprio tuæ erraticæ intelligentiæ ſtata vertigine in fabularum ſenſu habes, eadem & cętera quoque D. Thomæ prodigia, atque miracula, quin etiam & reliquorum inſuper è Dominicana Familia Sanctorum omnium, nedum Aquinatis, divina facinora, cęleſtes prærogativas in milleſiarum fabularum numero nihilo verecundiùs, eademque normâ repones? *Quippene? Quanto proclivius aliorum pariter divorum, non tantum Dominicanorum è cœtu ſed quibuſcumque aliis quoque ordinibus heroicas virtutes, dicta, & facta, divino prodigio nobilitata, fabuloſitatis damnabis? Quam prono lapſu parique calumniandi lubentia, & cæteros quoque Eccleſiaſticos annales, quibus minus ponderis, minus fidei atque authoritatis ineſt, ut inanes, ut fluxæ fidei, ut è ſomnis meris conflatos elevabis? Et parum ne hæretici furoris tui, atque impietatis hinc ſe erumpit?* Hactenus pro nobis ille.

Cardin. de Lugo diſp. 20. de fide ſeſſione 3. num 96.

Albertus de Albertis in Lidio Lapide part. 2. cap. 7.

144 Thomæ viventis & orantis Chriſtus dignatur doctrinam probare: ſed poſt Thomæ tranſitum ad Summam Thomæ erudiendos mittit diſcipulos. Hujus rei teſtem damus jam aliàs laudatum P. Joſephum à Jeſu Maria in Myſtica Theologia eximiè eruditum, prout ejus pandunt hujus generis opera multa. Cum enim gravi contingeret difficultate premi, ad orationem confugere conſuetus, Deum ad cor loquentem audiebat, ipſumque ad evolvenda D. Thomę ſcripta mittentem, quæſtione, & articulo indicatis, ubi reſolutionem difficultatis invenire haberet.

145 Obmuteſcant ergo doctrinæ D. Thomæ calumniatores hæretici: & ſi inter Catholicos aliqui ſint nimis increduli, parumque ejus cęleſti ſapientiæ tot elogiis commendatę addicti. Nobis autem interea cum erudito Labbęo gloriantibus, dicere liceat.

Pro-

Probat ſcripturam hominis qui character eſt Patris.
Silete linguæ, ubi Deus laudator,
Fallere non poteſt qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines Thomã Angelũ Theologię,
Dicant Pontifices ſummam tot miraculis conſtare, quot titulis.
Plus dixit una vox bene.
Chriſtus eſt Verbum Patris, Thomas adverbium Filii.

146 Concludamus cum Eccleſia in antiqua præfatione apud noſtrum Frigerium: O *certè præclariſsimam atque excellentiſsimam doctrinam, cui veritatis præcones glorioſiſsimi Petrus & Paulus Apoſtoli tui, & inclyta ſemper Virgo Maria cum Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, pro mundi ſalute Crucifixo, & Univerſalis atque Apoſtolica Eccleſia teſtimonium peribet veritatis.*

Frigerius lib. 1. cap. 8.

147 Ac tandem, ut finem loquendi in hoc aſſumpto (in quo numquam materia deficiet laudandi) faciamus, præſtat audire eruditum juxta & pium Contenſonium, eleganti metro elogia D. Thomæ complectentem, & quorum aliqua ſolum ſubjicimus.

Scripturi de Trinitate Thomæ manus comburitur, nec dolor ſentitur.
Non erat tunc animus in manu, ſed in Empyreo.
Et Empyreum ignis eſt non comburens, ſed illuminans.
Loquuturi Iſaiæ calculus ignis purgat labia, ne errarent.
Scribentis Thomæ cremantur digiti, qui ſine ullo prorſus errore ſcripſerunt.
Uritur nec percipit, qui ardebat igne Dei, vel igne Deo
Nam Deus noſter ignis conſumens eſt.
Segnior fuit ignis, qui foris uſit, quam qui intus accendit.
Urebatur in carne, ardebat in corde:
Major ignis minorem abſumit, nec charitas ſuperari flamma poteſt.
Dum comburitur manus, elevatur de terra corpus.
Non aggravabat animum corpus immaculatum.
Elementa non gravitant in propriis ſphęris:
Nullo cogente vel ferente repetunt centrum.
Et centrum Thomæ Trinitas eſt.
Revertere Thoma de extaſi, pange quæ audiſti.
Si nequeunt ſcribere aduſti digiti, quatuor Amanuenſes excipient.
Magnorum fluminum eſt multiplices exitus quærere:
Et ſcientia tua fluvius eſt inexhauſtus, &c.

Omnibus titulis eſſet decorandus unus Thomas, qui omnes titulos implet & decorat.
Sed Thomam qui Angelum dixerit, prædicavit ſatis.
Nihil majus poteſt dici, nihil debet minus.
Quomodo non Angelus, qui in carne pręter carnem tam caſtè vixit?
Quomodo non caſtus, qui Ave Maria pro lacte bibit?
Niſi foret Angelus, non ſcripſiſſet de Angelis tam angelicè.
Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis:
Et quæ ſunt Angeli, quis novit niſi ſpiritus Angeli?
Audi quæ docet, & veritate coactus fatebere,
Quod ſi non naturâ, eruditione Angelus fuit.
De Angelis narrat tam recondita, quaſi ſpiritus eſſet:
Tantâ aſſeverantiâ, quaſi vidiſſet.
Tam mirâ veritate, ut totidem articuli ſint totidem miracula.
Angelus eſt comprehenſivus totius entis: & Angelorum comprehenſivus Thomas, &c.

Hæc dum tradit Aquinas de Angelis, Angelici nomen ſortitus eſt.
Sed titulum magis promeretur illum, qui Angelos imitatus eſt.
Angelorum vitam expreſsit, & munia unus abſolvit.
Purgat enim, illuminat, perficit Angelorum compendium Aquinas.
Purgat errores, errori impervius, regula veritatis.
Nullis obſidetur temporum nebulis, æternitatis candidatus.
Stellam in fronte ferebat Dominicus, Solem Thomas geſtat in pectore.
Numquid poteſt Stella parere Solem?
Numquid Pater eſt minor Filio?
Singularis fęlicitatis eſt Parentis lucem non minuere, ſed augere.
Et gloria Patris eſt, talem filium lucis genuiſſe:
Et honor Filii, lucem Patris extendiſſe.
Sol dum lucet, aſtra obſcurat:
Sed eclipſin patitur, & interdum trepidat.
Major Sole Thomas, qui ſine ullius diminutione micat, & ſtat intrepidus ſine errare, ubi Sol titubat.
Illuminat plenus luce ſibi, ſuperplenus nobis.
Hauſit ex ore Filii, quod de Paterno hauſerat Filius.
Angelos illuminat Deus vivens, Angelicum Doctorem Deus moriens.
Influitque Aquinati verba vitę Verbum mortis.
Chriſtus pendens conſummat Eccleſiam; Chriſtus in Cruce conſecrat Thomam.
Perfecit dum accendit, mentibus Lucifer, cordibus ignifer, ex utroq̃ Angelus Thomas.
Ejus doctrina lucis filia eſt, & Mater ardoris.
Ei lucere vanum; ardere parum; lucere, & ardere innatum.
Amande Cuſtos, Genie tutelaris, tibi mandatũ eſt ut cuſtodias nos in omnib. viis noſtris.
Utinam & Angelis aſſocies Angelici diſcipulos & cultores.
Cęleſtia non attingit niſi acies pura, nec te capit niſi mens munda.
Tuam qui vult aſſequi mentem, ſequatur puritatem:
Non eſt Thomiſta, qui non eſt Theologus mentis & cordis.

Dum ſcriberet tertiam partem Aquinas, audivit, Benè ſcripſiſti de me Thoma.
Conſecravit Scripturam Thomæ character Patris.
Perfectiones Patris exhaurit Verbum unum.
Et elogia omnia exhauſit Chriſtus verbo uno.
Verbum benè, *omnes poſsibiles laudes complectitur.*
Omnia bona promittuntur, dum dicitur Juſto, quoniam benè.
Omnia præconia aſſeruntur Thomæ, dum dicitur ei, ſcripſiſti benè.
Propoſitio indefinita æquivalet univerſali:
Et laus indefinita eſt infinita.
Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.
Vidit Chriſtus quæ Thomas ſcripſerat, & erant valdè benè.
Poſt approbationem Dei, creaturas non damnat niſi Manes:
Poſt approbationem Chriſti, doctrinam Thomę reprobans eſt ferè Manichęus.
Vera eſt laus, quam non tacet Deus.
Veritas eſt, quæ probat: veridicus ergo eſt, qui probatur.
Thomam laudat Chriſtus in Cruce moriens.
Inde extollit Thomam, ubi peperit Eccleſiam.
Crux morientis fuit Cathedra docentis, & inaugurantis Thomam.
Septem verba protulit Chriſtus in Cruce:
Octavum proferre voluit in laudem Thomæ.
Adulari non ſolent morientes, vel obſcurè loqui:
Et fallere vel falli non poteſt Deus moriens, &c.

ARTICULUS IX.

Calumniatores doctrinæ D. Thomæ gravi obnoxios cenſuræ oſtendit.

148 GRADIAMUR jam ad oſtendendum, nihil eſſe adverſariis, quod rejiciant in prelaudato elogio. Scio equidem hoc præcipuè motivo Innocentii elogium in laudem doctrinę Div. Thomæ (immeritò licet) adverſari obtrectatores, quod ipſis dura apparet propoſitio illa: *Qui doctrinam D. Thomæ impugnaverit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus:* & præſertim ſi de ſuſpicione in ordine ad fidei veritatem cum aliquibus etiam extra Ordinem Dominicanum intelligatur. Veruntamen, nihil durum habet præjacta propoſitio, ſi ejus verum ſenſum attendamus, prout in præſentiarum monſtrare vel breviter tentabimus. Igitur cum verba illa de impugnatione & contradictione omnimoda doctrinæ Div. Thomæ intelligenda ſint, ſenſus eſt: illum propriè, & contradictoriè impugnare doctrinam D. Thomę, qui eam erroris, aut improbabilitatis nota inureret, ut nonnulli ex Catholicis ſcriptoribus, in proſcriptis libellis tradiderunt. Præjactum impugnationis ſenſum inter alios aperit Didacus Morales Dominicanus in opuſculo dicato Alexandro VII. inſcripto, *Laus D. Thomæ*: quia *contradictio* (ut notat D. Thomas) *eſt maxima omnium oppoſitionum, cujus ſecundum ſe non eſt medium*; differtque proinde ab oppoſitione contraria, cujus eſt aliquid poſitivum relinquere in extremo ſibi oppoſito, contradictoria vero è converſo ſe habet; ſed in ſententiis ad invicem oppoſitis nihil poſitivum conſiderari poteſt, niſi vel certitudo vel probabilitas: ergo in ſententiis adinvicem oppoſitis, tunc ſolum una alteri purè contrariè opponeretur, quando non eam totaliter tollet, ſed licet auferat certitudinem ab eadem, in ea tamen relinquit probabilitatem, tunc vero propriè contradictoriè opponeretur, eamque contradictoriè impugnare verificabitur; dum certitudinem non ſolum, verum & probabilitatem eidem denegare contingeret. His ita conſtitutis.

Didacus Moral. in opuſc. Laus D.Thomę.

D.Thom. opuſc. 37. cap. 1.

149 Aſſerendum duximus: eum, qui ita contradictoriè impugnaret doctrinam D. Thomæ, affirmans aliquem errorem continere vel aliquid indefenſabile; de veritate reipſa ſuſpectum fore, quatenus contradictio illa: *ad Eccleſiæ judicium injurioſa eſſet*, ut ſtatuit Joannes à S. Thoma. Imò inquit Silveſter: *Mendacem Dominum facit, qui Thomam male ſcripſiſſe dicit.* Hanc propoſitionem in approbatione Chriſti Domini firmat. Imò Joannes XXII. ſic Deum alloquitur: *Hæc ſunt teſtimonia tua Deus, quæ de hoc viro juſto nobis credibilia facta ſunt nimis, nam ſi teſtimonium hominis accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* Quid ergo mirum repetant Patres Salmanticenſes: *Quiſquis igitur D. Thomam non bene ſcripſiſſe auſus fuerit affirmare, non ipſi, ſed divinę veritati contradicere meritò creditur.* * Mira res (urgebat Magiſter Gravina) quod de Cœlo loquitur Deus, & intonat altiſsimus Filius Dei (bene ſcripſiſti de me Thoma) & illi eas voces intonant, *Ecce nunc audiſtis, blaſphemiam, quid vobis videtur*:: Si quis ſenſu carnis ſuæ elatus quos os Domini commendavit, impugnare vel reprobare conaretur proculdubio de ſuperſilio illorum originem duceret, qui verba Chriſti, quæ revereri debebant, tanquam blaſphemias execrati ſunt; in conſimilibus Pſeudochimis, qui argentum vertunt in ſcoriam, benè quadrat, quod ſcripſit David (*maledicent illi, & tu benedices*) ubi Auguſtinus (vana eſt ergo, & falſa malectio filiorum hominum diligentium vanitatem, & quęrentium mendacium, Deus autem cum benedicit, facit quod dicit) ſic cum benedixit luci, videns lucem quod eſſet bona, ejus benedictio fuit ipſius lucis conſtitutio, quæ tenebras diſpulit: Deus, dixit (de tenebris lucem, ſplendeſcere) ejuſque probatio fuit ipſius, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, participatio. Probavit ergo Chriſtus, quod ipſe in Thoma operatus erat, ſuâque dona in Thoma commendavit. Quis ergo (dicebat Chryſoſtomus Joannis 5.) tam inſanit? Ut vel os aperire, & contradicere Chriſti verbis audeat? Et paulò poſt; mirum, quod Criſtus Dominus in breviſsimâ clauſulà probans doctrinam, & indiculum expurgatorium ediderit, nec loca demenda, vel expurganda monſtrarit, quam ſententiam cum doctrinæ Sancti Thomę in univerſum Pontifices adaptarunt, præcipuè Pius & Clemens, neſcio quomodo non erubuerint in adverſum ſomniare aliqui &c. *

Quo ſenſu de veritate ſuſpectus eſt, qui D. Thomam impugnaret.

Silveſter apud Joannem à S. Thoma, ubi ſup.

Joannes XXII. in Bulla Canonizationis Div. Thomæ.

PP. Salmantic. Præfat. in 1. tom. §. 15.

Mag. Gravina lib. 3. ſui Cherubin. cap. 8.

Pſalm. 108.

150 Accedit Magiſter Nazarius inquiens: * Perverſa quorundam, & injurioſa judicia tàm contra concluſiones D. Thomæ, quàm adverſus probationes earum liberè nimis, & inconſultè prolata, ut nonnullas etiam concluſiones Catholicæ fidei contrarias, aut ſaltem de errore ſuſpectas eſſe pronuncient, ac proinde tot Summorum Pontificum oracula S. Thomę doctrinam magnificis encomiis, ut veridicam, & erroris omnis expertem approbantia, & ab omnibus ſequendam & amplificandam eſſe declarantia, condemnent, quod an abſque piaculo fieri poſsit, judicent ij, qui ſimplicis mentis oculo, ſinceroque cordis affectu ad veritatis cognitionem anhelant. * Noſtram etiam aſſertionem Magiſter Bieſcas ita ſtatuit: * Qui aſſerit in doctrina S. Thomæ eſſe aliquas ſententias improbabiles in materia Theologiæ, revera eſt temerarius; ſi autem hoc dicatur in materia philoſophica, erit nimia audacia & præſumptio. Subjungit tamen conformiter ad noſtram doctrinam: Si verò quis relinquat ſententiam Sancti Thomæ modeſtè dicendo, ſe non capere illam, non eſt temerarius, vel audax:: quia relinquendo illam tanquam intellectu ſibi difficilem, & fatetur ſui ingenii, tarditatẽ, & teſtimoniis Eccleſiæ non contradicit. * In eodem noſtræ aſſertionis ſenſu loquitur Cajetanus dum inquit. * Attendant adverſarii & videant quantâ temeritate adverſus mandatum Summi Pontificis (Urbani V.) Catholicam S. Thomæ doctrinam impugnare nituntur. * Et inſuper, * dicere autem, quod alicubi repugnet fidei, ſummę eſt ignorantiæ, qualis moderno tempore regnare videtur apud quoſdam. * Et meritò; quia, ut alicubi habet D. Antoninus de D. Thoma: *Dederat veritas ſibi os & ſapientiam, cui nullus adverſarius reſiſtere poterat, ut qui veritatem contemnens, ut rabidus proterviret, aut ut cęcus in tenebris ambularet.*

Mag. Nazarius ad calcẽ opuſculi 1. de ſcriptis D. Thom.

Bieſcas dub. 11

Cajetanus cap. 5. de ente, & eſſent. q. 9.

1. part. quæſt. 9. ar. 2.

151 Nec ſolum ex Dominicana Religione in noſtræ aſſertionis veritatem Auctores vocamus; ſed etiam ex aliis Ordinibus. Imprimis enim eruditus ex ſocietate ſcriptor Enriquez de Thoma noſtro, & in noſtrę aſſertionis ſenſu ſcripſit: *D. Thomæ doctrinam approbat univerſalitèr Urbanus Papa Quintus & Stephanus Epiſcopus Pariſienſis, & nemo generalitèr abſque hęreſis ſuſpicione diſſentit à doctrina D. Thomæ.* Pater verò Baeza nedum vocabat *invulnerabilem* doctrinam Sancti Thomæ, verum etiam inferebat *ejus vocem, ab omnibus ſapientibus inoffensè audiri debere, Angelicumque Doctorem audiendum, & ſequendum eſſe ab omnibus, qui velint habere ſalutis viam.* In eodem ſenſu ajebat Pater Granados: *Doctrinam Sancti Thomæ tantâ veneratione ſuſcepi, ut par non ſit ab ea in minimis etiã recedere.* Quid ergò mirum Baſilius Ponzius pronuntiatum illud laudet: *Qui denigrat doctrinam Beati Thomæ, dehonorat Romanam Eccleſiam.*

D. Antoninus 3. part hiſtor. titulo 23. cap. 7. §. 5.

P. Enriquez, de Pontificis clavib. lib. 41. cap. 15. n. 4.

P. Baeza tom. 3. lib. 6. cap. 2. §. 5.

P. Granados in Prefatione cap. 2.

Qui denigrat doctrinam D. Thomę, dehonorat Eccleſiam.

152 Subjungere deinde convenit pro aſſertione jam auctoritate firmatâ, rationes benè efficaces: quandoquidem Apoſtolica Sedes, cujus eſt doctrinas (etiam electivè) approbare, quibus in finem debitum fideles conſcendant; eo modo doctrinam Sancti Thomæ approbavit; ſed qui ex adverſo erroneam, aut improbabilem dicit doctrinam D. Thomæ; ex conſequenti affirmat, eam non eſſe utilem ad finem illum, v.g. ad fidei intelligentiam, ad quam certè non manuducunt erroneæ & improbabiles propoſitiones: ergo qui ita contradictoriè impugnaret doctrinam D. Thomę, injurius Eccleſiæ & ſummis Pontificibus eſſet, gravique cenſurâ proindè dignus. Accedit, quod cùm intellectus aſſentiri non valeat alteri contradictionis parti, quin aliam reprobet; ſequitur inde quod approbans Summus Pontifex generalitèr doctrinam Sancti Thomæ velut, *abſque ullo prorſus errore* conſcriptam, conſequenter, ut generaliter probabilem; neceſſum erit, & ipſum reprobare aſſerentes aliquem in ea errorem eſſe aliquamvè improbabilitatem. Unde pro noſtro Angelico Doctore, Pontificiis commendationibus electivè in doctrina approbato, ad inſtar Auguſtini: repetere nos poſſumus, quod aliquando D. Proſper contra impugnantes Auguſtini doctrinam, velut in aliqua ſui parte erroneam ſeu improbabilem, concludebat: *Sufficienter, ut arbitror demonſtratum eſt, reprehenſores Sancti Auguſtini, & vana objicere, & recta impugnare & prava defendere:: & divinis atque humanis conſtitutionibus rebellare.* Nihilominùs cum ipſo Proſpero, aliàs pro calumniatoribus Auguſtini ſupra num. 21. laudato, pro noſtris adverſariis non addere non poſſumus: *Dum adhuc non ſunt à fraternâ ſocietate diviſi, tolleranda ſit magis intentio, quam deſperanda correctio.* Et tandem de doctrina D. Thomæ cum S. Remigio de Auguſt. dicere poſſumus: *Ab Apoſtolicę Sedis Pontificibus inter Magiſtros fidei doctrinæ venerabiliter receptum eſſe, & ab ipſis tam clarè & honorificè, contra obtrectatores & obloquentes defenſum, ut impoſito improbis ſilentio, omnẽ de eo muſitationem cõprimendam, ac repellendam judicarint.*

Rationes efficaces in aſſûpto urgentur.

D. Proſper lib. contra Collatorem.

D. Remigius li. 11. de tenenda veritate Scripturę cap. 9.

153 Accedit & alia nihil minus efficax ratio: nam inter Catholicos convenit, judicium Sedis Apoſtolicæ in approbandis electivè Doctorum Eccleſiæ doctrinis in eo gradu, quo eas approbare ſolet, errori non eſſe obnoxium; quarè judicio illo contradicere erroneum reputatur, ut datis plurimis Theologis oſtendit Cardinalis de Lugo; ſed qui notat cenſurâ improbabilitatis vel erroris aliquam Sancti Thomæ doctrinam, quam

Cardinal. de Lugo diſp. 20. de fide ſec. 3. à n. 106.

Ec-

Eccleſia, pręſertim in diplomate Clementis VIII. electivè approbavit judicio Eccleſiæ opponi videtur: ergo qui aliquam Sancti Thomę doctrinam cenſurâ notat, cenſurâ dignus prodit, judicioque Eccleſiæ injurius redditur. Audiatur pro hoc aſſumpto Joannes à Sancto Thoma. * Eccleſia (arguit ita) ſuo judicio & approbatione magnam venerationem contulit doctrinæ D. Thomæ: ergo quidquid irreverentiæ irrogatur, contra Eccleſiæ judicium fit: itaque nedum contemptus aut irriſio D. Thomæ, quia Sanctus, injurioſa eſt Eccleſię, quæ illum canonizavit, ut de ſe manifeſtum eſt, ſed etiam irreverentia doctrinæ ejus, quia approbata eſt, in præjudicium cedit Eccleſiæ approbantis: Nam non poteſt injurioſum non eſſe, quod Eccleſia approbat, & tam ſingularibus encomiis attollit, ſicut videmus, contemnere, aut reprobare; ſi quidem non acceptatur in hoc judicium Eccleſiæ, ſed deſeritur; deſerere autem Eccleſię judicium in materia tangente doctrinam, quam ipſa proponit ut approbatam, injuria eſt Eccleſiæ, & parvipentio ſeu vilis æſtimatio tanti judicii & approbationis. *

Joannes à S. Thom. ubi ſup.

Denigratio doctrinæ D. Thomæ anſam præberet hæreticis inſultandi Eccleſiam & catholicos.

154 Poſtremo: qui hæreticis anſam prębet judicium Eccleſiæ inſultandi, ab eoque recedendi, non levi cenſura profectò dignus eſt; ſed Eccleſiæ approbantis judicio derogans, qui errores adeſſe putat in Sancti Thomæ doctrina, inqua nullos prorſus adeſſe Eccleſia jam judicavit, præbet anſam hæreticis adhuc magis diſcedendi ab Eccleſiæ judicio, illud velut obnoxium deceptioni irridendi, aut aſpernendi: ergo ſic derogans prædicto modo Eccleſiæ judicio circa S. Thomæ doctrinam, cenſura utique dignus eſt. Audi nunc anſam iſtam ex inde arreptam à Luthero (ut à praxi etiam quod diximus experiaris) in art. 37. ſic inſultante Catholicis: *Si non credam Thomam Aquinatem eſſe Sanctum, licet à Papa Canonizatum, non ſum hæreticus. Quando, & hi non ſunt hæretici, qui Thomam negant, licet à Papa approbatum & confirmatum in ſuis libris.* Hæc Lutherus, cum adhuc nec Pii V. nec Clementis VIII. nec Pauli V. & aliorum diplomata Pontificum pro doctrina S. Thomæ vidiſſet. Quid inde poſtea diceret? Unde opportunè Joannes à Sancto Thoma eodem loco relato, licet his non relatis, pro noſtra minori propoſitione dicebat. *Item per hoc datur hæreticis anſa inſultandi nobis, & irridendi Eccleſiam, ſi Doctorem, quem ipſa, ut certiſsimam regulam doctrinæ Chriſtianę proponit, ut clypęum contra tela hæreticorum prædicat, ut doctrinam mirabilem infuſione cęleſti perfectam, Chriſti Domini voce expreſsè probatam, ſine ullo prorſus errore conſcriptam, &c. nos ipſi irreverenter, aut cum contemptu tractamus. Abſit hoc à fidelium cordibus. * Ita ille, ſicut proportione ſervatâ Cardinalis Baronius de Auguſtino concludebat. * Sancti Auguſtini auctoritas & doctrina lędi nunc, & ulla ex parte impugnari aut reprehendi non poteſt, ſine manifeſto viginti, & amplius Summorum Pontificum contemptu, & ſine ſingulari Sanctæ Sedis Apoſtolicæ injuria. *

Joannes à S. Thom. ſup. laudatus.

Baronius in notis ad tom. 10. pag. 6.

155 Quid ergo poſt aſſertionem ita firmiter ſtabilitam, dicere habent obtrectatores? An erroneas doctrinas in D. Thomę cæleſtibus ſcriptis fingere debent, ne Eraſmus, Momus ille Doctorum (aliique ſimilis furfuris) Theologos irrideat Scholaſticos, in ſuo *Moria*, ubi ut quidam cecinit:

Stultitiæ laudem ſcripſiſti primus Eraſme.
Indicat ingenium, ſtultitia iſta tuum.

An quia non videtur prohibitum, propoſitiones aliquas D. Thomæ erroris cenſurâ notare, ut apparet ex Apologia lib. Magiſtri ſententiarum ad calcem ſubjecta? Verumtamen præter adducta exempla Apoſtolicæ Sedis in praxi damnantis eos, qui cenſurâ notarunt doctrinas aliquas S. Thomæ, conſtat, Apologiam illam Anonimi Pariſienſis antiquitùs ſolum non noviter impreſſam, comprehendi ſub illa prohibitione indicis librorum prohibitorum ſub littera *L.* in hęc verba: *Liber continens articulos reprobatos à facultate Parienſi contra doctrinam Sancti Thomæ*, ut recenſet M. Gravina. Cum præterea Anonimus privatus Scriptor illius Apologiæ cap. 3. concluſ. 5. de erroribus in doctrina Sancti Thomæ ſomniatis, expreſſit *ſe loqui ſecundum quoſdam non aſſertivè ſed ſolum recitativè*. Sed quinam illi forent conjectatur circa illa tempora Vvielmius dicens. * Eos ſic audentes non potuiſſe intelligere niſi Joannem Vvicleffum, Joannem Huſſum, Hieronymum Pragenſem, alioſque hæreticos vel factioſos & contentioſos obtrectatores, qui tanti viri ſplendore commoti ſeſe in tenebris abdunt, quorum teſtimonio hac in re quidquam tribuere, merè profectò eſt in fide vehementer errare. * Si tandem prodant decantatam illam ex Durando in Prologo ſententiarum objectionem: quia D. Thomas ſibi deferendum non intendit, quod ſibi deferri nollebat Auguſt. in ſuæ doctrinæ ſequella, ſed Auguſt. ipſe profitetur expreſsè, ſe non intendere hunc ſibi honorem deferri, ut ejus doctrina in aliquibus, velut errans ſeu erronea, reprobari non poſsit, qualiter ergo id ſibi deferri cenſendus eſt, ut ſine errore ſcripſerit D. Thomas Auguſtini proteſtationem laudans, 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. Sed hujus objectionis ſcribere placet elegantiſsimam ac ſolidam reſponſionem Joannis à Sancto Thoma, ſcilicet. * Non eſſe comptæ urbanitatis ſic velle tractare virum aliquem magnum, ſicut ipſe loquitur de ſe, aut tractat ſe, præſertim cum humilis ſit ac modeſtus. * Numquid (loquitur Piccinardus cujus verba audiri digna ſunt) quia aliquis juxta Chriſti Domini conſilium recumbit in noviſsimo loco, non eſt invitandus, ut aſcendat ſuperius, ut ſit ei gloria coram diſcumbentibus? In hoc ergo ſapientię convivio Auguſtinus, & Thomas (id etiam multi alii ſacri Doctores) elegerunt ex ſua humilita-

Adverſantium impetus firmiorem reddidere ſtatutam veritatem.

Gravina lib. 4. Cherubin. cap. 1. & Paulus Frigerius.

Vvielmius lib. 1. de ſcriptis D. Thom. pag. 385.

D. Auguſt. lib. 3. de Trinit. Epiſtol. 19. ad Hieron. & 7. ad Marcellinum Joannes à S. Thoma diſp. 1. proœmial. art. 4. ad 5.

te

te in noviſsimo loco ſedere, nec ſuam doctrinam magnificè prædicare; ſed non ſic à Patre familias permiſsi ſunt ſedere in loco convivii, ſed ad primos accubitûs ſublimati ſunt. Nunc autem cum Eccleſia Catholica ipſorum doctrinas ita cumulatè prædicaverit, & approbaverit, inſipienter ex verbis humilitatis eorum ęſtimare non debemus doctrinam, magis autem reſpicere ad verba Eccleſiæ, eam nobis commendantis, unde omnium Catholicorum Doctorum auctoritas pręſto eſt. Cæterum non ſumus hac ſolutione (etſi ſufficientiſsima) contenti, ſed magis volumus rem hanc ad plenam deducere juſtitiam, nec ſoli urbanitati remittere.

156 Et imprimis moneo, ut potius regulam ipſius Auguſtini ſequantur adverſarii, qui in lib. de bono perſeverantiæ quem in ultima ferè ętate edidit, ideoque de ipſo in retractationibus non meminit, ſic inquit: *Qui errare me exiſtimant, etiam atque etiam diligenter, quæ ſunt dicta, conſiderent, ne fortaſis ipſi errent.* (prout fuſiùs retulimus n. 34. præcedenti) O vocem magnificam, vocem cęleſtis magiſterii, plenam judicii & veritatis! quam multi in Sanctorum Doctorum etiam Auguſtini, & Thomæ doctrinam impingunt, quia non etiam atque etiam conſiderant, ſed leviter tranſeunt, & errores accumulant ex levitate, cum fortaſis ipſi errent. Citatur itaque Auguſtinus in proœmio lib. 3. de Trinitate, in qua auctoritate, illud vellem ponderari ab omnibus, quod ſi locus iſte citatur, ut qui Auguſtinum, legunt non ei credant quaſi canonico libro, ſed juxta rationum momenta & certitudinis fundamenta; cur non etiam citatur ad hoc, ut qui contradicunt ſivè ipſi, ſivè D. Thomæ, non contradicant neque deſſerant, niſi ex auctoritate divina, aut inconcuſſa ratione aliquid probent (quo ſolùm caſu permittit ſe corrigi Auguſtinus) non ex ſua opinione aut ex contentione! Et hoc eſt quod unicè optamus, ut ſi Auguſtinus vel Thomas deſſeritur, non præ aliis opinionibus, non pro contentione aut ęmulatione impugnetur, ſed ſi aliqua inconcuſſa ratione, id eſt, manifeſta, aut ex auctoritate divina aliquid contra eorum doctrinam evincitur, tunc jure optimo deſſerantur aut corrigantur, & non aliter.

S. Auguſt. lib. de bono perſeverant. cap. 24.

157 Secundo citatur locus Auguſtini ex Epiſt. ad Hieronymum, ubi inquit: *Ego fateor charitati tuæ, ſolis eis ſcripturarum libris, qui jam Canonici appellantur didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum Auctorum ſcribendo, aliquid erraſſe firmiſsimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque prepolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos Auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Sed hæc auctoritas nihil nobis obſtat. Quis enim libros Auguſtini vel Thomæ, ut Canonicos proponit? Quis eorum dicta ut credenda ſolum, non ut probantia, & ratione diſcurſuque perſuadentia acceptari cogit? Accipiatur ergo ex D. Thoma, quod vel ex auctoritate divina, vel probabili ratione perſuadet, & inter probabiles diſcurſûs, ut probatiores; quia ita ab Eccleſia commendantur & approbantur, ut vidimus. Locus denique Auguſtini ex epiſtola ad Marcellinum non cogit, dicit enim ſic: *Vos qui me multum diligitis, ſi talem me aſſeritis adverſus eos, quorum malitiâ vel imperitiâ vel intelligentiâ reprehendor, ut me nunquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis; facile in ea me ipſo judice ſuperamini, quoniam non mihi placet, quando à chariſsimis meis, talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum.*

S. Auguſt. Epiſt. citata ad Hieronymum.

S. Auguſt. Epiſt. citata ad Marcellinum.

158 Nos ergo qui pro ſumma fęlicitate optaremus inter Auguſtini, non dico chariſsimos, ſed vel minimos ſervos reputari, imprimis tàm inſignem Sanctiſsimi Doctoris modeſtiam, qua multum inſtruimur admirantes, dicimus Auguſtinum loqui in illa Epiſtola antequam ſuas ederet retractationes, ut apertè paulo ante illa verba dixerat; nunc autem poſt Auguſtinum ab Auguſtino correctum & retractatum, poſt librorum ejus à Cęleſtino I. laudatam pietatem, poſt commendatam doctrinam ab Hormiſda, à Joanne II. ab univerſa Eccleſia, defendendo ipſum ab omni errore, non jam exiſtimamus ipſum eſſe, qualis ipſe non eſt, ſed qualem illum nobis exhibet Eccleſia: *Quem nunquam falſę ſuſpicionis rumor aſperſit.* Idem de fideliſsimo ejus diſcipulo Thoma aſſerimus. *Qui ſine ullo prorſus errore ſcripſit*, Sede Apoſtolica teſtificante. * Hucuſque inter plura alia Piccinardus.

159 Poſt commendatum à nobis D. Thomam, Theologiam in omni munere illuſtrantem, hæreſeſque cunctas profligantem, audiatur Pontificale Romanum ſub Paulo III. Typis datum Venetiis anno 1543. ubi ita legitur: *Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens Deus, qui B. Thomam Aquinatem, Virginem, Doctorem, & Confeſſorem ſuum divinâ ſapientiâ illuſtratum, Eccleſiam Sanctam hęreſibus purgare, & criminibus ac luce veritatis, & doctrinæ integritate illuminare eſt dignatus. Et qui ejus doctrinam in veritate & charitate fundatam, nullis permiſit adverſantium telis peſundari.* Impetitum vidimus à malignantibus hæreticis & Catholicis nonnullis parum cautis Doctorem Angelicum ejuſque doctrinam, quod mirari non debemus: ſive ut loquitur Theophilus Raynaudus: *Non potuit vir ſanctiſsimus & Doctorum aquila invidorum morsûs & rabiem defugere.* Morsûs illos certè conſpexit in Petro à Valle clauſa in proſcriptis diatribis, calumniis erga D. Thomam & Dominicanos redundantibus, quas verbis datis protrivit, ſi non Petrus à Valle clauſa, bene tamen Theophilus Raynaudus. Verumtamen ſanctiori calamo protritas videmus antiquiores

Pontificale Roman. apud Frigerium lib. 1. cap. 6.

Non permiſit Deus doctrinam D. Thomæ adverſantium telis peſundari.

Theophilus Raynaudus apud Frigerium cap. 7.

ad-

adverſùs D. Thomæ doctrinam criminationes, quales fuere illæ, quæ à quibuſdam Pariſienſibus contra S. Doctorem, ſtatim poſt mortem & nedum canonizatum attentatæ fuerunt, de quibus ſermonem jam fecimus. Sanctiori inquam calamo, operâ nimirùm S. Alberti Magni, de quo in proceſſu ſic habetur: ✻ Inſonuit rumor quod ſcripta Fratris Thomæ Pariſiis impugnabantur: unde dictus Frater Albertus dixit, ſe illuc velle accedere pro defenſione illorum Scriptorum: Fratres verò Prædicatores decrepitum ætatis ipſius timentes, & longum diſſuaſerunt illi prædictum iter per aliquod tempus, ea ratione præcipuè; quia dictus Frater Albertus fuerat homo Pariſiis magnæ reputationis & auctoritatis, timebant, ne propter ætatem declinaret in memoria, & intellectu communi. Finaliter autem dixit idem Frater Albertus, qui erat Archiepiſcopus vel Epiſcopus Ratiſponenſis, ſe velle Pariſiis omninò accedere pro defenſione tàm nobilium ſcripturarum: & ibit Pariſios, in cujus ſocietate Frater Hugo prædictus acceſsit, ſicut ipſe aſſeruit ipſi teſti. Cum verò fuit Pariſiis dictus Frater Albertus, facta convocatione ſtudii generalis Pariſienſis, aſcendit Cathedram Fratrum Prędicatorum Pariſiis proponendo authoritatem: *Quæ laus vivo, ſi laudatur à mortuis*, ſupponendo dictum Fratrem Thomam vivum, & alios mortuos: & ipſius Fratris Thomæ laudes glorioſas & excelſas dicens, quod ipſe paratus erat in examine peritorum defendere ſcripta dicti Fratris Thomę, tanquam veritate fulgentia & ſanctitate. Et poſt multa dicta & collecta in honorem Dei, & approbationem eorumdem Scriptorum, idem Frater Albertus reddiit Coloniam, & dictus Frater Hugo cum eo, ut ipſe dixit eidem teſti. Et voluit dictus Frater Albertus poſt ipſum redditum facere ſibi perlegi omnia ſcripta dicti Fratris Thomæ per certum ordinem: & facta per eum congregatione ſolemni, extulit de ipſo Fratre Thoma commendationes eximias, glorioſas, & excelſas. ✻

Quorundam Pariſienſiũ attentatos cõtra Div. Thomæ ſcripta impetùs, Magn. Albertus compreſsit.

156 Inde quantum Angelicę D. Thomę doctrinæ apud Pariſienſes eximię commendationes accreſcerint, facilè non eſt ſignificare. Quandoquidem ſi adhuc vivente S. Doctore & Theologiam docente, ut ſcribit S. Antoninus: *Omnium ibidem concordavere ſententiæ, quidquid Frater Thomas Doctor determinaret, & definitivè proferret, hoc communis ſchola inconcuſsè teneret, experti namque erant in aliis de eodem, quam ipſe ſubtiliùs in omni genere veritatem attingeret, & eam clariùs edoceret.* Quid illa quorundam Pariſienſium attentata damnatio à Magno Alberto, Ægidio Romano, aliiſque benè multis protrita præſtare potuit, niſi Pariſienſium animos magis & magis Angelico Thomę devovere? Inde glorioſum illud Univerſitatis Pariſienſis decretum jam recitatum in favorem doctrinæ D. Thomæ. Inde Godefridus Doctor Pariſienſis eo tempore ſcribebat: *Fratris Thomæ doctrina, inter cęteras videtur utilior, & laudabilior reputanda; ut de Doctore, qui eam ſcripſit dici poſsit: Vos eſtis ſal terræ &c.* Et Petrus Rogerius Doctor Pariſienſis, & poſtea Clemens VI. ajebat eodem fermè tempore: *Audacter dico quod iſte præceſsit ſapientiâ omnes qui fuerunt ante eum, imò & poſt eum in Univerſitate Pariſienſi:: Eſt enim hujus Doctoris doctrina vera ſine contagio falſitatis.* Inde etiam elogia emanarunt ex Jacobo Viterbio, & S. Alberto Magno producta jam n. 84. & 155. & innumera alia quę ob brevitatem omittimus, memorantes ſolum fuſſas Pariſienſium preces ad Summos Pontifices, & ad Dominicanos pro conſequendis reliquiis ex corpore S. Thomę: nec fruſtra, cum annuente Magiſtro Generali, & decernente Urbano V. dextrum brachium Pariſios delatum fuerit, juxta tenorem Bullæ, ubi inter alia legitur: *Volumus autem, quod ſi Magiſtro ac Capitulo Generali dicti Ordinis proximè celebrando placuerit, ejuſdem corporis dextrum brachium, Priori & Fratribus domûs dicti Ordinis Pariſienſis ad decus & decorem totius ſtudii Pariſienſis in quo idem Sanctus ſuâ fęcundâ facundiâ, cæleſtis irrigui gratiâ influente, ſcripturarum ænigma reſeravit, ſolvit nodos, obſcura dilucidavit, dubiaque declaravit ad devotionem fidelium adaugendam, tranſmittatur, & in ipſa domo honorificè perpetuis temporibus veneretur.*

S. Antoninus 3. p. tit. 23. cap. 7.

Adverſantium inſultùs ſplendidiorem reddiderunt Pariſiis doctrinam D. Thomæ.

Godefrid. quodlibet. 12. q. 5.

Clemens VI. apud P. Alva, pag. 347.

Urbanus V. in Bulla: Urbanus, *10. Kalendas Julii, Pontific. ann. 6.*

Brachium D. Thomæ Pariſios defertur, & honorificè colitur.

160 Dicere igitur nobis liceat, vèl Illuſtriſsimum Viterbium ita loquentem audire: *Plura ſcripta magnorum Doctorum, poſt mortem eorum, inveniuntur impugnata & lacerata: ſed ſcripta ipſius Fratris Thomæ, licèt poſt ejus mortem à multis & magnis impugnata fuerint, & reprehenſionis morſibus attentata, tamen nunquam decrevit ejus authoritas, ſed ſemper invaluit, & fuit diffuſa ubique terrarum, cum cultu, & reverentia.* Ut jam non mireris lector, illud contigiſſe decurrentibus à morte D. Thomæ ſæculis, ut attentatę criminationes, iterati inſultûs, & procellæ perſequutionum contra doctrinam D. Thomæ ejuſque ſcholam, clariorem reddiderint Angelicam doctrinam, veluti aurum in fornace probatum. Ad doctrinam ſiquidem Doctoris Angelici ampliùs commendandam, elucidandam, propugnandam, ipſas perſequutionum procellas, & adverſantium præcipuè etherodoxorum, inſultûs, non parum deſerviſſe judico. Imò affirmare non dubitaverim, opus habuiſſe quodammodo Div. Thomæ doctrinam pro ſui majori firmitate hæreticorum morſibus, ad eum proportionaliter modum, quo Apoſtolus dixit: *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Si enim Auguſtinus in Exordio totius operis laudatus inde explicat teſtimonium Pauli, *Quod dum ab adverſario mota fuerit quæſtio, diſcendi extitit occaſio: multa quippè ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine excogitantur; ut adverſùs eos defendi poſsint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & prædicantur inſtantiùs.* Unde & Proverbiorum 27. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.*

Illuſt. Viterbius in Proceſſu canonizations cap. 9. n. 83.

Doctrina D. Thomæ veluti aurum ex fornace perſequutionũ probatum evaſit.

Sapent. 3. v. 6.

1. Corinth. 11. v. 19.

D. Auguſt. apud D. Thom. ibid. lect. 4.

161 Nonne ſimile quid, proportione ſervata, contigiſſe videtur in re noſtra? Plures fuere doctrinæ D. Thomæ oſſores, fateor; at multò plures extiterunt, exiſtunt, ſtabunt ejuſdem doctrinæ Propugnatores, eximiique Præcones ac validi Defenſores; adeò ut nobis liceat Diſcipulis D. Thomæ verba illa Eliſęi indicare: Nolite timere: *Plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis.* Nobiſcum enim ſunt quotquot Theologi poſt D. Thomam floruere, qui etiam dum non ſequuntur, laudant. Nobiſcum ſunt Dominicani omnes, ex quibus plures utiliter & eruditè inſudarunt glorioſè in doctrina D. Thomæ commendanda, propugnanda, ſcriptis & doctrina adverſus eos qui contradicunt ſtrenuè arguentes. In hoc diſſerendi genere eminerunt, poſt Albertum Magnum, S. Antoninum, Cardinalem Cajetanum, alioſque antiquos Dominicanos in Proceſſu Canonizationis S. Thomæ laudatos; Hieronymus Uvielmius, alter ex Concilii Tridentini Patribus, & Epiſcopus Argoliſenſis, in erudito opere de Scriptis D. Thomæ. Doctiſsimi Magiſtri Nazarius, & Bieſcas in Opuſculis de Scriptis D. Thomæ, & commendatione ſuæ doctrinæ. Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca. Seraphicus à Porrecta tùm in Proloquio de Altitudine doctrinæ Thomiſticæ, tùm in appendicibus pro utilitate Eccleſię Sanctæ Dei, in quibus ad oculum monſtrat, univerſas hæreſes à Divo Thoma propritas fuiſſe. Hujus Theologi morem noviſsimè ſequutus fuit, etſi compendioſo ſtylo, Franciſcus Van-ranſt in duplici aureo opuſculo ita inſcripto: *LUX FIDEI*, ſeu D. Thomas Doct. Angelicus omnium errorum ante vitam, in vita, & poſt vitam ad hæc uſque tempora ab incunabulis Eccleſiæ exortorum tenebras, è Litteris Sacris profligans, ac prædebellans. -- *Veritas in medio*, ſeu D. Thomas Doctor Angelicus Propoſitiones omnes circa *Theoriam, & Praxim, Rigorem*, ac *Laxitatem* verſantes à *Bajanis* uſque ad *Queſnellanas* 101. incluſivè, per tutiſsima & inconcuſſa, atque ab omni extremo remota dogmata prædamnans.

4. Reg. 6. v. 16.

Commendationis doctrinę D. Thomæ omnigeni indicantur egregii propugnatores.

162 Prætereà Joannes à S. Thoma profundiſsimus ille noſtræ Hiſpaniæ Theologus, tractatum edidit *de approbatione & auctoritate Doctrinæ Angelicę D. Thomæ.* Elaboraverat etiam, & Alexandro VII. nuncupavit Magiſter Didacus Morales egregium Opuſculum ſub hoc titulo: *Laus D. Thomæ.* Nec minori eruditione, & ſolida energia in hoc genere decertavit eruditiſsimus Magiſter Gravina in ſuo *Cherubim Paradiſi*, & in libris de *Sacro depoſito.* Ut omittamus Magiſtrum Gonet in ſua præclara *commendatione Doctrinæ D. Thomæ* Clypeo Theologię Thomiſticæ præmiſſâ: & Magiſtrum Contenſonium in *commendatione Sanctorum Auguſtini, & Thomę Aquinatis Doctoris Angelici*: Et quamplures alios quos Seraphinus Piccinardus omnigenâ eruditione pollens, appoſitè vocavit pro concinando egregio opere: *De Approbatione doctrinæ Sancti Thome Aquinatis.* Nobis autem ſat eſt S. Vincentium Ferrariũ memorare, de quo ſcriptum eſt: Magiſter Vincentius ſapientiſſimus Doctor Pariſienſis, Magiſter Sacri Palatii, qui ſemel Romæ poſuit hanc concluſionem: *Tota Summa Theologię S. Thomæ eſt vera.* Nec ſolum Dominicani in hoc argumento firmando inſudavere: inſudarunt namque poſt Ægidium Romanum, Illuſtriſſimus ſępeque jam laudatus Jacobus de Viterbio, de quo ſcriptum eſt in Proceſſu Canonizationis ubi ſupra: *Poſtquam guſtavit dulcedinem eorundem Scriptorum, nunquàm voluit videre alia ſcripta, niſi originalia & ſcripta dicti Fratris Thomę: & tenebat ac credebat, quòd ea, quę ſcripſit Frater Thomas, erant potiùs ex cogitatione ſpirituali per illuminationem Spiritus Sancti, quàm per humanum ingenium acquiſita. Et quando venit Neapolim, viſitavit locum Prædicatorum, & fecit ſe duci ad cameram, quæ fuerat dicti Fratris Thomæ, & oſtendi ſibi locum, ubi fuerat diſcus ejus, & ſtatim genuflexus ibidem coram multis Fratribus dixit: Veni adorare in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Domeſtica hæc veſtigia premens Baſilius Pontius doctiſsimam ſcripſit Apologiam nomine Univerſitatis Salmanticenſis pro juramento de ſequenda doctrina Div. Thomæ contra *Memoriale ad Judices veritatis.* Inſudarunt etiam ex aliis Religionibus & ſtatibus multi Theologi: nam præter recenſitos ex ſocietate Jeſu Theologos, in commendationem doctrinæ D. Thomæ fęliciter elaborarunt PP. Carmelitæ Excalceati in oratione Exortatoria præmiſſa Curſui Theologico-Scholaſtico. Eximius Theologus Franciſcus Silvius in Oratione Apologetica pro S. Thoma: & quot quot in conſcribenda D. Thomæ vita, ſimulque doctrina commendanda eruditam navarunt operam, quos nuper æmulatus fuit Paulus Frigerius noſtræ Romanæ Congregationis Preſbyter, qui ex Proceſſu Canonizationis, Officio Eccleſiaſtico, Bullis Pontificiis, & antiquis Scriptoribus, vitam Div. Thomę edidit Romę anno 1668. Ut inde appareat novo ſemper ſplendore circumfuſſam ex perſequutionem fornace auream D. Thomæ doctrinam ut diximus, evadere; quamobrem patietur Lector, ut noſtri Thomæ loquentis eloquia dicam: *Eloquia caſta* (non adulte-
„ rata per admixtionem alicujus extranei,
„ vel caſtigata à ſuperfluitate, vel incor-
„ rupta:: Non vana ſed firma:: plena ve-
„ ritate, undè) *Argentum igne examinatum*
„ (argentum eſt album ſine maculatione, ſo-
„ norum ſine ſimulatione, odoriferum ſine
„ infectione) *probatum terræ* (id eſt à terra)
„ *purgatum ſeptuplum* (id eſt perfectè.)

Antonius Brixenſis tom. 3. ſerm. 3.

In Proceſſu Canonizationis S. Thomæ n. 83.

Eloquia Div. Thomæ, eloquia caſta, argentum igne examinatum.

Pſalm. 11. v. 7.

D. Thom. ibid. in Comment.

✻⁎✻ ✻⁎✻

ARTICULUS X.

Divi Thomæ laudes, epilogo complectens.

163 POETIDAS antiquorenovatas hæreſes contra Myſticam Theologiam inſurgentes, loquente cum PP. ex Prophetis Doct. Angelico, diſsipandas aſſumimus. Doctorem enim iſtum cœlitùs datum, vel *cęleſtem* cum Eccleſia Sancta dicamus: *Verbo, vitâ, doctrinâ*: niſi velimus cum moderno quodam, metricè noſtrum laudare Doctorem.

Sol es, tergeminæ clariſsima lucis abyſſus:
Angelicus calamo, moribus, ingenio.

An non, ingenio quo pollebat Angelico, Scripturarum profunda ſcrutans Divini Fontis flumina, abditas Scholaſticæ & Poſitivę Theologiæ veritates pandens, calamo in gladium Gedeonis converſo, Sacræ hujus ſcientiæ hoſtes jugulavit? An non, moribus & vitâ veluti alter Cherubim charitatis flammeſcente gladio à veris myſtici paradiſi deguſtandis fructibus ſuperbos, impuros, fallaceſque expellit charitatis, & morum tractatores: *Norma factus morum, omniumque vas virtutum*? Veniam date lectores benevoli: ſi novum hunc Prophetam, veluti alterum Samſonem, in debellandis hæreticis antiquis & recentibus dicam: *Tanquam qui multò plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.* Atque ut novum Joſephum, cujus oſſa, nempè cęleſtia ſcripta, vel igne cœlitùs miſſo erudita, poſt mortem ſæpè prophetant, Diſcipuloſque prophetare docent in Conciliis, in Cathedra, in controverſiis, in Tribunalibus veritatis.

Judicum 16. v. 30.

Eccleſiaſt. 49. v. 18.

164 Quid ſi indè Sanctis Patribus me minùs obſequentiſsimum criminetur, unum loquentem Thomam in iis lucubrationibus proponentem, obiiciat aliquis? Voluntarium certè illi eſſet liberumque ita diſcurrere. Quomodo enim in Sanctos Patres demiſſam reverentiam, cordialiſsimum affectum, obſequentiſsimam ſummiſsionem, ſpecialem pro votis obſervantiam in intimo pectoris impreſſam non habeam; ego ille qui ſtò immeritùs, ad Scholam Philippi, ſingulari Dei miſericordiâ vocatus, Patriarcham ipſum Sanctiſsimum ut Patrem agnoſco? Ipſum enim filios admonentem audio, reliquoſque ad miniſteria Eccleſiaſtica deſtinatos; in acquirendis ſacris præſertìm ſcientiis; eos præcipuè Auctores evolvere, quorum nominibus littera S, initium eſt, v. g. Sanctus Auguſtinus, Sanctus Chryſoſtomus, aliique ſimiles. Et certè, quis non magni habeat, dùm ſacris vaccat ſtudiis, ad mentem tranſmittere, linguâ exprimere, ſcriptis exarare ſententias illas, quæ priùs in mente Sanctorum Patrum conceptæ fuerunt, eorumque vocibus & ſcriptis expreſſæ? Non ne Theologorum in evolvendis libris ſcopus ille debet eſſe: ut Jeſum cognoſcendum ſibi proponant, affectibuſque quęrendum & inveniendum, exemplo ſacræ Sponſæ? Utinam nobis quærentibus & in via veritatis ambulantibus, occurrant pro votis, inveniantque nos *Vigiles qui cuſtodiunt Civitatem*; juxta monitum illud Magni Gregorii: *Quęrentes autem nos, vigiles inveniunt qui cuſtodiunt Civitatem: quia Sancti Patres qui Eccleſiæ ſtatum cuſtodiunt, bonis noſtris ſtudiis occurrunt, ut ſuo vel verbo, vel ſcripto nos doceant.*

Cant. 3. v. 3.

D. Gregor. Homil. 25. in Evãgelia.

165 Et quidèm, cùm Divum Thomam in toto hoc opere loquentem audire decrevi; jam indè univerſos Patres, in ipſo loquentes, nullus dubitet. An non Theologiæ princeps meritò audit Doctor ille Angelicus, cui ſolemne fuit, nihil niſi ſacris litteris vel ſacris Scriptoribus apprimè conforme, in ſua reſolvere Theologia? Hæc enim ſacra ſcientia, tota quanta eſt, emanatio quædam meritò dicitur, mirificaque divinæ ſcientiæ participatio atque profundiſsimi divinitatis pelagi inveſtigatio; cui lucerna fidei lumen inter mundanam caliginem miniſtrat. Si igitur fidem à Deo per Prophetas loquentem, vel per Sanctos Dei homines Spiritu Sancto inſpiratos, accipiunt Theologi, quomodo non ex illis diſcurrere non debet Theologia? Ita planè Theologorum Scholæ Anteſignanus, dùm ex Prophetis loquitur, non niſi cum Patribus diſcurrit. Et quidèm quomodo à Patribus recedere potuit, qui omnium quodammodò aſſequutus fuit intellectum, pro ſuo in ſingulos humilimo obſequio, demiſſâ reverentiâ, atque in eis defendendis indefeſo labore? Quomodo à Patribus recedere potuit Angelicus ille Theologus, cujus doctrinæ ſumma Patrum compendium jurè prædicatur? Qui Patrum ſententias (ne ſingula dicam verba) adeò in mente retinuit, ut ſinę nova Patrum lectione ex illis conſtruxiſſe fertur auream illam in librum Evangeliorum catenam? Et ut alia benè multa hujus rei argumenta omittamus: quomodo à Patribus recedere potuit omnium Patrum fideliſsimus diſcipulus? An non Auguſtini tenaciſsimum peculiarique affectu addictiſsimum diſcipulum Thomam fuiſſe, orbis prædicat univerſus; nec hæretici ipſi negare audent? Ille eſt de quo Summus Pontifex Urbanus V. in Bulla ad Toloſſanos: *Beatus Thomas de Aquino, Beati Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam doctrinis & ſcientiis quamplurimis adornavit.* Ille eſt de quo Tridentinus Orator coram Synodo Tridentina dicebat: *Auguſtini obſervantiſsimus fuit.* Et Alexander hujus nominis VII. ſimul laudavit præclariſsimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis *inconcuſſa tutiſsimaque dogmata, &c. Quorum profectò ſanctiſsimorum virorum penès Catholicos univerſos ingenia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina, novi præconii cõmendatione nõ egent.* Ille eſt demùm, qui propterea in animi gratiſsimi ſpecimen erga ſanctiſsimum Doctorem Auguſtinum, è cujus doctrina profecerat, etiam ejuſdem Sancti Auguſtini Officium, quod canitur, adornavit, ut teſtatur S. Pius V. dicens: *Fiat de Sancto Auguſtino, cum diei Dominicæ commemoratione, cum Antiphonis videlicèt, Hymnis, Reſponſoriis, ac reliquis ipſorum Canonicorum propriis, ordinatis à D. Thoma Aquinate, juxta eorum antiquum morem.*

Urbanus V. in Bulla ad Toloſſanos.

D. Thomas Auguſt. doctrinę addictiſsimus, Officium pro S. Auguſtino ordinavit.

Alexander VII. Diplom. ad Lovanienſes.

S. Pius V. in Bulla 115. pro Canonicis Lateranenſibus anno 1570.

166 Ac tandem ſi Magnus Auguſtinus Priſcorum Patrum diſcipulum, ea qua pollebat humilitate, ſe ipſum appellare non dedignatur: quid non Thomas, Magiſtri ſequutus veſtigia, honoris & obſervantię erga Sanctos omnes Patres præſtaret? Thomas inquam ille cujus *anima ſuavior, & humilior fuit, quàm dici valeat*, ut memorię tradidit Sanctus Franciſcus Saleſius. Quomodo tandem ab Eccleſiæ Patribus disjungi valeat Doctor ille antiquitatis tenaciſsimus, qui licèt ab innumeris celebrari habeat dotibus; à conſervata tandem antiquorum doctrinâ & novitatum exploſſâ adinventione, cæteris Scriptoribus antecellit? Et ſanè, omninò ſuis principiis conſentaneus fuit Doctor Angelicus, dùm Patrum venerandæ antiquitati ſemper & indivulsè adhęſit. Etenim antiquitatis teſſeram uſque adeò veritati doctrinæ cenſuit neceſſariam, ut ipſi Evangelio etiam, quando prædicari cœpit non defuiſſe, præclarè obſervaverit exponens illud Apoſtoli: *Evangelium Dei quod anteà promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei de ſemine David, &c.* Ubi ait: „Commendatur Evangelium ex antiquitate, quod fuit neceſſarium contra Paganos, qui Evangelio detrahebant, quaſi poſt longa tempora ſubitò ejus prædicatio eſſet exorta. Et ad hoc exhibendum dicit *quod ante promiſerat per Prophetas*: Quia licèt ex tempore certo prædicari incęperit, ante tamen pronuntiatum fuit divinitùs. Iſaiæ 48. *Antequam venirem, vendicavi tibi.*

SS. PP. venerandæ antiquitat indivulsè adhæſit D. Th.

Rom. 1. v. 2.

D. Thom. ibid. lect. 2.

167 * Ornavit inquam D. Thomas (ut elegantèr pro more loquitur Contenſonius) innumeris compendiis Theologiam, adjecit gratiam, ſplendorem, ordinem, decorem, venuſtatem, gemmas ſculpſit, ſuiſque locis coaptavit; fidei depoſitum expolivit, ſed nihil mutavit, trita vetuſtatis veſtigia ſemper inſectatus. Quid enim aliud ſunt Aquinatis libri, quàm antiquæ fidei propugnatio, veterum Patrum apologia, & traditionum Apoſtolicarum fidelis obſervantia? Nunquam Doctor ille ad dexteram vel ſiniſtram declinans, proprios ſenſus obſtruxit? Nunquam ſcripturarum explicationem ex ſuo ingenio petiit? Nunquàm divinæ legis pręceptis exceptiones appoſuit pro arbitrio? Sed antiquum Eccleſiæ Catholicæ ſenſum ad nos traditione propagatum, ſemper retinuit, Sanctorum Patrum dicta, velut inextinctas quaſdam ſemperque lucentes faces, ſemper ſequutus eſt, ad Conciliorum decreta, ad incorruptibiles Eccleſiæ regulas, ad tritam Sanctorum viam omnes ſuas reſolutiones exegit. * Hìnc eximii Theologi Franciſcus Silvius, Gravina, & noviſsime Vincentius Baronius Sanctum Thomam Doctoris communis illuſtri nomine decorarunt; quia illi veridicè accomodare licet, quod de Epiſcopo Muſonio Baſilius ſcripſit: *Cuſtos fuit rituum paternorum, inimicus novandarum rerum, nihil de ſuo, nihil quod novę alicujus cogitationis inventum reciperet, attulit hic vir, ſed juxta benedictionem Moyſis ex ipſis arcanis cordis ſui, ac bonis theſauris veterum, & quæ ante faciem Juniorum vetera eſſent, proferre novit.* * Sed quia immoramur in adducendis teſtibus pro veritate ſe ipſa patente in ſcriptis S. Doctoris: adeò ut ipſius cum SS. Patribus in ſententiis conſenſio, ſolùm ab illo ignorari valeat, qui Angelica opera Aquinatis nec à limine ſalutavit? Innumeri namque cùm ſint articuli, nullus fermè eſt, qui non alicujus Patris (Auguſtini præſertìm) auctoritate fulciatur. Meritò igitur, quæ de Angelo ad Danielem miſſo dicuntur: *Vox ſermonum ejus ut vox multitudinis*; de Sole Aquinatis in Patribus loquente affirmari valet. De Doctore inquam illo verè in carne Angelo, juxta illud Labbęani pronuntiari: *Thomas Angelus erat, antequam eſſet Doctor Angelicus*; ac tandem cum eodem erudito Scriptore, de Summa Div. Thomæ repetere non piget: *Incluſit Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, &c.*

Contenſonius in laudata commendatione.

D. Thom. Dr. communis jure prædicatur.

S. Baſilius Ep. 62.

Daniel 10. v. 6.

168 Et quid dicam de Sanctiſsimis, omnique ſcientia, eruditione, prudentia, atque ſapientia conſpicuis viris, poſt Angelicum Doctorem Eccleſiam illuſtrantibus? Illorum plures in noſtri operis ſubſidium firmiſsimumque adjutorium vocare, in animo eſt; nec tamen ab uno Doctore Angelico loquente receſſurum, nec in minimo perſuaſſum mihi eſt. Etenim dum antiquos Patres in Thoma loquentes audio: poſteriores Eccleſiæ Doctores, & meritò Patres, ſi doctrinæ eorum accreſceret antiquitas; non niſi ex Thoma docentes video. Et ut omittamus Vincentios, Ludovicos, Pios, alioſque benè multos ex omni ferè ordine & ſtatu, quos recenſere longum eſſet; Patriarcham Philippum, Matriarcham Tereſiam, dulciſsimum Saleſium, prætermittere ſine injuria non poſſem: Quandoquidem ſubjiciendæ in toto opere diſſertationes palam facient, quantùm roboris, energiæ & ſoliditatis indè haurienda ſunt. An non in Angelica Divi Thomæ Summa Divinam illam hauſit Seraphicus noſter Philippus ſapientiam, qua innumeros penè filios Chriſto peperit; quoſque verbi Dei quotidiano pabulo, Sacramentorum frequentia, orationis aſsiduitate, aliiſque piis exercitationibus enutrivit? Ita utique, ſolitus proinde dicere: *In aliis Sanctis Patribus ſpiritum,*

SS. Patriarcha Philippus in Scriptis Div. Thomę doctrinam invenit, & venam ſpiritus.

Frigerius lib. 1. c. 7. n. 3.

in Thoma venam Spiritus inveniſſe. Quid ergò mirùm ſi Paulus Frigerius ex noſtra Congregatione Presbyter vitęque Sancti Thomæ Scriptor tradiderit: *Beatum Philippum in rebus Theologis Sancti Thomę doctrinam atque ſententiam ſolitum ſequi, ſemperque ejuſdem Summam in manibus habere, & in controverſiis ſtatim ad Angelicum Doctorem provocare.*

Matriarcha Thereſia cæleſtis doctrinæ pabulum ex Doctore hauſit Ang.

169 De Matriarcha Thereſia, in Doctrina Divi Thomæ ad miraculum erudita, ſi quis dubitet, riſu excipiendus eſt, nec ut redarguatur dignus; in oppoſitum toto eunte litterario Orbe; clamantibus quoque innumeris Thereſiæ filiis, virtutibus & Doctrinis de Eccleſia benemeritis. In myſtica enim Divi Thomæ Theologia, cæleſtis ejus Doctrinæ pabulum (quibus fideles enutriri, piæque devotionis affectu erudiri optat Eccleſia) ad inſtar Patriarchæ Philippi, Matriarcha mutuavit Thereſia. Ac tandem Melliſluus Saleſius, omnibus omnia factus, nonne Scriptis ſuis cæleſtis doctrinæ plenis, Eccleſiam illuſtravit, quibus iter ad Chriſtianam perfectionem tutum & planum demonſtrat? Sed undè divinæ illius ſcientiæ theſauros effodit? An non ex Summa Divi Thomæ, quam ipſi exponendam, explicandam aſſumpſit Doctiſsimus Pater Poſſevinus? Quid ergo mirùm appellaverit Noſter Saleſius (referente Frigerio) *Sanctum Thomam de Aquino Doctorem majorem, qui unquam fuerit?*

D. noſter Saleſius ex Summa D. Thomæ divinę ſcientiæ theſauros effodiit.

Frigerius lib. 1. c. 8.

170 Neque fas mihi eſt ex Thoma loquentem Thomam non indicare. Thomam inquam eleemoſynarium ex Angelico Thoma. Thomam illum in hujus Schola irradiantem ſtellam primæ magnitudinis, indeque novo ſplendore illuſtrantem. Illuſtravit utique Scholam noſtram, cui inſignes dedit diſcipulos, inter quos, prępcipuè viſus fuit mundo & Eccleſiæ in Tridentino Concilio irradiare Dominicus Soto laudatus jam ſæpe, & benè laudandus. Sed primitię fuerunt iſtæ, veluti indicia fructuum intellectualium, quibus ad Auguſtini Scholam & Ordinem divino ducente Spiritu tranſlatus, Thomiſticum Viridarium fœcundavit. Ad Theologicam ſiquidem Cathedram ex obedientia evectus, ſuis & exteris Magiſtrum Sententiarum aſſumpſit elucidandum.* Sequutus ſemper & amplexus in ſui explicatione (inquit Mag. Salon Auguſtinianus, in noſtra Valentina Univerſitate Theologiæ Profeſſor, & Orbi Litterario notus in Opere doctiſsimo: *De Juſtitia & Jure*) doctrinam Angelici Doctoris S. Thomæ; quam ſemper profeſſus fuit, cuique devoto affectu adhæſit; cùm ob magnam ſanctitatem, eruditionem, clarumque ingenium hujus glorioſi Doctoris, cujus nomine gloriabatur: tum etiam quia filium ſeſe conſpiciebat clariſsimę, & ſplendidæ Doctorum lucis Magni nimirum Parentis Auguſtini, quam in doctrina, Sententiis, rationibus, fundamentis & diſcurſibus, adeo ſequitur Divus Thomas, & imitatur, ut in ipſo videre ſit Diſcipulum Auguſtini, ejus auditam doctrinam repetentem.* Salonio conſentiunt vitæ S. Thomæ à Villanova Scriptores ſequentes.

Mag. Salon in Vita S. Thomæ lib. 1. c. 13. in ſecunda editione.

Cap. 6.

171 Sed quid opus eſt ab illis veritatem audire, quam propriis oculis conſpicere poſſumus in ipſis Sanctiſsimi Archipræſulis ſcriptis & concionibus, quæ teſtimonium cunctis præbent de propoſita veritate: adeo ut Scriptoribus illis valeamus dicere ad rem noſtram, quod in alio aſſumpto mulieri Samaritanę ejus reponebant Concives: *Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus.* Audimus utique & ſcimus Sanctum Thomam à Villanova in ſuis doctiſsimis ęquè ac piis concionibus, Angelici Thomæ Theologiam eloquenti energiâ eructantem: Utque de innumeris taceam; non poſſum non ſignificare quid de gratuita Prædeſtinatione, Gratiaque proinde ſe ipſa efficaci, Angelicæ D. Thomæ Scholæ notione characteriſtica, Thomas Eleemoſynarius ſcripſerit, inquiens: *Omnium donorum & gratiarum, quæ homini preſtantur, aut præſtari poſſunt, electio illa, ſive prędeſtinatio ab ęterno, qua ſit Deo gratus, & acceptus, & ad vitam ęternam deſtinatur, ſicut prima, ita & maxima eſt. Eſt quidem prima, quia ab æterno; eſt pura, quia non ex meritis; eſt maxima, quia immutabilis & certa & omnium aliarum cauſa:: Sicut ait Apoſtolus:* Quos prędeſtinavit hos & vocavit, & quos vocavit hos & juſtificauit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. *Catena hæc indiſſolubilis eſt, & quam totus infernus non poſsit infringere, ex electione vocatio, juſtificatio, magnificatio, & glorificatio, & quidquid bonum, ſive in præſenti, ſive in futura vita electis confertur, ex prima illa origine gratuita emanavit. Non enim propterea Deus elegit nos, quia merita noſtra futura prævidit, ſed è converſò ideo ad cumulum meritorum pervenimus, quia ab ipſo electi fuimus: ut non ex nobis, ſed ex ipſo ſit noſtrę ſalutis origo.* Qui ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, *purè gratis (quia ſic voluit, & ſic fuit placitum coram eo) ſine operum, aut meritorum reſpectu elegit* nos ante mundi conſtitutionem: ut eſſemus Sancti & immaculati coram eo.

Joan. 4. v. 42.

D. Thom. à Villanova concione de S. Joanne Baptiſta.

Roman. 8. v. 30

D. Thom. 1. p. q. 23.

172 Et ut appareat prętereà quàm ſibi arriſerit ſententia hęc Auguſtino-Thomiſtica, iterum in propoſito ſic loquens audiatur: *Felices illi*, qui in hoc libro (ſcilicet liber vitæ. ſeu prędeſtinationis) *ſcribi, non dico, meruerunt, ſed acceperunt: non enim ex meritis eſt illa prædeſtinationis conſcriptio, ſed ex pura gratia, & dono Dei, quæ prima & maxima eſt omnium gratiarum: non enim quia Deus pręvidit ſanctitatem & meritum, ideo elegit, ut ipſa pręviſio meritorum ratio ſit prædeſtinationis & electionis, ſed è contrario, quia Deus prędeſtinavit & elegit, ideò Sancti erunt & boni. Teſte Apoſtolo ad Epheſios*, qui elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, ut eſſe-

Concione de Nativitate Virginis.

ſemus Sancti & immaculati coram eo. Auguſtinus, non quia futuri eramus Sancti, ideò elegit, ſed quia elegit, ut eſſemus Sancti: *Electio cauſa eſt ſanctitatis, non ſanctitas electionis. Non in nobis, ſed in Deo, non in merito, ſed in gratia, primum fundamentum & origo eſt noſtrę ſalutis.* Quia quos prædeſtinavit, hos vocavit, hos juſtificavit, hos magnificavit. Bernardus, Catena iſta indiſſolubilis eſt, non valet eam infringere totus mundus, neque totus infernus, quia qui ab ęterno ſcriptus eſt in libro vitę, proculdubiò non delebitur in æternum. *Et quamvis Pſalmus dicat*, deleantur de libro viventium, *deletio iſta intelligenda eſt ſecundùm præſentem Dei juſtitiam aut privativè: ſicut Deus dicitur odiſſe quos non amat, excæcare quos non illuminat, indurare quos non emollit, ſic quoque dicitur delere quos non ſcripſit.*

173 Archipræſule noſtro Thoma ad occaſum in terris vergente, ut luceret in Cęlis tanquam ſtella in perpetuas æternitates, mundo erudiendo eluxit Ignatius, lucida tamen doctrina à Sole Aquinatis mutuata, eâque proindè imbuendos ſuos præcepit filios, ut plurimis demonſtratum eſt artic. 4. præcedenti à num. 78. Nec tamen prætermitterem iterùm commendare Patriarcham ſanctiſsimum ex cordiali qua ducebatur, piaque affectione in doctrinam Angelici Doctoris, quidve honoris indè Ignatio Parenti delatum fuerit, indicare. Niſi aliàs nobis præierit Julius Clemens in confirmationem ſolidæ doctrinæ D. Thomæ ſcribens: * Hinc ortum habuit id quod Cardinalis Franciſcus Maria à Monte in relatione de vita & miraculis B. Ignatii, habitâ coram Gregorio XV. in Conſiſtorio ſecreto, ad declarandam, confirmandamque ejus fidei magnitudinem & excellentiam protulit: *Novas opiniones haùd unquam admiſit, & in Theologia Scholaſtica doctrinam Doctoris Angelici ſequutus eſt.* Ut jam mirari non ſit eruditum Magiſtrum Gravinam ſcribentem.* Præter omnium virtutum genera, primum quod requiritur in Sacra Apotheoſi Sanctorum Eccleſiæ eſt fidei excellentia, & ſi ſit in illius ſinu educatus; & ſi fidei Catholicæ doctrinam Theologicam ſuperaddiderit, maximè Thomiſticam, excellentioris fidei non leve ſubminiſtrat argumentum. Undè in Sacra Apotheoſi S. P. Ignatii illud quoque præter fidei excellentiam, & pro ejus oſtendenda excellentia relatum eſt per Cardinalem de Monte: quod in Theologia Scholaſtica doctrinam Divi Thomæ ſequutus eſt. *

Julius Clem. Scot. in c. 4. de Reform. doct. poſit. 4.

Mag. Gravina lib. 4. de Preſcrip. ar. 10. & art. ult.

174 Hinc quò Patriarchæ Ignatio propinquiores, eò Angelicæ doctrinę addictiores conſpicimus filios. Sic mihi perſuaſum reddidere ſtatuta per temporum intervalla diſpoſita, ſupraque tranſcripta circa ſequendam doctrinam D. Thomæ. Sic videntur oſtendere antiquiores PP. quorum plures dedimus in commendanda doctrina D. Thomæ, nulli fortè ſecundos, Alfonſum Deza, Poſſevinum, Alamanium, Enriquez, Baezam, Cardinalem Toletum alioſque ſimiles, inter quos annumerare eſſet Sanctiſſimum Borgiam, niſi ejus erga doctrinam D. Thomæ adeo eminens fuiſſet affectio, ut cogat nos & de ipſo ſigillatim aliqua dicere. Vel potius ipſum loquentem & ſcribentem audire, attendere. Scribentem inquam, dum totius Summæ Theologicæ Divi Thomę præcipuas materias pio compendio tradidit. Sic apparet in Opuſculo, cui titulus eſt: *Sancti Franciſci Borgiæ pręcipuæ magiſque neceſſariæ Divi Thomę Aquinatis materiæ, in Litaniarum rationem redactæ.* Loquentem autem, dùm in Pręludio concludit: *Habes jam chariſsime Lector, hujus noſtri Opuſculi mentem. Perſuaſi autem mihi, hoc quidquid eſt, quantumvis inconcinnum, & nullâ artis induſtriâ conditum, abundè gratum, ac ſalubrè futurum, quod ſanctiſsimi, ac doctiſsimi Thomę titulo commendatum ſit: cujus admirabili doctrinâ Dei optimi ac maximi Eccleſia mirificè illuſtrata ſit.* Et quia tamen aliqua omiſſa ſunt in illis litaniis, quæ Divus Thomas habet in Summa, ne alicui videretur ab eis receſiſſe, monet: *Hìc adverte, multa me omiſiſſe ex quæſtionibus, & articulis Sanctiſsimi Doctoris, non quod ab iis diſſentiam, ſed ne adeò protrahar, aut tibi ampliori defatigationi ſim.*

S. Franciſcus Borgia in Litaniis ex Summa D. Thom.

175 Nec tandem prætèrire poſſum, quin Venerabilem & Excellentiſsimum Dominum meum, Dominum Don Joannem de Ribera; inter præcipuos Angelici Doctoris Diſcipulos gratulabundus recenſeam; quippè qui in Salmantina Univeſitate Angelici Thomæ ſolares Doctrinæ radios ebibens, inſtruentibus celeberrimis Dominicanis Magiſtro Domino Soto, Melchiore Cano & Petro de Sotomayor, adeò in Angelici Doctoris propugnanda doctrina eluxit, & eximia morum probitate, ut de ipſo affirmare laudatus Soto non dubitaverit: *Eo tempore divinitùs miſſum fuiſſe ad celeberrimam illam Univerſitatem reformandam.* Solitus namque fuerat & intellectum doctrinâ & voluntatem devotione nutrire, frequenti communicatione cum laudatis Magiſtris Soto & Cano, quibus affectum ſuum ſpecialiter devoverat. Indè theologicis inſulis redimitus Angelici Thomę Theologiâ inſtruendos innumeros diſcipulos accepit; quouſque ſuper Eccleſiæ Candelabrum aſcendere fuit penè coactus.

176 Nec mirum cuique debet eſſe, quòd hujuſmodi aliique ſimiles Eccleſiæ in poſterioribus ſæculis dati Miniſtri, Divi Thomæ doctrinam in eo habeant pretio, cùm illam ſpectent tanquam cælitus datam ad Ecclecleſiæ tutamen ſimul & ornamentum. Si eam ſpectant veluti Orbis decorem, morum legem, virtutis incitamentum. Si eam ſpectant Eccleſiæ Præconiis commendatam, Sũmorum Pontificum oraculis munitam, Conciliorum auctoritate roboratam, Apoſtolorum Petri & Pauli dignatione clareſcentem

tem, Cœlicolarum, Angelorumque teſtimoniis mirificè nitentem, & quod caput eſt, Dominatoris ſummi, Dominatricisque Mariæ mirabili elogio probatam.

Cardinalis Caſanate, apud Gravesonii tö. 8. ſol. nibi 117.

177 Hæc cùm ita ſint, meritò Eminentiſsimum Cardinalem Hieronymum Caſſanate ſępius dixiſſe fertur * Fælicem Orbem fore, ſi una Sancti Thomę doctrina ubique obtineret, unus in Scholis, & Academiis Thomas Doctor audiretur, conſuleretur in dubiis: *Nullę eſſent* (inquiebat) *in Orbe* hęreſes, nulla in Morali mollis, & geniis accomodata, quæ conſcientias hominam regit, relaxatio; nulla in Myſtica Theologia, quę Sanctitati viam ſternit, exerratio, aut illuſio; ſed ubique in Scholis vetuſta Patrum regnaret Theologia: cujus beneficio facilè reprimi poſſent errores ac novitates, quibus oppugnari fidem ac Religionem Catholicam nonnunquam afflicta ingemiſcit Eccleſia. * At licèt Cardinalis iſte taceret, nonne ab illo aſſertam veritatem orbis agnoſcit in Dominicana Religione, pluribus in hoc dicendi genere à Summis Pontificibus commendata? Quippè quæ aquam bibens de hac myſtica cęleſti ſiſterna, puteique ſalutaris fluenta foras derivat, atque in plateis ſalutis aquas dividit. Ut indè iterato cum Alexandro Papa IV. dicere ſuaviter impellar, dulcique neceſsitate cogar.

Prov. 5. à v. 15.

Alexander IV. in Bulla quæ legitur in Prologo Conſtitutionum Ordin. Prędicator. Et memorat Piccinardus ad Calcem Tomi 2.

** Hic eſt Ordo Sacer Prædicatorum, honeſtate floridus, præclarus ſcientia, virtute fœcundus, à Sede Apoſtolica meritò approbatus, qui inter alia plantaria Dominica, puritate converſationis, ſapientiæ dono & virtutis merito dignoſcitur ſpecialiter inſignitus. Hujus ſacri, clari, conſpicui, & approbati ordinis fratres, Sacrum Scripturarum ſtudio, inſtanter incumbunt, animarum profectibus, Divinis Officiis & orationibus inceſſanter intendunt, atque Evangelicæ prædicationi ardenter inſiſtentes, lumen divinæ doctrinæ ubique per orbem diffundunt. Hi ſunt viri doctrinâ clariſsimi, qui contemplationi cęleſtium ferventer invigilant, & piæ vitæ ſtudio ſine intermiſsione deſudant. Hi ſunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidèm in opere, & in prædicatione potentes, quorum labia gratia cœleſtis edocuit ad propinandam ſalubrem doctrinam aliis, & commodum ac profectum animarum Chriſti fidelibus exponendum. Unde ubique per mundum ore ipſorum intonant veluti tubæ, ac in omnem terram exit ſonus prædicationis eorum & uſque ad fines Orbis ſua ſalutifera verba ſonant. Hi ſunt viri præclari conſpicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia ſydera in Eccleſiæ fundamento ſuis ſplendidiſsimis documentis viam cœleſtis vitæ mortalibus inſinuant. Hi ſunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui ſua ſacra converſatione ſuaviter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à ſomno negligentiæ celeriter ſurgere, & excuſſa prorſus inertia, ad opera lucis & bonitatis feſtinanter properare. Hi ſunt dilecti Deo & hominibus, fratres videlicet Prædicatores, morum honeſtate conſpicui, ſcientiæ titulis inſigniti, quos Æterni Patris benignitas inter plurimas Perſonas Divinis obſequiis deputatas, pro ſui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda ſalute, ſpecialiter elegit, qui ſuum ſemper affectum ad amorem cęleſtium dirigentes, virtutem Divini nominis ubique publicant, & pro Chriſtianæ Religionis ampliando cultu vigili attentione laborant. Hi ſunt, qui vitam & merita Beatiſsimi Pauli Apoſtoli contemplantes, gloriantur in ſola Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & mundi pompas, ac ſolatia ſpernentes, ad ſolam cœleſtem patriam, & ad Paradiſi delicias recta intentione ſuſpirant. Hi ſunt, qui propter Deum ſemetipſos ſalubriter abnegantes, elegerunt ſub arctiſsima paupertate Deo deſervire, tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes. Hi poſtremò ſunt, qui quùm omnia terrena propter amorem bonorum cœleſtium reliquerint, ſobriè, juſtè, piè & caſtè viventes, ac exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur, perfectionem Evangelicam amplexando. **

179 O me nimis fęlicem, ſi loquentem Thomam in Patribus ex Prophetis proponere pro votis contingat! Utinam dicere mihi liceat veridicequè pronuntiare in toto præſenti opere elaborando: *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui doctus à Deo in Patribus, & Prophetis, docuit me à juventute mea.* Sic enim Clementis VI. aliàs laudati monitum amplexabimur: ſcilicet: *Hujus doctrina non recedat ab ore, non recedat à corde: quia ipſam ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris, ipſam ſtudens ad veritatem pervenis. Tenui ergo nec dimittam.* Faxit Beatiſsima Triados, Deipara Virgo, protegentibus Apoſtolis Petro & Paulo, Doctore Angelico, Patriarcha Philippo, Magno Auguſtino, utroque Vincentio, Matriarcha Thereſia, mellifluo Saleſio, in operis adjutorium ſpecialiter vocatis, humiliter implo-ratis; utinam prælucentibus!

LIBER I.

ADVERSUS PUDICITIÆ ET CHRIſtianæ vitæ apertos hoſtes.

EXORDIUM ET GENERALIS partitio operis.

MODERNOS & antiquos *Myſticæ Theologiæ* hoſtes, noſtris quantûcunque jejunis lucubrationibus, debellandos accepimus, proponimus, aggredimur, quos veluti in agro dominico zizania ſuperſeminantes, aptiſsimè ad mentem Chryſoſtomi, & Hieronymi conſpeximus, deſcripſimus. Nec immeritò quidèm illorum diſſeminatos errores zizaniis comparatos, vel in zizaniis obumbratos dedimus in exordio totius operis ad Apparatum præliminarem, eò quia variis ſimilitudinibus colorati & depicti apparuerunt, apparent, obſtetricante Dœmone antiquo ſerpente ex inimicitia ad Deum odio in homines debaccante. Diaboli ſiquidem callidam aſtutiam ſuos ebibiſſe miniſtros errorum architectos antiquorum temporum, recenſiti in 1. Proleg. Annales monſtrant; & noviſsimis temporibus in apertum poſuit obſcuriſsimus juxta & ſpurciſſimus Molinos, in arte fallendi incautos, nulli forsàn ſecundus, atque in extumulandis, & novo falſæ pietatis colore depingendis antiquis fœtoribus aſtutiſsimus. Eapropter adverſùs errores ſacræ Myſticæ Theologiæ contrarios decertaturi, in unum tamen moliniſticum ſyſtema arma lucis vertenda præcipuè duximus, veluti in errorum retroacti temporis fœtentem ſentinam: adeò ut vix antiqua fœtida errata diſſipare ſit, quin moliniſmus anticipatò protritus appareat.

Ut igitur malè conſtructam moliniſticam machinam ab ipſo fundamento, diruamus & eradicemus, antiqua omnia hujus generis errata, & referenda, & evertenda propoſuimus. Referenda quidem, ut veluti oculis conſpiciatur, nihil aliud eſſe moliniſmum, niſi (ut aliàs num. 1. diximus) errorum omnium adversùs chriſtanam perfectionem & pudicitiam graveolentem cloacam. Evertenda demùm, ut ita everſis antiquis erroribus, ſeu fundamentis, quibus ſuperſtruere molitus Molinos fuit falſæ perfectionis, omnigenæque impudicitiæ doloſam & ſpurciſſimam machinam, corruat iſta, ruat ſua ſpontè vel ab ipſis fundamentis. Sic igitur ex adverſo nos procedentes quadripartitam (juxta quadruplicem errorum genus) dabimus Catholico-theologicum armamentarium quatuor libris compaginatum. In libro 1. (ut indicatum monſtrat Epigraphe) adversùs pudicitiæ & chriſtianæ vitæ apertos hoſtes pro vita chriſtiana & pudicitia pugnabimus; Millenarios nimirûm, Simonem Magum in excludendis bonis operibus poſteriorum hęreticorum primipilum, & Maſſalianos tandem qui ea parte qua eleemoſynæ & jejunio adverſantur, impudicitiæ aliàs dediti, hoſtes aperti jure audiunt. Liber 2. Sacra & Evangelica arma, contra Evangelicæ perfectionis ſubdolos deturpatores vertet, Maſſalianos in quibuſdam & præcipuis eorum deliramentis, Beguardos cum Beguinis, & ex parte Lutheranos cum Calviniſtis, alioſque modernos Novatores. In libro 3. Moliniſticam deſidioſam, pernicioſam quietem, & circumvelatam impudicitiam exterminandam aggrediemur, otio ſanctè operoſo contra otium deſidioſum & inane commendato. Liber 4. accedet, amoris pſeudo-puri ruinoſum erumpens ſyſtema, ejuſque conſequutiones diſsipans. Cuilibet autem ex deſignatis libris, imò & Diſſertationi, cominuendas & exterminandas adjungemus

gemus, per modum Appendicis, errorum propulſatorum erumpentes novas etherogeneas quiſquilias. Hæc omnia ſi ex votis contingant, diſputatum erit adversùs antiquorum omnium & recentium errorum fœdiſsimas tenebras Myſticam Theologiam obſcurare tentantes, loquente (ut promiſimus) cum Patribus ex Prophetis Angelico Thoma, *Cujus vi ac veritate doctrinæ non ſolum innumeræ, quæ vel ipſius ætate, vel ante graſſatæ ſunt, ſed multæ etiam, quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, ut confuſſæ & convictę diſsiparentur, Omnipotentis Dei providentiâ factum eſt*, prout aliàs cum Benedicto XIII. diximus Proleg. 3. n. 112.

Aſſumptis lucubrationibus, ad optatum finem, Deo auſpice, ſi devenerint fęliciter, ſubjungere in animo eſt quintum librum & volumen ad elucidanda ea in quibus expendendis tota quanta eſt occupatur Sacra Theologia Myſtica: paſsiones nimirùm animi ad debitum ordinem reducendæ, ut ita rationi rectæ obſequentes, materia fiant virtutis, quæ aliàs incitamenta ſolent eſſe peccatis, ipſiſque paſsionibus, quibus ſolet vincere, vincatur diabolus. Virtutes deindè ſunt deſcribendæ, quarum decora honeſtas, *ſi oculis cerneretur* (ajebat Plato) *mirabiles ſapientiæ amores excitaret*. Elucidatis virtutibus, admiranda proponemus & optanda Spiritus Sancti multiformia dona, quibus virtutes ipſæ roboratæ contra ingenitam naturæ lapſæ debilitatem, innumeros honoris & honeſtatis fructus conſtanter eructant, geminant, emittunt. Tandem elucidatas dabimus & delineatas omnes gratias gratis datas, ut inſtructus homo in ſe ipſo per moderantiam paſsionum, irradiantes virtutes, & ſacrum Divini Spiritus ſeptenarium, ad alios inſtruendos exemplo procedat & doctrinâ: ſpiritualibuſque armis munitus in arenam deſcendat, *potens exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Tanquam verus inquàm Theologus ſacrâ iſtâ ſcientiâ practico-ſpeculativâ inſtructus, qua, *Fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Talis fuit Angelicus Thomas, quem proponimus in decurrendis propoſitis elucubrationibus ductorem, patronum, Magiſtrum, & eloquia myſtica adeò mirabiliter & dilucidè ex abundantia devotionis eructantem, ut prædicari à nobis licuerit Proleg. 3. n. 92. in Theologia Myſtica Angelus in carne præter carnem vivens; *norma factus morum, omnium vas virtutum*; omnigenâ repletus gratiâ. Hæc omnia, poſtremo volumini ſivè libro 5. conſignanda, appellare placuit elementa Myſticæ Theologiæ, veluti ex quibus ſacra hæc ſcientia in Proleg. 2. art. 6. bene deſcripta, coaleſcere videtur. Sic igitur generaliter indicatâ noſtrarum diſputationum aſſumptâ economiâ; ad proterendos per ordinem deſignatum hæreticos accingimur, commendata priùs humilitate & virginitate, ob rationem proximè indicandam.

***

HU-

HUMILITATIS ET VIRGINITATIS Theologica præcommendatio.

1 MATER hęreſum omnium, atque errorum, una ſuperbia prædicatur, dicente Auguſtino aliàs laudato in Apparatu Proleg. 2. n. 3. *Diverſis locis ſunt diverſa, ſed una mater ſuperbia omnes hæreſes genuit*. Et quidem pręlucente Eccleſiaſtico verbis illis: *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, receſsit cor ejus, quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem*. Hujus funeſtæ illationis rationem nobis ſubminiſtravit D. Ang. ubi ſupra num. 2. & 9. Superbiam deinde, obſtetricante luxuria, obſceniſsimos errorum fœtus ad Mundi perniciem parturiiſſe, ita monſtratum eſt, ut non ſit opus in re tam nota immorari, poſtquam Deo dictante, ſcriptum eſt: *Mulier apoſtatare facit ſapientes*. Et docente experientia protulit Baronius num. 10. *Nullam propè fuiſſe unquam hęreſim, quæ non habuerit fœminam adjutricem*. Quia igitur à ſuperbia initium derivavit, derivat errorum ſpurciſsima colluvies, manuducente luxuriâ: ab humilitate commendata, & ſupra cęlum ipſum ſuperexaltata, exordium auſpicantur noſtræ qualeſcumque exiles lucubrationes, ad diſsipandos errores illos inſtitutæ. Si enim ſuperbia, humilitate; & luxuria virginali proteritur continentiâ: quis de ſuperbis & impudicis erroribus victoriam in diſputationibus & triumphalem palmam in praxi reportabit, niſi Theologus humilis & pudicus? Talis utique fuit D. Thomas, ad miraculum humilis, peſtiferæ ſuperbiæ nunquam perſentiens ſtimulum: & uſque ad admirationem heroicè pudicus, in carne pręter carnem vivens. Audiamus igitur Doctorem iſtum, cum Patribus ex Prophetis loquentem, elogiaque humilitatis & virginitatis ex abundantia cordis Angelicè proferentem, in hac pręliminari Scholaſtico-Theologica Præcommendatione.

Eccleſiaſt. 10. à v. 14.

Cap. 19. v. 2.

ARTICULUS I.

Naturam aſsignans, & ſubjectum humilitatis.

,, 2 HUMILIS, dicitur juxta D. Iſidorum, *quaſi humi acclivis*, ideſt, imis inhærens (inquit D. Thomas) quod quidem contingit dupliciter: uno ,, modo ex principio extrinſeco (puta cum ,, aliquis ab alio dejicitur) & ſic humilitas eſt ,, pœna. Alio modo, à principio intrinſeco: ,, & hoc poteſt fieri quandoque quidem benè (puta cum aliquis conſiderans ſuum defectum tenet ſe in infimis ſecundum ſuum ,, modum) ſicut Abraham dixit ad Dominum: *Loquar ad Dominum meum, cum ,, ſim pulvis & cinis*. Et hoc modo humilitas ponitur virtus. Quandoque autem poteſt fieri malè, puta, cum homo honorem ,, ſuum non intelligens, *comparat ſe jumentis inſipientibus, & ſimilis fit illis*. Videas inde, multum diſtare inter *humiliationem & virtutem humilitatis*; quod jam etiam notaverat S. Doct. ad verba illa Apoſtoli: *Scio, & humiliari*, inquiens: ,, Humilitatem autem quandoque dicit virtutem ,, quandam: Lucæ 14. & 18. *Qui ſe humiliat, ,, exaltabitur*: Quandoque dejectionē: Pſalm. ,, 104. *Humiliaverunt in compedibus pedes ,, ejus*. Et ſic loquitur hic (Apoſtolus) dicens: ,, (*Scio humiliari*) id eſt, abjectionem ſuſtine- ,, re moderatè, ſicut oportet: Sed heu quanti abjectionem ſuſtinent: ſed non moderatè, ſed non voluntariè, ſed dura neceſsitate preſſi, & ideò humiliati, non humiles evadunt, de quibus cum Bernardo dicere poſſumus: *Quantos videmus humiliatos, ſed non humiles: percuſos, ſed non dolentes: curatos quidem à Domino, ſed non ipſa curatione ſanatos?*

S. Iſidorus lib. 16. cap. 8. D. Thom. 2. 2. q. 161. art. 1. ad 1.

Humilitatis etymologia, & multiplex acceptio.

Geneſ. 18. v. 27

Ad Philippenſ. 4. v. 12. D. Thom. ibidē lect. 1.

D. Bernardus ſerm. 20. de diverſis.

3 Sive ut alibi fuſiori, & piâ elegantiâ loquitur Doct. Angelico prælucens: * Quanti * enim humiliantur, qui humiles non ſunt. * Alii cum rencore humiliantur, alii patien- * tèr, alii & libenter. Primi rei ſunt, ſequentes * innoxii, ultimi juſti. Quamquam, & inno- * centia portio juſtitiæ eſt, ſed conſummatio * ejus apud humilem. Qui autem dicere po- * teſt, Bonum mihi, quia humiliaſti me, is verè * humilis eſt. Non poteſt hoc dicere, qui in- * vitus tolerat; minùs, qui murmurat. Neutri * horum promittimus gratiam, quod humilia-

Sermon. 34. in Cant.

Vera diſcernitur humilitas à falſa humiliatione.

tur : etſi ſanè hi duo longè à ſe differant, & alter quidem in patientia ſua poſsideat animam ſuam, alter in ſuo munere pereat. Sed enim etſi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur. Quoniam non humiliatis, ſed humilibus Deus dat gratiam. Eſt autem humilis,qui humiliationem convertit in humilitatem,& ipſe eſt,qui dicit Deo,Bonum mihi,quia humiliaſti me.Nemini prorſus,quod patienter fert, bonum eſt, ſed planè moleſtum: ſcimus autem, quod hilarem datorem diligit Deus:: Sola, gratiam, quam prefert, meretur læta & abſoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit, vel extorta, qualis utique eſt in viro patiente illo, qui poſsidet animam ſuam : hęc inquam, humilitas, etſi vitam obtinet propter patientiam, propter triſtitiam,tamen gratiam non habebit.Non enim congruit ei, qui ejuſmodi eſt, illud Scripturæ: Glorietur humilis in exaltatione ſua : Quoniam non ſpontè humiliatur, neque libenter. Vis antem videre humilem rectè gloriantem, & verè dignum gloriâ? Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Non dicit patienter ſe ferre infirmitates ſuas, ſed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam ſibi bonum eſſe, quod humiliatur: Nec ſufficere omninò, ut poſsideat animam ſuam, tanquam patienter humiliatus; niſi & gratiam accipiat tanquam ſpontè humiliatus.

Jacob.1.v.9.

,, 4 Humilitas ſecundum quod eſt virtus (inquit D. Thomas) in ſui ratione importat quandam laudabilem dejectionem in ima. Hoc autem quandoque fit ſolùm ſecundum ſigna exteriora ſecundum fictionem : unde hæc eſt falſa humilitas, de qua Auguſtinus dicit in quadam epiſtola, quod eſt *magna ſuperbia*, quia, ſcilicet, videtur tendere ad excellentiam gloriæ. Quandoque autem fit ſecundum interiorem motum animæ: & ſecundum hoc humilitas propriè ponitur virtus, quia virtus non conſiſtit in exterioribus, ſed principaliter in interiori electione mentis. Aſſumenda igitur ſunt exteriora ſigna, interiorem laudabilem dejectionem verè exprimentia, ad exemplum Apoſtoli, qui genua flectebat ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. ,, Quod eſt ſignum humilitatis (ſubjungit Angelicus Commentator) propter duo : Primò, quia, qui genua flectit quodammodo parvificat ſe, & ſubjecit ſe ei, cui genua flectit : unde per hujuſmodi oſtenditur recognitio proprię fragilitatis & parvitatis. Secundò, quia in genu eſt fortitudo corporis : quando ergo quis genua flectit, proteſtatur debilitatem ſuæ virtutis. De vera igitur humilitate pertractare aggredimur.

Artic.1.ad 2.

Ad Ephef.3.v.14.

D.Thom.lect.4.

5 Aſſerendum eſt, humilitatem virtutem eſſe ad voluntatem pertinentem. Priorem aſſertionis partem notam reddidere ſingularia elogia, quibus ſacri Scriptores & SS. PP. poſtea adducendi, humilitatis excellentiam extollunt & neceſsitatem. Determinatè autem firmat D. Thomas auctoritate Origenis ad verba illa : *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, ſic loquentis : *Propriè in Scripturis una de virtutibus humilitas prędicatur : ait quippè Salvator : Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Oſtendit deinde ratione ad methodum Scholæ ſic breviter redacta : Bonum arduum, quia bonum attrahit, & quatenùs arduum retrahit appetitum : duplex igitur neceſſaria erit virtus in appetitu circa bonum arduum, una, quæ temperet & animum reprimat, ne immoderatè tendat in excelſa, quod pertinet ad humilitatem : altera verò, ut animum firmet contra deſperationem, impellens ipſum ad proſequutionem magnorum ſecundum rectam rationem, & hęc eſt magnanimitas : ergo humilitas eſt quædam virtus. ,, Ad quam pertinet reprimere hominem, ne feratur in ea, quæ ſunt ſupra ſe, ſivè ne immoderatè tendat in excelſa. Inde concludit D.Thomas: Humilitas autem ſecundum quod eſt ſpecialis virtus, præcipuè reſpicit ſubjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliando ſe ſubjicit : de quo poſtea dicturi ſumus.

D.Thom. 2. 2. q.161.ar.1.in ſed contr.

Origenes homil. 8. in Lucam.

Lucæ 1.v. 48.

Humilitas eſt virtus ad voluntatem pertinens.

In corp.artic.

Solut.ad 5.

6 Sed quid immoramur, ut humilitatem ſtabiliamus virtutem? An non humilitas, nedum virtus vocatur à Magno Baſilio, ſed etiam : *Tutiſsimus omnium virtutum theſaurus*? Eodem ferè modo loquitur Bernardus inquiens : *Virtutum bonum quoddam ac ſtabile fundamentum humilitas. Nempè ſi nutet illa, virtutum aggregatio, non niſi ruina eſt.* Non diſsimili modo loquutus fuit Caſsianus: *Humilitas* (inquiens) *eſt omnium magiſtra virtutum, cęleſtis ædificii firmiſsimum fundamentum, donum proprium, atque magnificum Salvatoris.* Imò S. Leo Papa ajebat: *Humilitas eſt tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina.* Et S. Chryſoſtomus : *Tota victoria Salvatoris, quæ & Diabolum ſuperavit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta. Hoc virtutis caput eſt : ab ea Chriſtus beatitudines ſuas auſpicatur : Beati* (*inquit*) *pauperes ſpiritu. Ipſum ad ſe Deum allicit : Ad quem enim* (*inquit*) *inſpiciam, niſi ad mitem & quietum & humilem & trementem ſermones meos? Eſt altare aureum & ara ſpiritualis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus & cor contritum. Sapientiæ mater eſt, quam, qui poſsiderit cetera reliquarum virtutum membra, proculdubiò poſſidebit.* De humilitate affirmavit etiam Arnaldus Benæ Vallis Abbas: *Humilitas eſt primus religionis introitus; ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus, ut, qui piè vult vivere, humiliter de ſe ſentiat.*

S Baſilius Monaſtic.conſtitutionum cap.7.

S. Bernardus lib.5. de conſiderat. cap.14.

Caſsianus collat.15.cap.17.

S.LeoPapa ſermon.7. de Epiphania.

S.Chryſoſtom. homilia 8. in Matth.

Arnaldus ſermon. de Nativ. Chriſti.

7 Qualiter autem humilitas ſit via ad chriſtianam perfectionem, ſic Auguſtinus ad Dioſcorum ſcribit : * Huic te (nempè uni Regi Chriſto) mi Dioſcore, ut tota pietate ſubdas velim, nec aliam tibi ad capeſcendam & obtinendam veritatem, viam munias, quam, quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorū tanquam Deus, vidit infirmitatem. Ea eſt autem primà humilitas, ſecundà humilitas, tertia humilitas, & quo-

S.Auguſt. epiſt. 118.aliàs 56.

tiès interrogares, hoc dicerem : Non quod alia non ſint pręcepta, quæ dicantur : ſed niſi humilitas omnia,quæcumque benè facimus & præceſſerit & comitetur & ſecuta fuerit & propoſita, quam intueamur & appoſita, cui adhæreamus,& impoſita, qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus,totum extorquet de manu ſuperbia. Itaque ſicut Rhetor ille nobiliſsimus cum interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentiæ pręceptis obſervari oportere, pronunciationem dicitur reſpondiſſe; cum quæreretur quid ſecundò, eandem pronunciationem; quid tertiò nihil aliud, quam pronunciationem dixiſſe: Ita ſi interrogares, & quotiès interrogares de præceptis Chriſtianæ Religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem luberet, etſi fortè alia dicere neceſsitas cogeret.

Humilitas via eſt ad Chriſtianam perfectionem.

8 Poſteriorem aſſertionis partem ipſe cęleſtis Magiſter ſatis expreſsè docuit, dum ſe ipſum in exemplum humilitatis poſuit inquiens : *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde* : Nomine autem cordis voluntatem in ſacris litteris ſignificari notum eſt omnibus : quia, ſicut cor in corpore principium eſt motuum omnium corporalium, ita voluntas ſpiritualium motuum principium eſt & origo : vera igitur humilitas ad differentiam fictæ & fallacis dejectionis, in voluntate formalitèr reſidet, affectus ipſius ad excelſa refrenare habens, licet præſuppoſitivè ad intellectum pertineat; qua ratione Bernardus humilitatem definivit : *Virtus, qua homo veriſsima ſui cognitione, ſibi ipſi vileſcit.* Ut enim loquitur Div.Thomas : ,, Ad humilitatem propriè pertinet, ut aliquis reprimat ſe ipſum, ne feratur in ea, quæ ſunt ſupra ſe. Ad hoc autem neceſſarium eſt, ut aliquis cognoſcat id, in quo deficit à proportione ejus,quod ſuam virtutem excedit : & ideò cognitio proprii defectûs pertinet ad humilitatem,ſicut regula quædam directiva appetitûs. Sed in ipſo appetitu conſiſtit humilitas eſſentialiter. Et ideò dicendum eſt, quod humilitas propriè eſt directiva, & moderativa motûs appetitûs. Sive ut expreſsiùs alibi loquitur : Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupradictis patet (articulo proximè citato)humilitas eſſentialiter in appetitu conſiſtit, ſecundum quòd aliquis refrenat impetum animi ſui, ne inordinatè tendat in magna, ſed regulam habet in cognitione, ut ſcilicet aliquis non ſe exiſtimet ſupra id eſſe, quod eſt: & utriuſque principium, & radix eſt reverentia, quam quis habet ad Deum. Præterea in hac veritate firmanda ex Auguſtino ſic arguit : *Quod humilis eſt, qui elegit habitare in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum* : Sed electio pertinet ad appetitum : ergo humilitas conſiſtit circa appetitum magis, quam circa æſtimationem.

Matth. 11. v. 29.

S.Bernardus tract.de gradib. humilitatis.

Artic.2.in corpor.

Artic.6.in corpor.initio.

S.Auguſt.lib.de Pœnit.cap.1.

Artic.2. in ſed contr.

9 Nec Auguſtinus ſolum Angelico Doctori præluxit, ſed & alii Patres, & antiquiores Theologi, ex quibus audiatur & Ricardus à Sancto Victore, & humilis Bernardus humilitatem non in cognitione, ſed & in affectu principaliter ſtatuentibus : * Humilis eſt (inquit ille) qui ſe ipſum apud ſemetipſum veracitèr contemnit : humilior autem, qui ſe contemni ab aliis non refugit : Humillimus vero, qui contemptum ſui non ſolum contemnit, ſed & admodū concupiſcit. D.Bernardus deinde affectum cordis meliflué eructavit verbis bonis : * Eſt enim (inquit) humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Etenim tu, ſi temetipſum intùs ad lumen veritatis, & ſine diſsimulatione inſpicias, & ſine palpatione dijudices, non dubito, quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis nedum fortaſsè id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter, atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes; voluiſſes proculdubio,quod in te eſt,eandē de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis ſanè, quod in te eſt, dixerim, quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia, quæ nos ſcimus de nobis, atque ipſa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur palàm fieri velle, quod noceat agnoſcenti. Alioquin ſi privato amore tui tentus detines,pariter intra te judicium veritatis incluſum, cui dubium eſt minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers, vel commodum, vel honorem? Vides, igitur non eſſe id ipſum hominem de ſe ipſo non altum jam ſapere veritatis lumine redargutum, & humilibus ſpontè conſentire, munere charitatis adjutum : illud enim neceſſitatis eſt, hoc voluntatis. Chriſtus ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & formā humilitatis tradens: Ipſe ſe exinanivit, ipſe ſe humiliavit, non neceſsitate judicii, ſed noſtri charitate :: Time Deum, & noli hanc rem peſsimam facere,ut, quem humiliat veritas, extollat voluntas. Hoc enim reſiſtere eſt veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquieſce Deo, & ſit voluntas ſubdita veritati,nec tantum ſubdita, ſed & devota.

Ricardus lib. de eruditione interioris domûs cap.32.

Serm. 42. in Cantica.

OBJECTA DISSOLUTA.

10 Humilitatem non eſſe virtutem inde videtur deduci, quod virtus virtuti non opponitur ; ſed humilitas ea ratione, qua refrænat animum, ne in magna & excelſa tendat, opponitur magnanimitati, cui proprium eſſe dixit D. Thomas animum firmare ad magna proſequenda : cum ergo magnanimitas virtus ponitur, à ratione virtutis cadit humilitas. Deinde virtus prout ejus indicat definitio, ad perfectos pertinet ; ſed

humilitas videtur eſſe imperfectorum : unde & Deo non convenit humiliari, quia nulli ſubjici poteſt : ergo videtur, quod humilitas non ſit virtus. Ad primum tamen objectum negatur aſſumpta propoſitio ; quia ut reſpondet D.Thomas: ,, Humilitas reprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem ,, rectam. Magnanimitas autem animum ad ,, magna impellit ſecundum rationem re- ,, ctam: unde patet, quod magnanimitas non ,, opponitur humilitati, ſed conveniunt in ,, hoc, quod utraque eſt ſecundum rationem ,, rectam. Non igitur humilitati opponitur tendere in magna, & ardua, cum recta ratio hoc dictet ; aliàs non hortaretur Apoſtolus: *Æmulamini chariſmata meliora* : ,, Quibus ,, (exponit D. Thomas) ordinat eorum affe- ,, ctum circa prędicta ſpiritualia dona, dicens: ,, cum multa ſint dona Spiritus S. ut dictum ,, eſt, deſiderate gratias potiores, ut ſcilicet ,, magis deſideretis ea, quæ ſunt meliora, ,, puta prophetiam, quam donum lingua- ,, rũ: Et ne in præmiſsis donis eorum affectùs ,, quieſceret, ſubdit: *Et adhuc excellentiorem* ,, *viam vobis demonſtro*, ſcilicet, charitatem, ,, qua directiùs in Deum itur.

Artic. 1. ad 3. — Humilitas magnanimitati non opponitur. — *1. Corinth. 12. v. ultim.* — *D.Thom. lect. 3. ad finem.*

,, 11 Dicendum (inquit D.Thomas) quod ,, tendere in aliqua majora ex propriarum ,, virium confidentia, humilitati contraria- ,, tur. Sed quod aliquis ex confidentia divini ,, auxilii in majora tendat, hoc non eſt con- ,, tra humilitatem, præſertim cum ex hoc ali- ,, quis magis apud Deum exaltetur, quod ei ,, ſe magis per humilitatem ſubjicit. Unde ,, Auguſtinus dicit : *Aliud eſt levare ſe ad* ,, *Deum, aliud eſt levare ſe contra Deum.* ,, *Qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur:* ,, *qui adverſus illum ſe erigit, ab illo projici-* ,, *tur.* Secundum objectum ita diſſolvit San- ,, ctus Doct. Dicendum, quod perfectum di- ,, citur aliquid dupliciter. Uno modo ſim- ,, pliciter, in quo ſcilicet nullus defectus in- ,, venitur, nec ſecundum ſuam naturam, nec ,, per reſpectum ad aliquid aliud : & ſic ſolus ,, Deus eſt perfectus, cui ſecundum naturam ,, Divinam, non competit humilitas, ſed ſo- ,, lum ſecundum naturam aſſumptam. Alio ,, modo poteſt dici aliquid perfectum ſecun- ,, dum quid; puta, ſecundum ſuam naturam, ,, aut ſtatum, aut tempus. Et hoc modo ,, homo virtuoſus eſt perfectus, cujus tamen ,, perfectio in comparatione ad Deum defi- ,, ciens invenitur, ſecundum illud : *Omnes* ,, *gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo*: ,, & ſic cuilibet homini poteſt convenire hu- ,, militas.

Artic. 2. ad 2. — *S. Auguſt. lib. de Pœnitent. cap. 31.* — *Artic. 1. ad 4.* — *Iſaiæ 40. v. 17.*

12 Adverſus poſteriorem aſſertionis partem præcipuè videtur obſtare argumentum ex ſuperbia à ſimili deductum, & à D. Thoma ita propoſitum : ,, Humilitas ſuperbiæ ,, opponitur; ſed ſuperbia maximè conſiſtit ,, in his, quæ pertinent ad cognitionem, di- ,, cit enim Gregorius : *Quod ſuperbia cum* ,, *exterius uſque ad corpus extenditur, priùs* ,, *per oculos indicatur.* Unde, & in Pſalmo ,, dicitur : *Domine, non eſt exaltatum cor* ,, *meum, neque elati ſunt oculi mei*: Oculi ,, autem maximè deſerviunt cognitioni. Er- ,, go videtur, quod humilitas maximè ſit cir- ,, ca cognitionem, per quam de ſe aliquis ,, æſtimat parva. Negat tamen Div. Thomas propoſitionem minorem de ſuperbia ſecundum eſſentiam ; licet quantum ad ſigna aliqua poſsit ad partem cognoſcitivam pertinere. Quod poſtea reſolvit Sanctus Doctor ſtatuens, quod ſubjectum ſuperbiæ eſt appetitus etiam intellectivus, ſeu voluntas. Hoc ipſum de humilitate affirmare nihil prohibet. Imò Sanctus Doctor articulo ſecundo citato, explicans Andronicum dicentem, quod humilitas eſt habitus non ſuperabundans ſumptibus, & pręparationibus, hęc habet : ,, Superabundantia in exterioribus ,, ſumptibus, & pręparationibus ſolet ad ,, quandam jactantiam fieri, quæ per humi- ,, litatem reprimitur : & quantum ad hoc ſe- ,, cundariò conſiſtit in exterioribus, prout ,, ſunt ſigna interioris appetitivi motûs. Pre- ,, libatam vero argumenti ſolutionem verbis ,, illis tradit : Ad primum dicendum, quod ,, extollentia oculorum eſt quoddam ſignum ,, ſuperbiæ, in quantum excludit reveren- ,, tiam, & timorem. Conſueverunt enim ti- ,, mentes, & verecundati maximè oculos de- ,, primere, quaſi non audentes ſe aliis com- ,, parare. Non autem ex hoc ſequitur, ,, quod humilitas eſſentialiter circa cogni- ,, tionem conſiſtat.

S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 6. — *Pſalm. 130. v. 1.* — Superbia in volũtate præcipuè reponitur. — *Quæſt. 162. ar. 3. in corp. ad finem.* — *Quæſt. 161.* — *Artic. 2. ad 4.* — *Ad 1.*

ARTICULUS II.

Chriſtianæ humilitatis officia in ſubjectione ad Deum & homines deſignans.

13 ASSERENDUM eſt : Humilitatem præcipuè reſpicere ſubjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis *humiliando ſe ſubjicit*. Sic reſolvit D. Thomas. Et quantum ad primam attinet ſubjectionem, quam verbis illis commendavit D.Petrus : *Humiliamini ſub potenti manu Dei*; quis dubitet ? Nihil etenim æquius eſt, quam hominem humillima ſummiſsione Divinam revereri magnitudinem; eique ſubiectum eſſe, nihil ſiquidem eſt; etſi quid eſt, ab ipſo, in ipſo, & per ipſum eſt, & ſine quo nec bonum aliquod facere valet; quinimò nec loqui, nec cogitare, prout apparet ſequentia reſpectivè teſtimonia ſacra meditantibus : *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei. In ipſo vivimus, movemur, & ſumus* (inquit Apoſtolus) *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Nemo enim poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quidquid ergo boni in nobis eſt, ab illo eſt, in quo niſi manſerimus, & ille in nobis, nullum omninò fructum ſalutis ferre poſſumus. Unde Salvator ipſe ait: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite : ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Qui ſe fructum à ſemetipſo ferre exiſtimat, in vite non eſt, ideſt in Chriſto, ideoque non eſt Chriſtianus, inquit Sanctus Auguſtinus : ut juſtificemur, miſericordia ejus nos prævenit, ut in juſtitia maneamus, ac perſeveremus, miſericordia ejus nos ſubſequitur, idque omnibus diebus vitæ noſtræ. Ad Deum igitur toto voluntatis affectu clamemus : *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus eſt, Deus meus miſericordia mea. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Deus meus in auxilium meum reſpice. Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt. Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum.*

Deo ſubjici, & aliis propter Deum, docet humilitas. — *1. Petri 5. v. 6.* — *Iſaiæ 40. ut ſupra.* — *Actor. 17. v. 28* — *Ad Philip. 2. v. 13.* — *1. Corinth. 12. v. 3.* — *2. Corinth. 3. v. 5.*

Joann. c. 15. v. 4. & 5. — *S. Auguſt. tract. 81. in Joann.*

14 De hac ſubjectione alibi inquit idem Auguſtinus : * In rebus viſibilibus, ut excelſa * quiſque contingat, in excelſum erigitur: * Deus autem cùm ſit omnium excellentiſsi- * mus, non elatione, ſed humilitate con- * tingitur. Unde Propheta dicit : Propè * eſt Dominus omnibus, qui obtriverunt * cor. Et iterum, excelſus Dominus, & hu- * milia reſpicit, & excelſa à longè cognoſ- * cit. *Excelſa poſuit pro ſuperbis, illa* * *ergo reſpicit, ut attollat ; iſta cognoſcit,* * *ut dejiciat :: Quiſquis itaque pœnitentiæ* * *recuſat humilitatem, Deo propinquare non* * *cogitat :: Qui foris tumeſcit, intùs tabeſcit.* * Qui eligit abjici in domo Dei magis, quàm * habitare in tabernaculis peccatorum; *eli-* * *git illum Deus, ut inhabitet in atriis ejus,* * *& nihil ſibi aſſumentem, ille in ſedem bea-* * *titatis aſſumit.*

Homil. 351. aliàs 50. — *Pſalm. 83. v. 11.*

15 Poſteriorem aſſertionis partem, ſive humilitatis munus ſecundarium, glorioſi Apoſtolorum Principes nobis tradiderunt apud Div. Thomam : *Nihil per contentionem* (inquit Paulus) *neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Idipſum commendavit Divus Petrus inquiens : *Subjecti eſtote omni humanę creaturæ propter Deum. Superiores ſibi invicem arbitrantes, ut in cogitationibus cordis* (inquit Magn. Gregorius) *& ego mihi illum præferam, & viciſsim ille me ſibi: ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nullus ex impenſo honore ſublevetur.* Et Divus Thomas : ,, Sicut enim pertinet ad ,, ſuperbiam, quòd homo ſe extollat ſupra ,, ſe, ita ad humilitatem, quòd homo ſe ſub- ,, jiciat ſecundum ſuam menſuram. Sed qualis ſit hæc menſura, ſecundum quam homo veraciter humilis, omni humanæ creaturæ propter Deum ſubjici, & poſtponi debet, ex Auguſtino & Patribus de more loquens Doctor Angelicus angelicâ perſpicuitate explicavit : ,, In homine (inquit) duo poſſunt ,, conſiderari, ſcilicet id, quod eſt Dei, & ,, id, quod eſt hominis. Hominis autem eſt, ,, quidquid pertinet ad defectum; ſed Dei ,, eſt, quidquid pertinet ad ſalutem & per- ,, fectionem ſecundum illud : *Perditio tua Iſ-* ,, *rael ex te eſt : tantummodo in me auxi-* ,, *lium tuum.* Humilitas autem propriè reſ- ,, picit reverentiam, qua homo Deo ſubji- ,, citur : & ideò quilibet homo ſecundum ,, id, quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet pro- ,, ximo ſubjicere quantum ad id, quod eſt Dei ,, in ipſo. (Id eſt ſecundum defectûs, quos in ſe cognoſcit homo, ſi verè humilis eſt, debet ſibi anteponere proximum ſecundum Dei dona, quæ in illo agnoſcit, & veneratur.)

Artic. 3. in ſed contr. & ſolut. ad 1. — *Ad Philipp. 2. v. 3.* — *1. Petri 2. v. 13.* — *S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 17.* — *D.Thom. in locum Pauli lect. 1.* — *In corp. art. 3.* — *Oſeæ 13. v. 9.*

16 ,, Non autem hoc requirit humilitas, ,, ut aliquis id, quod eſt Dei in ſe ipſo ſub- ,, jiciat ei, quod apparet eſſe Dei in altero. (Id eſt, ut dona Dei ſibi collata exiſtimet eſſe minora iis, quæ alteri collata ſunt.) ,, Nam ,, illi, qui dona Dei participant, cognoſcunt ,, ea ſe habere ſecundum illud : *Ut ſciamus,* ,, *quæ à Deo donata ſunt nobis* : & ideò abſ- ,, que præjudicio humilitatis poſſunt dona, ,, quæ ipſi acceperunt pręferre donis Dei, ,, quæ aliis apparent collata : ſicut Apoſtolus ,, dicit : *Aliis generationibus non eſt agnitum* ,, *filiis hominum : ſicut nunc revelatum eſt* ,, *Sanctis Apoſtolis ejus.* Conſultò dicit Sanctus Doctor, abſque præjudicio humilitatis, poſſe aliquem in donis Dei, quando certò cognoſcit in ſe ipſo majora, non ſe ſubjicere quantum ad hoc illi, in quo minora recognoſcit : ſic namque Apoſtoli divinitùs illuminati fuerunt circa dona, quibus abundarunt. Ex divino namque ſpiritu corda Apoſtolorum illuminante & inflammante conſequuti fuerunt, ut ſcirent de rebus divinis, quantum unicuique Deus donavit, ut notat D.Thomas ad priora Apoſtoli verba. Unde nihil prohibet, quod alii viri eximiæ ſanctitatis etiam quo ad dona Dei, de quibus non erant certi, imò potiùs ob ſuam humilitatem timidi, aliis ſe ſubjiciant, exiſtimantes fortè in illis majora, licet occulta dona, ut ſtatim ſignificabimus ex SS. PP. Concludit deinde D.Thomas paucis intermiſsis dicens : ,, Poteſt tamen aliquis (imò exiſtimare debet quiſquis eſt vere humilis) reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet, vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt ; ex quo ſe poteſt ſubjicere per humilitatem.

1. Corinth. 2. v. 12. — *Epheſ. 3. v. 5.* — *D.Thom. lect. 2. prope finem.* — Ingenioſè ſubtilizat humilis, ut aliis ſe ſubjiciat.

17 Angelico Doctori præluxit Auguſtinus inquiens : * Illud cogitandum, nullum * eſſe hominem, qui non poſsit habere ali- * quod bonum, quod tu nondum habes, * etiamſi lateat, in quo ſine dubio poſsit te * eſſe ſuperior. Quæ cogitatio ad contun- * dendam edomandamque ſuperbiam valet, * ne arbitreris, quoniam tua quædam bona * eminent & apparent, ideò alterum nulla * habere, quæ lateant, & fortaſsè majoris * ponderis bona, quibus te ſuperat neſ- * cientem. Non enim falli nos, aut adula-

S. Auguſtin. lib. 83. qq. q. 71.

tio-

Ad Philipp. 2. v. 3.

* tione potiùs uti , Apoſtolus jubet , cum * dicit : Nihil per contentionem, neque per * inanem gloriam , ſed in humilitate men- * tis alter alterum exiſtimantes ſuperiorem * ſibi. Non hoc ita debemus exiſtimare , ut * non exiſtimemus , ſed nos exiſtimare fin- * gamus , ſed verè exiſtimemus aliquid oc- * cultum eſſe poſſe in alio , quo nobis ſupe- * rior ſit , etiamſi bonum noſtrum , quo * illo videmur ſuperiores eſſe , non ſit oc- * cultum. Iſtæ cognitiones deprimentes ſu- * perbiam & acuentes charitatem , faciunt * onera fraterna invicem , non ſolum æquo * animo , ſed etiam libentiſsimè ſuſtineri.

S. Bernardus ſerm. 37. in Cātic.

Auguſtini veſtigia premens Bernardus ſic ad rem noſtram profundè loquitur : * Noli * te, homo comparare majoribus , noli mi- * noribus , noli aliquibus , noli uni. Quid * ſcis enim, ſi unus ille , quem fortè omnium * viliſsimum , atque miſerrimum reputas, * cujus vitam ſceleratiſsimam, ac ſingulari- * ter fœdiſsimam horres , & propterea illum * putas ſpernendum , non modo prę te , qui * fortè jam ſobriè & juſtè & piè vivere te * confidis , ſed etiam præ cęteris omnibus * ſceleratis tanquam ſceleratiſsimum : Quid * ſcis , inquam , ſi melior & te & illis, muta- * tione dexteræ excelſi,in ſe quidem futurus * ſit, in Deo verò jam ſit? Et propterea non * mediocrem, non vel penultimũ, non ipſum * ſaltem inter noviſsimos eligere locum nos * voluit : ſed recumbe , inquit, in noviſsimo * loco: ut ſolus videlicet omnium noviſsimus * ſedeas, teque nemini non dico præponas, * ſed nec comparare præſumas.

18 Sed quid prohibet iterum audire Auguſtinum, qui collatione facta inter duos homines , unum pluribus graviſsimiſque peccatis irretitum : alterum vero , qui pauca & leviora : cum ſibi ex verbis Chriſti D. *Cui minus dimittitur minus diligit* , objeciſſet utiliorem illi fuiſſe multitudinem & gravitatem peccatorum , ut ejus charitas major eſſet & ferventior. Objectionem diſſolvit , pronuntians inter debita dimiſſa numerari debere , quæ ſecundus homo peccata , Deo regente , non commiſsit ; ac proinde non minus , quam primus homo Deum diligere debet. * Hic multa commiſsit (lo-

S. Auguſt. ſerm. 99. aliàs : Homil. 23. ex 50.

* quitur S. Parens) & multorum debitor * factus eſt : Ille gubernante Deo pauca * commiſsit. Cui deputat ille , quod dimiſ- * ſit , huic , & iſte deputat , quod non com- * miſsit. Adulter non fuiſti in illa tua vita * præterita plena ignorantia non dum illu- * minatus , nondum bonum , malumque diſ- * cernens , nondum credens in illum , qui * te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus * tuus : regebam te mihi , ſervabam te mi- * hi. Ut adulterium non committeret , ſua- * ſor defuit : ut ſuaſor deeſſet : ego feci. * Adfuit ſuaſor , non defuit locus , non * defuit tempus : ut non conſentires , ego * terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus , cui * debes , & quod non admiſiſti. Mihi debet * iſte , quod factum eſt , & dimiſſum vi- * diſti. Mihi debes & tu , quod non feci- * ſti. Nullum eſt enim peccatum , quod facit * homo , quod non poſsit facere , & alter * homo , ſi deſit Rector , à quo factus eſt * homo. Hinc alibi pronuntiat : Gratiæ tuæ * deputo & quæcumque non feci mala :: Et * omnia mihi dimiſſa eſſe fateor ; & quæ * mea ſponte feci mala , & quæ te duce * non feci.

19 Concludamus tandem cum Bernardo , qualiter duo illa humilitatis officia implere debeamus , docente : Notitia ſcilicet Dei primariam ſubjectionem pariet in homine. Secundariam verò cognitio ſui , ad quam deveniendum eſſe per cognitionem Dei , Auguſtinus docuit vulgato illo pronunciatu : *Noverim te : Noverim me.* In duplici ſiquidem iſta cognitione ſumma ſalutis poſita eſt. Nam quomodo (inquit Bernardus) non verè humiliabitur anima in * hac vera cognitione ſui , cum ſe perce- * perit oneratam peccatis , mole hujus mor- * talis corporis aggravatam , terrenis intri- * catam curis , carnalium deſideriorum fece * infectam , cęcam , curvam , infirmam , im- * plicitam multis erroribus , expoſitam mille * periculis , mille timoribus trepidam , mille * difficultatibus anxiam , mille ſuſpicioni- * bus obnoxiam , mille neceſsitatibus ærum- * noſam , proclivem ad vitia , invalidam * ad virtutes ? Unde huic jam extollentia * oculorum , unde levare caput ? Non ne * magis convertetur in ærumna ſua , dum * configitur ſpina ? Converteretur , inquam, * ad lachrymas , convertetur ad planctus & * gemitus , convertetur ad Dominum , & * in humilitate clamabit : Sana animam * meam , quia peccavi tibi. Porrò conver- * ſa ad Dominum recipiet conſolationem, * quia Pater eſt miſericordiarum , & Deus * totius conſolationis : Tali experimento , & * tali ordine ſalubriter innoteſcit Deus , cum * priùs ſe homo noverit in neceſsitate poſ- * ſitum & clamabit ad Dominum & ex au- * diet eum & dicet : Eruam te & honori- * ficabis me : Atque hoc modo erit gradus * ad notitiam Dei cognitio tui.

D. Bernardus ſerm. 36. in Cantic.

OBJECTA DISSOLUTA.

20 Objecta proponimus non ad enervanda , ſed ut magis elucidentur humilitatis officia , noviter audito D. Angelico opponente , & cum PP. diſſolvente. Humilitas præcipuè conſiſtit in ſubjectione hominis ad Deum ; ſed quod Deo debitum eſt, hominibus non eſt exibendum , ut patet in actibus latriæ : ergo homo per humilitatem non debet ſe homini ſubjicere. Deinde opponitur : Quia humilitas *in parte veritatis, non in parte falſitatis* collocanda eſt , ut loquitur Auguſtinus ; ſed qui in ſupremo ſtatu ſunt ; in ſuperioritate nimirum ; ſicut etiam in gradu ſanctitatis heroico, non videntur ſe poſſe aliis omnibus , tùm inferioribus , tùm maximis peccatoribus ſubjicere abſque falſitatis nota : ergo homo non debet ſe omnibus ſubjicere per humilitatem. Et certè non videtur qualiter plures viri ſanctiſ-

S. Auguſt. lib. de Natura & Gratia, cap. 26.

ctiſsimi in ſanctorum albo poſtea per Eccleſiam collocati potuerint veridicè affirmare ; ſe maximos eſſe peccatores , imò aliis peccatoribus longè pejores , ut paſsim Eccleſiaſticæ memorant hiſtoriæ. Idem objectum commentario in locum Pauli proponit in hunc modum D. Thomas : ,, Sed quomodo ,, ſuperior poterit hoc implere ? Aut enim ,, non cognoſcit ſe eſſe ſuperiorem & vir- ,, tutem ſuam : & ſic non eſt virtuoſus ; quia ,, non eſt prudens : aut ſcit , & ſic non po- ,, teſt alium exiſtimare ſuperiorem ſe. Tan- ,, dem : nullus debet facere id , quod ver- ,, gat in detrimentum ſalutis alterius : ſed, ,, ſi quis per humilitatem ſe alteri ſubjiciat, ,, quandoque hoc vergeret in detrimentum ,, illius , cui ſe ſubjicit , qui ex hoc ſuper- ,, biret , vel eum contemneret. Unde ,, Auguſtinus dicit : *Ne , dum nimium* ,, *ſervatur humilitas , regendi frangatur au-* ,, *ctoritas.* Ergo homo per humilitatem non ,, debet omnibus ſe ſubjicere.

S. Auguſt. in 3. regula.

21 Ad primum reſpondetur verum eſſe, quod hominibus non eſt exhibendum , quod Deo debetur , eo modo , quo illi debitum eſt ; vel quod ſoli Deo debitum eſt ; cum igitur ſuprema adoratio per virtutem latriæ Deo ſolum debeatur ratione ſummæ & infinitæ excellentiæ , & univerſaliſsimi dominii creaturæ , neutiquam permiſſum eſt exiberi. Subjectio autem , licet primariò debita ſit Deo in ſe ipſo , nihil prohibet , ut in aliis eum revereamur ; vel alios revereamur , in quibus Dei dona conſideramus; licet non eo reverentiæ gradu , quo Deum in ſe ipſo reveremur. ,, Ad primum dicen- ,, dum , quod non debemus ſolum Deum re- ,, vereri in ſe ipſo , ſed etiam quod eſt ejus, ,, debemus revereri in quolibet ; non tamen ,, eo modo reverentiæ, quo reveremur Deum: ,, & ideò per humilitatem debemus nos ſub- ,, jicere omnibus proximis propter Deum, ,, juxta laudatum D. Petri teſtimonium. La- ,, triam tamen ſoli Deo debemus exhibere.

Art. 3. ad 1.

Ad ſecundum objectum reſpondetur diſtinguendo minorem. Qui in ſtatu ſuperiori ſunt, non poſſunt in veritate aliis præſertim magnis peccatoribus ſe ſubjicere , & poſtponere ſecundum dona Dei , quæ in ipſis cognita ſunt , reſpectivè ad peccata proximorum , concedo minorem : ſecundum quod ex ſe ipſis habent , comparativè ad bona, quæ vident , vel occulta conſiderant in proximis , nego minorem & conſequentiam. Ut enim loquitur D. Thomas : ,, Si nos ,, præferamus id , quod eſt Dei in proximo ,, ei , quod eſt proprium in nobis , non poſ- ,, ſumus incurrere falſitatem , juxta Augu- ,, ſtinum ſupra laudatum ex lib. 83. quæſtionum. Eam tamen incurrere contingeret, ſi quod eſt proprium in proximis , præferret quiſquam donis Dei , quæ in ipſo ſunt.

Solut. ad 2.

Quod ex Deo in ſe recognoſcit humilis, non debet poſtponere bonis propriis proximorum.

22 Unde habetur , non exigere humilitatem , quod quilibet ſanctus debeat abſolutè , & ex omni capite ſe ipſum majorem peccatorem reputare , vel maximum inter peccatores. ,, Quia , ut habet S. D. Non ,, hoc requirit humilitas , ut aliquis id, ,, quod eſt ſuum in ſe ipſo ſubjiciat ei, ,, quod eſt hominis in proximo : id eſt peccata ſua , vel defectûs cum manifeſtis aliorum peccatis comparans. Alioquin oporteret , ut quilibet reputaret ſe magis peccatorem quolibet alio : ,, Cum tamen Apoſto- ,, lus abſque præjudicio humilitatis dicat: ,, *Nos natura Judei , & non ex gentibus peccatores.* Dum igitur viri ſanctiſsimi ſe ipſos magnos & præ aliis majores peccatores veraciter appellant , non attendunt dona Dei , quibus elucent , ſed proprios defectûs , abundatiora gratiæ auxilia , quibus judicant non cooperaſſe, pronitatem ad peccata , in quibus præcipites ruerent , niſi Deus gratia ſua cohiberet,aliaque ſimilia conformiter ad teſtimonia Auguſtini & Bernardi producta. In aliis autem , etſi aliàs manifeſtis peccatoribus attendunt bona , quæ habent & occulta , quæ ipſi non vident; pauciora gratiæ auxilia & opportuna remedia quibus , ſi abundarent maximos in virtute progreſsûs facturos eſſe judicant ſancti, atque ex his aliiſque ſimilibus capitibus veridicè aliis ſe ſubjiciunt & poſtponunt. Addit etiam D. Thomas : ,, Sed detur , quod ,, quantum ad omnia ſit ille bonus & ille ,, malus ; nihilominus tu & ille geritis du- ,, plicem perſonam ; ſcilicet tui & Chriſti: ,, ſi ergo illum non præponas ratione ſuæ ,, perſonæ , præponas ratione imaginis di- ,, vinæ.

In corp. artic.

Ad Galatas c. 2. v. 15.

Quo ſenſu viri ſancti maximos ſe reputant peccatores.

D. Thomas lec. 1. in cap. 2. Epiſt. ad Philippenſ.

23 Audiatur etiam S. D. ibidem diſſolvens argumentum ſubjunctum. ,, Reſpondeo ,, dicendum , quod nullus eſt ſic bonus , quin ,, in eo ſit aliquis defectus , & nullus eſt ſic ,, malus quin habeat quid boni. Unde non ,, oportet , quod eum præponat ſibi ſimpli- ,, citer , ſed quantum ad hoc dicat in mente ,, ſua ſic : fortè in me eſt aliquis defectus, ,, qui non eſt in illo : Et hoc oſtendit Au- ,, guſtinus. Sic enim imprimis ad Virgines loquitur Aquilinus Doctor eas docens , ut ne conjugatis ſe præferant : * Eſt ne ali- * quid , quod Virgo Dei veraciter cogitet, * unde ſe fideli mulieri , non tantum vi- * duę , verum etiam conjugatæ , præferre * non audeat ? Ita ne trepidabit ſanctam * virginitatem , etiam caſtis nuptiis , & con- * tinentiam præferre connubio ? Imò verò * non dubitet hanc rem illi rei præponere. * Quid ergo cogitabit (ut mulieri Deum * timenti ſe anteferre non audeat?) Occul- * ta , ſcilicet , dona Dei , quę non niſi in- * terrogatio tentationis etiam inſemetipſo * unicuique declarat. Ut enim cætera ta- * ceam , unde ſcit Virgo , quamvis ſollicita, * quæ ſunt Domini , quomodo placeat Do- * mino , ne fortè propter aliquam ſibi in- * cognitam mentis infirmitatem nondum ſit * matura martyrio , illa vero mulier , cui * ſe pręferre geſtiebat , jam poſsit bibere * Calicem Dominicę humilitatis , quem prius * bibendum Diſcipulis amatoribus ſublimi- * tatis oppoſuit :: Certè , niſi adſit tenta- * tio , nulla doni hujus ſit demonſtratio::

S. Auguſt. lib. de Virgin. cap. 44. & 47.

Ut

* Ut ergo quiſque non infletur ex eo, quod * ſe perviet poſſe, humiliter cogitet, quod * ignorat aliquid præſtantiùs, ſe fortaſsè * non poſſe; aliquos autem qui illud, quo * ſibi glorioſè noti ſunt, nec habent, nec * profitentur hoc, quod ipſi non poſſunt * poſſe. Ita ſervabitur non fallaci, ſed ve- * raci humilitate, honore mutuo prævenien- * tes, & alter alterum exiſtimantes ſupe- * riorem ſibi.

S. Auguſt. ubi ſupra cap. 51.

Unde Virgines humiliari habeant.

24 Iterum ad virgines, converſo ſermone, eas inſtruit, qua ratione aliis ſe humiliari debeant, inquiens: * Quidquid mali * Deo cuſtodiente non commiſiſtis, tan- * quam remiſſum ab illo deputate: Ne mo- * dicum vobis exiſtimantes dimiſſum, mo- * dicum diligatis, & tundentes pectora Pu- * blicanos ruinosâ jactantiâ contemna- * tis. De viribus veſtris expertis cavete, ne, * quia ferre aliquid potuiſtis, inflemini: De * inexpertis orate, ne ſupra quam poteſtis * ferre, tentemini. Exiſtimate aliquos in- * occulto ſuperiores, quibus eſtis in mani- * feſtis meliores. Cum aliorum bona fortè * ignota vobis benignè creduntur à vobis, * veſtra vobis nota non comparatione mi- * nuuntur, ſed dilectione firmantur. Et * quę fortè adhuc deſunt, tantò dantur fa- * ciliùs, quantò deſiderantur humiliùs. Per- * ſeverantes in numero veſtro prębeant vo- * bis exemplum, cadentes autem augeant * timorem veſtrum. Illud amate, ut imite- * mini, hoc lugete, ne inflemini.

25 Ad ultimum objectum diſtinguo minorem: ſubjectio debita ſecundum interiorem affectum in præjudicium vergeret eorum, quibus homo ſe ſubjicit, nego minorem: ſubjectio ſecundum exteriores actus, immoderata & imprudens, concedo minorem, & nego conſequentiam, quæ procedit de ſubjectione, quam vera dictat, & exequitur humilitas. ,, Ad tertium dicendum ,, (habet D. Thomas) quod humilitas, ſicut ,, & cæterę virtutes præcipuè interiùs in anima ,, conſiſtit; & ideò poteſt homo ſecundum ,, interiorem actum animæ alteri ſe ſubjicere, ,, ſine hoc, quod occaſionem det alicujus, ,, quod pertineat ad detrimentum ſuæ ſalu- ,, tis. Et hoc eſt, quod Auguſtinus in ar- ,, gumento laudatus dicit: *Timore coram* ,, *Deo prælatus ſubſtratus ſit pedibus ve-* ,, *ſtris.* Sed in exterioribus humilitatis acti- ,, bus, ſicut in actibus aliarum virtutum eſt ,, debita moderatio adhibenda, ne poſsint ,, vergere in detrimentum alterius. Si au- ,, tem aliquis quod debet faciat & alii ex ,, hoc occaſionem ſumant peccati, non im- ,, putatur humiliter agenti: quia ille non ſcandalizat, quamvis alter ſcandelizetur. Docet igitur S. D. Superiores, quibus aliorum regimen commiſſum eſt, neceſſarium habere, ut ordinem ſuum ſervantes, ne nimiùm ſe ſubjiciant exteriùs in præjudicium acceptæ auctoritatis: quia illa exterior humiliatio de ſe, ſaltem occaſionaliter activè in detrimentum eſſet ſubditis & dignitati prælaturæ. Nec ſimile eſt de aliis, de quibus loquitur S. D. quibus non imputatur, ſi aliqui occaſionem ſumant peccati: quoniam ille, qui debitè ſe humiliat etiam exteriùs aliiſque ſe poſtponit, ſolum occaſionaliter paſſivè, neutiquam activè in damnum occaſionatum concurrit, conformiter ad doctrinam D. Thomę de ſcandalo, 2.2.q.43. artic. 5. & 6.

Solut. ad 3.

Superiores ſecundum interiorem actum inferioribus bene ſubjecti, in exteriori ſubjectione moderationé adhibeant.

ARTICULUS III.

Ordinem humilitatis ad alias virtutes ſtatuens.

26 PRIMò aſſerendum eſt: Humilitatem ad temperantiam, veluti partem potentialem comparari. Sic habet Origenes apud D. Thomam inquiens: *Si vis nomen hujus audire virtutis, quomodo à Philoſophis etiam appelletur, auſculta eandem eſſe humilitatem, quam reſpicit Deus, quæ ab aliis metriotis dicitur, id eſt, mēſuratio vel moderatio, quæ manifeſtè pertinet ad modeſtiam vel temperantiam.* Rationem à priori ſic ad litteram tradit Divus Thomas: ,, Modus ,, temperantiæ, ex quo maximè habet lau- ,, dem eſt refręnatio, vel repreſsio impetus ,, alicujus paſsionis. Et ideò omnes virtutes ,, refręnantes, ſive reprimentes impetûs ali- ,, quarum affectionum, vel actiones mode- ,, rantes ponuntur partes temperantiæ. Sicut ,, autem manſuetudo reprimit motum iræ: ,, ita etiam humilitas reprimit motum ſpei, ,, qui eſt motus ſpiritus in magna tendentis, ,, & ideò, ſicut manſuetudo ponitur pars ,, temperantiæ, ita etiam & humilitas:: ,, Quæ nihil aliud eſt, quam quædam mode- ,, ratio ſpiritûs. Unde dicitur: *In incorrupti-* ,, *bilitate quieti & modeſti ſpiritûs.* Nec obſtat, quod temperantia ad partem concupiſcibilem pertineat: Humilitas autem in iraſcibili collocata eſt. ,, Quia, ut habet Sanctus ,, Doctor, partes principalibus virtutibus ,, aſsignantur non ſecundum convenientiam ,, in ſubjecto vel in materia, ſed ſecundum ,, convenientiam in modo formali, ut di- ,, ctum eſt: & ideò, licet humilitas ſit in ,, iraſcibili, ſicut in ſubjecto, ponitur tamen ,, pars modeſtiæ & temperantiæ propter ,, modum.

Origenes homil. 8. in Lucam apud D. Thom. 2. 2. q. 161. ar. 4. in ſed contr.

Humilitas temperantiæ pars, dicitur potentialis.

Solutt. ad 2.

27 Aſſerendum eſt ſecundò: Humilitatem diſtingui à magnanimitate. Sic habet D. Thomas in articulo proximè laudato ad tertium inquiens: ,, Quod licet magnanimitas ,, & humilitas in materia conveniant, differunt ,, tamen in modo, ratione cujus magnani- ,, mitas ponitur pars fortitudinis, humilitas ,, autem pars temperantię. Id ipſum docuit nos D. Thomas magnanimitatem dicens, non opponi humilitati ſupponens inde eſſe virtutem diſtinctam. Probat etiam ratio S. Doctoris, qua ſtatuimus dubio primo, ponendam

Humilitas à magnanimitate diſtinguitur

dam eſſe circa bonum arduum duplicem virtutem, magnanimitatem ſcilicet & humilitatem. Præterea ſtatuit ſubjectam aſſertionem utriuſque virtutis aſsignata natura: cum enim ſibi oppoſuiſſet: Magnanimitatem non eſſe virtutem, quia humilitati, quæ virtus eſt opponitur, ita reſpondet: ,, Ad quartum ,, dicendum, quòd in homine invenitur ali- ,, quid magnum, quod ex dono Dei poſsi- ,, det: & aliquis defectus, qui competit ei ,, ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo ,, facit, quod homo ſe magnis dignificet ſe- ,, cundum conſiderationem donorum, quæ ,, poſsidet ex Deo: ſicut, ſi habet magnam ,, virtutem animi, magnanimitas facit, quòd ,, ad perfecta opera virtutis tendat. Et ſimi- ,, liter eſt dicendum de uſu cuiuslibet alte- ,, rius boni, puta ſcientiæ, vel exterioris ,, fortunæ. Humilitas autem facit, quod ho- ,, mo ſe ipſum parvipendat ſecundum conſi- ,, derationem proprii defectûs. Similiter ,, etiam magnanimitas contemnit alios, ſe- ,, cundum quòd deficiunt à donis Dei. Non ,, enim tantum alios appretiatur, quod pro ,, eis aliquid indecens faciat: ſed humilitas ,, alios honorat, & ſuperiores æſtimat, in ,, quantum in eis aliquid inſpicit de bonis ,, Dei. Unde dicitur in Pſalmo de viro juſto: ,, *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus* ,, *malignus*: Quod pertinet ad contemptum ,, magnanimi. *Timentes autem Dominum glo-* ,, *rificat*: Quod pertinet ad honorationem ,, humilis. Et ſic patet, quod magnanimitas ,, & humilitas non ſunt contraria: quamvis ,, in contraria tendere videantur, quia pro- ,, cedunt ſecundum diverſas conſideratio- ,, nes.

D. Thom. 2. 2. q. 129. art. 3. ad 4.

Pſalm. 14. v. 4.

28 Conformiter ergo ad producta Divi Thomæ verba utriuſque virtutis diſtinctionem ſic cum Patribus Salmanticenſibus (in explicatione arboris virtutum tomo 3. verbo *Humilitas*) ad litteram traſcribit Magiſter Gonet, de eadem virtute tractans. Nam licet humilitas & magnanimitas habeant cohibere affectum hominis, ne inordinatè tendant in excelſa; nihilominus inter ſe diſtinguntur: quia diverſimodè id præſtant. Nam magnanimitas primariò id facit impellendo & confortando ipſum appetitum, ut per vires à Deo receptas, vel promiſſas tendat ad magna: ſecundariò verò illum detinet, ne in improportionata extollatur. Humilitas è contra primariò refręnat appetitum, ne tendat in ardua & excelſa, quęrens propriam exaltationem: ſecundariò autem confirmat ipſum, ne dum videt propriam inſufficientiam & impotentiam, à magnorum proſequutione divini immemor auxilii nimis deficiat. Unde magnanimitati magis adverſatur puſillanimitas, quæ eſt vitium per defectum, quàm præſumptio, quæ eſt per exceſſum. Humilitati autem magis opponitur ſuperbia, quæ eſt vitium per exceſſum, quàm nimia ſui abjectio, quæ eſt vitium per defectum.

29 Differunt etiam illæ virtutes penes rationes motivas & regulativas. Nam magnanimitas ſumit motivum & regulam ab eo, quod eſt Dei in nobis: videns enim in ſe magnanimus magna Dei dona, aut ſaltem magna auxilia ſibi promiſſa, ſumit inde motivum & regulam operandi magna eorum arduitati non ſuccumbens, quia ſcit non ſuperexcedere talia dona vel auxilia, dumque magna agit, reputat ſe, non propter ſe, ſed propter illa, quæ ex Deo accepit, magno honore dignum, & quidquid minus eſt honoris & laudis (uti eſt quidquid poteſt ab homine retribui) tanquam illis inadæquatum contemnit. Cęterum humilitas ſumit motivum, & regulam ſuæ operationis ab eo, quod in nobis eſt ex nobis ipſis, videnſque nos ex nobis ſolum habere defectum imperfectionem & culpam, quibus non excellentia & honor, ſed vilipenſio & contemptus debentur, cohibet animum, ne ad illa, tanquam ad aliquid ſibi ſecundum ſe debitum tendat, & ne iſta, tanquam ſe indigna, refugiat. Unde nulla ex his virtutibus alteri contradicit, licet videantur contrario modo procedere: quia optimè ſtat, ut idem homo ex Dei donis ad magna tendat, quod eſt eſſe magnanimum, & ex ſibi propriis ad ima ſe dejiciat, quod eſt eſſe humilem. Et ideò Apoſtolus ut magnanimus ajebat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*: ut humilis prædicabat: *Non quaſi ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis.*

30 De humilitate vero comparativè ad virtutem religionis dicendum nobis eſt, quod humilitas valdè appropinquat religioni, cujus actus & objectum continet profeſsionem divinæ excellentiæ, & etiam noſtræ erga Deum ſubjectionis. Differunt tamen hujuſmodi virtutes (ut benè habent laudati Salmanticenſes) quia, quod reſpectu unius eſt formale & primarium; reſpectu alterius eſt quaſi materiale & conſequens. Actus enim religionis primariò continet teſtificationem divinæ excellentiæ, & ſecundariò noſtræ vilitatis, quatenùs hæc arguitur ex omnimoda dependentia à ſupremo illo principio. E contra verò actus humilitatis primariò dicit confeſsionem noſtræ vilitatis & inferioritatis; implicitè autem & ex conſequenti teſtamur illo excellentiam primi principii, cui nos omninò ſubmittimus, tanquam ſine cujus influxu ſub nihilo maneremus. Itaque humilis ſubmittit ſe Deo & ejus excellentiæ, ut ſe ipſum deprimat, & intra menſuram propriam contineat: religioſus autem humiliat, & deprimit ſe coram Deo, ut ejus excellentiam exaltet, & cultu illo divinam influentiam in omnes creaturas profiteatur.

31 Aſſerendum eſt tertiò: Humilitatem infra virtutes Theologicas, & juſtitiam legalem reponendam eſſe, dum virtutibus moralibus, quæ ſunt circa paſsiones præfertur. Sic reſolvit D. Thomas, indeque oſtendit, quod bonum humanæ virtutis in ordine rationis conſiſtit, qui quidem principaliter attenditur reſpectu finis. ,, Unde virtutes Theolo- ,, gicæ, quæ habent ultimum finem pro ob- ,, jecto, ſunt potiſsimæ. Secundariò autem ,, attenditur prout ſecundum rationem finis ,, or-

2. 2. q. 161. ar. 5. in corp.

Humilitas virtutibus circa paſsiones ſimpliciter præſtat.

,, ordinantur ea, quæ ſunt ad finem. Et hæc ,, quidem ordinatio eſſentialiter conſiſtit in ,, ipſa ratione ordinante, participativè au- ,, tem in ipſo appetitu per rationem ordina- ,, to, quam quidem ordinationem univerſa- ,, liter facit juſtitia, præſertim legalis. Ordi- ,, nationi autem facit hominem benè ſubje- ,, ctum humilitas in univerſali quantum ad ,, omnia: quælibet autem alia virtus quan- ,, tum ad aliquam materiam ſpecialem. Ideò ,, poſt virtutes theologicas & virtutes intel- ,, lectuales, quæ reſpiciunt ipſam rationem ,, & poſt juſtitiam, præſertim legalem, po- ,, tior cæteris eſt humilitas. Nec eſt, quod opponatur, humilitatem juſtitiæ, etiam legali ſimpliciter preferendam eſſe ex Chryſoſtomo in Parabolam de Publicano & Phariſeo, dicente: *Quod, ſi mixta delictis humilitas tam facilè currit, ut juſtitiam ſuperbiæ conjunctam tranſeat, ſi juſtitiæ conjunxeris eam, quò non ibit? Aſsiſtet ipſi tribunali divino in medio Angelorum.* Quia ut reſpondet Divus Thomas: ,, Humilitas juſtitiæ non prefer- ,, tur, ſed juſtitię, cui ſuperbia conjungitur, ,, quæ jam deſinit eſſe virtus: ſicut è con- ,, trario peccatum per humilitatem remitti- ,, tur. Nam de Publicano dicitur: quod me- ,, ritò humilitatis deſcendit juſtificatus in ,, domum ſuam. Unde ubi ſupra dicit: *Ge- ,, minas bigas mihi accommodes, alteram qui- ,, dem ſuperbiæ & juſtitiæ, alteram verò ,, peccati & humilitatis, & videbis peccatum ,, pervertens juſtitiam non propriis, ſed hu- ,, militatis vincere viribus.* Aliud verò vi- ,, debis devictum non fragilitate juſtitię, ſed ,, mole & tumore ſuperbiæ.

S.Chryſoſt. homil. 5. de incõprehenſibil. Dei natura.

Solut. ad 1.

32 Conſultò diximus: præferendam eſſe humilitatem virtutibus moralibus, quæ ſunt circa paſsiones: nam in hoc ſenſu præſtare ſimpliciter virtutem iſtam; inde conſtat inter alia, quod virginitatem in hoc virtutum genere excellentiſsimam ſtatuemus cum D. Thoma: & nihilominus, ei anteponendam dicemus humilitatem, eodem Angelico Doctore affirmante: ,, Humilitas vide- ,, tur virtutibus propinquiſsima eſſe; quia ,, per eam homo ſe ex reverentia Deo ſub- ,, jicit; & per conſequens aliis propter Deum: ,, & ideò ſimpliciter loquendo virginitatem ,, humilitas excedit. Non ita tamen exploratum habemus in D. Thoma exceſſum ſimpliciter dictum reſpectivè ad cæteras omnes virtutes morales: præſertim, quia loquens de virtute religionis eam anteponit: ,, Quia ,, magis de propinquo accedit ad Deum, ,, quam aliæ virtutes morales in quantum ,, operatur ea, quæ directè & immediatè or- ,, dinantur in honorem divinum. De virtu- ,, te obedientiæ ſic etiam loquitur: Et ideò, ,, per ſe loquendo laudabilior eſt obedien- ,, tiæ virtus, quæ propter Deum contem- ,, nit propriam voluntatem, quam aliæ vir- ,, tutes morales, quæ propter Deum aliqua ,, alia bona contemnunt. Quapropter liceat nobis dicere cum PP. Salmanticenſibus: Certè ſi inter amicos judicare (ut dicere ſolebat Auguſtinus) amico odioſum eſt: nobis, qui unam & aliam virtutem amicabili fęde- re conjunctiſsimas ſummęque germanas pro viribus diligimus, gratum eſſe non poterit inter eas judicium ferre, aut minus aliquid alicui tribuere. Et fortè, ita ſe mutuo excedunt & exceduntur ſecundum diverſas rationes, ut neutram poſsis ſimpliciter inferiorem vocare. Sed de his plura dabimus, cum opportunior de virtutibus in particulari inſtituetur diſputatio.

D.Thomas 2.2. q.152.artic.5.

In 4. diſt. 33. q.3.ar.3. ad 6.

D.Thomas 2.2. q.81. art.6. in corp.

Q.104. art.3. in corp. ad medium.

OBJECTA DISSOLUTA.

33 Tot extant in Sacra Scriptura & PP. humilitatis encomia, ut eam ſupra reliquas omnes virtutes ſimpliciter attollere videantur. Veruntamen non ita rem eſſe, iterum oſtendere aſſumimus ea memorantes elogia, ut verò ſenſu indicato, novo argumento commendetur humilitas, ſed non ultra debitam menſuram. Opponitur ergo imprimis: Non poteſt non ſimpliciter reliquas excedere virtutes ea, quæ fundamentum eſt ſpiritualis ædificii; ſed hujus generis eſt humilitas: ergo videtur eſſe potior aliis virtutibus. Propoſitionem aſſumptam in aperto collocant teſtimonia articulo primo adducta, ut humilitas prædicaretur vera virtus, imò omnium virtutum Mater, theſaurus, fundamentum, aliaque id generis. Auguſtinus etiam apud D. Thomam inquiens: *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* Quinimò humilitas virtutes reliquas intimè tranſcendens in unum copulare videtur, juxta illud Divi Proſperi: * Prima ergo * humilitatis ratio in communis vitæ ver- * ſatur officiis, quibus & divina clementia * conciliatur, & ſocietas humana conne- * ctitur. *Et poſtea*: Cum Eccleſia Dei, quæ * eſt corpus Chriſti, ita ſit multimoda va- * rietate contexta, ut in unum decorem * etiam, quæ non ſunt paria concurrant, * & de omni genere hominum, de omni * gradu officiorum, & de omni menſura * operum, de omni qualitate virtutum fiat * totius ædificationis inſeparabilis connexio, * & indiferens pulchritudo, nec deſit ſo- * liditati, quod non fuerit portioni. Tan- * taque ibi ſit pax tantaque concordia, ut * non poſsit eſſe, niſi omnium, quod eſt * etiam ſingulorum: Indubitanter apparet, * copulatricem quamdam eſſe virtutem, qua * ſibi confęderatur, & concinit multiplex * Sanctorum unitas & ſpecioſa diverſitas. * Hæc autem virtus vera humilitas eſt, quæ * inter quoslibet meritorum gradûs nun- * quam ſui poteſt eſſe diſsimilis.

D.Auguſt.ſerm. 10. de Verbis Domini.

D. Thomas q. 161. artic.5. arg. 2.

S. Proſper, vel Auctor Epiſtol. ad Demetriadem cap.3.

Cap. 6.

34 Propoſitum tamen à Divo Thoma objectum, ipſo loquente, diſſolvere facillimum eſt: ſi propoſitio major dicatur vera de fundamento directo virtutum: ſecus autem de fundamento per modum removentis prohibens, qua dumtaxat ratione humilitas virtutum aliarum fundamentum dicitur; prout Sanctus Doctor ſimilitudine poſita ædificii materialis ita declarat & firmat. ,, Ad ſe- ,, cundum dicendum, ſicut, quod ordinata

Solut. ad 2.

vir-

,, virtutum congregatio per quamdam ſimi- ,, litudinem ædificio comparatur; ita etiam ,, illud, quod eſt primum in acquiſitione ,, virtutum, fundamento comparatur, quod ,, primum in ædificio jacitur, virtutes au- ,, tem verè infunduntur à Deo. Unde pri- ,, mum in acquiſitione virtutum poteſt acci- ,, pi dupliciter. Uno modo per modum re- ,, moventis prohibens: & ſic humilitas pri- ,, mum locum tenet, in quantum ſcilicet ,, expellit ſuperbiam, cui Deus reſiſtit, & ,, præbet hominem ſubditum, & patulum ,, ad ſuſcipiendum influxum divinæ gratiæ, ,, in quantum evacuat inflationem ſuperbiæ. ,, Unde dicitur: Quod Deus ſuperbis re- ,, ſiſtit, humilibus autem dat gratiam; & ,, ſecundum hoc humilitas dicitur ſpiritua- ,, lis ædificii fundamentum. Alio modo eſt ,, aliquid primum in virtutibus directè, per ,, quod ſcilicet jam ad Deum acceditur. Pri- ,, mus autem acceſſus ad Deum eſt per fidem ,, ſecundum illud: *Accedentem ad Deum ,, oportet credere*, & ſecundum hoc fides po- ,, nitur fundamentum nobiliori modo, quàm ,, humilitas.

Qualiter humilitas ſit fundamentũ ſpiritualis ędificii.

35 Secundum objectum novo innititur humilitatis elogio, ſicque proponitur: Maxima virtutum omnium cenſenda eſt virtus illa, quam Chriſtus Dominus verbo & exemplo nobis ſpecialiter imitandam propoſuit: ſic enim virtutis ejuſmodi ſumma commendatur neceſsitas; ſed talis eſt humilitas: erit ergo maxima inter virtutes. Aſſumptæ propoſitionis primam partem ab Auguſtino audiamus: cùm enim Chriſtum D. humiliatum, & obedientem uſque ad mortem ab Apoſtolo audiiſſet: chriſtianis omnibus cuſtodiendam dicit humilitatem, à Chriſto eò appellati: *Cujus Evangelium nemo intuetur, qui non eum Doctorem humilitatis inveniat.* Inquit deinde apud D. Thomam articulo laudato: *Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit, ſed præcipuè humilitatem ſuam imitandam propoſuit dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Et rurſus eadem Chriſti Domini verba expendens ita in eodem libro ſubjungit. * Non ait: diſcite à me mundum fabricare, * aut mortuos ſuſcitare, ſed quia mitis * ſum & humilis corde. O doctrinam ſalu- * tarem! O Magiſtrum Dominumque mor- * talium, quibus mors poculo ſuperbiæ * propinata atque transfuſa eſt! Noluit do- * cere, quod ipſe non eſſet, noluit jube- * re, quod ipſe non faceret. Video te, * bone Jeſu, oculis fidei, quos aperuiſti * mihi, tanquam in concione generis hu- * mani clamantem ac dicentem, venite ad * me & diſcite à me. Quid obſecro te, per * quem facta ſunt omnia, Fili Dei & idem, * qui factus eſt inter omnia, fili hominis, * quid, ut diſcamus à te, venimus ad te? * Quoniam mitis ſum (*inquit*) & humilis * corde. Huccine redacti ſunt omnes the- * ſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi in * te, ut hoc pro magno diſcamus à te, * quoniam mitis es & humilis corde? Ita * ne magnum eſt eſſe parvum, ut niſi à * te, qui tam magnus es fieret, diſci om- * nino non poſſet? Ita planè. Non enim * aliter invenitur requies animæ, niſi in- * quieto tumore digeſto, quo magna ſibi * erat, quando ſibi ſana non erat. Audiant * te & veniant ad te, & mites atque hu- * miles eſſe diſcant à te, qui miſericordiam * & veritatem tuam requirunt, tibi viven- * do, tibi, non ſibi.

Humilitatis neceſsitas, & utilitas.

Ad Philippẽ. 2. v.8.

S.Auguſt.lib.de Virgin.cap.33.

Cap. 16.

Matth.11. v. 29.

S.Auguſt. cap. 35.

Humilitas Chriſti D. imitanda.

36 De neceſsitate, quam poſterior pars aſſumptæ propoſitionis indicat, quis dubitet, affirmante Jeſu Chriſto: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini, ſicut parvuli non intrabitis in regnum cęlorum. Quicumque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno Cęlorum.* Inde Auguſtinus: * Hu- * milis (*inquit*) eſſe non poteſt nocens; ſu- * perbus non poteſt eſſe innocens. Humili- * tatem illam loquor, quæ non vult peritu- * ris rebus excellere, ſed æternum aliquid * veraciter cogitat, quo non ſuis viribus, * ſed adjuta perveniat. Pia itaque humili- * tate ſervata, quæ in ſcripturis ſanctis ſan- * cta probatur infantia, ſecuri eritis de im- * mortalitate beatorum. Talium eſt enim * Regnum Cęlorum. Idem docuit D. apud * Matthęum, & Lucam inquiens: Omnis * qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe hu- * miliat, exaltabitur: Ita expendente Au- * guſtino. Eſt igitur aliquid humilitatis mi- * ro modo, quod ſurſum faciat cor; & eſt * aliquid elationis, quod deorſum faciat * cor. Hoc quidem contrarium videtur ut * elatio ſit deorſum & humilitas ſurſum. * Sed pia humilitas facit ſubditum ſuperio- * ri: nihil eſt autem ſuperius Deo, & ideò * exaltat humilitas, quæ facit ſubditum * Deo. Elatio autem, quæ in vitio eſt, eo * ipſo, quo reſpuit ſubjectionem, & cadit * ab illo, quo non eſt quidquam ſuperius, * & ex hoc erit inferius, & fit quod ſcrip- * tum eſt: Dejeciſti eos dum allevarentur. * Non enim ait: cùm elati fuiſſent, ut prius * extollerentur, & poſtea dejicerentur, ſed * cùm extollerentur tunc dejecti ſunt. Ip- * ſum quippè extolli, jam dejici eſt. Et certè, quid fidem Centurionis ita mirandam reddidit, quam ejus humilitas? ſicut & in muliere Chananęa? orationem Publicani humilitas etiam reddidit efficacem.

Matth.18.v.3. & 4.

D.Auguſt.ſerm. 353. Alias Homil. 20. inter 50.

Matth. 23. v. 12.

Lucę 18.v.14.

Lib. 14. de Civit. Dei, cap. 13.

Pſalm. 72.

Matth.8.v.10.

Matth. 15. v. 28.

Lucę 18.v.14.

37 Ad objectum nihilominus argumentum diſtinguenda eſt major propoſitio: ſi nobis imitandam propoſuiſſet Chriſtus D. quaſi in illa conſiſtens major ad Deum acceſſus concedo majorem: tanquam diſpoſitionem dumtaxat, etſi neceſſariam ad talem acceſsum, in quo perfectio virtutum præcipuè attenditur, nego majorem. Et hac ratione commendari humilitatem à Chriſto Domino docuit nobis D. Thomas, & inde ſubtiliter concludens aſſertum propoſitum: ,, Ad quartum inquiens; quod ideò, Chri- ,, ſtus præcipuè nobis humilitatem com- ,, mendavit, quia per hoc maximè remo-

Solut. ad 4.

ve-

,, vetur impedimentum humanæ ſalutis, quæ
,, conſiſtit in hoc, quod homo ad cœleſtia
,, & ſpiritualia tendat, à quibus homo im-
,, peditur, dum in terrenis magnificari ſtu-
,, det. Et ideò Dominus, ut impedimen-
,, tum ſalutis auferret exteriorem celſitudi-
,, nem contemnendam monſtravit per humi-
,, litatis exempla: & ſic humilitas eſt, qua-
,, ſi quædam diſpoſitio ad liberum acceſſum
,, hominis in ſpiritualia & divina bona. Si-
,, cut ergo perfectio eſt potior diſpoſitione;
,, ita etiam charitas & aliæ virtutes, qui-
,, bus homo directè movetur in Deum, ſunt
,, potiores humilitate. Eadem etiam ratione neceſſaria prædicatur humilitas ad ſalutem æternam conſequendam: quin opus inde ſit eam agnoſcere inter virtutes omnes excellentiſsimam. Propter eamdem rationem Chriſtus D. Beatitudines ab humilitate voluit numerare, ut ſupra docuit nos S. Leo Papa. Docuerat etiam Chryſoſtomus inquiens de prima beatitudine: *Ideò autem hic inſiſtit radicitùs evellens ſuperbiam; quia hæc fuit radix, & fons malitiæ univerſæ; contra quam ponit humilitatem, velùt quoddam ſtabile fundamentum; quia ea ſubjecta, cum ſtabilitate alia ſuperædificantur, hac autem deſtructa pereunt, quæcunque congregaveris bona.*

S. Leo Papa Homil. 15. apud D. Thomam in Catena aurea Matth. 5.

38 Ultimum objectum ſic cum Divo
,, Thoma proponimus: ,, Majori virtuti,
,, majus debetur præmium, ſed humilitati
,, maximum debetur præmium, quia, qui ſe
,, humiliat, exaltabitur, ut ſupra pluribus
,, elucidatum eſt: Ergo humilitas eſt maxi-
,, ma virtutum. Reſpondetur tamen explicando minorem: Humilitati dumtaxat, & non aliis virtutibus debetur præmium exaltationis nego minorem. Speciali quadam ratione ipſi correſpondet concedo minorem, & nego conſequentiam, cum D. Thoma ad tertium dicente: ,, Quod contemnenti
,, terrena promittuntur cæleſtia, ſicut con-
,, temnentibus divitias terrenas promittun-
,, tur cœleſtes theſauri ſecundum illud: *No-*
,, *lite vobis theſaurizare theſauros in terra::*
,, *ſed theſaurizate vobis theſauros in cælo.*
,, Et ſimiliter contemnentibus mundi gau-
,, dia promittuntur conſolationes cœleſtes,
,, ſecundum illud: *Beati, qui lugent, quo-*
,, *niam ipſi conſolabuntur.* Et eodem modo
,, humilitati promittitur ſpiritualis exalta-
,, tio, non quia ſola ipſam mereatur, ſed
,, quia ejus eſt proprium contemnere ſubli-
,, mitatem terrenam. Unde Auguſtinus di-
,, cit: *Ne putes, eum, qui ſe humiliat, ſem-*
,, *per jacere, cum dictum ſit exaltabitur:*
,, *& ne opineris, ejus exaltationem in oculis*
,, *hominum per ſublimitates fieri corporales.*

Humiles ſpeciali ratione exaltandi.

Solut. ad 3.

Matth. 6. v. 19. & 20.

Matth. 5. v. 5.

S. Auguſt. lib. de Pœnitent. cap. 1.

ARTICULUS IV.

Præcipua recenſens motiva humilitatis ejuſque gradùs.

39 IN hoc articulo miſſam damus ſcholæ methodum, ut doctrinali ſtyllo, nonnulla proferamus ex Scriptura & PP. deducta motiva, unde humiliemur, aſsignatis pariter humilitatis gradibus, contrapoſitivè ad ſuperbiam. Humilitatis igitur cauſas & motiva, non eſt neceſſum extra nos ipſos quærere, quas in nobis ipſis gemebundi videmus, audientes proinde à Propheta: *Humiliatio tua in medio tui.* An non pulvis, terra, cinis & putridum fœnum homo eſt? *Pulvis es, & in pulverem reverteris. Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea & ſoror mea, vermibus. Quid ſuperbit terra & cinis.* * Quæ ergo ſuperbiæ cauſa homini (piè & eleganter ex Sacra Scriptura colligit novus quidam in Theologia Dogmatica Alexander) qui ſecundum corpus in ortu ſuo ſperma fœtidum eſt, in vita ſaccus ſtercorum, poſt mortem cibus vermium? Quantum verò excitare debent humilitatis affectum miſeriæ & ægritudines animæ, ignorantia, difficultas ad bonum agendum & ad domandam concupiſcentiam, quæ ad peccatum ſemper inclinat & illicit; peccata præterita, quotidiana, occulta; ob quæ conſumpti eſſemus, niſi miſericordia Dei magna nos præveniſſet. *Miſericordiæ Domini, quod non ſumus conſumpti.* Denique Dei judicia peccatoribus omnibus, præſertim ſuperbis imminentia & æternæ ſortis noſtræ ignoratio, magna nobis ad humilitatem incitamenta eſſe debent. Non ſolum enim neſcit homo, utrum in præſenti, ſed utrum in futuro amore vel odio dignus ſit; neſcit, utrum in area Domini triticum ſit, an palea; neſcit, utrum permaneat ad coronam vel ad flammam, quamobrem Apoſtolorum Principi obtemperare debet ſcribenti: *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* *

Michææ 6. v. 14.

Geneſ. 3. v. 19.

Geneſ. 18. v. 27

Job 17. v. 14.

Eccleſiaſt. 10. v. 9.

Natal. Alexan. lib. 3. de peccatis ar. 11.

Unde homo humilietur intra ſe ipſum habet.

Thren. 3. v. 22.

1. Petri 5. v. 6.

40 Audiatur etiam Melifluus Bernardus ad Eugenium Pontificem ſcribens; monenſque, ut oculos avertat ab honoribus, quibus cumulatum ſe circunſpiciebat. * Sic
* enim ocurret tibi (*inquit*) homo nudus
* & pauper & miſer & miſerabilis, homo
* dolens, quòd homo ſit, erubeſcens, quòd
* nudus ſit, plorans, quòd natus ſit, mur-
* murans, quòd ſit. Homo natus ad labo-
* rem, non ad honorem. Homo natus de
* muliere, & ob hoc cum reatu: brevi
* vivens tempore, ideoque cum metu, re-
* ple-

D. Bernardus lib. 2. de conſiderat. cap. 9.

* pletus multis miſeriis, & propterea cum
* fletu. Et verè multis, quia corporis &
* animæ ſimul. Quid enim calamitate va-
* cat naſcenti in peccato, fragili corpore &
* mente ſterili? Verè ergo repletus, cui
* infirmitas corporis & facultas cordis cu-
* mulatur traduce ſordis, mortis addictio-
* ne. Et alibi ſententiam illam: Noſce te
* ipſum, tanquam cœlitùs datam commen-
* dans ſubjungit: Cognitio ſui ſtat in tri-
* bus: ut cognoſcat homo quid fecit, quid
* meruit, quid amiſit. Quid viliùs, ò no-
* bilis creatura, imago Dei, Creatoris ſi-
* militudo, quam carnem tuam illècebris
* carnalibus deturpare, & pro brevi vo-
* luptate torrentem perdere voluptatis?
* Quid furioſiùs, quam rapi mentem irâ,
* ſuperbiâ extolli, vexari invidiâ, anxie-
* tate torqueri? Recordare etiam quid me-
* rueris. Subeat memoriam tuam gehenna-
* lis olla, fornax ferrea magnæ Babylonis,
* domus mortis, anxietatis domicilium,
* flammarum globus, acerbitas frigoris te-
* nebræ ſempiternæ. Conſidera ordinem tor-
* mentorum, tortorum facies, mutationem
* pœnarum, miſeriarum infinitatem & po-
* teris dicere: Melius erat mihi ſi natus
* non fuiſſem. Reflecte oculos & quid ami-
* ſeris animadverte. Reminiſcere, qualis ſit
* Civitas glorioſa, cœleſtis habitatio, locus,
* ſuavitatis palatium, ſplendor gloriæ, gra-
* tiæ magnitudo, claritas infinita. Atten-
* de ordinem gaudiorum, gaudentium vul-
* tûs, præmiorum viciſsitudinem, multitu-
* dinem deliciarum & poteris exclamare:
* Qui te perdidit, totum perdidit, Domi-
* ne Deus.

Serm. 40. de diverſis.

41 Ad humilitatem fovendam, tria etiam homini conſideranda proponit Melifluus humilitatis Prædicator: primordia, media, noviſsima. *Cogita* (inquit) *unde veneris & erubeſce; ubi ſis & ingemiſce*: quò vadis & contremiſce. Agnoſce primordia tua, & erubeſce comparatum te eſſe jumentis: Memorare noviſsima tua, & time, ne abeas etiam poſt jumenta. Erubeſce, quod pro conſortio Angelorum, conſortium ſortitus es pecorum, non modo in neceſsitatibus corporis, ſed etiam in affectibus cordis. Eras aliquando gloriâ & honore coronatus, conſtitutus ſuper opera manuum Domini, incola Paradiſi, Angelorum Civis & domeſticus Domini Sabaoth. Hinc dejeciſti te ipſum in has interiores tenebras, unde ad exteriores quoque, & palpabiles tenebras ejiciendus eris aliquando, ſi non caves. Ecce unde veniſti: Vis noſce, quò deveniſti? In locum utique afflictionis. Siquidem vita tua Inferno appropinquavit. Quid enim hìc niſi labor & dolor & afflictio ſpiritûs? :: Sed noviſsima quæ ſunt? Mors, judicium, gehenna. Quid horribilius morte? Quid judicio terribilius? Nam gehenna nihil poteſt intolerabilius cogitari. Quid metuet, ſi quis ad iſta non trepidat, non expaveſcit, non timore concutitur. Magnam certè intra ſe ipſum (ut vidimus) inveniet homo, ut ſe humiliet, cauſam. Nihilominus, quis ſuperbiat, poſtquam Deum humiliatum conſpicit? Sive, ut loquitur Auguſtinus: *Jam tandem erubeſcat homo eſſe ſuperbus, propter quem factus eſt humilis Deus.* Exemplum ſiquidem Chriſti Domini chriſtianis humilitatem efficaciter infundere debet.

Serm. 12.

S. Auguſt. enarrat in Pſal. 18.

* Ad hoc Unigenitus Dei Filius (verba ſunt Magni Gregorii, etſi profuſa, utiliter tranſ-
* cribenda) formam infirmitatis noſtræ ſuſ-
* cepit; ad hoc inviſibilis, non ſolum vi-
* ſibilis, ſed etiam deſpectus apparuit; ad
* hoc contumeliarum ludibria, irriſionum
* opprobria paſsionumque tormenta tolle-
* ravit, ut ſuperbum non eſſe hominem do-
* ceret humilis Deus. Quanta, ergo humili-
* tatis virtus eſt, propter quam ſolam vera-
* citer edocendam is, qui ſine æſtimatione
* magnus eſt, uſque ad Paſsionem factus eſt
* parvus? Quia enim originem perditioni
* noſtræ ſuperbia præbuit diaboli, inſtru-
* mentum redemptionis noſtræ inventa eſt
* humilitas Dei. Hoſtis quippè noſter mag-
* nus inter omnia conditus, videri ſuper
* omnia voluit elatus. Redemptor autem
* noſter magnus manens ſemper omnia,
* fieri inter omnia dignatus eſt parvus. Sed
* meliùs & elationis cauſam detegimus &
* fundamenta humilitatis aperimus, ſi bre-
* vi commemoratione perſtringimus, quid
* mortis auctor, quid vitæ Conditor
* dicat.

S. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 18.

Deteſtabilior ſuperbia, poſt Deum humiliatum.

42 Ille namque ait: * *In Cœlum aſcen-*
* *dam.* Iſte autem per Prophetam dicit: *Re-*
* *pleta eſt malis anima mea & vita mea*
* *inferno appropinquavit.* Ille dicit: *Super*
* *aſtra Cœli exaltabo ſolium meum.* Iſte hu-
* mano generi à Paradiſi ſedibus expulſo
* dicit: *Ecce venio citò & habitabo in me-*
* *dio tui.* Ille dicit, *Sedebo in monte teſta-*
* *menti, in lateribus Aquilonis*: Iſte dicit,
* *Ego ſum vermis & non homo, opprobrium*
* *hominum & abjectio plebis.* Ille dicit, *Aſ-*
* *cendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis*
* *ero Altiſsimo*: Iſte; *Cum in forma Dei eſ-*
* *ſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua-*
* *lem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit for-*
* *mam ſervi accipiens*, & per membra ſua
* loquitur dicens: *Domine, quis ſimilis tibi?*
* Ille per membra ſua loquitur dicens: *Ne-*
* *ſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.*
* Iſte per ſemetipſum dicit: *Si dixero, quia*
* *non novi ero ſimilis vobis mendax: ſed*
* *novi eum, & ſermonem ejus ſervo.* Ille di-
* cit: *Meus eſt fluvius, & ego feci memet-*
* *ipſum*: Iſte dicit: *Non poſſum à me facere*
* *quidquam.* Et rurſum, *Pater meus in me*
* *manens, ipſe facit opera.* Ille regna omnia
* oſtendens dicit: *Tibi dabo poteſtatem hanc*
* *univerſam, & gloriam illorum, quia mihi*
* *tradita ſunt, & cui voluero, do illa.* Iſte
* dicit: *Calicem quidem meum bibetis, ſe-*
* *dere autem ad dexteram vel ad ſiniſtram*
* *meam, non eſt meum dare vobis, ſed qui-*
* *bus paratum eſt à Patre meo.* Ille dicit:
* *Eritis, ſicut Dii ſcientes bonum & malum.*
* Iſte dicit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora,*
* *vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua po-*
te-

Iſaiæ 14. v. 13. & aliis.

Pſalm. 87. v. 4.

Zachariæ 2. v. 10.

Pſalm. 21. v. 7.

Iſaiæ 14. v. 14.

Ad Philipp. 2. à v. 6.

Pſal. 34. v. 10.

Exodi 5. v. 2.

Joann. 8. v. 55.

Ezechiel. 29. v. 3.

Joann. 5. v. 19.

Cap. 14. v. 10.

Matthæi 20. v. 23.

Geneſ. 3. v. 5.

Actor. 1. v. 7.

teſtate. Ille, ut voluntas Divina deſpici, & ut poſsit propria ſuaderi, dicit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis ex omni ligno Paradiſi? Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri.* Iſte dicit: *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Ille per membra ſua loquitur dicens: *Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, coronemus nos roſis, antequam marceſcant, ubique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ.* Iſte membris ſuis prænuntiat dicens: *Plorabitis & flebitis vos, Mundus autem gaudebit.* Ille nihil aliud mentes ſibi ſubditas docet, quam celſitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem omnium hominum alta elatione tranſire, ac ſeſe contra potentiam Conditoris erigere, ſicut de eiſdem per Pſalmiſtam dicitur: *Tranſierunt in affectum cordis; cogitaverunt & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo loquuti ſunt.* Iſte ad ſputa, ad palmas, ad colaphas, ad ſpineam coronam, ad crucem, ad lanceam atque ad mortem veniens, membra ſua admonet dicens: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.* Hucuſque D.Gregorius.

Joann. 5. v. 30.
Sapient. 2. à v. 6.
Joann. 16. v. 20.
Pſalm. 72. v. 7. & 8.
Joan. 16. v. 26.

43 Ad aſsignandos humilitatis gradûs, gradum facimus: & præmittimus dupliciter poſſe humilitatis gradus accipi: vel per ordinem ad eos, quibus humiliatur homo; & in hoc ſenſu, inquit Gloſſa ordinaria in cap. 3. Matthæi, apud D. Thomam: ,, *Perfecta humilitas tres habet gradûs: Primus eſt, ſubdere ſe majori, & non præferre ſe æquali, qui eſt ſufficiens. Secundus eſt, ſubdere ſe æquali, nec præferre ſe minori: & hic dicitur abundans. Tertius gradus eſt, ſubeſſe minori, in quo eſt omnis juſtitia.* Hujuſmodi tres gradus (inquit D. Thomas) accipiuntur non ex parte ipſius rei, id eſt, ſecundum naturam humilitatis; ſed per comparationem ad gradus hominum, qui ſunt vel majores vel minores vel æquales. Gradûs præterea humilitatis attenta ejus natura poſſunt deſignari; non ita tamen, ut ad alias virtutes non valeant pertinere: Quia, ut habet S. Doctor: ,, Non eſt autem inconveniens, quod ea, quæ ad alias virtutes pertinent, humilitati adſcribantur, quia, ſicut unum vitium oritur ex alio; ita naturali ordine actus unius virtutis procedit ex actu alterius. His præmiſsis.

Gloſſa apud D. Thom. art. 6. argum. 4.
Solut. ad 4.
Solut. ad 1. in fine.

Duodecim humilitatis gradûs elucidantur.

44 Reſolvit & propugnat Div. Thomas: convenienter aſsignaſſe D. Benedictum duodecim humilitatis gradus, quibus totidem ex adverſo gradus ſuperbiæ juxta D. Bernardum correſpondent. *Primus* gradûs humilitatis ,, eſt (loquitur D.Thomas) *corde & corpore ſemper humilitatem oſtendere defixis in terram aſpectibus*, cui opponitur *curioſitas*, per quam aliquis curioſè ubique & inordinatè circunſpicit. *Secundus* gradus humilitatis eſt, *ut pauca verba & rationabilia loquatur aliquis, non clamoſa voce*: contra quem opponitur *levitas mentis*, per quam homo ſuperbè ſe habet in verbo. *Tertius* gradus humilitatis eſt, *ut non ſit facilis & promptus in riſu*; cui opponitur *inepta lætitia*. *Quartus* gradus humilitatis eſt, *taciturnitas uſque ad interrogationem*; cui opponitur *jactantia*. *Quintus* gradus humilitatis eſt, *tenere, quod communis regula Monaſterii habet*; cui opponitur *ſingularitas*, per quam aliquis ſanctior vult apparere. *Sextus* gradus humilitatis eſt, *credere & pronuntiare ſe omnibus viliorem*; cui opponitur *arrogantia*, per quam homo ſe aliis præfert. *Septimus* gradus humilitatis eſt, *ad omnia inutilem & indignum ſe confiteri & credere*; cui opponitur *præſumptio*, per quam aliquis reputat ſe ſufficientem ad majora. *Octavus* gradus humilitatis eſt, *confeſsio peccatorum*; cui opponitur *defenſio eorumdem*. *Nonus* gradus humilitatis eſt *in duris & aſperis, patientiam amplecti*; cui opponitur *ſimulata confeſsio*, per quam ſcilicet, aliquis non vult ſubire pœnam pro peccatis, quę ſimulatè confitetur. *Decimus* gradus humilitatis eſt *obedientia*; cui opponitur *rebellio*. *Undecimus* gradus humilitatis eſt, *ut homo non delectetur facere propriam voluntatem*; cui opponitur *libertas*, per quam ſcilicet, homo delectatur liberè facere quod vult. *Ultimus* autem gradus humilitatis eſt *timor Dei*, cui opponitur *peccandi conſuetudo*, quæ implicat Dei contemptum. In his autem duodecim gradibus tanguntur non ſolum ſuperbiæ ſpecies, ſed etiam quædam antecedentia & conſequentia, ſicut etiam ſupra de humilitate dictum eſt. Nec obſtat, quòd Anſelmus exaltationem ſuperbiæ dividens dicat: *Quędam eſt in voluntate, quędam in ſermone, quædam in operatione.* ,, Quia tria illa (inquit D.Thomas ubi ſupra) accipiuntur ſecundum progreſſum peccati cujuslibet, quod primò corde concipitur, ſecundò ore profertur, tertiò opere perficitur.

Q. 162. art. 4. ad 4.
S. Anſelmus lib. de ſimilitud. cap. 24.

45 Diximus, inquam, gradus ſuperbiæ: quia ſpecies, aliter aſsignantur à Div. Gregorio apud D.Thomam affirmante: *Quatuor quippè ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogantium demonſtratur, cum bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant: aut, ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant; aut certè, cum jactant ſe habere, quod non habent, aut deſpectis cęteris ſingulariter videri appetunt habere quod habent.* Et rectè quidem: Nam ut philoſophatur D. Thomas: Superbia importat immoderatum appetitum excellentiæ: ergo, dum quis appetit ſibique tribuit majus bonum, quàm habet immoderatè & ultra modum ſibi convenientem, appetit excellentiam, & ſic eſt tertia ſpecies aſsignata ſuperbiæ: *Cum ſcilicet, aliquis jactat ſe habere, quod non habet.* Similiter cum aliquis bonum, quod ab alio habet, jactat à ſe ipſo habere, etiam immoderatè appetit propriam excellentiam; ſive jactet habere à ſe ipſo, tanquam à principio efficienti ſive ex meri-

D. Gregor. lib. 23. Moral. c. 7.
Art. 4. argum. 1
D. Thom. q. 162 ar. 4. in corp.

tis propriis. Et ſecundum hoc (inquit D.Thomas) ſumuntur duæ primæ ſpecies ſuperbiæ, ſcilicet, cum quis à ſe ipſo habere æſtimat, quod à Deo habet; vel cùm propriis meritis ſibi datum deſuper credit. Tandem, qui bonum excellentiùs ſibi præ aliis tribuit, in quartam incidit ſuperbiæ ſpeciem: quia ſcilicet, aliis deſpectis, ſingulariter videri vult.

46 Audiamus præterea Angelicum humilitatis Magiſtrum, in ſchola D. Benedicti à ſuis primordiis doctrinâ & ſanctiſsimis moribus enutritum; qualiter elucidat duodecim humilitatis gradûs à D.Benedicto aſsignatos, licet non eodem ordine. Supponit enim, quod jam in præcedentibus ſtatuerat; humilitatem, ſcilicet, impetum animi refręnare, ne inordinatè tendat in magna regulamque habere in cognitione, ne aliquis ſe exiſtimet ſupra id eſſe, quod eſt, reverentia ad Deum ſe habente ut radice. Aſsignat poſtea ex hoc triplici capite gradûs humilitatis, quos ita ex ejus doctrinâ ex ſacris libris confirmata numeramus. Primus gradus eſt timor Dei & perennis præceptorum ejus memoria, nec non conſideratio æterni ſupplicii Deum contemnentibus deſtinati & vitæ ęternæ Deum timentibus præparatæ, juxta illud: *Cuſtodivi vias Domini, nec impiè geſsi à Deo meo: Quoniam omnia judica ejus in conſpectu meo & juſtitias ejus non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea.* Hujuſmodi gradûs ex tertiò capite, ſive ex reverentia ad Deum deducit Doctor Angelicus. Ex primò autem aſsignat Sanctus Doctor tres gradûs humilitatis, nempè ſecundum, tertium & quartum. Secundus eſt abdicatio propriæ voluntatis ejuſque ad divinam accommodatio, ut Chriſtianus dicere poſsit cum Chriſto Domino: *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Tertius eſt, ut Chriſtianus divini amoris impulſu omni obedientiâ ſe ſubdat majori ac præcipuè præpoſitis, qui pervigilant, quaſi rationem pro anima illius redditùri, ſicque Chriſtum imitetur, qui *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Quartus, ut in ipſa obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis injuriis tacitâ conſcientiâ patientiam amplectatur, nec deficiat, ſed in finem uſque perſeveret. Nam præceptum Domini in adverſis & injuriis adimplentes, percuſi in maxilla præbent & aliam, auferenti tunicam dimittunt & pallium; angariati milliario, vadunt & duo, cum Paulo Apoſtolo falſos fratres & perſequentes & maledicentes ſe benedicunt.

Q. 161. art. 6. in corp.
Pſalm. 17. v. 22.
Joan. 6. v. 38.
Ad Philipp. 2. v. 8.

47 Ex ſecundò inſuper capite prodeunt ſequentes: Quintus eſt, ut pravas cogitationes in animum irrepentes & mala clam commiſſa, humili confeſsione conſcientiæ ſuæ moderatori aperiat, ut illud Pſalmi in illo impleatur: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Dixi: *Pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Et illud: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Sextus eſt, ut abjectionem omnem, contemptumque ſui æquo & lubenti animo ferat, & in omnibus operibus ſibi vocationis ſuæ ſtatûſque vi ac nomine injunctis, ſe operarium malum & inutilem exiſtimet, ſecundum præceptum Salvatoris: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite; Servi inutiles ſumus: Quod debuimus facere, fecimus.* Septimus eſt, ut omnibus ſe viliorem & inferiorem non ſolum lingua pronunciet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, dicens cum Propheta: *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Octavus eſt, ut nihil agat Monachus quidem contra regulam & majorum exempla; Chriſtianus verò quilibet præter id, quod docet Evangelium, & quod Eccleſia proponit vel approbat. Nam Chriſtiani omnes Religioſi Crucis ſumus, ſecundum illud Tertulliani: *Qui Crucis nos Religioſos putat, conſentaneus erit noſter. Evangelium & Eccleſiæ Doctrina regula noſtra eſt, quam nos obſervaturos in Baptiſmo ſolemniter vovimus, cùm in ſacramenti verba reſpondimus. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus & in eadem permaneamus regula.* Deinde ad Galatas: *Et quicumque hanc regulam ſequuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia & ſuper Iſrael Dei. Hæc eſt via Dei, via ſalutis, via pacis, via recta, via Sanctorum, via veritatis, via juſtitiæ, via immaculata, via mandatorum & juſtificationum Dei, via æterna, in qua ambulare debemus, nec declinare ad dexteram aut ſiniſtram.*

Pſalm. 31. v. 5.
Jacobi 5. v. 16.
Luc. 17. v. 10.
Pſalm. 21. v. 7.
Tertullian. in Apollog. cap. 6.
Ad Galatas 6. v. 16.

48 Nonus eſt, ut linguam coërceat, nec loquatur, niſi Dei gloria rerumque ſuarum & proximi neceſsitas ſilentium abrumpere jubeat, perſuaſus. *In multiloquio non deeſſe peccatum, & quod vir linguoſus non dirigetur in terra.* Atque ita apud ſe ſtatuens: *Dixi: Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: Poſui ori meo cuſtodiam.* Decimus eſt, ut non facilè ſolvatur in riſum & ineptam lætitiam divinæ illius ſententiæ memor: *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: Vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Chriſtum humilitatis doctorem fleviſſe legimus, non riſiſſe. Undecimus eſt, ut cùm loquitur leniter, ſine riſu, humiliter & cum gravitate pauca verba & prudentię ſale condita, non clamoſa, ſed ſubmiſſa voce proferat, ſacrorum illorum oraculorum memor: *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cęlo & tu ſuper terram: Id circò ſint pauci ſermones tui :: Verba oris ſapientis gratia & labia inſipientis præcipitabunt eum :: Stultus verba multiplicat :: Sapiens in verbis producet ſe ipſum :: Labia imprudentium ſtulta narrabunt :: Verba autem prudentium*

Proverb. 10. v. 19.
Pſalm. 139. v. 12.
Pſalm. 38. v. 1.
Eccleſiaſt. 5. v. 1. cap. 10. v. 12.
V. 14.
Eccleſiaſt. 20. v. 29. cap. 21. v. 28.

ſtatera ponderabuntur. Duodecimus humilitatis gradus eſt, ut non ſolum animo, ſed toto corporis habitu in omni loco humilitatem præſeferat, ut verè dicere poſsit cum Davide: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Et Apoſtoli monitum impleat, ad Philippenſes: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Ex aſsignatis gradibus, quinque poſteriores deducit D. Thomas ex his, quę pertinent ad exteriora ſigna humilitatis. Hactenùs de humilitate.

Pſal. 130. v. 1.

Ad Philippenſ. 4. v. 5.

ARTICULUS V.

Virginitatem inter virtutes reponens.

Caſtitatis ſpecies indicantur.

49 CASTITATI communiter aſsignantur tres veluti ſpecies: conjugalis nempe, vidualis, & virginalis. Caſtitas conjugalis ea eſt, per quam conjuges ſervant regulam à ratione præſcriptam in uſu venereorum. Vidualis deinde, qua abſtinet quis totaliter à venereis poſt tranſactum matrimonium. Virginalis tandem, qua aliquis toto tempore vitæ immunem ſe conſervat ab experimento omnis venereæ voluptatis. Diximus: *Veluti ſpecies*: quia ſola virginitas ſupra caſtitatem virtus ponitur ſpecialis ab Angelico Doctore: ,, Dicendum (inquit) quod caſtitas conjugalis ex hoc ſolo habet laudem, ,, quod abſtinet ab illicitis voluptatibus: ,, unde non habet aliquam excellentiam ſupra communem caſtitatem. Viduitas autem addit quidem aliquid ſupra caſtitatem communem; non tamen pervenit ad ,, id, quod eſt perfectum in materia iſta, ,, ſcilicet, ad omnimodam immunitatem venereæ voluptatis, ſed ſola virginitas. Et ,, ideò ſola virginitas ponitur virtus ſpecialis ſupra caſtitatem; ſicut magnificentia ſupra liberalitatem. Ea propter angelicâ virginitate micantiſsimus Doctor pro elucidanda virginitate ſpecialem inſtituit quæſtionem in ejus laudibus angelicè effuſſus; & adverſantes hæreticos victricibus armis confodiens. Nec mirum eſt, quod Sanctorum omnium Patrum diſcipulus ipſos æmuletur in commendanda virginitate, de qua pronunciare poſſumus, quòd in alio aſſumpto Doctor Euchariſticus metricè concinebat: *Quantum potes tantum aude: quia major omni laude, nec laudare ſufficis.* Deinde cùm SS. PP. virginitatem laudantes ſequitur, hæreticos perſequitur virginitatis hoſtes, angelicam virginitatem imitatus. Et benè hæreticos omnes hoſtes diximus virginitatis, poſtquam luxuriâ infectos dedimus Prolegomeno 2. num. 10.

D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad 5.

In ſequentia Miſſæ in feſto Corp. Chriſti.

In pręſenti autem breviter rejiciendos duximus Jovinianum, qui præpoſuit vel ęquavit matrimonium virginitati, ut Maximus Hieronymus refert & D. Thomas. Deinde S. Auguſtinus de Joviniano ſic loquitur: *Joviniana hæreſis, ſacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in Urbe Roma, ut nonnullas etiam ſanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, dejeciſſe in nuptias diceretur.* Et infra: *Huic monſtro Sancta Eccleſia, quæ ibi eſt fideliſsimè & fortiſſimè, reſtitit.* Rejiciendos etiam accipimus Calvinum, virginitatem illicitam re ipſa ponentem, cum ad contrahendas nuptias univerſaliter obligari omnes contendebat; vel unà cum Luthero matrimonium virginitati præferebat lib. 4. inſtitutionum, §. 17. & ſequentibus. Nec nova in Calvino fuit hæretica iſta aſſertio. Virginitatem namque illicitam facto ſuo tradiderat jam Balatius quidam, dux Ægypti Arianæque perfidię ſtudioſiſsimus. Qui (ut refert S. Athanaſius) virgines nudas verberibus publicè affici pręcipiebat: quaſi aliquid illicitum committerent virginitatem ſervantes. Horrendum ſanè flagitium! Divinâ tamen juſtitiâ publicè punitum, pro ut refert laudatus Athanaſius: *Sanctus Antonius* (inquit) *ad eum* (ſcilicet Balatium) *ſic ſcripſiſſe fertur: Video ò Balati, iram Dei ſuper te venientem. Ideò ſine quæſo, ut facis, Chriſtianos perſequi: ne Dei vindicta te occupet, quæ proximum jam tibi minatur interitum. Qua epiſtola ſpreta, dùm, cum Neſtorio Alexandriæ præfecto equitaret morſu repentino Balatium equus in terram dejecit ejuſque fęmora dentibus laceravit. Qui poſt tertium diem è vivis ſublatus eſt, juxta S. Antonii vaticinium.* In hujuſmodi errorum confutationem, virginitatiſque commendatione ſit.

Hæreſis rejiciendę.

D. Hieron. lib. 1. contr. Jovinian.

D. Thom. lib. 3. cont. gent. cap. 137.

Et 2. 2. q. 102. artic. 4.

D. Auguſt. lib. 2. retract. cap. 22.

S. Athan. in vita S. Antonii Abbatis.

50 Aſſerendum eſt: virginitatem eſſe virtutem ſpecialem, firmum & conſtans propoſitum includentem perpetuo abſtinendi ab omni delectatione venerea. Sic imprimis deducitur ex ipſamet vocabuli etymologia: ,, Nomen ſiquidem virginitatis à virore ,, ſumptum videtur (inquit D. Thomas) ,, & ſicut illud dicitur virens & in ſuo vi- ,, rore perſiſtere, quod non eſt ex ſuperan- ,, tia caloris aduſtionem expertum: ita ,, etiam virginitas hoc importat, quod ,, perſona, cui ineſt, immunis ſit à con- ,, cupiſcentiæ aduſtione, quæ eſſe videtur ,, in conſummatione maximę delectationis ,, corporalis, qualis eſt venereorum dele- ,, ctatio. Inde apparet: materiam hujus virtutis eſſe veneream delectationem totaliter removendam: quamvis de formali dicat propoſitum perpetuo abſtinendi à prædicta delectatione. Ut enim loquitur S. Dr. in delectatione venereorum, tria eſt conſiderare. ,, Unum quidem, quòd eſt ex parte ,, corporis, ſcilicet violatio ſignaculi virgi- ,, nalis. Aliud autem eſt, in quo conjungi- ,, tur, id quòd eſt animæ, cum eo, quòd

D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 1. in corp.

Virginitatis etymologia.

eſt

,, eſt corporis, ſcilicet, ipſa reſolutio ſemi- ,, nis delectationem ſenſibilem cauſans. Ter- ,, tium autem eſt ſolum ex parte animę, ,, ſcilicet, propoſitum perveniendi ad ta- ,, lem delectationem. In quibus tribus id, ,, quod primò poſitum eſt, per accidens ſe ,, habet ad moralem actum, qui non con- ,, ſideratur per ſe, niſi ſecundum ea, quæ ,, ſunt animæ. Secundum verò, materiali- ,, ter ſe habet ad actum moralem; nam ſen- ,, ſibiles paſsiones ſunt materia moralium ,, actuum. Tertium verò ſe habet formali- ,, ter & completivè, quia ratio moralium ,, in eo, quod eſt rationis, completur. ,, Quia ergo virginitas dicitur per remo- ,, tionem prædictæ corruptionis, conſequens ,, eſt, quòd integritas membri corporalis ,, per accidens ſe habet ad virginitatem. ,, Ipſa autem immunitas à delectatione, quæ ,, conſiſtit in ſeminis reſolutione, ſe ha- ,, bet materialiter. Ipſum autem propoſi- ,, tum perpetuò abſtinendi à tali delecta- ,, tione, ſe habet formaliter & completivè ,, in virginitate.

Quid de materiali importet virginitas: quid de formali.

51 Angelico Magiſtro præluxit pro more Auguſtinus, utrumque pro conſtituenda virginitate deſignans, & integritatem carnis cum immunitate à venerea delectatione, & propoſitum perpetuo abſtinendi. Virginitas (inquit) eſt: *Continentia, qua integritas carnis, ipſi creatori animę & carnis vovetur, conſecratur, ſervatur.* Et rursùs: *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Quibus verbis & quod formale & quod materiale eſt in virginitate aſsignat. Quia ut loquitur D. Thomas: ,, Definitio Auguſti- ,, ni tangit quidem in recto id, quod eſt ,, formale in virginitate; nam per medita- ,, tionem intelligitur propoſitum rationis. ,, Quod autem additur, *perpetua*, non ſic ,, intelligitur, quod oporteat virginem ſem- ,, per actu talem meditationem habere, ſed ,, quia hoc debet in propoſito gerere, ut ,, perpetuò in hoc perſeveret, id verò, ,, quod eſt materiale, tangitur in obliquo, ,, cum dicitur, *incorruptionis in carne cor-* ,, *ruptibili*, quod additur ad oſtendendam ,, virginitatis difficultatem. Nàm, ſi caro ,, corrumpi non poſſet, non eſſet difficile ,, perpetuam incorruptionis meditationem ,, habere. Auguſtino & Thomæ pręluxerat jam Ezechiel, perpetuam virginitatem Deiparæ per integritatem carnis prænuntians, dùm ajebat: *Porta hæc clauſa erit: non aperietur & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa.* Hæc enim verba ſic expendit Concilium Telenſe, in reſcripto ad Siricium Papam: *Quæ eſt ſanctuarii illa porta, quæ manet clauſa? & nemo, inquit, pertranſibit per eam: ſed ſolus Deus Iſrael tranſibit per eam? Nonne hæc porta eſt Maria, per quam in hunc mundum Redemptor intravit? Hæc eſt porta juſtitiæ. Hæc porta eſt Maria, de qua ſcriptum eſt, quia Dominus pertranſibit per eam, & erit clauſa: quia & virgo concepit, & genuit. Peperit Maria: & virgo permanet.* His prælibatis circa quidditatem virginitatis.

S. Auguſt. lib. de virgin. cap. 8. cap. 13.

Solut. ad 1.

Ezechiel. 44. v. 2.

Concilium Telenſe cap. 8.

52 Prior aſſertionis pars, qua virginitas virtus ponitur: licita proinde & laudabilis, inde adversùs hæreticos firmatur à D. Thoma: Quod Apoſtolus inter opera conſilii virginitatem recenſet: *De virginibus autem, præceptum Domini non habeo; conſilium autem do.* Cum igitur nullum ſub conſilio peccatum cadere poſsit, reſtat, quod virginitas non ſit aliquid illicitum. Hæc D. Thomæ ex Apoſtolo deducta argumentatio urget præſertim, ſi Paulum attendamus ſpecialem firmitatem conſilio illi adjungentem, dùm acceptum indicat à Spiritu Sancto; & à ſe ipſo fideliter diſpenſatum, juxta Ang. Doctoris expoſitionem illam: ,, *Conſilium autem do*, ſcilicet de ,, continendo; conſilium mihi à Spiritu S. ,, inſpiratum :: Conſilium inquam do; & ,, hoc, *tanquam conſequutus à Domino mi-* ,, *ſericordiam*: id eſt, apoſtolatum mihi mi- ,, ſericorditer conceſſum. Conſequutus in- ,, quam, ad hoc, *ut ſim fidelis*: in diſ- ,, penſatione mihi credita: Unde creden- ,, dum eſt mihi in conſiliis. Sed quid opus eſt, ſyllogiſticâ ratiocinatione bonitatem & honeſtatem virginitatis deducere, quam expreſsione formali ſubjungit ita Apoſtolus: *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſsitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.* His verbis tangitur (inquit D. Thomas) dignitas ejus, quod conſulitur: ,, Et hæc duplex: una, quia ,, expediens bonum: ſecunda, quia hone- ,, ſtum. Ibi: *Quoniam bonum eſt.* Dicit er- ,, go: *Exiſtimo, &c.* Quaſi dicit: Quia ,, fidelis conſiliarius ſum, *exiſtimo hoc bo-* ,, *num eſſe* (ſcilicet manere in virginitate) ,, *& hoc propter inſtantem neceſsitatem*: ,, (conjugum ſcilicet vitandam) *Exiſtimo*, ,, inquam (& verè) *quia bonum eſt homini* ,, *ſic eſſe*, ſcilicet in virginitate: Bonum, ,, ſcilicet honeſtum propter puritatem: de- ,, lectabile propter libertatem, utile prop- ,, ter mercedem; quia ei debetur aureola ,, & fructus centeſimus.

D. Thomas 2. 2. q. 152. art. 2. in ſed contr.

1. Corinth. 7. v. 25.

D. Thom. ibidē lect. 5.

Virginitas licita ſtatuitur & laudabilis.

Ibidem.

53 Rationem aſſertę veritatis indicat Apoſtolus ibidem verbis illis: *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini ſunt: ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt cogitat, quæ mundi ſunt, quomodo placeat viro.* Ex hujuſmodi, inquam verbis, Theologicè arguit Doctor Angelicus rationem Apoſtoli expendens. Supponit enim tria eſſe hominis bona: ,, Unum, quidem, quod conſiſtit in ex- ,, terioribus rebus. (puta, divitiis) Aliud ,, autem, quod conſiſtit in bonis corporis. ,, Tertium, autem, quod conſiſtit in bonis ,, animæ, inter quæ etiam bona contem- ,, plativę vitæ ſunt potiora bonis vitæ acti- ,, væ, ut Philoſophus probat lib. 10. Ethi- ,, corum cap. 7. Et Dominus dicit: *Maria*

V. 34.

Artic. 2. in corp.

Luc. 10. v. 42.

op-

,, *optimam partem elegit.* Ex quibus bonis ,, exteriora ordinantur ad ea , quæ ſunt ,, corporis : ea verò , quæ ſunt corporis ,, ad ea , quæ ſunt animæ : & ulterius ea, quæ ſunt vitæ activæ , ad ea , quæ ſunt vitæ contemplativæ , inquit D. Thomas. Et ſtatim oſtendit licitudinem & honeſtatem virginitatis , ſubjungens : ,, Pertinet , igi- ,, tur ad rectitudinem rationis , ut aliquis ,, utatur exterioribus bonis ſecundùm eam ,, menſuram , quę competit corpori & ſi- ,, militer de aliis. Unde ſi quis abſtineat ab ,, aliquibus poſsidendis , quę aliàs eſſet bo- ,, num poſsidere , ut conſulat ſaluti corpo- ,, rali vel etiam contemplationi veritatis, ,, non eſſet hoc vitioſum , ſed ſecundum ra- ,, tionem rectam. Et ſimiliter , ſi quis ab- ,, ſtinet à delectationibus corporalibus , ut ,, liberiùs vacet contemplationi veritatis, ,, pertinet hoc ad rectitudinem rationis. ,, Ad hoc autem pia virginitas ab omni ,, delectatione venèrea abſtinet , ut liberiùs ,, divinæ contemplationi vacet. Unde re- ,, linquitur , quod virginitas non eſt aliquid ,, vitioſum , ſed potiùs laudabile.

54 Nec licita ſolum eſt & laudabilis caſtitas virginalis , ſed ſpecialis etiam virtus, ut in Summa Theologia reſolvit D. Tho- ,, mas. Imò in ſententiariis, ubi refert qui- ,, dem , nec improbat opinionem aliquo- ,, rum , qui dicunt ; quòd virginitas non ,, nominat virtutem , ſed ſtatum perfectum ,, virtutis : & hac ratione ſancti quando- ,, que eam virtutem nominant. Veruntamen propendit magis ibidem S. D. ut ſtatuat virginitatem ſpecialem eſſe virtutem magnificentiæ proportionaliter ſimilem , cum illo ſolum diſcrimine , quòd materia magnificentiæ amiſſa poteſt recuperari : ſecùs autem materia virginitatis. ,, Di- ,, cendum (verba ſunt D. Thomę) quòd, ,, ſicut dationes & ſumptûs ſunt materia li- ,, beralitatis , ità delectationes in venereis ,, ſunt materia caſtitatis & continentiæ. In ,, genere autem dationum magnitudo ſump- ,, tuum exigit ſpecialem virtutem , quæ ,, magnificentia vocatur propter ſui diffi- ,, cultatem. Et quia temperantia vel caſti- ,, tas in cohibendis delectationibus magnam ,, habet difficultatem , ideò illud , quod eſt ,, præcipuum in iſta materia maximam ha- ,, bens difficultatem , ſcilicet ab omni cor- ,, ruptione carnalis delectationis immunitas, ,, ſpecialem virtutem exigit , quæ virgini- ,, tas dicitur : Unde ſi virginitas pro ſui ,, completa ratione , ut dictum eſt , acci- ,, piatur , ſic virginitas eſt ſpecialis virtus: ,, ſic enim nihil aliud importat , quàm ele- ,, ctionem conſervandi incorruptionem & ,, hæc electio , ſi ſit perfecta , ex aliquo ha- ,, bitu virtutis procedere debet , tamèn vir- ,, ginitas ſuper hoc ponit ſtatum virtutis, ,, in quo habitus in actum exire poſsit : non ,, autem poteſt exire in actum electio- ,, nis incorruptionem ſervandi , niſi ſit in- ,, corrupta , quia electio impoſsibilium non ,, eſt : impoſsibile autem eſt incorruptio- ,, nem amiſſam recuperare , ſed materiam ,, magnificentiæ amiſſam poſsibilè eſt recu- ,, perare , & quantum ad hoc eſt diſsimile ,, de magnificentia & virginitate.

[*Art. 3. in 4. diſt. 33. q. 3. art. 2.*]

[Virtus ſpecialis oſtenditur.]

55 Eandem rationem formaliùs urget Doctor Angelicus in Summa Theologica: ibi enim poſtquam præmittit , quod jam ſupra à nobis indicatum eſt circa formale & materiale virginitatis , ſtatim ſubjungit. ,, Ubi eſt ſpecialis materia boni habens ,, ſpecialem excellentiam , ibi invenitur ſpe- ,, cialis ratio virtutis , ſicut patet in mag- ,, nificentia , quæ eſt circa magnos ſump- ,, tùs , & ex hoc eſt ſpecialis virtus à libe- ,, ralitate diſtincta , quæ communiter ſe ha- ,, bet circa omnem pecuniarum uſum. Hoc ,, autem , quod eſt conſervare ſe immu- ,, nem ab experimento venereæ voluptatis, ,, habet quamdam excellentiam laudis ſu- ,, pra hoc , quod eſt conſervare ſe immu- ,, nem ab inordinatione venereæ volupta- ,, tis : & ideò virginitas eſt quædam ſpe- ,, cialis virtus habens ſe ad caſtitatem , ſi- ,, cut magnificentia ad liberalitatem. Virtus , inquam , & quidem principalis & nobiliſsima , ut Ambroſius habet & Auguſtinus. *Invitat virginitatis amor* (inquit ille) *ut aliquid de virginitate dicamus , ne veluti tranſitu quodam perſtricta videatur , quæ principalis eſt virtus.* Auguſtinus verò , dum, inquit : *Chriſtus , cujus utique caro virgo eſt ; virginis filius , virginum ſponſus , virginali utero corporaliter natus ; virginali ſpiritualiter conjugatus. Cum igitur univerſa Eccleſia virgo ſit* (ut dicit Apoſtolus) *quantò digna honore ſunt membra : quæ hoc cuſtodiunt in carne , quod ipſa tota cuſtodit in fide ?* Tandem concludit Divus Thomas in loco ſententiarum :: Nihil meretur præmium , niſi virtus. Sed virginitati debetur præmium , ſcilicet , fructus centeſſimus , ut ſancti dicunt & aureola (de quo infra dicendum eſt) ergo eſt virtus.

[*Ubi ſupra in corp. art. 3.*]

OBJECTA DISSOLUTA.

56 Ad virginitatem requiri carnis integritatem ſtatuimus cum Divo Thoma , & cum ipſo hæc proponimus objecta. ,, Pri- ,, mò , quia carnis integritas videtur con- ,, ſiſtere in ſignaculo virginalis pudoris : ſed ,, quandoque abſque virginitatis præjudicio ,, frangitur illud ſignaculum , dicit enim ,, Auguſtinus : *Quod illa membra poſſunt diverſis caſibus vulnerata vim perpeti & medici quandoque ſaluti opitulantes , hæc ibi faciunt , quod horret aſpectus , obſtetrix etiam virginis cujuſdam integritatem manu velut explorans , dum inſpicit , perdidit. Et ſubdit : non opinor , quemquam tàm ſtultè ſapere , ut huic periiſſe aliquid exiſtimet etiam de ipſius corporis ſanctitate , quamvis membri illius integritate jam perdita.* Ergo virginitas non conſiſtit in carnis incorruptione.,, Secundò per contrarium oppo- ,, nitur : Corruptio carnis maximè in ſe- ,, minis reſolutione conſiſtit , quæ poteſt ,, fieri ſine concubitu vel in dormiendo vel ,, etiam

[*D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 1.*]

[*D. Auguſt. lib. de virginitat. cap. 13.*]

,, etiam vigilando : ſed ſine concubitu non ,, videtur perdi virginitas. Dicit enim Auguſtinus : *Quod virginalis integritas & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas , Angelica portio eſt* : ergo virginitas non conſiſtit in carnis incorruptione. Eadem ferè objecta contra definitionem ex Auguſtino laudatam proponit D. Thomas in loco ſentent. Si enim virginitas ſine concubitu non perditur , qui peccatis contra naturam perversè operam darer, virgo utique perſiſteret contra exploratam Theologorum doctrinam. Tandem : quia ſtante carnis integritate & inexperientia venereæ delectationis ex ſeminis reſolutione contingentis , tolli videtur virginitas juxta illud : *Omnis , qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam , jam mœchatus eſt eam in corde ſuo* : non igitur perpetua meditatio ſeu propoſitum abſtinendi perpetuò à corruptione carnis , virginitatem explicat rectè.

[*D. Thom. in 4. diſt. 33. q. 3. art. 1.*]

[*Matth. 5. v. 28.*]

57 Ad primum tamen obiectum , facilè eſt ſatisfacere, ſi adnotemus propoſitionem, cui innititur; non eſſe generaliter , ut ſonat, veram , quia ſignaculum virginale ſive integritas clauſtri virginalis locum dumtaxat habet in fœminis , cum tamen virginitas , de qua verba facimus,etiam in viris reperiatur. Quamvis igitur violatio integritatis in ſignaculo virginalis pudoris , ſi fiat per copulam aut voluntariam pollutionem , virginitatem excludat in fœminis. Verumtamen deperditur etiam virginitas per corporis coinquinationem in delectationibus venereis voluntariis ; atque in hoc ſenſu caſtitas virginalis dicitur à Divo Ambroſio : *Expers contagionis integritas* : & ab Auguſtino : *In carne corruptibili , incorruptionis perpetuæ meditatio.* Inde juxta ſcholæ methodum diſtinguenda eſt major propoſitio : ſive illa admiſſa juxta ſenſum mòx explicatum , diſtingo minorem; abſque virginitatis præjudicio frangitur illud ſignaculum per delectationem veneream voluntariam ex copula aut peccaminoſa pollutione evenientem, nego minorem; ſi ex alio inculpabili capite eveniat , concedo minorem , & nego conſequentiam. Cum enim corporalis membri præciſa integritas per accidens ſe habeat ad caſtitatem virginalem ; hæc amittitur , dumtaxat per integritatis corruptionem ex delectatione venerea culpabili provenientem. ,, Unde , ſi contin- ,, gat (inquit Div. Thomas in Summa Theo- ,, logica) quod per alium modum aliquo ,, caſu membri integritas corrumpatur, non ,, magis præjudicat virginitati , quàm ſi cor- ,, rumpatur manus aut pes. Et in loco Sententiarum habet : ,, Corruptio , quæ eſt cor- ,, poralis tantum , non eſt materia virtutis ,, vel vitii , niſi per accidens mediante ali- ,, qua animæ paſsione : unde ſi per aliquam ,, inciſionem clauſtra pudoris rumpatur, non ,, majus detrimentum virginitati inerit, quàm ,, ſi pes aut manus incideretur.

[*Solut. ad 3.*]

[*Artic. 1. in corp.*]

[Virginitas nō ſolo concubitu, ſed illicita delectatione venerea deperditur.]

58 Secundum objectum ſimul & tertium facilè eſt diſſolvere ſi dicamus : Virginitatem non ſolo concubitu deperdi : licet de ſolo concubitu Auguſtinus mentionem faciat: quia delectatio venerea peccaminoſa , quæ eſt ex ſeminis reſolutione per quam tollitur virginitas communiter & naturaliter , ex concubitu cauſatur , inquit Div. Thomas ; docens ibidèm, quòd talis delectatio ex mentis propoſito procedens tollit virginitatem ſivè fiat per concubitum, ſivè abſque concubitu. Expreſsiùs adhuc loquitur in loco Sententiarum : Dicendum , inquiens : ,, Quod illi, ,, qui ſine concubitu ſe corrumpunt , non ,, eſt dubium , quod virginitatem amittunt, ,, etiam quantum ad id , quod eſt materiale ,, in ipſa : quia etſi concubitus non adſit, ,, adeſt tamen delectatio , quæ in concubitu ,, corruptionem virginitatis facit. Si autem ,, luxuria contra naturam tempus perfectæ ,, ætatis præveniat , cum non adſit ſeminis ,, deciſio & per conſequens , nec delectatio ,, completa mentem ſuffocans, non amittitur ,, virginitas quantum ad id , quod eſt ma- ,, teriale in ipſa. Eadem ratione conſequenter dicendum eſt : per peccata contra naturam amitti etiam virginitatem. An vero per ſodomiam, non ſequuta pollutione irreparabiliter amittatur, tam in viro , quam in fœmina , dubitant & utrinque probabiliter reſolvunt Theologi Moralia tractantes cum Patribus Salmanticenſibus ad ſextum Decalogi pręceptum. Nobis autem affirmativa arridet ſententia , quia etiam nulla ſequuta pollutione violari & contaminari videtur carnis illa puritas & corporis integritas incorruptioque ad virginitatem exacta, ut bene philoſophantur Roſella & Leſsius apud laudatos Salmanticenſes.

[*Solut. ad 5.*]

59 Conſultò diximus virginitatem , ſivè caſtitatem virginalem amitti per delectationem veneream peccaminoſam ex ſeminis deciſione evenientem. ,, Quia , ut habet Divus ,, Thomas laudata ſolutione ad quartum ,, alio modo poteſt provenire (ſcilicet dele- ,, ctatio illa) præter propoſitum vel in dor- ,, miendo vel per violentiam illatam , cui ,, mens non conſenſit , quamvis caro dele- ,, ctationem experiatur : vel etiam ex infir- ,, mitate naturæ , ut patet in his , qui fluxum ,, ſeminis patiuntur : & ſic non perditur vir- ,, ginitas, quia talis pollutio non accidit per ,, impudicitiam , quam virginitas excludit. Hoc ipſum expreſſiori ſtylo tradiderat Sanctus Doctor in loco Sententiarum: ,, Ad ſex- ,, tum dicens , quòd paſsiones partis ſenſiti- ,, væ non poſſunt eſſe materia virtutis , niſi ,, ſecundum quod ſunt ordinabiles à ratione ,, in eis medium ponente , prout concupiſci- ,, bilis & iraſcibilis obediunt rationi ; & ideò ,, delectatio, quæ in ſomnis accidit cum ſe- ,, minis deciſione , non eſt materia virtutis: ,, & propter hoc nec talis corruptio incor- ,, ruptionem tollit , quę eſt virginitatis ma- ,, teria , & ideò ratione talis pollutionis vir- ,, ginitas non perditur & ſimilis ratio eſt de ,, mulieribus , quæ dormientes & inebriatæ ,, aut amentes à viris cognoſcuntur , niſi ,, fortè hac intentione dormitum irent, ut à ,, viro cognoſcerentur. Ad ſeptimum, dein-

[*2. 2. q. 152. ar. 1. ad 4.*]

[*Solut. ad 6.*]

,, de ait: Quòd illud, cujus principium totaliter eſt extra, non eſt ordinabile à ratione: & ideò eadem ratione nec illę, quæ per violentiam corrumpuntur ſive ab homine ſive à Dœmone incubo virginitatem amittunt, ſi quantum poſſunt renitantur, ut conſervent corpus à corruptione immune, vel ſaltem mentem contrariam conſenſui. Quia tamen in ſignationibus Sacramentorum magis attenditur, quod exterius geritur, quàm, quod interiùs fit, irregularitas, quæ ex defectu ſignationis in Sacramento cauſatur, nihilominùs induceretur in illum, qui virginem defloratam violenter duceret in uxorem & pręcipuè, cum propter delectationem nimiam ratio in actu illo ſuffocetur, difficillimum eſt tali delectationi diſſentire in ſtatu illo, & ideò præſumptio videtur eſſe, quod conſenſerit.

Virginitas nõ amittitur per violẽtam corruptionẽ carnis.

60 Statuit ergo Sanct. Doct. virginitatem non amitti per involuntarias illas & violentas corruptiones. Et meritò quia ut firmaverat jam: virginitas, ut eſt virtus, etſi de materiali carnis incorruptionem dicat, formaliter completivè propoſitum importat perpetuò abſtinendi ab omni voluntaria delectatione: cum igitur mentis propoſitum, ſeu voluntatis electio, ipſa reluctante, nulla violentia tolli poſsit; nec virginitas ut virtus eſt. Hinc Auguſtinus: *Quis ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi fortè inapprehenſa vel oppreſſa carne ſua exerceatur & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus rectè vivitur, ſed in bonis corporis numerabitur, qualia ſunt vires, pulchritudo & hujuſmodi.* Huic doctrinæ conſonat oraculum illud Sanctæ Lucię ad Tyrannum dicentis: *Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Inde meritò deducunt laudati Patres Salmanticenſes: virginem involuntariè corruptam accipere poſſe velum virginitatis & conſecrari conformiter ad antiquam conſuetudinem, ex parte etiam in aliquibus locis adhuc vigentem. Neque obſtare videtur decretum Leonis Papæ, oppoſitum decernens. Quia vel loquitur, dum ſtuprum fuit publicum, quale fuit in caſu ibi relato de oppreſsione virginum facta à barbaris, & ob decentiam non videtur eſſe velandas. Vel tantum ibi id conſulit & non præcipit, ut colligitur ex illis verbis: *Laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, ſi ſe vi contaminatas non audeant comparare virginibus.* Oppoſitum autem tenendum eſſe cum Div. Thoma laudati Salmanticenſes propugnant de fœmina virgine exiſtimata, voluntariè tamen, etſi occultè corrupta: quantumvis alii Theologi oppoſitum probabiliter ſuſtineant. Omnes tamen conveniunt in eo, quod Epiſcopus diſpenſare valet cum Moniali (v.g.) quæ occultè fornicata eſt, ut poſſit conſecrari & velari, ſicut cęteræ virgines, maximè quando id ſine infamią & ſcandalo omitti non poteſt. Quia vel leges conſecrationis virginum à Pontificibus latę, cum ſint de jure poſitivo non obligant in caſibus ita arduis. Vel ſi obligant, eſt juſtiſsima cauſa, ut in eis abſque ſcrupulo Epiſcopus diſpenſare valeat.

S. Auguſt. lib. 1. de Civit. Dei c. 18.

Cap. Ille autẽ, 32. q. 5.

61 Ad ultimum objectum neganda eſt major de virginitate ſtrictè & completè accepta. Licet verum habeat de virginitate præcisè accepta, quantum ad illud, quod de formali dicit. Quia ſicut ad virginitatem propriè & completivè dictam utrumque exigitur & propoſitum voluntatis & inexperientia venereæ, & peccaminoſæ delectationis: ſic per oppoſitum, ut illa irreparabiliter amittatur, non ſatis eſt conſenſus præciſus voluntatis, niſi delectatio etiam adſit venerea. Ea propter, qui videt & venereè concupiſcit mulierem, ſi præcisè ſiſtat in illo voluntatis conſenſu nulla ſequuta venerea delectatione & carnis corruptione, reus utique eſt peccati ratione cujus amittit, quod in virginitate formale eſt; non autem propriè loquendo amittit irreparabiliter virginitatem, niſi in corde, ut loquitur Chriſtus Dominus. Hęc omnia complectitur Doctor Angelicus, propoſitum objectum ita diſſolvens in loco Sententiarum ad quartum dicens, quod corruptio mentis, ut ex dictis accipi poteſt, eſt duplex. ,, Una, quæ eſt quaſi paſsio mentis, quando mens ſubditur delectationi, quæ in coitu ſolet accidere: & quia hęc delectatio completur in ſeminis diſtillatione, ideò talis corruptio mentis non poteſt accidere ſine aliqua corruptione carnis, quę dicta eſt fieri per ſeminis deciſionem. Alia autem eſt corruptio mentis, quę eſt actus ejus, ſcilicet, conſenſus aut electio prædictæ corruptionis. Sed quia vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum, ideò quandoque contingit, quod ex actu mentis cogitantis de corruptione carnis & intendentis delectationem ipſius experiri, calor excitatur in corpore & ſemen diſtillat & cauſatur delectatio, qua mens ſuffocatur, ſicut in coitu & tunc abſque dubio virginitas eſt amiſſa. Si autem corruptio ſiſtat in actu mentis conſentientis, amittitur quidem virginitas ſecundum illud formale, quod habet in mente, non autem ratione ejus, quod eſt materiale in ipſa: unde talis non poteſt dici virgo, niſi materialiter & ideò hęc virginitatis amiſsio poteſt recuperari, non autem illa virginitatis amiſsio, in qua etiam illud, quod eſt materiale ſubtrahitur: quia virginitas ex parte ſui actus reſpicit tantum præſens aut futurum, ſicut eſt in qualibet virtute. Electio enim aut pręſens aut futurum reſpicit, non autem præteritum, ſed ex parte materiæ non ſolum præſens, ſed præteritum reſpicit. Dicitur enim virgo, quæ elegit incorruptionem, quæ eſt materialis in virginitate, quam nunquam amiſsit & habere & conſervare intendit, non autem exigitur, quod nunquam contrariam electionem habuerit, ſed quod nunquam contrariam corruptionem. Ex hoc autem virginitas amiſſa recuperari non poteſt, quia illud, quod præteritum tranſit, recuperari non poteſt.

Solo voluntatis conſenſu non amittitur virginitas irreparabiliter.

Solut. ad 4.

Si accedat corruptio carnis, amittitur irreparabiliter.

62 Eandem amiſſæ virginitatis irreparabilitatẽ firmat ex D. Hieronymo, ita loquente Div. Thom. *Cum cętera Deus poſsit, non poteſt virginitatem poſt ruinam reparare.* Deinde ait: ,, Ad tertium dicendum, quod virtus per pœnitentiam recuperari poteſt quantum ad id, quod eſt formale in virtute, non autem quantum ad id, quod eſt materiale in ipſa. Non enim, ſi quis magnificus conſumpſerit divitias ſuas per pœnitentiam peccati reſtituuntur ei divitiæ: & ſimiliter ille, qui virginitatem peccando amiſit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis materiam, ſed recuperat virginitatis propoſitum. Circa materiam autem virginitatis eſt aliquid, quod miraculosè reparari poterit divinitùs, ſcilicet, integritas membri, quam dicimus accidentaliter ſe ad virginitatem habere. Aliud autem eſt, quod nec miraculosè reparari poteſt, ut ſcilicet, quòd, qui expertus eſt voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus poteſt facere, ut ea, quæ facta ſunt, non ſint facta, ut in primo habitum eſt, ſcilicet, prima parte quæſtione 25. articulo 4.

D. Hieron. epiſt. ad Euſtoch.
D. Thom. 2. 2. q. 152. ar. 3. ad 3.

63 Adversùs licitudinem & laudabilitatem perpetuæ virginitatis, plura coacervarunt argumenta antiqui & poſteriores hęretici, ab Angelico Doctore propoſita jam & diſſoluta. Primum itaque objectum, cui poſt antiquos virginitatis adverſarios nitebatur cum Luthero Calvinus, ſic proponitur à Divo Thoma: ,, Omne, quod contrariatur præcepto legis naturæ ad conſervationem individui eſt, quod tangitur *de omni ligno, quod eſt in paradiſo comede*: ita etiam pręceptum legis naturæ eſt ad conſervationem ſpeciei, quod ponitur: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Ergo ſicut peccaret, qui abſtineret ab omni cibo, utpotè faciens contra bonum individui; ita etiam peccat, qui omninò abſtinet ab actu generationis, utpotè faciens contra bonum ſpeciei. Addit etiam Sanct. Doct. quòd pręceptum illud videtur à Domino in Evangelio eſſe confirmatum verbis illis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Secundò objicit Divus Thomas: ,, Omne illud, quod recedit à medio virtutis, videtur eſſe vitioſum: ſed virginitas recedit à medio virtutis, ab omnibus delectationibus venereis abſtinens. Dicit enim Philoſophus in 2. Ethic. quòd, *qui omni voluptate potitur, neque ab una recedit, intemperatus eſt: qui autem omnes fugit agreſtis eſt & inſenſibilis. Ergo virginitas eſt aliquid vitioſum.* Adjungimus etiam alia objecta per ordinem à Divo Thoma ſic propoſita in libro laudato contra gentes. ,, Primò, viri & mulieris conjunctio ad bonum ſpeciei ordinatur; diviniùs autem eſt bonum ſpeciei, quàm bonum individui. Magis ergo peccat, qui omninò abſtinet ab actu, quo conſervatur ſpecies, quàm peccaret, ſi abſtineret ab actu, quo conſervatur individuum, ſicut ſunt comeſtio, potus & alia hujuſmodi. Secundò, ex divina ordinatione dantur homini membra ad generationem apta & etiam vis concupiſcibilis incitans & alia hujuſmodi ad hoc ordinata, videtur igitur contra divinam ordinationem agere, qui omninò ab actu generationis abſtinet. Tertiò: Si bonum eſt, quod unus contineat, melius eſt, quod multi: & optimum, quod omnes; ſed ex hoc ſequitur, quòd genus humanum deficiat: non igitur bonum eſt, quod aliquis homo omninò contineat.

2. 2. q. 152. art. 2. arg. 1.

Geneſ. 2. v. 16.

Geneſ. 1. v. 28.

D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 136.

Matth. 19. v. 6.

64 Primæ tamen objectioni facilè eſſet occurſum ire, ſi cum Auguſtino nonnulliſque Expoſitoribus Sacrę Scripturę, non improbabiliter dicatur, laudata verba Geneſis, ſtrictum non continere præceptum, ſed approbationem uſus matrimonii & benedictionem fęcunditatis. Eiſdem ſiquidem verbis ibidem verſu 22. benedixit Deus piſcibus præcepti incapacibus. Meliùs autem reſpondet Divus Thomas: ,, Pręceptum illud etſi multitudini datum, non tamen obligat quemlibet determinatè ex illa multitudine; ſed aliquos indeterminatè quatenùs conſervationi naturæ & ſpeciei humanæ congruit. Dicendum, inquit Divus Thomas, quòd pręceptum habet rationem debiti. Dupliciter autem aliquid eſt debitum. Uno modo, ut impleatur ab uno: & hoc debitum ſine peccato pręteriri non poteſt. Aliud autem eſt debitum implendum à multitudine: & ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine. Multa enim ſunt multitudini neceſſaria, ad quæ implenda, unus non ſufficit: ſed implentur à multitudine, dùm unus hoc, alius illud facit. Præceptum igitur legis naturæ homini datum de comeſtione, neceſsè eſt, quod ab unoquoque impleatur; aliter enim individuum conſervari non poſſet. Sed præceptum datum de generatione, reſpicit totam multitudinem hominum, cui neceſſarium eſt, non ſolum, quòd multiplicetur corporaliter, ſed etiam, quòd ſpiritualiter proficiat; & ideò ſufficienter providetur humanæ multitudini, ſi quidam carnali generationi operam dent, quidam verò ab hac abſtinentes contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem & ſalutem. Sicut etiam in exercitu quidam caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna deferunt, quidam gladiis decertant: quę tamen omnia debita ſunt multitudini, ſed per unum impleri non poſſunt.

Solut. ad 1.

Præceptum de prole multiplicanda non ſingulos homines obligat.

65 Secundum objectum ita diſſolvit Divus Thomas dicendum, quòd ille, qui abſtinet ab omnibus delectationibus pręter rationem rectam, quaſi delectationes ſecundum ſe abhorrens, eſt inſenſibilis, ſi-

Solut. ad 2.

,, ſicut agreſtis. Virgo autem non abſtinet
,, ab omni delectatione, ſed ſolum à de-
,, lectatione venerea: & ab hac abſtinet ſe-
,, cundum rationem rectam, ut dictum eſt.
,, Medium autem virtutis non ſecundum
,, quantitatem, ſed ſecundum rationem re-
,, ctam determinatur, ut dicitur in 2. Ethi.
,, Unde de magnanimo dicitur: *Quod eſt*
,, *magnitudine extremus, eo autem, quod,*
,, *ut oportet, medius.* Adjuncta etiam ob-
jecta ex libro contra Gentes ibidem diſ-
ſolvit Doct. Sanctus inquiens: ,, Conſide-
,, randum eſt, quòd alia ratio eſt haben-
,, da in his, quæ ad neceſsitatem uniuſ-
,, cujuſque hominis pertinent: atque alia
,, in his quæ pertinent ad multitudinis ne-
,, ceſsitatem. In his enim, quæ ad uniuſ-
,, cujuſque neceſsitatem pertinent, oportet,
,, quod cuilibet provideatur. Hujuſmodi
,, autem ſunt cibi & potus & alia, quæ ad
,, ſuſtentationem individui pertinent. Un-
,, de neceſſarium eſt, quòd quilibet cibo
,, & potu utatur. In his autem, quæ ne-
,, ceſſaria ſunt multitudini, non oportet,
,, quod cuilibet de multitudine attribua-
,, tur, neque etiam eſt poſsibile. Patet enim
,, multa neceſſaria multitudini hominum:
,, ut ſunt cibus, potus, indumentum, do-
,, mus & alia hujuſmodi, quæ impoſsibile
,, eſt, quòd per unum procurentur: &
,, ideò diverſorum oportet eſſe diverſa of-
,, ficia: ſicut etiam in corpore diverſa mem-
,, bra ad diverſos actûs ordinantur. Quia
,, igitur generatio non eſt de neceſsitate in-
,, dividui, ſed de neceſsitate totius ſpe-
,, ciei: non eſt neceſſarium, quòd omnes
,, homines actibus generationis vacent, ſed
,, quidam ab his actibus abſtinentes aliis
,, officiis mancipentur: puta militiæ vel
,, contemplationi. Ex quo patet ſolutio ad
,, ſecundum. Ex divina enim providentia
,, dantur homini ea, quæ ſunt toti ſpeciei
,, neceſſaria: nec tamen oportet, quòd
,, quilibet homo quolibet illorum utatur.
,, Data eſt enim homini induſtria ædifican-
,, di, virtus ad pugnandum; nec tamen
,, oportet, quod omnes ſint ædificatores
,, aut milites. Similiter licet ſit homini di-
,, vinitùs proviſa virtus generativa & ea,
,, quæ ad actum ejus ordinantur: non ta-
,, men oportet, quod quilibet actui gene-
,, rationis intendat. Unde etiam patet ſo-
,, lutio ad tertium. Ab his enim, quæ ſunt
,, multitudini neceſſaria, quamvis quantum
,, ad ſingulos melius ſit, quod abſtineat
,, melioribus deditus: non tamen eſt bo-
,, num, quod omnes abſtineant: ſicut &
,, in ordine univerſi apparet. Quamvis enim
,, ſubſtantia ſpiritualis ſit melior, quàm
,, corporalis, non tamen eſſet melius uni-
,, verſum, in quo eſſent ſolum ſubſtantiæ
,, ſpirituales, ſed imperfectiùs: & quam-
,, vis ſit melius oculus pede in corpore
,, animalis, non tamen eſſet perfectum
,, animal, niſi haberet oculum & pedem;
,, ita etiam nec multitudo humani generis
,, haberet ſtatum perfectum, niſi eſſent ali-
,, qui intendentes generationis actibus & ali-
,, qui ab his abſtinentes & contemplationi
,, vacantes.

Ariſtoteles lib. 2. Eth. cap. 6.

Præceptum de neceſſariis uniuſcujuſque conſervatione ſingulos obligat.

66 Objecta tandem fieri ſolita, ut vir-
ginitas à choro virtutum excludatur, nullo
diſsipantur negotio ex doctrina Angelica in
præcedentibus diſſolutis objectionibus. Do-
cuit namque D. Thomas: virginitatem con-
ſiſtere in medio ſecundum rationem rectam;
quantumvis ſit in extremo, quantum ad id
circa quod eſt; quia ab omni corrumpen-
te delectatione abſtinet. Subjungit inſuper:
Quod etiam eſt in medio, in quantum alias
debitas circumſtantias mediocriter ſervat:
v. g. ſuperfluum eſſet ſi aliquis ſervare vel-
let virginitatem quando non deberet, ſicut
tempore legis Moyſi, vel propter quod
non deberet, ſicut virgines Veſtales, ſimi-
liter ſecundum alias circumſtantias. Quod
autem ſibi opponit D. Thomas: virginita-
tem nempè amitti poſſe ſine peccato; cum
tamen proprium ſit virtuti non poſſe de-
perdi abſque peccato. Sicut etiam, quod
virtutes per pœnitentiam recuperantur: cum
tamen virginitas irreparabiliter amittatur
per peccatum carnis. Facilè diſſolvitur: nam
ſi virginitas, ut pertingat ad rationem vir-
tutis ſpecialis opus habeat voto firmari,
ut indicat D. Thomas, non valet utique
abſque peccato deperdi, etiam per concu-
bitum in conjugatis licitum. Si vero non
exigat præciſè votum, ſed propoſitum
dumtaxat, ut magis apparet conſonum
menti Doct. Ang. indifferentèr habet vir-
ginitas, ut amittatur per peccatum in con-
cubitu illicito: vel ſine peccato in actu
matrimoniali, inquit D. Thomas ubi ſu-
pra. Virginitas præterea licet per pœniten-
tiam non recuperetur, quo ad materiale:
benè verò quo ad formale, nempè propoſi-
tum abſtinendi à venereis delectationibus,
ut jam docuit nos D. Thomas.

D. Thom. in 4. diſt. 33. q. 3. art. 2. ad 1.

Solut. ad 3.

Virginitas reparari poteſt quantum ad formale.

67 Neque obſtat poſtremò: quod vir-
ginitas nobis à natura ineſt; quilibet nam-
que mòx natus virgo eſt: cum igitur nulla
virtus à natura homini inſit, videtur, quod
virginitas non ſit virtus. Et præſertim: quia
virtus non videtur eſſe, niſi per ordinem
ad operationem aliquam exercendam: vir-
ginitas autem potiùs inducit ad privatio-
nem actûs, omnimodam removens vene-
ream delectationem. Hęc utique minimè
obſtant objecta: Quia licet virginitas quan-
tum ad illud quod de materiali & per ac-
cidens importat nobis ſit à natura: ſecùs
verò quo ad formale conſtitutivum virgini-
tatis, ut adnotat D. Thomas propoſitæ ob-
jectioni ita reſpondens: ,, Dicendum, quòd
,, homines ex ſua nativitate habent id,
,, quod eſt materiale in virginitate, ſcili-
,, cet, integritatem carnis immunem ab ex-
,, perimento venereorum. Non tamen ha-
,, bent id, quod eſt formale in virginitate,
,, ut habeant propoſitum ſervandi hujuſmo-
,, di integritatem propter Deum: & ex
,, hoc habet rationem virtutis. Unde Au-
guſtinus: *Nec nos hoc in virginibus prædi-*
ca-

D. Thom. 2. 2. q. 151. art. 3. ad 1.

S. Auguſt. lib. 1. de Virg. cap. 3.

camus, quod virgines ſunt, ſed quod Deo di-
catæ pia continentiâ virgines ſunt. Confor-
miter ad hanc doctrinam explicat Doctor
Angelicus in Sententiariis, qualiter virgi-
nitas in pueris non baptizatis inveniri con-
tingat. ,, Dicendum (inquit) quod illud,
,, quod eſt materia virginitatis poteſt eſſe in
,, illis, qui nullum habitum virtutis habent,
,, ſicut in pueris ante baptiſmum, in quibus
,, eſt primus virginitatis gradus, quem na-
,, tura dedit, & ſicut in illis, qui ad tempus
,, incorruptionem prædictam ſervare volunt,
,, tamen cum propoſito nubendi ſuo tempo-
,, re, qui habent ſecundum virginitatis gra-
,, dum, nec tamen dicuntur virgines niſi
,, materialiter: ſed completa ratio virginita-
,, tis prout eſt virtus, non eſt niſi in illis,
,, qui habent electionem conſervandi inte-
,, gritatem hactenùs cuſtoditam uſque in fi-
,, nem, ſivè ſine voto vel cum voto, & hæc
,, electio perfecta eſſe non poteſt, ſine habi-
,, tu informante ipſam: ſi autem ſit infor-
,, mis, erit actus virtutis, ſicut virtutem pre-
,, cedens, ſicut, & de aliis actibus virtutum
,, contingit. Inde agnoſcat lector triplicem
differentiam, vel triplicem virginitatis gra-
dum: nempè virginitas ſola mente, in illis,
ſcilicet, qui per violentiam omnimodam vio-
lantur. Sola carne, cum ſcilicet integritatem
retinentes propoſitum habent nubendi. Men-
te, tandem & carne, qualiter perfectiſsima di-
citur virginitas.

D. Thom. ubi ſup ar. 2. ad 4.

68 Ad ſubjunctam objectionem, expli-
canda eſt prima propoſitio, quæ verum tenet
de operatione interiori, quam virginitas in-
ducit; electio nimirùm perpetuò abſtinendi
à venereis delectationibus. Ex conſequenti
tamen, & ſecundaria intentione exteriores
adhibet actûs, ut ab illis cohibeat delecta-
tionibus. ,, Dicendum (inquit Div. Thomas)
,, quod temperantia, ſicut dictum eſt, princi-
,, paliter conſiſtit in cohibendo delectatio-
,, nes: unde de principali intentione ſua ha-
,, bet quendam actum interiorem, ſcilicet ele-
,, ctionem refrenandi concupiſcentias, ſed
,, exteriorem non habet, quantum ad id,
,, quod eſt principale in ipſa, niſi per acci-
,, dens, & ex conſequenti in hoc, quòd ali-
,, quos actûs exteriores adhibet ad cohiben-
,, dum à delectationibus, quòd magis impe-
,, rat, quam eliciat, ſicut recedendo ab aſ-
,, pectibus concupiſcibilium: uti enim dele-
,, ctationibus ſecundùm menſuram rationis
,, eſt de ſecundaria intentione temperantiæ.
,, Et quia virginitas eſt principaliſsimùm in
,, temperantia, ideò non habet actum exte-
,, riorem, niſi ex conſequenti, ſed omninò
,, uſum exteriorem concupiſcentiæ cohibet.

Solut. ad 5.

69 Virginitatem laudabilem hucuſque
prædicavimus, tanquam ſpecialem virtutem.
Præmonere nihilominus ex Div. Thoma ha-
bemus, illud inter virginitatem & caſtita-
tem communiter dictam verſari diſcrimen:
quòd caſtitas ex ſuis intrinſecis, præciſim ab
aliquo fine extrinſeco induit virtutis ratio-
nem, eò quòd illicitas removeat delectatio-
nes; licitas deinde juxta præſcriptum ratio-
nis moderetur. Virginitas autem, ut virtus
ſit ſpecialis, finem aliquem extrinſecum con-
notare debet, qualis eſt vacare Deo, & rebus
divinis, juxta illud Ang. Doct. ,, Ad hoc au-
,, tem pia virginitas, ab omni delectatione
,, venerea abſtinet, ut liberiùs divinæ con-
,, templationi vacet. Atque in hoc ſenſu ac-
cipere poſſumus verba illa ex Auguſtino ſupra
laudata: *Nec nos, hoc in virginibus prædica-*
mus, quod virgines ſunt. Sed quod Deo dicatæ
piâ continentia virgines ſunt. Prælibati diſ-
criminis ratio inde aſsignari valet: quia vene-
reorum uſus moderatus indepēdenter ab alio
fine extrinſeco bonus eſt, honeſtus, & à na-
tura pro ſui conſervatione, & propaga-
tione intentus. Ex oppoſito autem omni-
moda abſtinentia à venereis præcisè ſe-
cundum ſe, nec videtur intendi à natu-
râ, neque commodum ei affert, ſicque ex
fine illo extrinſeco eminenti eminentem ho-
neſtatem, quam præſefert, haurire debet
pia virginitas. Quia tamen in ſtatu inno-
centiæ, divinorum contemplationi impedi-
mento non eſſet venereorum uſus; benè
concludit D. Thomas: Et ideò continen-
,, tia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet lauda-
,, bilis, quæ in tempore iſto laudatur: non
,, propter defectum fecunditatis, ſed prop-
,, ter remotionem inordinatæ libidinis.
,, Tunc autem fuiſſet fecunditas abſque
,, libidine. Oppoſitum vero oppoſitâ de cau-
ſâ in ſtatu naturæ lapſæ tenendum eſt: om-
nimodam ſcilicet à venereis abſtinentiam
propter magnum divinæ contemplationis
bonum, maximâ laude dignam eſſe. Quam-
vis hoc non fuiſſet expediens: quando ne-
ceſſaria erat (inquit D. Thomas) multipli-
catio generationis; ſicut in principio,
quando humanum genus cæpit multiplica-
ri: ,, Sive propter paucitatem fidelis po-
,, puli, quanto oportebat ipſum per car-
,, nalem generationem multiplicari; ut fuit
,, in veteri teſtamento. Et ideò conſilium de
,, continentiâ perpetuâ obſervandâ reſerva-
,, tum eſt temporibus novi teſtamenti, quan-
,, do ſpiritualis populus per ſpiritualem ge-
,, nerationem multiplicatur.

Omnimoda à venereis abſtinentia ſine alio fine extrinſeco ad rationem virtutis non ſufficeret.

D. Thom. 1. p. q. 98. art. 2. ad 3.

3. contr. Gent. cap. 136.

70 Hæc licèt explorata ſint litteræ Di-
vi Thomæ non ita tamen conſtat: utrum
virginitas non ſolum propoſito abſtinendi
totaliter à venereis firmari debeat, ut vir-
tus ſit ſpecialis: an etiam voto communi-
ri oporteat: quemadmodùm ſignificare vi-
detur Doctor Angelicus. Sic enim habet:
,, Dicendum, quod virginitas, ſecundum
,, quod eſt virtus, importat propoſitum
,, voto firmatum integritatis perpetuò ſer-
,, vandæ. Dicit enim Auguſtinus, *quod per*
,, *virginitatem integritas carnis ipſi creato-*
,, *ri animæ, & carnis vovetur, conſecra-*
,, *tur, ſervatur.* His namque Divi Thomę
verbis nonnulli ex ſuis diſcipulis votum om-
ninò requiſitum dicunt in virginitate, ut
virtutis ſpecialis notionem obtineat. Ve-
rumtamen non videtur neceſſarium votum
illud ſtrictè acceptum, niſi ad majorem
virginitatis perfectionem ipſi ex voto, &
præ-

D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad 4.

S. Auguſt. lib de Virg. cap. 8.

Virginitas ſine voto ſtricto, rationem induit virtutis.

præſertim ſolemni accreſcentem. In teſtimonio ſiquidem laudato votum appellat Divus Thomas propoſitum perpetuò caſtitatem ſervandi, non ob finem humanum & vanum, qualiter virgines Veſtales proponebant; ſed ex fine vacandi divinæ contemplationi: ſic enim quodammodo propoſitum illud poſſumus votum appellare, ratione cujus integritas carnis Deo vovetur, conſecratur, ſervatur. Proùt in ſimili apparet in voto, quod baptizati pręſtant, diabolo, & pompis ejus ad renuntiandum, quod quidem non eſt rigoroſum, ſed coincidit cum propoſito firmo; non mutans proinde peccati ſpeciem, licèt communem aggravet malitiam, ut docet idem Sanctus Doctor. Neque aliud intendere Sanctus Doctor videtur: cum in eodem articulo expreſsè doceat virginitatem rationem habere virtutis ex propoſito ſervandi integritatem propter Deum. Ea propter diſcipuli Sancti Doctoris, ut in plurimum cum laudatis Salmanticenſibus propugnant ſatis eſſe propoſitum firmum omninò abſtinendi á venereis, ut virginitas ſpecialis ſit virtus. Et meritò quidem: nam expreſsè traditur à Divo Thoma; cujus illa verba jam memoravimus: „ Sed completa ratio virginitatis, prout eſt virtus, non eſt niſi in illis, qui habent electionem conſervandi integritatem hactenùs cuſtoditam uſque in finem, ſive ſine voto vel cum voto. Pręterea, & alibi ait: virginitas autem ſecundùm hoc ad genus virtutis pertinet, ſecundùm quod perpetua incorruptio mentis & corporis ſub electione cadit, ut patet ex his, quę dicta ſunt 33. diſtinctione. Et ideò illis tantum virginibus aureola propriè debetur, quæ propoſitum habuerunt virginitatem perpetuò conſervandi, ſive hoc propoſitum voto ſervaverunt, ſive non. Hoc ipſum evincunt rationes D. Thomæ, quibus oſtendit virginitatem virtutem eſſe ſpecialem, compararique ad caſtitatem, quemadmodum magnificentia ad liberalitatem, ut latè proſequuntur laudati PP. Salmanticenſes.

D.Thom. in 4. diſt. 38. q. 1. ar. 2. ad 3.

Solut. ad 1.

Diſt. 49. q. 5. art. 3. q. 2. in corp.

ARTICULUS VI.

Virginitatem conjugio præſtare certò ſtatuens.

71 PRÆFERENDAM eſſe cōtinentiæ conjugali virginitatem ſtatuit Divus Thomas in Sūma Theologica. Vel ut alibi loquitur: Status virginitatis eſt multò altior, quàm ſtatus conjugii. Catholicam D.Thomæ aſſertionem ſic poſteà definit Tridentinum: *Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis vel cęlibatûs: & non eſſe meliùs ac beatiùs manere in virginitate aut cęlibatu, quàm jungi matrimonio: anathema ſit.* Præluxerat jam de more Auguſtinus, cujus verba illa adducit D. Thomas: *Certa ratione, & ſanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum eſſe nuptias invenimus, nec eas bono aut virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.* De virginitate etiam ſupra nos docuit Auguſtinus naturæ humanæ ſupergredere conditionem, homineſque Angelis reddere ſimiles. Quinimò ajebat Bernardus: *Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed fælicitate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, hujus tamen fortior eſſe cognoſcitur.* Concordant pariter in extollenda ſancta virginitate reliqui PP. communiter: Cyprianus imprimis dùm inquit: *Virginitas flos eſt Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti.* Ambroſius deinde: *Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis aſſimilantur: major tamen eſt victoria hominum, quàm Angelorum; Angeli enim ſine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant.* Accedit Chryſoſtomus: *Vide* (inquiens) *virginitatis decus? Eorum, qui in terris degunt cum cęlitibus ſimilitudinem vitæ molitur; corpore veſtitos vinci ab incorporeis copiis non permittit; mortales, Angelorum æmulos reddit.* Angelicam hujuſmodi ſimilitudinem à Chriſto Domino mutuarunt laudati Patres. Contra Sadducæos etenim diſputans Chriſtus Dominus ajebat: *In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cęlo.* Ubi Chryſoſtomus apud Divum Thomam habet: „ Notandum verò, quòd, cum de jejuniis & eleemoſynis cęteriſque virtutibus ſpiritualibus loquutus fuit, nunquam Angelorum ſimilitudinem introduxit, niſi cum de abſolutione à coitu loqueretur; quoniam, ſicut omnes actûs carnales, opera ſunt animalium (præcipuè tamen actus libidinis) ſic omnes virtutes ſunt res Angelicæ; præcipuè tamen caſtitas, per quam vincitur naturà virtutibus.

2.2. q. 152. art. 4. In 4. diſt. 30. q. 2. art. 3. ad 6.

Trident. Conc. ſeſſion. 24. can. 10.

D. Auguſt. lib. de virg. cap. 19.

D. Bernardus Epiſt. 42.

S. Cyprianus lib. de diſciplina & habitu virginum.

D. Ambroſius lib. de viduis.

In virginitate ſupra conjugium extollenda concordant SS. PP.

Matth. 22. v. 30.

D. Chryſoſt. in catena aurea D. Thom. ubi ſupra.

72 Eadem Chriſti verba Auguſtinus meditans, ſimile caſtitati virginali elogium tribuit: * Sola caſtitas (inquit) in hoc * mortalitatis, & loco & tempore ſtatum * quendam immortalitatis gloriæ repreſen- * tat. Sola inter nuptiarum ſolemnia, mo- * rem beatæ illius vendicat regionis, in * qua neque nubent, neque nubentur: * Præbens quodammmodo in terris cęleſtis * jam illius converſationis experientiam. * Vas interim fragile, quod portamus, in * quo, & crebrò periclitamur, tenet ca- * ſtitas (ut monet Apoſtolus) in ſanctifi- * cationem, & inſtar odoriferi balſami, * quo condita cadavera incorrupta ſer- * ventur, ſenſus ipſa, & artus continet * & conſtringit, ne diſſolvantur otiis, ne * corrumpantur deſideriis, ne carnis vo- * luptatibus computreſcant. Demùm San- * ctus Athanaſius ait: Magna virtus con- * tinentia, ingens gloriatio puritas, mag- * na encomia virginis. O virginitas opu- * lentia indeficiens! O virginitas corona * immarceſcibilis! O virginitas templum * Dei & domicilium Spiritus Sancti! O * virginitas margarita ſpecioſa, vulgo in- * conſpicua, & quæ non niſi à paucis in- * venitur! O continentia amica Dei, & * à Sanctis deprædicata! O continentia * apud multos odioſa, ſed apud dignos * ſpectata! O continentia mortem & in- * fernum profligans, & quæ ab immorta- * litate poſſidetur! O continentia An- * gelorum vita & Sanctorum corona! Bea- * tus eſt qui te tenet, beatus qui ob- * durat in tolerantia, quoniam pauxillum * fatigatus multum in te gaudebit.

S. Auguſt. lib. de S. Virg. cap. 45.

S. Athanaſius lib. de virg.

73 Sed quid mirum conſentientes videamus SS. PP. in extollenda virginitate ſupra conjugalem caſtitatem; poſtquam in Chriſto Domino, in B. Virgine conſecratam, in Eccleſia ipſa ſplendeſcentem conſpexerunt, conformiter ad verba Auguſtini pro ſtabilienda præcedenti aſſertione ad calcem producta? Virginitas inquam, in ipſa Verbi Divini æterna generatione, expreſſa & originata, juxta illud ex Nazianzeno aliquando laudatum encomium: *Prima virgo trias eſt.* Meritò igitur angelicâ virginitate elucens Doct. errorem Joviniani ex aſſignato capite, ante omnia ita refellit: „ Qui quidem error (inquit) præcipuè deſtruitur, & exemplo Chriſti, qui & matrem virginem elegit, & ipſe virginitatem ſervavit. Virginitatem etiam, quam facto Chriſtus Dominus commendavit, verbo extollit, non ſolum cum virgines ad ſimilitudinem evexit Angelorum. (ut vidimus) Sed etiam quando difficultatem ſimul & præmium indicavit virginitatis ad eam invitans: *Non omnes* (ajebat) *capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Cęlorum. Qui poteſt capere capiat.* Difficultatem proponit Chriſtus Dominus prioribus verbis, quaſi dicat ad mentem Hieronymi: „ Non omnes hoc poſſunt, ſed quibus à Deo eſt datum; quique petierunt, voluerunt, laboraverunt ut acciperent, Sapientiæ 8. „ *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Quod enim homo in carne vivat præter carnem, non hominis eſt, ſed Dei, inquit D. Thomas. In ultimis verbis vocem agnovit Hieronymus, Domini hortantis, & milites ſuos ad pudicitiæ præmium concitantis.

Verbo & facto extollit Chriſtus, virgines ſpeciali affectu proſequens.

D.Thomas 2.2. q. 152. art. 4. in corp.

Matth. 19. à v. 10.

S. Hieronym. in catena Aurea.

Sapient. 8. v. 21.

D. Thomas in locum Matth.

74 Nec tandem in hoc aſſumpto, argumentum prætcrire convenit, quo virginitatis præſtantia novum accipit robur, novamque commendationem; ab ipſo nimirum Chriſto Domino, tot amoris ſpecialibus notis Joannem inter alios Apoſtolos proſequente, ab ipſius Angelicè puritatis odore ſuaviter allecto. Audiamus inquàm à Joanne, Joannis prærogativas ſingulares: *Jeſus ergo cum vidiſſet matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Rurſus: *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus. Sunt hæc* (prout loquitur S.Theodorus Studita) *pèculiarius attributa Theologo, velut dotalia quædam regia munera; ut, inquam præ diſcipulis reliquis, hoc privilegio à Jeſu diligeretur; utque ſuper puriſſimum recubuerit pectus; ac demùm, ut Dei Parentis filius ſit appellatus. Quam tria univerſa tremenda, ut alterum alteri præcellat, ac quodque eorum, velut ſingulariter eximium, mei animi ſenſum in ſtuporem agat.*

Joan. 19. v. 26.

Cap. 13. v. 23.

S. Theodorus Studita laudatione in S. Joãne Evangeliſt.

75 Pręterea Sanctus Laurentius Juſtinianus ad rem noſtram ita loquitur: * Reddit enim omni cęleſti Curiæ odorem mi- * rificum innocentiæ baptiſmalis puritas; * ſed per ampliùs ſpiritualis exercitationis * acquiſita ſudore. Hæc namque commen- * datur in terris, cumulatur meritis, do- * nis ornatur, effertur præconiis, coronatur * in Cęlis. Univerſa hæc in Apoſtolo Joan- * ne completa comprobantur. Ad Apoſto- * latûs ſiquidem aſſumptus eſt apicem, præ * cæteris fuit dilectus à Chriſto, Dei Geni- * tricem ſuſcepit in matrem, Evangelii fluen- * ta percepit in Verbo, atque corporis reſo- * lutionem ſine dolore ſuſtinuit. Puritatem * quippè, puerilis ætatis uſque ad ſenium * cuſtodivit illæſam, innocentiæque nitorem * ſervavit in mente. Virgo utique electus â * Chriſto, Virgo permanſit in ævum. Car- * nis nequaquam cedens blanditiis, volup- * tates ejus tenebat edomitas: ſenſuum le- * nocinia ſub diſciplina cenſuræ ſpiritualis * cohibens, ſicut mentem Deo, ita ſpiritui * ſubdebat, & carnem. Noverat inſolentiam * ſenſualitatis quantum virtuti reſiſtere aſ- * ſueta ſit, quantumvè Conditoris ſui, legi * dedignetur eſſe ſubjecta. Hinc divinæ cha- * ritatis armatus zelo, illam atterebat jeju- * niis, vigiliarum attenuabat laboribus, ne * contra Dominum laſciviret. Sed unde tot privilegia Joanni advenerit; paucis ſignificat idem Laurentius. * Non abs re, ſicut * idem commemorat à Chriſto plus cæteris * amabatur, cum præ cæteris coapoſtolis, vir- * ginalis puritatis privilegio polleret.

S. Laurent. Juſtin. in ſerm. de S. Joanne.

76 Præluxerant jam antiquiores Patres: Hieronymus imprimis ſupereminentem divini verbi cognitionem, Joanni tribuere non dubitavit ob virginitatis pręrogativam. Cum enim Chriſtum Dominum à Diſcipulis piſcan-

S. Hieron. lib. 1. contr. Jovinian.

tibus non fuiſſe cognitum, referat Evange-
Joann.21.à v. 4.
liſta: ſolus Joannes Divinum agnoſcit Magi-
ſtrum: *Nec ſciebant* (inquit Hieronymus) *Apo-
ſtoli, quem viderent :: ſolus virgo virginem
agnoſcit*. Petrus etiam Damiani poſt admi-
S. Petrus Damian. ſerm.1.
ratam Joannis divinam ſapientiam conclu-
dit: *Non immeritò tam profunda, tàm ſu-
pereminens revelatio deitatis, virgini Joan-
ni debebatur. Virgo permanſit* (loquitur ite-
rum Hieronymus) *& ideò plus amatur à Do-
mino; & recumbit ſuper pectus Jeſu. Et
quod Petrus, qui uxorem habuerat interro-
gare non audet, illum rogat, ut interroget.*
Joann.13.v.4. V.Beda homil. in feſto S.Joan.
Audiatur tandem (aliis PP. prætermiſsis)
V. Beda hucuſque dicta complectens: *Dili-
gebat autem eum Jeſus non exceptis cæteris
ſingulariter ſolum, ſed præ cæteris, quos di-
ligebat, familiarius unum, quem ſpecialis
prærogativa caſtitatis ampliori dilectione fe-
cerat dignum :: Denique huic moriturus in
Cruce Matrem ſuam commendavit, ut vir-
ginem Virgo ſervaret, & ipſo poſt mortem
ac reſurrectionem Cęlos aſcendente, non de-
eſſet ejus genitrici Filius, cujus vita caſtis
ejus tueretur obſequiis.* Virginalis caſtimonię
amor, quo etiam in Cęlis delectatur in cau-
ſa fuere, cur Sanctum Eduardum in vivis
adhuc agentem ſpeciali proſequeretur bene-
volentia: Ego ſum Chriſti Apoſtolus Joan-
nes, qui Regem veſtrum, ob meritum caſti-
tatis (in matrimonio virginitatem ſervavit)
ſumma dilectione complector. Ad peregri-
nos quoſdam ita loquutus fuit, & refertur
in vita S. Eduardi.

77 Tandem firmanda eſt virginitatis prę-
ſtantia ex Apoſtolo, affirmante nedùm, ſed
& theologica efficacia demonſtrante. Affir-
mat inquàm, dùm virginitatem conſuluit,
tanquam melius bonum præ conjugio. *Qui
1.Corinth.7.v.38.
matrimonio jungit virginem ſuam benè facit,
& qui non jungit meliùs facit.* His namque
verbis præfert Apoſtolus virginitatem conju-
gali caſtitati, poſtquam ſupra illam conſu-
luerat, tanquam *bonum*, utique honeſtum,
utile, & delectabile. ,, Hic oſtendit (expoſi-
D.Thom. ibidē. lect.8.
,, tio eſt D.Thomæ) quod licet utrumque ſit
,, bonum, tamen virginitas eſt melior matri-
,, monio. Gloſſa ſimiliter adducta à S. Do-
ctore habet: ,, Meliùs facit, qui apud Deum
,, meritum ejus collocat, & à ſolicitudine
Argumenta Apoſtoli pro virginitate cō jugio pręferenda.
,, liberat eum. Melius eſt enim, quod licet
,, & expedit, quàm quòd licet & non ex-
,, pedit. Hic enim benè utitur malo, ibi
,, verò benè utitur bono: benè utitur quis
,, bono, continentiam dedicans Deo: Malè
,, utitur quis bono continentiam dedicans
,, idolo: malè utitur quis malo, concupiſ-
,, centiam relaxans adulterio. Benè utitur
,, malo, concupiſcentiam reſtringens connu-
,, bio: bonum eſt pudicitia conjugalis; ſed
,, melius eſt continentia virginalis vel vi-
,, dualis. Oſtendit deinde ratione efficaci
(verbis ſtatim expendendis quam D. Tho-
mas, Theologum Scholæ agens ita proponit:
,, Quia bonum divinum eſt potius humano
,, bono: tùm quia bonum animę præfertur
,, bono corporis, tùm etiam, quia bonum
,, contemplativæ vitæ, præfertur bono acti-
,, væ, virginitas autem ordinatur ad bonum
,, animæ ſecundum vitam contemplativam,
,, quòd eſt cogitare ea, quæ ſunt Dei: con-
,, jugium autem ordinatur ad bonum cor-
,, poris, quod eſt corporalis multiplicatio
,, generis humani, & pertinet ad vitam acti-
,, vam: quia vir & mulier in matrimonio
,, viventes neceſſe habent cogitare, quæ ſunt
,, mundi, ut patet per Apoſtolum. Tùm
quando ait de conjugatis: *Tribulationem
tamen carnis habebunt hujuſmodi.* ,, Id eſt
,, (exponit ibidèm D.Thomas) afflictionem
,, pro rebus neceſſariis procurandis & ſibi,
,, & filiis ſuis & aliis.

78 Tùm præcipuè cum ex profeſſo rem
tractat verbis illis: *Qui ſine uxore eſt, ſoli-
citus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat
Deo: Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt,
quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, &
diviſus eſt: & mulier innupta & virgo co-
gitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpo-
re & ſpiritu: Quę autem nupta eſt, cogitat,
quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Por-
rò hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut
laqueum vobis injiciam; ſed ad id, quod
honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat,
ſine impedimento Dominum obſecrandi.* In
his ſiquidem verbis oſtendit Apoſtolus præ-
ſtantiam virginitatis ſupra conjugalem ſta-
tum, triplici argumento: ,, Primò, inquit *Lect.7.*
,, D. Thomas, ratione majoris tranquilli-
,, tatis: Secundò ratione majoris ſanctitatis:
,, Tertiò ratione majoris utilitatis. Hujuſ-
modi autem argumenta, ipſis Div. Thomæ
verbis in Commentario per ordinem damus,
licet non pauca omittamus verba ibidem
ſubjecta: Prima ratio talis eſt: ,, Tranquil-
,, litas in amore ſolius Dei, præferenda eſt
,, ſolicitudini mundanorum; ſed continen-
,, tes habent tranquillitatem, conjugali ſo-
,, licitudinem mundi: ergo ſtatus continen-
,, tium præferendus eſt ſtatui conjugatorum.
Minor propoſitio quo ad priorem partem cò
oſtendit cum Apoſtolo S.Doctor, quòd con-
tinens non habet excuſationem illius, qui
dicit (cum ad nuptias vocatur:) *Uxorem* *Lucę 14.v.20.*
duxi, & ideò non poſſum venire: ,, Unde
,, ſolicitus eſt, quomodo placeat Deo; in-
,, teriori, ſcilicet pulchritudine ſuâ. Hinc:
,, fęlix cujus votum eſt uxorem fugere; cu-
,, jus ſolicitudo eſt Domino ſervire; cujus
,, intentio eſt Deo placere. Poſteriorem
deinde propoſitionis partem probat Apoſto-
lus ex quatuor rebus, in quibus ſoliciti &
implicati ſunt conjugati. Multiplicantur in
verbis Apoſtoli quatuor gravia. Primò (lo-
quitur D.Thomas) vinculum conjugale. Se-
cundò, ſtudium mundiale. Tertiò, ſubjectio
uxoris. Quartò, operis diviſio. Dicit ergo:
,, *Qui autem cum uxore eſt* (ſcilicet in ma-
,, trimonio) *ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi*
,, (id eſt, de regimine familiæ & hujuſmodi:)
,, Unde Jacob acceptis uxoribus ait: *Juſtum*
,, *eſt, ut aliquando providеam domui meæ*; *Geneſ.30.v.30*
,, id eſt ſolicitus ſim, quomodo placeam uxo-
ri :: & talis diviſus eſt non naturâ, ſed actu:
ſci-

,, ſcilicet diviſione officii, non intentionis
,, principalis: Unde Gloſſa: *Partim ſervit*
,, *Deo, partim mundo.*

79 Secunda ratio talis eſt: ,, Continens
,, ſtudet ſanctitati & divinitati & amori Dei:
,, nupta verò ſtudet mundo: ergo illa eſt
,, præferenda. *Mulier*, inquam *innupta &*
,, *virgo cogitat* (id eſt majorem habet facul-
,, tatem cogitandi) *quæ Domini ſunt*: id eſt
,, ſpiritualia & æterna. *Ut ſit ſancta* magis,
S. Auguſt. lib. de bono viduitatis cap.6.
,, quàm nupta. *Ampliorem non nuptarum* (in-
,, quit Auguſtinus) *& in corpore, & in ſpi-*
,, *ritu ſanctificationem intelligi voluit; non*
,, *tamen corpus nuptarum omninò ſanctifi-*
,, *catione privavit.* Ut ſit, inquam ſancta
,, *corpore* (id eſt corporalibus actionibus:
,, Vel *ſancta corpore*, contra vitia carnalia:
,, *Et ſpiritu*, contra ſpiritualia. Per oppo-
,, ſitum verò mulier *nupta*, prælibatis ſoli-
,, citudinibus agitata, cogitat, quæ *ſunt*
,, *mundi* (ſcilicet de cura filiorum, de regi-
,, mine domûs & hujuſmodi. Unde paren-
Tobiæ 10. v. 13.
,, tes monuerunt Saram: *Honorare ſoceros,*
,, *diligere maritum, regere familiam, guber-*
,, *nare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem*
,, *exhibere.* Cogitat, inquam, quomodo pla-
,, ceat viro: Unde hoc fine ornantes ſe non
,, peccant: Verumtamen magis debent ſtu-
,, dere, ei placere ornatu morum, quàm ve-
,, ſtimentorum, juxta illud Apoſtoli: *Simili-*
,, *ter, & mulieres in habitu ornato, cum ve-*
,, *recundiâ & ſobrietate ornantes ſe, & non*
,, *in tortis crinibus aut auro aut margari-*
1.ad Timoth.2. à v.9.
,, *tis, vel veſte pretioſa: ſed, quod decet*
,, *mulieres promittentes pietatem per opera*
,, *bona.*

80 Tertia ratio Apoſtoli eſt hujuſmodi:
illud, quòd eſt utilius, magis expedit; ſed
continere eſt utilius, quàm nubere: ergo
magis expedit eligere continentiam, quàm
nuptias. Eſt inquam magis utile, ut expe-
ditiùs Deo ſerviatur; quia ſic mortificatur
caro, quæ eſt inimica ſpiritûs; inde Augu-
ſtinus: *Sicut inimicus occiſus non facit in-
juriam, ſic caro mortificata non turbat ani-
mă.* Nec ſolum utile eſt contineri, ſed hone-
ſtum, & facultatem præbens ad ſervitium
Dei, ſine impedimento, quòd eſt in conju-
gio. ,, Verè igitur (concludit Div.Thomas)
,, eligendus eſt ſtatus continentiæ, ubi ma-
,, jus commodum; quia hoc ad utilitatem;
,, ubi minus periculum, quia non ut la-
,, queum: ubi major honeſtas, quia id,
,, quod honeſtum: ubi liberior facultas ſer-
,, viendi Deo; quia facultatem præbet Do-
,, minum, ſine impedimento obſecrandi. Ap-
pareat inde quantum Sacrę Scripturę con-
ſonum ſit Tridentini prælaudatum decre-
tum; multis retrò ſæculis in Concilio Tel-
In Cōcilio Tellenſi ad Syricium P.
lenſi jam ſtabilitum, cum ad Syricium Pa-
pam ſcripſit: * Agreſtis ullulatus eſt, nul-
* lam virginitatis gratiam, nullum caſtitati
* ordinem reſervare, promiſcuè omnia vel-
* le confundere, diverſorum gradus abro-
* gare meritorum, jurè laudatur bona uxor,
* ſed meliùs pia virgo pręfertur. Bonum
* conjugium, quo eſt inventa poſtęritas ſuc-
* ceſsionis humanæ, ſed melior virginitas,
* per quam regni cęleſtis, hæreditas acquiſi-
* ta, & cęleſtium meritorum reperta ſucceſ-
* ſio. Ipſe ſimiliter Summus Pontifex ſcrip-
ſerat etiam de damnatione Joviniani:
* Nos ſanè nuptiarum vota non aſpernan-
* ter accepimus, quibus velamini interfui-
* mus: ſed virgines Deo devotas majori
* honorificentiâ muneramus, Apoſtolicum
* ſequuti præceptum. Unde omnium no-
* ſtrorum, tùm Presbyterorum, tùm Dia-
* conorum, tùm etiam totius Cleri unam
* factam conſtat eſſe ſententiam: ubi Jovi-
* nianus, Auxentius, Genialis, Geminata,
* Felix, Plotinus, Marcianus, Januarius &
* Ingenioſus, qui novæ hæreſis, & blaſphe-
* miæ accentores inventi ſunt, divinâ ſen-
* tentiâ & noſtro judicio perpetuò damnati
* extra Eccleſiam remanerent.

OBJECTA DISSOLUTA.

81 Primum, quod proponimus obje-
ctum, præcipuè videtur tendere ad infrin-
gendam rationem ex Apoſtolo ſcholaſticè à
D. Thoma derivatam. Præſtantia virginita- *D.Thom.3. cōt. Gent. cap.136. objectione 5.*
tis ex tranquillitate ad vacandum rebus di-
vinis excolendaſque virtutes, ſtabilita eſt; ſed
majorem tranquillitatem inducere videtur
caſtitas conjugalis: iſta ergo, non illa prima-
tum tenebit in genere caſtitatis. Aſſumpta
propoſitio hac ratione oſtenditur à S.Docto-
re. Non eſt poſsibile, quin in homine con-
cupiſcentiæ venereorum oriantur, cum na-
turales ſint: reſiſtere autem concupiſcentiis
& quaſi continuam pugnam habere, majo-
rem inquietudinem animo tribuit, quàm ſi
aliquis moderatè concupiſcentiis uteretur:
Cum igitur inquietudo animi maximè per-
fectioni virtutis repugnet, videtur perfectio-
ni virtutis adverſari, quòd aliquis per-
petuam continentiam ſervet. Reſponde-
tur tamen explicando propoſitionem aſ-
ſumptam, quòd licet quodammodo verita-
tem habeat, quatenùs indicat, concupiſcen-
tiam vehementer quandoque continentes ur-
gere: verumtamen in conjugatis ex hoc
etiam, & aliis pluribus capitibus continua
imminet ſolicitudo; ut declarat S. D. obje-
Virginitas ad veritatis, & divinorum contemplationem valdè conducit.
ctionem ad litteram diſſolvens: ,, Ad quin-
,, tum dicendum, quòd ſolicitudo & occu-
,, patio, quam habent hi, qui conjugio
,, utuntur de uxoribus, filiis, & neceſſariis
,, vitæ acquirendis, eſt continua: inquietatio
,, autē, quam homo patitur ex pugna concu-
,, piſcentiarum, eſt ad aliquam horam: quę
,, etiam minoratur per hoc, quòd eis ali-
,, quid non conſentit. Nàm quantò magis
,, aliquis delectabilibus utitur, tantò magis
,, creſcit in eo delectabilis appetitus. Debili-
,, tantur enim concupiſcentiæ per abſtinen-
,, tiam, & alia exercitia corporalia, quæ con-
,, veniunt his, qui continentiæ propoſitum
,, habent. Uſus etiam corporalium delecta-
,, bilium magis abducit mentem à ſua alti-
,, tudine, & impedit à contemplatione ſpi-
,, ritualium, quàm inquietudo, quę prove-
,, nit in reſiſtendo concupiſcentiis horum
de-

,, delectabilium : quia per uſum delectabi-
,, lium, & maximè venereorum, mens ma-
,, ximè carnalibus inhæret: cum delectatio
,, faciat quieſcere appetitum in re delecta-
,, bili : & ideò his, qui ad contemplationem
,, divinorum, & cujuſque veritatis inten-
,, dunt maximè nocivum eſt venereis dedi-
,, tos eſſe, & maximè utile ab eis abſti-
,, nere.

82 Bonum commune (objicit adhuc Di-
D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 4.
vus Thomas) potius eſt bono privato, ut
patet per Philoſophum 1. Ethicorum, ſed
conjugium ordinatur ad bonum commune.
D. Auguſt. in 1. de bono conjug.
Dicit enim Auguſtinus : *Quod eſt cibus ad*
ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalu-
tem humani generis : ,, Virginitas autem
,, ordinatur ad bonum ſpeciale, ut ſcilicet
,, vitent tribulationem carnis, quam ſuſti-
,, nent conjugati, ſicut patet per Apoſtolum:
1. Corinth. 7.
,, ergo virginitas non eſt potior continentiâ
,, conjugali. Reſpondet tamen D. Thomas:
D. Thom. ubi ſupra. Solut. ad 3.
Veram eſſe primam propoſitionem de bono
communi & privato ejuſdem generis. Quin
obſtet bonum privatum potius quandoque
eſſe bono communi; atque in hoc genere re-
ponenda eſt virginitas ad bonum utique
proprium ordinata, nempè vacare rebus di-
vinis ad bonum divinum pertinens, præfe-
rendum ſine dubio bono matrimonii, nem-
pè procreatione prolis. Inde falsò ſubjun-
gitur in objectione, bonum virginitatis in
ſola ſiſtere tranquillitate carnis, quæ ab
Apoſtolo indicatur, ut medium ad bonum
excellentius, quale eſt divinorum contem-
platio. Dicendum (inquit D. Thomas) quòd
,, bonum commune potius eſt bono priva-
,, to, ſi ſit ejuſdem generis : ſed poteſt eſſe,
,, quod bonum privatum ſit melius ſecun-
,, dum ſuum genus : & hoc modo virgini-
D. Auguſt. lib. de virgin. cap. 9
,, tas Deo dicata prefertur fecunditati car-
,, nis : unde Auguſtinus dicit : Quod fœcun-
,, ditas carnis, etiam illarum, quæ in hoc
,, tempore nihil aliud in conjugio, quàm
,, prolem requirunt, quàm mancipent Chri-
,, ſto, pro amiſſa virginitate compenſari non
,, poſſe, credendum eſt.

83 Fateamur ergo præſtantiam virgini-
tatis, ejus inſpectâ naturâ & ſpecie : at quis
dubitet, æquale meritum in conjugatis quan-
doque reperiri poſſe : dicente Auguſtino: *Non*
D. Auguſt. lib. de bono conjugali cap. 21.
impar meritum eſt continentiæ in Joanne, qui
nullas expertus eſt nuptias & in Abraham,
qui filios generavit. Imò conjugatus melior
D. Thom. ubi ſupra. Solut. ad 1.
aliquando ſimpliciter eſt, quàm virgo. Utrū-
que per ordinem ſtatuit D. Thomas primam
diſſolvens & ſecundam objectionem in arti-
culo citato. ,, Ad primùm ergo dicendum,
,, quòd meritum non ſolum penſatur ex ge-
,, nerē actûs, ſed magis ex animo operantis.
,, Habuit autem animum Abraham ſic diſ-
,, poſitum, ut paratus eſſet virginitatem ſer-
,, vare, ſi eſſet tempori congruum, ex quo
,, meritum continentiæ conjugalis in ipſo
,, æquatur merito continentiæ virginitatis
,, in Joanne reſpectu præmii ſubſtantialis,
,, non autem præmii accidentalis. Unde Au-
,, guſtinus dicit in libro de bono conjuga-
,, li : *Quod, Joannis celibatus, & Abrahæ*
D. Auguſt. in lib. de bono conjugali cap. 21.
,, *connubium pro temporum diſtributione*
,, *Chriſto militaverunt, ſed continentiam*
,, *Joannis in opere, Abraham verò in ſolo*
,, *habitu habebat.* Ad ſecundum dicendum,
,, quod licet virginitas ſit melior, quàm
,, continentia conjugalis, poteſt tamen con-
,, jugatus melior eſſe, quàm virgo, dupli-
D. Thom. ſolut. ad 2.
,, ci ratione. Primò quidem ex parte caſti-
,, tatis, ſi ſcilicet ille, qui eſt conjugatus,
,, habeat animum magis paratum ad virgi-
,, nitatem ſervandam, ſi oporteret, quàm
,, ille, qui eſt actu virgo. Unde Auguſti-
,, nus inſtruit virginem in libro de bono
,, conjugali, ut dicat : *Ego non ſum me-*
Cap. 22.
,, *lior, quàm Abraham, ſed melior eſt caſti-*
,, *tas cælibum, quàm caſtitas nuptiarum.*
,, Et rationem poſtea ſubdit, dicens : *Quod*
Ibidem.
,, *enim nunc ago, melius ille egiſſet, ſi*
,, *tunc agendum eſſet. Quod autem illi ege-*
,, *runt, ſic ego non agerem, etiamſi nunc*
,, *agendum eſſet.* Secundò, quia fortè ille,
,, qui non eſt virgo, habet aliquam ex-
,, cellentiorem virtutem. Unde Auguſtinus
,, dicit in libro de virginitate. *Unde ſcit*
Cap. 44.
,, *virgo, quamvis ſolita, quæ ſunt Domini,*
,, *ne fortè propter aliquam ſibi incognitam*
,, *mentis infirmitatem, nondum ſit matura*
,, *martyrio, illa verò mulier, cui ſe præ-*
,, *ferre geſtiebat, jam poſſit bibere calicem*
,, *dominicę paſſionis?*

ARTICULUS VII.

Virginitatem fructibus fecundam, & aureola decorandam monſtrans.

84 VIRGINITATEM ſemel
commendare non ſuffi-
cit : quia majorem di-
ximus omni laude. Ar-
gumenta ſiquidem de-
dimus à priori, ut plu-
rimum derivata ex natura ipſa & objecto
virginitatis. Jam proinde ab effectu & de-
bita remuneratione, nova deſumamus ar-
gumenta ad firmandam de novo virginita-
tis excellentiam. Et ut nihil dicamus de
præmio eſſentiali, ſicut aliis virtutibus,
ita & virginitati in cęlis conferendo : de
aureola, & fructu, quibus decoranda ſpe-
ratur, verba facimus, indicatis etiam no-
tionibus, quibus eminere ex PP. & Pro-
phetis docuit Angelicus Magiſter. Quid au-
tem ſit aureola (qua martyres nedùm; ſed
D. Thom. in ſupplem. q. 96. art. 1. in corp.
pii etiam Eccleſiæ vel in Eccleſia Docto-
res laureandos in cęlis, aliquando dixi-
mus in apparatu Proleg. 3. num. 67.) plu-
ribus eſſet expendendum, ſi noſtri exigeret
inſtituti aſſumptum. Non indicare tamen
non poſſumus cum D. Thoma, nomine
aureolæ ex terminis ſignificari, præmium
aliquod accidentale, Beatis donandum ſu-
pra

pra eſſentialem mercedem, in viſione &
Exodi 25. à v. 24.
fruitione Dei poſitam, quæque corona vo-
catur, juxta illud : *Facieſque illi* (ſcilicet
menſæ) *labium aureum per circuitum, &*
ipſi labio coronam :: & ſuper illam, alte-
ram coronam aureolam. In hoc autem ſen-
ſu, non incongruè gloria ipſa corporis,
Quid ſignificet aureola.
aureola dicitur à Gloſſa ordinaria in addu-
cta verba apud D. Thomam, ibi : *In fine*
aureola ſuperponitur, cum in Scriptura di-
catur, quod eis ſublimior gloria in recep-
tione corporum ſervetur. Nihilominus au-
reola preſsè ſumpta : dicit aliquid aureæ
,, ſuperadditum, id eſt quoddam gaudium
,, de operibus à ſe factis, quæ habent ra-
,, tionem victorię excellentis, quod eſt aliud
,, gaudium ab eo, quo de conjunctione ad
,, Deum quis gaudet, quod gaudium au-
,, rea dicitur. Quidam tamen dicunt, quod
,, ipſum præmium commune, quod eſt au-
,, rea, accipit nomen aureolę, ſecundùm
,, quod virginibus vel martyribus vel do-
,, ctoribus redditur, ſicut, & denarius acci-
,, pit nomen debiti ex hoc quod alicui debe-
,, tur quamvis omninò ſint idem debitum &
denarius. Rejicit tamen S. Dr. hujuſmodi
opinionem: quia alias non rectè dictum eſſet,
quod aureola, aureæ ſuperponitur. ,, Unde
,, concludit:oportet,aureolā ab aurea differre.

85 Fructum deinde virginitati aſsig-
nandum, recenſet Chriſtus Dominus in Pa-
rabola ſeminatoris apud D. Matthæum, ubi
Matth. 13. v. 23.
legitur : *Qui vero in terram bonam ſemi-*
natus eſt, hic eſt, qui audit verbum, &
intelligit & fructum affert, & facit aliud
quidem centeſimum, aliud autem ſexage-
ſimum, aliud verò trigeſimum. Fructum
dicimus virginitati aſsignandum conformi-
ter ad ſenſum Chriſti Domini in adducta
parabola : quia nomen fructûs, multipli-
cem admittit acceptionem in ſacris litte-
ris; de illoque prout ab Apoſtolo fructus
ſpiritûs vocatur, copioſè aliquando diſſe-
D. Thom. art. 2. in corp.
ruimus. Hac igitur, & aliis acceptionibus
prætermiſsis, de quibus videri poteſt D.
Thomas; ipſum pro noſtro aſſumpto lo-
quentem audiamus : ,, Sed agimus (inquit)
,, de fructu, ſecundùm quod ex ſemine
,, conſurgit. Sic enim de fructu Dominus
,, loquitur Matth. 13. ubi fructum dividit
,, in trigeſimum, ſexageſimum, & cente-
Quid nomine fructũum continentiæ reſpondentium deſignetur.
,, ſimum. Fructus autem ſecundùm hoc po-
,, teſt prodire ex ſemine, quod vis ſemen-
,, tina eſt efficax ad convertendum humo-
,, res terræ in ſuam naturam, & quantò
,, hæc virtus eſt efficacior, & terra ad hoc
,, paratior, tantò fructus ſequitur uberior;
,, ſpirituale autem ſemen, quod in nobis
,, ſeminatur, eſt verbum Dei, unde, quan-
,, tò aliquis magis in ſpiritualitatem con-
,, vertitur, à carne recedens, tantò in eo
,, eſt major fructus verbi. Et conſequenter
ad hujuſmodi doctrinam, benè ſtatuit San-
ctus Doctor, fructos illos, de quibus in
parabola loquitur Chriſtus Dominus, ſpe-
cialiter correſpondere virtuti continentiæ
Artic. 3. in corp.
aut caſtitati. ,, Dicendum (inquit) quod
,, fructus eſt quodam præmium quod de-
,, betur, homini ex hoc, quod à carnali
,, vita in ſpiritualem tranſit, & ideò illi
,, virtuti præcipuè fructus reſpondet, quæ
,, hominem præcipuè à ſubjectione carnis
,, liberat; hoc autem facit continentia; quia
,, per delectationes venereas anima pręci-
,, puè carni ſubditur, adeò, ut in actu car-
,, nali ſecundum Hieronymum, nec *ſpiri-*
,, *tus prophetiæ corda tangat prophetarum*;
,, nec in illa delectatione eſt poſsibile ali-
,, quid intelligere, ut Philoſophus dicit 7.
,, Ethic. cap. 11. Et ideò continentiæ ma-
,, gis reſpondet fructus, quàm alii vir-
,, tuti.

86 Rectè tamen adnotat S. Dr. quod
fructus ſecundum alias acceptiones aliis vir-
tutibus aut beatitudinibus adaptantur.
Imò ſi à labore fructus eſſet deſummen-
dus, juxta illud Sapient. *Bonorum laborum*
Sapient. 3. v. 15
glorioſus eſt fructus; fortitudini potiùs
quàm continentię correſponderet; hæc enim
minores ſuſtinet labores, quàm illâ. ,, Ve-
D. Thom. ſolut. ad 3.
,, rumtamen (inquit D. Thomas) fructus
,, ſecundum quod nunc loquimur, non reſ-
,, pondet labori ratione fatigationis : ſed
,, ſecundum quod per laborem ſemina fru-
,, ctificant. Unde, & ipſe ſegetes labores
,, dicuntur, in quantum propter eas labo-
,, ratur, vel labore acquiruntur ; ſimilitu-
,, do autem fructus, ſecundùm quod ori-
,, tur ex ſemine, magis aptatur continen-
,, tiæ, quàm fortitudini, quia per paſsio-
,, nes fortitudinis homo non ſubditur car-
,, ni, ſicut per paſsiones circa quas eſt
,, continentia. Advertit etiam S. D. quod
ſi nomen fructus à refectione dicatur; cum
homo non perfectè reficiatur, niſi in ulti-
mo fine, ad quem immediatè tendere di-
ximus theologicas virtutes, ipſis præcipuè
fructus correſpondet. ,, Sed tamen (inquit)
,, fructus non ſumitur hic ſecundum quod
Solut. ad 5.
,, frui dicitur, qui reficitur in fine, ſed
,, alio modo, ut dixerat jam in corp. ar-
ticuli. His ergo utiliter prælibatis.

87 Aſſerendum eſt primò : virtuti vir-
ginitatis etſi voto non firmatæ aureolam
Virginitati etiam voto nō firmatæ aureola in cęlis correſpondet.
propriè dictam deberi. Statuimus jam in
articulo 1. præcedenti, virginitatem ex
firma & perpetua electione rationem vir-
tutis ſpecialis induere, quantumvis voto
ſtrictè dicto non firmetur. Inde ex conſe-
quenti debita erit aureola, virginibus aliun-
de certò conferenda : quidquid in oppoſi-
tum tradiderint antiquiores aliqui, quos
ita recenſet, & rejicit D. Thomas : Alii
dicunt, quod aureola debetur ſtatui, &
non actui, ut illæ tantùm virgines aureo-
lam mereantur, quæ in ſtatu virginitatis
perpetuæ ſervandæ per votum ſe poſue-
runt. Sed hoc etiam non videtur conve-
niens, quia aliquis ex pari voluntate po-
teſt ſervare virgititatem non vovens, ſi-
cut aliquis alius vovens. Et ideò aliter dici
poteſt, quod meritum omni actui virtutis
debetur à charitate imperato, virginitas
autem ſecundùm hoc ad genus virtutis per-
ti-

tinet, ſecundùm quod perpetua incorruptio mentis, & corporis ſub electione cadit, ut patet ex his, quæ dicta ſunt: & ideò illis tantùm virginibus aureola propriè debetur, quæ propoſitum habuerunt virginitatem perpetuò conſervandi, ſive hoc propoſitum voto firmaverint, ſive non. Et hoc dico ſecundùm quod aureola propriè accipitur, ut præmium quoddam meritò redditum, quamvis hoc propoſitum aliquando fuerit interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodò in fine vitæ inveniatur, quia virginitas mentis reparari poteſt, quamvis non virginitas carnis. Ex qua doctrina rectè Divus Thomas aliorum removet opinionem, qua dixerunt: aureolam actui deberi. ,, Unde illa, quæ ,, actu virginitatem ſervat aureolam habe- ,, bit, ſi ſit de numero ſalvandorum. Sub- ,, jungit Sanctus Doctor, ſed hoc non vi- ,, detur eſſe conveniens. Quia ſecundùm hoc ,, illæ, quæ habent voluntatem nubendi, ,, & tamen, antequam nupſerint, deſce- ,, dunt, haberent aureolam. His opinionibus rejectis.

Artic. 5. ex q. 96. ut ſupra in ſed contr.

88 Oſtendit D. Thomas aſſertionem imprimis ex Gloſſa ſupra laudata in verba Exodi dicente: *Ad hanc coronam pertinet canticum novum, quod virgines coram Agno concinunt, ſcilicet, qui ſequuntur Agnum quocumque ierit.* Ergo præmium, quod virginitati debetur, dicitur aureola. Similiter philoſophatur S. Dr. virginitati excellens præmium, ſeu aureolam conferendam deducens ex verbis illis Iſaię: *Hæc dicit D. Eunuchis* (quibus deſignantur virgines) *qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fędus meum: dabo eis in domo mea, & muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.* Deinde demonſtrat à priori noſtram aſſertionem, quæ ab omnibus tenetur, ſic ferè ad litteram theologizans: ,, Ubi eſt præcellens ratio victoriæ, ,, ibi debetur aliqua ſpecialis corona con- ,, formiter ad dicta; ſed per virginitatem, ,, aliquis ſingularem quandam victoriam ,, obtinet de carne, contra quam conti- ,, nuè bellum geritur juxta illud: *Spiritus* ,, *concupiſcit adverſus carnem: Caro con-* ,, *cupiſcit adverſus ſpiritum*: Ergo virginitati ſpecialis corona debetur, quę aureola nominatur. Aureola, inquam propriè dicta: Quia, ut loquitur ibidem S. Dr. Si aureolam largè accipiamus pro quocumque gaudio, quod in patria habebunt ſuper gaudium eſſentiale, ſic etiam incorruptis carne aureola reſpondebit, etiamſi propoſitum non habuerint perpetuò virginitem ſervandi. Non enim eſt dubium, quod de incorruptione corporis gaudebunt, ſicut & innocentes de hoc, quod immunes à peccato fuerunt: quamvis etiam peccandi opportunitatem non habuerunt, ut patet in pueris baptizatis. Sed hæc non eſt propria acceptio aureolæ, ſed valdè communis.

Iſaiæ 56. v. 5.

In corp. artic.

Ad Galatas 5. v. 17.

89 Addimus cum Sancto Doctore, quod ſi frigidi & Eunuchi voluntatem habeant perpetuam incorruptionem ſervandi, etiamſi facultas adeſſet coeundi, virgines ſunt dicendi, & aureolam merentur. Faciunt enim de neceſsitate virtutem. Si verò voluntatem habeant ducendi conjugem, ſi poſſent, aureolam non merentur. Unde dicit Auguſtinus. *Quibus ipſum virile membrum debilitatur, ut generare non poſsint, ut ſunt Eunuchi ſufficit, cum chriſtiani ſiunt, & Dei præcepta cuſtodiunt, eo tamen propoſito ſunt, ut conjuges, ſi poſſent, haberent, conjugatis fidelibus adæquari.* Sola igitur carnis incorruptio, quæ ineſt à natura, ſicut non ſufficere diximus ad virtutem virginitatis; ad promerendam aureolam pertingere nequaquam valet; niſi propoſitum perpetuæ incorruptionis ſervandæ adjungatur, utique per gratiam. Quinimò tali propoſito permanente, etſi virgo per violentiam fuerit oppreſſa; ſicut virtutem non amittit virginitatis: ita neque aureolam virginitati debitam. ,, Et ,, hoc quidem verum tenet (inquit D. Tho- ,, mas) ſivè pro fide, ſivè pro quacumque ,, alia cauſa, corrumpatur violenter. Sed ,, ſi hoc pro fide ſuſtineat, hoc ei erit ad ,, meritum, & ad genus martyrii pertine- ,, bit. Unde Lucia dixit: *Si me invitam* ,, *violari feceris, caſtitas mihi duplicabi-* ,, *tur ad coronam.* Non quod habeat duas ,, virginitatis aureolas, ſed quia duplex ,, præmium reportabit, unum pro virgini- ,, tate cuſtodita, aliud pro injuria (ſivè ,, ut alia lectio habet pro martyrio) quam ,, paſſa eſt. Dico etiam, quod ſi talis vio- ,, lenter oppreſſa concipiat, nec ex hoc ,, meritum virginitatis perdit. Nec tamen ,, matri Chriſti æquabitur, in qua fuit ,, cum integritate mentis, etiam integritas ,, carnis.

D. Thom. ſolut. ad 7.

S. Auguſt. in lib. de S. Virg. cap. 24.

Solut. ad 4.

Virgo vi oppreſſa aureola non fraudabitur virginitatis.

90 Quid autem dicendum ſit circa aureolam B. V. Mariæ aſſerendam, vel negandam, præclarè admodum elucidavit Dr. ille Angelicus, qui angelicâ ſalutatione ab incunabulis enutritus, in obſequium Deiparæ totus effunditur. Nec mirum; quia ut cecinit eleganter Contenſonius:

Primus cibus Thomę infantis fuit nomen Mariæ.
Mariam prius linguâ guſtavit, quàm laudavit.
Mariam ſcivit antequam ſtuderet:
Prius diſcipulus Marianus, quam Doctor Angelicus.

,, Duplex (inquit) circa hoc eſt opinio. ,, Quidam enim dicunt, quòd beata Virgo ,, pro virginitatis præmio non habet au- ,, reolam, ſi aureola propriè accipiatur, ſe- ,, cundùm quòd reſpicit pugnam, tamen ,, habet aliquid majus aureola propter per- ,, fectiſsimum propoſitum virginitatis ſer- ,, vandæ. Alii verò dicunt, quòd etiam ,, aureolam ſub propria ratione aureolæ ha- ,, bet, & excellentiſsimam, quamvis enim pug-

Solut. ad 2.

,, pugnam non ſenſerit, pugnam tamen ,, carnis aliquam habuit: ſed ex vehemen- ,, tià virtutis, quam habuit à Deo, ita ,, habuit carnem ſubditam, quòd hujuſ- ,, modi pugna ei inſenſibilis erat. Sed iſtud ,, videtur inconvenienter dici: quia cum ,, Virgo beata credatur omninò immunis ,, fuiſſe à fomitis inclinatione, propter ejus ,, ſanctificationem perfectam, non eſt pium ,, ponere aliquam pugnam à carne fuiſſe in ,, ea:: Nec tentatio, quæ eſt à carne, ſine pec- ,, cato eſſe poſsit, ut patet per Gloſſam ſuper ,, illud, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ,* ,, *&c.* Unde dicendum eſt, quòd aureolam ,, propriè habet, ut in hoc membris aliis Ec- ,, cleſiæ conformetur, in quibus virginitas ,, invenitur, & quamvis non habuerit pug- ,, nam per tentationem, quę eſt à carne, ,, habuit tamen pugnam per tentationem, ,, quæ eſt ab hoſte, qui nec etiam ipſum ,, Chriſtum reveritus fuit, ut patet Matth. ,, 4. Nec inde inferat aliquis: ſicut Beatæ virgini, ita & Chriſto Domino aureolam propriè acceptam convenire. Ut enim ,, loquitur Divus Thomas: Circa hoc eſt ,, duplex opinio. Quidam enim dicunt, ,, quod in Chriſto eſt aureola ſecundum ,, propriam aureolæ rationem, cum in eo ,, pugna inveniatur & victoria, & per con- ,, ſequens corona ſecundùm propriam ratio- ,, nem. Sed diligenter conſiderando, quam- ,, vis Chriſto competat ratio aureæ, vel ,, coronæ, non tamen ei competit ratio ,, aureolæ. Aureola enim ex hoc ipſo, quod ,, diminutivè dicitur, importat aliquid, ,, quod participativè, & nunquam ſecun- ,, dùm ſui plenitudinem poſsidetur. Unde ,, illis competit aureolam habere, in qui- ,, bus eſt aliqua perfectionis victoriæ par- ,, ticipatio, ſecundùm imitationem ejus, in ,, quo perfectè victoriæ ratio plena conſi- ,, ſtit. Et ideò, cum in Chriſto inveniatur ,, hujuſmodi principalis, & plena victoriæ ,, ratio, per cujus victoriam omnes alii ,, victores conſtituuntur, ut patet ex illis ,, verbis: *Confidite, ego vici mundum.* Et ,, rurſus: *Ecce vicit leo de tribu Judà.* ,, Chriſto non competit aureolam habere, ,, ſed aliquid, unde omnes aureolæ ori- ,, ginantur, unde dicitur: *Qui vicerit,* ,, *dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſi-* ,, *cut & ego vici, & ſedi cum patre meo* ,, *in throno ejus.* Unde ſecundùm alios di- ,, cendum eſt, quòd, quamvis id, quod ,, eſt in Chriſto non habeat rationem au- ,, reolę, tamen eſt excellentiùs omni aureolâ.

2. Corinth. 12. v. 7.

B. Virgini Mariæ aureola propriè convenit: Chriſto D. per quandam excellentiam.

D. Thom. artic. 8. in corp.

Joann. 16. v. 33.

Apocal. 5. v. 5.

Apocal. 3. v. 21.

91 Aſſerendum eſt ſecundò: Ex fructibus prout virtuti continentiæ tribuuntur, centenarium virginitati, ſexagenarium viduitati, tricenarium verò caſtitati conjugali tribui. Aſſertionem firmat D. Thomas, tùm auctoritate V. Bedæ, tum Hieronymi. Rationemque adducit, quam Beda ita propoſuit: ,, Fructus triceſimus debetur con- ,, jugatis, quia in repreſentatione, quæ ,, fit in abaco, 30. ſignificatur per conta- ,, ctum pollicis, & indicis ſecundùm ſuam ,, ſummitatem: unde ibi quodammodò ,, oſculantur ſe, & ſic tricenarius numerus ,, ſignificat conjugatorum oſcula. Sexagena- ,, rius verò numerus ſignificatur per con- ,, tactum indicis ſuper medium articulum ,, pollicis, & ſic per hoc, quod index jacet ,, ſuper pollicem, opprimens ipſum, ſig- ,, nificat oppreſsionem illam, quam viduæ ,, patiuntur in mundo. Cum autem nume- ,, rando ad centenarium pervenimus, ad ,, dexteram à lęva tranſimus, unde per cen- ,, tenarium virginitas deſignatur, quæ ha- ,, bet portionem angelicę dignitatis, quæ ,, ſunt in dextera, ſcilicet in gloria, nos ,, autem in ſiniſtra propter imperfectionem ,, pręſentis vitę. Neque huic rationi obeſſe poteſt, quòd in inſtitutione humana fundatur: quia ut benè addit D. Thomas, ea inſtitutio aliquo modo fundatur ſuper rerum naturam in quantum ſecundùm ordinem dictorum articulorum, & contractuum, numeri gradatim ſignificantur. Neque enim demonſtrativam dicimus rationem illam; ſed explicationem quandam ex ſimilitudine rerum humanarum derivatam.

D. Thom. art. 4. V. Beda & S. Hieron. ſuper Lucam cap. 8. In Matthæum cap. 13. & in lib. 1. contr. Jovinianum apud D. Thom. art. 4.

Virginitati fructus reſpõdet centeſimus, viduitati ſexageſimus, caſtitati conjugali trigeſimus.

Solut. ad 4.

92 Ejuſdem generis eſt ratio quam D. Thomas ex ipſa naturâ numerorum, ſatis diffusè in hunc modum ſuperaddit. ,, Tri- ,, cenarius enim numerus ex ductu ternarii ,, in denarium ſurgit: ternarius enim eſt ,, numerus omnis rei, ut dicitur in lib. 1. ,, de cælo & mundo, & habet in ſe perfe- ,, ctionem quandam omnibus communem, ,, ſcilicet principii, medii, & finis: unde ,, convenienter tricenarius numerus conju- ,, gatis aſsignatur, in quibus ſupra ob- ,, ſervationem decalogi, qui per denarium ,, ſignificatur, non additur aliqua perfe- ,, ctio, niſi communis, ſine qua non po- ,, teſt eſſe ſalus. Senarius autem numerus, ,, ex cujus ductu in denarium ſexagenarius ,, ſurgit, habet perfectionem ex partibus, ,, cum conſtet ex omnibus partibus ſuis ſi- ,, mul aggregatis: unde convenienter vi- ,, duitati reſpondet, in qua invenitur per- ,, fecta abſtractio à delectationibus carnis ,, quantum ad omnes circunſtantias, quæ ,, ſunt quaſi partes virtuoſi actûs, cum ,, nulla enim perſona, & in nullo loco vi- ,, duitas utitur carnis delectationibus, & ,, ſic de aliis circunſtantiis, quod non erat ,, in continentià conjugali. Sed centenarius ,, convenienter reſpondet virginitati, quia ,, denarius, ex cujus ductu centenarius ſur- ,, git, eſt limes numerorum, & ſimiliter ,, virginitas tenet ſpiritualitatis limitem, ,, quia ad eam nihil de ſpiritualitate adji- ,, ci poteſt. Habet enim centenarius, in ,, quantum eſt numerus quadratus, perfe- ,, ctionem ex figurâ: figura enim quadra- ,, ta ſecundùm hoc perfecta eſt, quòd ex ,, omni parte æqualitatem habet, utpote ha- ,, bens omnia latera ęqualia, unde com- ,, petit virginitati, in qua, quantum omne ,, tempus, ęqualiter incorruptio invenitur.

93 Ratio tandem, quæ poteſt dici à priori quatenùs ex *fructûs* acceptione ad præ-

præſens expoſita, deducitur, his ferè ver-
bis proponitur à D. Thoma: Fructus con-
tinentiæ dicitur correſpondere, cujus bene-
ficio, homo in quandam ſpiritualitatem
adducitur carnalitate abjecta: ergo ſecun-
dùm diverſum modum ſpiritualitatis, quem
continentia facit, diverſi fructûs diſtingun-
tur: & quo major eſt ſpiritualitas, fructus
correſpondebit abundantior. Quod autem
hujuſmodi gradûs triplici continentiæ ſe-
cundùm exceſſum indicatum conveniant;
ad litteram oſtendit angelicâ virginitate
elucens D. Thomas: ,, Eſt autem quædam
,, ſpiritualitas neceſſaria, & quædam ſu-
,, perabundans. Neceſſaria quidem ſpiritua-
,, litas eſt in hoc, quòd rectitudo ſpiri-
,, tûs ex delectatione carnis non perver-
,, tatur, quod fit, cum aliquis ſecundùm
,, rectum ordinem rationis utitur delecta-
,, tionibus carnis, & hæc eſt ſpiritualitas
,, conjugatorum. Spiritualitas verò ſuper-
,, abundans eſt, per quam homo ab hu-
,, juſmodi delectationibus carnis ſpiritum
,, ſuffocantibus omninò ſe abſtrahit. Sed
,, hoc contingit dupliciter. Vel reſpectu cu-
,, juſlibet temporis, præteriti, præſentis &
,, futuri, & hæc eſt ſpiritualitas virginum.
,, Vel ſecundùm aliquod tempus & hæc eſt
,, ſpiritualitas viduarum. Servantibus ergo
,, continentiam conjugalem datur fructus
,, triceſimus, vidualem ſexageſimus, virgi-
,, nalem centeſimus.

OBJECTA DISSOLUTA.

94 In oppoſitum primæ aſſertionis ar-
gui poteſt imprimis, quod aureola potiùs
debita vedetur viduali, quàm virginali con-
tinentiæ; illa ſiquidem majori pugnę ad-
versùs venereas carnis delectationes corres-
pondet per modum præmii; ſed majorem
aggrediuntur pugnam in abſtinendo à de-
lectationibus carnis viduæ, quam virgines:
magis ergo viduis continentibus, quàm
virginibus aureola correſpondebit in cælis.
Aſſumptam propoſitionem, tùm Hierony-
mus docere videtur in commendationem
S. Hieronym. Epiſt. ad Gerundiam.
viduarum ſcribens: *Quantò major eſt dif-
ficultas ex parte quorundam à voluptatis
illècebris abſtinere, tantò majus eſt præ-
mium.* Tùm & Philoſophus affirmans:
Ariſtoteles lib. 7. de Hiſtoria Animal. cap. 1.
*Quòd juvenes corruptæ magis appetunt coi-
tum propter rememorationem delectationis.*
Hæc tamen objectio dupliciter cum D. Tho-
ma diſſolvitur: Primò quidem, negata pro-
poſitione majori, quæ aureolam ſoli pugnę
in materiâ venereâ correſpondentem aſſe-
rit: cum potiùs victorię in illâ pugnâ de-
D. Thom. artic. 5. ſol. ad 1.
beatur aureola. ,, Quidquid autem ſit de
,, quantitate pugnæ (inquit Sanct. Doct.)
,, hoc tamen certum eſt, quod perfectior
,, eſt victoria virginum, quàm viduarum.
,, Perfectiſsimum enim genus victorię eſt,
,, & pulcherrimum, hoſti nunquam ceſsiſſe:
Perfectior eſt victoria virginum, quam viduarum.
,, corona autem non debetur pugnę, ſed
,, victoriæ de pugna. Deinde, permiſsâ pro-
poſitione illâ majori, diſtingui debet mi-
nor, quæ verum tenet, quantum ad aliquid:
non autem ſimpliciter, & ex omni capite,
per ſe loquendo, nam per accidens & ſe-
cundùm diverſas hominum conditiones, non
videtur dubitandum, vehementiorem quan-
doque inflammari veneream concupiſcen-
tiam in aliqua vidua, quàm virgine & è con-
verſo. Quamvis ergo in viduis difficilem
reddat pugnam illam, rememoratio delecta-
tionis præteritæ: in virginibus autem, etſi
hæc deficiat memoria, ex triplici tamen ca-
pite concupiſcentia inflammatur; unde illis
difficilior eſt pugna, ad mentem D. Thomæ,
cujus hæc ſunt verba: Dicendum, quod in
,, continendo, ſecundùm aliquid, majorem
,, ſuſtinent pugnam virgines, & ſecundùm
,, aliquid viduæ, cæteris paribus. Virgines
,, enim concupiſcentia inflammat, & expe-
,, riendi deſiderium, quod ex quaſi quadam
,, curioſitate procedit, qua ſcilicet fit, ut
,, homo libentiùs videat, quæ nunquam vi-
,, dit; & etiam quandoque in eis concupiſ-
,, centiam auget æſtimatio majoris delecta-
,, tionis, quàm ſit ſecundùm veritatem: &
,, inconſideratio eorum incommodorum,
,, quæ delectationi hujuſmodi adjunguntur,
,, & quantum ad hoc viduæ minorem ſu-
,, tinent pugnam: majorem autem propter
,, delectationis memoriam.

95 Opponit deinde S.Doct. aliud argu-
mentum ex eo deſumptum, quod ſi virgini-
tati aureola debita eſſet, utique pro omni
tempore, & ætate ipſi deberetur; ettamen
non ita contigit ante legem Evangelicam.
Reſpondet tamen S.Doct. ,, Quod virgini-
,, tati non debetur aureola, niſi in quan-
,, tum addit quandam excellentiam ſuper
,, alios continentiæ gradûs. Si autem Adam *Solut. ad 3.*
,, non peccaſſet, virginitas nullam perfe-
,, ctionem ſupra continentiam conjugalem
,, habuiſſet, quia fuiſſent tunc honorabiles
,, nuptię, & thorus immaculatus, nullâ con-
,, cupiſcentiæ fœditate exiſtente: unde vir-
,, ginitas tunc ſervata non fuiſſet, nec ei
,, tunc aureola deberetur: ſed mutatâ hu- *Durante ſtatu innocétię, aureola virginibus non eſſet debita.*
,, manæ naturæ conditione, virginitas ſpe-
,, cialem decorem habet, & ideò ei ſpeciale
,, redditur præmium. Tempore etiam legis
,, Moyſi, quando cultus Dei per carnalem
,, actum propagandus erat, non erat om-
,, ninò laudabile, à comixtione carnis ab-
,, ſtinere. Unde nec tali propoſito ſpeciale
,, præmium redderetur, niſi ex divino pro-
,, ceſsiſſet inſtinctu, ut creditur de Hiere-
,, mia & Elia, quorum conjugia non le-
,, guntur.

96 Præterea, non poſſumus non vocare
in examen propoſitionem ex Gloſſa addu-
ctam à D.Thoma ſtabiliente, aureolam pro- *D. Thom. 3. p. q. 41. ar. 1. ad 3.*
priè dictam B.V.Mariæ concedendam. Aſſe-
rit enim: *Quod tentatio, quæ eſt à carne,
ſine peccato eſſe non poteſt.* Eandem doctri-
nam tradiderat jam Sanct.Doct. ut ſtatueret:
,, Chriſtum D. ab hoſte, non à carne ten-
,, tari voluiſſe. Dicendum (inquit) quod ſi-
,, cut Apoſtolus dicit: *Chriſtus in omnibus*
,, *tentari voluit abſque peccato.* Tentatio
,, autem, quæ eſt ab hoſte, poteſt eſſe ſine

,, peccato, quia fit per ſolam exteriorem
,, ſuggeſtionem. Tentatio autem, quæ eſt à
,, carne, non poteſt eſſe ſine peccato, quia
,, hujuſmodi tentatio fit per delectationem,
,, & concupiſcentiam. Et ſicut Auguſtinus
S. Aug. lib. 19. de Civit. Dei cap. 4.
,, dicit: *Nonnullum peccatum eſt, quando*
,, *caro concupiſcit adversùs ſpiritum.* Et ideò
,, Chriſtus tentari voluit ab hoſte, ſed non
,, à carne. Senſus autem propoſitionis ab
Angelico Doct. aſſumptæ, talis non eſt; ut
quælibet delectatio ſecundùm carnem ex ter-
minis ſit vel aliquale peccatum propriè di-
ctum: quis enim mentis compos hoc affir-
met, niſi naturam ipſam malam cum Ma-
nichęis dicat? Vel igitur nomine tentatio-
nis, quæ eſt à carne ſignificat D. Thomas,
non præciſam delectationem; ſed motum
carnalis concupiſcentiæ adverſus ſpiritum,
voluntate conſentiente; ſicque certum eſt,
tentationem illam non eſſe abſque peccato
propriè dicto; vel voluntate non conſen-
tiente; & tunc peccatum valet dici dumta-
xàt, quatenùs à peccato eſt, & in peccatum
Tentatio quæ eſt à carne, Chriſto D. repugnans, à B. Virg. procul fuit.
inclinat, ut definivit Tridentinum. Cum igi-
tur Chriſto D. motus ille concupiſcentiæ,
utroque modo repugnet quàm maximè:
quoque & tentatio quæ eſt à carne. Adno-
tat etiam Mag. Medina ibidem in Commen-
tario: Quod licet tentatio carnis in nobis
non ſemper eſſet peccatum, in Chriſto cer-
tè eſſet, nam in nobis non ſemper eſt fa-
cultas ad coercendam tentationem carnis,
Chriſtus verò ſemper potuit coercere, &
compeſcere, & ideò ſi non coerceret inſur-
D. Thom. 3. p. q. 27. art. 3.
gentem tentationem, ad peccatum ei impu-
taretur. Sicut ergo Doct. Ang. tentationem
carnis removet à Chriſto D. propter ſum-
mam appetitûs inferioris ad ſuperiorem ſub-
ordinationem, peccati fomite inde & ex aliis
capitibus repugnante: itá proportione ſer-
vatâ, tentationem carnis repellit à B. Virg.
Maria, peccati fomite, primùm ligato, tan-
dèm extincto.

ARTICULUS VIII.

*Virginitati ulterius commendatæ de-
bitum inter virtutes ordinem tri-
buens.*

97 HERE omnia virginitatis
elogia ex objecto, fine
& præmio dedimus hu-
cuſque, Thoma illo prę-
lucente, de quo erudi-
tus Labbęus meritò con-
cinit, quod *Angelus erat, antequam eſſet
Doctor Angelicus.* Verè inquam Angelicus,
qui virginali pollens mundicia: Angelorum
diſcipulus, & penè æmulus fuit. Cum igitur
ex abundantia cordis os loquatur, nun-
quam Doctor ille caſtiſsimo, & mundo cor-
de donatus finem fecit virginitatem laudi-
bus extollendi: earum tamen ex Scriptura *D. Thom. lect. 5. in cap. 7. Primę ad Corinth.*
& PP. derivatum compendium, ab ipſo au-
diamus. ,, Notandum eſt hìc, quòd ſancta
,, virginitas magnum bonum eſt propter
,, multa. Primò, quia carnis munditiam con-
,, ſervat, Apocalyp. 14. *Hi ſunt, qui cum*
,, *mulieribus non ſunt coinquinati: virgines*
,, *enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocum-*
,, *que ierit*: Sicut bonum eſt ſal, quia con-
,, ſervat carnem à corruptione. Secundò,
,, quia animam decorat & ornat. Unde fre-
,, quenter in Scriptura jungitur *Virgo pul-*
,, *chra*: Sapient. 4. *O quam pulchra eſt caſta*
,, *generatio cum claritate.* Cantic. 4. *Tota*
,, *pulchra es amica mea.* (Inde Ambroſius
,, lib. de virginit. apud D. Thomam ajebat: *In 4. diſt. 33. q. 3. ar. 3.*
,, *Pulchritudinem quis poteſt majorem æſti-*
,, *mare decore virginis, quæ amatur à Rege,*
,, *probatur à Judice, dedicatur Domino,*
,, *conſecratur Deo; ſemper ſponſa, ſemper*
,, *innupta, ut nec amor finem habeat, nec*
,, *damnum pudor? Hæc autem perfectè vera*
,, *pulchritudo eſt, quæ ſola meretur audire* *Plura virginitatis bona recenſentur.*
,, *à Domino, tota formoſa es.*) Tertiò, quia
,, Angelis Cęli aſsimilatur (de quo ſupra.)
,, Quartò, quia Chriſto deſpenſat; 2. Corinth.
,, 11. *Deſpondi enim vos uni viro, virgi-*
,, *nem caſtam exhibere Chriſto.* Quintò, quia
,, jungit & approximat Deo: Pſalm. 44. *Ad-*
,, *ducentur Regi virgines poſt eam.* Sap. 6.
,, *Incorruptio facit proximum Deo.* Hierem.
,, 3. *Dux virginitatis meæ tu es.* Sextò, quia
,, cęteris ſtatibus prędonderat. Eccleſiaſt.
,, 26. *Non eſt digna ponderatio animę con-*
,, *tinentis.*

98 ,, Septimò, quia odorem bonę famæ
,, ſpirat: Lucę 1. dicitur: *Et nomen virgi-*
,, *nis Mariæ.* Cantic. 2. *Sicut lilium inter*
,, *ſpinas, ſic amica mea inter filias* (Jeruſa-
,, lem.) Sicut lilium inter ſpinas eſt: & ta-
,, men florere, & gratum odorem ex ſe emit-
,, tere non ceſſat, exponit ibidem D. Tho-
,, mas. Octavò, quia ad nuptias æternas
,, invitat. Matth. 25. *Quæ paratæ erant, in-*
,, *traverunt eum eo ad nuptias.* Hæc omnia S.
Laurentius Juſtinianus meditans, ſic in lau- *S. Laurentius Juſtin. in ſerm. S. Joan. Evang.*
dem virginitatis, ex laudato Joannis ora-
culo loquitur: *Erit profectò glorioſus in
Cęlo, & ſtolâ induetur candidâ, qui proprii
corporis hominis ſui reſecuerit motus. Illos
namque comitabitur, de quibus in Apocalypſi
ſic legitur: Nemo poterat dicere canticum il-
lud, niſi illa centum quadraginta quatuor
millia, qui empti ſunt de terra.* Nam re-
velante Angelo, *ii ſunt, qui cum mulieri-
bus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt,
& ſequuntur Agnum quocunque ierit. Mag-
num utiquè privilegium eſt dulcis modula-
tionis carnem promere: atque quocunque
ierit, imitari Chriſtum, quod non, niſi men-
te, & corpore virginibus prærogatur. Rara
virtus hæc eſt, carnis ſuperare naturam, at-
que libidinum incendia cobibere.* Tòt virgi-
nitatis producta enconia, eam videntur ele-
vare ad ſupremum inter virtutes locum. Ve-
rumtamèn Angelicus Doct. ad ſobrietatem
in omnibus ſapiens, etſi virginitatis amore

flagrans, debitum ipſi, perfectionis gradum, theologicâ ad pondus ſanctuarii menſurâ deſignat.

D. Thom. 2. 2. q. 152. ar. 5. in corp.

99 Aſſerendum eſt: virginitatem per ſe & ſimpliciter, non eſſe inter virtutes excellentiſsimam, inquàm abſolutè & ſimpliciter: quia ut habet D. Thomas: Aliquid poteſt dici excellentiſsimum dupliciter. ,, Uno modo, in aliquo genere, & ſic virginitas eſt ,, excellentiſsima, ſcilicet in genere caſtitatis. Tranſcendit enim, & caſtitatem vidualem & conjugalem. Sivè ut paulò aliter docet in Sententiariis: ,, Una virtus & ,, quantum ad actum, & quantum ad habitum poteſt dici excellentior aliâ dupliciter: ſcilicet per ſe, & per accidens. Per ,, ſe quidem menſuratur actus virtutum (& ,, conſequenter habitus) ex ratione objecti ,, ſui, ex quo ſpeciem habent. Sed per accidens, ex parte ſubjecti; & hoc plurimis de cauſis. Et poſtquam ſtatuit virtutes theologicas excellentiores eſſe virtutibus moralibus, & ex moralibus eam eſſe meliorem per ſe loquendo, quæ ad theologicas magis propinquat, ſubjungit poſtea. ,, Quod ſi propinquitas virtutis moralis ad intellectuales & theologicas attenditur, proùt diſponit ad ipſas; ſic inter omnes morales propinquiſsima eſt temperantia: quia per delectationes, quæ ſunt ejus materia; maximè nata eſt ratio hebetari: & inter partes temperantiæ, præcipuè caſtitas: quia ,, in delectationibus circa quas eſt, ratio ,, totaliter obruitur :: Et in genere caſtitatis, ,, præcipuè virginitas. Sic ergo dicendum ,, eſt, quòd virginitas non eſt dignior omnibus aliis virtutibus; ſed eſt dignior aliquo modo omnibus virtutibus moralibus; ,, & ſimpliciter, & per ſe loquendo, omnibus ſpeciebus temperantiæ.

In 4. diſt. 33. q. 3. ar. 3. in corp.

Virginitas nõ eſt ſimpliciter maxima virtutum.

Exceditur à virtutib. Theologicis, & Religione, Martyrio, & Humilitate.

100 Propoſitam aſſertionem à priori oſtendit Doctor Angelicus (comparativè ad theologicas virtutes, & ad virtutem religionis conſequenter) ex objecto & fine. Ex primò capite, ſic arguit in loco Sentent. ,, Bonum ſpirituale nobilius eſt, & melius ,, quàm bonum corporis, ſicque virtutes, ,, quæ habent pro objecto bonum ſpirituale, ſunt ſimpliciter meliores, quàm illæ, ,, quæ habent aliquod bonum corporale, ,, vel corporali adjunctum: Ergo virtutes theologicæ ſunt digniores, quàm virtutes morales, quibus certè annumeratur virtus virginitatis. Ex ſecundò capite, ita theologizat S. Doct. in Summa Theologica: ,, Semper enim finis excellit id, quod eſt ad ,, finem; & quantò aliquid efficaciùs ordinatur ad finem, tantò melius eſt; ſed finis, ex quo virginitas laudabilis redditur, ,, eſt vacare rebus divinis, ut dictum eſt: ,, ergo ipſę virtutes theologicæ, & etiam virtus religionis, quarum actus eſt ipſa occupatio circa res divinas, præferuntur virginitati. Pręterea ex ordinatione ad finem, virginitati præferendum eſſe martyrium, & ſtatum Monaſticum, demonſtrat his verbis: ,, Similiter etiam vehementiùs operatur ad hoc, quod inhęreant Deo Martyres, qui ad hoc poſtponunt propriam vitam, & viventes in Monaſteriis, qui ad ,, hoc poſtponunt propriam voluntatem & ,, omnia, quæ poſſunt habere, quàm virgines, quæ ad hoc poſtponunt veneream ,, voluptatem; & ideò (concludit) virginitas non ſimpliciter eſt maxima virtutum.

In corp.

S. Auguſt. lib. de virgini. cap. 46.

101 Stabilitum exceſſum, proximè indicatum, ex Auguſtino derivat Doctor Angelicus, cujus verba illa adducit: *Nemo quantum puto, auſus fuerit virginitatem præferre Monaſterio.* Et rurſùs: *Præclariſsimum teſtimonium perhibet Eccleſiaſtica auctoritas, in qua fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad Altaris ſacramenta recitentur.* Eodem ferè pacto, Bernardum adducit D. Thomas, affirmantem: *Quòd plus placuit Deo humilitas Marię, quam ejus virginitas.* Subjungens deindè in loco Sententiarum: ,, Dicendum, quod humilitas videtur virtutibus propinquiſsima eſſe; quia per ,, eam homo ſe ex reverentiâ Deo ſubjicit; & per conſequens, aliis propter ,, Deum: & ideò ſimpliciter loquendo, virginitatem humilitas excedit. Nec obeſt, quòd Cyprianus aliàs laudatus, virgines dicat eſſe: florem Eccleſiaſtici germinis, decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, & illuſtriorem portionem gregis Chriſti. Quia verba iſta, ſpecialem pulchritudinem, poſtea explicandam, virginitati attribunt; non exceſſum ſimpliciter. ,, Vel dicendum (ſubjungit D. Thomas) quod virgines habent ,, cum virginitate alias virtutes. Alii autem ,, non habent virginitatem cum aliis virtutibus, & ideò non eſt eadem ratio ,, comparandi virginitatem cum aliis virtutibus, & virgines aliis omnibus. Niſi dicatur cum eodem Sanct. Doctore in Summa Theologica: Quod virgines ſunt illuſtrior portio gregis Chriſti, & eſt earum ſublimior gloria, per comparationem ad viduas, & conjugatas.

Cap. 45.

S. Bernardus homil. 1. ſuper Miſſus eſt.

Solut. ad 6.

Solut. ad 2.

Solut. ad 1.

OBJECTA DISSOLUTA.

102 Objecta ſi quę remanent diſſolvenda, ex jam ſtabilitis in favorem virginitatis encomiis erui poſſunt. Ex præmio ſiquidem virtuti correſpondente, ejus excellentia dignoſcitur: ſi ergo virginitati maximum debetur præmium, nempè fructus centeſimus, maxima inter virtutes dicenda erit, cui etiam aureola in Cęlis reſpondet, aliis virtutibus non concedenda. Prætereâ de ratione virtutis eſt decor & pulchritudo: cum igitur maximum decorem & excellentiſsimam pulchritudinem virginitati aſſertam dedimus cum Ambroſio; & virginitatem per conſequens, maximam prædicare debemus virtutem. Poſtremò objicit Div. Thomas: Tantò aliqua virtus eſt major, quantò per eam aliquis Chriſto magis conformatur, Deoque conjungitur & appropinquatur; ſed maximè aliquis conformatur Chriſto, & propinquiſsimè Deo conjungitur per virginitatem, ratione cujus virgines *ſequuntur Agnum quocumque ierit*: Imò ibidèm in Apocalypſi ſubjungitur: *Et nemo poterat dicere canticum illud, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt*: ergo virginitas eſt maxima virtutum.

Apocalyp. 14. à v. 3.

103 Verumtamen quod priori loco objicitur, ex dictis circa fructum virginitati correſpondentem, nullo negotio diſſolvitur, ſi dicamus præmium illud virginitati correſpondere propter excellentiam, quam dicit ſupra viduitatem & ſtatum conjugalem. ,, Unde ex hoc non ſequitur (inquit Div. ,, Thomas) quod virginitas ſit ſimpliciter ,, maxima virtutum omnium, ſed ſolum in ,, aliis gradibus caſtitatis. Vel ſecundò reſpondetur: excellentiam virtutis non ex præmio accidentali; ſed eſſentiali deſumendam eſſe: aureola autem, & fructus quo ad præſens attinet, inter accidentalia præmia reponuntur à Div. Thoma in loco Sententiarum, ita objectionem diſſolvente. ,, Ad tertium dicendum, quod aureola eſt præmium accidentale, & fructus ſimiliter. ,, Præmium autem eſſentiale eſt digniùs accidentali, ideò ſimpliciter loquendo, illæ ,, virtutes ſunt potiores, quibus majus præmium eſſentiale debetur: præmium autem ,, accidentale, non tàm reſpicit virtutis radicem, quàm ſtatum virtutis. Et prætereà, aureola non ſolum virginibus debetur, ſed & Martyribus, & Doctoribus: ,, fructus autem ſoli continentiæ debetur, ,, in qua ſummum locum tenet virginitas, ,, quia per continentiam reprimuntur illæ ,, delectationes, quæ maximè guſtum ſpiritualis dulcedinis impediunt, quem fructus ,, ſuo nomine importat.

D. Thom. art. 5. ut ſupra. Solut. ad 2.

Solut. ad 3.

Excellentia virtutum non ex præmio accidentali eſt diguoſcenda.

104 Propter eandem ferè rationem pulchritudo per anthonomaſiam virginitati tribuitur, tribuitur & decor, ut inde major virtus dicatur non ſimpliciter, ſed ſolum in genere caſtitatis ſeù temperantiæ, cui proprium eſt decorem ſpeciali ratione tribuere animæ. Ut enim loquitur D. Thomas in loco Sentent. ,, Delectationes circa quas eſt temperantia, ſunt turpiſsimæ ut in 7. Ethicor. ,, patet, eò quòd ſunt in communibus nobis, & brutis; unde temperantia quæ has ,, cohibet præcipuè vendicat ſibi pulchritudinem communem omnibus virtutibus, ,, ſicut fortitudo vendicat ſibi difficultatem, ,, juſtitia rectitudinem; & propter hoc virginitas, quæ eſt ſummus temperantiæ gradus, ſummam decoris ſibi vendicat, non ,, tamen ſequitur, quod ſit digniſsima virtus. Ad ultimum objectum reſpondetur juxta ſcholæ methodum explicando propoſitionem aſſumptam, quæ verum habet de majori conformitate & approximatione quaſi extenſiva, & quantum ad plura capita: ſecùs autem intenſiva, quæ deſumitur ex majori perfectione ſpecifica virtutum. Sivè ut paucis verbis dicamus: Virginitas ſecundùm plura non autem plus ſimpliciter facit Deo conformari & approximari. ,, Virgines (inquit Div Thomas in Summa Theologica) ,, *ſequuntur Agnum quocumque ierit*; quia ,, imitantur Chriſtum, non ſolum in integritate mentis, ſed etiam integritate carnis, ut Auguſtinus dicit. Et ideò in pluribus ſequuntur Agnum: non tamen oportet, quod magis in propinquo, quia alię ,, virtutes faciunt propinquiùs inhærere Deo ,, per imitationem mentis. Explicatiùs adhuc loquitur in Sententiariis: ,, Dicendum ,, (inquiens) quòd incorruptio facit eſſe proximum Deo, in quem corruptio non cadit ,, per quandam ſimilitudinem imitationis: ,, & quia Deo magis poſſumus eſſe ſimiles ,, mente, quàm carne; ideò incorruptio mentis, quæ omni peccato opponitur, & per ,, omnem virtutem eſt, facit Deo eſſe proximum: ſed virginitas habet utramque incorruptionem; & ideò, quantum ad plura ,, facit Deo ſimilem, ſcilicet in corpore & ,, anima, ratione cujus dicitur, quòd ſequi- ,, Agnum quocumque ierit :: Nec tamen ſequitur, quòd magis facit virginitas Deo ,, proximum, quàm omnes virtutes; ſed ſecundùm plura.

Decor & pulchritudo virginib. per anthonomaſiam tribuitur

Solut. ad 1.

Solut. ad 3.

D. Auguſt. lib. de virgin. c. 27.

Solut. ad 4.

Virginitas quã tum ad plura facit Deo aſsimilari.

105 Nec tandem aſſertæ veritati adverſantur, ulteriora ex Apocalypſi memorata verba, quibus canticum illud novum ſolis virginibus decantandum dicitur. Quia ut habet Div. Thomas adductâ ſolutione ad tertium: ,, Canticum autem novum, quod ſolę virgines cantant, eſt gaudium, quòd ,, habent de integritate carnis ſervata. Huc uſque cum Angelico Doctore, ſcholę principem agente virginitatem ad ſobrietatem commendavimus: nec injucundum erit lectoribus puritati addictis eundem audire Thomam virginali munditiâ Angelum, angelicâ perſpicaciâ laudatum ex Apocalypſi oraculum latiori calamo exponentem. Si enim in viſione illa oſtenſus fuit Joanni virginum ſtatûs; quia virgo fuit, ut benè notat Angelicus Thomas: liceat nobis dicere de noſtro Thoma, ei oſtenſum fuiſſe reconditum viſionis & oraculi ſenſum: quia virginitate ad miraculum enituit. *Et vidi* (loquitur Joannes) *& ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.* (exponit Thomas) *Et vidi*, aſpectu in- ,, terno. *Et ecce*, notat præſentiam & certi- ,, tudinem viſionis: *Agnus*, ideſt, Chriſtus ad ,, modum Agni pro nobis immolatus. *Stabat*, ,, id eſt, ut adjuvans: ſtare enim juvantis eſt. ,, *Supra montem Sion*, id eſt Eccleſiam, quæ ,, mons eſt propter virtutis ſublimitatem; ,, mons autem Sion, propter contemplationis ,, ſpeculationem. *Et cum eo*: hic agitur de familia Agni, & ſenſus eſt: Cum Agno erant, ,, id eſt, cum Chriſto ſunt per conformitatem ,, imitationis, & per adhærentiam dilectionis. ,, *Centum quadraginta quatuor millia*: id eſt, ,, virgines in integritate plenâ deſudantes, in ,, pœnitentia ferventes, ad documenta Evangelica perfecti in perſeverantia. Hic enim ,, agitur de familia Agni, quantum ad quędam

D. Thomas Cõment. in ca. 14. Apocalyp. quibuſdam verbis omiſsis.

Qualiter virgines Agnũ ſequentes, canticum novum in Cælis ſoli decantent.

,, dam nobiliſsima membra Eccleſiæ, ſcilicèt
,, virgines, quæ cum virginitate habent fer-
,, vorem ad Deum. Nota ergo, quod per
,, centum ſignatur integritas perfectæ virgi-
,, nitatis: quia fructus centeſimus eſt perfe-
,, ctio ſtatùs virginum. Numerus quadrage-
,, narius ſignificat fervidam pœnitentiam.
,, Licet autem virgines ſanctam virginita-
,, tem ſervent, tamen propter aliqua venia-
,, lia, pœnitentiam agunt. Per quaternarium
,, ſignatur evangelica doctrina, quàm atten-
,, tè obſervant. Per millenarium autem, qui
,, eſt numerus completiſsimus, ſignificatur
,, perfectio perſeverantiæ, quæ omnia prędi-
,, cta perficit. Notandum autèm, quod licèt
,, ſupra, nempè cap. 7. numerus iſte ſignifi-
,, cet omnes fideles ſub tempore gratiæ, ſi-
,, cut vult ibi Gloſſa: tamen hic ſignificat
,, ſanctos virgines in utroque ſexu, ut patet
,, ex Gloſſa, & ex littera ſequenti; hoc etiam
dicit Gregorius ſuper hunc locum.
,, 106 *Et cantabant*: hic oſtenditur qua-
,, litas jucunditatis virginum. Et cantabant,
,, id eſt ſacri, & ſacræ virgines cantant: *Qua-*
,, *ſi canticum novum*; id eſt de integritate
,, corporis & animæ exultant, quæ exultatio
,, eſt comparabilis cantico exteriori novo.
,, Hæc autem jucunditas in via imperfecta
,, eſt, ſimiliter, & novitas: In patria verò
,, jucunditas erit canticum novum perfe-
,, ctum: quia ſpecialem gloriam honoris &
,, gaudii in patria obtinebunt præ aliis; qua
,, ratione Iſidorus dixit: *Virgines in vita*
,, *æterna fęliciores erunt*, conformiter æd il-
,, lud Iſaiæ, jam pro noſtra aſſertione ſtabi- *S. Iſidor. lib. de Summo bono.*
,, lienda laudatum: *Dabo eis meliùs nomen,*
,, *&c. Ante ſedem*: id eſt ante Angelos in
,, quibus Deus ſedet, quibus ſe per virgini-
,, tatem conformant, & quorum ſocietatem
,, expectant. Vel in præſentia Angelorum:
,, tùm quia Angeli aſsiſtunt maximè ſanctis
,, virginibus, & eos cuſtodiunt; undè cum
,, virgines gaudent de flore virgineo, & quòd
,, tàm nobiliter adhærent Chriſto, ſic gaude-
,, re eſt ante Angelos, qui eos cuſtodiunt,
,, cantare. Tùm quia gaudentes de tàm no-
,, bili ſtatu, cogitant ſe Angelis ſociandos;
,, & ſic in interna jucunditate & conſidera-
,, tione quaſi ante Angelos cantant. *Et nemo*,
,, id eſt nullus homo in utroque ſexu. *Pote-*
,, *rat*, ideſt poteſt. *Dicere canticum*, id eſt
,, illam mentis jucunditatem habere. Gau-
,, dere enim in Domino cantare eſt Coloſſen.
,, 3. In gratia cantantes in cordibus veſtris
,, Deo. *Niſi illa centum quadraginta quatuor*
,, *millia*, id eſt virgines perfecti pudicitiâ,
,, deſudantęs in pœnitentia, ferventes in ſan-
,, ctitate evangelica, ſtabiles perſeverantiâ,
,, ſivè perfecti charitate intimâ, ut ſuprà ex-
,, poſitum eſt, quaſi dicat, ſoli virgines, qui,
,, cum virginitate habent vitæ perfectionem,
,, habent pręrogativam hujus gaudii præcel-
,, lentis de integritate corporis & mentis.
,, Gloria autem hujus gaudii inchoatur hic,
,, in futuro autem perficietur, quando vir-
,, ginitatis aureolam obtinebunt: pro præſen-
,, ti autem videtur hic loqui principaliter,
,, licèt hoc perfectiùs in patria compleatur.
,, Auguſtinus in libro de ſancta virginitate.
,, Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt
,, eadem non virginum Chriſti. Nam ſunt
,, aliis alia, ſed nullis talia. Ex his patet,
,, quòd in via, & maximè in patria ha-
,, bent virgines ſpecialem gaudii prærroga-
,, tivam.
,, 107 Hi, ſcilicet, virgines *ſequuntur*
,, per imitationem *Agnum*, id eſt Chriſtum,
,, pium, innocentem, & pro hominibus victi-
,, matum. *Quocumque ierit*, ideſt quocum-
,, que ambulaverit per virtutem exempli, li-
,, cèt enim nunc Agnus non ambulet in acti-
,, bus quos egit in carne mortali, tamen
,, ambulat quantum ad virtutem exempli.
,, Exempla enim, quæ olim exhibuit ipſo
,, actu, nunc oſtendit fidelibus per fidem, per
,, ſcripturam, per gratiam, per affectum imi-
,, tandi, quem eis præbet, & ſic quaſi ambu-
,, lat ante fideles, ut ipſum ſequantur per
,, imitationem. Ipſum autem quocumque am-
,, bulet, per virtutem exempli, ſequuntur
,, virgines. Imitantur enim ipſum in acti-
,, bus omnium virtutum, ut in charitate ad
,, Deum, & proximum, in pietate, pruden-
,, tiâ, fortitudine, juſtitiâ, in contemptu
,, mundanorum, quæ relinquunt, vel ſecun-
,, dùm rem, ut viri religioſi, vel ſecundùm
,, affectum. Item in carnis mortificatione, &
,, ſic quaſi quandam mortem, ſivè martyrium
,, ſuſtinent. Item, ſequuntur eum itinere vir-
,, ginali, per quod ambulavit Chriſtus. In
,, aliis etiam ipſum ſequuntur, ſecundùm
,, quòd congruit humanæ infirmitati. Et no-
,, tándum, quod in aliis poſſunt eum ſequi
,, alii etiam conjugati, præter excellentiam
,, virginalem in qua ſoli virgines eum ſe-
,, quuntur, & ideò ipſi ſoli eum ſequuntur
,, quocunque ierit, unde Auguſtinus in li-
,, bro de ſancta virginitate. Ecce ille Agnus
,, graditur in itinere virginali: vos ergo
,, vos ite poſt eum virgines ejus; quia prop-
,, ter hoc unum quocunque ierit ſequimini
,, eum. Hæc ad litteram D. Thomas,
omiſsis pluribus aliis
verbis.

DIS-

DISSERTATIO I.

MILLENARIORUM PHANTASTICA PLACITA Proterens.

1 GRAVOSUM tibi apparebit lector, & ferè in crimen vertes, eò quia, modernos Pſeudomiſticos debellaturus, ab antiquioribus rejiciendis erroribus initium in hac lucubratione ducam: ſed priùſquam cenſoriam virgam flectas, ſcias velim: ſpurios illos aſceras in Michaële Molinos proſcriptos, inter alia motiva, ideò fuiſſe; quia antiquiores hæreſes, (de quibus in hac parte agendum præſertim inſtituo) ex orco ſuſcitarunt. Quid ergo mirum ſi poſt productas hiſtoricè præcedentium ſęculorum venenatas doctrinas, quas novis, & ementitis pietatis caloribus, ebibendas incautis tradiderunt falſi nominis myſtici tractatores, myſticam Theologiam ad prava ſua deſideria detorquentes: à deturbandis perniciosis illis dogmatibus exordium ſumat, noſtra elucubratio. Igitur Evangelicum ſemen Apoſtoli dùm ſeminarunt, divino ſpiritu pleni; mirum eſt quàm uberes dederit fructus ab ipſis jam Chriſtianæ Eccleſiæ primordiis. Dùm enim in Judęa primùm; deindè in Samarìa quàm maximè irradiaſſet Evangelii lux, multâ turbâ obediente fidei: & à pluribus ex oppoſito verbum Evangelii repulſum fuerit; ad Gentiles inſtruendos converſi fuerunt Apoſtoli. Diverſas regiones ex gentibus perluſtrantes illis fęlix occurrit Antiochia, velut ager, Evangelii ſemine ſparſo, copioſiſsimos proferens fructûs: fortunatum verè ſolum, in quo ſacrum ſolium ſtatuit primùm Apoſtolorum Princeps: Ibidèm etiam Chriſti diſcipuli Chriſtiani primùm cognominati fuere, ut Lucas Evangeliſta memorat: atque Paulo & Barnaba prædicantibus, mirum eſt quantum gratiâ Dei effulſerit, Chriſtique fides incrementum ſumpſerit. Verumtamen, ubi proffuſâ gratiâ, divinum abundaverat lectiſsimum ſemen, ſtatim inimicus homo ſuperſeminavit errorum zizania: *Surrexerunt namque quidam de hæreſi Phariſeorum, qui crediderunt dicentes: quia oportet circumcidi eos, præciperè quoque ſervare legem Moyſi ::: Et quidam deſcendentes de Judæa, docebant fratres: quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Iminebat inter impios illos dogmatiſtas, Cerinthus, natione Judęus, circumciſionem, aliaque legalia ſimul cum lege Evangelica ad ſalutem conſequendam obſervanda effutiens; factâ inde non minimâ ſedicione, ex adverſo docentibus Paulo & Barnaba. Sed tandem in conſilium convenientes Apoſtoli & ſeniores apud Jeroſolymorum urbem: ſedatâ turbatione ſtatutum pronunciarunt, à jugo Moſaycæ legis, Chriſti diſcipulos, tamquam in libertatem Evangelicæ legis vocatos, liberos permanſiſſe. Verumtamèn nova errorum mollimina commentus fuit Cerinthus, conficto illo mille annorum regno, in quo juſti effucisſimis corporearum voluptatum libidinibus, cum Chriſto in terris regnaturi introducebantur. Addidit etiam, tunc temporis glorioſè inſtaurandum eſſe Jeroſolymitanum templum, reſtituendam ad priſtinum vigorem legem Moyſis, judaicamque religionem cum ſuis legalibus & cęremonialibus præceptis.

Ab antiquioribus diſsipandis hæreſibus, meritò exordium ſumit inſtituta lucubratio.

Actor. 11. v. 26.

Millenariorũ memoratur origo & error.

Actor. 15. v. 5.

V. 1.

2 Cerinthus itaque Judæorum more totus carnalis, mente verſans antiquas promiſsiones Iſraëlitis cęlitus datas apud Iſaìam præcipuè cap. 35. non ad ſpiritum vivificantem, ſed ad litteram occidentem digeſtas; additis etiam quibuſdam oraculis ex Apocalypſi in pravum ſenſum detortis, indicatum conſarcinavit errorem. Effutiit namque: Chriſtum Dominum mille ante Judicium generale annis, in terram deſcenſurum, ut ſimul cum juſtis ad vitam revocandis, deliciiſque omnigenis affluentibus, toto illo regnet tempore: quouſque ſoluto Sathana in Antichriſti perſequutione, mundoque ad interitum dato, & impiis hominibus ad vitam reſurgentibus, generale exerceat Chriſtus judicium. Tale, inquam eſt regnum illud à Cerintho, & ſequacibus malè conſarcinatum, erroribus, imò & deliciis ſcatens: longè diverſum ab illo, quod aliqui ex Patribus admiſerunt, millenarii, ſeu Chiliaſtæ inde dicti; prout in apparatu indicavimus n. 2. Quantum enim attinet ad inſtauranda cęremonialia in ſuo aſſerto Chriſti Domini cum juſtis terreno regno per mille annos, nec verbum habent Patres illi teſte S. Irenęo, rem copioſiùs referente: imò, oppoſitum oſtendunt oracula ex Apocalypſi, quibus nitebantur pro ſuâ opinione ſtabiliendâ. Præterea, nihil de eo mille annorum regno docuerunt, nec cogitarunt quidem, niſi ſanctum & honeſtiſsimum: ultrò profitentes, omnes delicias corporeas regno illi tributas, juſtas, honeſtas, & modeſtas fore; ſicut Sanctum populum decet. Quapropter, licèt Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, aliqui PP. validiſsimè opinionem iſtam propulſaverint; adeò, ut vix poſt quintum Eccleſiæ ſæculum habuerit Patronum, ut refert Theodoretus: tamèn, erroris notam PP. illis nunquam impoſuere, neque eorum opinionem erroneam aut hæ-

Theodoret. lib. 4. hæretic. fabular. cap. 8.

re-

reticam illis ſeculis judicarunt, ut de S. Hieronymo memoravimus n. 3. Undè non credimus Ludovico Vives aſſerenti: Hieronymum & Auguſtinum non idcircò cenſuram ſuam temperaſſe, quod non putarent, eam opinionem non eſſe reverà erroris damnandam: ſed ſolum ut oſtenderent à magnis viris, non eſſe niſi cum modeſtia diſſentiendum. Quidquid autem fuerit de antiqua Chiliaſtarum opinione; in errorem nunc rejiciendum tranſiit novâ, ex SS. Patribus & Theologis in dies affulgente luce. Jam igitur ad memoratos errores diſsipandos accingimur: oſtendentes primùm; antiquam legem cum honore (per Chriſti Domini mortem) ſepultam; ulterius non eſſe revocandam in priſtinum vigorem & vitam: quinimò ſaltem poſt promulgatum Evangelium, mortiferam perpetuò credendam eſſe. Cumque, deindè terrenum illud regnum ad fabulas & deliria pertinere firmabimus, promiſſam ad finem ſeculorum veram ſpiritûs felicitatem judeis, detegere tentabimus.

Ludovicus Vives in lib. 20. Auguſt. de Civit. Dei, cap. 7.

ARTICULUS I.

Ceremonialia Moſaycæ legis, velut umbræ per Evangelii lucem depulſæ, oſtenduntur.

3 IMPRIMIS aſſerendum eſt obligationem obſervandi legalia & ceremonialia antiquæ legis præcepta, Chriſto Domino in Cruce expirante, expiraſſe. Conſultò dicimus *Chriſto expirante*: quia ut benè D. Thomas monet: myſterium humanæ redemptionis per antiquas figuratum ceremonias legaleſque obſervantias: non niſi completâ Chriſti paſsione completum fuit: quamobrem Chriſto Domino prædicante & miracula faciente, amicabili adhuc fædere lex, & Evangelium currebant, incohato, ſed nondùm conſummato myſterio: & propter hoc mandavit Chriſtus Dominus ante paſsionem leproſo ad mundiciem reſtituto, ut legales ceremonias obſervaret. Verumtamen dùm Chriſtus Dominus tamquam novus & in æternum Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſe ipſum obtulit in Ara Crucis: antiquæ figuræ in veritatem comearunt Evangelii: umbræ in lucem: obſcura ſymbola in apertum prodierunt; egena & vacua elementa in gratiæ celeſtis ſcaturientes fontes: quia ut efficaciter arguit edoctus in celo Theologus: *Tranſlato Sacerdotio, neceſsè eſt, ut legis tranſlatio fiat.* ,, Et meritò quidem (arguit D. Thomas) erat enim lex ſub adminiſtratione Sacerdotii: ergo mutato Sacerdotio neceſsè eſt, quòd lex mutaretur. Et hujùs ratio eſt: quia mutato fine, neceſsè eſt, quòd mutentur ea, quæ ſunt ad finem, ſicut qui mutat propoſitum eundi per aquam, mutat propoſitum quærendi navem: omnis autem lex ordinatur ad converſationem humanam ſecundùm aliquod regimen: Unde ſecundùm Philoſophum in politicis: Mutatâ converſatione neceſsè eſt mutari legem: ſicut autem lex humana ordinatur ad regimen humanum, ita ſpiritualis & divina ordinatur ad regimen divinum: Hoc autem regimen deſignatur per Sacerdotium: Tranſlato ergo Sacerdotio, neceſsè eſt tranferri legem. Signanter autem loquitur; quia non dicit Sacerdote tranſlato: lex enim non reſpicit perſonam Sacerdotis. Unde mortuo Sacerdote, non mutatur lex; niſi fortè ſit illa introducta propter perſonam ejus: ſed mutato Sacerdotio mutatur totus modus & ordo regiminis: Et de iſta mutatione habetur Jerem. 3. *Feriam domui Iſrael, & domui Judà fedus novum, non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus veſtris, &c.* Romanorum 8. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis.* Lex enim vetus dicitur lex peccati & mortis, per occaſionem acceptam: quia ſcilicet gratiam non conferebat ex opere operato: ſicut Sacramenta Novæ legis.

D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 3. ad 2.

Legalium obſervandorum obligatio, expirante Chriſto D. expiravit.

Hebræorum 7. D. Thom. ibid. lect. 3.

4 Sed quid prohibet, ex multis aliis pauca hic ſubjungere, breviterque indicare Apoſtoli argumenta in oſtenſionem aſſertæ veritatis; quæque Doct. Angelicus, pro more, validè expendit? Imprimis enim conſtat: quòd adveniente luce deficit umbra: ſicut veniente veritate, ceſſat figura; & cum venerit quod perfectum eſt, evacuatur quod imperfectum eſt; ſed umbram habebat lex antiqua futurorum bonorum, quibus novum abundat Teſtamentum; valdeque imperfecta erat comparativè ad Evangelii legem, in qua apertè revelantur myſteria antiquis figuris obvoluta; Neceſſum eſt ergo, ut adveniente lege evangelicâ, totaliter ceſſarent antiquæ legis ceremonialia & legalia præcepta: *In cujus ſignum* (inquit D. Thomas) *in paſſione Chriſti, velum templi legitur eſſe ſciſſum.* Aliam, deinde rationem ex imperfectione eorum, quibus data fuit lex antiqua, Apoſtolus Paulus deducit; quamque ſimul cum duplici jam indicata, ita expendit Doct. Angelicus: ,, Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quòd triplex erat præcipua ratio ceſſationis legalium. Una eſt: quia lex inſtituta fuit ad ſignificandum gratiam novi Teſtamenti, quæ per Chriſtum facta eſt: & ideò veniente Chriſto, ceſſare debuerunt, ſicut veniente corpore, ceſſat umbra: & hanc cauſam tangit Apoſtolus Heb. 10. *Umbram habens lex futurorum, &c.* Alia ratio eſt ex imperfectione; quia in legalibus, gratia non conferebatur, quantum oportebat in

Argumenta ex Apoſtolo indicata.

1. Corinth. 13. Ad Hebræos 10. Ad Coloſſen. 2.

D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 3. ad 2. Matth. 27. v. 51.

D. Thom. in 4. diſt. 1. q. 2. art. 5. q. 2.

in novo Teſtamento dari. Sicut enim virtus naturalis rei naturali proportionatur, ita virtus Sacramentalis Sacramento: Unde oportuit alia Sacramenta inſtitui, in quibus amplior gratia conferretur; & hanc cauſam tangit Apoſtolus Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatẽ ejus & inutilitatem.* Tertia accipitur ex parte eorum, quibus lex data eſt, qui erant parvuli, ideò erant, paulatim à priſtina conſuetudine idololatriæ abſtrahendi, ut ſic eis concederetur eadem Deo offerre, quæ prius idolis obtulerunt, vel offerri viderant, ſicut Rabbi Moyſes dicit: ſed poſtmodum, quando ad perfectam ætatem humanum genus pervenit, debuit ab his obſervantiis liber eſſe; & hanc cauſam tangit Apoſtolus Gal. 3. & 4. & Petrus Act. 15. oſtendens: illa legalia in onus populo rudi impoſita eſſe.

5 Indè in argumento ſed contra, ita arguit Sanct. Doct. Apoſtolorum Princeps, in loco proximè adducto docet, quòd per gratiam Chriſti ſalvamur lege novâ, ſine onere legis; undè hoc jugum non eſt fidelibus imponendum; ſed onus prædictum eſt obſervatio ceremonialium: ergo ad ea ſervanda non tenemur. Deindè in corpore articuli ulteriùs expendit Sanct. Doct. rationem ex imperfectione deſumptam legis antiquæ, determinatè oſtendens, circumciſionem ceſſare debuiſſe, baptiſmo inſtituto. ,, Dicendum (inquit) ad primam quæſtionem: quòd cum venit quod perfectum eſt, evacuari debet, quod ex parte eſt, ſi ad idem ordinetur: quia gratia non facit per duo, quod per unum poteſt facere, ſicut nec natura. Circumciſio autèm imperfecta erat reſpectu baptiſmi tripliciter. Primò quantum ad ſignificationem: quia non ita ſignificabat expreſsè emundationem totius hominis ab immunditia totius culpæ originalis, ſicùt ablutio baptiſmalis. Secundò, quantum ad efficatiam: quia non tàm abundans gratia ad operandum, & reprimendum fomitem in circumciſione dabatur, ſicùt in baptiſmo. Tertiò, quantum ad utilitatem: quia non erat ejus utilitas ità communis, ſicut baptiſmi; cum haberet determinatum populum, determinatum ſexum & determinatum tempus, quod in baptiſmo non accidit; & ideò adveniente tempore plenitudinis, debuit ceſſare, baptiſmo ſubſtituto.

Quæſt. 1. in corp.

6 Videas hinc, eminentem baptiſmi ſupra circumciſionem perfectionis exceſſum, & ex conſequenti, novæ ſupra antiquam legem: Nam ſicùt baptiſmi Sacramentum ad totam Evangelicam legem implendam, novos adſtringit fideles; ità circumciſio, ad onera Moſaycæ legis circunferenda antiquos adſtringebat judeos; juxta illud Pauli: *Teſtificor autem rurſùs omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Verumtamèn, ſilentio præterire non poſſumus exceſſum illum perfectionis pulchrâ illà comparatione (qua utitur commentario in Paulum, Pauli fidelis diſcipulus) explicare adhuc. Ad bona futura, quæ in gloria expectamus, utraque lex ſe habet (præmittit D. Thomas) cum hoc tamen diſcrimine, quòd lex vetus tamquam umbra ad corpus comparatur, ſed nova lex, ſicut imago. Umbra autem (verba ſunt Sancti Doctoris) & imago quantum ad hoc conveniunt, quod utrumque repreſentat: ,, Sed umbra in communi, & quantum ad naturam ſpeciei. Imago verò in particulari, & quantum ad naturam individui. Sic etiam nova lex quantum ad bona futura, repreſentat expreſsiùs quàm vetus: Primò, quia in verbis novi Teſtamenti, fit expreſſa mentio de bonis futuris & promiſsio; non autem in veteri; ſed tantum de carnalibus. Secundò, quia virtus novi Teſtamenti conſiſtit in charitate, quæ eſt plenitudo legis: Et iſta charitas, licèt ſit imperfecta ratione fidei, cui inhæret, tamen eſt ſimilis charitati patriæ; unde nova lex dicitur lex amoris: & ideò dicitur imago: quia habet ſimilitudinem expreſſam bonorum futurorum: Sed lex vetus illam repreſentat per quædam carnalia, & valdè à remotis, & ideò dicitur umbra ad Coloſſenſes 2. *Quæ ſunt umbra futurorum.* Hæc eſt ergo conditio veteris Teſtamenti (concludit D. Thomas) quòd habet umbram futurorum, non rerum imaginem.

Exceſſus baptiſmi ad circumciſionem.

Ad Gal. 5. v. 3.

D. Thomas ad Heb. 10. lect. 1.

7 Tandèm: propoſita aſſertio oſtenditur ratione Theologicâ D. Thomæ ad Scholæ methodum, ſic breviter reddacta: Præcepta omnia ceremonialia veteris legis ad cultum Dei ſunt ordinata, ad cultum, inquàm interiorem in fide, ſpe & charitate, præcipuè poſitum: juxtà diverſitatem igitùr interioris hujuſmodi cultûs, congruum imò & neceſſarium eſt, exteriorem cultum diverſificari, juxtà triplicem ſtatum in interiori cultu diſtinguendum: Primò ſcilicèt, ut fides & ſpes habeantur de bonis celeſtibus ut futuris, & ſimiliter de illis bonis, quibus ad celeſtia introducimur; & talis fuit ſtatus fidei & ſpei in veteri lege. Secundò: dùm fides & ſpes; de celeſtibus bonis habetur ut futuris: ſed de his, per quæ introducimur in celeſtia, ſicùt de præſentibus, vel præteritis: & iſte eſt ſtatus novæ legis. Tertiò tandem, ſtatus interioris cultûs habetur per plenam poſſeſsionem bonorum omnium celeſtium in patria; ubi nihil futurum de bonis illis ſperatur. Ex quibus, ita argumentum urgetur: adveniente beatorum ſtatu ceſſant præcepta illa, quibus in lege Evangelica ducuntur homines ad bona celeſtia, ut futura: ergo adveniente lege Evangelicâ; cum jam bona gratiæ per Chriſtum ſint præſentia, quibus ad celeſtia introducimur, ceſſare debent legalia & ceremonialia præcepta, quibus figurabatur gratia per Chriſtum

1. 2. q. 103. art. 3. in corp.

Lux Evangelii umbram fugavit ceremonialem.

S.Chryſoſt.apud D.Thomã lect. 1. in cap.2. ad Gal.

ſtum futura. Angelico Doct. in hac ſtabilienda ratione, præluxit Chryſoſtomus, quem adducit commentario in Paulum, illis verbis: „ Ratio autem quare poſt paſ- „ ſionem Chriſti, non debent ſervari le- „ galia aſsignatur à Chryſoſtomo talis: Ma- „ nifeſtum eſt enim, quòd inſtrumentum, „ quod fit de aliqua promiſsione ſeu fæde- „ re, tenet tantùm, quouſque complea- „ tur fędus & promiſsio; quibus comple- „ tis, inſtrumentum prædictum in hoc non „ tenet: Circumciſio autem eſt quoddam „ inſtrumentum promiſsionis & fęderis in- „ ter Deum, & fideles homines: Unde & „ Abrahàm accepit circumciſionem in ſig- „ num promiſsionis; ut dicitur Gen. 17. „ Et quia Chriſti peractà paſsione, ſoluta „ fuit promiſsio, & completum fędus, ideò „ poſt paſsionem non tenet, nec valet cir- „ cumciſio.

OBJECTA DISSOLUTA.

8 Objici poteſt primò argumentum, quo Manichæi antiquam legem, tanquam non divinitùs datam, criminabantur; invictum accipere robur, ſi dicatur ceſſaſſe per adventum Chriſti Domini & promulgationem Evangelii. Etenim: ſi lex vetus fuit data per divinam providentiam; cum illa ſit immutabilis, etiam ipſa lex eſſet immutabilis; & per conſequens non debuit mutari: vel ergo in ſui vigore permanens cenſeri debet lex antiqua; vel ipſam non eſſe datam per divinam providentiam cum Manichæis erit affirmandum. Hæc tamen objectio, quam affert D. Thomas, nullo negotio cum Auguſtino diſſolvitur; ſi legem illam datam conſideremus ad figuranda & prænuntianda myſteria, tunc temporis futura; quibus proindè completis, locum jàm non habere nemo non videt. Imò ſubjungit: Errantes delirare, *qui cenſent, res eaſdem, non aliis utique Sacramentis anuntiari debuiſſe completas; quàm iis, quibus prænuntiabantur complendas.* Ad methodum igitur Scholæ, ſic diſtingui valet propoſitio antecedens: ſi data eſſet lex illa univerſaliter pro omni tempore, & perſonis quibuſlibet: vera eſſet propoſitio: Secùs verò, ſi ſolum data eſt, (ut veritas habet) pro tempore & perſonis determinatis. Ita reſpondet D. Thomas inquiens:

D. Thomas ad Hebr.7.lect.3.

S. Auguſt. lib. 19.contr. Fauſtum cap. 16.

Lex antiqua, nec pro omni tempore, nec pro omnibus data fuit.

„ Reſpondeo dicendum ſecundùm quòd di- „ cit Auguſtinus contra Fauſtum, quòd ſi- „ cut ſapiens diſpenſator unâ & eadem „ diſpoſitione & providentià, ſecundùm „ diverſitatem temporum, & perſonarum „ dat alia, & alia præcepta; ſicut & alia „ hyeme, alia æſtate, alia pueris, alia ſeni- „ bus, alia perfectis, alia imperfectis, & ta- „ men eſt eadem providentia; ità divina pro- „ videntia immobili permanente: mutata eſt „ lex propter mutationem temporum: quia „ ante adventum debuerunt dari pręcepta, „ quæ figurarent venturum: ſed poſt adven- „ tum, quę ſignificent veniſſe: Item data „ ſunt illis præcepta, ſicùt pueris: in novo „ verò, ſicut perfectis: unde lex dicitur *Pę- „ dagogus*; quod eſt propriè puerorum: un- „ dè, ſi in lege dicitur aliquid, quod ſonet „ perpetuitatem, hoc eſt ratione figurati.

9 Objicitur ſecundò: poſt Chriſti D. adventum & mortem, rationabile adhuc & ſufficiens perſiſtit motivum, ut Cæremonialia antiquæ legis præcepta, in ſuo maneant vigore: non eſt ergo dicendum, ea, mortuo Chriſto D. mortua manſiſſe. Probatur aſſumptum: nàm licèt in ſignum & figuram Chriſti venturi, antiqua præcepta legalia & cæremonialia, inſtituta divinitùs dicantur; dubium tamen non eſt, ad Divinum cultum ordinata fuiſſe: at Divinus cultus finem non debet habere: Igitùr ex hoc capite, nihil prohibet agnoſcere cæremonialia præcepta, poſt mortem Chriſti in ſuo perſiſtere vigore. Hanc ipſam objectionem, ſignanter de circumciſione, ita proponit D. Thomas: „ Fi- „ guralia, quę ſignificant id, quod ſemper „ faciendum eſt, non debent ceſſare; ſicut „ de thurificatione, quæ ſignificat devotio- „ nem patet; ſed circumciſio cordis, cujus „ laus ex Deo eſt, ut dicitur Rom.2. Semper facienda eſt; & hanc ſignificat exterior circumciſio: ergo ceſſare non debuit. „ Prę- „ terèa (urget S.Doct. in Summa) circumciſio „ erat inſtituta in ſignum fidei Abrahæ; ob- „ ſervatio autem Sabbati ad recolendum „ beneficium Creationis, & alię ſolemnita- „ tes legis ad recolendum alia beneficia „ Dei; ſed fides Abrahæ eſt ſemper imitan- „ da, etiam à nobis; & beneficium Crea- „ tionis, & alia Dei beneficia ſemper ſunt „ recolenda: ergo ad minùs circumciſio, „ & ſolemnitates legis ceſſare non debue- „ runt.

D.Thom. in 4. diſt.1. q.2.ar. 5. 3.loc.

D.Thom. 1. 2. q.103.ar.3.

10 Hæc tamen objectio, cum eodem, à quo proponitur S.Dr.facili admodùm ratione diſſolvitur; negatur enim antecedens propoſitio. Cujus aſſumpta probatio, ita diſtinguenda eſt: Inſtituta erant ad Divinum cultum abſolutè, falſum eſt: Fidei Chriſti ut venturi, fatemur utiquè. Cùmque cultus hujuſmodi finem acceperit, quoque & cæremonialia pręcepta. „ Ad tertium dicendum „ (verba ſunt D. Thom.) quòd rationes lit- „ terales cęremoniarum ſuprà aſsignatæ, re- „ feruntur ad Divinum cultum, qui quidem „ cultus erat in fide venturi: & ideò jàm ve- „ niente eo, qui venturus erat, & cultus ille „ ceſſat, & omnes rationes, ad hunc cultum „ ordinatę. Indè ad ſubjunctum de circumciſione argumentum, facilè eſt occurrere: quatenùs circumciſio exterior per ſe primò, non ad ſignificandam circumciſionem interiorem inſtituta fuit in lege veteri; ſed ad ablutionem originalis culpæ per fidem Chriſti venturi; undè adveniente Chriſto Dño. ceſſante fine præcipuò ceſſavit circumciſio. Ad tertium facilè reſpondetur explicando minorem propoſitionem: imitanda ſemper eſt fides Abrahę, quatenùs divinę credidit promiſsioni de Chriſto venturo, & per circumciſsionem proteſtata; negatur minor: imitanda eſt fides de promiſsione illa jam ex-

Solut. ad 3.

Antiquæ legis cultus finem accepit.

pleta, & per Sacramentum Baptiſmi declarata; conceditur minor. Et ſimiliter fatemur, opus eſſe nobis ſemper recolere Dei beneficia; alitèr tamen in antiqua, alitèr verò in nova Lege: quia cum beneficia Judaico populo exhibita, figurabant beneficia nobis per Chriſtum conceſſa, antiquis ſolemnitatibus novæ ſuccedunt.

Solut. ad 4.

11 Audiatur D. Thom. ad quartum dicens: „ Quòd fides Abrahæ fuit commen- „ data in hoc, quod credidit Divinæ pro- „ miſsioni de futuro ſemine, in quo bene- „ dicerentur omnes gentes: & ideò, quan- „ diù hoc erat futurum, oportebat prote- „ ſtari fidem Abrahæ in circumciſione, ſed „ poſtquam jam hoc eſt perfectum, oportet „ idem alio ſigno declarari, ſcilicet, Bap- „ tiſmo, qui in hoc circumciſioni ſuccedit, „ ſecundùm illud Apoſtoli: *Circumciſi eſtis „ circumciſione non manu facta in expolia- „ tione corporis carnis, ſed in circumciſione „ Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo.* Sabba- „ tum autem, quod ſignificabat primam crea- „ tionem, mutatur in diem Dominicum, in „ quo commemoratur nova creatura inco- „ hata in reſurrectione Chriſti. Et ſimiliter „ aliis ſolemnitatibus veteris legis, novæ ſo- „ lemnitates ſuccedunt, quia beneficia illi „ populo exhibita, ſignificant beneficia no- „ bis conceſſa per Chriſtum. Unde feſto Pha- „ ſe, ſuccedit feſtum Paſsionis Chriſti & Re- „ ſurrectionis. Feſto Pentecoſtes, in quo fuit „ data Lex vetus, ſuccedit feſtum Penteco- „ ſtes, in quo fuit data lex Spiritus vitæ. „ Feſto Neomeniæ, ſuccedit feſtum B. Virgi- „ nis Mariæ, in qua primò apparuit illumi- „ natio Solis, id eſt Chriſti per copiam gra- „ tiæ. Feſto Tubarum, ſuccedunt feſta Apo- „ ſtolorum. Feſto Expiationis, ſuccedunt fe- „ ſta Martyrum & Confeſſorum. Feſto Ta- „ bernaculorum, ſuccedit feſtum Conſecra- „ tionis Eccleſiæ. Feſto Cętûs, atque Colle- „ ctæ, ſuccedit feſtum Angelorum, vel etiam „ feſtum omnium Sanctorum.

Ad Coloſſ.2. v. 11.

Antiquis ſolemnitatibus nova ſuccederunt.

12 Tandèm & præcipuè (ut alia omittamus levioris momenti objecta) opponi poteſt contra aſſertam veritatem: quia non eſt veroſimile, ut finem acceperit per mortem Chriſti lex illa, quam in æternum duraturam, magnificis promiſsionibus per Prophetas ſuos, imò, & per ſe ipſum Deus ſæpè ſignificavit. At hujuſmodi eſſe antiquam legem, quo ad moralia nedùm, ſed legalia & cæremonialia præcepta, iterata oſtendunt divina & prophetica oracula: non ergo eſt affirmandum, legem illam per mortem Chriſti ceſſaſſe. Aſſumpta propoſitio imprimis generaliter probatur ex illis verbis Baruch: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum*; lex enim præcepta etiam continebat cæremonialia. Plurima etiam obvia ſunt Scripturæ teſtimonia, quibus Deus dicitur pepigiſſe pactum, atque fędus æternum cum populo Judaico, ratione nimirùm circumciſionis cæterarumque Moſaycæ legis cęremoniarum, quibus exprimitur ſatis, legem illam quo ad omnia pręcepta, perpetuò duraturam. Sic enim ſignantèr habetur in Geneſi, quòd Circumciſio data fuit in fędus æternum. Et certè quomodò dicendum erit, ceſſaſſe legem Moyſis per adventum Chriſti, qui legem non ſolvere, ſed ad implere venit?

Baruch cap. 4. v.1.

Geneſ.17.

Matthæi 5. v. 17.

13 Momentoſa hæc objectio, magno auctoritatum Sacræ Scripturæ & ponderationum apparatu, ſæpè à Rabbinis, eorumque ſequacibus propoſita, paucis verbis diſſolvitur à Doctore illo Angelico, qui novæ ſimul & veteris legis, perſpicuâ intelligentiâ eluxit, elucet. Sic enim ad primum habet ex libro Baruch objectum: „ Dicendum, quòd lex ve- „ tus dicitur eſſe in æternum: ſecundùm mo- „ ralia quidem, ſimpliciter & abſolutè, ſe- „ cundùm cæremonialia verò, quantum ad „ veritatem per ea figuratam. Deinde quòd in argumento ſubjungitur, ita diſſolvit: „ Ad „ primum ergo dicendum, quòd æternum „ hoc accipitur pro ſæculo, quod habet qui- „ dèm finem, ſed non eſt determinatus no- „ bis. Vel etiam dicendum, quòd circumci- „ ſio corporalis, potuit eſſe in fędus æter- „ num, quantùm ad ſuum ſignificatum, & „ quantùm ad id, quod ei ſuccedit: ſicut „ etiam fides poteſt dici ſemper manere, ra- „ tione viſionis, quæ ei ſuccedit in patria. Inde habetur, quòd ſi ly *æternum* in productis teſtimoniis aliiſque pluribus adduci ſolitis, ſignificet durationem aliquam temporalem non parùm protractam, cujus rei exempla extant in Sacra Scriptura: Nihil prohibet, ut in æternum duraturam dicamus prænuntiari legem, quæ ſupra bismille annos in ſuo permanſit vigore. Verùm, quidquid ſit de hac acceptione: ad methodum ſcholæ præcipua argumenti ſolutio, paucis verbis tradita, reducenda eſt, ut ampliùs elucidetur.

D.Thom. 1. 2. q. 103. art.3. ad 1.

D.Thom. in 4. diſt.1.q.2.ar.5 quæſt.1.ad 1.

14 Ad argumentum igitur reſpondetur explicando propoſitionem minorem primò aſſumptam: Lex antiqua in æternum duratura promittitur, quo ad præcepta moralia concedo: quantùm ad cęremonialia ſubdiſtingo: abſolutè & ſimpliciter, ſivè in ſe ipſis formaliter, nego minorem: quantùm ad veritatem, quam figurabant, concedo minorem & conſequentiam. Per adventum itaque Chriſti D. ejuſque Paſsionem & mortem, atque Evangelicę Legis ſtabilimentum; adimpletam eſſe dicitur antiquam legem: quia ut benè ait D. Thomas: „ Chriſtus in „ hoc legem implevit, quod moralibus prę- „ ceptis conſilia appoſuit, & præcepta ma- „ gis elucidavit: ſed figuris cęremonialium „ veritatem appoſuit, & ea in ſe ipſo ſuſce- „ pit. Et ſolutione ad tertiũ ſubjungit: Quòd „ Dominus, ipſo facto revocavit (ſcilicet „ antiquas cęremonias) adimplens in ſe, „ quod in figura pręceperat obſervandum, „ & ideò in ſui paſsione dixit: *Conſumma- „ tum eſt.* Joann.19. Angelico Doctori pręluxit Auguſtinus, ad verba adducta Matthęi inquiens: *In hac autem ſententia duplex eſt ſenſus. Nàm adimplere legem; aut eſt addendo aliquid, quod minus habet, aut facien-*

Lex antiqua in ęternum dicta fuit duratura, quantũ ad moralia formaliter, quantùm cęremonialia, in veritate figurata.

D. Thom. ibid. q.ad 1.

Solut. ad 3.

S. Auguſt.lib.1. de ſerm.D.cap. 14. in Catena aurea, ibi etiã.

S.Chryſoſt.hom. 16.in Matth.

ciendo quod habet. Similiter Chryſoſtomus ita habet : *Implevit igitur Chriſtus Prophetas , complendo omnia , quæ per eos de ipſo fuerant dicta : Legem autem ; primò quidem nihil tranſgrediendo legalium : Secundò , juſtificando per fidem.* Hæc omnia expreſsiori adhuc ſermone tradiderat Chromatius Antiquus Epiſcopus Serm. in Communi Doctorũ:

Chromat. ſerm. in commun. Doctorum.

* Non ad diſſolvendam legem (inquit) vel
* Prophetas Filius Dei venit , qui Auctor eſt
* Legis & Prophetarum; quia ipſe, Moyſem
* ad tradendam Legem populo dedit;& Pro-
* phetas ad prædicationem futurorum, San-
* cto Spiritu mundavit. *Non ergo* (inquit)
* *veni ſolvere legem , aut Prophetas , ſed ad-*
* *implere.* Implevit autem legem , & Pro-
* phetas hoc modo , dùm ea , quæ ſcripta
* erant in lege & Prophetis , ipſe conſum-
* mat. Unde cum acetum in Cruce oblatum
* ſibi bibiſſet , ait , *adimpletum eſt* ; ut evi-
* denter oſtenderet , omnia , quæ de ſe in
* lege , ac Prophetis ſcripta erant, etiam
* uſque ad aceti potum eſſe completa. Ad-
* implet legem omnimodò , dùm myſterium
* Paſchæ , vel Agni olim in figura monſtratũ
* Paſsionis ſuæ ſacramento complevit. Un-
* de ait Apoſtolus : Nàm & *Paſcha noſtrum*
* *immolatus eſt Chriſtus.* Adimplet legem,
* dùm ſacrificia legis , omniaque exempla,
* in ſe præfigurata , accipiendo corpus , ve-
* ritatis ratione complevit. Vel certè ad-
* implet legem , dùm præcepta legis , quæ
* dederat , Evangelicę gratiæ ſuę ſupplemen-
* to confirmat.

15 Maneat certo certius firmatum , per Chriſti Domini adventum , Paſsionem & mortem cęremonialia omnia legis Moſaycæ adimpleta eſſe , & ad perfectionem adducta in lege gratiæ , manente in æternum veritate,quam prænuntiabant. Exhibet nàmque lex Evangelica pręſentem Chriſtum per tot ſęcula deſideratum , iteratiſque antiquis ſacrificiis pręfiguratum : Novum Sacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech veneratur , qui ſe ipſum tradidit pro nobis oblationem , & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Hæc nàmque oblatio munda , quæ in omni loco offerenda per Malachiam prænuntiatur , antiqua omnia ſacrificia , velut veritas figuram implevit : adeò ut antiqua ſacrificia pro tempore illo Deo placentia, & in odorem ſuavitatis aſcendentia ; jam diſplicentia Deo ſunt ; ſecundùm quòd Prophetę ipſi annuntiarunt , ut videre licet apud Iſaiam cap. 1. & 2. Hieremiam cap. 31. & alibi frequenter ; & per Prophetam Regium illis verbis : *Sacrificium , & oblationem noluiſti : aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti : Tunc dixi : ecce venio.* Hęc nàmque verba ; & alia quæ ſubjungit , graviter expendit Apoſtolus Paulus , ut oſtendat antiqua ſacrificia ſecundùm ſe nunquam placuiſſe Deo , nec accepta ipſi fuere , ſed dumtaxat ratione paſsionis & mortis Chriſti , quam pręfigurabant.

Malachiæ 1.v. 11.

Levitici 1.

Pſalm.39.v.7.

Ad Hebræos 10

16 Sic enim Chriſtum Dominum ingredientem in mundum , loquentem adducit Apoſtolus , juxta Davidis vaticinium : *Ideò ingrediens mundum dicit : Hoſtiam & oblationem noluiſti : corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi , ecce venio.* In hoc teſtimonio , aſsignat Paulus ſacrificia omnia antiqua , quibus correſpondet ſacrificium Chriſti ea omnia evacuans , ut dilucidè exponit D. Thomas inquiens :

A v.5.

D.Thom.lect.1.

,, Ponit autem quatuor,
,, quæ erant in veteri Teſtamento : quia ſa-
,, crificium aut erat de inanimatis (puta pa-
,, ne vel thure) & tunc dicebatur *oblatio*, vel
,, de animatis : & tunc vel ad placandum
,, Deum , & dicitur *holocauſtum* , quod erat
,, dignifsimum ; quia totum comburebatur,
,, & cedebat in honorem Dei : aut erat pro
,, emundatione peccati: & dicitur *ſacrificium*
,, *pro peccato* : & iſtud habebat duplicem par-
,, tem ; quia una pars comburebatur in alta-
,, ri , & altera cedebat in uſu Miniſtrorum:
,, aut erat pro beneficiis Dei ; iſtud erat mi-
,, nùs dignum ; quia tantùm tertia pars com-
,, burebatur , & dabatur Miniſtris una , alia
,, offerentibus : & iſtud dicitur *ſacrificium*
,, *pacificorum.* Iſtis omnibus in novo Teſta-
,, mento reſpondet oblatio Corporis Chriſti,
,, quia per Corpus Chriſti placatus eſt Deus;
,, ſcilicet in oblatione ipſius in Cruce : Ro-
,, man. 5. *Cum inimici eſſemus reconciliati*
,, *ſumus Deo per mortem Filii ejus.* Item per
,, ipſum ablatum eſt peccatum : 1.Petri 3.
,, *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus*
,, *eſt.* Item per ipſum, introducimur in bona
,, æterna, & promovemur ad beneficia Dei.

Qualiter antiqua ſacrificia oblationem Chriſti figurabant.

ARTICULUS II.

Cæremonialia Moſaycæ legis præcepta, mortifera etiam monſtrat.

17 STABILIENDUM eſt primò legalia & cęremonialia antiquę legis pręcepta , vigente & promulgatâ lege Evangelicâ , lethaliter mortifera eſſe: Aſſertam Catholicam veritatem ex Paulo , Pauli diſcipulus ita oſtendit : Apoſtolus dicit ad Galatas 5. *Si circumcidamini, Chri-*
,, *ſtus nihil vobis proderit* : Sed nihil exclu-
,, dit fructum Chriſti , niſi peccatum morta-
,, le : ergo circumcidi , & alias cæremonias
,, obſervare poſt Paſsionem Chriſti , eſt pec-
,, catum mortale.
Præſtat tamen integrum teſtimonium expendere : *State* (inquit Apoſtolus) *& nolite iterum jugo ſervitutis contineri : Ecce ego Paulus dico vobis , quoniam ſi circumcidamini , Chriſtus vobis nihil proderit.* Hæc verba direxit ad Galatas : ,, Qui
,, (ut notat D.Thom.) ponebant ſpem in le-
,, galibus , poſt gratiam divulgatam , quaſi
,, ſine eis gratia non ſufficeret ad ſalutem,
,, & ideò , ea ſervare volebant.
Sivè ut Auctor Commentariorum ſub nomine Ambroſii habet : *His enim loquitur , qui poſt acceptum gratiæ Dei donum , circumcidi ſe maluerunt.* Eos igitur, ſic à propoſita obſervantia revocare nititur Apoſtolus : *Si circumcidamini*, vel generaliter quamcunque legis obſervantiam tenetis , ut exponit Hieronymus: *Chriſtus nihil vobis proderit* , id eſt fides Chriſti. Et rationem ſubjungit : *Evacuati eſtis à Chriſto , qui in lege juſtificamini , à gratia excidiſtis.* Quibus verbis, duplex damnum ipſis ex obſervatione illius legis eveniens, ſignificat; interprete D.Thoma: *Unum eſt* (inquit) *amiſsio Chriſti : ſecundùm eſt amiſsio gratiæ Chriſti.* Huic expoſitioni præluxerant Auguſtinus & Hieronymus : habet enim ille: *Chriſtus ab eis , tanquam à poſſeſsione, quam tenebant, abſceſsit.* Hieronymus verò : *Perdit gratiam Chriſti, & Evangelium quod tenuerat, amittit , qui ſe in aliqua obſervatione legis , juſtificari putat , & cum gratiam amiſerit, à Chriſti fide deſtituitur.*

D.Thomas 1.2. q. 103. art.4. in ſed contr.

Ad Galatas 5. à v.1.

D.Thom. ibidē. lect.1.

Auctor Commentariorum ſub nomine S. Ambroſii.

SS. Auguſt. & Hieronym. in locum Pauli.

18 Probatur deinde aſſertio ratione Theologica , qua prædicta omnia complectuntur à Divo Thoma , cujus integra verba, ita damus : ,, Reſpondeo dicendum , quòd
,, omnes cæremoniæ ſunt quædam proteſta-
,, tiones fidei , in qua conſiſtit interior Dei
,, cultus : ſic autem fidem interiorem poteſt
,, homo proteſtari factis, ſicut & verbis , & in
,, utraque proteſtatione , ſi aliquid falſum
,, homo proteſtatur , peccat mortaliter.
,, Quamvis autem ſit eadem fides , quam
,, habemus de Chriſto , & quam antiqui Pa-
,, tres habuerunt ; tamen , quia ipſi præceſſe-
,, runt Chriſtum , nos autem ſequimur , ea-
,, dem fides diverſis verbis ſignificatur à no-
,, bis , & ab eis : nàm ab eis dicebatur : *Ecce*
,, *virgo concipiet & pariet filium* , quæ ſunt
,, verba futuri temporis. Nos autem idem
,, repreſentamus per verba præteriti tempo-
,, ris , dicentes , quòd *Concepit & peperit.*
,, Et ſimiliter cęremoniæ veteris legis ſigni-
,, ficabant Chriſtum , ut naſciturum , & paſ-
,, ſurum , noſtra autem ſacramenta ſignifi-
,, cant ipſum , ut natum , & paſſum. Sicut
,, igitur peccaret mortaliter , qui nunc ſuam
,, fidem proteſtando, diceret Chriſtum naſci-
,, turum , quod antiqui piè & veracitèr di-
,, cebant : ita etiam peccaret mortaliter , ſi
,, quis nunc cęremonias obſervaret , quas
,, antiqui piè & fidelitèr obſervabant. Et
,, hoc eſt , quod Auguſtinus dicit contrà
,, Fauſtum : *Jam non promittitur naſcitu-*
,, *rus , paſſurus , reſurrecturus , quod illa ſa-*
,, *cramenta quodammodò perſonabant , ſed*
,, *annuntiatur , quòd natus ſit , paſſus ſit,*
,, *reſurrexerit , quòd hæc ſacramenta , quæ à*
,, *Chriſtianis aguntur , jam perſonant.* Et
,, quidèm , ſervare legalia poſt Evangelium
,, promulgatum , nedùm lethaliter peccami-
,, noſum cenſeri debet , ſed & Chriſtianæ fi-
,, dei oppoſitum : imò quodammodò ratio-
,, nem haberet idololatriæ.
Hunc enim ſenſum habere ex Hieronymo tradit D. Thomas , priora illa Apoſtoli verba : *State ergo,*
,, *& nolite iterum jugo ſervitutis contineri.*
,, Ideò autem addit *iterum* , non quia priùs
,, ſub lege fuerint : (Galatæ ſcilicet ex gen-
,, tilitate converſi) ſed quia poſt Evangelium
,, ſervare legalia , adeò peccatum eſt , ut ſit
,, ſicut ſervire idololatriæ : Et infra : Quia
,, ergo Galatæ ex Judęis non erant , &
,, tamen legalia ſervare volebant , & po-
,, nebant in eis ſpem : ideò revertebantur
,, in jugum ſervitutis : Nàm hujuſmodi ob-
,, ſervatio erat eis ſicut idololatria , in quan-
,, tum non rectè ſentiebant de Chriſto , cre-
,, dentes ab ipſo ſine legalibus ſalutem con-
,, ſequi non poſſe.

Obſervantia cæremonialiũ eſſet falſa fidei proteſtatio.

D. Thom. in corpor. art. ubi ſupra.

S.Auguſtin. lib. 19.cap.16.

D.Thom.lect.1. ubi ſupra.

19 Aſſerendum eſt ſecundò, antiquæ legis legalia & cęremonialia præcepta , uſque ad Evangelii promulgationem non fuiſſe abſolutè mortifera , ſed mortua dumtaxat. Propoſitam aſſertionem probabiliorem cum Auguſtino reputamus ; quamtumvis Hieronymus in oppoſitum ierit. ,, Itaque Maxi-
,, mus hic Doct. circa legalium obſervatio-
,, nem duo tantùm diſtinxit tempora , an-
,, te paſsionem nempè Chriſti , in quo le-
,, galia non erant mortua , quaſi non ha-
,, bentia vim obligatoriam , aut expiati-
,, vam pro ſuo modo , nec etiam mortife-
,, ra : quia non peccabant ea obſervantes.
,, Deindè ab ipſo tempore paſsionis , &
,, deinceps affirmavit legalia nedùm mor-
,, tua , ſed etiam mortifera fuiſſe. Per op-
,, poſitum verò Auguſtinus triplex circa le-
,, galium obſervantiam diſtinguendum eſſe
,, tempus judicavit. Eorum primum eſt
,, tempus ante paſsionem Chriſti , in quo
,, legalia ſuum robur obtinebant , quaſi
,, adhuc viventia. Secundum autem tem-
,, pus fuit poſt paſsionem Chriſti ante di-
,, vulgationem Evangelii ; in quo quidem
,, tempore legalia mortua erant : quia nul-
,, lus ad ea tenebatur , nec obſervata ali-
,, quid conferebant alicui : Non dùm ta-
,, men erant mortifera : quia ſine peccato
,, poterant Judęi ad Chriſtum converſi le-
,, galia obſervare , dummodò non ſic po-
,, nerent ſpem in eis , quod ea reputarent
,, ſibi neceſſaria ad ſalutem , quaſi ſine le-
,, galibus fides Chriſti juſtificare non poſ-
,, ſet. (Judæi inquam : nàm Gentiles ad fi-
,, dem converſi , vel non poterant licitè ea
,, ſervare , ut lectione 1. in cap. 5. ad Gal.
,, affirmat D. Thomas ; vel ipſis non in-
,, erat cauſa ut ea obſervarent , ut habet
,, Sanct. Doct. loco citato ex Summa Theo-
,, logica) Tertium autem tempus fuit poſt
,, divulgationem Evangelii in quo legalia
,, non ſolum ſunt mortua ſed mortifera:
,, ut quiſquis ea obſervet, peccet mortaliter.
Quando autem finem acceperit prædicti temporis ſpatium , Evangelio ſatis promulgato ad propoſitum intentum , non facilè eſt determinare ; ſatis tamen veroſimiliter non nulli auctores judicant finem accepiſſe circa annum 40. à morte Chriſti Domini , templo jam Jeroſolimitano funditùs everſo , & republicâ Judaicâ diſipatâ. His præhabitis ex D. Thoma in utroque citato loco:

S.Auguſt.Epiſt. 19. ad Hieron. & ibi hujus Epiſt. ad Auguſt.

D.Thomas 1.2. q.103. artic.4. ad 1.

Lect.1. in cap. 15. ad Rom.

Antiqua legalium controverſia cum Auguſtino reſolvitur à Div. Thoma.

20 Probatur jam aſſertio ad mentem Magni Auguſtini : quia Apoſtoli ipſi poſt adventum Spiritûs Sancti , cujus plenitudine induti fuerunt , legalia obſervarunt: cùm ergo certum ſit , Apoſtolos jam inde in gratia confirmatos , nunquam graviter deliquiſſe , neceſſarium eſt ut dicamus , ſtatim poſt advéntum Spiritûs Sancti , legalem obſervantiam non fuiſſe mortiferam. Et quidem Apoſtolos legalia obſervaſſe, oſtendit D. Thomas ex cap. 16. Actuum Apoſtolorum ubi dicitur , quòd Paulus circumcidit Timotheum. Deinde ex cap. 21. ubi refertur quòd Paulus ſecundùm conſilium Jacobi , aſſumptis viris , *purificatus, cum eis intravit in templum , anuntians expletionem dierum purificationis , donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Et prætereà de Apoſtolorum Principe dicitur ad Galatas 2. vitaſſe conſortia gentilium, quod utique ad cæremonias legis pertinebat. Scio equidèm , quid Hieronymus huic argumento reponat : ,, Dicebat enim (inquit D. Thomas) quòd Apoſtoli nunquam legalia obſervaverunt poſt paſsionem ſecundùm veritatem : ſed ſolum quadam piâ ſimulatione , ne ſcilicet ſcandalizarent Judæos , & eorùm converſionem impedirent. Quæ quidem ſimulatio ſic intelligenda eſt , non quidem ita , quòd illos actûs ſecundùm rei veritatem non facerent : ſed quia non faciebant , tanquam legis cæremonias obſervantes : ſicut ſi quis pelliculam virilis membri abſcinderet propter ſanitatem , non causâ legalis circumciſionis obſervandæ. Similiter docet Hieronymus , quòd Petrus ſimulatoriè ſe à gentilibus ſubtrahebat, ut vitaret Judæorum ſcandalum , quorum erat Apoſtolus.

1.2.q.103.art. 1.arg.1.& 2.

Actorum 21. v. 26.

In artic.citato. Solut. ad 1.

Solut. ad 2.

21 Hæc tamen Hieronymi doctrina pro ſuâ tuendâ opinione , parùm Doctori Angelico arridet , primò : ,, Quia indecens videtur , quòd Apoſtoli ea occultarent propter ſcandalum , quæ pertinent ad veritatem vitæ & doctrinæ , & quòd ſimulatoriè uterentur in his quæ pertinent ad ſalutem fidelium. Secundò , nàm ſi D. Petrus ſimulatoriè ſolum à gentilibus ſe ſubtraxit ; non eſſet unde Paulus eum reprehenderet propter illam à gentilibus ſegregationem. Nec valet quod Hieronymus ait : Paulum non verè , & ex animo, ſed ſimulatoriè dumtaxat reprehendiſſe Petrum , ut vitaret ſcandalum gentilium, quorum erat Apoſtolus. Non inquam valet : quia ut Auguſtinus apud D. Thomam urget : Paulus in Canonica Scriptura , ſcilicet ad Galat. 2. in qua nefas eſt credere aliquid falſum eſſe , dicit quòd Petrus reprehenſibilis erat : *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam in faciem ei reſtiti.* (Id eſt manifeſtè) *quia reprehenſibilis erat.* Non ergò ſimulatoriè , ſed verè Paulus Petrum reprehendit. Sed de motivo hujus reprehenſionis , inter objectiones diſſolvendas nonnulla dabimus. Non tamen adjungere non poſſumus aliud argumentum , quo in ſuæ ſententiæ patrocinium utitur Auguſtinus, indicaturque à D. Thoma loco citato ſententiarum : Docuit enim legalia , quæ , ut viva poſt Chriſti mortem ſervari non poterant , ut mortua , ad perfectam uſque Evangelii promulgationem ſervarentur , ut cum honore mortua mater ſynagoga ſepeliretur ; & nè homines exiſtimarent , ſi ea ſtatim rejecta fuiſſent , veterem legem fuiſſe abominabilem , perindè ac gentilium cultum , quem nullâ unquàm mora ſuſtinere Apoſtoli voluerunt. Eandem Auguſtini rationem adducit etiam D. Thomas commentario in cap. 2. ad Galatas inquiens: ,, Ratio autèm dictorum eſt , quia ſi judei ſtatim poſt converſionem , fuiſſent prohibiti ab obſervantia legalium , viſum fuiſſet eos pari paſſu ambulare cum idolatris , qui ſtatim ab idolorum cultura prohibebantur ; & legalia non fuiſſe bona , ſicut nec idololatriam : Et ideò inſtinctu Spiritus Sancti permiſſum eſt , ut legalia modico tempore ſervarentur , eâ intentione quæ dicta eſt , ut per hoc oſtenderetur legalia tùnc bona fuiſſe : Unde dicit Auguſtinus , quòd per hoc oſtendebatur , quòd mater Synagoga cum honore deducenda ad tumulum erat , dùm non ſtatim poſt paſsionem Chriſti legalia prohibita ſunt : quicunque verò ea modò ſervaret , non honoraret matrem Synagogam , ſed eam extumularet : Eandem Auguſtini ſententiam diſſertè tradere videtur Concilium Florentinum : poſtquam enim ſtatuit poſt mortem Chriſti peccatum fuiſſe mortale , legalia obſervare , quaſi ad ſalutem neceſſaria , ſubdit : *Non tamen negat* (Sanct. Synodus) *à Chriſti paſſione uſque ad promulgatum Evangelium , illa potuiſſe ſervari , dùm tamèn minimè ad ſalutem neceſſaria crederentur.*

In loco Sentent. quæſt. 3. in corp. ad finem.

Lect. 3. in cap. 2. Epiſt. ad Galat.

Concilium Florentinum in decreto unionis.

OBJECTA DISSOLUTA.

22 Prima contrà priorem aſſertionem objectio deſumi poteſt ex præceptis judicialibus antiquæ legis : Etenim præcepta illa figuralia fuiſſe , benè oſtendit D. Thomas : ,, Quòd populus Judæorum (inquit) ad hoc electus erat à Deo quòd ex eo Chriſtus naſceretur : & ideò oportuit totum illius populi ſtatum eſſe propheticum & figuralem , ut Auguſtinus dicit contra Fauſtum. Et propter hoc etiam judicialia illi populo tradita , magis ſunt figuralia , quàm judicialia aliis populis tradita : ſicut etiam bella , & geſta illius populi exponuntur myſticè , non autem bella , vel geſta Aſsyriorum , vel Romanorum , quamvis longè clariora ſecundùm homines fuerint. At mortifera nihilominus poſt promulgatum Evangelium non fuiſſe , Doct. ipſe Sanct. illis verbis oſtendit : ,, Judicialia præcepta non habuerunt perpetuam obligationem , ſed ſunt evacuata per adventum Chriſti , alitèr tamèn quàm cæremonialia. Nàm cæremonialia ,

D. Thomas 1.2. q.104. artic. 2. ad 2.

Artic. 3. in corp.

adeò ſunt evacuata , ut non ſolùm ſint mortua , ſed etiam mortifera obſervantibus poſt Chriſtum , maximè poſt Evangelium divulgatum. Præcepta autèm judicialia ſunt quidèm mortua, quia non habent vim obligandi , non tamèn ſunt mortifera : quia ſi quis princeps ordinaret in regno ſuo illa judicialia obſervari , non peccaret , niſi fortè hoc modo obſervarentur , vel obſervari mandarentur , tanquàm habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione : talis enim intentio obſervandi eſſet mortifera. Quid ergo prohibet , ut affirmemus id ipſum de præceptis legalibus & cæremonialibus ; obſervari , ſcilicèt abſque gravi culpâ poſſe, poſt Evangelium ſatis promulgatum. Et præſertim ; ſi verum eſt quod de Æthyopum gente apud Indos , nonnulli affirmant cum Cayetano & Medina : Eccleſiam nimirum approbare in illis uſum circumciſionis , non quidèm ex præſcripto legis Moſaycæ ; ſed ex imitatione doloris Chriſti circumciſi. Si hæc inquàm vera ſunt , poſſunt adhuc licitè ſervari antiqua legalia , & cæremonialia præcepta , eo fine quo D. Thomas docuit , judicialia mandata ſuſtineri poſſe.

23 Propoſita objectio, tradere nos cogit latum inter utriuſque generis præcepta diſcrimen , quod his verbis tradit D. Thomas: Eſt autem hæc differentia , inter cæremonialia , & judicialia legis præcepta , quòd cæremonialia illicitum eſt obſervare tempore legis novæ. ,, Judicialia verò , etſi non obligent tempore gratiæ, tamèn poſſunt obſervari abſque peccato ; & ad eorum obſervantiam aliqui obligantur , ſi ſtatuantur auctoritate eorum , quorum eſt condere legem. Sicùt præceptum judiciale veteris legis eſt , quod , qui furatus fuerit ovem , reddat quatuor oves , ut legitur Exodi 22. quod ſi ab aliquo Rege ſtatuantur , tenentur ejus ſubditi obſervare. Ad propoſitum igitùr argumentum jàm in Scholæ methodo reſpondetur , diſtinguendo majorem : Judicialia præcepta, per ſe primo figuralia fuere , nego majorem ; ex conſequenti dumtaxàt & ſecundariò , concedo majorem cum propoſitione minori in ſenſu adducto ; negatur verò illatio. ,, Reſpondeo dicendum (inquit D. Thomas) quòd dupliciter contingit aliquod præceptum eſſe figurale. Uno modo primò & per ſe , quia ſcilicet , principaliter eſt inſtitutum ad aliquid figurandum ; & hoc modo præcepta cæremonialia ſunt figuralia : Ad hoc enim ſunt inſtituta , ut aliquid figurent pertinens ad cultum Dei , & ad myſterium Chriſti. Quædam verò præcepta ſunt figuralia, non primò & per ſe , ſed exconſequenti , & hoc modo præcepta judicialia veteris legis ſunt figuralia : Non enim ſunt inſtituta ad aliquid figurandum , ſed ad ordinandum ſtatum illius populi ſecundùm juſtitiam & æquitatem , ſed exconſequenti aliquid figurabant , in quantum ſcilicèt , totus ſtatus illius populi , qui per hujuſmodi præcepta diſponebatur , figuralis erat , ſecundùm illud 1. Chor. 10. omnia in figura contingebant illis.

2.2. q.87. art. 1. in corp.

Cæremonialia inter & judicialia præcepta , latum eſt diſcrimen.

1.2.q.104.art. 2. in corp.

24 Hoc præmiſſo diſcrimine , expreſſiùs aſsignat rationem , cur cæremonialia præcepta ad differentiam judicialium , mortifera cenſenda ſint , inquiens : ,, Dictum eſt , quòd præcepta cæremonialia ſunt figuralia primò & per ſe , tanquam inſtituta principaliter ad figuranda Chriſti myſteria , ut futura : & ideò ipſa obſervatio eorum præjudicat fidei veritati , ſecundùm quam confitemur illa myſteria jàm eſſe completa. Præcepta autèm judicialia non ſunt inſtituta ad figurandum, ſed ad diſponendum ſtatum illius populi, qui ordinabatur ad Chriſtum ; & ideò mutato ſtatu illius populi , Chriſto jàm veniente , judicialia præcepta obligationem amiſerunt. Lex enim fuit pædagogus ducens ad Chriſtum , ut dicitur ad Galat. 3. Quià tamèn hujuſmodi judicialia præcepta non ordinantur ad figurandum , ſed ad aliquid fiendum , ipſa eorum obſervatio abſolutè non præjudicat fidei veritati : ſed intentio obſervandi , tanquam ex obligatione legis præjudicat veritati fidei : quia per hoc haberetur , quòd ſtatus prioris populi adhuc duraret , & quòd Chriſtus non dùm veniſſet. Nèc tandèm urget quod de Abiſinorum gente recenſitum eſt. Nàm uſus circumciſionis apud illos ſi verè remaneat ; etſi Judaicus non ſit ex intentione legem obſervandi ; ſuperſtitioſus tamèn eſt : quia parvulis non prodeſt ad meritum , & adultis non licet , ad imitationem Chriſti partem corporis abſcindere. Eccleſia verò uſum illum neutiquam approbat : ſicut nèc alios errores , à quibus Æthyopes hactenùs purgare non potuit , ut reſpondent patres Salmanticenſes.

Art. 3. in corp. ad medium.

25 Secundò , & præcipuè opponi poteſt argumentum , quod tertio loco proponit D. Thomas : quia mortifera cenſeri non debet obſervantia eorum , quæ Apoſtoli præceperunt ; ſed ex decreto Apoſtolorum ſtatum fuit , quòd Gentiles quædam de cæremonialibus præceptis obſervarent : Non ergo obſervantia illa mortifera dici debet, etiam poſt Evangelium promulgatum. Propoſitio aſſumpta expreſſa videtur cap. 15. Actuum Apoſt. ubi ſic ad Antiochenſes alioſque ex gentilitate converſos fideles, ſcribere decretum fuit in Concilio Apoſtolorum : *Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis , nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria : ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum , & ſanguine , & ſuffocato , & fornicatione , à quibus cuſtodientes vos benè agetis.* Sed hujuſmodi verba verum continent præceptum : vera eſt ergo propoſitio aſſumpta. Hæc objectio certè difficilis in plures opinandi modos pro ea diſſolvenda , plures etiam ex antiquis Theologis abire compulit , ut refert D. Thomas

Actorum 15. v. 28.

Solut. ad 3.

mas inquiens : ,, Quidam dixerunt, quòd illa prohibitio Apoſtolorum non eſt intelligenda ad litteram, ſed ſecundùm ſpiritualem intellectum, ut ſcilicèt in prohibitione ſanguinis intelligatur prohibitio homicidii, in prohibitione ſuffocati intelligatur prohibitio violentiæ & rapinæ, in prohibitione immolatorum intelligitur prohibitio idololatriæ : fornicatio autèm tanquàm de ſe malum. Hanc opinionem accipiunt ex quibuſdam gloſsis, quę hujuſmodi præcepta myſticè exponunt.

Prohibitio immolatorũ,ſanguinis & ſuffocati litteralis fuit.

26 Hanc opinionem ita reiicit D. Thomas in loco Sententiarum : Sed hoc (inquit) non poteſt ſtare : quia Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, poſt illam expoſitionem myſticam, expoſitionem ponit litteralem, quam dicit Apoſtolos etiam intendiſſe. Deinde loco proximè adducto opinionem ita reiicit : ,, Quia homicidium & rapina etiam apud Gentiles reputabantur illicita, undè non oportuiſſet ſuper hoc ſpeciale mandatum dari his, qui erant ex gentilitate converſi ad Chriſtum. Aliorum deindè indicat Sanct. Doct. opinionem, quâ dicebant, quòd ad litteram illa comeſtibilia fuerunt prohibita ; non proptèr obſervantiam legalium, ſed propter gulām comprimendam. Reiicitur tamèn hujuſmodi opinio à Sancto Doctore : ,, Quia cum quædam ſint cibaria magis delicata, & gulam provocantia ; non videtur ratio, quarè hæc magis fuerint prohibita, quàm alia. His igitur omiſsis ad occurrendum argumento opinionibus:

In 4. diſt. 1. q. 2. art. 5. ad 4.

Solut. ad 3. ut ſupra.

27 Reſpondetur ad propoſitam obiectionem, conceſſa majori in ſenſu ſtatim explicando, diſtinguendo minorem aſſumptam ; ſtatutum eſt cæremonialia illa obſervanda, tanquam præcepta antiquæ legis, nego minorem : tanquam medium pro illo tempore maximè conducens ad Gentilium, & Judęorum unionem in fide Chriſti : ſubdiſtinguo, ſtatutum fuit ſtricto præcepto, abſolutè & pro omni tempore obligante, nego minorem : præcepto quodam, pro illo dumtaxàt tempore, & habente rationem cujuſdam prudentis diſpoſitionis, ad finem aſsignatum, concedo minorem, & nego conſequentiam. Nèc in oppoſitum urget, quòd *neceſſaria* dicantur in teſtimonio adducto. Quia ut inquit D. Thomas in loco Sententiarum : ,, Dicuntur eſſe neceſſaria; quantum ad ſenſum myſticum prætactum; vel quantum ad obſervandum communitatem vitæ inter Judęos & Gentiles. Tradita ſolutio ſic exprimitur à D. Thoma loco ſupra laudato, ex Summa ubi rejectis prememoratis opinionibus ſubjungit: ,, Et ideò dicendum ſecundùm tertiam opinionem, quòd ad litteram iſta ſunt prohibita ; non ad obſervandum cæremonias legis, ſed ad hoc quòd poſſet coaleſcere unio Gentilium & Judęorum in ſimul habitantium. Judæis enim, propter antiquam conſuetudinem, ſanguis, & ſuffocatum erant abominabilia. Comeſtio autèm immolatorum ſimulacris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles ſuſpicionem redditûs ad Idololatriam. Et ideò iſta fuerunt pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles & Judęos. Quòd autèm prohibitio illa non fuerit ſtrictum pręceptum, tradit Div. Thomas loco Sententiarum, admittens opinionem illorum, qui dicebant : ,, Quòd Epiſtola Apoſtolorum non erat pręceptoria quantum ad hoc quòd abſtinerent ſe ab Idolotytis, & ſanguine, & ſuffocato; ſed erat quędam proviſio ad conſervandam pacem, & communem vitam Gentilium, & Judęorum fidelium. Fornicationem autem prohibuerunt, quaſi per ſe malum, quòd apud Gentiles non reputabatur pro peccato.

Solut. ad 2.

Solut. ad 3.

Q. 4. in corp.

28 Sed nunquid (inquiret fortè aliquis) præceptum illud, qualecunque fuerit, Apoſtolorum in ſuo ſemper permanſit vigore? Affirmarunt aliqui ex antiquis Theologis; ſed immeritò : quia nec noſtrâ ætate ſervatur, neque à pluribus ſæculis, ut de ſua ætate affirmat expreſsè Auguſtinus lib. 32. contra Fauſtum. Undè meritò Auguſtini diſcipulus in loco Sententiarum affirmat opinionem illam manifeſtè contrariari dictis ,, Pauli qui dixit nihil eſſe commune, id eſt immundum per Chriſtum, niſi ei qui æſtimat aliquid eſſe commune ; Romanorum 14. Affirmat etiam eſſe contra rationem: quia cum hoc præceptum non ſit morale: quia naturalis ratio illud non dictat, oportet quòd ſit cæremoniale : & ideò ejus obligatio non manet magis, quàm aliorum. Dicendum igitur eſt præceptum illud jàm multis ſęculis non vigere : quia ut concludit Div. Thomas : ,, Præcedente autem tempore (ceſſante causâ) ceſſat effectus, manifeſtatâ Evangelicę doctrinę veritate, in qua Dominus docet, quòd nihil, quòd per os intrat coinquinat hominem, ut dicitur Matthęi 15. Et quòd nihil eſt rejiciendum, quòd cum gratiarum actione præcipitur, ut dicitur 1. ad Timotheum 4. Quinimò addimus ipſum Paulum Apoſtolum ſtatuiſſe primæ ad Corinthios 8. quòd edere Idolotyta, non eſt ſecundùm ſe malum, ſed ſolum ratione ſcandali, vel pravę intentionis. Indè ampliùs firmatur, quòd diximus circa pręceptum de abſtinentia ab immolatis ſimulacrorum.

D. Thomas ubi proxime.

Prohibitio illa à multis ſæculis jam non viget.

Solut. ad 3. ubi ſupra.

29 In oppoſitum ſecundæ aſſertionis, vel potiùs ad ejus majorem elucidationem, argui poteſt : Nàm ſi obſervantia legalium pro illo tempore intermedio mortifera neutiquàm fuiſſet; immeritò Paulus Petrum reprehendiſſet; non quidem ſimulatoriè, ut ajebat Hieronymus, ſed verè, & ex animo, juxta mentem Auguſtini : imò ſatis conformitèr ad teſtimonium productum ex cap. 2. Epiſtolæ ad Galatas, ubi ad verba jàm elucidata, ſubjungitur : *Sed cum vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cum Judęus ſis, gentiliter vivis & non judaicè,* ,, *quomodò gentes cogis judaizare.* ,, Quaſi dicat (exponit D. Thomas) ò Petre, *ſi tu cum Judæus ſis* (natione & genere) *gentiliter, & non judaicè vivis* : id eſt gentilium, & non Judæorum ritum ſervas, cum ſcias, & ſentias diſcretionem ciborum, nihil conferre, *quomodo cogis gentes* (non quidem imperio, ſed tuæ converſationis exemplo) *judaizare.* Vel ergo D. Petrus in obſervantia illa legalium peccavit graviter aut leviter : aut ab omni culpa fuit immunis, ut Hieronymus apud D. Thomam illis verbis ſignificavit : *In ſimulatione prædicta* (circa obſervantiam legalium) *Petrus non peccavit : quia hoc ex charitate fecit, & non ex aliquo timore mundano.* Si inquàm Petrus peccavit ; mortifera pro tùnc cenſenda erunt cęremonialia pręcepta : ſi autem non peccavit : quid igitùr eſt, quòd à Paulo fuerit correptus : cum ipſe legalia quædam obſervaſſet, præſertim Timotheum circumcidens?

Ad Galatas 2. v. 14.

D. Thomas lect. 3.

30 Propoſita objectio per partes diſſolvenda eſt, ut legitimus appareat ſenſus adducti ex epiſtola ad Galatas teſtimonii. Diſtinguenda igitùr venit major propoſitio: immeritò Petrum Paulum reprehendiſſet, propter præciſam legalium obſervantiam, verum eſt. Nequè enim poſſet reprehendere, quòd ipſe obſervavit, Timotheum circumcidens, qui ex matre Judæa genitus erat; licèt circumcidere noluerit Titum, qui ex gentilibus natus erat. (Jàm enim diximus non fuiſſe motivum; ut hi, qui convertebantur ex Gentilitate ad Chriſtum, legalia illa obſervarent: ſicut Judęis Evangelio coaptatis.) Immeritò reprehendiſſet propter nimiam legalibus inhærentiam ; neganda eſt major propoſitio. Ad ſubjectum dilema dicitur : Petrum non peccaſſe gravitèr : quia: (ut benè ait Div. Thomas lect. citata) Poſt ,, gratiam Spiritûs S. nullo modo peccaverunt mortaliter Apoſtoli ; & hoc donum habuerunt per potentiam divinam, quæ eos confirmaverat : Pſalm. 74. *Ego confirmavi columnas ejus* ::: Auguſtinus dicit: ,, Petrum peccaſſe, venialitèr tamen : & hoc propter indiſcretionem, quam habuit, nimis inhęrendo huic parti (ſcilicet Judæorum) ad vitandum eorum ſcandalum. Hęc omnia dilucidè expendit, & in Summa Theologica & loco ſæpè citato Sententiarum, dignus proinde ut audiatur. ,, Unde verum eſt (inquit) quòd Petrus peccavit, & Paulus verè eum non ſimulatoriè reprehendit. Non autèm peccavit Petrus in hoc, quod ad tempus legalia obſervabat : quia hoc ſibi licebat tanquàm ex Judęis converſio: ſed peccabat in hoc, quod circa legalium obſervantiam, nimiam diligentiam adhibebat, ne ſcandalizaret Judæos : ita quòd ex hoc ſequebatur gentilium ſcandalum. Sequebatur, inquàm ſcandalum præter intentionem D. Petri, ex ſola quadam ipſius levi indiſcretione, ut explicatiùs tradit D. Thomas in ſecundò loco inquiens: ,, Petrus tamèn incautè ſe habuit in obſervatione legalium ; nimis condeſcendens Judæis illis qui legalia obſervanda eſſe dicebant; ità ut aliqui ejus exemplo inducerentur ad ea obſervanda, quaſi neceſſaria, & ideò verè reprehenſibilis erat, & aliquam levem incurrit culpam : & Paulum verè & non diſpenſativè ipſum reprehendit.

Non propter pręciſam legalium obſervãtia, reprehenſus à Paulo fuit S. Petrus.

D. Thom. in loco Sentent. art. 4. ad 2.

Art. 5. quæſt. 3. in corp.

ARTICULUS III.

Judæorum Sinagogam in noviſsimis temporibus, reducendam eſſe præmonſtrans, non ad Moſaycos ritûs, ſed ad lucem Evangelii.

31 JAM aſſerere convenit primò legalia & cæremonialia legis pręcepta, in priſtinum vigorem reſtituenda non eſſe, in confìcto Millenariorum regno & noviſsimis temporibus. In hac aſſertâ Catholicâ veritate ſtabiliendâ contra Judaicum Cerinthi errorem, ſuperſtitioſaſque Rabbinorum delirationes ; parùm oportet immorari : quandoquidem, argumenta ipſa præcedentibus articulis adducta, in præſenti graviter, & efficacitèr urgere, breviter oſtendemus. Principiò igitùr : Antiquæ legis cæremonialia præcepta, ſacrificia, ſacramenta, legaleſque obſervantias, in lucem Evangelii tranſmigraſſe, indè nos docuit gentium Apoſtolus ; quia *translato Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis translatio fiat* : Quouſquè ergò novum Sacerdotium in Eccleſia vigeat, locum habere non valet antiqua lex cum ſuis cæremonialibus præceptis, ſacramentis & ſacrificiis; ſed Sacerdotium Evangelicæ legis, conſummato jam Levitico Sacerdotio, ultra ſęcula ipſa permanſurum eſſe Propheta Regius prænuntiaverat, dùm Chriſtum Dominum conſtitutum eſſe dixit Sacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Quouſquè ergò permaneat in Eccleſia Chriſti Domini Sacerdotium, locum habere non poſſunt antiqua ſacrificia. Hæc enim irrita & inania permanſere, poſtquam Chriſtus Dominus unâ oblatione conſummavit ſanctificatos in ſempiternum. *Undè & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum* : Non ergò mortua jàm, imò & mortifera antiqua lege cum ſuis cæremonialibus præceptis, in priſtinum vigorem revocanda aliquandò eſt.

Legalia ad priſtinum vigorẽ non reſtituenda in fine mũdi, argumenta oſtẽdunt præcedentia.

Pſal. 109. v. 4.

Hebr. 7. v. 25.

32 Alia inſuper argumenta quibus evacuatam vidimus Moſaycam legem, pari efficacia aſſertam hìc veritatem oſtendunt. Illam nàmque ceſſare ſtatuimus, quatenùs adveniente luce, deficit umbra ; veritate irradiante, deficit figura, & cum venerit quòd perfectum eſt, evacuatur quòd eſt imperfe-

ctum

Ibidem v.18.

ctum, juxta illud: *Reprobatio quidem ſit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris ſpei per quam proximamus ad Deum... In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.* Deindè quia novo adveniente Teſtamento, ſeneſcat, imò & ad interitum ducatur vetus Teſtamentum, neceſſum eſt. Hinc enim ita arguere poſſumus; ſi adveniente luce Evangelicâ veritateque per Chriſtum, antiquæ umbræ & figuræ finem acceperunt; manente evangelicâ veritate in perpetuum, jam rursùs antiquæ umbræ vigere non poſſunt. Pręterea manente in ſui robore & vigore novum & perfectum Teſtamentum, jam ampliùs vigere non poteſt antiquum Teſtamentum; ſed novum Teſtamentum Sanguine Chriſti perfectiſsimè conſtitutum, æternum dicitur: ergo vetus Teſtamentum, nunquam ad priſtinum vigorem revocandum erit. Tandèm juxta Malachiæ vaticinium: antiquas oblationes, holocauſta & ſacrificia, de Judęorum manu à Deo non eſſe ulteriùs acceptandas conſtat, adveniente Sacrificio altaris, à Solis ortu uſque ad occaſum offerendo: *Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Et meritò quidem: nàm legales omnes victimas & ſacrificia antiqua veluti umbras, in uno altari, ſacrificio defeciſſe certum eſt: cum ergo Euchariſticum Sacrificium ad conſummationem uſque ſæculi permanendum, Chriſtus Dominus pronuntiaverit, dùm Apoſtolis ita fuit loquutus: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; reſtat proindè, nunquam inſtauranda eſſe, antiqua ſacrificia, legem & cæremonias.

V.22.

Ad Hebræos 8. v.8. & 13.

Malachię 1. v.11.

33 Ad hæc, nulla ratione credibile fit: Chriſtum D. qui mortuus eſt, ut nos à ſervitute legis redimeret, atque in Evangelii libertatem tanquàm filios vendicaret: rursùs debere per mille annos legalibus obſervationibus nos adſtringere, durumque ac moleſtum cervicibus noſtris imponere jugum, quod nunquam Judæi portare potuerunt. Unde Cerinthianos aptari poſſunt verba, quæ Apoſtolorum Princeps protulit: *Nunc ergo quid tentabis Deum* imponere jugum ſuper cervices *Diſcipulorum, quòd neque Patres noſtri neque nos portare potuimus*? Et certè quàm perverſè diſcurrat Cerinthus in illa ſua cæremonialium reſtauratione pro regno Juſtorum per mille annos cum Chriſto fęliciter regnaturorum, nullus eſt qui non videat: ſi onera legis attendat, quibus ſubjicere prætendit, quos fælicisſimè regnantes effinxit? Et quòd majus eſt dementiæ genus: cum Juſtos illos, Chriſto Domino (à quo ſuſcitandos eſſe) obſequentiſsimos dicat: dùm illos lege Moſayca adſtrictos ponit: inſideles & veluti idololatras facit conformiter ad ea quæ diximus articulo præcedenti aſſertione 1. Nec eſt quòd Cerintho ex Sacris litteris aliquid patrocinetur: nam & Oracula

Actor.15.v.10

Immeritò Cerinthus jugo gravi ſubdere phantaziat, quos fęliciter regnantes dicit.

ipſa ex Apocalypſi adducenda, quibus confictum ſuum regnum nititur ſtabilire, nec verbum habent de inſtauratione antiquæ legis. Nàm Civitas illa Jeruſalem de qua cap. 21. verba facit Joannes, ipſa eſt cęleſtis patria, in qua templum ſe non vidiſſe teſtatur: unde ergo Cerinthus infert templum Jeroſolymitanum cum ſuis cęremoniis reſtaurandum?

34 Aſſerendum eſt ſecundò: Judæorum Sinagogam, in lucem Evangelii reducendam eſſe, propè Mundi interitum. Hæc inquàm eſt gloriosa, & fęlicisſima Judaici populi, meritò ſperata reſtauratio; non illa, quam Cerinthus commentitus fuit. In aſſerta veritate, conſpirant iterata Prophetarum oracula; adeò ut vix dubitandi locus reliquus maneat. Iſaias enim imprimis, futuram illam Iſraëlitarum ſpiritualem fęlicitatem verbis illis prænuntiavit: *Et levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Judà colliget à quatuor plagiis terræ.* Hæc namque Iſaiæ verba, licèt à quibuſdam exponantur de liberatione Judæorum à captivitate Babylonis, quæ poteſt dici ſecunda reſpectu primæ liberationis, quę eduxit eos de ſervitute Ægypti, & hac ratione intelligi poteſt, quod verſu antecedenti dixerat Propheta. *Adjiciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quòd relinquetur ab Aſſyriis, & ab Ægypto, & à Phethros, & ab Æthiopia, & ab Ælam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab Inſulis maris.* „ Nabuchodonoſore enim „ eos vaſtante, diverſæ gentes eos in cap- „ tivos, & in ſervos duxerant, & multis in- „ terfectis, reſidui congregati ſunt ex præ- „ cepto Regis Tyri; ſicut legitur; inquit D. Thomas expoſitionem datam referens. Verumtamen ſubjungit S. Doct. meliùs exponitur deliberatione facta per Chriſtum; non ſolùm in primò adventu, quando pauci Judęi comparativè ad multitudinem Gentilium converſi fuerunt; ſed potiùs in ſecundo adventu, quando per Eliæ prędicationem convertentur corda filiorum ad patres, ut dicitur Malachiæ ultimo. Et quidem, laudatum vaticinium præcipuè intelligendum eſſe de Judæorum converſione ad fidem Chriſti in fine ſęculi; ſatis firmat Apoſtolus, dùm converſionem illam futuram oſtendit, aliud ſimile ex Iſaia vaticinium in confirmationem adducit ex cap.59. videlicet: *Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob. Et hoc illis à me teſtamentum: cum abſtulero peccata eorum.*

Vergente mũdo ad interitum, Judæos ad veritatem reducẽdos, indicant Prophetæ.

Iſaię 11.v.12.

Verſ.11.

Eſdræ 1.v.

D.Thom. Cõm. in loc.Iſaiæ.

Rom.11.v.26.

35 Signanter diximus, verba Iſaiæ in ſenſu explicato principaliter intelligi debere. Nihil enim prohibet, ſenſum etiam indicatum admittere, dummodo præcipuè ad mentem Apoſtoli, ea intelligamus; quatenùs liberatio Judaici populi à captivitate Babylonica, typus fuit futuræ ad fidem Chriſti converſionis Judęorum. Eandem Judæorum converſionem futuram in fine mundi Oſeas Propheta adeò expreſsè pronuntiavit, ut Patres communitèr, & Interpretes pro com-

per-

perto habeant. Inquit enim: *Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphin. Et poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus in noviſſimo dierum.* Nec Patres ſolum, ſed & Interpres Caldæus laudatum teſtimonium ſic elucidavit, *Et poſt hæc pœnitebunt filii Iſrael, & quærent cultum Domini Dei ſui, & obedient Meſſiæ filio Davidis Regi ſuo.* Præterea, ut alia omittamus Prophetarum oracula, non poſſumus non audire Ezechielem, qui poſt deſcriptum pręlium Gog, & Magog, temporibus ſcilicèt Anti-Chriſti futurum, ad rem noſtram ſubjungit: *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Jacob, & miſerabor omnis domûs Iſrael: & aſſumam zelum pro Nomine ſancto meo. Et portabunt confuſionem ſuam, & omnem prævaricationem, qua prævaricati ſunt in me, cum habitaverint in terrâ ſuâ confidenter neminem formidantes. Et reduxero eos de populis, & congregavero de terris inimicorum ſuorum, & ſanctificatus fuero in eis, in oculis gentium plurimarum. Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod tranſtulerim eos in nationes, & congregaverim eos ſuper terram ſuam, & non derelinquerim quemquam ex eis ibi. Et non abſcondam ultra faciem meam ab eis, eo quòd effuderim Spiritum meum ſuper omnem domum Iſrael, ait Dominus Deus.*

Oſeę 3.v.4.

Ezechiel. 39. à v.25.

36 Tandèm in confirmationem futuræ illius Judæorum converſionis ad Chriſtum; ipſum vocamus Paulum Apoſtolum, dilucidè pro illa qua pollebat cęleſti Sapientiâ, aſſertam veritatem ſtabilientem. Præmittit enim Judæorum caſum, & ruinam non fuiſſe univerſalem poſt mortem Chriſti, & prædicationem Evangelii. Inquit enim: *Nunquid repulit Deus populum ſuum? abſit*: Ut ſcilicet populus Judęorum ſit totaliter repulſus exponit Div. Thomas, & cum Apoſtolo oſtendit: primò ex eo quod ipſe (ſimilia dici debent de reliquis Apoſtolis) Iſraëlita fuit, & ſalutem conſequutus. Deindè oſtendit ſimilitudine deductâ ab his quę contigerunt tempore Elię, quando etiam totus populus videbatur à cultu unius Dei aberraſſe. Et tamen ipſi Prophetæ divinitùs reſponſum fuit: *Reliqui mihi* (id eſt in cultu meo, non permittendo eos cadere in peccatum) *ſeptem millia virorum*, (ponitur certum pro incerto propter perfectionem ſeptenarii, & milliarii) *qui non curvaverunt genua ante Baal.* id eſt, qui cultum Dei non deſeruerunt. Expoſitio eſt D. Thomę. Indè concludit Apoſtolus propoſitum ſuum: *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit... Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ* (ſcilicet Judęorum vel aliqui Judęi) *ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt.*

Noviſsima illa Judæorum cõverſio, Paulo loquẽte, & Thoma theologizante, firmatur.

Rom.11.v.1.

D.Thom.lect.1.

V.4.

V.5.

37 Deindè docet Apoſtolus Judæorum caſum & ruinam non fuiſſe per ſe intentam à Deo; ſivè Deum non permiſiſſe eos cadere, ut pręcisè caderent, id eſt, propter nullam aliam utilitatem inde conſequentem. Quodquidem, eſſet contra bonitatem divinam (inquit Div. Thomas) quæ tanta eſt, ut „ Auguſtinus dicit in Enchiridione cap. 11. „ quod nunquam permitteret aliquid mali „ fieri, niſi propter bonum, quod ex malo „ elicit: Unde Job 34. dicitur: *Conteret multos „ & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Docet igitur Apoſtolus, Judęorum caſum fuiſſe utilem occaſionaliter ad ſalutem gentilium, illis verbis: *Dico ergo: nunquid ſic offenderunt ut caderent? abſit. Sed illorum delicto ſalus eſt Gentibus, ut illos æmulentur.* In hoc ſenſu adducit Div. Thomas verba Chriſti Domini: *Salus ex Judeis eſt.* Hæc autem ſalus gentilium ex caſu Judæorum occaſionaliter ſequuta, ex triplici capite, vel tripliciter intelligi poteſt: (verba ſunt D. Thomę lect. citata) „ Primo modo, quia „ per delictum, quod in occiſione Chriſti „ commiſerunt, eſt ſubſequuta ſalus gentium „ per redemptionem Sanguinis Chriſti, 1. „ Petri 1. *Non enim corruptibilibus auro „ vel argento redempti eſtis de vana veſtra „ converſatione paternæ traditionis, ſed pre- „ tioſo Sanguine quaſi Agni immaculati*: Se- „ cundo modo poteſt intelligi de delicto, quo „ doctrinam Apoſtolorum repulerunt; ex quo „ conſequutum eſt ut Apoſtoli Gentibus prę- „ dicarent: ſecundùm illud Actor. 13. *Vo- „ bis oportebat primùm loqui verbum Dei, „ ſed quoniam repellitis illud, ecce converti- „ mur ad gentes.* Tertio modo poteſt in- „ telligi de hoc, quod propter ſuam im- „ pœnitentiam ſunt in omnes gentes diſper- „ ſi: & ſic Chriſtus, & Eccleſia ubique à li- „ bris Judęorum teſtimonium habuit fidei „ Chriſtianæ, ad convertendos Gentiles, qui „ ſuſpicari potuiſſent prophetias de Chriſto, „ quas prædicatores fidei inducebant, eſſe „ confictas, niſi probarentur teſtimonio Ju- „ dęorum: Unde in Pſalm.58. dicitur: *Oſten- „ dit mihi ſuper inimicos meos* (ſcilicèt Ju- „ dęos) *ne occidas eos, ne quando obliviſ- „ cantur populi mei. Diſperge illos in veri- „ tate tua.* His pręmiſsis.

D.Thom.lect.2.

V.11.

Joann.4.v.22.

38 Jam Judęorum futuram converſionem, tribus præſertim argumentis firmat Apoſtolus, juxta expoſitionem Doctoris Angelici; eaque cum ipſo, hac brevi methodo proponimus: „ Bonum eſt potentius ad utili- „ tatem inferendam, quàm malum; ſed ma- „ lum Judæorum magnam utilitatem genti- „ bus contulit: ergo multò majorem con- „ fert Mundo eorum bonum:: ergo ſi Deus „ propter utilitatem totius Mundi, permi- „ ſit Judæos derelinquere, & diminui, mul- „ tò magis implebit ruinas eorum propter „ totius Mundi utilitatem. Secundum argumentum ſic proponi poteſt: quia ſi ruina Judęorum, & incredulitas eſt occaſionaliter reconciliatio Mundi, in quantum per mortem Chriſti ſumus reconciliati Deo, ſicut Judæis dimiſsis tanquam grex perditus, ut dicitur Jerem. 50. Gentiles ad vitam gratię

re-

reducti ſunt: itâ cadentibus Gentilibus jàm Chriſtianis ab Anti-Chriſto deceptis, Judæi converſi, in priſtinum fervorem reſtituentur. Sic enim, non ſolum Gentiles, ſed etiam, & Judæi congregandi ſunt, & reducendi ad fidem Chriſti juxta illud Zachariæ 11. *Sumpſi mihi duas virgas.* Per quas, ſecundùm Hieronymum & Cyrillum, intelliguntur Populi ex Iſraël, & ex Gentibus: *In unam quippè caulam* (inquit Cyrillus) *eos, qui erant ex Iſrael, & qui ex gentibus erant conduxit.* Aliud etiam ſubjungit Apoſtol. argumentum, ex eo quod Judæi originem ducunt ex antiquis Patriarchis, tanquam rami ex bona radice; undè licèt actualiter non ſint ſancti, poſſunt dici ſancti ſanctitate potentiali, qualiter verba illa Pauli intelligit Div. Thomas:

Rom. 11.*v.*16.

Et ſi radix ſancta & rami; concludens:

*D.Thom.lect.*2. *ad finem.*

,, Nihil enim prohibuit eos reparari in ſan- ,, ctitate, quorum Patres, & quorum filii ,, (quales fuerunt Apoſtoli ex gente Judæo- ,, rum aſſumpti) ſunt ſancti. Maneat ergo ,, quod in fine Mundi quando plenitudo ,, gentium intrabit pro majori parte ad fidem ,, Chriſti; tunc omnis Iſraël ſalvus fiet; non ,, particulariter ſicùt modò, ſed univerſaliter

Lect. 4.

ut exponit Div. Thomas Oſeę 1. *Salvabo eos in Domino Deo ſuo*, Micheæ ultimo: *Revertetur & miſerebitur noſtri.* Hieronymus etiam in cap. 2. Matthæi adnotat, quod quando puer Jeſus reverſus fuit ex Ægypto, nec nox, nec tenebræ ponuntur in Evangelio; quia in fine mundi Judæi fidem, tanquam Chriſtum ab Æygpto revertentem ſuſcipientes illuminabuntur.

OBJECTA DISSOLUTA.

39 In favorem erroris de reſtituendâ in ſui vigorem & gloriam Moſaycâ lege, oracula illa coacervant Cerinthiani, quibus Judæi prædicuntur, reverſuri in patrium ſolum, ex nationibus ad quas fuerint diſperſi. Inſuper, & teſtimonia ſacra, unde, Judæorum vanam ſpem firmare nituntur de inſtaurandâ Jeroſolymâ, Temploque cum antiquis cæremonialibus ſacrificiis, & ſacramentis. Primi generis oraculum, primò ex Deuteronom. deducunt, ubi promiſsio illa habetur:

Deuteron. 30. *v.*3.

Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miſerebitur tui; & rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te antè diſperſit:: Et aſſumet atque introducet in terram, quam poſſederunt patres tui. Similem promiſsionem videre licet apud Ezechielem:

Ezechiel. 37. *v.* 21.

Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos undique, & adducam eos ad humum ſuam. Sed prę-ſertim, hujus generis vaticinia apud Iſaiam & Jeremiam obvia cum ſint, alterum ex unoquoque Propheta oraculum producere ſatis erit: Iſaias enim ita ad rem habet:

Iſaiæ 14. *v.* 1.

Propè eſt ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam. Jeremias autem:

Jerem. 32. *v.* 73

Ecce ego congregabo eos de univerſis terris ad quas ejeci eos in furore meo, & in irâ meâ, & in indignatione grandi: & reducam eos ad locum iſtum, & habitare eos faciam confidenter.

40 Secundi generis teſtimonia plurima adduci poſſent: imprimis ex Pſalmis ubi hæc habentur: *Ædificans Jeruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit.*

Pſal. 146. *v.* 2.

Inſuper: *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.*

Pſal. 50. *v.* 20.

Apud Jeremiam: *Rurſumque ędificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael.* Et infra: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ædificabitur Civitas Domino, à Turre Hananeel, &c.*

Jerem. 31. *v.* 4. *v.*38.

Amos 9. *In die illa ſucitabo tabernaculum David, quod cecidit:: & reædificabo eum ſicut in diebus antiquis.*

Amos 9. *v.*11.

Et rurſum: *Et convertam captivitatem populi mei Iſrael, & ædificabunt civitates deſertas, & inhabitabunt, &c.* Hæc aliaque ſimilia Scripturæ Oracula coacervant Cerinthiani, ſed quàm infeliciter deſudent in hoc conficiendo argumento, pro ſuo erroneo & conficto Millenario; plura oſtendunt. Imprimis enim, nihil de anticipata reſurrectione habent. Pręnuntiant ſiquidem; Judæos ex nationibus, & regnis quò diſpergendi erant reverſuros, ut promiſſo à Prophetis fauſtę fęlicitatis bono fruantur. Deinde: ſi de reverſione dumtaxat Judęorum ex Babylonica captivitate producta teſtimonia intelligi debeant, ut Judęi ipſi, quorum fabuloſa deliria Cerinthus recoxit, jam frequenter produnt: qua errorum inconſequentia prętendit, oracula illa in ſuum detorquere phantaziatum regnum? Verumtamen, veritatis gratiâ:

Oracula de reductione Judęorum in patrium ſolum, non carnaliter ſed ſpiritualiter inteligenda veniunt.

41 Reſpondetur ad argumentum: quod oracula, & teſtimonia adducta præcipuè intelligenda ſunt in ſublimiori ſenſu; de ſpirituali ſcilicet regno Chriſti, nempè Eccleſiâ, vel hic in terris militante, vel in Cęlis triumphante. Unde reductio illa Judæorum, quam tot magnificis promiſſionibus Prophetæ, Spiritu Sancto inſpirante, prænunciarunt, non ad inſtaurandum Templum cum antiquis cæremonialibus præceptis pertinet; ſed ad Eccleſiam Chriſti, ſacrificiaque, & Sacramenta Evangelicæ legis, ad quam reducendos eſſe generaliter Judæos in fine mundi, Prophetæ ipſi expreſsè vaticinarunt. Et quidem, in ſenſu hujuſmodi ſubliminori intelligenda eſſe producta prophetica oracula; ſignificant apertè omnes Sancti Patres, conformiter ad ea quę ipſi Prophetæ ſubjungunt. Jeremias enim, ut alios omittamus, ſic proſequitur: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Hæc namque via, ea eſt, quam Chriſtus Dominus monſtraturus erat, & de qua jam pręnunciatum fuerat per prophetam: *Hæc eſt via ambulate in ea.* Præterea, quantum attinet ad teſtimonia ſecundi generis de inſtauratione ſacrificiorum, con-

Iſaię 30. *v.* 21.

contra ipſos arguentes ſtare, Doctore Angelico elucidante, notum fiet, præcipuè in teſtimonio Pſalmi 50. Præmiſerat namque Regius Propheta, ſacrificia antiqua, non fuiſſe propter ſe Deo grata, ſed quia erant figura ſacrificii, quo Chriſtus ſe obtulit. Ideò dixit: *Holocauſtis non delectaberis.* Poſtea verò in verbis adductis promittit futuram veritatem in antiquis figuris latentem: nempe de duplici Jeruſalem myſticè ędificanda, Eccleſiâ nimirum militante ſub Chriſto Domino in terris, & triumphante in cęlis.

42 Adeò tamen piè, juxta & ſolidè in locum citatum diſſerit D. Thomas, ut ejus omittere verba non poſsimus:

D. Thomas in Pſalm. 50.

,, *Dicendum* ,, *eſt* (inquit) *quod eſt duplex Jeruſalem,* ,, *ſcilicet cæleſtis* (Galat. 4.) *Illa quæ ſur-* ,, *ſum eſt Jeruſalem libera eſt, quæ eſt* ,, *mater noſtra.* Alia eſt præſens Eccleſia ,, exemplata ab illa (Apocalyp. 21.) *Vidi* ,, *Civitatem Sanctam Jeruſalem, &c.* Et ,, utraque habet muros. Muri cæleſtis Jeru- ,, ſalem ſunt munimenta æternitatis & im- ,, mortalitatis, quam conſequuti ſunt ſancti

Pia, & ſolida expoſitio.

,, per Chriſtum (Rom. 8.) *Qui ſuſcitavit* ,, *Jeſum Chriſtum, vivificabit, & corpora* ,, *noſtra.* Muri præſentis Jeruſalem, ſcili- ,, cet Eccleſiæ, ſunt Sacramenta gratiæ, & ,, Doctores (Ezech. 13.) *Non ſtetiſtis ex* ,, *adverſo nec oppoſuiſtis murum pro domo* ,, *Iſrael, ut ſtaretis in prælio.* Ædificatio- ,, nem iſtorum prævidebat ſpiritu prophe- ,, tiæ (Eſai. 56.) Ad hoc ergo, quod ædi- ,, ficentur iſti muri (*tu domine fac benigne*) ,, id eſt oſtende benignitatem hanc, quam ,, benignitatem Apoſtolus (Tit. 3.) dicit ,, impletam. *Apparuit benignitas, & hu-* ,, *manitas ſalvatoris noſtri Dei.* Et hoc ,, non propter merita noſtra, ſed prop- ,, ter tuam voluntatem bonam (Rom. 12.) ,, *Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona,* ,, *& beneplacens & perfecta.* (1. Timot. 4.) ,, *Hæc eſt voluntas Dei, &c.* Et hoc facias ,, ad hoc (*ut ædificentur muri Jeruſalem*) ,, vel militantis, vel triumphantis. Sed ,, quid erit? (*Tunc acceptabis ſacrificium* ,, *juſtitiæ*) hoc autem tripliciter exponitur, ,, & duo primi modi pertinent ad Eccle- ,, ſiam præſentem. Uno modo, quod hoc ,, referamus ad ſacrificium, non quo tru- ,, cidantur pecora: ſed quo occiduntur ho- ,, mines propter Chriſtum; & in hoc eſt ,, duplex gradus: quia primum locum te- ,, net ſacrificium Chriſti (Galat. 2.) *Dile-* ,, *xit me, & tradidit ſemetipſum pro me:* ,, & ideò dicit (*tunc*) id eſt in ędificatione ,, murorum Jeruſalem, id eſt Eccleſiæ (*ac-* ,, *ceptabis ſacrificium juſtitiæ*) quo Chriſtus ,, ſe obtulit, qui juſtus eſt. (Joann. 8.) ,, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et ,, quia tantę virtutis eſt, ut ſatisfaceret ,, pro homine, ut juſtificaret eum. Secun- ,, dum locum tenent alii Sancti, qui ſe ,, propter Deum obtulerunt in ſacrificium: ,, ut dicit (*oblationes*) ſcilicet Confeſſores, ,, qui confitendo Chriſtum, quantum in ſe ,, eſt obtulerunt ſe morti: licèt non ſint ,, occiſi. (Judic. 5.) *Qui ſponte obtuliſtis* ,, *de Iſrael animas veſtras ad periculum,* ,, *benedicite Domino.* (*& holocauſta*) Iſti ,, ſunt martyres. (Joann. 15.) *Majorem* ,, *charitatem nemo habet, &c.* (*& tunc* ,, *acceptabis*) quando ita ipſi ſancti impo- ,, nent ſe tanquam vitulos ſuper altare ,, tuum, id eſt ſuper fidem tuam, & ſuper ,, Chriſtum, id eſt exponent ſe tanquam ,, vitulos propter Chriſtum, & fidem Chri- ,, ſti ad immolandum. Alio modo, ut re- ,, feratur tanquam ad opera juſtorum, & ,, ſic eſt ſenſus. *Acceptabis juſtitiam*, ſicut ,, ſacrificium, quia opera juſtitiæ, & mi- ,, ſericordiæ ſunt ſicut ſacrificium (Hebr. ,, ult.) *Beneficientiæ, & communionis no-* ,, *lite oblivíſci; talibus enim hoſtiis pro-* ,, *meretur Deus.* Et tunc accipies oblatio- ,, nes. Secundum Gregorium, holocauſtum ,, eſt quod totum incendebatur, & ſignat ,, perfectos viros, qui totaliter dant ſe ,, Deo. Oblationes ſunt illi, qui ali- ,, quid offerunt, & aliquid reſervant, & ,, tunc Sacerdotes imponent vitulos, id ,, eſt converſos de novo (*ſuper alta-* ,, *re*) id eſt ſuper fidem Chriſti; vel ,, tunc prælati majores, imponent prædica- ,, tores mugientes doctrinâ fidei (*ſuper al-* ,, *tare*) id eſt ſuper confeſsione fidei. Ter- ,, tia expoſitio eſt de cæleſti Jeruſalem, & ,, eſt ſenſus (*tunc*) ſcilicèt quando ædifi- ,, cabuntur muri cæleſtis Jeruſalem (*accep-* ,, *tabis ſacrificium juſtitiæ*) hic quando- ,, que fit ſacrificium pœnitentiæ: ſed ibi ,, eſt tantum laudis. (Eſai. 60.) *Populus* ,, *tuus, omnes juſti in perpetuum hæredi-* ,, *tabunt terram.* Et hoc eſt illud ſacrifi- ,, cium laudis, de quo (Pſalm. 83.) *Beati* ,, *qui habitant in domo tua, in ſæcula ſæ-* ,, *culorum laudabunt te* (*& tunc oblatio-* ,, *nes*) id eſt Sanctos minores (*& holo-* ,, *cauſta*) id eſt Sanctos majores accepta- ,, bis, & hos offerent angeli, quibus di- ,, citur (Matthæi 13.) *Triticum autem con-* ,, *gregate in horreum meum.* Et iſti Angeli ,, (*imponent*) Sanctos (*ſuper altare tuum*) ,, id eſt, in gloriam cæleſtem (Apocal. 8.) ,, *Data ſunt ei incenſa multa, ut darent de* ,, *orationibus Sanctorum omnium ſuper al-* ,, *tare aureum* (Pſalm. 21.) *Placebit Deo* ,, *ſuper vitulum novellum cornua producen-* ,, *tem, & ungulas.*

43 Hæc licèt genuina ſit, & ſublimior teſtimoniorum Sacræ Scripturæ intelligentia, & ſcopus, in quem promiſsiones illæ colimant; non proinde negamus reductionem Judæorum ad patrium ſolum in noviſsimis temporibus; imò & eorum conatum ad reędificandam Jeroſolymam cum Templo, & reſtauranda ſacrificia legaleſque cęremonias. Hæc tamèn non præſtabunt, Deo inſpirante, ſed propriâ malitiâ excæcante: dum Anti-Chriſto ſe ſubjicientes, ipſum tanquam verum Meſsiam recipient. Tunc ergo Judæi, qui incredibili deſiderio ſuum adhuc ſperant Meſsiam in

Judęi ad fidem reducēdi, poſtquam ab Anti-Chriſto deluſi reſipiſcent.

in lege promiſſum fallacibus ſignis, prodigiiſque mendacibus decipiendi, Anti-Chriſtum pro ſuo Meſsia ſuſcipient: qui omnia fermè, quæ Judæi delirantes ſperant in eorum gratiam abundè promittet: Ea ſunt, reductio illius gentis in patriam, inſtauratio Urbis & Templi, victimarum apparatus, legalium rituum obſervatio, imperium totius orbis; ſummaque rerum terrenarum fęlicitas, atque voluptas. Sivè, ut brevius dicam: Quidquid pro ſuo Millenario commentus fuit Cerinthus. Verumtamèn cum in fine ſe videbunt deluſi ab Anti-Chriſto, cujus horrendum interitum conſpicient; prædicationis Eliæ & Enoch memores Moſayca omnia abjicient, ad Chriſti fidem generaliter reducendi. Hæc inquàm ſpiritualis reductio ad fidem, & gratiam; & indè ad gloriam cæleſtem Judęis pręcipuè (ut diximus) prænuntiata fuit à Prophetis: ſi enim de reductione à captivitate babylonica loquuntur aliquando; de ea verba faciunt, quatenus ſignificat liberationem à culpâ, & tranſlationem ad gloriam illius gentis in noviſsimis temporibus explendâ.

44 Et quidem, quantùm ad primum pertinet; Judæos nempe adhęſuros eſſe Anti-Chriſto, non videtur negandum Chriſto Domino affirmante, judęiſque ita exprobante: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Hæc namque verba, licèt poſsint intelligi de hæreticis, & falſis Doctoribus, juxta Magnum Auguſtinum, ex illo 1. Joan. 4. *Audiſtis quia Anti-Chriſtus venit: & nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt.* Tamen, magis ad litteram de Anti-Chriſto à Judæis recipiendo intelliguntur à Gloſſa adducta à D. Thoma: *Quia Judæi noluerunt accipere Chriſtum: pœna peccati hujus congruè erit: ut recipiant Anti-Chriſtum: Ut qui noluerunt credere veritati credant mendacio.* Imò & Apoſtolus ſatis hoc ipſum ſignificat poſt enarratam Anti-Chriſti perfidiam, ſubjungens: *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Id eſt falſę doctrinæ Anti-Chriſti, exponit D. Thomas. Inde PP. communiter duplici laudato teſtimonio præcipuè innixi datam doctrinam firmant, & amplectuntur. S. Ephren de Anti-Chriſto dicit: *Supra modum Judæorum gentem honorabit Anti-Chriſtus, quod ſcilicet hi maximè illius expectent adventum, tanquàm ipſius veri Chriſti.* S. Cyrillus: *Judæorum liberi, venientem rejecerunt: malè autem venturum expectant; Verum Chriſtum negaverunt; falſum verò ipſi errantes recipient; qua de re ipſe Salvator*, dixit: *Ego veni, &c.* Similia habet Ambroſius in locum Pauli. Hieronymus inſuper id ipſum ex teſtimonio Apoſtoli oſtendit, in Danielem & alibi ſępe. Alii etiam PP. frequenter, ut videre licet apud Maluenda de Anti Chriſto.

Joann. 5. v. 43.

D. Auguſt. apud D. Thom. ibid. in comment.

2. ad Theſalon. 2. v. 10.

D. Thom. ibid. lect. 3.

S. Ephren ſerm. de Anti-Chriſto.

S. Cyrillus Catecheſi 17.

45 Ad ſecundum quod ſpectat, de Templo inſtaurando tempore Anti-Chriſti, Paulus Apoſtolus ſupponere videtur, dùm illius ſuperbiam prodit, inquiens: *Quoniam niſi venerit diſceſsio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* His namque verbis, de Anti-Chriſto ſermonem fieri, frequens eſt Sanctorum Patrum ſententia; de quo affirmat Apoſtolus, quod ſedebit in Templo, ſcilicèt Jeroſolymitano, tunc temporis inſtaurando. Nam licèt auctores aliqui ſupreſſo nomine relati à D. Thoma, quibus conſentiunt Judęorum nonnulli, affirment, nunquam Templum illud eſſe reędificandum: ideòque ly *in Templo Dei* exponunt, *in Eccleſia*, quia multi de Eccleſia eum recipient. Vel ſecundùm Auguſtinum: *In Templo Dei ſedeat*, id eſt, *principatum & dominatum*; tanquam ipſe cum ſuis nunciis ſit Templum Dei; ſicut Chriſtus eſt cum ſuis. Utramque hanc expoſitionem adducit D. Thomas; quia incertum judicavit Auguſtinus: in quonam Templo Dei ceſſurus ſit Anti-Chriſtus; utrum in illa ruina Templi, quod à Salomone rege conſtructum eſt; an verò in Eccleſia.

2. ad Theſalen. 2. à v. 3.

D. Thom. ibid. lect. 1.

Templum Jeroſolymitanũ, tiranizãte Anti-Chriſto, inſtaurandum.

46 Verumtamen alii Patres, in Templo Jeroſolymitano, ut à ſuis adoretur, ceſſurum Anti-Chriſtum, tenent. Irenæus imprimis, ad verba Chriſti Domini ſupra adducta, ſubjungens: *Alium dicens Anti-Chriſtum; quoniam alienus eſt à Domino, & ipſe eſt iniquus judex, qui à Domino dictus eſt, quoniam Deum non timebat, neque hominem reverebatur, ad quem fugit vidua oblita Dei, id eſt terrena Jeruſalem, ad ulciſcendum de inimico, quod & faciet in tempore regni ſui, transferens regnum in eam & in Templo Dei ſedebit, ſeducens eos, qui adorant eum, quaſi ipſe ſit Chriſtus.* Deinde (præter Hieronymum proximè adducendum) audiatur Hilarius: *Anti-Chriſtus* (inquit) *à Judæis ſuſceptus, loco ſanctificationis inſiſtet, ut ubi Sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis ſit.* Audiatur tamen Div. Thomas lectione jam citatâ, ubi inquit: „Superbia enim Anti-Chriſti major eſt omnium „præcedentium: Unde ſicut de Cajo Cæ„ſare legitur, quod cum in vita iſta adhuc „eſſet, coli voluit, ſtatuam ſuam ponens „in quolibet Templo, & Ezechiel. 28. de „Rege Tyri dicitur: *Dixiſti quia „Deus ego ſum, &c.* ita credibile eſt, „quod ſic eis faciet Anti-Chriſtus, dicens „ſe Deum eſſe & hominem: & in hujus „ſignum ſedebit in Templo. Sed in quo „Templo? Non ne eſt deſtructum à Ro„manis? Et ideò dicunt quidam, quòd „Anti-Chriſtus eſt de tribu Dan, cujus „tribus inter alias duodecim non nomina„tur Apocalypſis 7. Et ideò Judæi primò

S. Irenæus lib. 5. cap. 25.

S. Hilarius canon. 25. in Matthæum.

Ex Philone refert Baronius ad annum Chriſti 42.

eum

„eum recipient, & reædificabitur Tem„plum in Jeruſalem; & ſic implebitur il„lud Daniel 9. *Erit in Templo abomina„tio & idolum*: Matth. 24. *Cum verò „videritis abominationem deſolationis, quæ „dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem „in loco ſancto, qui legit, intelligat.* Hanc utique abominationem Hieronymus de Anti-Chriſto intelligit. Addit tamen poſſe etiam intelligi de ſtatua Tiberii Cæſaris, quam Pilatus in Judæorum Templo collocavit. Vel ſimiliter de ſtatua equeſtri Adriani in Sancta-Sanctorum collocata.

47 Tandèm de converſione Judæorum ad Chriſtum in fine mundi conſtat ex ſupradictis. Continget autem ſic, dum ipſi poſt cladem Anti-Chriſti, regnique ejus deſtructionem, ſe deluſos videbunt in ſuo Pſeudomeſsia admiſſo; inde Chriſtum Dominum, ut verum per Prophetas promiſſum Meſsiam ſincero corde acceptabunt; eique toto plauſu adhęrebunt. Sicut enim Judæi in primo Chriſti adventu viſsibili ipſum rejicientes, in Anti-Chriſtum offenderunt: ita ſecundo adventu imminente; rejecto Anti-Chriſto, quem cęci, ut Meſſiam acceptabunt; ad Chriſtum Dominum ſunt reverſuri. Plauſibilis namque eſt Hebræorum traditio, quam refert Nicolaus de Lira, quamque ſequuntur Sanctus Dorotheus, in ſynopſi, aliique Patres. Tempore Anti-Chriſti in publicum apparituram eſſe dicunt Arcam Teſtamenti; non ut inde Judæi majoris perfidiæ motivum arripiant, ſed ad eorum converſionem. Sic enim præter laudatum Dorotheum, ſcripſit Epiphanius: *Hic eſt ille Propheta, qui ante mutationem Templi, arculam aprehendit, quæque fuere in ea ſingula, & curavit ea abſorveri in ſaxum. Deinde ſubjungit, Arcam hanc, nec quiſquam reſerabit umquam; neque Sacerdotum, neque Prophetarum, exepto Moyſe electo Dei: Cæterum in reſurrectione, primùm arca reſurget, & prodibit è ſaxo, & omnes Sancti ad eam confluent, ut illic ſuſcipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat.* Paulò aliter licèt in eadem ſubſtantia refert Div. Thomas in caput ſecundum lib. ſecundi Machabæorum, vel quiſquis ſit auctor illius commentarii. Et juxta eundem ſenſum, frequenter interpretes teſtimonium Jeremiæ intelligunt; quando ſcilicet Arcam in monte occludens, tabernaculum & altare incenſi, his, qui eum obſervabant, ut locum notarent, dixit: *Quod ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus oſtendet hæc, & apparebit Majeſtas Domini.* Adducit etiam Div. Thomas quendam celebrem Rabbinum ita exponentem verba illa: *Donec congreget Deus, &c.* „Scilicet perfectâ congregatio„ne, quæ erit poſt Anti-Chriſtum: illam „enim quando reverſi ſunt de Babylonia, „non habuerunt perfectam: Sicut & Moy„ſi manifeſtabatur in datione legis. *Ut lo„cus ſanctificaretur*, id eſt Templum, & „Atrium, & ſicut tunc manifeſtavit gloriam „ſuam per nubem & fumum; ita faciet „in fine, quando Judæi convertentur, & „oſtendet eis Arcam.

Qualiter Judæorum futura ſit converſio.

S. Epiphanius lib. de vita, & interitu Prophetarum, in vita Jeremiæ.

2. Machab. 2. v. 4.

D. Thom. ibid. vel auctor commentarii.

ARTICULUS IV.

Anticipatam juſtorum reſurrectionem; ut cum Chriſto Domino corporalibus fruantur deliciis explodens.

48 ZIZANIA Cerinthi in ſomniato Millenario errorum baratro revocavimus, quatenùs in illo regno inſtauranda effutiebat antiqua cæremonialia. Nec minus erroribus ſcatet, quantum ad ſpurciſsima delectamenta, quibus regnum illud fędare auſus fuit, in quo non immoramur hic; poſtea debellaturi (contra Gnoſticos) ſimilia impudicitiæ monſtra. Satis namque erit Maximum audire Hieronymum ad verba illa Chriſti Domini, quibus promiſit relinquentibus omnia centuplum præmii in hac vita & vitam æternam. *Ex occaſione hujus Sententiæ* (inquit Hieronymus) *quidam introducunt mille annos poſt reſurrectionem, dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum, quas dimiſimus, & vitam æternam eſſe reddendam: non intelligentes, quod ſi in cæteris digna ſit repromiſsio, in uxoribus appareat turpitudo: ut qui unam pro Domino dimiſerit centum recipiat in futuro.* Igitur depellere aggredimur dumtaxat regnum illud, etiam prout à Patribus nonnullis antiquitùs propugnatum fuit, abſque hæreſis nota. Imprimis namque anticipatam illam, quam ponebant juſtorum reſurrectionem: deinde corporeas delicias, etſi aliunde honeſtas, imaginati illius regni, reiiciendas aſſumimus.

Matth. 19. v. 29.

S. Hieron. lib. 3. in Matth. cap. 19.

49 Aſſerendum eſt primò: Juſtos mille annis ante reſurrectionem univerſalem & generale judicium, ad perennem vitam non eſſe revocandos. Pro hac veritate, ſacra illa teſtimonia extant, quibus ſignificatur, juſtos ſimul & impios ex mortuis reſurrecturos eſſe. Primum igitur teſtimonium ex Joanne deſumitur, Chriſtum Dominum ita loquentem, referente: *Nolite mirari hoc* (nempè quod Filio dederit Pater judicium facere) *quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filii Dei & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem judicii.* His namque verbis ſermonem fieri de reſurrectione corporum ad vitam, monumenta ſignificant, ubi non animæ ſunt, ſed cor-

Anticipata juſtorum reſurrectio, inter Cerinthi deliria reponitur.

Joann. 5. à v. 28.

po-

pora : de reſurrectione autem ſecundùm ſpiritum , nempè à morte peccati ad vitam gratiæ , loquutus fuerat Chriſtus Dominus verbis illis : *Quia venit hora , & nunc eſt , quando mortui audient vocem filii Dei : & qui audierint vivent.* Indè ſic arguitur : licèt non omnes ad vocem Chriſti ſpiritualiter reſurgant ; ideòque non ponitur in ſecundo teſtimonio ly *omnes* (notat D. Thomas) : tamen in reſurrectione futura corporum , dicitur *omnes eſſe reſurrecturos* , tùm bonos , tùm malos , & quidem ſimul. Etenim ad vocem filii Dei, ſtatim ſunt ad vitam revocandi omnes qui in monumentis ſunt:cum ergo in monumentis jaceant , tùm boni , tùm mali quantum ad corpus , omnes ſimul reſurrecturos affirmandum eſt. Indè Eccleſia in Miſſa pro defunctis canit:

V. 25.

D. Thom. in locum Joan.

Tuba mirum ſpargens ſonum
Per ſepulchra regionum:
Coget omnes ante thronum.

50 Nec minori expreſsione ſimultaneam omnium hominum reſurrectionem prædixit Chriſtus Dominus , dum poſt prænuntiatam Anti Chriſti perſequutionem tribulationeſque, preſuras , & ſigna extremi judicii, adventumque filii hominis ad judicandum, ſubjungit : *Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna : & congregabunt electos ejus à quatuor ventis , à ſummis celorum uſque ad terminos eorum.* Hæc namque tuba , & vox magna illa eſt de qua Paulus : *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli , & in tuba Dei deſcendet de celo.* Ad judicandos omnes eo tempore reſurrecturos , ſive bonos , ſive malos , juxta illud Danielis : *In tempore illo: evigilabunt alii in vitam æternam : alii in in opprobium.* Et Joannis ſimiliter in Apocalyp. *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni :: & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant : Et judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum.* Tandèm ut alia omittamus , audiendus eſt Gentium Apoſtolus , aſſertam catholicam veritatem expreſsè tradens. Statuit enim imprimis generalem futuram omnium reſurrectionem : *Omnes quidem* , inquit , *reſurgemus.* Qualiter autem ſit futura ita ſignificat : *In momento , in ictu oculi , in noviſsimâ tubâ.* Si ergo omnes in momento ad vocem illam , in vitam ſunt revocandi ; ut ſtatim judicio univerſali ſiſtantur , non ſunt audiendi Millenarii effutientes , homines juſtos reſurrecturos mille annis ante judicium generale. Erronea certè opinatio , ut notat Div. Thomas in commentario. ,, *In momento* , per quod excludit errorem dicentium reſurrectionem non ,, eſſe futuram omnium ſimul. Sed dicunt ,, quod Martyres reſurgent ante alios per ,, mille annos,& tunc Chriſtus deſcendet cum ,, illis , & poſsidebit regnum corporale Jeruſalem mille annis cum eis : Et hæc fuit ,, opinio Lactantii. Sed hoc patet eſſe falſum ; quia omnes in momento reſurgemus , & in ictu oculi.

Matth. 24. v. 31.

1. ad Theſalon. 4. v. 15.

Daniel 12. v. 1. & 2.

Apocal. 20. v. 12.

Verſ. 13.

1. Corinth. 15. v. 51.

V. 52.

D. Thom. ibid. lect. 8.

51 Angelico Doctori in hoc rejiciendo errore præluxit inter alios Patres Didymus apud Hieronymum inquiens : *Quando dicit* (nempè Apoſtolus) *in puncto temporis , & in motu oculi , ac momento , futuram omnium reſurrectionem cunctam, primæ , ac ſecundæ reſurrectionis , excludit fabulam , ut alii primi , alii noviſsimi , reſurrecturi eſſe credantur.* Tandèm ut alia omittamus, Millenarii contendebant , juſtorum animas cæleſti beatitudine non perfrui ante judicium generale , quod quidem jam conſtat , Scripturæ Sacræ , Patrum traditioni & Eccleſiæ diffinitionibus contradicere.

Didymus apud Hieron. Epiſt. 152.

52 Aſſerendum eſt ſecundò : fabuloſum eſſe regnum Chriſti in terra cum juſtis per mille annos. Etenim ad regnum illud ſtabiliendum opus habent illius aſſertores, Chriſtum Dominum è Cælo ad terram detrudere , ut unà cum juſtis , per mille annos regnet deliciarum affluentiâ , corporalique felicitate. At Apoſtolus Petrus per oppoſitum , Chriſtum Dominum manſurum prædicavit in celo quouſque ad judicium veniens , promiſſa per Prophetas præmia retribuat , omniaque in ſuum finem reſtituat. *Pœnitemini igitur* (ajebat ad populum Judaicum) *& convertimini , ut deleantur peccata veſtra : ut cum venerint tempora refrigerii à conſpectu Domini , & miſerit eum , qui prædicatus eſt vobis Jeſum-Chriſtum. Quem oportet quidem celum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium , quæ loquutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum à ſæculo Prophetarum.* Inde ajebat Auguſtinus : donec finiatur ſæculum , ſurſùm eſt Dominus. Inquam habitatione permanente. Nam veroſimiliùs judicat Doctor Angelicus , Chriſtum Dominum per breve temporis intervallum , corporaliter in terram deſcendiſſe , ſeque corporaliter videndum Paulo oſtendiſſe ; ipſo affirmante : *Noviſsimè autem omnium tanquam abortivo , viſus eſt & mihi.* ,, Quæ ,, quidem viſio (inquit Div. Thomas) veritatem reſurrectionis non probaret , niſi ,, verum Chriſti corpus viſum fuiſſet ab eo. Præterea quis ſane mentis credat , Chriſtum Dominum poſt glorioſum in celos aſcenſum , regnum in terra terrenum , corporale , & temporale inſtituendum fore, cum regnum Chriſto Domino attributum celeſte dumtaxat ſit & ſpirituale : Unde Pilato de regno ſciſcitanti , reſpondit Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Actor. 3. v. 19.

D. Thom. 3. p. q. 57. art. 6. ad 3.

1. Corinth. 15. v. 8.

53 Probatur jam aſſertio : quia poſt reſurrectionem præcipuè juſtorum , locum habere non valet terrena illa , & corporalis felicitas , quam Millenarii Patres futuram dixerunt. Et multo minus qualiter deliravit Cerinthus , aliique ſequaces , ſequuti errorem Judæorum & Sarracenorum , qui ponunt , quod in reſurrectione , homines cibis & venereis utentur , ſicut & nunc, de

Corporalis juſtorum felicitas, in prætenſo Millenario, cum eorũ vera fælicitate non cohæret.

de quibus aſſerit D.Thomas : ,, Quòd nullo ,, modo, quæ iſti affirmarunt , poſſunt niſi à ,, carnalibus credi , cùm non ſolum nullam ,, modeſtiam teneant , ſed modum quoque ,, ipſius credulitatis excedant. Rejiciendum igitur eſt , & ad fabulas revocandum Millenariorum regnũ. Probatur antecedens : quia terrenæ & corporales delectationes homini, non qua homo , ſed qua animal eſt , conveniunt; hominique ſimul cum animalibus brutis communia ſunt; ſed delectationes hujuſmodi , in homine poſt reſurrectionem locum habere non poſſunt : ergo neque terrena illa & corporalis fælicitas. Aſſumptam propoſitionem Apoſtolus docuit de reſurrectione inquiens : *Seminatur corpus animale , ſurget corpus ſpiritale* , quia ſcilicet ceſſabunt animales operationes , quæ ad bonum corporis ordinantur , quales ſunt generatio , nutritio & augmentatio. Hujuſmodi eſſe ſenſum Apoſtoli docet cum Auguſtino Div.Thomas inquiens : ,, Quidam malè intelligentes , dixerunt , quòd corpus in reſurrectione vertetur in ſpiritum , & erit ſimile aëri , aut ,, vento , qui ſpiritus dicitur ; quòd maximè ,, excluditur per illud , quod ad Apoſtolos ,, dicitur , Lucæ ultimò : *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* ,, Undè & hìc Apoſtolus non dicit, quòd reſurgat ſpiritus , ſed ſpirituale corpus : ergo in reſurrectione , ſpirituale erit , non ,, ſpiritus ; ſicut nunc eſt animale , non anima. Qualiter autem corpus poſt reſurrectionẽ non animale, ſed ſpiritale erit,paulòpoſt elucidat Sanctus Doctor.

D. Thomas 4. cõtra gent. cap. 83.

1. Corinth. 15. v. 44.

D. Thom. ibid. lect. 6.

Luce ult. v. 39.

,, 54 Subjungit enim : Itèm conſiderandum eſt , quòd triplex eſt differentia potentiarum in anima ; quædam enim potentiæ ſunt , quarum operationes ad bonum ,, corporis ordinantur , ſicut generativa, nutritiva & augmentativa ; quædam verò ,, ſunt , quæ quidèm corporis organis utuntur ; ut omnes potentiæ ſenſitivæ partis, ,, ſed earum actûs ad corpus non ordinantur directè , ſed magis ad perfectionem ,, animæ. Quædam verò ſunt potentiȩ , quæ ,, neque utuntur corporeis organis , neque ,, directè ad bonum corporis ordinantur, ,, ſed magis ad bonum animȩ; ſicut quæ pertinent ad intellectivam partem.Primæ ergo ,, potentiæ pertinent ad animam,in quantum ,, animat corpus : tertiæ verò maximè pertinent ad animam , in quantum eſt ſpiritus (in littera dicitur *ſecundæ verò* , ſed legendum eſt ut diximus ex contextu , ſicut dum habetur *tertiæ verò* , legendum eſt , ut ſtatim.) ,, Secundæ verò , medio modo ſe habent inter utraſque ; quia tamen judicium ,, de potentia aliqua , magis debet ſumi ex ,, objecto & fine , quàm ex inſtrumento, ,, ideò ſecundæ potentiæ magis ſe tenent ,, cum tertiis, quàm cum primis.

D.Thom. lect. citata.

,, 55 Itèm conſiderandum eſt, quòd cùm ,, unaqueque res ſit propter ſuam operationem , corpus ad hoc perficitur ab anima, ,, ut ſit ſubjectum operationibus animæ. ,, Nunc autem in ſtatu iſto corpus noſtrum ,, eſt ſubjectum operationibus , quæ pertinent ad animam , in quantum eſt anima, ,, proùt generatur , & generat, nutritur,creſcit & decreſcit. Quantùm autem ad ſpirituales animȩ operationes , corpus licèt ,, aliquo modo ſubſerviat , tamen multum ,, impedimentum affert , quia *corpus quod corrumpitur aggravat animam* ; ut dicitur Sapientiȩ 9. Sed in ſtatu reſurrectionis , ceſſabunt operationes animales à corpore ; quia non erit generatio , nec augmentum aut nutrimentum, ſed corpus abſque aliquo impedimento & fatigatione, inceſſanter ſerviet animæ ad ſpirituales operationes ejus. Sicut ergo (concludit Sanctus ,, Doctor) nunc eſt corpus noſtrum animale , ita tunc erit ſpirituale. Angelico Doctori præluxerat de more Auguſtinus , inquiens : *Sicut ſpiritus carni ſerviens non incongruè carnalis , ita caro ſpiritui ſerviens rectè appellabitur ſpiritalis; non quia in ſpiritum convertitur , ſicut nonnulli putant; ſed quia ſpiritui ſumma & mirabili obtemperandi facilitate ſubdetur.*

S. Auguſtin. lib. 13. de Civit. Dei , cap. 20.

56 Præterea , ad excludendum delicioſum illud , phantaſticum tamen Millenariorum regnum aut Chiliaſtarum ; teſtimonium illud ex Divo Mattheo adducit Doctor Angelicus , in quo Chriſtus Dominus Sadducæos ita increpavit : *Erratis , neſcientes ſcripturas , neque virtutem Dei : in reſurrectione enim neque nubent , neque nubentur : ſed erunt ſicut Angeli Dei in Celo.* Oſtendit inquàm , poſt reſurrectionem , locum non eſſe relinquendum corporalibus delectationibus & deliciis. Hæc namque , ad uſum præcipuè reducuntur ciborum & venereorum , ut aſſertores Millenarii ponebant , toto illo ſpatio mille annorum , quouſque ad celeſtem gloriam ſimul cum Chriſto Domino transferantur juſti. Igitur, quod apud homines reſurgentes , futurus non ſit venereorum & ciborum uſus, ſic oſtendit D.Thomas: ,, Generatio ordinatur ad ſubveniendum defectui , qui per mortem accidit ad multiplicationem humani generis ; & comeſtio ,, ad reſtaurationem deperditi & augmentum quantitatis , ſed in ſtatu reſurrectionis , jam humanum genus habebit totam ,, multitudinem individuorum à Deo prefinitam: quia uſque ad hoc generatio differetur : ſimiliter etiam quilibet homo reſurget in debita quantitate , nec erit ultra ,, mors , aut aliqua deperditio fiet à partibus hominis : ergo fruſtrà eſſet actus generativȩ & nutritivæ virtutis.

Matth. 22. à v. 29.

D.Thom. in ſupplem. q. 81. art. 4. in ſed contr.

Et in 4. diſt. 44 q. 1. art. 3. quæſtiunc. 4.

57 Deindè oſtendit ratione ſic breviter propoſita: quia poſt reſurrectionem non opus eſt ponere operationes illas , quȩ ad primam perfectionem naturȩ , ſive ejus integritatem cauſandam vel conſervandam pertinent; hæc namque perfectio in ſtatu præſentis vitȩ haberi poteſt : dumtaxàt ergo ponendæ ſunt operationes ad conſequendam tendentes ultimam perfectionem naturæ , quæ conſiſtit in perventione ad finem ultimum ; ſed operationes animales, ad primam, non ad ſecundam

dam perfectionem naturę ordinantur: ergo poſt reſurrectionem ceſſabunt. Sed quid prohibet Sanctum Doctorem ità loquentem audire.

In corpor. art.

,, Reſpondeo dicendum, quòd reſurrectio non erit neceſſaria homini propter primam perfectionem ipſius, quę conſiſtit in integritate eorum, quæ ad naturam ſpectant; quia ad hoc homo pervenire poteſt in ſtatu præſentis vitę per actionem cauſarum naturalium; ſed neceſsitas reſurrectionis eſt ad conſequendam ultimam perfectionem, quæ conſiſtit in perventione ad ultimum finem. Et ideò illę operationes naturales, quæ ordinantur ad primam perfectionem humanę naturę, vel cauſandam vel conſervandam, non erunt in reſurrectione, & hujuſmodi ſunt actiones animalis vitę in homine, & actiones mutuę in elementis, & motus Cęli; & ideò omnia hæc ceſſabunt in reſurrectione. Et quia comedere & bibere & dormire & generare, ad animalem vitam pertinent, cùm ſint ad primam perfectionem naturę ordinata; ideò in reſurrectione talia non erunt.

58 Hucùſque argumenta dedimus theologica, quibus phantaziatum illud regnum excludit Doctor Angelicus. Abſurdiſsimas deindè nonnullas conſequutiones ex errore illo ſcaturientes, ita cum eodem Sancto Doctore ferè ad litteram damus. Si homines juſti poſt reſurrectionem delicioſo ciborum uſu fruendi forent, hoc utique eſſet toto illo Millenario, ne illis deficeret terrena in deliciis fælicitas: cùm ergo cibus ad hoc aſſumatur, ut per digeſtionem convertatur in corpus; ſicque iſtud creſcat; cùm nihil à corpore reſolvatur, jam poſt reſurrectionem incorruptibili, devenirent homines ad monſtruoſam dimentionem quantitatis, poſtquam reſurgent in ſtatura debita: ,, Si autèm homo poſt reſurrectionem (ſubjungit ad litteram Div. Thomas) non utetur cibo, ſequitur, quòd venereorum uſum non habebit, ad quem requiritur deciſio ſeminis: à corpore autèm reſurgentis ſemen decidi non poterit, neque ex ſubſtantia ejus: tùm quia hoc eſt contra rationem ſeminis: eſſet enim ſemen in corrumpi, & à natura recedens, & ſic non poſſet eſſe naturalis actionis principium, ut patet per Philoſophum in lib. de generatione animalium. Tùm etiàm, quia à ſubſtantia illorum corporum incorruptibilium exiſtentium, nihil reſolvi poterit: nec etiam ſemen eſſe poterit ſuperfluum alimenti, ſi reſurgentes cibis non utuntur, ut oſtenſum eſt: non igitur in reſurgentibus erit venereorum uſus.

4. contra gent. cap. 83.

Abſurdas illius Millenarii cõſequutiones indicare eſt.

59 Ex ſecundo autèm capite deteriora infert Sanctus Doctor abſurda: nam ſi poſt reſurrectionem futura eſſet hominum generatio; certè homines tunc geniti incorruptibiles erunt & immortales; unuſquiſque enim genitor generat ſibi ſimile. Inſuper, quia ſi homines in illo millenario naſcituri, corruptibiles, mortales futuri ſunt, & aliquando morituri; vel eorum animæ perpetuò remanebunt à corporibus ſeparatæ, vel nova eorum eſſet expectanda reſurrectio; quæ omnia valdè ſunt commentitia. Indè autèm, triplex inconveniens deduci, his verbis, & hoc ordine tradit D.Thomas: ,, Primò quidem: quia oportebit ponere quod illi homines ſine peccato naſcantur originali, cum neceſsitas moriendi ſit pœna conſequens peccatum originale, quod eſt contra Apoſtolum dicentem Roman. 5. quòd *per unum hominem peccatum in omnes homines pertranſiit, & per peccatum mors.* Deindè ſequitur, quòd non omnes indigeant redemptione, quæ eſt à Chriſto, ſi aliqui ſine peccato originali, & neceſsitate moriendi naſcantur: & ſic Chriſtus non erit omnium hominum caput: quod eſt contra ſententiam Apoſtoli dicentis 1. Corinth. 15. *Quòd ſicùt in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Sequitur etiam & aliud inconveniens, ut quorum eſt ſimilis generatio, non ſit ſimul generationis terminus: homines enim per generationem, quæ eſt ex ſemine, nùnc quidem conſequuntur corruptibilem vitam: tùnc autèm immortalem.

60 Rejicit etiam Sanctus Doct. evaſionem, qua declinare poſſent adverſantes propoſita argumenta, ſubjungens: ,, Si quis autèm dicat, quòd in reſurgentibus erit uſus ciborum & venereorum, non propter conſervationem vel augmentum corporis, neque conſervationem ſpeciei vel multiplicationem hominum, ſed propter ſolam delectationem, quæ in his actibus exiſtit, ne aliqua delectatio hominibus in ultima remuneratione deſit. Patet quidem multipliciter hoc inconvenienter dici. Primò quidem; quia vita reſurgentium ordinatior erit, quàm vita noſtra, ut ſupra dictum eſt: in hac autem vita inordinatum & vitioſum eſt, ſi quis cibis & venereis utatur propter ſolam delectationem, & non propter neceſsitatem ſuſtentandi corporis, vel prolis æducandæ. Et hoc rationabiliter; nam delectationes, quæ ſunt in præmiſsis actionibus, non ſunt fines actionum, ſed magis è converſò: natura enim ad hoc ordinavit delectationes in iſtis actibus, ne animalia propter laborem ab iſtis actibus neceſſariis naturæ deſiſterent: quod contingeret, niſi delectatione provocarentur. Eſt ergo ordo prępoſterus & indecens, ſi operationes propter ſolas delectationes exerceantur. Nullo igitur modo, hoc in reſurgentibus erit, quorum vita ordinatiſsima ponitur.

OBJECTA DISSOLUTA.

61 Pro ſtatuenda anticipata illa juſtorum ante univerſale judicium reſurrectione, antiqui, quos dedimus Patres, oraculo nitebantur Joannis in Apocalypſi. Poſtquàm enim refert, quòd Angelus deſcendens de Cęlo: *Apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille: & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donèc conſummentur mille anni, & poſt hæc, oportet illum ſolvi modico tempore.* Deindè ſubjungit, quòd juſti, *qui ſcilicèt non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus ſuis, & vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Cęteri mortuorum* (id eſt impii) *non vixerunt donèc conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: In his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis. Et cùm conſummati fuerunt mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes.* In his namque verbis, ajebant Millenarii illius aſſertores: Haùd obſcurè innuit Sanctus Joannes, juſtos poſt primam reſurrectionem, regnaturos cum Chriſto mille annis, impios verò non victuros donec conſummentur mille anni, hoc eſt impios non victuros, niſi in ſecunda reſurrectione, quæ fiet in Judicio generali: ergo ex Sancto Joanne admittendum eſt millenarium Chriſti, ſanctorumque in terris regnum ante Judicium generale.

Apocal. 20. v. 2. & 3.

Verſ. 4. & ſeqq.

62 Difficultatem adducti vaticinii agnoſcunt Patres & Interpretes univerſi, ejuſque reconditum ſenſum, non ex cortice litteræ eruendum eſſe pronuntiantes cum Auguſtino; aliàs errandi occaſionem accipient. Igitur, argumento ex adductis teſtimoniis propoſito, juxta Scholæ methodum reſpondetur explicando propoſitiones deductas: Juſti poſt primam reſurrectionem, quæ fit in terris per gratiam, & quæ conſummatur per beatitudinem, quæ juſtorum animabus donatur immediatè poſt exitum ex hac vita; regnabunt cum Chriſto in Cęlis per mille annos, id eſt toto illo temporis intervallo à Chriſti in Cęlos aſcenſione, uſque ad finem Mundi, ſeu ad Judicium generale, concedo: poſt primam reſurrectionem corporalem, quam Millenarii ponunt: regnabunt cum Chriſto in terris inter carnales delicias per mille annos determinatè, nego. Itaque vaticinium illud, quantum ad juſtos attinet, talem compendiò habet ſenſum; quòd juſti, poſtquam à peccato ſurrexerunt, ſivè poſt primam reſurrectionem regnaturi ſunt cum Chriſto in Cælis uſque ad generale Judicium. Ex tunc verò eorum animæ corporibus reunitæ, in reſurrectione ſcilicèt, quæ appellatur ſecunda, jam ſimul cum corpore & anima æternùm cum Chriſto in Cælis regnabunt. Datam doctrinam illis verbis tradit D.Thomas, propoſitum argumentum diſſolvens: ,, Quod verò in Apocalypſi dicitur de mille annis, & prima reſurrectione intelligendum eſt, quòd prima reſurrectio eſt animarum proùt à peccatis reſurgunt, ſecundùm illud Apoſtoli Epheſior. 5. *Exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus,* per mille autèm annos intelligitur totum tempus Eccleſiæ, in quo Martyres regnant cum Chriſto & alii Sancti, tàm in præſenti Eccleſia, quæ regnum Dei dicitur, quàm etiam in cæleſti Patria, quantum ad animas. Millenarius enim numerus perfectionem ſignificat: quia eſt numerus cubicus, id eſt figura ſolida: & radix ejus eſt denarius, qui ſolet etiam perfectionem ſignare.

Difficile Apocalypſis oraculum de duplici reſurrectione elucidatũ dedit ex PP. D. Thom.

D.Thom. 4. contra Gent. cap. 83. prope fin.

63 Quantum verò attinet ad impios; ea docet in laudato teſtimonio Joannes: quòd cæteri mortuorum, ſcilicèt impii, qui in ſua impietate mortui ſunt per totum illud intervallum, uſque ad generale Judicium, neque gratię neque gloriæ vitâ victuri ſunt, ſed potiùs morte primâ donati, conſiſtente in damnatione animę, quæ confeſtim poſt obitum ſepelitur in inferno: quia non habuerunt partem in reſurrectione prima, quæ fit per gratiam, & conſummatur per gloriam. Poſt conſummatum verò illud temporis ſpatium, adveniente generali reſurrectione, vivent impii, vitâ ſcilicèt corporali, per reunionem animæ ad corpus. Sed tamen mortui in æternum manebunt morte ſecundâ, quatenùs in extremo judicio eorum, & animas & corpora detrudet Deus in gehennam, æternoſque cruciatûs. Quod autem ſubdit Sanctus Joannes: *Et cùm conſummati fuerint, &c.* Sic exponitur à Sanctis Patribus, & ex ipſis à Doctore Angelico: cùm jam cœperit conſummari illud tempus, quod à paſsione Chriſti ad Mundi uſque interitum effluere debet, ſivè dum Mundi inſtabit interitus, ſuamque tyrannidem Anti-Chriſtus auſpicabitur, tunc ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & ſeducet gentes. Satanas quippè (ut ait ibidem S. Joannes) ligari debet per mille annos, id eſt toto illo temporis intervallo, quod à Chriſti paſsione ad finem uſque Mundi intercedit: quia nimirùm toto eo tempore Satanas, juſtis potiſsimùm, ac prædeſtinatis, liberam non habet nocendi facultatem, ſed impoſito fręno, illius coërcetur poteſtas. Hoc enim indicant prima Joannis adducta verba, juxta laudati Doctoris Angelici expoſitionem, cujus aliqua verba adducimus: ,, *Vidi Angelum*, id eſt Chriſtum, *deſcendentẽ de Cęlo*, id eſt de ſua altitudine ſe humiliantem per carnis aſſumptionem, *habentem clavem abyſsi*, id eſt poteſtatem claudendi abyſſum, corda, ſcilicet impiorum tenebroſa, ne, ſcilicet diabolus per eos, quantum vellet, procedat ad pervertendum alios actu exteriori. Vel *abyſſus*, id eſt, ipſe diabolus tenebroſus, quem Chriſtus poteſt claudere, id eſt ejus malitiæ exitus ad actum; *& catenam magnam*, id eſt poteſtatem magnam claudendi diabolo, & impiis egreſſum ad opera prava, ut non tantùm aliis noceant, quantùm vellent: *In manu*, id eſt in operatione paſsionis & reſurrectionis: vel in facultate ſuæ voluntatis. *Et apprehendit*, id eſt ligavit & cohibuit draconem; id eſt diabolum, quem ſic vocat propter violentiam: quia draco eſt genus ſerpentis violen-

D.Thomas Cõment. in cap. 20 Apocalypſ.

,, lenter opprimentis. *Serpentem* per aſtu-
,, tiam. *Antiquum*, per conſuetam mali-
,, tiam, *qui eſt diabolus.* Per dejicientem
,, ſuperbiam: quia propter ſuperbiam ce-
,, cidit. *Diabolus* autem interpretatur, deor-
,, ſum fluens, & *Satanas* per incitantem
,, malitiam. Et clauſit, id eſt, poteſtatem
,, ſubtraxit nocendi, & *ſignavit ſuper*
,, *eum*: poſuit inquàm ſigillum, id eſt ſig-
,, num crucis, cujus virtute fideles eum
,, repulerunt. Igitur toto illo tempore jam
,, dicto, diabolus ligatus eſt reſpectu tem-
,, poris, quod præceſsit adventum & paſ-
,, ſionem Chriſti, quia tunc non habebant
,, homines tanta adjutoria, nec fuit tanta
,, gratia, nec tàm efficacia Sacramenta,
,, nec exemplum Chriſti, nec paſsio adhuc
,, fuerat, nec janua Cęli aperta. Cæterum
,, poſt hæc, mundo ad finem vergente,
,, *oportet* ad examinationem electorum,
,, illum ſolvi, id eſt, laxari quantum ad
,, poteſtatem priùs ligatam *modico tempore*,
,, ſcilicèt tribus annis & dimidio, quo
,, tempore per Anti-Chriſtum, perſequutio-
,, nem excitabit in Eccleſia, qualis non fuit
,, ab initio.

64 Contra ſecundam aſſertionem, obji-
Ciborum uſus ſpiritualis ſolum erit poſt reſurrectioné. ciebant Millenarii magnificas illas promiſ-
ſiones Prophetarum, quas diximus jam,
intelligendas eſſe in ſenſu ſpirituali. (art.
præcedenti) Unde ſubjiciemus hìc dumta-
xat teſtimonia Iſaìæ, quibus ſignificari vi-
detur, hominibus poſt reſurrectionem pro-
Iſaiæ 25. v. 6. miſſum eſſe ciborum uſum: *Et faciet Do-*
minus (inquit Propheta) *exercituum om-*
nibus populis in monte hoc convivium pin-
gium, convivium vindemiæ, pingium me-
dullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et quòd
intelligatur quantum ad ſtatum reſurgen-
tium apparet ex verſu 8. ſequenti, ubi
dicitur: *Pręcipitabit mortem in ſempiter-*
num, & auferet Dominus Deus lacrymam
ab omni facie. Dicitur etiam ab ipſo Pro-
pheta: *Ecce ſervi mei comedent, & vos*
Iſaię 65. v. 13. *eſurietis: Ecce ſervi mei bibent & vos*
ſitietis. Et quòd hoc referendum ſit ad ſta-
tum futuræ vitæ patet ex eo quòd poſtea
V. 17. ſubditur verſu 17. *Ecce enim ego creo cę-*
los novos, & terram novam. Reſponde-
tur tamen cum Angelico Doctore (loco ci-
tato ex lib. 4. contra gentes ubi argumen-
D. Thom. 4. cõtr. Gent. ubi ſupra. tum proponit) ,, Quòd auctoritates, quæ
,, ciborum uſum poſt reſurrectionem repro-
,, mittere videntur, ſpiritualiter intelligen-
,, dæ ſunt. Proponit enim nobis divina
,, Scriptura intelligibilia ſub ſimilitudine
,, ſenſibilium, ut animus noſter ex his,
,, quæ novit, diſcat incognita amare: Et
,, ſecundùm hunc modum delectatio, quæ
,, eſt in contemplatione ſapientiæ, & aſ-
,, ſumptio veritatis intelligibilis in intelle-
,, ctum noſtrum, per uſum ciborum in Sa-
,, cra Scriptura conſuevit deſignari, ſecun-
,, dùm illud Proverbiorum 9. quòd de
,, Sapientia dicitur: *Miſcuit vinum, &*
,, *propoſuit menſam ſuam. Et inſipientibus*
,, *loquuta eſt: Venite comedite panem*
,, *meum, & bibite vinum, quod miſcui*
,, *vobis.* Et Eccleſiaſtici 15. dicitur: *Ciba-*
,, *bit illum Dominus pane vitę, & intelle-*
,, *ctus, & aqua ſapientiæ ſalutaris pota-*
,, *bit illum.* De ipſa etiam ſapientia dici-
,, tur Proverb. 3. *Lignum vitæ eſt his,*
,, *qui apprehenderint eam, & qui tenuerit*
,, *eam beatus.* Non igitur prædictæ aucto-
,, ritates cogunt dicere quòd reſurgentes,
,, cibis utantur. Hoc indicant verba Chriſti:
Ego diſpono vobis :: ut edatis & bibatis
ſuper menſam meam in regno meo.

65 Secundò objici poſſunt argumen-
ta adducta etiam à Divo Thoma. De-
mus (inquiunt) juſtos poſt reſurrectio-
nem immortales. Sed nihilominus, quid
prohibet ciborum uſum in eis admit- *Lib. 4. contr. Gentiles, c. 83.*
tere? Adamus etenim ante peccatum vitam
habuit immortalem; & tamen cibis nedùm,
ſed & venereis uti potuit in illo ſtatu; Do-
mino præcipiente: *Creſcite & multiplica-* *Geneſ. 1. v. 28.*
mini. Et iterùm: *De omni ligno, quod eſt* *cap. 2. v. 16.*
in paradyſo comedes. Imò de Chriſto Do- *Luc. ultim.*
mino ad vitam immortalem glorioſè redi-
vivo, manducaſſe coram diſcipulis dicitur.
Inſuper: & in Actibus Apoſtolorum de Chri-
ſto Domino poſt reſurrectionem, manife-
ſtatum fuiſſe narratur Petro & Apoſtolis, *Actorum 10. v. 41.*
ibi: *Qui manducabimus & bibimus cum*
illo, poſtquam ſurrexit à mortuis. Pręte-
rea (arguit Div. Thomas) diſtinctio ſexuum
ad generationem ordinatur; & ſimiliter
inſtrumenta quæ deſerviunt virtuti nutriti-
væ ordinantur ad comeſtionem; ſed homo
cùm omnibus hujuſmodi reſurget: ergo
utetur actibus virtutis nutritivæ & gene-
rativæ. Conſultò prætermittimus argumenta
adducta etiam à D. Thoma, quibus infa-
tuati Judæi, & beſtiales Sarraceni ſequuti
à quibuſdam Chiliaſtis nituntur ponere bea-
titudinem, & fęlicitatem hominis in dele-
ctationibus vitæ animalis. Hoc enim deli-
rium amentia potiùs, quàm error dici de-
bet; ponere nimirum totam, vel partem
beatitudinis pro hominibus, qui ratione
cum Angelis communicant, in delectatio-
nibus corporeis, in quibus cum animali-
bus brutis communicant, & quæ non ſunt
per ſe, & propter ſe appetendę. Fatemur
utique poſt generalem juſtorum reſurrectio-
nem, corpus ſuo modo eſſe beatificandum,
non quidem illis carnalibus delectationi-
bus, ſed ex redundantia gloriæ animæ,
per quatuor illos dotes, impaſsibilitatis,
ſubtilitatis, agilitatis & claritatis de qui-
bus agit Div. Thomas in ſupplemento à
quæſt. 82.

66 Ad primum igitur argumentum, di-
ſtingui debet propoſitio aſſumpta, quæ ve-
ra eſt de immortalitate, & quidèm non
omnimoda, & ſolum per gratiam. Falſa
verò, de omnimoda, & per naturam im-
mortalitate. Audiatur D. Thomas. ,, Quod
,, enim primò objicitur de Adam effica-
,, tiam non habet. Adam enim perfectio-
,, nem quandam habuit perſonalem, non-
,, dùm tamen erat natura humana totali-
ter

,, ter perfecta, nondùm multiplicato hu-
,, mano genere: inſtitutus ergo fuit Adam
,, in tali perfectione, quæ competebat prin-
,, cipio totius humani generis: & ideò
,, oportuit quòd generaret ad multiplica-
,, tionem humani generis, & per conſe-
,, quens, quòd cibis uteretur; ſed perfe-
,, ctio reſurgentium erit, naturâ humanâ
,, totaliter ad ſuam perfectionem perve-
,, niente, numero electorum jam comple-
,, to: & ideò generatio locum non habe-
,, bit, nec alimenti uſus; propterquòd,
,, & alia erit immortalitas, & incorrup-
,, tio reſurgentium, & alia, quæ fuit in
,, Adam. Reſurgentes enim ſic immortales
,, erunt & incorruptibiles, ut mori non
,, poſsint, nec ex eorum corporibus,
,, aliquid reſolvi. Adam autem ſic fuit im-
,, mortalis, ut poſſet non mori, ſi non
,, peccaret: & poſſet mori, ſi peccaret, &
,, ejus immortalitas ſic conſervari poterat:
,, non quòd nihil reſolveretur ab ejus cor-
,, pore: ſed ut contra reſolutionem humi-
,, di naturalis, ei ſubveniri poſſet per ci-
,, borum aſſumptionem, nè ad corruptio-
,, nem corpus ejus perveniret. Secundum
argumentum diſſolvit Sanct. Doct. in ſup-
plemento. Sed breviùs loco proximè addu-
cto inquiens: ,, De Chriſto autem dicen-
,, dum eſt, quòd poſt reſurrectionem co-
,, medit, non propter neceſsitatem, ſed
,, ad demonſtrandam ſuæ reſurrectionis ve-
,, ritatem: Undè cibus ille non fuit con-
,, verſus in carnem, ſed reſolutus in præ-
,, jacentem materiam. Hæc autem cauſa co-
,, medendi non erit in reſurrectione com-
,, muni. Ad illud quod additur de diſtin-
D. Thom. in ſupplem. quæſt. 81. art. 4. ad 2. ,, ctione ſexuum, ita reſpondet Sanct. Doct.
,, in ſupplemento: Ad ſecundum dicendum,
,, quòd differentia ſexuum & membrorum
,, varietas erit ad naturæ humanæ perfe-
,, ctionem reintegrandam & in ſpecie &
,, in individuo: undè non ſequitur quòd
,, ſint fruſtrà, quamvis animales operatio-
,, nes deſint.

67 Tandèm exponenda objicimus ver-
ba Chriſti D. Unde Hieronymo teſtante,
occaſionem deſumpſere Millenarii, prout
Matth. 19. v. 29. indicavimus jam initio hujus articuli: *Om-*
nis, qui reliquerit domum (promiſit, &
loquutus fuit Chriſtus Dominus) *vel fra-*
tres, aut ſorores, aut patrem, aut ma-
trem, aut uxorem, aut filios, aut agros
propter nomen meum, centuplum accipiet,
& vitam æternam poſſidebit. Verùm neſ-
Centuplum in hac vita recipiendum, ſpirituale eſt. cio, quo jure verba laudata in ſui favorem
adducere potuerint Chiliaſtę: cùm ea non
de hominibus juſtis poſt reſurrectionem, ſed
de ſtatu præſentis vitæ intelligenda eſſe du-
bitare non ſinant alii Evangeliſtæ Marcus
& Lucas. De illa namque promiſsione hæc
Cap. 10. v. 29. 30. habet Marcus: *Reſpondens Jeſus ait: Amen*
dico vobis: nemo eſt, qui reliquerit domum,
aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut
matrem, aut filios, aut agros, propter
me, & propter Evangelium, qui non acci-
piat centies tantùm, nunc in tempore hoc,
domos, & fratres, & ſorores, & matres,
& filios, & agros, cum perſequutionibus,
& in ſæculo futuro vitam æternam. Lu-
cas verò ita: *Qui dixit eis: Amen dico* *Cap. 18. v. 29.*
vobis, nemo eſt, qui reliquit domum, aut
parentes, aut fratres, aut uxorem, aut
filios propter regnum Dei, & non reci-
piat multò plura in hoc tempore, & in
ſæculo venturo vitam æternam: Meritò
igitur laudatus Hieronymus ita breviter
diſſolvit argumentum, inquiens ad produ-
ctum Chriſti teſtimonium: *Senſus ergo iſte*
eſt: qui carnalia pro Salvatore dimiſerit,
ſpiritualia recipiet: quæ comparatione &
meritò ſui, ita erunt, quaſi parvo numero,
centenarius numerus comparetur.

68 Hæc bona ſpiritualia à D. Thoma
præcipuè reducuntur ad gratiam ſanctifi- *D. Thom. Cõm. in loc. Matthęi.*
cantem, quæ utique eſt veluti radix bo-
norum omnium in ordine ſupernaturali.
Id ipſum ſignificaverat Mellifluus Bernar-
dus de illo centuplo, ita ſcribens: *Datum*
optimum eſt, centuplum hoc; deſurſum *S. Bernard. lib. de contempt. mundi cap. 22.*
deſcendit à Patre luminum. Et poſt pauca
concludens: *Hoc ergo centuplum adoptio*
filiorum eſt, libertas, & primitiæ Spiritùs,
deliciæ charitatis, gloria conſcientiæ, reg-
num Dei quod intra nos eſt, non utique
eſca vel potus, ſed juſtitia & pax, &
gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium ſanè, *Rom. 14. v. 17.*
non modò in ſpe gloriæ, ſed etiam in
tribulationibus. Inſuper Auctor imperfecti *Auctor imperfect. in Matth. locum.*
ita ampliùs elucidat: * Ecce, qui relique-
* rit Patrem, & elegerit Patrem Deum,
* non ne ei plus eſt centuplum, quàm
* Pater carnalis? :::: Qui matrem relinquit,
* ut diligat magis matrem Eccleſiam, non
* ne ei plus eſt centuplum quàm mater
* carnalis? :::: Qui reliquerit fratrem, ut
* habeat Chriſtum fratrem, non ne melior
* eſt ei, quàm centum fratres? :::: Qui re-
* linquit ſorores, ſtatim eum ſuſcipiunt
* gratiæ Dei, quaſi chariſsimę ſorores ::::
* Si filios dimiſerit, providet illi Deus
* filios ſpirituales, quos doceat, quos
* crudiat, quibus dicat Apoſtolicà voce,
* nàm in Chriſto Jeſu per evangelium ego
* vos genui :::: Si dimittit ſubſtantiam,
* ab omnibus diligitur, ab omnibus ho-
* noratur, à quibuſdam autem & timetur;
* Nàm ipſe cui ſe tradidit, dat ei gratiam
* coram omnibus. Nonnè melius eſt ei
* hoc, quàm univerſa terra? :::: Adhuc
* pro ſubſtantia terrena datur ei ſubſtan-
* tia ſpiritualis.

ARTICULUS APPENDIX.

Nutritivæ & generativæ potentiæ operationes ob ſolam delectationem, reprobans.

69 FINITA diſputatione ad debellandum Millenariorum errorem voluptatibus, & deliciis indulgentem, regnumque Chriſti in delicias carnis tranferentem: præſtat hìc nonnullas voluptuoſi illius erroris quiſquilias comminuere. Tales ſiquidèm videntur propoſitiones 8. & 9. ab Innocentio XI. proſcriptæ, nimirùm: *Comedere & bibere uſque ad ſacietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.* Nec immeritò propoſitiones ſubjectas Millenariorum erroris quiſquilias dicamus, erratum illud ſi non expreſsè continentes; redolentes tamen, ut cuique obvium erit attendenti, quæ in articulo ultimo adversùs confictum illud regnum tradidimus. Et proindè argumenta contrà Millenarios directa, ex parte ſaltèm inſtaurare aggredimur in præſenti ad rejiciendas propoſitiones illas, quùm promiſcuè, tùm ſigillatim. Plura certè circa cauſalem primæ propoſitionis (quæ derivata videtur ab Epicureorum Schola) ſubjicienda in præſentiarum eſſent, niſi aliàs non eſſet in animo eam pluribus momentis improbare, cum Beguardos & Beguinas debellandos ſuſcipiemus; præcipuè in Prologo ibidèm contra ipſos præmittendo; vèl potiùs contra impiam Margaretam Porretam, Beguinarum (piè quandoque, forsàn viventium) pervertricem & corruptricem.

Damnatę propoſitiones circa ciborum & cōjugii uſum.

70 Aſſerendum eſt: relatas propoſitiones jure merito damnatas fuiſſe à Summo Pontifice tanquàm ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas. Quinimò rejectæ jàm fuerant à Doctore Angelico contra antiquos Millenarios diſputante; cùm enim ciborum, & venereorum uſum poſuerint illi, in ſuo phantaſtico regno non utiquè ob neceſsitatem corporis ſuſtentandi, vel prolis educandæ, ſed propter ſolam delectationem; validè inſurgit Sanct. Doct. iterùm hìc audiendus: ,, Quia inordinatum ,, & vitioſum eſt, ſi quis cibis & venereis ,, utatur propter ſolam delectationem. Et ,, concludit: eſt ergo ordo præpoſterus & ,, indecens, ſi operationes proptèr ſolas ,, delectationes excerceantur. Hujus doctrinæ rationem urget ibidèm D. Thomas, & ex ipſo ſic arguimus prò aſſumpto præſenti: Operationes illæ aliàs deliberatæ ab homine procedentes, non ut homo eſt, ſed quatenùs brutis communicat, pravę ſunt abſdubiò, inordinatæ, turpes & inhoneſtæ, ſic enim contrà dictamen exurgunt rectę rationis, naturæque rationali ut rationalis eſt difformantur: quomodo enim non averſetur recta ratio & natura, angelis ſpiritualibus cognata & affinis, hominem ex deliberatione operantem, cùm operatur ut brutum? At ejus generis eſſe ciborum & venereorum uſùs, ob ſolam voluptatem captandam, aſſumptos, jàm nullo negotio planum fit ex differentia, quam aſsignat Div. Thomas inter apprehenſivam virtutem, quâ in rebus appetendis regulantur & diriguntur bruta; & virtutem intellectivam humanorum actuum directivam. Verba Sanct. Doct. ea ſunt. ,, Dicendum, ,, quòd apprehenſio ſenſitiva non attingit ,, ad communem rationem boni, ſed ad ,, aliquod bonum particulare, quod eſt delectabile: & ideò ſecundùm appetitum ,, ſenſitivum, qui eſt in animalibus, operationes quęruntur propter delectationem: ſed intellectus apprehendit univerſalem rationem boni, ad cujus conſequutionem ſequitur delectatio. Undè ,, principaliùs intendit bonum, quàm delectationem. Et indè eſt, quòd divinus ,, intellectus, qui eſt inſtitutor naturæ, delectiones appoſuit proptèr operationes.

D.Thom.4.con. Gent. cap.83.

Contra ordinem à natura, & Auctore naturę inſtitutum militant.

1.2. q.4.art.2. ad 2.

71 Et ſignanter loquens de operationibus, de quibus hìc diſputatur, ità loquitur Sanct. Doct. aliàs jam adductus: ,, Delectationes, quæ ſunt in præmiſsis actionibus, non ſunt fines actionum, ſed magis è converſò: natura enim ad hoc ordinavit delectationes in hujuſmodi actibus, nè animalia proptèr laborem, ab ,, iſtis actibus neceſſariis naturæ deſiſterent: ,, quòd contingeret, niſi delectatione provocarentur. Ex hac ſolidiſsima doctrina, quis non deducat hominem brutalitèr operari, dùm cibis indulget & venereis ob ſolam voluptatem captandam: de illoque affirmari poſſe, quòd propter laborem ab iſtis actibus neceſſariis naturæ deſiſteret, niſi delectatione provocaretur? Et nihilominùs homines fuerunt & docti & Magiſtri & Doctores, qui innocentem putarunt, & docuerunt, & in ſuâ morali tradiderunt ciborum & venereorum uſum ob ſolam voluptatem? Verumtamèn, qui propter ſolam delectationem operatur, reipsâ à conditione rationali degenerans, fit ſicùt equus & mulus, quibus non eſt intellectus; & ſui honoris oblitus, ſimilis factus eſt jumentis inſipientibus. Imitatur prodigum, quem vitæ luxurioſæ pruritus à domo paternâ removens, porcis deputavit, porcis addixit, porcorum ſe tradidit ſervituti, ut porcorum pabula lutulenta percurreret. ſivè ut loquitur Chryſologus: *Junxit porcis à patre piiſsimo, quem ſejunxit, ut ſerviret cœnoſo pecori, qui pietati ſanctæ parere contempſit. A ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.*

S. Chryſologus ſerm.1.

72 Expendamus iterùm propoſitum jam momentum, audientes Auguſtinum: *Malè utitur, qui beſtialiter utitur, ut ſit ejus intentio in voluptate.* Innoxius igitur in beſtiis maneat appetitus voluptatis circa operationes individui, vel ſpeciei conſervativas: at in homine pravum inordinatum & moribus diſſonum judicabit quilibet, vel primâ luce excellentiam naturæ rationis ſuprà pecora, aſpiciens. Judicavit Auguſtinus alicubi pronuntians: *Tantæ excellentię eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura ſit pecoris.* Sed quid mirùm oculatiſsimus Auguſtinus, Angelicus Thomas, SS. PP. & Eccleſiæ Doctores veritatem agnoverint, quę ipſis Paganis innotuit? Quid enim crebriùs apud Tullium in ſuis libris de Legibus, de Officiis, & de Finibus bonorum & malorum: ſicùt & in Tuſculanis quæſtionibus legitur, ſolum bonum honeſtum cum virtute eſſe, ſolumque illud bonum reputari debet? Hinc: *Nos occultare appetitum voluptatis etiam cum ſumus erectiores ad virtutem: quia generoſos animos pudet voluptatis primò intentæ, etiam cùm virtuti ſtudent.* Infert demùm: *Corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantiâ, & pertinere ad omnem officii præſtantiam, ſemper in promptu habere, quantùm natura hominis, pecudibus, reliquiſque beſtiis, nihil niſi voluptatem ſequentibus antecellat.* Pudeat igitùr Theologos fide inſtructos non perveniſſe, quò ante fidem Philoſophi pervenire Gentiles. Sivè ut cum Auguſtino contrà Julianum loquar: *Obſecro te, non ſit honeſtior Philoſophia Gentium, quàm noſtra Chriſtiana, quæ una eſt vera Philoſophia; quandoquidem ſtudium, vel amor ſapientiæ ſignificatur hoc nomine.* Apud Mag. Gonet in diſſertat. de opinionum probabilitate. Quinimò addimus & Patriarcham Philippum vitæ ſpiritualis cęlitùs datum Magiſtrum, validè præjactam doctrinam roborantem: Diſtinguit enim triplicem in vita ſpirituali gradum quorum primum *animalem* vocat; in illis nimirùm, qui orationi incumbunt, ſenſibilem devotionem ambientes, eiſque delectatione ducuntur, ſicùt animalia ab objecto ſenſibili. Si ergo in operationibus ſpiritualibus ita philoſophari, & loqui Magno Philippo licuit: quid mirùm in aſſumpto propoſito pronuntiatum à nobis ſit: Hominem brutaliter operari, dùm cibis indulget & venereis ob ſolam voluptatem captandam?

S. Auguſt. lib. 1. de nuptiis & concupiſ. cap. 4.

Lib. de peccato origina. c. 40.

Intédens pręcipuè delectationē in opere, beſtialiter procedit.

S. Pilippus Nerius in lib. 2. ejus vitæ c. 21.

73 Subjectam D. Thomę cum Patribus loquentis doctrinam adversùs prædictarum propoſitionum antiquos defenſores, iterùm (ſtylo tamèn Scholaſtico) proponimus: Quotieſcunque homo deliberatè operatur, bonum honeſtum intendere debet; at operans ſolâ voluptate ductus bonum honeſtum non intendit, bonum delectabile dumtaxàt appetens; reus igitur erit alicujus peccati. Major propoſitio, undè totus pendet diſcurſus, oſtenditur: Creatura ſiquidèm rationalis (modo rationali operans) inhoneſtè abs dubio operatur, ſi primæ regulę honeſtatis difformatur; ſed bonum honeſtum non intendens ſaltèm præcipuè, primæ honeſtatis regulæ difformatur: quotieſcùnque ergò homo deliberatè operatur, bonum honeſtum intendere debet. Minor probatur: Prima ſiquidèm regula honeſtatis, vel ipſa eſt natura rationalis ut talis, vel lex Dei æterna, ut ſolidior Theologia habet; ſed in utraque ſententiâ difformatur primæ regulæ honeſtatis, qui bonum honeſtum ſaltèm præcipuè non intendit in ſuis operationibus: pravè igitùr operatur. Minor aſſumpta juxtà primam ſententiam indè oſtenditur: quia natura rationalis tacito indicat imperio, ut ad debitum finem ſuas ordinet operationes homo. ,, Cùm ,, enim (inquit D. Thomas) rationis ſit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet ,, rationem mali. Quis autèm dubitet debitum finem hominis eſſe bonum honeſtum rectæque rationi conſonum? Cùm recta ratio, & prudentia dictent homini, bonum honeſtum eſſe aliis bonis pręferendum, & omnia ejus opera ſaltèm virtualiter in finem honeſtum eſſe dirigenda, ùt ſic ejus vita ipſius naturæ correſpondeat rationali, & in omni ejus libera operatione pars eluceat rationalis: Qui ergò propter ſolam delectationem deliberatè operatur, à prima regula honeſtatis pravè recedit.

Operans propter delectationem, bonum honeſtum non per ſe intédit.

D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 9.

74 Elucidatur ampliùs, & urgetur propoſitum argumentum præmittendo communem boni diviſionem (naturâ ipſâ docente) nedùm à Theologis, ſed à Philoſophis omnibus agnitam, honeſtum nimirùm, delectabile & utile. Illud pręterea aſsignant diſcrimen quòd bonū honeſtū tale eſt ratione ſui, & independenter ab utili & delectabili; utile verò non habet rationem boni, niſi dependenter ab extrinſeca bonitate finis, ſeu boni honeſti, quæ eſt ratio eligendi media; delectabile autem eſt quaſi illècebra boni honeſti, & veluti aliquod ejus condimentum, quod provida & ſapiens natura in actibus pręſertim, qui ad conſervationem ſpeciei & individui ordinantur appoſuit, ut ſupra nos docuit Div. Thomas. Ut ergo homo conformiter ad dictamen & imperium naturæ rationalis operetur, tenetur virtualiter ſaltèm bonum intendere honeſtum; ſubindèque in ſolo delectabili ſiſtens tanquàm in fine, à regula honeſtatis recedens pravè operatur. Hujuſmodi imperium rationalis naturę intimat naturæ inſtitutor Deus lege ſuâ æternâ, quâ delectationes appoſuit propter operationes, ut diximus cum Angelico Thoma; ut indè inferas operationes illas naturæ rationali ut tali difformes, jam pro aliquo priori repugnare legi Dei æternę, quam meritò ſtatuimus in ſcho-

ſcholis primam regulam honeſtatis, & indè derivat natura imperandi virtutem.

75 Reſtat igitur, quòd ſi homo finem rectum, ſeu bonum honeſtum ſuapte natura relatum in Deum finem ultimum non intendat; ſi ſola concupiſcentia non ratione ad agendum ſtimuletur; ſi Deum ſibi in ſingulis actionibus, vel formaliter vel virtualiter non præponat; ſi ſoli corpori, vel hominis parti vegetativæ tantummodò conſulat; ſi ſe ipſum, & quæ ſua ſunt dumtaxàt quærat in circuitu ambulans, à ſe recedens, in ſe ſemper reflexus, profectò peccabit. Quia præcipuus finis apud Chriſtianos nullus eſt, niſi Deus. Bonum ergo opus tùnc ſolùm rectè fit quandò propter Deum fit: quod ſi ad ipſum, aliquo ſaltèm pacto non referatur, hoc ipſo non rectè fit; quantùmvis aliundè rectum eſſe videatur. Certè ſi in fundatiſſima Patrum doctrina ipſa pietatis officia per ſe bona, per ſe honeſta, & ſuapte natura in Deum ipſum tendentia, hoc ipſo non rectè fiunt, quòd propter commodum temporale fiunt; ſi aſſerente Auguſtino: *Virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſcunque commodis, & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorsùs eſſe non poſſunt; quę autem nulli ſervire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo ſerviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis*; proculdubiò ille peccare cenſendus eſt, qui actùs indifferentes recto fine in bonum, ſcilicèt honeſtum non flectit.

D. Auguſt. lib. 3 contra Julian. cap. 4.

Neque ipſa ſcientia ob delectationē per ſe quęrenda.

76 Aliud ex ipſo Auguſtino ſubjungimus ſimile argumentum ex ipſâ ſcientiâ, & contemplatione veritatis deſumptum: quid nàmque rationali creaturæ ita proprium, quàm ſcire verum, & veritatem contemplare? Et tamèn ſi in ſola ſcientia ſiſtit homo, vitiosè procedit, Auguſtino dicente: *Velle ſcire propter ſcire, eſt vitium curioſitatis.* Auguſtinum ſequutus fuit mellifluus Bernardus, eos, qui ipſo ſcientiarum ſplendore delectantur, vanitatis arguens verbis illis: *Lucere vanum, ardere parùm: lucere, & ardere perfectum.* Prætereà poſtquàm ſtatuit bonos eſſe cibos, quos Deus creavit, reddique non bonos, ſi in ſumendò modus, & ordo non obſervetur, hoc ipſum de ſcientiis pronuntiandum eſſe ſignificavit. Subjungitque immediatè ordinem & finem obſervandum; & quantùm ad finem, inquit: * Ut non ad inanem gloriam aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, * ſed tantùm ad ædificationem tuam vel * proximi. Sunt namquè, qui ſcire volunt, * eo fine tantùm, ut ſciant: & turpis curio- * ſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſcian- * tur ipſi, & turpis vanitas eſt. Qui profe- * ctò non evadent ſubſanantem ſatyricum, * & ei qui ejuſmodi eſt decantantem:
* *Scire tuū nil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.*
* Et ſunt idem qui ſcire volunt, ut ſcien- * tiam ſuam vendant (verbi cauſa) pro pe- * cunia, pro honoribus, & turpis quęſtus * eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, ut * ædificent, & charitas eſt. Et itèm qui ſci- * re volunt, ut ædificentur, & prudentia eſt. * Horum omnium ſoli ultimi duo non in- * veniuntur in abuſione ſcientię, quippè qui * ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. Auguſtini & Bernardi doctrinam ſequutus pro more Doctor Angelicus ſtatuit circa ipſam cognitionem intellectivam & appetitum, ſeu ſtudium cognoſcendæ veritatis; quandòque cadere perverſitatem & vitium curioſitatis multiplici ex capite. Sed quantùm ad præſens attinet, ſic loquitur: „ Tertiò quan- „ dò homo appetit cognoſcere veritatem „ circa creaturas, non referendo ad debitum „ finem, ſcilicèt, ad cognitionem Dei. Undè „ Auguſtinus (ſuprà laudatus) dicit: *In con- „ ſideratione creaturarum non eſt vana & „ peritura curioſitas exercenda; ſed gradus „ ad immortalia, & ſemper manentia faciendus.* Similia proportionaliter tradit Sanctus Doctor ſtatuens, quòd ſtudium circa ſenſibilia cognoſcenda, vitioſum reddi ex eo inter alia, quod ad debitum finem non ordinetur, nempè corporis ſuſtentationem, aut cognitionem intellectivam, ſpeculativam vel practicam; undè concludit: „ Si quis au- „ tèm cognitioni ſenſibilium intendit ordi- „ natè propter neceſſitatem ſuſtentandæ na- „ turæ, vel propter ſtudium intelligendę ve- „ ritatis eſt virtuoſa ſtudioſitas circa ſenſi- „ bilem cognitionem. Nec ſolùm circa delectationem ſenſitivæ cognitionis vitium curioſitatis tendere poteſt, ſed etiam circa delectationem auditùs, cùm ſcilicèt ob ſolam delectationem cantus percipitur, juxta illud Auguſtini: * Cum mihi accidit, ut me am- * pliùs cantus, quàm res, quæ canitur, mo- * veat, me peccaſſe confiteor: Et rursùs: * Delectatio carnis meę, cui mentem meam * enervandam non oportet dari, ſæpè me * fallit, dùm rationem ſenſûs non ita com- * mittatur, ut ſit poſterior, ſeu tantùm * quia propter illam meruit admitti, etiam * præcurrere, aut ducare conetur. Ita in his * pecco, non ſentiens, ſed poſteà ſentio. Et tandèm de viſu rei pulchræ ſimilitèr diſcurrendum eſt: ſicut in cæterorum ſenſuum externorum functionibus ob ſolam voluptatem admiſſis: quantùmvis, circa delectabilia tactûs & guſtûs maximè locum habeant gulæ, & luxurię vitium. Indè Div. Thomas ſuprà laudatus ad 1. habet: „ Dicendum, „ quòd luxuria & gula ſunt circa delecta- „ tiones, quæ ſunt in uſu rerum tangibilium. „ Sed circa delectationem cognitionis om- „ nium ſenſuum eſt curioſitas, & vocatur con- „ cupiſcentia oculorum: quia oculi ſunt ad „ cognoſcendum in ſenſibus principales, un- „ dè omnia ſenſibilia videri dicuntur, ut „ Auguſtinus dicit in lib. 10. confeſſionum „ cap. 35. Et ſicut Auguſtinus ibidèm ſubdit: *Ex hoc evidentiùs diſcernitur, quid voluptatis, quid curioſitatis agatur per ſenſus, quòd voluptas pulchra, ſuavia, canora, ſapida, lenia ſectatur. Curioſitas autèm etiam his contraria tentandi cauſa, non ad ſubeundam moleſtiam, ſed experiendi nocendique libidinem.*

S. Auguſt. lib. de vera religion. cap. 29.

S. Bernardus ſerm. de nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

Serm. 36. in Cantica.

Perſius ſatyr. 1.

D. Thom. 2. 2. q. 167. art. 1. in corp.

Artic. 2. in corp.

S. Auguſt. lib. 10. confeſſ. cap. 33.

Solut. ad 1.

S. Auguſt. lib. 1. confeſſ. cap. 35.

No-

Fruendis uti: & utēdis frui, inordinatum.

77 Novum pręterèa vel novâ efficaciâ momentum expendamus contra proſcriptas, ſimiliſque furfuris propoſitiones: Nihil magis deordinatum in homine rationalitèr operante, quàm ut fruatur rebus, quibus uti dumtaxàt debet; nihilque magis pervulgatum, quàm illud Auguſtini celebre pronuntiatum: * Omnis humana perverſio eſt, * quod etiam vitium vocatur, fruendis uti * velle & utendis frui. Et rursùs: Omnis or- * dinatio, quę virtus etiam nominatur, fruen- * dis frui, & utendis uti. Pręluxerat etiam Seneca dùm ſcripſit; *Tu voluptatem complecteris, ego compeſco, tu voluptate frueris, ego utor.* Sic enim indè diſputo: Quia ſi bono ſenſibili & delectabili acquieſcit homo velùt fini ſuarum operationum, bono illo, quo uti ſolùm debet, frueretur, rationaleſque operationes & rationē proindè ipſam concupiſcentiæ & appetitui deſervire dabit, contra dictamen rationis ipſo lumine naturali innoteſcens Senecæ ajenti: *Major ſum & ad majora natus, quàm ut mancipiū ſim corporis mei, quod equidem non alitèr aſpicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.* Et certè quid indigniùs, quid magis à recto ordine devians, quàm facultatum reginam appetitui ancillari, cui debuerat principari; ſed ſi voluntas deliberatè procedens ageret ob ſolam voluptatem, quâ proindè appetitus frueretur, non appetitus voluntati & rationi, ſed ratio & voluntas appetitui ſubjiceretur; ſivè major ſerviret minori, & ratio concupiſcentiæ obſequeretur: ergo per illam præpoſteram ordinationem peccatum admitteretur.

S. Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 30.

Seneca in lib. de vita beata cap. 10.

Epiſt. 61.

78 Satis hucùſque demonſtratum eſt, operationes corporales ob ſolam delectationem elicitas pravas eſſe & inordinatas. Sed novum robur prædictis adjungere poſſumus; ſi ſtatuamus (& quidèm ſatis efficacitèr, licèt nonnulli repugnent Theologi) operationes ipſas bonum delectabile ſimul & honeſtum attingentes, rectæ rationi diſſonare, niſi à bono honeſto voluntas primariò moveatur. Sivè ut in ſcholis propugnavimus: (de moralitate humanorum actuum diſputantes) ut actus ſit moralitèr bonus ex objecto, debet attingere primariò & directè honeſtatem moralem illius. Hanc reſolutionem derivare imprimis poſſumus ex ipſa natura habitûs virtuoſi & honeſti, cui proprium eſt bonitatem moralem in objecto per ſe & primariò reſpicere, in ipſumque objectum prout ſic potentiam inclinare: cùm ergo actûs honeſti & virtuoſi in idem formalitèr objectum tendere habeant, quò virtus undè procedunt inclinat, reliquum eſt in bonum quatenùs moralitèr honeſtum per ſe primò tendere actûs honeſtos & virtuoſos. Deinde firmatur reſolutio ex ipſa notione propria boni honeſti, quam ita deſcripſit Auguſtinus: *Honeſtum dicitur, quod propter ſe ipſum appetendum eſt; utile autem, quod ad aliquid aliud referendum eſt.* Indè ad ſcholæ methodum ſic aliquādò theologizavimus: non alitèr ex objecto actus moraliter eſt bonus niſi ad bonum ut moralitèr honeſtum tendat; adeòque ut propter ſe appetendum. At niſi directè & primariò objecti honeſtatem intendat, eam propter ſe non appetit, ſed ratione illius quod primariò intenderet: ut ergo actus ſit moralitèr bonus ex objecto, debet attingere primariò & directè honeſtatem moralem illius

S. Auguſt. lib. 83. quæſtionum q. 30.

Apud D. Thom. 2. 2. q. 145. ar. 3. in ſed contr.

79 Urgetur ampliùs magiſque producitur præjacti argumenti efficacia ex diſcrimine, quod laudatus D. Thomas inter appetitum rationalem & ſenſitivum pro aſſumpto præſenti aſsignat: „ Dicendum inquiens: „ quòd honeſtum dicitur, quod propter ſe „ appetitur appetitu rationali, qui tendit in „ id, quod eſt conveniens rationi. Delecta- „ bile autèm propter ſe appetitur appetitu ſenſitivo. Finis etenim primariùs voluntatis prout eſt appetitus rationalis, eſt bonum moralitèr honeſtum: ſolum ergo voluntas operatur conformiter ad rectam rationem, dùm primariò directè & per ſe ad bonum honeſtum tendit: dùm igitur convenientiam phyſicam vel delectabilitatē objecti directè quærit, quantùmvis in obliquo & ſecundariò honeſtatem intendat, inordinatè operatur. Quandòquidem voluntas inordinatè operatur, cum affectivè præfert delectabilitatem objecti, honeſtati ipſius; ſed amare objectum honeſtum per ſe primò ex motivo delectabilitatis ipſius, certè eſt affective præferre delectabilitatem honeſtati, juxta illud Dialecticorum axioma: *Propter quod unumquodque eſt tale, & illud magis*: qui ergo directè intendit delectabilitatem objecti inordinatè operatur. Et omnium ratio eſt: Nàm voluntas nequit honeſtè operari, niſi finis intrinſecus actûs voluntatis ſit moralitèr honeſtus & rationi conformis, etenim finis intrinſecus, ſivè objectum ſpecificat actum moralem; ſed voluntatem reſpicere finem honeſtum ut talem, eſt illam moveri directè & primariò à bono honeſto ut tali: ergo ut actus voluntatis ſit bonus moraliter, debet moveri ab honeſtate morali primaria objecti.

Solut. ad 1.

§. UNICUS.

Proſcriptæ propoſitiones ſigillatim rejiciuntur.

80 AD rejiciendas ſigillatim ab Eccleſia rejectas propoſitiones deſcendimus, à genere ad ſpecies gradum facientes: ſic ergo adversùs primam propoſitionem, producta jam generatim argumenta contractim urgemus: ciborum & potabilium uſus ob ſolam voluptatem ad ſatietatem pertingens, ex utroque capite deformitatem induit & inordinationem: alicujus ergo peccati măculâ enodatus erit. Prob. antecedens: Cibi & potus uſus à regula devians per rectam rationem divinamque au-

cto-

Ex Philoſophis, & SS. PP. pro regula in uſu ciborũ aſſignatur à D. Thoma: Neceſsitas vitę, vel ſimpliciter vel conveniẽter conſervandę.

ctoritatem conſtituta, non poteſt non eſſe
deformis & inordinatus; at ſic ſe habet cibi
& potus ſumptio ob ſolam voluptatem, uſ-
que ad ſatietatem ingurgitans: igitùr ut ſit
deformis & inordinatus, neceſſum erit. Mi-
nor aſſumpta undè totius argumenti robur
pendet eò conſtat: quòd ſola neceſsitas vi-
tæ vel ſimpliciter vel convenienter conſer-
ſervandæ proxima regula ſit ad eſum & po-
tum; huic autem regulæ tùm cibus, tùm po-
tus ad ſatietatem, tùm voluptas intenta non
conformatur: imò ſatietas obeſſe ſolet ſalu-
ti, licèt aliquandò per accidens non officiat:
voluptas autèm ſine rationis fręno ad ſatie-
tatem brutaliter inducit. Præſcriptam regu-
lam quo ad utramque partem probavit jàm
vel inter ipſos Gentiles Seneca ita ſcribens:

Seneca epiſt. 88

*Temperantia voluptatibus imperat, alias odit
atque abigit, alias diſpenſat & ad ſanum
modum redigit, nec unquàm ad illas propter
illas venit. Scit optimum eſſe modum cupi-
ditatis non quantùm velis, ſed quantùm de-
beas ſumere.*

81 Hæc inſinuaſſe ex Gentilibus ſuffi-
ciant ad Chriſtianorum ruborem: audiant
tamèn Auguſtinum Chriſtianæ Philoſophiæ
magiſtrum: * Cum ſpleta neceſsitate amor
* edendi animum ſolicitat; (loquitur S. P.)
* jàm libido eſt, jàm malum eſt, cui ceden-
* dum non eſt, ſed reſiſtendum ::: Diſcer-
* nere ac noſſe debemus, quid neceſsitas re-
* fectionis, quid libido edacitatis expoſcat,
* quorum negotium eſt contra concupiſcen-
* tem carnem ſpiritu concupiſcere, & conde-
* lectari legi Dei ſecundùm interiorem ho-
* minem, ejuſque delectationis ſerenitatem
* nullis libidinoſis delectationibus nubilare.
Expreſsiùs adhuc aſſumptam à nobis regu-
lam tradiderat Auguſtinus tanquàm verbo
divino firmatam: * Habet vir temperans in
* rebus hujus vitæ regulam utroque Teſta-
* mento firmatam, ut eorum nihil diligat,
* nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vi-
* tę hujus atque officiorum neceſsitatem,
* quantùm ſatis eſt, uſurpet utentis mode-
* ſtia non amantis affectu. In ſchola Augu-
ſtini edoctus Thomas poſtquàm producta
verba adducit tanquàm diſcipulus, ita tan-
quàm ſcholæ magiſter theologizat: ,, Reſ-
,, pondeo dicendum, quòd ſicut ex ſupradi-
,, ctis patet: bonum virtutis moralis præci-
,, puè conſiſtit in ordine rationis. Nàm bo-
,, num hominis eſt ſecundùm rationem eſſe,
,, ut Dionyſius dicit. Pręcipuùs autem ordo
,, rationis conſiſtit in hoc, quòd aliqua in
,, finem ordinat; & in hoc ordine maximè
,, conſiſtit bonum rationis. Nàm bonum ha-
,, bet rationem finis: & ipſe finis eſt regula
,, eorum, quæ ſunt ad finem. Omnia autem
,, delectabilia, quę in uſum hominis ve-
,, niunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ
,, neceſsitatem ſicut ad finem; & ideò tem-
,, perantia accipit neceſsitatem hujus vitæ,
,, ſicut regulam delectabilium, quibus uti-
,, tur, ut ſcilicet tantùm eis utatur, quan-
,, tùm neceſsitas hujus vitæ requirit. Dixi-
mus: *Neceſsitas vitæ vel ſimpliciter vel con-
venientèr conſervandæ*; quia ùt notat Divus
Thomas: ,, Neceſsitas humanæ vitæ poteſt
,, attendi dupliciter. Uno modo, ſecundùm
,, quod dicitur neceſſarium illud, ſine quo
,, res nullo modo poteſt eſſe; ſicut cibus
,, eſt neceſſarius animali. Alio modo ſecun-
,, dùm quod dicitur neceſſarium illud, ſine
,, quo res non poteſt convenienter eſſe. Tem-
,, perantia autem non ſolùm attendit pri-
,, mam neceſsitatem, ſed etiam ſecundam:
,, Unde Philoſophus dicit: quòd temperatus
,, appetit delectabilia propter ſanitatem vel
,, propter habitudinem bonam.

S. Auguſt. lib. 4. contra Julian. cap. 14.

Lib. de moribus Eccleſię cap. 21

D. Thom. 2. 2. q. 141. ar. 1. in corp.

S. Dionyſius lib. de Divinis nominibus cap. 4.

D. Thom. ubi ſupra.

Solut. ad 2.

Philoſophus lib. 3. Ethic. cap. 11

82 Eandem regulam aſsignat Doctor
Angelicus expreſsioribus illis verbis: ,, Re-
,, gula rationis hæc eſt, ut homo ſumat ci-
,, bum ſecundùm quod convenit ſuſtentatio-
,, ni naturæ & bonæ habitudini hominis &
,, converſationi eorum, cum quibus vivit,
,, ut dicitur in tertiò Ethicorum. Quandò
,, ergo ſecundùm hanc regulam rationis ap-
,, petit aliquis & ſumit cibum, ſecundum
,, neceſsitatem ſumit. Quando verò ultrà
,, hoc excedit, tranſcendit regulam rationis
,, à medio virtutis diſcedens, ut ſatisfaciat
,, voluptati. Quam doctrinam explicat exem-
,, plo medicamenti: Ad quintum (inquiens)
,, quòd alimenta conveniunt cum medica-
,, mentis, in hoc quod utraque ſumuntur
,, contra defectûs naturæ corporalis. Sed po-
,, teſt in eis attendi differentia quantùm ad
,, duo. Primò quidem, quia medicamenta ſu-
,, muntur ſecundùm regulam artis medicinæ;
,, undè in ſumptione medicamentorum, ſi ſit
,, inordinatio, magis imputatur medico dan-
,, ti, quàm infirmo ſumenti. Alimenta verò,
,, ut plurièſ ſumit homo proprio arbitrio: &
,, ideò illi imputatur ad peccatum; ſi prop-
,, tèr immoderatam concupiſcentiam delecta-
,, tionis ciborum ſuperfluè cibum aſſumat. Se-
,, cundò differunt, quia ſumptio medicamen-
,, torum non eſt delectabilis, ſicut ſumptio ali-
,, mentorum. Et ita in ſumendis medicamentis
,, non eſt peccatum ex inordinata concupiſ-
,, centia delectabilis, ſicut eſt in ſumptione
,, ciborum. Tamèn ſi quis infirmus de ali-
,, quo delectabili medicamento ſumeret ultrà
,, debitum contra conſilium Medici propter
,, concupiſcentiam delectabilis, ſimilitèr pec-
,, caret vitio gulę.

D. Thom. queſt. 14. de malo art. 1. ad 1.

Solut. ad 5.

83 Novo inſupèr argumento jure proſ-
criptam oſtendimus propoſitionem illam:
quia uſus cibi & potûs ob ſolam volupta-
tem ad ſatietatem uſque protractus, vitio
gulę adſcribendus eſt; gula autem ſemper
reputatur peccatum. Ut enim inquit D. Tho-
mas: ,, Gula non nominat quemlibet appe-
,, titum edendi & bibendi, ſed inordinatum.
,, Dicitur autem appetitus inordinatus ex eo
,, quod recedit ab ordine rationis, in quo
,, bonum virtutis moralis conſiſtit. Ex hoc
,, autem dicitur aliquid eſſe peccatum, quod
,, virtuti contrariatur: undè manifeſtum eſt,
,, quòd gula eſt peccatum. Ejus deindè ſpe-
cies ex Magno Gregorio aſsignans D. Angel.
verſu illo complectitur.
Præproperè, lautè, nimis, ardentèr, ſtudiosè.
Po-

2. 2. queſt. 148. art. 1. in corp.

Artic. 4.

Voluptuoſus cibi uſus uſque ad ſatietatem vitio gulę adſcribendus eſt.

Poteſt igitùr uſus cibi & potùs ad vitium
gulæ pertinere, vel proptèr exceſſum in ma-
teria, quantùm ad ſubſtantiam vel qualita-
tem: ſicut etiam in ipſa ſumptione per in-
ordinatam concupiſcentiam aut delectatio-
nem. In primo genere collocatur ſumptio ci-
bi & potùs uſque ad ſatietatem: in ſecundo
autem, dùm ſumitur ob ſolam voluptatem.
Audiatur tamen Div. Thomas ubi ſupra:
,, Dicendum, quòd gula importat inordina-
,, tam concupiſcentiam edendi. In eſu autem
,, duo conſiderantur, ſcilicet ipſe cibus, qui
,, comeditur & ejus comeſtio. Poteſt ergo
,, inordinatio concupiſcentiæ attendi dupli-
,, citer. Uno quidèm modo quantùm ad ip-
,, ſum cibum, qui ſumitur: & ſic quantùm ad
,, ſubſtantiam vel ſpeciem cibi quærit aliquis
,, cibos lautos, id eſt pretioſos. Quantùm ad
,, qualitatem quærit cibos nimis accuratè
,, præparatos, id eſt ſtudiosè. Quantùm au-
,, tem ad quantitatem excedit nimis in eden-
,, do. Alio verò modo attenditur inordina-
,, tio concupiſcentiæ, quantùm ad ipſam
,, ſumptionem cibi, vel quia prævenit debi-
,, tum tempus comedendi, quod eſt præpro-
,, perè, vel quia non ſervat modum debi-
,, tum in edendo quod eſt ardenter.

Art. 4. in corp.

84 Reliquum ergò eſt: uſum cibi & po-
tûs uſque ad ſatietatem ob ſolam volupta-
tem, illicitum ex utroque capite dici debere,
ut meritò communiter Doctores tenent con-
tra P. Moya alioſque paucos in ſui favorem
vocatos. Dubitari tamèn poteſt: utrùm ſicut
in illa propoſitione explicitè damnatur uſus
cibi & potûs uſque ad ſatietatem ob ſolam
voluptatem: damnetur etiam ſaltèm impli-
citè, quod ſit licitum moderatè etiam come-
dere, & bibere ob ſolam voluptatem? Reſ-
pondeo igitùr affirmativè: quia propoſita
jàm argumenta pro majori parte efficaciam
habent, oſtenduntque inordinationem &
deformitatem prædictæ comeſtionis & potûs,
& ſi aliàs cum moderatione. Quandòqui-
dem moderata comeſtio ob ſolam volupta-
tem debitum naturæ rationali finem ſuper-
greditur, dùm bonum delectabile, vel unicè
attendit, vel ſaltèm pręfert bono honeſto. In
illa etiam homo fruitur utendis; nec opera-
tur proindè ut homo, ſed ut bellua, cui etiam
aliquandò accidit temperatè comedere &
bibere. Ineluctabile etiam derivatur argu-
mentum pro hac noſtra reſolutione ex dam-
natione ſecundæ propoſitionis ſtatim rejicien-
dæ: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem
exercitus penitùs caret culpâ ac defectu ve-
niali.* Sicut nàmque moderata comeſtio ex ſe
licita eſt: quia conducit ad conſervationem
individui, ita & opus conjugii ob conſer-
vandam ſpeciem: ſi ergo hujuſmodi opus, eò
quòd fiat ob ſolam voluptatem, illicitum de-
claratur ab Eccleſia; hoc ipſum de comeſtio-
ne etiam temperata dicendum erit: in his
enim delectationibus facilè eſt modum ex-
cedere.

Uſus cibi etiã moderatus ob ſolam voluptatem reprobatur.

85 Quantùm vero attinet ad ſecun-
dam proximè indicatam propoſitionem, au-
dire ſufficiat Sanctos Patres, & cum illis
loquentem Angelicum Thomam. Auguſti-
nus enim imprimis: * Conjugalis (inquit)
* concubitus generandi gratiâ non habet
* culpam, concupiſcentiæ verò ſatiandæ,
* ſed tamèn cum conjuge propter finem
* Thori, venialem habet culpam. Inſuper.
* Reddere debitum conjugale (inquit)
* nullius eſt criminis; exigere autem ultra
* generandi neceſsitatem, eſt culpa ve-
* nialis. Et tandèm inquit; Conjuges con-
* trahere, unde quotidiè dicant, dimitte
* nobis debita noſtra, quandò modum ge-
* nerationi neceſſarium causâ ſolius vo-
* luptatis excedunt. Similia habet Div.
Gregorius Magnus ubi hæc ſcribit: * Tunc
* ſolum conjuges in admixtione ſine cul-
* pa ſunt, cùm non pro explenda libidi-
* ne, ſed pro ſuſcipienda prole miſcen-
* tur. Deinde de cura paſtorali: Admo-
* nendi ſunt conjuges (loquitur) ut ſuſci-
* piendæ prolis ſe meminerint causâ con-
* junctos; & cum immoderatę admixtioni
* ſervientes, propagationis articulum in
* uſum transferunt voluptatis, perpendant
* quod licet, extra non exeant, in ipſo
* conjugio conjugitura tranſcendunt. Un-
* dè neceſsè eſt, ut crebris exhortationi-
* bus moneantur, ut defleant, quod pul-
* chram copulæ ſpeciem admixtis volupta-
* tibus fædant.

S. Auguſtin. lib. de bono conjug. cap. 6. & 7.

Lib. contra Julianum cap. 10.

S. Gregorius lib. 12. moralium cap. 17.

In Paſtorali, part. 3. admonit 28.

86 Ex SS. PP. pro more ſuas deri-
vans reſolutiones D. Thomas ſtatuit opus
conjugii ob ſolam delectationem eſſe pec-
catum veniale: ,, Dicendum (inquit) quòd
,, ſi delectatio quæratur ultrà honeſtatem
,, matrimonii: ut ſcilicet aliquis in conju-
,, ge non attendat, quòd conjux eſt, ſed
,, ſolùm, quòd mulier, paratus idem fa-
,, cere cum ea, ſi non eſſet conjux, eſt
,, peccatum mortale, & ideò talis dicitur
,, ardentior amator uxoris, quia ſcilicet
,, ardor ille extra bona matrimonii fertur.
,, Si autem quæratur delectatio intra limi-
,, tes matrimonii, ut ſcilicèt talis delecta-
,, tio in alia non quæreretur, quàm in con-
,, juge, ſic eſt veniale peccatum. Expreſsiùs
adhuc loquitur Sanct. Doct. articulo præ-
cedenti, ubi reſolutoriè concludit: ,, Quan-
,, dò conjuges conveniunt causâ procrean-
,, dæ prolis, vel ut ſibi invicem debitum
,, reddant, quod ad fidem pertinet, to-
,, taliter excuſantur à peccato :: Et ideò
,, duobus ſolis modis conjuges abſque om-
,, ni peccato conveniunt, ſcilicèt causâ
,, procreandæ prolis & debiti reddendi: aliàs
,, ſemper eſt ibi peccatum, ad minùs ve-
,, niale. Et ex hoc ſecundo capite excuſatur à
peccato conjux intendens actum matrimo-
nii ob vitandam in altero conjuge forni-
cationem. ,, Si aliquis per actum matri-
,, monii intendat vitare fornicationem, in
,, conjuge non eſt aliquod peccatum; quia
,, hæc eſt quædam redditio debiti. Nec ſo-
lùm abſque peccato conveniunt ex duplici
illo motivo; quin potiùs exercent actum
religionis aut juſtitiæ, meritorium proin-
de & virtuoſum. ,, Conſiderandum eſt (in-

D. Thom. in ſuplem. q. 49. art. 6. in corp.

Ex lib. 4. Sent. diſt. 32. q. 1. art. 3. & art. 2.

Art. 5. in corp.

Prolis procreatio, & debitum cohoneſtant uſum conjugii.

Solut. ad 2.

Lect. 1. in cap. 7. primæ ad Corinth.

Ex Philoſophis, & SS. PP. pro regula in uſu ciborũ aſſignatur à D. Thoma: Neceſsitas vitę, vel ſimpliciter vel conveniẽter conſervandę.

ctoritatem conſtituta, non poteſt non eſſe deformis & inordinatus; at ſic ſe habet cibi & potus ſumptio ob ſolam voluptatem, uſque ad ſatietatem ingurgitans: igitùr ut ſit deformis & inordinatus, neceſſum erit. Minor aſſumpta undè totius argumenti robur pendet eò conſtat: quòd ſola neceſsitas vitæ vel ſimpliciter vel convenienter conſerſervandæ proxima regula ſit ad eſum & potum; huic autem regulæ tùm cibus, tùm potus ad ſatietatem, tùm voluptas intenta non conformatur: imò ſatietas obeſſe ſolet ſaluti, licèt aliquandò per accidens non officiat: voluptas autèm ſine rationis frẹno ad ſatietatem brutaliter inducit. Præſcriptam regulam quo ad utramque partem probavit jàm vel inter ipſos Gentiles Seneca ita ſcribens: *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias diſpenſat & ad ſanum modum redigit, nec unquàm ad illas propter illas venit. Scit optimum eſſe modum cupiditatis non quantùm velis, ſed quantùm debeas ſumere.*

Seneca epiſt. 88

81 Hæc inſinuaſſe ex Gentilibus ſufficiant ad Chriſtianorum ruborem: audiant tamèn Auguſtinum Chriſtianæ Philoſophiæ magiſtrum: * Cum ſpleta neceſsitate amor * edendi animum ſolicitat; (loquitur S. P.) * jàm libido eſt, jàm malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum ::: Diſcer- * nere ac noſſe debemus, quid neceſsitas re- * fectionis, quid libido edacitatis expoſcat, * quorum negotium eſt contra concupiſcen- * tem carnem ſpiritu concupiſcere, & conde- * lectari legi Dei ſecundùm interiorem ho- * minem, ejuſque delectationis ſerenitatem * nullis libidinoſis delectationibus nubilare. Expreſsiùs adhuc aſſumptam à nobis regulam tradiderat Auguſtinus tanquàm verbo divino firmatam: * Habet vir temperans in * rebus hujus vitæ regulam utroque Teſta- * mento firmatam, ut eorum nihil diligat, * nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vi- * tę hujus atque officiorum neceſsitatem, * quantùm ſatis eſt, uſurpet utentis mode- * ſtia non amantis affectu. In ſchola Auguſtini edoctus Thomas poſtquàm producta verba adducit tanquàm diſcipulus, ita tanquàm ſcholæ magiſter theologizat: ,, Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ex ſupradictis patet: bonum virtutis moralis præcipuè conſiſtit in ordine rationis. Nàm bonum hominis eſt ſecundùm rationem eſſe, ,, ut Dionyſius dicit. Pręcipuùs autem ordo ,, rationis conſiſtit in hoc, quòd aliqua in ,, finem ordinat; & in hoc ordine maximè ,, conſiſtit bonum rationis. Nàm bonum habet rationem finis: & ipſe finis eſt regula ,, eorum, quæ ſunt ad finem. Omnia autem ,, delectabilia, quę in uſum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ ,, neceſsitatem ſicut ad finem; & ideò temperantia accipit neceſsitatem hujus vitæ, ,, ſicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut ſcilicet tantùm eis utatur, quantùm neceſsitas hujus vitæ requirit. Diximus: *Neceſsitas vitæ vel ſimpliciter vel convenientèr conſervanda*; quia ùt notat Divus Thomas: ,, Neceſsitas humanæ vitæ poteſt ,, attendi dupliciter. Uno modo, ſecundùm ,, quod dicitur neceſſarium illud, ſine quo ,, res nullo modo poteſt eſſe; ſicut cibus ,, eſt neceſſarius animali. Alio modo ſecundùm quod dicitur neceſſarium illud, ſine ,, quo res non poteſt convenienter eſſe. Temperantia autem non ſolùm attendit primam neceſsitatem, ſed etiam ſecundam: ,, Unde Philoſophus dicit: quòd temperatus ,, appetit delectabilia propter ſanitatem vel ,, propter habitudinem bonam.

S. Auguſt. lib. 4. contra Julian. cap. 14.

Lib. de moribus Eccleſię cap. 21

D. Thom. 2. 2. q. 141. ar. 1. in corp.

S. Dionyſius lib. de Divinis nominibus cap. 4.

D. Thom. ubi ſupra.

Solut. ad 2.

Philoſophus lib. 3. Ethic. cap. 11

82 Eandem regulam aſsignat Doctor Angelicus expreſsioribus illis verbis: ,, Regula rationis hæc eſt, ut homo ſumat cibum ſecundùm quod convenit ſuſtentationi naturæ & bonæ habitudini hominis & ,, converſationi eorum, cum quibus vivit, ,, ut dicitur in tertiò Ethicorum. Quandò ,, ergo ſecundùm hanc regulam rationis appetit aliquis & ſumit cibum, ſecundum ,, neceſsitatem ſumit. Quando verò ultrà ,, hoc excedit, tranſcendit regulam rationis ,, à medio virtutis diſcedens, ut ſatisfaciat ,, voluptati. Quam doctrinam explicat exemplo medicamenti: Ad quintum (inquiens) ,, quòd alimenta conveniunt cum medicamentis, in hoc quod utraque ſumuntur ,, contra defectûs naturæ corporalis. Sed poteſt in eis attendi differentia quantùm ad ,, duo. Primò quidem, quia medicamenta ſumuntur ſecundùm regulam artis medicinæ; ,, undè in ſumptione medicamentorum, ſi ſit ,, inordinatio, magis imputatur medico danti, quàm infirmo ſumenti. Alimenta verò, ,, ut pluriès ſumit homo proprio arbitrio: & ,, ideò illi imputatur ad peccatum; ſi proptèr immoderatam concupiſcentiam delectationis ciborum ſuperfluè cibum aſſumat. Secundò differunt, quia ſumptio medicamentorum non eſt delectabilis, ſicut ſumptio alimentorum. Et ita in ſumendis medicamentis ,, non eſt peccatum ex inordinata concupiſcentia delectabilis, ſicut eſt in ſumptione ,, ciborum. Tamèn ſi quis infirmus de aliquo delectabili medicamento ſumeret ultrà ,, debitum contra conſilium Medici propter ,, concupiſcentiam delectabilis, ſimilitèr peccaret vitio gulę.

D. Thom. quęſt. 14. de malo art. 1. ad 1.

Solut. ad 5.

83 Novo inſupèr argumento jure proſcriptam oſtendimus propoſitionem illam: quia uſus cibi & potùs ob ſolam voluptatem ad ſatietatem uſque protractus, vitio gulę adſcribendus eſt; gula autem ſemper reputatur peccatum. Ut enim inquit D. Thomas: ,, Gula non nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi, ſed inordinatum. ,, Dicitur autem appetitus inordinatus ex eo ,, quod recedit ab ordine rationis, in quo ,, bonum virtutis moralis conſiſtit. Ex hoc ,, autem dicitur aliquid eſſe peccatum, quod ,, virtuti contrariatur: undè manifeſtum eſt, ,, quòd gula eſt peccatum. Ejus deindè ſpecies ex Magno Gregorio aſsignans D. Angel. verſu illo complectitur.

2. 2. quæſt. 148. art. 1. in corp.

Praepropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Artic. 4.

Voluptuoſus cibi uſus uſque ad ſatietatem vitio gulę adſcribendus eſt.

Po-

Poteſt igitùr uſus cibi & potùs ad vitium gulæ pertinere, vel proptèr exceſſum in materia, quantùm ad ſubſtantiam vel qualitatem: ſicut etiam in ipſa ſumptione per inordinatam concupiſcentiam aut delectationem. In primo genere collocatur ſumptio cibi & potùs uſque ad ſatietatem: in ſecundo autem, dùm ſumitur ob ſolam voluptatem. Audiatur tamen Div. Thomas ubi ſupra: ,, Dicendum, quòd gula importat inordinatam concupiſcentiam edendi. In eſu autem ,, duo conſiderantur, ſcilicet ipſe cibus, qui ,, comeditur & ejus comeſtio. Poteſt ergo ,, inordinatio concupiſcentiæ attendi dupliciter. Uno quidèm modo quantùm ad ipſum cibum, qui ſumitur: & ſic quantùm ad ,, ſubſtantiam vel ſpeciem cibi quærit aliquis ,, cibos lautos, id eſt pretioſos. Quantùm ad ,, qualitatem quærit cibos nimis accuratè ,, præparatos, id eſt ſtudioſè. Quantùm autem ad quantitatem excedit nimis in edendo. Alio verò modo attenditur inordinatio concupiſcentiæ, quantùm ad ipſam ,, ſumptionem cibi, vel quia prævenit debitum tempus comedendi, quod eſt præproperè, vel quia non ſervat modum debitum in edendo quod eſt ardenter.

Art. 4. in corp.

84 Reliquum ergò eſt: uſum cibi & potùs uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, illicitum ex utroque capite dici debere, ut meritò communiter Doctores tenent contra P. Moya alioſque paucos in ſui favorem vocatos. Dubitari tamèn poteſt: utrùm ſicut in illa propoſitione explicitè damnatur uſus cibi & potûs uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem: damnetur etiam ſaltèm implicitè, quod ſit licitum moderatè etiam comedere, & bibere ob ſolam voluptatem? Reſpondeo igitùr affirmativè: quia propoſita jàm argumenta pro majori parte efficaciam habent, oſtenduntque inordinationem & deformitatem prædictæ comeſtionis & potûs, & ſi aliàs cum moderatione. Quandòquidem moderata comeſtio ob ſolam voluptatem debitum naturæ rationali finem ſupergreditur, dùm bonum delectabile, vel unicè attendit, vel ſaltèm pręfert bono honeſto. In illa etiam homo fruitur utendis; nec operatur proindè ut homo, ſed ut bellua, cui etiam aliquandò accidit temperatè comedere & bibere. Ineluctabile etiam derivatur argumentum pro hac noſtra reſolutione ex damnatione ſecundæ propoſitionis ſtatim rejiciendæ: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitus penitùs caret culpâ ac defectu veniali.* Sicut nàmque moderata comeſtio ex ſe licita eſt: quia conducit ad conſervationem individui, ita & opus conjugii ob conſervandam ſpeciem: ſi ergo hujuſmodi opus, eò quòd fiat ob ſolam voluptatem, illicitum declaratur ab Eccleſia; hoc ipſum de comeſtione etiam temperata dicendum erit: in his enim delectationibus facilè eſt modum excedere.

Uſus cibi etiã moderatus ob ſolam voluptatem reprobatur.

85 Quantùm vero attinet ad ſecundam proximè indicatam propoſitionem, audire ſufficiat Sanctos Patres, & cum illis loquentem Angelicum Thomam. Auguſtinus enim imprimis: * Conjugalis (inquit) * concubitus generandi gratiâ non habet * culpam, concupiſcentiæ verò ſatiandæ, * ſed tamèn cum conjuge propter finem * Thori, venialem habet culpam. Inſuper. * Reddere debitum conjugale (inquit) * nullius eſt criminis; exigere autem ultra * generandi neceſsitatem, eſt culpa ve- * nialis. Et tandèm inquit; Conjuges con- * trahere, unde quotidiè dicant, dimitte * nobis debita noſtra, quandò modum ge- * nerationi neceſſarium causâ ſolius vo- * luptatis excedunt. Similia habet Div. Gregorius Magnus ubi hæc ſcribit: * Tunc * ſolum conjuges in admixtione ſine cul- * pa ſunt, cùm non pro explenda libidi- * ne, ſed pro ſuſcipienda prole miſcen- * tur. Deinde de cura paſtorali: Admo- * nendi ſunt conjuges (loquitur) ut ſuſci- * piendæ prolis ſe meminerint causâ con- * junctos; & cum immoderatę admixtioni * ſervientes, propagationis articulum in * uſum transferunt voluptatis, perpendant * quod licet, extra non exeant, in ipſo * conjugio conjugitura tranſcendunt. Un- * dè neceſsè eſt, ut crebris exhortationi- * bus moneantur, ut defleant, quod pul- * chram copulæ ſpeciem admixtis volupta- * tibus fædant.

S. Auguſtin. lib. de bono conjug. cap. 6. & 7.

Lib. contra Julianum cap. 10.

S. Gregorius lib. 12. moralium cap. 17.

In Paſtorali, part. 3. admonit 28.

86 Ex SS. PP. pro more ſuas derivans reſolutiones D. Thomas ſtatuit opus conjugii ob ſolam delectationem eſſe peccatum veniale: ,, Dicendum (inquit) quòd ,, ſi delectatio quæratur ultrà honeſtatem ,, matrimonii: ut ſcilicet aliquis in conjuge non attendat, quòd conjux eſt, ſed ,, ſolùm, quòd mulier, paratus idem facere cum ea, ſi non eſſet conjux, eſt ,, peccatum mortale, & ideò talis dicitur ,, ardentior amator uxoris, quia ſcilicet ,, ardor ille extra bona matrimonii fertur. ,, Si autem quæratur delectatio intra limites matrimonii, ut ſcilicèt talis delectatio in alia non quæreretur, quàm in conjuge, ſic eſt veniale peccatum. Expreſsiùs adhuc loquitur Sanct. Doct. articulo præcedenti, ubi reſolutoriè concludit: ,, Quandò conjuges conveniunt causâ procreandæ prolis, vel ut ſibi invicem debitum ,, reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excuſantur à peccato :: Et ideò ,, duobus ſolis modis conjuges abſque omni peccato conveniunt, ſcilicèt causâ ,, procreandæ prolis & debiti reddendi: aliàs ,, ſemper eſt ibi peccatum, ad minùs veniale. Et ex hoc ſecundo capite excuſatur à peccato conjux intendens actum matrimonii ob vitandam in altero conjuge fornicationem. ,, Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem, in ,, conjuge non eſt aliquod peccatum; quia ,, hæc eſt quædam redditio debiti. Nec ſolùm abſque peccato conveniunt ex duplici illo motivo; quin potiùs exercent actum religionis aut juſtitiæ, meritorium proindè & virtuoſum. ,, Conſiderandum eſt (inquit

D. Thom. in ſuppl. q. 49. art. 6. in corp.

Ex lib. 4. Sent. diſt. 32. q. 1. art. 3. & art. 2.

Art. 5. in corp.

Prolis procreatio, & debitum cohoneſtant uſum conjugii.

Solut. ad 2.

Lect. 1. in cap. 7. primæ ad Corinth.

,, quit D. Thomas) quòd actus conjugalis
,, quandòque quidèm eſt meritorius & abſ-
,, que omni culpa mortali vel veniali:
,, puta cùm ordinatur ad bonum prolis pro-
,, creandę educandæ ad cultum Dei: Sic enim
eſt actus religionis. (Secundarius tamen &
imperatus prout actùs omnes virtutum ad
cultum Dei ordinatos ordinat religio ad
ſuum proprium finem) ,, Vel cùm ſit cau-
,, ſà reddendi debitum : Sic enim eſt actus
,, juſtitię : omnis autem actus virtutis eſt
,, meritorius, ſi ſit cum charitate.

87 Inde jam videas, quàm à veritate
& D. Thoma ex PP. cum Prophetis lo-
Immerito nova alia deſignantur motiva.
quente, longè recedat P. Tamburinus apud
Mag. Gonet, quaſi ex ſenatùs conſulto
pronuntians: *Ut omne peccatum etiam ve-
niale vitetur: finis in matrimonii uſu ali-
quis ex his quatuor eſſe debet : proles in
Dei cultu procreanda; carnis concupiſcentia
ſedanda; ſanitas propria uxoriſvè conſer-
vanda; propria obligatio ſatisfacienda.* At-
tendant igitur Theologi moralis doctrinæ
tractatores & animarum rectores, cui cre-
dere debeant : an Tamburino quatuor aſ-
ſignanti cauſas peccati in actu conjugali
prorsùs vitandi : an Div. Thomæ & PP.
duas dumtaxàt aſsignantibus? Audiant ite-
S. Auguſt. lib. de bono conjugii, cap. 10.
rùm Auguſtinum loquentem: * Concubi-
* tus neceſſarius, causâ generandi incul-
* pabilis, & ſolus ipſe nuptialis; ille au-
* tem, qui ultra iſtam neceſsitatem pro-
* grediatur, jam non rationi ſed libidini
* obſequitur. Et hunc tamèn non exigere,
* ſed reddere conjugi nè fornicando dam-
* nabiliter peccet ad perſonam pertinet
* conjugalem. Si autem ambo tali concu-
* piſcentiæ ſubjunguntur, rem faciunt non
Solut. ad 2. à mediq.
* planè nuptiarum. Neque D. Thomæ ig-
nota fuere motiva illa, quæ adducit P.
Tamburinus: quin potiùs ea expreſsè reji-
cit. ,, Ad ſecundum inquiens: Quòd ſi con-
,, jux intendat vitare fornicationem in ſe,
,, ſic eſt illi aliqua ſuperfluitas, & ſecun-
,, dùm hoc eſt peccatum veniale, nec ad
,, hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſe-
,, cundùm indulgentiam, quæ eſt de pec-
,, catis venialibus. Deinde ad quartum ha-
Solut. ad 4.
,, bet; quòd quamvis intendere ſanitatis
,, conſervationem non ſit per ſe malum,
,, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex
,, aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt
,, ad hoc de ſe ordinatum, ſicut qui de Sacra-
,, mento Baptiſmi tantùm ſalutem corpo-
,, ralem quæreret, & ſimiliter jam eſt in
,, propoſito in actu matrimonii. Fatemur
itaque matrimonii uſum per accidens non-
nunquàm ſaluti conſervandæ aut recuperan-
dæ medicinam eſſe; quam admittere re-
nuit mirificus ille caſtitatis cultor Sanctus
Caſimirus ſpeciali mihi cultu venerandus:
quia in die ei ſacro in lucē prodii anno 1693.
Nihilominùs cur conjugatus ſi medicinam il-
lam (alio non occurrente medio) admit-
tere determinat, non apponat honeſtum
finem matrimonii, in eum ordinans opus
illud conjugii? Et ſimiliter ſi matrimonio
vacat ad vitandum in ſe imminens pericu-
lum incontinentiæ, dum alia remedia non
inveniret? quidquid in oppoſitum indicet
aliqualiter Thomas Sanchez apud P. Viva
in expoſitione & confutatione prædictarum
propoſitionum.

88 Vidimus hucuſque Thomam Ange-
licum cum PP. adversùs præjactam propo- *1. Corinth. 7.*
ſitionem diſputantem: Audiamus tamèn ip-
ſum non ſolùm cum PP. ſed etiam ex Pro-
phetis loquentem, ex Apoſtolo inquàm, qui
poſtquàm conjuges ex conſenſu ad tempus
ſeparari conſuluit ut orationi vacent, ſta-
tim ſubjungit : *Et iterum revertimini in
id ipſum, nè tentet vos Satanas propter
incontinentiam veſtram.* His verbis expri-
mitur: motivum ſedandæ concupiſcentiæ. De
illo tamèn, quid affirmet Paulus attendant
ſectatores opinionis Tamburini : *Hoc au-* *D. Thom. ibid.*
tem dico ſecundùm indulgentiam, non ſe- *lect. 1.*
cundùm imperium. Secundum indulgentiam,
inquàm, *quæ eſt de peccatis venialibus* ut
ſupra concluſerat D. Thomas. In commen-
tario tamèn Apoſtoli prædicta verba expen-
dens, inter alia inquit : ,, Et ſecundùm hoc
,, indulgentia refertur ad actum conjugalem,
,, ſecundùm quòd habet annexam culpam
,, venialem tamèn :: Scilicèt cum quis ad
,, actum matrimonialem ex concupiſcentia
Ex Apoſtolo, & SS. PP. honeſtandi motiva illa derivatá D. Thom.
,, exitatur; quæ infra limites matrimonii
,, ſiſtit, ut ſcilicèt cum ſola uxore ſit con-
,, tentus :: Et hoc modo habet indulgen-
,, tiam in quantùm aliquis conſentiens con-
,, cupiſcentiæ in uxorem non ſit reus pec-
,, cati mortalis. Neque expoſitionem datam
ex propria mente, ſed ex patribus pro ſuo
more derivavit Doctor Angelicus. Sic enim
Auguſtinus proximè laudatus inquit: *Non
itaque nuptias ſecundùm veniam concedit
Apoſtolus: Nàm quis ambigat abſurdiſsimè
dici non eos peccaſſe, quibus venia datur?
Sed illum concubitum ſecundùm veniam
concedit, qui ſit per incontinentiam, non
ſolà causâ procreandi, & aliquandò nullâ
causâ procreandi, quem nuptiæ non fieri
cogunt, ſed ignoſci impetrant.*

89 Expreſsiùs loquitur Auguſtinus in
Enchiridio inquiens: * Putari poſſet non *S. Auguſtinus in*
* eſſe peccatum miſceri conjugi non filio- *Enchir. cap. 78.*
* rum procreandorum causâ, quod bo-
* num eſt nuptiale ſed carnalis etiam vo-
* luptatis; ut fornicationis, ſive adulte-
* rii, ſive cujuſquam alterius immunditiæ
* mortiferum malum, quod turpè eſt etiam
* dicere, quòd poteſt tentante Satanâ li-
* bido pertrahere, incontinentium devi-
* tet infirmitas. Poſſet ergo, ut dixi, hoc
* putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet
* Apoſtolus: hoc autem dico ſecundùm ve-
* niam, non ſecundùm imperium. Quis
* autem jam eſſe peccatum neget, cùm
* dari veniam facientibus Apoſtolica aucto-
* ritate fateatur. Et rursùs : Qui uxoris *Serm. 51. cap.*
* carnem ampliùs appetit, quàm præſcri- *13.*
* bit limes ille, liberorum procreandorum
* causâ, contra ipſas tabulas facit, qui-
* bus eam duxit uxorem. Recitantur ta-
bu-

* bulæ, & recitantur in conſpectu omnium
* atteſtantium, & recitatur liberorum pro-
* creandorum cauſa; & vocantur tabulæ
* matrimoniales. Niſi ad hoc dentur, ad
* hoc accipiantur uxores, quis ſanâ fron-
* te dat filiam ſuam libidini alienæ? Eru-
* beſcat maritus alitèr accipere, ſi erubeſ-
* cit, pater alitèr dare :: nunquid hoc
* non eſt peccatum ampliùs, quàm libe-
* rorum procreandorum, neceſsitas cogit
* exigere à conjuge debitum? Eſt quidem
* peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit:
* hoc autem dico ſecundùm veniam. Au-
guſtino adjungitur Magnus Gregorius ſu-
pra laudatus in libro paſtoralis curæ, ubi
ſtatim ſubjungit : * Hinc Apoſtolus dùm
* in magna honeſtate conjugii, aliquid de
* voluptate largiatur adjunxit : hoc au-
* tem dico ſecundùm indulgentiam, non ſe-
* cundùm imperium. Culpa quippè eſſe in-
* nuitur, quod indulgeri perhibetur: ſed
* quæ tantò citiùs relaxetur, quantò non
* per hanc illicitum quid agitur; ſed hoc
* quod eſt licitum ſub moderamine non
* tenetur.

Cap. 14.
90 Concludamus igitur cum Auguſtino
duplicem proſcriptam propoſitionem unico
ictu proterente. * Duo (inquit) ſunt ope-
Gemina propoſitio, uno proteritur ictu ab Auguſtino.
* ra carnalia, quibus conſtat genus hu-
* manum: In quæ duo opera prudentes &
* ſancti ex officio deſcendunt; imprudentes
* autem in ea per cupiditatem ruunt. Aliud
* eſt enim ad aliquid officio deſcendere, aliud
* in aliquid per cupiditatem cadere. Quæ
* ſunt iſta, quibus conſtat genus huma-
* num? In nobis ipſis primum eſt, quod
* pertinent ad ſumenda alimenta, man-
* ducare & bibere: ſi non feceris, morie-
* ris. Hoc ergo uno ſuſtentaculo ſtat ge-
* nus humanum, pro modo naturæ ſuæ
* manducandi & bibendi : Sed per hoc
* ſuſtentaculum ſuſtentantur homines, quod
* ad ſe ipſos attinet : Succeſsioni autem
* non conſulunt manducando & bibendo;
* ſed uxores ducendo : Ad utrumque ſa-
* piens & prudens & fidelis officio deſcen-
* dit, non libidine cadit. Videas Auguſti-
num iterato firmantem, non voluptate
illectum, ſed neceſsitate ductum debere
hominem prudentem, cibis & venereis ope-
ram dare. Imò alibi monet, non medio-
crem adhibendam eſſe curam, nè cùm ne-
Lib. 10. Conf. cap. 31.
ceſsitas incipit, voluptas neceſsitate palie-
tur. Sic enim inter alia ſcribit : * Dùm
* ad quietem ſatietatis ex indigentiæ mo-
* leſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſi-
* diatur laqueus concupiſcentiæ :: Et ſępè
* incertum ſit utrum adhuc neceſſaria cor-
* poris cura ſubſidium petat, an volunta-
* riâ cupiditatis fallaciâ miniſterium ſup-
* petat! : His tentationibus quotidiè co-
* nor reſiſtere, & invoco dexteram tuam
* ad ſalutem meam, & ad te refero ęſtûs
S. Gregor. lib. 30. Moralium cap. 13. & 14.
* meos : quia conſilium mihi de hac re
* non ſtat :: In his ergo tentationibus po-
* ſitus, certo quotidiè adverſus concupiſ-
* centiam manducandi & bibendi, &c.

Audiamus deindè Gregorium ęgregiè lo-
quentem in aſſumpto ciborum (de uſu etiam
aliàs licito venereorum admonentem) * Ea
* (inquit) quærenda ſunt, quæ naturæ ne-
* ceſsitas quærit, & non quæ edendi libi-
* do ſuggerit. Sed magnus diſcretionis la-
* bor eſt, huic exactori, & aliquid impen-
* dere, & aliquid denegare; & non dan-
* do gulam reſtringere, & dando naturam
* nutrire :: quia diſcretus vir ac continens,
* & uſque ad temperandam neceſsitatem
* ventrem reficit, & à voluptate reſtrin-
* git. Sciendum verò eſt : quia ſic volup-
* tas ſub neceſsitate ſe palliat, ut vix eam
* perfectus quiſque diſcernat. Nam dùm
* ſolvi debitum neceſsitas petit, voluptas
* explere deſiderium ſuppetit: & tantò gu-
* la ſecuriùs in præceps rapit, quantò ſub
* honeſto nomine neceſsitatis explendæ ſe
* contegit. Sępè enim in ipſa edendi via
* furtivè adjuncta voluptas ſubſequitur: Non-
* nunquam verò imprudenter libera etiam
* præire conatur :: Sępè dùm incautè ne-
* ceſsitati condeſcendimus, deſideriis de-
* ſervimus.

OBJECTA DISSOLUTA.

91 Præcipuum adverſantium pro aſſer-
tis illis propoſitionibus fundamentum, in
ipſaque prima propoſitione expreſſum, adeò
ruinoſum eſt, ut dicere quodammodo poſ-
ſimus : eſt noviſsimus error pejor priore:
*Quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis
actibus frui.* Hoc enim eſt : *Frui utendis*,
à Div. Auguſtino reprobatum. Sivè haberi
pro fine delectatio, quæ ſolum poteſt eſſe *S. Auguſt. lib.*
velut medium, & quaſi naturæ adjumen- *10. de Trinit.*
tum ad operationes ordinatum, quibus in- *cap. 10.*
dividuum, & ſpecies humana conſervetur.
Cum autem ob ſolam voluptatem cibo, &
venereis appetitus indulget, voluptatem ſeu
delectationem non propter aliud veluti me-
dium intendit; ſed per ſe illam appetit:
ſicque illa fruitur: nam ut Auguſtinus apud
D. Thomam habet : *Fruimur cognitis, in* *D. Thomas 1. 2.*
quibus voluntas delectata conquieſcit. Qua- *q. 11. art. 3. in*
rè ut motivum indicatum aliqualem ha- *corp.*
beat vim ita proponi poteſt : Quia licitè
poteſt appetitus naturalis actibus ſuis uti.
Sivè ut opponit Div. Thomas pro conju-
gali uſu : ,, Ille, qui utitur re ſuâ ad li- *In ſupplemento*
,, bitum, non facit contra juſtitiam, & ſic *q. 49. art. 5.*
,, non peccat, ut videtur; ſed per matri-
,, monium uxor efficitur res viri, & è con-
,, trario : ergo ſi ſe invicem ad libitum
,, utuntur libidine movente, non videtur
,, eſſe peccatum, & ſic idem, quod prius;
nempè actum conjugalem excuſari ab om-
ni culpa, licet non intendantur bona ma-
trimonii, proles nempe & fides. Eodem
proportionaliter modo urgeri poteſt datum
argumentum pro uſu ciborum ob ſolam
voluptatem, conſervatione individui non
attenta; cūm ſcilicèt homo de propriis man-
ducat & ſatiatur, abſque ſalutis nocu-
mento.

92 Reſpondetur tamen diſtinguendo ma-
jo-

Appetitû frui ſuis actibus nô licet: benè verò uti ſubordinate ad rectam ratione.

jorem : licitè valet appetitus uti actibus ſuis : vel homo uti re ſuâ poteſt abſque peccato cum ſubordinatione ad rectam rationem , ſive per ordinem ad finem honeſtum , aliis etiam adhibitis circunſtantiis debitis , concedo majorem : contrà ordinem rationis ſiſtens in bono utili aut delectabili , nego majorem , & ſimiliter diſtincta minori circa opus conjugii , & comeſtionem etiam moderatam negatur conſequentia. Fatemur itaque opus conjugii, ſicut etiam & moderatam comeſtionem, licitam utique eſſe & aliquandò meritoriam, ſi fiant conformiter ad regulam rationis à Sanctis Patribus, ex Scriptura Sacra ſtatutam , cujuſmodi eſt , ut vidimus neceſsitas conſervandæ ſpeciei vel individui. Adhibitis etiam circunſtantiis à prudentia præſcriptis , quarum alterâ deficiente , jam operatio inordinata redditur & prava. Sic igitur in uſu ciborum & venereorum ob ſolam voluptatem præcipua deſideratur circunſtantia , nempè illa quæ ex fine operantis dicitur *cur*: qua propter ex hoc capite prædictæ illæ operationes vitiantur prout Divus Thomas advertit , propoſitum argumentum diſſolvens circa opus conjugii ; (quod etiam de uſu ciborum eadem ratione valet.) ,, Ad tertium dicendum,

Solut. ad 3.

,, quod una debita circunſtantia , non ſuf-
,, ficit ad hoc , quod actus ſit bonus , &
,, ideò non oportet , quod qualitercun-
,, que quis re ſuâ utatur , uſus ſit bonus,
,, ſed quandò utitur re ſuâ , ut debet ſecun-
,, dùm omnes circunſtantias.

93 Sed expendamus ulteriora motiva, quibus ducti fuere proſcriptarum thæſium patroni ? Imprimis enim , quantum ad ſecundam attinet propoſitionem , ita ratiocinabatur Martinus Perez : dùm exerceetur opus conjugii ob ſolam voluptatem eò eſſet malum , quia intenditur delectatio actûs conjugalis ; ſed intendere illam delectationem nec culpa eſt venialis : ergo neque opus conjugii ob ſolam voluptatem. Aſſumpta propoſitio indè oſtenditur , quia ſi delectationem intendere malum eſt ; actus conjugalis , culpa eſſet ſaltem venialis, quoque & ipſe actus conjugalis illicitus eſſet ; & inde malum eſſet matrimonium ad hujuſmodi actum propter prolis generationem ordinatum : ergo delectationem actus conjugalis intendens ab omni culpa vacat etiam veniali. Id ipſum de comeſtione , vel ad ſatietatem ſaluti non officiente , ſed præſertim moderatâ argui poteſt ; quia ſi licitum non eſſet delectationem in uſu ciborum quærere , neque liceret cibum cum delectatione adnexa ſumere. Propoſitum fundamentum aliter ex Almayno expendi poteſt : delectari in actu conjugali intra limites matrimonii ex ſe & ab intrinſeco non eſt malum ; aliàs quicunque matrimonii vacaret uſui , ſemper peccaret : ergo conjux in eam delectationem tendens aut intendens , non tendit aut intendit in aliquid malum aut prohibitum: ergo ob ſolam delectationêm uti conjugio non eſt malum ex objecto ; neque aliundè ex circunſtantia mali finis. Hoc ipſum urgetur in uſu ciborum ; quia ut Cajetanus habet : nullum peccatum eſt in hoc , quod cibus delectabilis delectabiliter ſumatur, niſi quis ſit ideò inſipiens , ut putet omnem voluntariam delectationem ſenſualem eſſe peccatum. Tandèm in ſui favorem vocant auctores illi probabilem Scoti , Vazquezii aliorumque ſententiam , quâ propugnatur dari poſſe actum moralem indifferentem in individuo , qui nec prohibetur , nec præcipitur , nempè cælum aſpicere , vernantem campum proſpectare , muſicam audire , per pomarium deambulare , roſam olfacere , ob voluptatem naturæ conſonam, vel ex motivo exercendi libertatem in operationibus non prohibitis , aliovè ſimili motivo : cur ergo non valebit homo citra culpam etiam venialem ob ſolam voluptatem comedere & bibere , opuſque conjugii exercere?

94 Ad primum objectum conceſſa majori diſtinguo minorem : Intendere delectationem , cùm in actu conjugali , tùm in cibo & potu tanquàm finem , nego minorem : veluti medium ad prædictos actûs ex fine honeſto exercendos , ordinatum concedo minorem & nego conſequentiam. Cùm enim ob ſolam voluptatem cibis & venereis aliàs ex ſe licitis vacat homo , voluptatem tanquàm finem intendit. Quæ dumtaxàt tanquàm medium, & veluti adjumentum naturæ ; quia ut ſupra n.70. docuit nos Div. Thomas in hoc aſſumpto ſępè audiendus : natura ad hoc ordinavit delectationes , in hujuſmodi actibus , nè animalia propter laborem ab iſtis actibus neceſſariis naturæ deſiſterent , quod contingeret niſi delectatione provocarentur. Neque aſſumpta probatio alicujus momenti eſt : quia neque actus conjugalis per ſe delectationem exigit , neque matrimonium illam intendit: benè verò qui ob ſolam voluptatem operi vacat conjugii. Quod & de cibo & potu ſimiliter dicendum eſt. Secundum objectum ejuſdem eſt inefficatiæ , conceſſo enim antecendenti negatur conſequentia , ejuſque aſſumpta probatio : quia licèt delectatio in cibis & venereis ex ſe illicita non ſit , ſicut & quælibet delectatio ſenſibilis ; illicita tamèn redditur , quandò in illa quieſcit appetitus illamque veluti finem inordinatum reſpiciens.

Delectatio aliàs licita, illicita redditur , dum ultimatè intenditur.

95 Ad tertiam objectionem admittimus probabilitatem memoratæ opinionis , etiam poſt damnatas propoſitiones antedictas: licèt (ut verum fatear) ex earum proſcriptione novum accreſcat robur argumentis quibus , Theologos frequentiùs ſequuti impoſsibilitatem oſtendimus in Schola actûs humani quo ad individuum indifferentis. Ad mentem nihilominus Theologorum indifferentiam illam propugnantium , reſpondetur conceſſo antecedenti , & admiſſa indifferentia in operationibus aſsignatis : quia

ut

ut loquitur P. Viva (conformiter ad P. Vazquez & Theologos admittentes illam indifferentiam) poteſt per ſe intendi directè oblectatio aliqua , quæ reperitur in ludo V. G. in olfaltu floris , & in aliis actibus moraliter indifferentibus : neganda tamèn eſt conſequentia in operibus de quibus loquuntur propoſitiones damnatæ , in quibus illicitè intenditur directè & per ſe voluptas vel oblectatio. Pręſertim : quia in hujuſmodi delectationibus facile eſt modum excedere ; & idcircò debuit à natura ipſa vetari , nè propter ſe directè intenderentur. Per oppoſitum verò voluptas in aliis operationibus ad hoc ipſum inſtituta eſt á natura , ut animum relaxet. Eandem diſcriminis rationem ampliùs explicat citatus Viva , inquiens : Lata eſt diſparitas inter voluptatem ortam ex aſpectu campi vernantis , & voluptatem ortam ex actu conjugali ; illa enim eſt voluptas moderata, quæ animum ad cęleſtia trahit potius quàm retrahat , & idcircò natura ad hoc ipſum præſtandum eam inſtituit ; undè illam intendens ordinat ad finem à natura intentum : Contrà verò voluptas venerea , utpote immodica animum minus aptum reddit ad finem ſuum , & idcircò nunquàm hęc poteſt directè intendi , ſed ordinari debet ad finem à natura illi pręſtitum ; puta ad prolis procreationem ; ſicuti quia delectatio , quæ habetur in cibo , à natura ordinatur ad vires reficiendas , nunquàm ea propter ſe intendi poteſt ſed ordinari debet ad finem à natura præfixum. Præterea in re tàm lubrica , qualis eſt luxuria , qui unicè delectationem intendit , exponit ſe proximo periculo prolabendi in varias culpas excedendo modum debitum ; ſecùs verò , qui moderatam intendit voluptatem olfaciendo roſam , aut audiendo gratum concentum : ergo non poteſt citra veniale ob ſolam voluptatem opus conjugii exerceri , ſed debet aut ad bonum prolis procreandę , ac educandę ad Dei cultum ordinari , & ſic erit actus Religionis , vel ad reddendum debitum conjugi , & ſic erit actus juſtitiæ , ut advertit Doctor Angelicus.

Qualiter delectationes in rebus indifferentibus ſint appetendæ.

96 Hucuſque loquitur P. Viva , in cujus doctrina (data ejus probabilitate) plura mihi difficilia occurrunt. Imprimis enim quia vel operationes illæ v. g. olfatus floris , auditio muſicæ , &c. directè oblectationem , & voluptatem intendentes in ea ſiſtunt tanquàm in fine , vel virtualiter ſaltèm delectatio illa ordinatur ad finem honeſtum , nempè levamen naturę ? Si hoc ſecundo modo delectationem intendant, erunt utique operationes honeſtę , & virtuoſę. In illis ſiquidem pręvalet honeſta naturæ conſervatio , & conveniens expeditio ad utiliora opera. Hinc docet Mag. Gonet, quòd ſi aliquis ſemel tantùm , aut bis operationem ex objecto indifferentem poneret ex fine libertatis exercendę , honeſtè operaretur : ſecús verò ſi ita frequenter actûs eliceret indifferentes ; quia prout ſic otiosè operari convinceretur. Si autem prædictæ operationes in oblectatione ſiſterent , aut ſenſibili delectatione non eſſent indifferentes , ſed venialiter ſaltèm peccaminoſę , ut ſupra docuit nos Auguſtinus. Tùm quia in illis homo non operatur , ut rationalis , neque præfert bonum honeſtum bono delectabili. Tùm etiam : quia præter argumenta adducta , quæ in hoc caſu militant; operationes illæ pravæ redduntur & otioſæ , eò quòd careant , *aut utilitate rectitudinis , aut ratione juſtæ neceſsitatis* , juxta pronunciatum Magni Gregorii de verbis otioſis loquentis.

S. Gregor. hom. 6. in Evang.

97 Ad delectationem , quòd expectat ex ludo aliàs non prohibito captam , ſimiliter diſcurrendum eſt : licere nimirùm, Imò virtuoſum reputari , recreatione illâ uti ob finem remittendi animum aliis rebus nimis intentum : quia ut habet Div. Thomas : ,, Delectatio , quæ in talibus acti-

Et lib. 7. Moral. cap. 25.

,, bus habetur , ordinatur ad aliquam ani-
,, mæ recreationem & quietem & ſecundùm
,, hoc , ſi fiat moderatè , licet uti ludo.
,, Unde Tullius dicit : Ludo & joco uti
,, quidem licet , ſed ſicut ſomno & quieti-
,, bus cęteris , tùm cum gravibus ſeriiſque
,, rebus ſatisfecerimus. Et rursùs : Etiam
,, ipſæ actiones ludricæ , quæ videntur abſ-
,, que fine fieri , habent aliquem finem de-
,, bitum , ſcilicèt ut per eas quodammodò
,, mente relevati , magis ſimus poſtmodum
,, potentes ad ſtudioſas operationes. ,, Verumtamen ludos quandoque vitioſos eſſe, atque declinandos cùm Ambroſius ſignificare videatur verbis illis : *Dominus ait: Vè vobis , qui ridetis ; quia flebitis. Non ſolum profuſos ſed etiam omnes jocos declinandos arbitror.* Item Chryſoſtomus : *Non dat Deus ludere , ſed Diabolus. Audi quid ludentes paſsi ſunt. Sedit populus manducare & bibere , & ſurrexerunt ludere.* Reſpondet Div. Thomas : ,, Quòd Ambro-

D.Thomas 2.2. q. 168. art.2. ad 3.

3. contr. gent. cap. 25.

S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 23.

Homil. 6. in Matthæum.

,, ſius non excludit univerſaliter jocum à
,, converſatione humana, ſed à doctrina ſa-
,, cra : *Undè præmittit : Licèt interdum ho-*
,, *neſta joca , ac ſuavia ſint , tamèn ab Ec-*
,, *cleſiaſtica abhorrent regula : quoniam in*
,, *ſcripturis ſanctis non reperimus , ea que-*
,, *madmodùm uſurpare poſsimus.* Ad ſecun-
,, dum ita habet : Verbum illud Chryſoſto-
,, mi eſt intelligendum de illis , qui inor-
,, dinatè ludis utuntur ; *& præcipuè eorum,*
,, *qui finem in delectatione ludi conſtituunt.*
,, Sicut de quibuſdam dicitur : *Æſtimave-*
,, *runt eſſe ludum vitam noſtram.* Contra
,, quos dicit Tullius: *Non ita à natura ge-*
,, *nerati ſumus , ut ad ludum & jocum*
,, *facti eſſe videamur : ſed ad ſeveritatem*
,, *potiùs , & ad quædam ſtudia graviora,*
,, *atque majora.* Videas indè , qualiter ludi ſint inordinati , cùm in eorum delectatione finem quærit homo.

D. Thom. ſolut. ad 1.

Solut. ad 2.

Sapient. 15.

Tullius in 4. de Officiis.

98 Ut autem diſcas, qualiter liceat, ludo operam (etiam virtuosè) dare , integrè audias D. Thomam , imprimis cum Auguſtino

re-

D.Thom. in ſed contra.
S.Auguſt.lib.2. de Muſica cap. ultimo.
D.Thom.in corpor.artic.

reſolventem: *Volo tandèm tibi parcas. Nàm ſapientem decet interdùm remittere aciem rebus agendis intentam.* Deindè ita diſcurrentem: ,, Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem; quia non poteſt continuò laborare proptèr hoc, quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam eſt ex parte animæ, cujus eſt virtus finita ad determinatas operationes proportionata. Et ideò, quandò ultra modum ſuum in aliquas operationes ſe extendit, laborat, & ex hoc fatigatur, præſertim quia in operationibus animę, ſimul etiam laborat corpus: in quantùm anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus. Sunt autem bona ſenſibilia connaturalia homini: & ideò quandò anima ultra ſenſibilia elevatur, operibus rationis intenta naſcitur ex indè quædam fatigatio animalis, ſivè homo intendat operibus rationis practicæ ſivè ſpeculativæ, magis tamèn, ſi operibus contemplationis intendat: quia per hoc magis à ſenſibilibus elevatur, quàmvis fortè in aliquibus operibus exterioribus rationis practicę major labor corporis conſiſtat. In utriſque tamèn tantò aliquis magis altero fatigatur, quantò vehementiùs operibus rationis intendit. Sicut autem fatigatio corporalis ſolvitur per corporis quietem; ita etiam oportet, quòd fatigatio animalis ſolvatur per animæ quietem. Quies autem animæ eſt delectatio ut ſupra habitum eſt, cum de paſſionibus ageretur, & ideò oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi, per aliquam delectationem intermiſſà intentione ad inſiſtendum ſtudio rationis. Sicut in collationibus Patrum legitur, quòd B. Joannes Evangeliſta, cum quidam ſcandalizarentur, quòd cum diſcipulis ſuis ludentem invenirent, dicitur mandaſſe uni eorum, qui arcum gerebat, ut ſagittam traheret. Quod cùm pluries feciſſet, quæſivit, utrùm hoc continuè facere poſſet, qui reſpondit, quòd ſi hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Unde B. Joannes ſubintulit, quòd ſimiliter animus hominis frangeretur, ſi nunquàm à ſuâ intentione relaxaretur. Hujuſmodi autem dicta vel facta, in quibus non quæritur niſi delectatio animalis, vocantur ludrica vel jocoſa: & ideò neceſſe eſt talibus interdùm uti, quaſi ad quandam animę quietem. Et hoc eſt quod Philoſophus dicit in 4.Ethic. quòd in hujus vitę converſatione quędam requies cum ludo habetur, & ideò oportet interdùm aliquibus talibus uti. Circa quę tamèn videntur tria eſſe pręcipuè cavenda. Quorum primum & principale eſt, quòd prædicta delectatio non quęratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus vel nocivis. Undè Tullius dicit in 1. de Offic. Quòd unum genus jocandi eſt illiberale, petulans, flagitioſum, obſcænum. Aliud autem attendendum eſt, nè totalitet gravitas animæ reſolvatur. Undè Ambroſius dicit in 1.de Offic. Caveamus, nè dùm relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum. Et Tullius dicit in 1. de Officiis: Quòd ſicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Tertiò autem attendendum eſt, ſicut & in omnibus aliis humanis actionibus: ut congruat perſonæ, tempori & loco, & ſecundùm alias circunſtantias debitè ordinetur, ut ſcilicèt ſit tempore & homine dignus, ut Tullius dicit ibidem. Hujuſmodi autem ſecundùm regulam rationis ordinantur. Habitus autem ſecundùm rationem operans eſt virtus moralis. Et ideò circa ludos poteſt eſſe aliqua virtus, quam Philoſophus eutrapeliam nominat, & dicitur aliquis eutrapelus à bona converſatione: quia ſcilicet benè convertit aliqua dicta vel facta in ſolatium, & in quantùm per hanc virtutem homo refręnatur ab immoderantia ludorum, ſub modeſtia continetur.

Qualiter in ludo quęrere liceat delectationem.

DIS-

DISSERTATIO II.

IGNOMINIOSAS GNOSTICORUM ET SEQUACIUM ſpurcitias, abominandas exterminans.

1 MANU reluctante deſcriptas dedimus in apparatu Proleg.1. à n. 12. erumpentes ex abyſſu tartharea bituminoſas infernalis impudicitiæ fontes in Gnoſticis hæreticorum omnium nefandiſsimis. Scio equidem eas ſpurcitias ipſo ſui fœdiſsimo aſpectu ab antiquioribus PP. demonſtrato, ſopitas fuiſſe; ſilentio propterea obvolvendas, niſi in pſeudomyſticis à nobis, data opera, debellandis novo, & eo majori, quo fraudulentiori impetu eruperint, & in dies fortè erumpant. Indè enim coacti ſumus eas ſpurcitias totis viribus à ſuis primordiis erradicare, verbaque facere in materia illa, quæ nec nominanda erat, juxta monitum Apoſtoli: *Fornicatio autem, & omnis immunditia:: nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Et jure quidèm non nominandæ omnigenæ turpitudinis brutales paſſiones, quas Apoſtolus referens, *paſsiones* vocat *ignominiæ*: quia non ſunt nomine dignę (exponit Div. Thomas) ſecundùm illud Epheſiorum 5. *Quæ aguntur in occulto ab eis turpè eſt dicere.* Conſentiunt etiam Nonnius & meliores Grammatici, à quibus paſſim dicitur: *Ignominia*, velut *innominia*: & *ignomines*, veluti *innomines*; id eſt ſine nomine; quaſi qui nominari digni non ſunt.

Impudicę paſſiones ignominioſæ, quia non ſunt nomine dignæ.

Epheſior.5.v.3

Rom.1.v.26.

D. Thom. ibid. lect.8.

2 Verumtamen, quia Gnoſtici (ut pudore erubeſcentes, retulimus) eorũque infandi ſequaces, Turilipini, Dulciniſtæ, ſimiliſque furfuris nebulones per omnes ſpurcitiæ ſemitas, luxuriantes aberrarunt. Et quod maximè dolendum cum Auguſtino: *Tanta eſt perverſitas generis humani, ut aliquando metuendum ſit, ne caſtus erubeſcat inter impudicos*: Ideò cum Angelicę caſtitatis ęmulatore Thoma nempè Aquinate, contra omnes luxuriæ ſpecies viriliter decertare in hac Diſſertatione proponimus; ad inſtar Aquilini Doctoris, qui ad producta verba adjunxit: *Ideò non ceſſo tangere iſtam quintam chordam, propter ipſam perverſam conſuetudinem & labem totius ut dixi generis humani.* Sed heù mi miſer in iniquitatibus & vitiis enutritus, fluctibus concupiſcentiæ jactatus: dùm audio Sapientem: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea?* At bone Deus, unus & trinus, totius puritatis nunquam exhauriendus fons, ad te pronus confugio, illius memor pronuntiati à Nazianzeno: *Prima virgo Trias eſt*, ut candoris æterni ſcintillantem radium ad me digneris effundere; ſicque ad fœtida errata oſtendenda & diſsipanda deſcendens, nihil coinquinationis mentem, affectum, carnemvè afficiat.

S. Auguſt. lib. de decem chordis cap.9.

Eccleſiaſt. 13. v. 1.

ARTICULUS I.

Luxarioſi monſtri fœtido ſpecifica capita deſignans.

3 LUXURIÆ vocabulum, ſi nominis ethymologiam, à *luxu* derivatam vel *luxuriatione* attendamus, pręcisè ad omnem materiam extendi ſolet, in qua per voluptuoſum exceſſum delinqui contingit: Hac enim ratione à Div. Iſidoro *luxurioſus* dicitur *quaſi ſolutus in voluptates.* Et quidem conſonè ſatis ad Scripturam Sacram: cùm enim de filio prodigo dicatur, quòd diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè; exponit Auguſtinus: *Luxurioſam verò vel prodigam vitam vocat, amantem fundere, atque ſpatiari, pompis exterioribus intùs inaneſcentem. Cum ea quiſque ſequitur, quæ ad alia procedunt; & relinquit eum, qui ſibi eſt interior.* In eodem ſenſu loqui videtur Eccleſiaſticus dùm inquit de injuſto divitiarum acervatore: *Qui acervat ex animo ſuo injuſtè, aliis congregat; & in bonis illius alius luxuriabitur.* Satis etiam frequentèr ſumitur nomen *luxuria* non ſolum pro omni ſuperfluitate rerum corporalium, qualiter ad mentem D.Thomę dixit Paulus: De viduis quibuſdam adoleſcentioribus: *Cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt.* Sed etiam pro ipſo vitio luxuriæ ſtatim explicando, unà cum incentivis ad ipſum ducentibus. Sic utique Apoſtolorum Princeps ſcripſit de peccatoribus, & præcipuè hæreticis: *In conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum*, id eſt (exponit D.Thomas, vel quiſquis ſit auctor illius Commentarii) utentes incentivis ad luxuriam in ſpeciebus, ſaporibus & fortibus vinis. Indè factum eſt, quòd incentiva luxuriæ ſub hoc nomine ſignificentur nonnunquam in Sacra Scriptura, v.g. cum dicitur: *Luxurioſa res, vinum & tumultuoſa ebrietas.* Similiter & Apoſtolus: *Nolite* (inquit) *inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Cùm enim Apoſtolus fornicationem & immunditiam, nec nominandam eſſe docuiſſet: ,, Ad hoc cavendum debetis (exponit Div. Thomas verba Apoſtoli) à vino ſuperfluo abſtinere: quia cibus & potus ſupefluus eſt cauſa luxurię; & præcipuè vinum, quod calefacit

S. Iſidorus lib. 10. ethymolog. cap. 11. apud D. Thom. 2. 2. q.153. art.1.

Luxuriæ vocabulum & ethymologia.

Lucę 15.v.13.

D.Auguſtin. in quæſt. Evang. li.2.q.33. apud D.Thom.in catena aurea.

Eccleſiaſt. 14. v.4.

1. ad Timoth.5. v.11.

D. Thom. ibid. lect.2.

2.Petri 2.v.13

D.Thom.ibid.

Prover.20.v.1.

Epheſior. 5. v. 18.

D.Thom.ibid. lect.7.

&

„ & movet: juxtà adducta Proverbiorum verba.

Jacobi 5. v. 5. *D. Thom. ibid.*

4 Undè meritò Sanctus Jacobus gulam & luxuriam annectit verbis illis: *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis*: id eſt (exponit Div. Thomas vel auctor illius Commentarii) „ Epulati eſtis ſuper terram, ſuper exigentiam carnis, quæ eſt de terra, non ſcilicèt ad neceſsitatem, ſed ad voluptatem. Hoc dicit, quoad gulam: *Et in luxuriis enutriſtis*; id eſt, extra menſuram nutriſtis (*corda veſtra.*) Id eſt, ſatiaſtis, implendo, ſcilicèt deſideria cordium veſtrorum: contra illud Eccleſiaſtic. 18. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ſuas, facient te in gaudium inimicis tuis*: Hoc dicit quoad luxuriam. Hęc enim duo vitia ſibi invicem ſunt annexa. Hieronymus. Venter & genitalia vicina ſunt membra, & ex vicinitate membrorum naſcitur conformitas vitiorum, venter verò mero æſtuans de facili ſpumat in libidinem. Simile quid præſtat Apoſtolorum Princeps inquiens: *His qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus.* Conforme eſt etiam quod ſcribit Paulus ad Romanos verbis illis alibi jam cum Doctore Angelico elucidatis: *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.*

Luxuria & gula invicèm annecti ſolet.

1. Petri 4. v. 3.

Rom. 13. v. 13.

5 Hæc cùm ita ſint, quia animum hominis maximè ſolvit venereorum voluptas, ideò nomen *luxuria* in præſentiarum accipitur determinatè pro vitio inordinatè ad venerea inclinante. Qua ratione dixit Div. Thomas: „ *Luxuria quandoque ſumitur pro ſuperfluitate actûs venerei; & ſic eſt unum de ſeptem vitiis capitalibus.* Et ſimiliter reſolvit propter datam rationem; quòd materia luxuriæ principaliter ſunt concupiſcentiæ & delectationes venereæ; undè de luxurioſis dicitur ab Auguſtino: *Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem*; ſed ſeminatio carnis fit per voluptates venereas: ergo ad has pertinet luxuria. Undè luxuria etiam in Scriptura Sacra in hoc ultimo ſenſu ſæpè memoratur; ut videre licet apud Jeremiam. Ibi: *Saturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emiſſarii facti ſunt: Unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniabat.* „ Quaſi libidine inſaniens (exponit Div. Thomas conformiter ad illud Pſalmi 37. *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.*) Apud Ezechielem verò id ipſum ferè legitur: *Et unuſquiſque in uxorem proximi ſui operatus eſt abominationem, & ſocer nurum ſuam polluit nefariè, frater ſororem ſuam filiam patris ſui oppreſſit in te.* Ex his omnibus jure ſequitur rectè à Div. Thoma diffiniri luxuriam: *Uſus vel appetitus inordinatus venereorum.* Inordinatus inquam: Nam ſi venerea exerceantur juxta ordinem rationis, non ad luxuriam, ſed ad honeſtatem & virtutem pertinent.

Nomen luxuriæ meritò tribuitur inordinato venereorum uſui.

D. Thom. lect. 2. in cap. 5. 1. ad Timoth.

2. 2. q. 153. ar. 1.

S. Auguſt. lib. de vera Relig. c. 3.

Jerem. 5. v. 7.

Ibidem.

Ezechiel. 22. v. 11.

D. Thom. ubi ſup. art. 1. & 2.

6 Quapropter reſolvit S. Doct. articulo ſecundo, quòd aliquis actus venereus poteſt eſſe ſine peccato. Primò ex Auguſtino, qui loquens de Antiquis Patribus plures uxores legitimè habentibus, contra hæreticos conjugium reprobantes, hęc habet: *Satis reſponſum eſt hæreticis, ſi tamen capiunt non eſſe peccatum, quod neque contra naturam committitur, neque contra morem, neque contra præceptum*: Ergo non omnis actus venereus eſt peccatum. In corpore autem articuli ita diſcurrit. „ Reſpondeo dicendum, quòd peccatum in humanis actibus eſt, quod eſt contra ordinem rationis. Habet autem hoc rationis ordo, ut quælibet convenientèr ordinet in ſuum finem: & ideò non eſt peccatum, ſi per rationem homo utatur rebus aliquibus ad finem, ad quem ſunt, modo & ordine convenienti, dummodò ille finis ſit aliquid verè bonum, ſicut autem eſt verè bonum, quòd conſervetur corporalis natura unius individui: ita etiam eſt quoddam bonum excellens, quòd conſervetur natura ſpeciei humanæ. Sicut autem ad conſervationem vitæ unius hominis ordinatur uſus ciborum, ita & ad conſervationem totius humani generis uſus venereorum. Unde Auguſtinus dicit in libro de bono conjugali: *Quod eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis.* Et ideò, ſicut uſus ciborum poteſt eſſe abſque peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundùm quod competit ſaluti corporis: ita etiam & uſus venereorum poteſt eſſe abſque omni peccato, ſi fiat debito modo & ordine, ſecundùm quod eſt conveniens ad finem generationis humanæ.

S. Auguſt. lib. de bono conjugali cap. 25.

D. Thom. art. 2. in corp.

7 Luxuria autem ſecundùm quòd data diffinitione deſcribitur, quis dubitet ex genere ſuo peccatum eſſe grave; niſi Cynici, Balaamitæ, Turilipini, aliique in Gnoſticorum ſterquilinio revoluti? Non dubitat autem Gentium Apoſtolus luxuriam inter opera carnis annumerare, concludens: *Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.* Proindè in Scriptura Sacra ſępè prohibita eſt præſertìm in libro Deuteronomii, ubi de filio protervo & contumaci, comeſſationibus vacante, atque luxurię & conviviis, dicitur: *Lapidibus eum obruet populus Civitatis.* Hinc de impiis non rectè apud ſe cogitantibus dixiſſe refertur: *Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Et quidèm, ut benè philoſophatur D. Thomas: „ Cauſa eſt potior ſuo effectu; ſed vinum prohibetur propter luxuriam, juxta illud Apoſtoli jam laudati: ergo luxuria eſt prohibita. Gravem autem hujus vitii deformitatem, ita demonſtrat: Reſpondeo dicendum quòd quantò aliquid eſt magis neceſſarium, tantò magis oportet, ut circa illud rationis ordo ſervetur: undè per conſequens magis eſt vitioſum, ſi ordo rationis prætermittatur. Uſus autem venereorum, ſicut dictum eſt, eſt valdè neceſſarius ad bo-

Luxuria ex genere ſuo peccatū grave eſt.

Ad Galat. 5. v. 21.

Deuter. 21. v. 21.

Sapient. 2. v. 8.

D. Thom. art. 3. in ſed contra.

In corp. art.

„ bonum commune, quod eſt conſervatio humani generis: & ideò circa hoc maximè attendi debet rationis ordo, & per conſequens, ſi quid circa hoc fit, præter id quod ordo rationis habet, vitioſum erit. Hoc autem pertinet ad rationem luxuriæ, ut ordinem & modum rationis excedat circa venerea: & ideò abſque dubio luxuria eſt peccatum.

8 Nec eſt quòd amplius immoremur in patefacienda deformitate generica luxuriæ, quam ejus fœtidæ ſpecies declarabunt, grave igitùr erit luxuria, & capitale vitium; cujus proindè fęcundæ malitiæ octo adoptavit S. Gregorius ignominioſos fœtus: *Cæcitas, nimirum mentis, inconſideratio, pręcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & horror futuri.* Primùm ex laudato Gregorio Magno, magnus ejus diſcipulus ita probat. Reſpondeo dicendum, „ quòd ſicut ex dictis patet, vitium capitale eſt, quod habet finem multum appetibilem, ita quòd ex ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda, quæ omnia ex illo vitio, tanquàm ex principali oriri dicuntur. Finis autem luxuriæ eſt delectatio venereorum, quæ eſt maxima. Unde hujuſmodi delectatio eſt maximè appetibilis ſecundùm appetitum ſenſitivum, tùm propter vehementiam delectationis, tùm etiam propter connaturalitatem hujuſmodi concupiſcentiæ. Undè manifeſtum eſt, quòd luxuria eſt capitale.

S. Gregor. lib. 31 Moral. cap. 3.

D. Thom. art. 4. in corp.

Artic. 5. in corp.

9 Fęcundam deindè luxuriæ abominabilē prolem, articulo ſequenti ita Doct. Angelicus patentem facit: Reſpondeo dicendum, „ quòd quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad ſua objecta, conſequens eſt, quòd ſuperiores vires impediantur, & deordinentur in ſuis actibus. Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior, ſcilicèt, concupiſcibilis vehementer intendit ſuo objecto, ſcilicèt delectabili, propter vehementiam paſsionis & delectationis: & ideò conſequens eſt, quòd per luxuriam maximè ſuperiores vires deordinentur, ſcilicet ratio & voluntas. Sunt autem rationis *quatuor* actùs in agendis. *Primò* quidem ſimplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum: & hic actus impeditur per luxuriam, ſecundùm illud Daniel. 13. *Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum; & quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. Secundus* actus eſt conſilium de his, quæ ſunt agenda propter finem: & hic etiam impeditur per concupiſcentiam luxurię. Unde Terent dicit in Eunucho, loquens de amore libidinoſo: *Quæ res in ſe neque conſilium, neque modum ullum habet, eam conſilio regere non potes; & quantum ad hoc ponitur præcipitatio*, quæ importat ſubtractionem conſilii, *ut ſupra habitum eſt. Tertius* actus eſt judicium de agendis: & hic etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim Danielis 13. de ſenibus luxurioſis: *Averterunt ſenſum ſuum, ut non recordarentur judiciorū juſtorum; & quantum ad hoc ponitur inconſideratio. Quartus* autem actus eſt præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, in quantum ſcilicet homo impeditur ex impetu concupiſcentiæ, ne exequatur id, quod decrevit eſſe faciendum: *Et quantum ad hoc ponitur inconſtantia.* Undè Terentius dicit in Eunucho de quodam, qui dicebat ſe receſſurum ab amica, hæc verba: *Una falſa lachrymula reſtinguet.* Ex parte autem voluntatis conſequitur *duplex* actus inordinatus, quorum *unus* eſt appetitus finis: *Et quantùm ad hoc ponitur amor ſui*, quantùm, ſcilicet ad delectationem, quam inordinatè appetit, & per oppoſitum ponitur *odium Dei*, in quantum, ſcilicèt prohibet delectationem concupitam. *Alius* autem eſt appetitus eorum, quæ ſunt ad finem: *Et quantùm ad hoc ponitur affectus præſentis ſæculi*, in quo ſcilicet aliquis vult frui voluptate, & per oppoſitum ponitur *deſperatio futuri ſęculi*, quia dùm nimìs detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad ſpirituales, ſed faſtidit eas.

Effectus luxurię ad affectū & rationē pertinentes ſunt cęcitas, inconſideratio, pręcipitatio, incōſtantia, amor ſui, odiū Dei, affectus pręſēti ſęculi, & horror futuri.

10 Præter luxuriæ perverſos recenſitos fœtus ad affectum, & rationem pertinentes, quatuor deindè memorat S. Iſidorus ad loquutionem præcipuè ſpectantes, nimirùm: *Turpiloquia, ſcurrilia, ludrica, & ſtultiloquia.* Hæc autem ſic Doct. Angelicus expendit: „ Ad quartum dicendum, quòd illa quę Iſidorus ponit, ſunt quidam inordinati actûs exteriores, & præcipuè ad loquutionem pertinentes; in qua eſt aliquid inordinatum quadrupliciter. Uno modo propter materiam, & ſic ponuntur turpiloquia. Quia enim ex abundantia cordis os loquitur, ut dicitur Matthæi 12. luxurioſi, quorum cor eſt turpibus concupiſcentiis plenum, de facili ad turpia verba prorumpunt. Secundò ex parte cauſę, quia enim luxuria inconſiderationem & præcipitationem cauſat, conſequens eſt, quòd faciat prorumpere in verba levitèr & inconſideratè dicta, quæ dicuntur ſcurrilia. Tertiò quantùm ad finem, quia enim luxurioſus delectationem quærit, verba ſua ad delectationem ordinat, & ſic prorumpit in verba ludrica. Quartò quantum ad ſententiam verborum, quam pervertit luxuria propter cæcitatem mentis, quam cauſat, & ſic prorumpit in ſtultiloquia, utporè cum ſuis verbis præfert delectationes, quas appetit, quibuſcumque aliis rebus.

S. Iſidorus lib. 14. cap. 14.

D. Thom. ubi ſupra ſolut. ad 4.

Effectus quantum ad loquutionem turpiloquium, ſcurrilitas, ſtultiloquium, & verba ludrica.

11 Luxuriam ex genere ſuo gravitèr malam, quo ad omnes ſui recenſendas ſpecies, prohibitam cernimus in ſexto Decalogi præcepto: *Non mœchaberis*; quidquid in oppoſitum effutiant Hæbræi in lege intelligenda ſæpè allucinati; & hęretici ſimiliter ſupra memorati. Licèt enim *mœbia* attenta Hæbreâ radice, idem ſonet ac adulterium, ut Pagninus advertit: imò etſi Græci nomen illud frequentiùs uſurpent etiam ad ſignificandum adul-

Omnes luxuriæ ſpecies, ſicut earum deliberata volūtas ſexto Decalogi pręcepto prohibentur.

adulterium: tamèn ſicut furti nomine intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ, in ſeptimo præcepto *Non furtum facies* prohibita, ita in hoc præcepto (verba ſunt Auguſtini) *nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus, debet intelligi.* Quod & docuit etiam Ambroſius & communiter Theologi cum D. Thoma. Et meritò: Nàm prohibens minus malum, majora ex conſequenti mala prohibere cenſendus eſt, in eadem materia: Cùm ergo nonnullæ ſpecies luxuriæ adulterio ipſo deformiores ſint, nempè peccata in hoc genere contra naturam, quis ergo dubitet alias ſpecies luxuriæ præter adulterium præcepto illo prohibitas eſſe. Et certè quomodò non prohibeat Chriſtus Dominus omnem immunditiam, quam nec nominari voluit ejus diſcipulus Paulus.

S. Auguſt. lib. 2. qq. in Exodù q. 71.
S. Ambroſ. lib. 1. Officior. cap. 50.

12 Nec ſolum opera ipſa omnia in materia impudicitię prohibita ſunt in hoc præcepto; ſed etiam inordinatum appetitum deſiderium & voluntatem; quia ut efficaciter arguit Div. Thomas:
,, Appetitus accipit
,, bonitatem vel malitiam ex eo quod appe-
,, titur, indè eſt quòd etiam appetitus hu-
,, juſmodi actûs inordinati eſt peccatum
,, mortale, ſi ſit completus, ſcilicet cum ratione deliberata: aliòquin eſt peccatum ve-
,, niale. Prohibetur ergo in hoc pręcepto inordinatus appetitus, deſiderium & deliberata venereorum voluntas. Sic enim expreſsè nos docuit Chriſtus Dominus erroneam Judæorum intelligentiam removens Matthæi 5. cujus verba adducit Catechiſmus Romanus ſenſum prælaudati pręcepti expendens rationem ſimul indicans, cur expreſsè ſolùm prohibeatur adulterium inter alias ſpecies: *Adulterium* (inquit) *præter turpitudinem, quæ illi cum aliis intemperantiæ generibus communis eſt, injuſtitiæ quoque peccatum non ſolùm in proximum, ſed etiam in civilem ſocietatem adjunctum habet. Et illud item certum, qui ſe à libidinum cęterarum intemperantiâ non abſtinet, eum ad hanc quæ adulterii eſt incontinentiam facilè labi. Quarè hoc adulterio interdicto, facilè intelligimus omne impuritatis & impudicitiæ genus, quo polluitur corpus, prohiberi. Imò verò omnem intimi animi libidinem hoc præcepto vetitam eſſe, tùm ipſius legis vis ſignificat, quam ſpiritualem eſſe conſtat: tùm Chriſtus Dominus docuit illis verbis: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis; ego autem dico vobis, quòd omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

D. Thom. q. 15. de malo art. 2. in corp. ad fin.
Catechiſm. Roman. part. 3. de ſexto præcept. num. 5.

13 Præluxerat Auguſtinus ad verba laudata Chriſti Domini ſubjungens: * Juſti-
* tia minor eſt, non męchari corporum
* conjunctione: juſtitia verò major regni
* Dei, non mæchari in corde; quiſquis
* autem non mæchatur in corde, multò
* faciliùs cuſtodit, nè mæchetur in corpo-
* re. Illud ergo confirmavit, qui hoc præ-
* cepit: non enim venit legem ſolvere,
* ſed implere. Sanè conſiderandum eſt,
* quod non dixit: Omnis, qui concupiſ-
* cerit mulierem; ſed, qui viderit mulie-
* rem ad concupiſcendam eam, id eſt, hoc
* fine & animo attenderit, ut eam concu-
* piſcat: quod jam non eſt titillitari de-
* lectatione carnis, ſed planè conſentiri
* libidini, ita ut non refręnetur illicitus
* appetitus, ſed ſi facultas data fuerit ſa-
* tietur. Indè confutatur R. Kimchi verba illa Pſalm. 66. verſ. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Dominus,* contrà mentem Prophetæ ita exponens: *Etiamſi viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus eſſem in actum perducere, ut illa ſit coram Deo, ac ſi eam labiis protuliſſem, tamen non audiet eam Dominus: quaſi dicat, non ducet mihi eam ſceleri. Cogitationem enim pravam Deus non habet vice facti, niſi concepta fuerit in Dei fidem atque religionem.*

S. Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domi. in monte c. 12.

14 Et omnium rationem aſsignavit Chriſtus Dominus verbis illis: *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquinant hominem.* Quæ verba ita expendit Auguſtinus:
* Nihil iſtorum malorum, quæ perpetra-
* ri etiam membris corporis poſſent, quòd
* cogitatio non antecedat mala, & coinqui-
* net hominem, etiamſi aliquid impediat, ne
* ſubſequantur opera flagitioſa, & faci-
* noroſa membrorum. Si enim quia pote-
* ſtas non datur vacat manus ab hominis
* interfectione, nunquid ideò mundum eſt
* à ſcelere cor homicidę? Aut ſi rem ſub-
* ripere alienam, non ut quis vult poteſt,
* nunquid ideò in ipſa voluntate fur non
* eſt? Aut ſi caſta eſt, quam vult adul-
* terare non caſtus, ideò eam non eſt in
* corde męchatus? Aut ſi meretrix non
* inveniatur in fornice, ideò qui eam quæ-
* rit non fornicatur in mente? :: Ita cæ-
* tera mala facta hominum, quæ nullus
* agit corporis motus, quæ neſcit ullus
* corporis ſenſus reos ſuos occultos habent;
* quos etiam ſolus inquinat in cogitatione
* conſenſus, id eſt, oris interioris verbum
* malignum. In quod timens ille declina-
* ri cor ſuum, oſtium continentiæ circùm
* labia oris hujus poni poſsit à Domino,
* quod contineat cor, nè declinetur in
* verba maligna: Contineat autem, non
* ſinendo cogitationem procedere in con-
* ſenſionem; ſic enim ſecundùm pręcep-
* tum Apoſtolicum, non regnat peccatum
* in noſtro mortali corpore, neque exhi-
* bemus membra noſtra arma iniquitatis
* peccato. A quo præcepto implendo uti-
* que alieni ſunt, qui ob hoc ad peccan-
* dum membra non movent: quia pote-
* ſtas nulla permittitur: Quæ ſi adſit, pro-
* tinùs ex membrorum velùt armorum
* motibus, quis in eis intùs regnet, oſten-
* dunt. Proindè, quantùm in ipſis eſt; mem-

Matth. 15. v. 18.
S. Auguſt. lib. de continentia cap. 2.

* membra ſua exhibent, arma iniquita-
* tis peccato: Quia hoc volunt, quod
* propterea non exhibent, quia non poſ-
* ſunt.

15 Tradita hucuſque pro intelligentiâ ſexti præcepti complectitur Div. Thomas ex PP. pro more loquens, adducta Chriſti Domini verba ſic expendens.
,, *Non mœ-*
,, *chaberis*, id eſt, non illegitimè commiſ-
,, ceberis mulieri. Mœchia enim propriè eſt
,, illicita commiſtio maris, & fœminæ. Quę-
,, rit hìc Chryſoſtomus: Quare non dici-
,, tur de primo mandato? Reſponſio: Quia
,, incipit à generaliſsimis paſsionibus: ut
,, dictum eſt infra. *Ego autem dico vobis:*
,, Id eſt ad hoc mandatum quod ſolùm
,, putatis in actu eſſe ſervandum: addo, &
,, explano eſſe ſervandum in voluntate
,, (ſecundùm Auguſtinum) *Quia omnis qui*
,, *viderit mulierem*: Id eſt qui viſum in-
,, fixerit in mulierem. Eſt autem queſtio hìc,
,, quarè præter alios ſensûs ſolùm *viſus* no-
,, minat? Reſponſio: quia viſus magis eſt
,, in promptu. Vel ſecundùm Bedam: In
,, viſu omnem motum animi ad delectatio-
,, nem intelligit. Item hìc quæritur: qua-
,, re non dicit: *Concupierit, ſed omnis qui*
,, *viderit.* Reſponſio: Quòd concupiſcere
,, eſt aliquandò ſubitò, & non delibera-
,, tione (nempè plenè) & ſic eſt veniale:
,, Et eſt *propaſsio* ſecundùm Hieronymum.
,, Sed videre ad concupiſcendum eſt cum
,, deliberatione, & ſic eſt mortale & eſt
,, paſsio ſecundùm Hieronymum. Juxta hoc
,, queritur: quare non dicit ad mœchan-
,, dum, ſed ſolùm ad concupiſcendum?
,, Reſponſio: Ut det intelligere, quòd non
,, ſolùm operatio vel conſenſus ad operan-
,, dum eſt damnabilis: Sed etiam intentio
,, vel conſenſus ad delectandum. *Ad con-*
,, *cupiſcendam eam* (ſecundùm Auguſti-
,, num, & Hieronymum) Id eſt, ut eam
,, eò fine videat, ut concupiſcat interiùs;
,, ut faceret ſi facultas ſe offerret. *Jam*
,, *mœchatus eſt eam in corde ſuo*: Id eſt
,, męchiæ reus eſt, quæ jam tranſivit in
,, affectum cordis; ſecundùm Rabanum.
,, Gregorius: Non licet intueri, quod non
,, licet concupiſci. Threnorum 3. *Oculus*
,, *meus deprædatus eſt animam meam.* Se-
,, cundùm Auguſtinum: Nomine mœchan-
,, tium omnem carnalem delectationem in-
,, telligit. Et cùm dicit: *Viderit*, viſus
,, pro omni motu, qui eſt ad delectatio-
,, nem non ſolùm corporalis; ſed & inte-
,, rior, qui eſt in concupiſcentia, ponitur:
,, ut dicit Beda.

D. Thom. Comment. in cap. 5. Matthæi.

16 Ex dictis liquidò conſtat: prohiberi in hoc præcepto incentiva luxuriæ nùm antecedant, nùm ſubſequantur aut comitentur, exempli gratia tactûs impudici, amplexûs, oſcula, amatoria verba, aſpectûs, ornatûs laſcivi, litteræ amatoriæ; delicioſi cibus & potus, quos Apoſtolus comeſſationes vocat. Et alia hujuſmodi, contrà perverſam & propudioſam hæreſim *Agapetarum* dicentium: licentiam quamlibet in deliciis carnis, in eſcis comedendis, in fuco, in ornamentis, in impudicitiis eſſe licitam. Et ratio eſt: Nàm prohibito fine, prohiberi conſequenter ea, quæ ad finem ducunt nullus dubitat: Cum ergo recenſitæ operationes quàm maximè viam ſternant luxuriæ, infandiſque ejus ſpeciebus, iteratâ docente experientiâ, ea omnia incentiva prohibita eſſe rationalis nemo inficias ibit. Quid ergo mirùm Scriptores ſacri divino afflante ſpiritu contrà hujuſmodi incentiva tàm acriter declamaverint. Si enim de ſolo mulierum aſpectu libidinoſo dixit Eccleſiaſticus: *Ne aſpicias in mulieris ſpeciem, & non concupiſcas mulierem in ſpecie*; quid mirùm de aliis operationibus fortè ad luxuriam magis incitantibus, tàm mulra dixerint. Sed ut alia hìc taceam: non poſſumus non indicare quod in jure canonico de fuco, & pigmentis mulierum dicitur: *Fucare pigmentis, quo vel rubicundior, vel cardidior appareat adulterina fallacia eſt.* Sed jam ad deſignandas luxuriæ ſpecies deſcendamus.

Prohibentur etiam incentiva luxuriæ.
Eccleſiaſt. 25. v. 28.
Cap. fucare de conſecrat. diſt. 5

§. UNICUS.

Recenſentur luxuriæ ſpecies.

17 STATUENDUM eſt: convenienter aſsignari ſex ſpecies luxurię ſcilicèt, *fornicatio ſimplex, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contrà naturã*; quibus meritò adiungi debet *ſacrilegium.* Datam aſſertionem oſtendit D. Thomas imprimis ex Jure Canonico, ubi à Gelaſio Papa quinque priores ſpecies luxurię enumerantur. Et ſimiliter à Magiſtro Sententiarum. Ipſis autem addi debet vitium contrà naturam, cujus Gelaſius, & Mag. non meminerunt, eò quòd de copula undè poſsit ſequi generatio tantum modò loquuntur. Sive ut loquitur Div. Thomas: ibi (ſcilicèt in decreto citato)
,, enumerantur ſpecies luxuriæ, quæ non
,, repugnant humanæ naturæ: Et ideò prę-
,, termittitur vitium contrà naturam. De ſacrilegio verba faciemus poſtea. Hìc autem ſatis ſit indicare prædictas ſpecies inſinuatas inveniri in Sacra Scriptura: Nimirùm de fornicatione ſimplici & adulterio apud Matthæum: *De corde exeunt adulteria fornicationes, &c.* De inceſtu in Levitico, ubi prohibitis multis conſanguinitate & affinitate conjunctis, ſubditur ly *quia talis coitus inceſtus eſt.* De ſtupro in Geneſi: *Sævientes ob ſtuprum ſororis ſuæ.* De raptu ad Corinth. per ly aut *rapacibus*, ly aut *rapax.* Item ly *neque rapaces.* De vitiis contrà naturam eodem capite ad Corinth. *Neque molles, neque maſculorum concubitores.* Aliundè in Levit. *Cum omni pecore non coibis.* Jam ergo cujuſlibet ex ſpe-

D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 1.
In decret. Gratiani cauſa 36. quæſt. 1. cap. 2. §. cum ergo hæc.
In 4. diſt. 41. q. 1. art. 4.
D. Thom. artic. 11. ad 1. ex q. 154.
Matth. 15.
Levitici 18. v. 17.
Geneſ. 34. v. 13.
1. Corinth. 5. & 6.
Levitici 18. v. 23.

ſpeciebus aſsignatis propria notio & natura indicanda eſt ex doctrina Angelici Doctoris, cujus verba infra dabunt convenientiſsimam ſpecierum illarum enumerationem. Singula percurramus.

Species luxuriȩ ſigillatim deſcribuntur.

18 Fornicatio ſimplex eſt, *commiſtio ſoluti cum ſoluta*, ſive vidua ſit, ſive meretrix, ſive concubina. Adulterium eſt: *Acceſſus ad alienum thorum, ſive commiſtio conjugati hominis cum aliena uxore; vel conjugati cum muliere ſoluta, vel feminæ conjugatæ cum viro ſoluto.* Stuprum eſt, *Illicita virginis ſub cura parentum exiſtentis defloratio.* Hæc verba ſub cura parentum, ſtatum virginis uſque ad matrimonium explicant. Undè ſi quis virginem grandęvam, & ſui juris exiſtentem, etiam conſentientem extra matrimonium defloraverit, ſtupri reus eſt. *Inceſtus eſt commiſtio venerea perſonarum conſanguinearum, vel affinium intra gradûs prohibitos.* Scilicèt uſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſivè, item uſque ad quartum gradum affinitatis ex matrimonio legitimo contractæ incluſivè, ex copula autem illicita uſque ad ſecundum. Ad quam ſpeciem pertinet quidèm violatio cognationis ſpiritualis ortæ ex Baptiſmo vel Confirmatione. Imò juxta plures auctores cum PP. Salmanticenſibus, & congreſſus Confeſſarii cum filia ſpirituali pęnitente vel illius ſolicitatio, ut conſtat ex Canone *Omnes*, & ex Canone: *Si quis Sacerdos*, ſacrilegii deformitate cumulatur. Raptus eſt *diſtincta luxuriæ ſpecies, quâ perſona quæpiam invita, vel repugnantibus ejus parentibus, aut iis, quorum curæ comiſſa eſt, per vim aut ſeductionem adducitur, explendæ libidinis, aut matrimonii contrahendi causâ: vel in paternis ædibus, aut alibi opprimitur & polluitur invita.*

PP. Salmant. ad 6. Decalog. præcep. cap. 5. punct. 5. à n. 43.

Cauſa 30. q. 1.

19 Peccatum contrà naturam eſt: *Actus venereus, ex quo generatio ſequi non poteſt, ſive qui fit præter eum uſum, undè humana natura poteſt naſcendo ſubſiſtere;* (ut loquitur S. Auguſtinus) Dicitur contrà naturam, quia non ſolum repugnat rectæ rationi, ut cætera peccata ſed etiam naturali ordini & modo, quo Deus utrumque ſexum copulari, & per eam copulam humanum genus propagari voluit. Quatuor ſunt hujus peccati ſpecies, ſcilicet mollities, ſive pollutio, *quâ quis voluntaria ſeminis effuſione ſe ipſum contaminat, vel alienâ manu provocatus contaminatur.* Inordinatus concubitus eſt: *Indebitus modus copulæ carnalis, quo ſemen extra vas effunditur, aut effundendi periculum eſt, & generatio impeditur.* Sodomia nefarium, & abominandum præpoſteræ libidinis crimen eſt, *Quo perſonæ ejuſdem ſexus carnaliter copulantur, & commiſcentur, uno turpiter agente, altero turpiter patiente.* Beſtialitas eſt: *Nefaria copula cum re alterius ſpeciei, ſcilicèt cum brutis animantibus, aut dæmonibus ſuccubis vel incubis.*

Lib. 3. cont. Julianum cap. 20.

20 Datam ſpecierum luxuriæ enumerationem convenientem eſſe oſtendit Div. Thomas cujus integra verba damus. ,, Reſpondeo dicendum quòd ſicut ſupra dictum eſt, peccatum luxuriæ conſiſtit in hoc, ,, quod, aliquis non ſecundùm rectam rationem delectatione venerea utitur. Quod ,, quidem contingit dupliciter. Uno modo ,, ſecundùm materiam, in qua hujuſmodi ,, delectationem quęrit. Alio modo, ſecundùm quòd materiâ debitâ exiſtente, ,, non obſervantur aliæ debitę conditiones. ,, Et quia circunſtantia in quantùm hujuſmodi, non dat ſpeciem actui morali, ſed ejus ſpecies ſumitur ab objecto, quod eſt materia actûs: ideò oportuit ſpecies luxurię aſsignari ex parte ,, materiæ vel objecti: quæ quidem poteſt ,, non convenire rationi rectæ dupliciter. ,, Uno modo, quia habet repugnantiam ad finem venerei actûs. Et ſic, in ,, quantùm impeditur generatio prolis, eſt ,, vitium contra naturam, quod eſt in omni ,, actu venereo, ex quo generatio ſequi ,, non poteſt. In quantùm autem impeditur debita educatio & promotio prolis ,, natę eſt fornicatio ſimplex, quę eſt ſoluti cum ſoluta. Alio modo materia, in ,, qua exercetur actus venereus, poteſt eſſe ,, non conveniens rationi rectę per comparationem ad alios homines. Et hoc ,, dupliciter. Primò quidem ex parte ipſius ,, fœminæ, cui aliquis commiſcetur, quia ,, ei debitus honor non ſervatur: & ſic ,, eſt inceſtus, quia conſiſtit in abuſu mulierum conſanguinitate vel affinitate junctarum. Secundò ex parte ejus in cujus ,, poteſtate eſt fœmina, quæ ſi eſt in poteſtate viri, eſt adulterium: ſi autem eſt ,, in poteſtate patris, eſt ſtuprum, ſi non ,, inferatur violentia, raptus autem ſi inferatur. Diverſificantur autem iſtę ſpecies ,, magis ex parte fœminę, quàm viri: quia ,, in actu venereo fœmina ſe habet ſicut ,, patiens & per modum materię, vir autem per modum agentis. Dictum eſt autem quòd prędictę ſpecies ſecundùm differentiam materię aſsignantur.

D Thom. quæſt. 154. art. 1. in corp.

Diviſio luxuriȩ convenienter aſsignatur.

OBJECTA DISSOLUTA.

21 Objecta illa, quę majorem præſeferunt difficultatem, inter rejiciendam uniuſcujuſque ſpeciei deformitatem diſſolventur: Undè, quæ levioris momenti ſunt, hìc ſubjicimus cum Sanct. Doctore. Imprimis namque contrà rationem ſpecies illas diſtinguendi obſtat: Ex materia ſiquidem virtutis aut vitii, ſive ex objecto (ut dicitur in Scholis) materiali diverſitas ſpecifica non deſumitur: Ergo ſpecies luxuriæ non diverſificantur ex diverſitate materiæ, prout ſcilicet aliquis commiſcetur conjugatę vel Virgini vel alterius conditionis mulieri. Hæc autem nihil obſunt argumenta, quæ diſſolvimus concedendo antecedens de pura & præciſſa diverſitate in materia, ſeu objecto materiali: ſecùs autem, cùm diverſitas materię diverſam involvit rationem formalem, qualiter in præſenti contingit aſſumpto, prout, ſcilicèt diverſitas illa in materia diverſam repugnantiam ad rectam rationem importat, ut benè in corpore articuli oſtendit Sanct. Doct. unde inquit. ,, Ad primum ergo dicendum, quòd prędicta diverſitas materiæ habet annexam ,, diverſitatem formalem obiecti, quæ accipitur ſecundùm diverſos modos repugnantiæ ad rectam rationem, ut dictum ,, eſt in corp. artic.

Præciſſa materiæ diverſitas ſpecies non diverſificat luxuriæ.

Solut. ad 1.

22 Secundùm objectum ita proponi poteſt: Nàm Apoſtolus præter ſpecies aſſignatas videtur duas alias ponere, inquiens: *Ne iterùm cum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione & impudicitia, quam geſſerunt:* ergo videtur, quòd etiam immunditia & impudicitia debeant poni ſpecies luxuriæ, ſicut & fornicatio. Præterea diviſum non condividitur dividentibus: ſed luxuria condividitur prędictis. Dicitur namque: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria:* ergo videtur, quòd fornicatio inconvenienter ponatur ſpecies luxuriæ. Ad primum primò reſpondetur negando antecedens: quia per *immunditiam* intelligit Apoſtolus vitium contra naturam. Impudicitia autem ad ſtuprum pertinere videtur. Niſi ſecundò dicatur, quòd impudicitia pertinet ad actûs quos diximus circunſtantes luxuriam. Ad argumentum ſubjectum negatur minor de luxuria prout ſumitur in concluſione, quandò dividitur in ſpecies aſsignatas; ſic enim non condividitur, ſed eſt generica ratio ad omnes illas ſpecies. ,, Sic igitur ,, per ordinem argumenta propoſita diſſolvit Sanct. Doct. Ad quintum dicendum ,, quòd ſicut Gloſſa dicit ibidem immunditia ponitur pro luxuria contrà naturam: ,, impudicitia autem eſt, quæ fit cum liberis à viro: unde videtur ad ſtuprum ,, pertinere. Vel etiam poteſt dici, quòd ,, impudicitia pertinet ad quoſdam actûs ,, circunſtantes actum venereum: ſicut ſunt ,, oſcula, tactûs, & alia hujuſmodi. Ad ,, ſextum dicendum, quòd luxuria ſumitur ,, ibidem pro quacunque ſuperfluitate, ut ,, Gloſſa interlinealis dicit. Id ipſum Doct. Sanctus ſibi ſemper conſonus indicat comment. in laudata Apoſtoli teſtimonia. Super *immunditia*, id eſt luxuria contrà naturam. Ibi per impudicitiam intelligit ſtuprum, quod fit in corruptione Virginum. In poſteriori loco hæc habet: Aliud eſt immunditia, quantum ad uſum contrà naturam:: Alia duo ordinantur ad ipſos actûs luxuriæ, ſcilicet unum exterius; ſicut tactus, aſpectus, oſcula & hujuſmodi: & quantum ad hoc dicit impudicitia.

2. Corinth. 12. v. 21.

Ad Galat. 5. v. 19.

Immunditia ad vitium contra naturá reducitur.

D. Thom. ſolut. ad 5.

Solut. ad 6.

Lect. 6. ad fin.

Lect. 5.

Impudicitia ad ſtuprum reducitur; vel ad quoſdam actus circunſtantes actum venereum.

23 Tandèm apparet difficilius argumentum quarto loco propoſitum à Div. Thoma, & ibidem diſſolutum. ,, Prętereà (inquit) ille qui eſt matrimonio junctus non ,, ſolum peccat ſi ad aliam mulierem accedat, ſed etiam ſi ſuâ conjuge inordinatè utatur. Sed hoc peccatum ſub luxuria continetur: ergo deberet inter ſpecies ,, luxuriæ computari. Reſpondet tamen ad ,, quartum dicendum quòd peccatum conjugati cum ſua uxore non eſt ſecundum ,, indebitam materiam, ſed ſecundum alias ,, circunſtantias, quæ non conſtituunt ſpeciem moralis actûs, ut dictum eſt. Mirum eſt quanta opponat contrà hanc doctrinam D. Thomæ Martinus q. 3. de luxuria: profundè non minùs ac diffusè diſſoluta hic à Cayetano. Nobis autem pro inſtituto ſatis erit quædam adnotare, undè facilè negotio, objecta diluantur contrà ſolutionem Div. Thomæ, maneatque firmum, convenienter aſsignari à Div. Thoma ſpecies luxuriæ, nullamque inter conjugatos dari poſſe, quæ in illis non contineatur, ſive ad illas non reducatur. Et imprimis adnotare oportet, verba D. Thomæ in ſenſu ſtricto imò & formali intelligenda eſſe de peccato conjugatorum ut talium, qualiter variari ſolum poteſt, vel ſecundum circunſtantias pure accidentales, v. g. ex fine ſolum explendæ libidinis, aliiſque ſimilibus, quâ actum conjugalem graviter non deformant, & de his aſſerit D. Thomas non conſtituere ſpeciem nempè novam moralis actûs. Vel poteſt variari ſecundùm circunſtantias ſubſtantiales tranſeuntes ſaltem partialiter in conditionem objecti afferentes nimirum novam, & ſpecialem repugnantiam rectæ rationi in uſu venereorum: Sed tamèn quomodocunque hoc fiat, ad aliquem ex ſpeciebus aſsignatis pertinebit; ſacrilegium nempè, vel vitium contrà naturam ſi generatio prolis impediatur de quo videas laudatum Cayetanum benè adnotantem, quod peccata contrà naturam non perpetrantur à conjugatis, ut talibus.

Solut. ad 4.

SACRILEGIUM.

24 Conſultò diximus: Sacrilegium meritò adjungi cæteris luxuriæ ſpeciebus articulo primo aſsignatis à Div. Thoma; ad quas reduci quodammodo ſacrilegium judicat Sanct. Doct. verbis illis: ,, Ad tertium ,, dicendum, quòd, quia mulier vovens continentiam, quoddam ſpirituale matrimonium facit cum Deo, & ſacrilegium, quod ,, committitur in violatione talis mulieris, ,, eſt quoddam adulterium ſpirituale, & ſimiliter alii modi ſacrilegii reducuntur ad ,, alias ſpecies luxuriæ. Id ipſum expreſsiùs ſignificat in ſententiariis ibi: ,, Ad ſeptimum dicendum, quòd ſacrilegium illud ,, reducitur ad ſpecies, de quibus hìc fit ,, mentio, quia violatio habentis votum ,, continentię reducitur ad ſtuprum, vel ,, magis ad adulterium, in quantum eſt ,, Deo deſponſata: ſed illud quod committitur cum ea, quæ eſt conjuncta cognatione ſpirituali, reducitur ad inceſtum.

Art. 1. ad 3.

In 4. diſt. 41. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 7.

Ra-

Ratio autem quarè ſacrilegium non enumeratum fuerit ſpeciatìm à Div. Thoma inter luxuriæ ſpecies in articulo illo primo, aſſignatur à Sanct. Doct. articul. decimo ſequenti, ubi ad auctoritatem Decretalis ſupra memoratæ, in qua mentio non fit ſacrilegii, ita reſpondet. ,, Ad ſecundum dicendum, quòd ibi enumerantur illa, quæ ,, ſunt ſpecies luxuriæ ſecundùm ſe ipſas. ,, Sacrilegium autem eſt ſpecies luxuriæ, ſecundùm quòd ordinatur ad alteriùs vitii ,, finem, & poteſt concurrere cum diverſis luxuriæ ſpeciebus. Si enim aliquis abutatur perſonâ conjunctâ ſibi ſecundùm ſpiritualem cognationem, committit ſacrilegium ad modum inceſtus. Si autem abutatur virgine Deo ſacratâ, in ,, quantùm eſt ſponſa Chriſti, eſt ſacrilegium per modum adulterii: in quantùm ,, verò eſt ſub ſpiritualis patris curâ conſtituta, erit quoddam ſpirituale ſtuprum. ,, Et ſi violentia inferatur, erit ſpiritualis raptus, qui etiam ſecundùm leges ,, civiles graviùs punitur, quàm alius raptus. Undè Juſtinianus Imperator dicit: ,, *Si quis non dicam rapere, ſed attentare* ,, *tantummodò matrimonii conjungendi cauſâ ſacratiſsimas virgines auſus fuerit, capitali pœnâ feriatur.*

Art. 10. ad 2. ex q. 154.

Qua ratione ad ſpecies luxuriæ reducatur ſacrilegiū.

In codice lib. 9. tit. 23.

25 Meritò nihilominùs Sanctus Doctor reſolvit quòd ſacrilegium poteſt eſſe ſpecies luxuriæ, ut oſtendit articul. illo 10. imprimis eo quod Auguſtinus dicit 15. ,, de Civitate Dei cap. 16. quòd, *ſicut iniquum eſt aviditate poſsidendi* ,, *tranſgredi limitem agrorum, ita etiam* ,, *eſt iniquum libidine concubendi ſubvertere limitem morum*: ſed tranſgrèdi limitem agrorum in rebus ſacris eſt ,, peccatum ſacrilegii: ergo pari ratione ,, ſubvertere limitem morum libidine concubendi in rebus ſacris facit ſacrilegii ,, vitium: ſed libido concubendi pertinet ,, ad luxuriam: ergo ſacrilegium eſt luxuriæ ſpecies. Deindè in corpore articuli ita oſtendit: ,, Reſpondeo dicendum, ,, quòd ſicut ſupra dictum eſt, actus unius ,, virtutis vel vitii ordinatus ad finem alterius aſſumit ſpeciem illius; ſicut furtum, quod propter adulterium committitur, tranſit in ſpeciem adulterii. Manifeſtum eſt autem, quòd obſervatio ,, caſtitatis, ſecundùm quod ordinatur ad ,, cultum Dei, fit actus religionis: ut patet in illis, qui vovent & ſervant virginitatem, ut patet per Auguſtinum in libro de virginitate. Undè manifeſtum eſt ,, quòd etiam luxuria, ſecundùm quod violat aliquid pertinens ad cultum Dei, pertinet ad ſpeciem ſacrilegii. Et ſecundùm ,, hoc ſacrilegium poteſt poni ſpecies luxuriæ.

D. Thom. ubi proximè art. 10 in ſed contr.

In corpor. art.

S. Auguſt. lib. de Virgin. cap. 8. tom. 6.

26 Sacrilegium igitur prout eſt ſpecies luxuriæ ita deſcribitur: *Violatio rei ſacræ per actum carnalem.* In hac diffinitione non reſtringitur ſacrilegium ad violationem perſonæ & loci ſacri, prout aliqui Auctores frequentèr præſtant. Quia ut benè adnotant Patres Salmanticenſes (& quidem conformiter ad modum loquendi D. Thomæ in argumento ſed contra proximè adducto) datur etiam verum ſacrilegium, prout eſt ſpecies luxuriæ, violando per actum venereum res ſacras: ut aliqui hęretici, & ſcęleſtiſsimi homines fecerunt ſperma in Calice ſacro excipiendo, & Corporalia aliaſque veſtes ſacras pollutioni, & turpi coitui ſupponendo. De quibus aliqua pudore ſuffuſsi indicavimus; turpiora reticentes, dùm Gnoſticorum horrendas impudicitias etiam in rebus ſacris cum Sancto Epiphanio quaſi in confuſo memoravimus. Ex quibus conſtat tripliciter poſſe ſacrilegium committi prout eſt ſpecies luxuriæ. Primò in perſonam ſacram; dùm quis ſacris Ordinibus initiatus, aut ſolemni Profeſsione, vel voto ſimplici caſtitatis adſtrictus luxuriæ peccatum committit. Inſuper ſi perſona Deo ſacrata, ab alia etſi non ſacrata carnaliter cognoſcatur. Vel perſonæ ſic Deo ſacratæ mutuò ſe carnaliter cognoſcunt. Secundò committitur in locum ſacrum dùm in Eccleſia, aliovè ſimili loco Divino cultui dicato carnalis copula habetur; vel aliæ obſcænæ operationes de quibus Theologi Moralia tractantes diſputant. Tertiò in rem ſacram: ut ſi quis veſtes Sacerdotales, Corporalia, Calices, & alia Vaſa ad cultum Dei dedicata in turpes uſûs convertat.

Sacrilegium ad pręſens deſcribitur.

27 Addimus pro complemento: aſsignatas eſſe à nobis ſpecies luxuriæ, quæ communiter traduntur ab Auctoribus, conſiderando peccata luxuriæ, quę ex ſe ſunt mortalia, & in propria ſpecie conſumàta, ſpecialem deordinationem afferentia. Nàm ſi conſideretur luxuria in ratione peccati venialis, & ſecundùm circunſtantias extrinſecas, aut finem operantis poſſunt eſſe proculdubio plures luxurię ſpecies, ut benè adnotant laudati Patres Salmanticenſes. Reduci etiam poſſunt ad prædictas ſpecies ea quæ diximus antecedere, comittare aut conſequi luxuriam, uti ſunt tactus, oſcula, & cętera. Inſuper ad vitium contra naturam reducitur excecranda illa ſpecies luxuriæ, quam *Fellationem* vocant; & qui eam exercent, *Fellatores*, quos Martialis Poëta lib. 11. epigram. 61. *Lingua Maritos, & ore Mæchos appellat.* Significatum, & æthymologia illius vocabuli ex Dictionario Ambroſii Calepini deſumitur. Cùm enim *Fello* ſignificet lac ſuggere, unde etiam (inquit Calepinus) ad obſcęnam eorum libidinem transfertur, qui virilia intra os recipiunt, (horrendum dictu) & illa perindè, ac papillas exugunt. De hoc facinore Minucius Fęlix, in *Octavio* hęc ſcribit adversùs Ethnicos: *Etiam ille qui de adoratis Sacerdotis virilibus adversùs nos famulatur, tentat in nos conferre, quæ ſua ſunt. Iſta enim impudicitiæ eorum forſitàn ſacra ſint, apud quos ſexus omnis membris omnibus proſtat, apud*

Minutius Fęlix in Octavio.

quos

quos tota impudicitia vocatur urbanitas: Qui ſcortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt, libidinoſo ore inguinibus inhæreſcunt; homines malæ linguæ etiam ſi jacerent: Quos prius tędeſcit impudicitię ſuæ, quam pudeſcit. Proh nefas! Id in ſe mali facinoris admittunt, quod nec ætas poteſt pati mollior, nec cogi ſervitus durior. Hęc & hujuſmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere eſt.

ARTICULUS II.

Fornicationis ſimplicis, intrinſecam malitiam oſtendens.

28 DATIS jam luxuriæ ſpeciebus, ad eas ſigillatim detegendas & rejiciendas aggredimur, eo ordine quo recenſitæ ſunt; ſic enim fugiendam magis, magiſque deteſtandam omnem luxuriam, nullus non videbit, inficias erit nemo. Communem luxurioſæ hydræ deformitatem non ſatis fuit indicare; cùm neceſſum ſit uniuſcujuſque ex monſtruoſis ſeptem ejus capitibus ſeu ſpeciebus propriam detegere malitiam, qua homo in proximum peccat, juxta illud D. Thomæ: ,, Omnes corruptiones ,, luxurię, quæ ſunt præter legitimum matrimonii uſum, ſunt peccata in proximum, in quantum ſunt contra bonum ,, prolis generandę, & educandæ. Peccat etiam homo contra ſe ipſum, quatenùs corpus ſuum polluit, & contaminat; animamque gravi vulnere ſauciat. Tandèm delinquit contra Deum, non ſolùm ex generali notione peccati, ſed etiam: quia luxuriam, idololatriæ affinem dicunt Sancti Patres; qua de re Tertullianus: *Itaque Mœchia affinis idololatriæ, etiam ſorte conjugentur illi, ſicut & ſerie, etiam damnatione cohærebit illi, ſicut & diſpoſitione.* Hinc Arnoldus Abbas Bonæ-Vallis ajebat: *Genuflexo concupiſcentię ſuæ quiſque idolum colit, & propriæ libidinis adorat ſimulacrum.* Ut inde videas vel obiter luxuriæ fugiendam pernicioſam malitiam, quæ ad idololatriam viam parat, ut benè Tertullianus jam laudatus ſignificat. Et certè quid Salomonem ad idololatriam pertraxit? Nonne luxuria? *Rex Salomon* (habetur in ſacro textu) *adamavit mulieres alienigenas multas :: His copulatus eſt ardentiſsimo amore :: & averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam eſſet ſenex depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.*

D. Thom. q. 15. de malo ar. 2. ad 4.

In actu luxurioſo cōtra ſe ipſum, Deum & proximum peccat homo.

Tertullian. lib. de pudicitia cap. 5.

Luxuria ad idololatriam ſternit viam. 3. *Reg.* 11. *v.* 1. *v.* 2. 3. & 4.

29 Sed jam diſputatione accedamus ad detegendam deformitatem (affectu omnino fugiendam) prioris luxuriæ ſpeciei. Hæc eſt *Fornicatio*, quæ non ſemel in Sacra Scriptura pro idololatria aliiſque contra Deum criminibus accipitur. Sic enim ad Moyſen Dominum dixiſſe refertur: *Ecce tu dormies cum Patribus tuis, & populus iſte fornicabitur poſt Deos alienos.* Similia habentur Judicum 2. verſ. 17. Hinc Civitas illa Jeruſalem propter ejus crimina facta fuiſſe dicitur meretrix. Et de ipſa Civitate & populo dicitur à Jeremia: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et alibi frequenter. Præſertim in Apocalypſi plura contra *Babylo-* ,, *nem*, id eſt contra multitudinem iniquorum, qui in peccatis confuſi ſunt, & obvoluti; *Magnam* propter magnitudinem vitiorum, vel numeroſitatem ipſorum impiorum comminantur mala: *quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicatæ ſunt.* Ubi Div. Thomas: ,, *De vino*, id eſt de vanitate ,, ſivè delectatione, quæ eſt in vitiis inebrians & abſorbens, amentes faciens homines. *Iræ*, id eſt, peccati, provocat iram ,, Dei. *Vino*, inquam fornicationis, id eſt ,, peccati, quo anima fornicatur ſpiritualiter. Omne enim peccatum mortale fornicatio eſt ſpiritualis, qua à Deo receditur. ,, Pſalm. *Perdidiſti omnes, qui fornicantur* ,, *abs te. Ejus*, id eſt, quam fornicationem ,, habet Babylon in ſe, & ad quam alios verbo documenti vel exemplo facti inducit. ,, Bibunt omnes gentes, id eſt gentiliter viventes. Loquitur per ſimilitudinem alicujus, qui potat alios potu malo. Similiter ,, multitudo hominum, qui magis ſunt perverſi, & perverſores aliorum inducunt ,, alios perſuaſione & exemplo ad vitia. Supra 14. cecidit Babylon illa magna, quæ ,, à vino, &c. Et Reges, id eſt potentes. ,, Terræ, id eſt terram amantes. Et cum illa ,, ſcilicet Babylone fornicati ſunt, id eſt ejus ,, documentis & exemplis delectabiliter adhæſerunt, & per hoc à Deo ſe magis ſeparaverunt ſupra 17. cum qua Reges terræ ,, fornicati ſunt.

Fornicatio pro idololatria aliquando ſumitur.

Deut. 31. v. 16.

Iſaiæ 1. v. 21.

Jerem. 3. v. 1.

Apocalyp. 18. v. 2. & 3.

D. Thom. ibid. in Comment.

30 Veruntamen non de fornicatione in ſenſu illo verba facturi ſumus in præſenti, ,, ſed de illa prout eſt vitium carnis, & in hac ,, acceptione vocabulum *fornicatio* aliquando ,, ſumitur pro omni illicito concubitu juxta illud Tobiæ 4. *Attende tibi fili mi, ab omni fornicatione*, inquit D. Thomas, undè ab Apoſtolo ſumitur aliquando pro inceſtu 1. ad Corinth. 5. v. 1. Nonnunquam verò ſumitur fornicatio prout diſtinguitur ab aliis luxurię ſpeciebus, ut videre eſt in filio prodigo, de quo ſcribitur à S. Luca: *Diſsipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Quibus ſignificari videtur peccatum illud fuiſſe fornicationem ſtrictè dictam conformiter ad verba filii ſenioris ita exprobantis: *Devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus. Fornicatio* igitur dicta eſt à *fornice*: quia hęc proprie eſt cum meretricibus; id eſt quarum venalis eſt turpitudo vel quæ libidini patent, indèque nomen meretricis ab eo deſumptum fuit, quod corporis ſui abuſu mercedem faciunt juxta illud Ovidii.

D. Thom. lect. 8. in cap. 1. ad Roman.

Luc. 15. v. 13.

Verſ. 30.

In cap. Meretrices 32. *q.* 4.

Jus Civil. in leg. Si ea quæ, *cap. ad legē Julii de adult.*

Stat

Stat meretrix certò cuivis mercabilis ære,
Et meritas juſſo corpore quærit opes.

Qualiter accipiatur, & unde dicatur fornicatio.

Quia tamen meretrices congregabantur, & pollucabantur juxta fornices, id eſt arcus triumphales, & in aliis locis ubi homines conveniebant, fornicatio dicitur à *fornice* ut habet Div. Thomas in Sententiariis. Similia repetit in Commentario Apoſtoli inquiens: Dicitur autem *fornicatio* à *fornice*: id eſt, arcu triumphali, juxta quem erant lupanaria. Nec ſolum juxta arcus triumphales, ſed etiam in aliis locis ut in loco Sententiarum dixit Div. Thomas. Quare Gloſſa Haimonis addit: vel in domibus arcuatis. Præterea fornicatio ab aliis dicitur, quaſi *formæ necatio*: quia per hoc peccatum anima rationalis ad imaginem Dei creata, myſticè necatur. Sed hęc ethymologia ad ſenſum Tropologicum ſpectare videtur. Indè Sedulius in locum Apoſtoli ex epiſtola ad Romanos, fornicationem quaſi *formæ cenationem* dictam notat, utpotè *per quam bona forma naturalis animæ notatur*. Vel etiam à foras exeundo; quod faciat fornicatio à *conjugio legitimo foras exire*. Fornicatio igitur prout prima ſpecies luxuriæ eſt dicitur *concubitus carnalis naturalis ſoluti cum ſoluta*; qualiter appellatur communiter cum D.Thoma fornicatio ſimplex: *Concubitus* inquam *naturalis*, quia debet naturali & humano modo fieri; aliàs erit peccatum contra naturam. *Soluti cum ſoluta*, quia uterque debet eſſe liber ab omni vinculo matrimonii, conſanguinitatis, affinitatis, voti continentiæ, Religionis, Ordinis Sacri: aliàs dicitur *fornicatio duplex*, ſeù in qua eſt duplex peccatum.

D.Thom. in 4. diſt. 11. q. 1. art. 4.

Lect. 2. in cap. 5. ad Epheſ.

Lect. 8. in cap. 1. ad Rom.

Sedulius tom. 1 Biblioth. PP.

31 Fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum mortale ex genere ſuo apud Gentiles invaluit propter corruptionem naturalis rationis, ut adnotat Div. Thomas. In eodem errore volutati ſunt Gnoſtici corumque ſequaces nullam luxuriæ ſpeciem illicitam dicentes. Determinatè autem de ſimplici fornicatione non eſſe peccatum effatierunt Græci & Balaamitæ. Item Rabbi Moyſes, qui ut refert Directorium Inquiſitorum dixit, quòd fornicatio ſimplex nullo modo eſt peccatum de jure naturę, ſed ſolum ex prohibitione legis: undè Judas non peccavit cum Thamar, quia fuit ante tempus legis, quo licitum erat fornicari. Quamvis enim acceſſus ille materialiter fuiſſet inceſtuoſus, formaliter tamen ex parte Judæ fuit ſimplex fornicatio propter ignorantiam affinitatis cum nuru ſuâ Thamar, quam meretricem judicavit. Simplicem autem fornicationem re ipſa eſſe peccatum grave, negarunt etiam illi, qui in eo fuerunt errore, quòd Deus peccata carnalia non punit, nec curat, ut refert D. Thomas: Ex auctoribus verò Catholicis nullus eſt, qui non affirmet fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale, quatenùs de jure Divino, deindè & jure Canonico prohibita eſt. Sed heù quàm fatalis eſt, & pernitioſa luxuriantium ingeniorum opinandi licentia! Fuerunt aliqui (quis crederet?) ſimplicem fornicationem, jure naturę, nec malam nec prohitam dictitantes, variiſque ratiociunculis, ſtabilire conantes. De his autem nihil in præſenti, plura tamen in Appendice ad præſentem Diſſertationem daturi ſumus. Quapropter præſcindentes nunc à jure naturali accedimus ad oſtendendam deformitatem ſimplicis fornicationis, cum PP. & Prophetis, prælucente Angelico Doctore.

D.Thom. lect. 1. in cap. 5. prime ad Corinth.

2.2.q.154. ar. 2. ad 1. 2.p.q. 4. & D. Thom. in ſupplem. q. 65. art. 5.

Geneſ. 38. v. 15

Quinam ex hæreticis poſt Gentiles, & qualiter licitã dixerunt fornicationem.

Lect. 1. in cap. 13. ad Hæbreos.

32 Aſſerendum eſt: Simplicem fornicationem ex genere ſuo peccatum eſſe mortale. Hæc aſſertio multiplici auctoritatis & rationis argumentorum genere firmanda eſt, quibus dùm fornicationis malitia oſtenditur, contra reliquas luxuriæ ſpecies (præſertìm naturales) debellandas via ſternitur: quæ enim argumenta ex ſacris litteris & SS. PP. nobis D.Thomas miniſtrabit contra ſimplicem fornicationem, pro majori parte urgent etiam, imò & maximè contra quinque ſequentes luxuriæ ſpecies, prout ſuis locis indicabimus. Aſſertionem noſtram tanquam fidei dogma diffinitam videmus à Clemente V. contra Beguardos & Beguinas, volumine ſequenti rejiciendos. In aliis etiam juris Canonici locis, ſcilicet in cap. *Nemo* 32.quęſt.4. in cap. *Audire* 34. in cap. *Nubendi* in fine 27. q.1. in cap. *Fornicari* 8.diſt. Accedit etiam Leo X. in Bulla de Concordatis ubi ponit diverſas pœnas à jure Canonico & SS.PP. ſtabilitas. Sed quid mirùm jure Canonico prohibita inveniatur ſimplex fornicatio, quam Deus jam in veteri Teſtamento iteratò voluit interdictam. Etſi aliàs cordialis duricies Judæorum compaſſus, ex ſua bonitate ipſis permittere dignatus fuerit pluralitatem uxorum, & repudium diſſolvens matrimonium? Teſtimonia antiqua ea ſunt: Primum: *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael.* Hæc verba cùm Auguſtinus exponit, ſic loquitur ad aſſumptum: *Ecce ubi manifeſtè prohibuit fornicari, & viros, & fœminas etiam cum non alienis conjugibus: peccatum eſſe demonſtrans miſceri, non conjugibus ſuis, quando & meretrices eſſe, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publicè venalis eſt turpitudo.*

Omni jure prohibita oſté ditur fornicatio.

Clementina Ad noſtrum, *tit. de hæreticis.*

Deuter. 23. v. 17.

S. Auguſt. quęſt. 37. in Deuter.

33 Secundum ita habetur, *ſi non eſt in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domûs patris ſui, & lapidibus obruent viri Civitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui: & auferes malum de medio tui.* Tertium: *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen ſcire.* Quartum: *Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant: per ſemitam vitę non ambulant, vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigabiles. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domûs ejus.* Quintum: *Fovea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena inſidiatur in via ſicut latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Quantum ad novum attinet Teſtamentum, ab Apoſtolo inter ea peccata luxuria numeratur, de quibus ait: *Quoniam, qui talia agunt, digni ſunt morte.* Deinde: *Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.* Aliunde: *Scripſi vobis in epiſtola: Ne commiſceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris:: Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri. Si is, qui frater nominatur, eſt fornicator aut avarus:: Cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Et cap.6. *Neque fornicarii* (inquit) *neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.* Ad Epheſios ſic loquitur: *Omnis fornicator aut immundus aut avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Denique ad Hębreos: *Fornicatores & adulteros judicabit Deus.* Poſtremò Joannes in Apocalypſi ſic expreſsè affatur: *Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatris & omnibus mēdacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: quod eſt mors ſecunda.*

Deut. 22. v. 20. & 21.

Tobiæ 4. v. 13.

Proverb. 5. v. 2. & ſequentib.

Et cap. 23. à v. 27.

Cap. 1. epiſt. ad Rom. v. 3.

Ad Galat. 5. v. 21.

1. ad Corinth. 5. v. 9.

Et cap. 6. v. 9.

Ad Epheſios 5. v. 5.

Ad Hebræos 13 v. 4.

Apocalypſ. 21. v. 8.

34 Pro ſtabilita Catholica aſſertione, quatuor ineluctabilia argumenta urget magnus Apoſtolus, quæ quidem ut indicavimus licèt ad alias luxuriæ ſpecies rejiciendas tendant, ſpecialiter tamèn contra ſimplicem fornicationem adducimus: quia deformitates quibus alię ſpecies fœdantur, non pertinēt ſtrictè ad genûs luxuriæ ut ſignificabimus. „ Igitur Apoſtolus rediens ad reprehendendum peccatum fornicarii cujuſdam, de „ quo verba fecerat capite 5. improbat for- „ nicationem capite 6. à verſ. 13. quatuor „ rationibus (inquit Div. Thomas) quarum „ prima ſumitur ex Divina ordinatione; ſe- „ cunda ex unione ad Chriſtum; tertia ex „ corporis inquinatione; quarta ex gratiæ „ dignitate. Quatuor indicatæ rationes per ordinem ab Apoſtolo propoſitę ad ſcholæ methodum cum D.Thoma reducimus, datis ejus verbis, licèt ordine paululum immutato pro majori formalizatione. *Corpus autem non fornicationi, ſed domino, & dominus corpori. Deus verò & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam*, habet Apoſtolus primam rationem proponens, quam ita urgemus, contra illos qui argumentum in favorē ſuę laſcivię ſumunt ex ordinatione Dei, undè potiùs malitiam fornicationis agnoſcere debuiſſent. Etenim, quod ordinationi Dei repugnat, & à fine deviat divinæ ordinationis, inordinatum non poteſt non eſſe, graviterque ex indè peccaminoſum; ſed talis oſtenditur ab Apoſtolo fornicatio: erit igitur mala & deformis. Minor propoſitio, quæ ſola poſſet habere difficultatem ex eo oſtenditur, quòd corpus, non ordinatur *fornicationi*; (id eſt non ad hoc ordinatur, ut fornicetur) *ſed Domino* (id eſt ad hoc ordinatur, ut ſit Domini noſtri Jeſu Chriſti) & *Dominus corporis* (id eſt Dominus Jeſus Chriſtus ad hoc datus eſt hominibus, ut humana corpora ſuæ glorię conformet, ſecundùm illud ad Philippenſ. *Reformavit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuę.*

1. Corinth. 6. à v. 13.

D. Thom. ibid. lect. 5.

Primum ex Apoſtolo à D. Thoma derivatum argumentum.

Ad Philipp. 3. v. 21.

35 His verbis indicatur etiam finis illius ordinationis nempè immortalis, & futura corporum glorioſa reſurrectio, quam in præſenti Apoſtolus expreſsit à reſurrectione Chriſti ad noſtram tranſiens reſurrectionem: *Deus verò, & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.* Juxta illud ejuſdem Apoſtoli ad Romanos 8. Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit, & mortalia corpora veſtra; ſed fornicatio utrūque impedit, nempè & ſubjectionem corporis Deo, cui debet eſſe dedicatum; & futuram incorruptionem juxta illud ad Galatas ult. *Qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem.* Maneat ergo fornicationem ordinationi Dei repugnantem eſſe, & à fine divinæ ordinationis deviantem. Expoſitionem D.Thomæ in oſtenſionem propoſitionis minoris pro utraque parte, tradiderant jam Gloſſa, Haymò, Petrus Lombardus & Ambroſius, vel quiſquis auctor ſit Commentarii ipſi immeritò attributi. *Corpus domino*, dicit eſſe Apoſtolus, quia ſervire illi debet, quod eſt ſubjectum eſſe: (inquit Haymò, cum Gloſſa & Petro Lombardo) *dominus corpori*, quia immortalitatem reſuſcitato præſtabit; ſivè ut glorificet illud & ſuſcitet. Vel ut ait Haymò immortalitatem dabit.

Corpus domino, non fornicationi deſervire debet.

36 *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit! An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim*, inquit, *duo in carne una: Qui autem adhæret domino: unus ſpiritus eſt.* Hæc eſt ſecunda ratio, quam ſtylo ſyllogiſtico ita breviter ordinat multiſque deinde oſtendit D.Thomas: „ Membra hominis fornicantis ſunt membra „ meretricis; ſed membra hominis ſunt mem- „ bra Chriſti: ergo per fornicationem fiunt „ membra Chriſti, membra meretricis. Pro- „ poſitionem majorem demonſtrat: *Qui ad-* „ *hæret meretrici* (ſcilicet fornicando unum „ corpus efficitur, ſcilicet per immundam „ commixtionem) juxta illud Geneſ. 2. *Erunt* „ *duo* (ſcilicèt vir & mulier) *in carne una* „ (id eſt per commixtionem carnalem, una „ caro efficiuntur, & ſic membra unius fiunt „ membra alterius) ſunt enim hęc verba „ (notat D. Thomas) Adæ de viro & uxore, „ loquentis: quę Apoſtolus hìc etiam ad „ fornicationem refert, quia ſecundùm ſpe- „ ciem naturę non differunt utriuſque actûs: „ Membra igitur hominis fornicantis, ſunt „ membra meretricis, ut prima propoſitio „ argumenti affimat, quamque Doctor An- „ gelicus etiam ex Philoſophia ita elucidat. „ Eſt autem intelligenda, quòd ſicut dicit „ Philoſophus in lib. de generatione anima- „ lium: In maſculo eſt principium activum „ generationis, in fœmina paſsivum: & ſicut „ in

Secundũ Apoſtoli argumẽtum.

Corpora noſtra membra ſunt Chriſti.

,, in planta, cujus vita principaliter ordi-
,, natur ad generationem, ſemper eſt unum
,, corpus, in quo utrumque principium uni-
,, tur: ita in animalibus quæ ordinantur ad
,, altiores actûs vitæ non ſemper eſt unum
,, corpus habens hæc duo principia, ſed ex
,, duobus fit unum in actu generationis.

37 Propoſitionem minorem probat Div.
Thomas ita expendens citata Pauli priora
verba: ,, Quia quicunque eſtis regenerati in
,, Chriſto, membra Chriſti eſtis effecti, ſe-
,, cundùm illud infra cap. 12. *Vos eſtis cor-*
,, *pus Chriſti, & membra de membro.* Et hoc
,, non ſolum quantum ad animas, quæ ab
,, eo juſtificantur, ſed etiam quantum ad cor-
,, pora, quę ab eo reſucitabuntur; ut dictum
,, eſt. (Nos etiam tradidimus cum eodem
,, Sancto Doctore 3.part. quæſt.8. art.2.) Et
,, meritò: nam qui adhęret domino (ſcilicet
,, per fidem & charitatem) unus ſpiritus eſt:
,, quia ſcilicet unitur ei (unitate ſpirituali,
,, non corporali) juxta illud Joannis 13. *Ut*
,, *ſint unum in nobis, ſicut nos unum ſumus*,
,, ſcilicet per connexionem ſpiritûs; & quia
,, corpus deſervit ſpiritui conſequens eſt ut
,, etiam corpora noſtra membra ejus ſint, cui
,, per ſpiritum unimur: non quidem carnali
,, conjunctione, ſed ſpirituali: erunt igitur
,, in hoc ſenſu membra hominis, membra
,, Chriſti, ut meritò affirmat propoſitio mi-
nor. Concludamus ergo argumentum: Mem-
bra Chriſti facere membra meretricis; *abſit*,
hoc enim eſt horrendum ſacrilegium, lato
tamen modo ſi de fornicatione ſimplici ver-
ba facimus; ſed hoc præſtat fornicatio: ergo
deſtetanda omnino eſt horrenda, imò nec
nominanda, ut alibi nos monuit Apo-
ſtolus.

Tertium urgetur ex Paulo argumentum.

38 Tertiam deinde rationem indicatu-
rus Gentium Apoſtolus, præintentam conclu-
ſionem ponit dicens: *Fugite fornicationem.*
Ubi notandum eſt (inquit D.Thomas) quòd
,, cætera vitia vincuntur reſiſtendo, quia
,, quantò magis homo particularia conſide-
,, rat & tractat, tantò minus in eis inve-
,, nit, unde delectetur, ſed magis anxietur:
,, ſed vitium fornicationis non vincitur re-
,, ſiſtendo; quia quantò magis homo ibi co-
,, gitat particularia, magis incenditur; ſed
,, vincitur fugiendo, id eſt totaliter vitan-
,, do cogitationes immundas & quaslibet
,, occaſiones, ut dicitur Zachar. 2. *Fugite*
,, *de terra Aquilonis.* Hęc enim verba lit-
teraliter quidem ad Judęos pertinent,
qui fugere de terra Babylonis monentur,
ut redeant in Jeruſalem: ſed myſticè ad
vitiorum fugam Hieronymus applicat,
ibidem. Graditur deinde Apoſtolus ad
proponendam tertiam, quam diximus ra-
tionem ex corporis inquinatione petitam,
dicens: *Omne enim peccatum quodcunque*
fecerit homo, extra corpus eſt. Qui autem

In fornicatione, ſpeciali ratione peccatur contra corpus.

fornicatur in corpus ſuum peccat. Ad hu-
jus teſtimonii intelligentiam ſciendum eſt
,, (verba ſunt Div. Thomæ) quòd quædam
,, peccata non conſummantur in carnali de-
,, lectatione, ſed in ſola ſpirituali: ideò ſpi-
,, ritualia vitia dicuntur; ſicut ſuperbia, ava-
,, ritia, & acedia; fornicatio autem com-
,, pletur maximè in carnali delectatione: &
,, ſecundùm hoc poſſet intelligi, quod hìc
,, dicitur, omne peccatum quodcunque fece-
,, rit homo, extra corpus eſt (quia ſcilicet
,, completur pręter ſui corporis delectatio-
,, nem.) Qui autem fornicatur, in corpus
,, ſuum peccat, quia ſcilicet ejus peccatum
,, in carne conſummatur. Nec ſimile eſt de
,, peccato gulæ, quod licèt conſummetur in
,, delectatione corporis; tamen non dicitur
,, ſtrictè, ſicut de fornicatione, quòd peccat
,, homo *in corpus ſuum*; id eſt contra corpus
,, ſuum corrumpendo, & inquinando illud
,, pręter uſum rationis, juxta illud Apoca-
,, lypſ. 3. Habes pauca nomina in Sardis,
,, *qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*, id
,, eſt corpus. Niſi dicatur ſecundùm Augu-
,, ſtinum, quòd, qui fornicatur, in corpus
,, ſuum peccat: quia anima ejus totaliter
,, carni in illo actu ſubjicitur; ita quòd non
,, poſſet aliud ibi cogitare: unde in Pſalm.
,, 31. dicitur: *Nolite fieri ſicut equus & mu-*
,, *lus, quibus non eſt intellectus.*

39 Datæ expoſitioni ex Angelico Docto-
re pręluxerant Chryſoſtomus, Theodoretus
in locum Pauli, Andræas Cęſarienſis in ad-
ducta verba Apocalypſis; ſed pręcipuè au-
diendus eſt Auguſtinus inquiens: *Apoſtolum*

S. Auguſt. fragmēt. 3. tom. 10.

datis verbis: exaggerare voluiſſe fornicatio-
nis malum ſuper cætera omnia peccata, quæ
etſi per corpus commitantur non tamen ani-
mum humanum concupiſcentię carnali ſic ob-
ſtrictum & obnoxium efficiunt, quemadmo-
dum in fornicatione commiſceri facit animum
vis ingens libidinis cum ipſo corpore, &
quodammodo adglutinari ac devinctum eſſe,
in tantum ut nihil aliud momento ipſo &
experimento hujus tam magni flagitii cogi-
tari homini liceat. Ex his omnibus urgetur

1. Theſſal. 4. v. 4.

quàm breviter argumentum: unuſquiſque
vas ſuum (id eſt corpus) poſsidere debet in
ſanctificatione; ſed per fornicationem inqui-
natur corpus, quod ſe habet tanquam ani-
mæ veſtimentum: ergo fugienda eſt fornica-
tio tanquam animæ non ſolum ſed & corpo-
ris inquinativa.

40 Propoſitæ rationi robur ſuperaddit
invictum, quartum Apoſtoli argumentum

Quartum in aſſumpto argumentum.

verbis delineatum: *An neſcitis quoniam*
membra veſtra templum ſunt Spiritus San-
cti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, &
non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio
magno, glorificate & portate Deum in corpo-
re veſtro. Hæc ratio exigit, ut præmittamus,
qualiter homo ſit templum Dei, & quomodo
templum Dei inquinetur. Et quidem, quòd
fideles ſint templum Dei ſignificat & probat
Apoſtolus cap. 3. præcedenti inquiens: *Neſ-*
citis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus

1. Corinth. 3. v. 16.

Dei habitat in vobis. ,, Eſt enim de ratione
,, templi (exponit D. Thomas) quod ſit ha-
,, bitaculum Dei, ſecundùm Pſalm. 10. *Deus*

D. Thom. ibid. lect. 3.

,, *in templo ſancto ſuo*: Unde omne illud
,, in quo Deus habitat, poteſt dici templum.
,, Habitat autem Deus principaliter in ſe
,, ip-

,, ipſo, quia ipſe ſolus ſe comprehendit: Un-
,, de & ipſe Deus templum Dei dicitur Apo-
,, calypſ. 21. *Dominus Deus omnipotens tem-*
,, *plum illius eſt.* Habitat etiam Deus in do-
,, mo ſacrata per ſpiritualem cultum, qui
,, in ea ſibi exhibetur: & ideò domus ſacrata
,, dicitur templum, ſecundùm illud Pſalm.
,, 5. *Adorabo ad templum ſanctum tuum.*
,, Habitat etiam Deus in hominibus per fi-
,, dem, quæ per dilectionem operatur, ſecun-
,, dùm illud Epheſ. 3. *Habitare Chriſtum per*
,, *fidem in cordibus veſtris*: Unde & ad pro-
,, bandum quòd fideles ſint templum Dei,
,, ſubjungit, quòd inhabitantur à Deo; cùm
,, dicit, & ſpiritus Dèi habitat in vobis.
,, 41 Ex quo patet quòd Spir.Sanct. eſt
,, Deus per cujus inhabitationem fideles di-
,, cuntur templum Dei: ſola enim inhabita-
,, tio Dei templum Dei facit, ut dictum eſt.
,, Eſt autem conſiderandum, quòd Deus eſt
,, in omnibus creaturis, in quibus eſt per eſ-
,, ſentiam, potentiam, & pręſentiam; implens
,, omnia bonitatibus ſuis; ſecundùm illud Je-
,, rem. 23. *Cęlum & terram ego impleo*: ſed
,, ſpecialiter dicitur Deus inhabitare tan-
,, quam in familiari domo in ſanctis, quo-
,, rum mens capax eſt Dei per cognitionem
,, & amorem; etiam ſi ipſi eum actu non
,, cognoſcant & diligant; dummodo habeant
,, per gratiam habitum fidei & charitatis;
,, ſicut patet de pueris baptizatis: & cogni-
,, tio ſine dilectione non ſufficit ad inhabi-
,, tationem Dei, ſecundùm illud 1. Joann. 4.
,, *Qui manet in charitate, in Deo manet, &*
,, *Deus in eo*: Inde eſt quòd multi cognoſ-
,, cunt Deum, vel per naturalem cognitio-
,, nem, vel per fidem informem, quos tamen
,, non inhabitat ſpiritus Dei. *Res mirabilis*
(exclamat Auguſt.) *quemadmodum quorumdā*

S. Auguſt. epiſt. 57.

nondùm cognoſcentium Deum ſit inhabitator
Deus, & quorūdam cognoſcentium non ſit: Nec
enim illi ad templū Dei pertinent, qui cognoſ-
centes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt
ut Apoſtolus dicit (ad Roman. 1.) *& ad tem-*
plum Dei pertinent parvuli ſanctificati ſa-
cramento Chriſti, regenerati Spiritu Sancto,
qui certe per ætatem nondum poſſunt cognoſ-
cere Deum: Unde quem potuerunt illi noſſe, nec
habere; iſti potuerunt habere, antequam noſſe.

Qualiter violetur per luxuriam templū Dei, quod eſt in nobis.

42 Si quis autem violaverit templum
Dei ſubjungit Apoſtolus, & ibidem D.Tho-
mas: ,, Violatur autem templum Dei du-
,, pliciter: Uno modo per falſam doctrinam,
,, quæ non ſuperædificatur fundamento, ſed
,, magis ſubruit fundamento, & deſtruit ædi-
,, ficium: unde dicitur Ezechiel. 13. de falſis
,, prophetis: *Violabant me ad populum meum*
,, *propter pugillum hordei & fragmentum*
,, *panis*: Alio modo violat aliquis templum
,, Dei per peccatum mortale per quod ali-
,, quis vel ſe ipſum corrumpit, vel alium
,, opere & exemplo. Templi violationem
,, continuò exponit; tanquam pœnà dignam:
,, Qui enim aliquam rem ſacram violat, ſa-
,, crilegium committit: unde dignum eſt ut
,, diſperdatur: *Templum enim Dei ſanctum*
,, *eſt, quod eſtis vos*, ſicut ſupra dictum eſt:

,, Et in Pſal. 64. dicitur: *Sanctum eſt tem-*
,, *plum tuum, mirabile in æquitate*: Et
,, alibi: *Domum tuam, Domine, decet ſan-*
,, *ctitudo.* Et quidem in materiali templo
,, eſt quædam materialis ſanctitas, prout
,, templum divino cultui dedicatur: ſed in
,, fidelibus Chriſti eſt ſanctitas gratiæ, quam
,, conſequuti ſunt per baptiſmum; ſecun-
,, dùm illud infra cap. 6. *Abluti eſtis, ſan-*
,, *ctificati eſtis.*

43 Hujuſmodi autem templum, quod
hìc Apoſtolus dicit violari per peccatum
quaſi in genere, cap. 6. affirmat deter-
minatè de fornicatione, hujus inde de-
formitatem demonſtrans, quarta jam
indicata ratione, hac methodo cum D.
Thoma propoſita. ,, Corpora noſtra tem-

D. Thom. lect. 3. in cap. 6.

,, plum ſunt Spiritûs Sancti per ejus, ſci-
,, licet inhabitationem, quæ quidem prin-
,, cipaliter eſt in cordibus, ſeu in anima,
,, in quibus charitas Dei diffunditur per
,, Spiritum Sanctum, ut dicitur Roman.
,, 5. ſecundariò autem eſt in membris cor-
,, poralibus, in quantum exequuntur ope-
,, ra charitatis: Unde in Pſalm. 83. dici-
,, tur: *Cor meum & caro mea exultave-*
,, *runt in Deum vivum.* Accreſcit deinde
,, dignitas hæc: quia non à nobis ſed per
,, redemptionem Sanguinis Chriſti habetur,
,, quippè qui magno illo pretio ſunt ho-

1. Petri 1. v. 19

,, mines, *pretioſo nimirum, ſanguine agni*
,, *immaculati, & incontaminati Jeſu Chri-*
,, *ſti*: Ergo Deum in corpore glorificare
,, debent tanquam ſervi ipſius Dei: atque
,, adcò quantum ad primum nihil in cor-
,, pore hominum apparere debet, niſi quod
,, ad gloriam Dei pertinet juxta illud Pſal.
,, 2. *In Templo ejus omnes dicent gloriam*:
,, Quantum vero attinet ad ſecundum de-
,, bet corpus hominis portare Deum; ſi-
,, cut equus vel aliud animal portat domi-
,, num ſuum: Unde in Pſalm. 72. dicitur:
,, *Ut jumentum factus ſum apud te.* Por-
,, tat autem corpus dominum, in quan-
,, tum divino miniſterio deputatur; ſed
,, hæc omnia evertit fornicatio inquinans,
,, & corpus ipſum: Sic ergo (concludit
,, D. Thomas) homo debet vitare, ne in
,, corpus ſuum peccet fornicando, quod
,, eſt contra gloriam Dei, & contra mini-
,, ſterium, quod corpus noſtrum debet Deo.
Plura videri poſſunt apud Bernardum, ver-
ba adducta ex Pſal. 82. exponentem ſermo-

Sancti Patres Angelico Doctori prælucentes.

ne ſeptimo in Pſal. 90. & ſerm. 1. Dominicæ
Palmarum.

44 Elucidatam Apoſtoli tertiam & quar-
tam rationem quàm maximè extollunt PP.
imprimis Tertullianus: *Cum omnes* (inquit)

Tertullianus lib. 2. de cultu fœminarū, cap. 1.

Templum Dei ſimus, illato in nos, &
conſecrato Spiritu Sancto, ejus Templi
æditua, & antiſtita Pudicitia eſt, quæ
nihil immundum nec profanum inferri ſi-
nat, ne Deus ille qui inhabitat, inquina-
tam ſedem offenſus derelinquat. Deinde

S. Cyprianus lib. de diſciplina, & habitu Virginum.

Sanctus Cyprianus ſcribit: *Conſiderantes*
pariter ac ſcientes, quòd Templa Dei ſunt
membra noſtra, ab omni fęce contagionis

anti-

antiquæ, lavacri vitalis ſanctificatione purgata, nec violari ea aut pollui facit, quando qui violat, & ipſe violatur. Eorum nos templorum cultores & antiſtites ſumus: Serviamus illi, cujus eſſe jam cæpimus. Tandem Auguſtinus: *Ipſe ergo Dominus* (inquit) *qui ſcit quid tibi ſit utile, uxorem conceſsit, nihil amplius. Hoc juſsit, hoc prçcepit, ne per illicitas voluptates corruat Templum ejus quod eſſe cepiſti. Nunquid hoc ego dico, Apoſtolum audite*: Neſcitis quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Hoc dicit Chriſtianis, hoc dicit fidelibus*:: Si quis Templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus. *Videtis quomodo minatur? Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Certè facis alicui quod pati non vis. Non eſt ergo quà evadatur*:: *Omnia enim peccata hominum aut ad corruptelam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocendi. Quia Deo nocere non potes in facinoribus, in flagitiis eum offendis, in corruptelis eum offendis, in te illi facis injuriam. Facis enim injuriam gratiæ ipſius, domui ipſius.* Singularem etiam Chriſto infert injuriam luxuria, quatenus violat membra Chriſti. Corpora enim noſtra, membra Chriſti ſunt, ipſi tanquam capiti cohærentia, ſi ſanctè, & caſtè vivamus. Ipſa autem à Chriſto diſiungit luxuria, & cum meretrice copulat, ut ait Apoſtolus. Videas quantam Deo irroget injuriam fornicator. Attendas quantum honoris derogat Chriſto cui tanquam membrum effectum, per Sacramentalem Communionem, concorporatum quodammodo ſis. Quid ergo mirum in Concilio Illiberitano determinatum ita fuerit contra impudicos, & præſertim adulteros: ſi poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs eis non eſſe dandam Communionem, ne luſiſſe de Dominica Communione videantur. Et iterum: *Si quis fortè fidelis, poſt lapſum mœchiæ, poſt tempora conſtituta, actâ pœnitentiâ, denuò fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.*

S. Auguſt. ſerm. 9. de decem cobordis.

Concilium Illiberitanum Canon. 3.

Canon. 7.

45 Audiatur deinde poſt Sanctos Patres Doctor Angelicus Theologorum Scholæ Principem agens, rationeque Theologicâ fornicationis ſimplicis inordinationem ità patefaciens. Ad hujus autem evidentiam conſiderandum eſt (inquit) ,, Quòd
,, peccatum mortale eſt omne peccatum,
,, quod committitur directè contra vitam
,, hominis. Fornicatio autem ſimplex im-
,, portat inordinationem, quæ vergit in no-
,, cumentum vitç ejus, qui eſt ex tali con-
,, cubitu naſciturus. Videmus enim in om-
,, nibus animalibus, in quibus ad educa-
,, tionem prolis requiritur cura maris, &
,, fœminæ, quòd in eis non eſt vagus con-
,, cubitus, ſed maris ad certam fœminam,
,, unam vel plures: ſicut patet in omnibus
,, avibus. Secùs autem eſt in animalibus in
,, quibus ſola fœmina ſufficit ad educatio-
,, nem fçtus, in quibus eſt vagus concu-
,, bitus, ut patet in canibus, & hujuſ-
,, modi aliis animalibus. Manifeſtum eſt
,, autem, quòd ad educationem hominis
,, non ſolum requiritur cura matris à qua
,, nutritur, ſed multo magis cura Pa-
,, tris, à quo eſt inſtruendus, & defen-
,, dendus, & in bonis tàm interiori-
,, bus, quàm exterioribus promovendus.
,, Et ideò contra naturam hominis eſt, quòd
,, utatur vago concubitu, ſed oportet,
,, quòd ſit maris ad determinatam fœmi-
,, nam, cum qua permaneat non per mo-
,, dicum tempus, ſed diù, vel etiam per
,, totam vitam. Et inde eſt, quod natura-
,, liter ineſt maribus in ſpecie humana ſo-
,, licitudo de certitudine prolis, quia eis
,, imminet educatio prolis: hæc autem cer-
,, titudo tolleretur, ſi eſſet vagus concu-
,, bitus. Hæc autem determinatio certç
,, fœminç, matrimonium vocatur, & ideò
,, dicitur eſſe de jure naturali. Sed quia
,, concubitus ordinatur ad bonum commu-
,, ne totius humani generis, bona autem
,, communia cadunt ſub determinatione le-
,, gis, ut ſupra habitum eſt. Conſequens
,, eſt, quòd iſta conjunctio maris ad fœmi-
,, nam, quç matrimonium dicitur, lege ali-
,, qua determinetur. Qualiter autem ſit
,, apud nos determinatum, in tertia par-
,, te hujus operis dicetur, cum de Sacra-
,, mento matrimonii tractabitur. Unde cum
,, fornicatio ſit concubitus vagus, utpote
,, præter matrimonium exiſtens, eſt con-
,, tra bonum prolis educandæ: & ideò eſt
,, peccatum mortale. Nec obſtat, ſi aliquis
,, fornicando aliquam cognoſcens ſufficien-
,, ter provideat proli de educatione, quia
,, id quod cadit ſub legis determinatione,
,, judicatur ſecundùm id, quod communi-
,, ter accidit, & non ſecundùm id, quod
,, in aliquo caſu poteſt accidere.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. in corp.

Fornicatio intrinſece mala oſtenditur.

OBJECTA DISSOLUTA.

46 Ea quæ objici poſſunt contra aſſertam veritatem catholicam pro majori parte tendunt, ut fornicationem oſtendant jure naturæ non malam; de quo alibi diſſerendum eſt. Quapropter in præſentiarum ea quæ Divus Thomas ſibi objicit articulo ſecundo, & ſimiliter articulo primo ex quçſtione decimaquinta diſputata adducemus.
,, Ea enim quç ſimul connumerantur, videntur
,, eſſe unius rationis: ſed fornicatio con-
,, numeratur quibuſdam, quæ non ſunt
,, peccata mortalia. Dicitur enim Actorum
,, 15. *Abſtineatis ad immolatis ſimulacro-*
,, *rum, & ſanguine, & ſuffocato, & for-*
,, *nicatione*: illorum autem uſus non eſt
,, peccatum mortale ſecundùm illud 1. ad
,, Timoth. 4. *Nihil rejiciendum eſt, quod*
,, *cum gratiarum actione percipitur*: ergo
,, fornicatio non eſt peccatum mortale. Se-
,, cundo: Nullum mortale peccatum ca-
,, dit ſub præcepto Divino: ſed Oſeæ 1.
,, præcipitur à Domino: *Vade, ſume tibi*
,, *uxorem fornicationum, & fac filios for-*
,, *nicationum*: ergo fornicatio non eſt pec-
,, catum mortale. Reſpondetur tamen ad primum diſtinguo majorem: ſimul connumerantur quantum ad rationem culpæ, nego; quantum ad finem Apoſtolorum in unum conveniendi Judæos & Gentiles, concedo majorem, & ſimiliter diſtincta minori, nego conſequentiam. Ad ſecundum conceſſa majori negatur minor de fornicatione propriè dicta, qualem non commiſſit Oſeas. Utriuſque argumenti ſolutio traditur à Divo Thoma loco citato ex quæſtionibus jam citatis; & articulo ſecundo præſenti, hoc ordine.

47 Ad primum ergo dicendum, quòd
,, fornicatio illa connumeratur, non quia
,, habeat eandem rationem culpæ cum aliis,
,, ſed quantum ad hoc, quod ex his quæ
,, ibi ponuntur, ſimiliter poterat diſsi-
,, dium generari inter Judæos & Genti-
,, les, & eorum unanimis conſenſus im-
,, pediri: quia apud Gentiles fornicatio
,, ſimplex non reputabatur illicita propter
,, corruptionem naturalis rationis: Judæi
,, autem ex lege divina inſtructi, eam illi-
,, citam reputabant. Alia verò, quæ ibi
,, ponuntur, Judæi abominabantur propter
,, conſuetudinem legalis converſationis: un-
,, dè Apoſtoli ea Gentilibus interdixerunt,
,, non quaſi ſecundùm ſe illicita, ſed qua-
,, ſi Judæis abominabilia, ut etiam ſupra
,, dictum eſt. Ad ſecundùm dicendum, quòd
,, fornicatio dicitur eſſe peccatum, in quan-
,, tum eſt contra rationem rectam. Ratio
,, autem hominis recta eſt ſecundùm quòd
,, regulatur voluntate divinâ, quæ eſt pri-
,, ma, & ſumma regula. Et ideò, quod
,, homo facit ex voluntate Dei, ejus præ-
,, cepto obediens, non eſt contra ratio-
,, nem rectam, quamvis videatur eſſe con-
,, tra communem ordinem rationis, ſicut
,, etiam non eſt contra naturam, quod
,, miraculosè fit virtute divinâ, quamvis ſit
,, contra communem curſum naturæ. Et
,, ideò, ſicut Abraham non peccavit filium
,, innocentem volendo occidere, propter
,, hoc quod obedivit Deo, quamvis hoc
,, ſecundùm ſe conſideratum ſit communi-
,, ter contra rectitudinem rationis huma-
,, næ: ita etiam Oſeas non peccavit forni-
,, cando ex præcepto Divino, nec talis con-
,, cubitus propiè fornicatio debet dici,
,, quamvis fornicatio nominetur referendo
,, ad curſum communem. Unde Auguſtinus
,, dicit 3. Confeſſ. *Cum Deus aliquid con-*
,, *tra morem aut pactum quorumlibet ju-*
,, *bet, etſi nunquam ibi factum eſt, fa-*
,, *ciendum eſt.* Et poſteà ſubdit. *Sicut enim*
,, *in poteſtatibus ſocietatis humanæ major*
,, *poteſtas minori ad obediendum præponitur*:
,, *ita Deus omnibus.*

Alia eſt ratio de fornicatione: alia de ſanguine & ſuffocato, Actorum 15.

D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 4. ad 3.

Concubitus Oſeç non fuit propriè fornicarius.

48 Objici poſſunt ſecundò reliqua Div. Thomç argumenta ex Summa Theologica: Imprimis: quia ſimplex fornicatio commemoratur in ſcriptura ſine reprehenſione in aliquibus antiquorum Patrum v. g. dum legitur de Abraham, quod acceſsit ad Agar ancillam ſuam. Similiter de Jacob, quod acceſsit ad ancillas uxorum ſuarum Balam & Zelpham, & inſuper, quod Judas acceſſit ad Thamar, quam çſtimavit meretricem: Ergo fornicatio ſimplex non eſt peccatum mortale. Quinimò, & inceſtus Thamaris videtur à culpa excuſari cap. illo 38. ubi de illa ipſe Patriarcha Judas affirmavit: *Juſtior me eſt.* Secundò: quia omne peccatum mortale ducit in perditionem çternam; ſed hoc non facit fornicatio ſimplex, juxta illud Ambroſii: *Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia & pietate eſt, quam aliquis ſequens, ſi lubricum carnis patiatur, ſine dubio vapulabit, ſed non peribit*: ergo fornicatio ſimplex non eſt peccatum mortale. Præterea ſicut Auguſtinus dicit: Quod eſt cibus ad ſalutem corporis, hoc eſt concubitus ad ſalutem generis: ſed non omnis inordinatus eſus ciborum eſt peccatum mortale: ergo nec omnis inordinatus concubitus, quod maximè videtur de fornicatione ſimplici, quæ minima eſt inter ſpecies enumeratas. Quibus accedere poteſt Gloſſa deſumpta ex Auguſtino ſuper illud Deut. 23. *Non erit meretrix, &c.* ubi ad eas prohibetur acceſſus, quarum eſt venialis turpitudo: erit ergo ſimplex fornicatio veniale duntaxat peccatum.

Geneſ. cap. 16. v. 4.

Cap. 30. v. 5. & 9.

Cap. 38. v. 16.

Verſ. 26.

Gloſſ. S. Ambroſ. 1. ad Timoth. 4.

S. Auguſt. lib. de bon. conjug. cap. 16. in principio tom. 6.

49 Reſpondetur tamen ad primum negando majorem quantum ad Abraham & Jacob attinet: illi enim ad ancillas non acceſſerunt fornicario concubitu; ſed tanquam ad veras uxores, etſi minus principales; quatenus aliquid habebant de ratione uxoris; & aliquid de ratione concubinæ, ut explicat D. Thomas inter alia inquiens: ,, Ad ſecundum dicendùm: quòd
,, antiqui Patres eâ diſpenſatione, quâ plu-
,, res habebant uxores, ad ancillas accede-
,, bant uxoris affectu, erant enim uxores
,, quantum ad principalem & primarium fi-
,, nem matrimonii, ſed non quantum ad
,, aliam conjunctionem, quæ reſpicit ſecun-
,, darium finem, cui conditio ſervitutis op-
,, ponitur, cum non poſsit ſimul eſſe ſocia,
,, & ancilla. Quantum verò attinet ad fornicationem Judæ (propter ignoratam propinquitatem cum muliere illa) addit Div. Thomas: Judam autem non eſt neceſſarium à peccato excuſare, *qui etiam auctor fuit venditionis Joſeph.* Non ergo fornicatio Judæ connumeratur ibi ſine reprehenſione; quod adcò verum eſt, ut Judas ipſe condemnaverat ſemetipſum facto illo, contra Thamar pronuncians: *Producite eam ut comburatur*, id eſt moriatur (inquit ibidem Hugo Cardinalis) ignis enim ponitur pro qualibet pæna gravi, ut habetur Joſuæ 7. Nam ut legitur in Epiſt. ad Romanos: *In quo enim judicas alterum te ipſum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas.* Neque adjuncta verba Thamaris exceſſum juſtificant. Dixit namque Judas *juſtior me eſt*, ſive ut in Hebræo habetur: *Juſtificata eſt ex me*, non quod juſta fuerit (inquit ex Hieronymo Hugo Cardi-

Immerito antiqui Patriarchæ de fornicatione accuſantur.

D. Thom. in ſupplement. q. 65. art. 5. in corp.

Solut. ad 2.

Q. 154. art. 2. ut ſupra.

Concubitum Judæ cũ Thamar non eſt neceſſarium à peccato excuſare.

Roman. 2. v. 1.

na-

nalis) ſed quod dicitur Ezechiel. 16. Juſtificata eſt Sodoma ſoror tua ex te , quod comparatione illius : minus malè fecerit, non vaga turpitudine , ſed filios requirendo. Quæ verba intelligi debent quantum ad finem intentum à Thamare , quamvis ejus fornicatio : quia inceſtuoſa , gravius fuerit peccatum. Indè corruit fundamentum Rabbi Moyſis deductum ex facto Judæ. Sed iſta ratio non cogit : Non enim neceſse eſt , filios Jacob à peccato excuſare; cùm accuſati fuerint apud Patrem crimine peſsimo; verba ſunt Div. Thomæ , ubi ſupra.

50 Ad ſecundum conceſſa majori diſtinguo minorem: Non præſtat fornicatio ſi per pœnitentiam deleatur, verum eſt : ſecùs autem ſi fornicationis culpâ innodatus è vivis excedat homo ; catenus tamen per opera pietatis liberatur à perditione æterna, quatenus his diſponitur homo ad pœnitendum. Si autem in lubrico carnis impœnitens perſeveraverit homo uſque ad finem, neutiquam per pietatis opera liberabitur. Ita reſpondet Div. Thomas ſolutione ad quintum , & expreſsiùs quæſtione citata de luxuria inquiens: ,, Dicendũ quòd Ambroſius ibi loquitur de lubrico carnis ſecundùm quod eſt veniale peccatum ut patet in actu matrimoniali , ſicut dictum eſt. Vel poteſt dici , & melius quod loquitur etiam de lubrico peccati mortalis. Non eſt autem ſimpliciter intelligendum , quod ſi aliquis in tali lubrico carnis perſeveret uſque ad mortem damnationem evadat propter opera pietatis , ſed quia opera pietatis frequentata diſponunt hominem ad faciliùs pœnitendum , & poſtquam pœnituerit ad peccata præterita faciliùs expianda, propter quòd etiam dominus Matthæi 25. per opera miſericordiæ damnandis ſolum defectum miſericordiæ imputat : quia ſcilicet non ſtuduerunt per opera miſericordiæ præterita peccata expiare , ut dicit Auguſtinus 12. de Civit. Dei. Ad argumentum datis præmiſsis negatur conſequentia , propter diſcrimen , quod D. Thomas aſsignat inter utrumque illis verbis : ,, Ad ſextum dicendum , quod ex uno concubitu poteſt unus homo generari. Et ideò inordinatio concubitûs , quæ impedit bonum prolis naſcituræ , ex ipſo genere actûs eſt peccatum mortale , & non ſolum ex inordinatione concupiſcentiæ. Ex una autem comeſtione non impeditur bonum totius vitę unius hominis ; & ideò gulæ actus ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. Eſſet autem , ſi quis ſcienter cibum comederet , qui totam conditionem vitę ejus immutaret, ſicut pater de Adam. Nec tamen fornicatio eſt minimum peccatorum , quæ ſub luxuria continentur , minus enim eſt concubitus cum uxore , qui fit ex libidine. Illud autem quod ultimo loco objicitur nullius momenti eſt : quia ut habet Div. Thomas in utroque citato loco, littera illa corrupta eſt;

Q. 15. de malo art. 2. ad 1.

Opera pietatis qualiter à pæna æterna liberare poſsint

Solut. ad 6. in q. 154. ut ſupr.

Diſcrimen inter gulam & fornicationem

Non enim debet dici : quorum venialis eſt turpitudo , ſed quorum turpitudo eſt venalis. Sic etiam habetur in Jure Canonico: *Meretrices eſſe , & ad meretrices accedere probibet Dominus , quarum publicè venalis turpitudo eſt.*

Cap. Meretrices 32. *quæſt.* 4.

51 Tandem opponi poteſt quia ſi fornicatio adeò graviter deformis eſſet , certè non permitterentur nec tollerarentur meretrices , quæſtum ex peccato facientes ; ſed reipſa tollerantur : Non igitur jure naturæ nec lege divina prohibita ſenceri debet ſimplex fornicatio. Reſpondetur tamen meretricium non permitti : quia non ſit malum ; ſed quia minus malum reſpectivè ad graviora peccata , humanæ ſocietatis bonum evertentia. Sed tamen pleraque vitia, quæ lege humana tollerantur , divinâ lege nihilominus ſeveriſsimè prohibentur , & vindicantur. Unde Sanctus Hieronymus ait: * Aliæ autem ſunt leges Cęſarum , aliæ Chriſti ; aliud Papinianus , aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos , viris impudicitiæ fręna laxantur , & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato , paſsim per lupanaria , & ancillulas libido permittitur : Quaſi culpam dignitas faciat , non voluntas. Et S. Auguſtinus probat illam Evodii Sententiam : * Videtur mihi , & legem iſtam , quę regendo populo ſcribitur , rectè iſta permittere , & divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda ſibi hæc lex populi aſſumit , quæ ſatis ſint conciliandæ paci hominibus imperitis , & quanta poſſunt per hominem regi. Illæ verò culpæ aliàs pęnas aptas habent , à quibus ſola mihi videtur poſſe liberare ſapientia. Ait autem Auguſtinus: * Laudo , & probo iſtam , quamvis incoatam , minus perfectam , tam fidentem, & ſublimia quædam petentem diſtinctionem tuam. Videtur enim tibi lex iſta, quę regendis civitatibus fertur , multa concedere , atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur ; & rectè. Neque enim quia non omnia facit , ideò , quæ facit , improbanda ſunt.

Qualiter permittatur meretricium.

S. Hieronym. in Epitaphio fabiolæ.

S. Auguſtin. lib. 1. de libero arbitrio cap. 5.

52 Hujus permiſsionis per legem humanam rationem aſsignat Div. Thomas inquiens : ,, Reſpondeo dicendum , quòd ſicut dictum eſt lex ponitur , ut quædam regula , vel menſura humanorum actuum: menſura autem debet eſſe homogenea menſurato , ut dicitur in 10. Metaph. diverſa enim diverſis menſurantur ; unde oportet , quòd etiam leges imponantur hominibus ſecundùm eorum conditionem: quia ut Iſidorus dicit , lex debet eſſe poſſibilis & ſecundùm naturam & ſecundùm conſuetudinem Patriæ. Poteſtas autem, ſive facultas operandi ex interiori habitu , ſeu diſpoſitione procedit , non enim idem eſt poſsibile ei , qui non habet habitum virtutis , & virtuoſo : ſicut etiam non eſt idem poſsibile puero & viro perfecto , & propter hoc non ponitur eadem

D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 2. in corp.

dem lex pueris ; quæ ponitur adultis. Multa enim pueris permittuntur , quæ in adultis lege puniuntur , vel etiam vituperantur : Et ſimiliter multa ſunt permittenda hominibus non perfectis virtute , quæ non eſſent tolleranda in hominibus virtuoſis. Lex autem humana ponitur multitudini hominum non perfectorum virtute. Et ideò lege humanâ non prohibentur omnia vitia , à quibus virtuoſi abſtinent , ſed ſolum graviora , à quibus poſsibile eſt , majorem partem multitudinis abſtinere , & præcipuè , quę ſunt in nocumentum aliorum , ſine quorum prohibitione ſocietas humana conſervari non poſſet : ſicut prohibentur lege humanâ homicidia & furta & hujuſmodi. Notat autem Div. Thomas , quòd lex illa , qua Gentiles (apud Tullium, lib. 2. de inventione) mulieres quaſdam in pęnam , lupanaribus tradendas condemnabant : ex offuſcatione rationis proceſsit, non ex inſtinctu legis naturę. Unde prævalente Chriſtianâ religione lex illa extirpata eſt.

In ſupplem. q. 65. art. 3. ad 2.

§. APPENDIX.

In deteſtationem concubinatûs.

53 CONCUBINATUS ut cõmuniter accipitur , eſt frequens & continuata fornicatio cum determinata fœmina, retenta quodammodo ut uxore , ſive hæc ſoluta ſit , matrimoniovè, aut alio vinculo ligata : unde per omnes luxurię ſpecies vagare poteſt. Verumtamen, quia frequenter inter ſolutos exercetur , ſimplici fornicationi reducitur. Quarè autem frequens illa luxurioſa communicatio *concubinatus* appelletur, nomen quæ concubinæ obtinuerit infęlix muliercula carnalis concupiſcentię vinculis conſtricta , & circumligata ; tradit Angelicus puritatis ſectator & Magiſter. ,, Quicunque ergo (inquit) concubitu utitur propter delectationem, quæ in ipſo eſt , non referendo in finem à naturâ intentum , contra naturam facit ; & ſimiliter etiam , niſi ſit talis concubitus , qui ad illum finem convenienter ordinari poſsit : & quia res à fine ut plurimum nominantur , tanquam ab optimo , ſicut conjunctio matrimonii à prolis bono nomen accepit , quod per matrimonium principaliter quæritur, ita concubinæ nomen illam conjunctionem exprimit , qua ſolus concubitus propter ſe ipſum quæritur.

In ſupplem. q. 65. artic. 3. in corp.

Quid ſit concubinatus & qualiter in utroque jure accipiatur.

54 Scio equidem in Jure Civili eum dumtaxat concubinarium dici , qui concubinam domi retinet ; talis proinde non reputatus , ſi eam foris habeat. Plures etiam exigit conditiones & circunſtantias , quas omnes non requirit Jus Canonicum ut notant ex aliis Auctoribus PP. Salmanticenſes ; ſic proinde concubinatum deſcribentes : *Concubitus viri cum fœmina ſoluta, quam quis vel in domo propria , vel extra retinet, & ad quam frequenter , vel ex conſuetudine accedit , ſive retineat ut concubinam , ſive ut pediſſequam : ſive quocunque alio titulo.* Concubinatum non eſſe lege naturali prohibitum antiquos quoſdam legis peritos docuiſſe tradit Antonius Gomez. Cùm tamen probabiliùs ſit *Jure* etiam *Civili* concubinatum damnari, ut tenent Panormitanus aliique juris periti apud laudatos Salmanticenſes. Solus deinde Lutherus (cum aliis ejuſdem furfuris Nebulonibus Scholę Gnoſticorum addictis) ſpurciſsimum illud dogma effutiit : *Uxor ſi nolit , ancilla venito.* Quaſi dicat apertiùs : Si vir habeat uxorem & ancillam in domo ; & uxor nolit cognoſci carnaliter , poteſt ad ancillam accedere cognoſcendam : Noluit namque ſpurciſsimus hic Hæreſiarcha in antiquis Patriarchis attendere divinam diſpenſationem , quam articulo pręcedenti in objectione 2. memoravimus. Igitur.

Anton. Gomez in leg. 80. Tauri à n. 1.

55 Aſſerendum eſt : Concubinatum omni jure graviſsimum eſſe peccatum. Ut enim arguit Divus Thomas : ,, Secundum omnes leges , filii , qui de concubina naſcuntur , ſunt vituperabiles ; ſed hoc non eſſet , niſi concubitus , ex quo oriuntur eſſet naturaliter turpis : ergo habere concubinam eſt contra legem naturæ. Ratio deinde eſt ; quia actio videtur eſſe contra legem naturæ , quæ non eſt conveniens fini debito , quem natura intendit ; talis autem eſt acceſſus ad concubinam , in quo ſola delectatio quæritur; non autem proles , qui eſt finis à natura intentus. Præterea , quia matrimonium à natura eſt , jurique naturali conſonum , ſed hoc non eſſet , ſi ſine præjudicio legis naturæ homo poſſet conjungi mulieri præter matrimonium : ergo contra legem naturæ eſt concubinam habere. Alias præterea rationes indicat Sanctus Doctor , illas nimirùm, quibus fornicatio prohibita oſtenditur , ut infra contra Caramuelem urgebimus. Si enim fornicatio etiam ſimplex jure naturæ graviter reprobatur, potiori ratione concubinatus , culpa certè gravior ſimplici fornicatione , propter ſuperadditam continuationem , quę gravitatem illius exaggerat. Eadem etiam ratione ut concubinatum , jure divino prohibitum oſtendat Divus Thomas , ſacra illa teſtimonia adducit , quibus ſimplex fornicatio reprobata fuit à nobis articulo pręcedenti.

Art. 3. ut ſupr.

Concubinatus omni jure & ratione , graviſsimum peccatum monſtratur.

56 Prædicta teſtimonia attendens Concilium Lateranenſe ſtatuit : *Cùm omne fornicationis crimen lege divinâ , probibitum ſit , & ſub pęnâ peccati mortalis neceſſariò evitandum ; monemus omnes laicos , tàm uxoratos , quàm ſolutos , ut ſimiliter à concubinatu abſtineant. Pro hujuſmodi namque* di-

Concilium Lateran. ſub Leone X. ſeſſione 11.

divini obſervantia præcepti hi , ad quos pertinet tàm ſalutaribus monitis , quàm aliis Canonicis remediis omni ſtudio laborent. Accedunt etiam SS. PP. contra luxurioſum quemcunque concubitum fulmina pro verbis vibrantes : ſed determinatè contra concubinatum , audiatur imprimis Tertullianus contra impoſtores Gentiles , omnem concubitum damnans in eo, *qui aliter, quàm nuptiis utitur.* Et ſubjungit : *Ideò penes nos occultæ quoque conjunctiones , nec prius apud Eccleſiam profeſſæ , juxta mœchiam , & fornicationem judicari periclitantur. Nec inde conſertæ obtentu matrimonii crimen eludant.* Deindè S. Joannes Chryſoſtomus, duas tantum vias agnoſcit , quibus viri mulieribus cohabitant : * Et una quidem (inquit) * vetus eſt ac juſta , rationique conſentanea , nempè matrimonium, quod Deo * legiſlatore inſtitutum : Altera verò poſterior , & ex confeſſo injuſta , legique adverſa, nempè concubinatus , ſive ſtuprum, * quod à malignis introductum eſt dœmonibus. Præterea S. Auguſtinus ait:Sufficiant * vobis aut uxores,aut nec uxores : concubinas vobis habere non licet: Audiat Deus * ſi vos ſurdi eſtis ; audiant Angeli ejus , ſi * vos contemnitis : concubinas vobis habere * non licet. Et ſi non habetis uxores , non * licet vobis habere concubinas , quas poſtea dimittatis , ut ducatis uxores ; quantò magis damnatio vobis erit , ſi habere volueritis & concubinas & uxores? :: * Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, * ſi filiorum causâ concubant , juſtum faciunt concubinatum ſuum ; nec conjugatæ , ſi cum maritis laſciviant , nuptiali * ordini crimen imponunt.

Tertullian. lib. de pudicitia cap.4.

S. Chryſoſtomus ſerm. contr. concub.

S. Auguſt. ſerm. 392. alias 49. inter hom. 50.

Deteſtandum concubinatum Concilia , & PP. docent.

Lib. de bono conjug. cap. 14.

57 Sed nihil eſt quod magis deteſtandam concubinatus deformitatem demonſtret; quàm graviſsimę pœnę contra concubinarios per Eccleſiam latæ , nunc laici ſint, nunc Clerici ; quas quidem etſi jam antiquitus datæ , renovatæ cernuntur in Concilio Tridentino. Acceſsit Divus Pius V. cujus hæc eſt conſtitutio : *Monemus prætereà omnes locorum ordinarios , & in virtute S. obedientiæ eis præcipimus , ut ſtatuta Concilii Tridentini contra concubinarios tàm Clericos , quàm laicos edita , diſtrictè faciant obſervari ; reddituri Deo , ac nobis , ſi id omiſerint rationem.* Imprimis namque in jure antiquo graviſsimæ pœnæ contra concubinarios ſtatutæ ſunt , ut apparet. In cap. *Nemo* ; capit. *Dicat aliquis* ; in cap. *Meretrices* & alibi frequenter. In Concilio Vaurenſi Canone 117. excommunicatione plectendos eſſe ſtatutum fuit. Præcipuè tamen contra Clericos concubinarios graviſsimas jurè ſtatuit Eccleſia , tùm in Jure Canonico , tùm in Concilio Baſileenſi, cujus decretum (de privatione fructuum , & deinde Beneficiorum poſt admonitiones debitas) confirmavit Synodus Friſingenſis, Rothomagenſis ; & Concilium Lateranenſe 5. ſub Leone X. in concordatis cum Rege Galliarum. Plura reſolvunt dubia circa prędictas pœnas Theologi , qui moralia practicè tradunt , nobis autem pro inſtituto ſatis erit decreta transſcribere Concilii Tridentini contra laicos ita decernentis.

S. Pius V. conſtit. 5. apud Cherub. tom. 2. pag. 180. §. 12.

Graviſsimæ contra concubinarios pœnæ, eò graviores, quò in altiori ſtatu cõſtituti ſunt.

Concilium Trident. ſeſsione 24. de reformat. matrimonii cap. 8.

* 58 Grave peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere ; graviſsimum verò , & in hujus magni ſacramenti ſingularem contemptum admiſſum , uxoratos * quoque in hoc damnationis ſtatu vivere, * ac audere eas quandoque domi etiam * cum uxoribus alere , & retinere. Quare, * ut huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remediis provideat , ſtatuit , hujuſmodi concubinarios tàm ſolutos , quàm * uxoratos , cujuſcunque ſtatûs , dignitatis , & conditionis exiſtant , ſi poſtquam ab * Ordinario , etiam ex officio , ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint , ſeque ab earum conſuetudine * non ſejunxerint , excommunicatione feriendos eſſe , à qua non abſolvantur , donec reipſa admonitioni factæ paruerint. * Quod ſi in concubinatu per annum , cenſuris neglectis permanſerint ; contra eos * ab Ordinario ſeverè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres ſive conjugatę, * ſive ſolutę , quę cum adulteris , ſive concubinariis publicè vivunt , ſi ter admonitæ non paruerint , ab Ordinariis locorum , nullo etiam requirente , ex officio * graviter pro modo culpæ puniantur : & * extra oppidum , vel Diœceſim , ſi id eiſdem Ordinariis videbitur , invocato , ſi * opus fuerit , brachio ſæculari , ejiciantur: * Aliis pœnis contra adulteros & concubinarios inflictis in ſuo robore permanentibus.

Antiquæ pœnę ut in plurimum renovatæ in Conciliis Friſingenſi, Rothomagenſi, Lateranenſi 5. & Tridentino.

59 Quantum verò attinet ad Clericos ita ſtatuit Tridentinum : * Ut igitur ad * eam , quam decet continentiam , ac vitę * integritatem Miniſtri Eccleſiæ revocentur , populuſque hinc eos magis diſcat * revereri , quo illos vita honeſtiores cognoverit , prohibet ſancta Synodus quibuſcunque Clericis , ne concubinas , aut * alias mulieres de quibus poſsit haberi * ſuſpicio , in domo , vel extra detinere, * aut cum illis ullam conſuetudinem habere audeant. Alioquin pœnis à ſacris Canonibus , vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi à ſuperioribus * moniti ab iis non ſe abſtinuerint , tertia * parte fructuum obventionum , ac proventuum beneficiorum ſuorum quoruncunque , & penſionum ipſo facto ſint privati , quæ fabricæ Eccleſiæ , aut alteri pio * loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin * verò , in delicto eodem cum eadem , vel * cum alia fœmina perſeverantes , ſecundæ * monitioni adhuc non paruerint , non * tantum fructûs omnes , ac proventûs * ſuorum beneficiorum , & penſiones eo * ipſo amittant , qui prædictis locis applicentur , ſed etiam à beneficiorum ſuorum adminiſtratione , quod Ordinarius * etiam uti Sedis Apoſtolicæ Legatus arbitrabitur , ſuſpendantur. Et ſi ita ſuſpenſi

Concilium Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 14.

* nihilominus eas non expellant , aut cum * his etiam verſentur ; tunc Beneficiis , portionibus, ac officiis & penſionibus quibuſcũque Eccleſiaſticis perpetuò priventur; atque inhabiles, ac indignis quibuſcũque honoribus, dignitatibus, Beneficiis, ac officiis * impoſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitę emendationem ab eorum ſuperioribus , cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint , intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint , pręter dictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut * ſuſpendat. Supràdictorumque omnium * cognitio non ad Archidiaconos , nec Decanos , aut alios inferiores , ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat , qui ſine ſtrepitu & * figura judicii , & ſola facti veritate inſpecta procedere poſsint. Clerici verò beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes juxta delicti & contumaciæ perſeverantiam , & qualitatem ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda , aliiſvè * modis juxta Sacros Canones puniantur. * Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint , & à Synodo Provinciali admoniti , ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi ; & ſi perſeverent , etiam ad Sanctiſsimum Romanum * Pontificem ab eadem Synodo deferantur: * qui pro qualitate culpæ , etiam per privationem, ſi opus fuerit, in eos animadvertat.

OBJECTA DISSOLUTA.

60 Nec eſt quòd objiciat fortè aliquis, in Eccleſia permiſſum fuiſſe antiquitùs concubinatum ; ut ſignificare videtur Concilium Toletanum I. decernens : *Ut is , qui non habet uxorem , & pro uxore concubinam habet à Communione non reppellatur : Tamen ut unius mulieris , aut uxoris , aut concubinæ ſit conjunctione contentus* : Nihil enim obeſt indicatum decretum , ut oſtendit Ferdinandus de Mendoza , datis legitimis quibuſdam explicationibus in Commentario ad Concilium Illiberitanum cap. 8. Deinde Gregoriani decreti cenſores : Canonem illum intelligendum monent, de concubinis impropriè dictis , quæ quodammodo veræ erant uxores , quamquam nec dotalibus inſtrumentis, nec ſolemniter ductæ. Concubinas namque duplicis olim fuiſſe generis obſervant : quaſdam ad tempus adhibitas, quarum concubitum turpem fuiſſe docent, etiamſi filiorum procreandorum causâ haberentur , de quibus loquutum fuiſſe Sanctum Auguſtinum can. *Audite* , & can. *Concubinæ*, cauſa 32. quæſt. 2. laudatum , ajunt : Nec de his intelligendum Concilii Toletani Canonem. Aliàs autem concubinas velut uxores fuiſſe , quæ ſine dotalium tabularum ſolemnitate ductæ fuerant , quomodo Abraham, & Jacob ancillas pro uxoribus habuerunt , quę tamen interdùm concubinæ, interdùm uxores in Scriptura Sacra , & à Patribus appellantur. Hoc concubinarum genus olim fuiſſe licitum : & de his loquitur Juſtinianus novella 18. apud Julianum Anteceſſorem & Sanctum Auguſtinum libro de bono conjugali cap. 5. relato , can. *Solet* , cauſa 32. quæſt. 2. tametſi dubitantem : In his autem concubinis tria fuiſſe neceſſaria : Primum ut uterque eſſet ſolutus : deinde fidem mutuam, ſcilicet , quod alteri non jungerentur , neque abhorrerent à procreatione filiorum : Tertium ut uſque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendum ſibi proponerent. Et in his ſcribere Sanctum Auguſtinum poſſe aliquomodo dici nuptias eſſe , & connubium, quamvis ſic habitam non audeat appellare uxorem ; quia non intervenerant inſtrumenta dotalia , & reliqua ſolemnia juris, ut colligitur ex prędicta novella 18. & ex can. *Aliter*, cauſa 30. quæſt. 5. Itaque hujuſmodi mulieres vocari concubinas , ſed ob illa tria , ac præcipuè quod in affectu maritali permanere ſtatuerant, permiſſam illis communionem. Habitas nimirùm fuiſſe tanquam uxores minùs ſolemniter ductas.

Concilium Tolet. I. can. 17.

Difficilis textus de concubinatu exponitur.

Duplicis generis concubinatus.

61 Deinde objici poſſunt argumenta nonnulla ſibi à Divo Thoma objecta , atque ad brevem ſummam ita redacta. Primò: Quod ſimpliciter , & abſolutè datur , dari poteſt ad tempus & ſecundum quid; ſed mulier ſoluta poteſt ſui corporis poteſtatem viro ſoluto in perpetuum dare : ergo non erit contra legem naturæ , ſi dederit ſui corporis poteſtatem ad horam. Secundò utens re ſuâ, nemini facit injuriam ; ſed ancilla eſt res domini : ergo ſi Dominus eâ utatur ad libitum , nulli facit injuriam , & ita habere concubinam non eſt contra legem naturæ. Tertiò quilibet poteſt alteri dare quod ſuum eſt ; ſed uxor habet poteſtatem in corpore viri; I. Corinth. I. ergo ſi uxor velit , poterit vir alteri mulieri conjungi ſine peccato. Hæc autem nullius momenti objecta ſunt. Ad primum enim diſtinguo majorem ſub eadem ratione , concedo majorem ; ſub diverſa ratione , nego majorem , & ſic diſtincta minori , nego conſequentiam : Quia in argumento fit tranſitus vel fieri intenditur de matrimonio ad concubinatum. Quapropter ratio non ſequitur , ut concludit Div. Thomas ſolutione ad tertium.

D. Thom. in ſupplement. q. 65. art. 3.

Solut. ad 3.

62 Ad ſecundum diſtinguo majorem, qui utitur juſtè re ſuâ quatenùs ſua eſt , concedo majorem ; qui utitur injuſtè re aliàs ſuâ, non autem eâ ratione qua ſua eſt, nego majorem; & diſtinguo minorem. Ancilla eſt res domini ad obſequium, concedo ; ad concubitum, nego minorem, & conſequentiam. Similiter ad tertium reſpondetur diſtinguo minorem: habet poteſtatem in corpore viri quãtum ad omnia , nego : quantum ad matrimonium, concedo minorem , & nego conſequentiam. Hæc duo argumenta ſic per ordinem diſſolvit Angelicus Doctor. ,, Ad quartum dicendum , quòd injuria juſtitiæ opponitur , lex autem naturalis non ſolum

Dominiũ proprii corporis non eſt ad cõcubitum inordinatum.

Solut. ad 4.

„ prohibet injuſtitiam, ſed etiam oppoſita omnium virtutum. Sicut contra legem naturæ eſt, quòd aliquis immoderatè comedàt, quamvis talis rebus utens ſuis, nulli injuriam facit. Et præterea ancilla, quamvis ſit res domini ad obſequium, non eſt tamen res ſua ad concubitum. Et iterum intereſt, qualiter quiſque re ſuâ utatur; facit enim talis injuriam proli procreandæ, ad cujus bonum non ſufficienter talis conjunctio ordinatur, ut dictum eſt. Ad quintum dicendum quòd mulier habet poteſtatem in corpore viri non ſimpliciter quãtum ad omnia: ſed ſolum quantum ad matrimonium, & ideò non poteſt contra bonum matrimonii corpus viri alteri tradere.

Solut. ad 5.

ARTICULUS III.

Contra ſtuprum & raptum arma vertens.

63 STUPRUM aliquando accipitur in jure generatìm pro omni illicito concubitu, qua ratione dicit Ambroſius: *Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum, omne ſtuprum adulterium eſt.* Hæc enim verba ſic expendit Div. Thomas inquiens, „ quòd Ambroſius ibi aliter accipit ſtuprum, prout ſcilicet communiter accipitur pro omni peccato luxuriæ. Unde ſtuprum ibi nominat concubitum viri conjugati cum quacunque alia muliere prȩter uxorem: quod patet ex hoc, quod ſubdit: *Nec viro licet, quod mulieri non licet.* Et hoc modo etiam accipitur Numer. 5. ubi dicitur: *Si latet adulterium, & teſtibus argui non poteſt, quia non eſt inventa in ſtupro.* Nonnunquam verò ſumitur ſtrictè pro ſecunda ſpecie luxuriæ, quam ſupra deſcripſimus, nempè acceſſu viri ad virginem, ut patet ex cap. *Cum ergo*, 31. q. 6. & cap. *Lex illa* 36. q. 1. Atque ex libro Geneſis conſtat: deflorationem virginis vocari ſtuprum, cùm de fratribus Dinæ legitur: *Sævientes ob ſtuprum ſororis*, quæ erat virgo. Igitur de ſtupro in acceptione data agimus in præſenti, ad cujus ſpeciem requiri adnotant PP. Salmanticenſes, actum conſummatum intra vas: quia ſi ſolum extra vas polluatur, erit peccatum contra naturam; nec propriè verificatur, *quòd integritas virginis corrumpitur:*

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6. ad 2.

Geneſ. 34. v. 13

64 Scio equidem graves Theologos in ea eſſe opinione, ut affirment: acceſſum viri ad virginem conſentientem, & extra parentum cuſtodiam conſtitutam, non induere ſtupri ſpeciem in confeſsione aperiendam, ſed ſimplicis fornicationis dumtaxat. Verumtamen hujus opinionis probabilitatem licèt agnoſcamus; oppoſitum ſupra indicavimus, inter aſsignandas luxuriæ ſpecies. Et meritò quidem: Nam etſi puella ejuſque parentes conſentiant, illicitus hujuſmodi concubitus, ſtupri deformitatem non tollit: Peccant ſiquidem tàm ſtuprator, quàm puella contra naturalem ordinem, ſecundùm quem ſignaculum virginitatis integrum, & inviolatum in puella ſervari debet, donec matrimonio conjuncta ſit. Quamobrem ſicut non tollitur adulterii deformitas cùm muliere conjugata conſentiente marito, ſui corporis copiam alteri facit; quia peccat contra fidem conjugalem: ita non tollitur ſtupri deformitas, cum virgo conſentientibus parentibus ſe ipſam amaſio proſtituit; quia non ſolum fornicatur, ſed etiam virginalis integritatis jacturam facit contra ordinem lege naturali, ac divina conſtitutum. In eadem igitur ſententia ſtare nos docet Div. Thomas, dum aſſerit art. 6. citato: quod ſtuprum propriè conſiſtit in actu venereo, quo virgo defloratur. Unde in ſolutione ad tertium argumentum cùm præſupponeret: quòd ſtuprum habet duplicem injuriam annexam ſubjunxit: „ Unam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat, tamen eam ſeducit, & ſic tenetur ei ſatisfacere. Sivè ut loquitur in Sententiariis: Virgo ex hoc quod defloratur, aliquod damnum incurrit, præter damnum caſtitatis, quia redditur minus apta ad matrimonium ſequens; non autem vidua, ſicut nec meretrix. Adducit Sanct. Doct. Iſidorum ita diffinientem ſtuprum: *Virginum illicita defloratio*: Quæ diffinitio traditur à Gelaſio Papa cap. *Lex illa*, ubi ſupra. Quis autem dubitet damnum illud virgini, etiam conſentienti, & extra cuſtodiam parentum illatam iri: quia tamen virgines ut plurimum tenentur ſub cuſtodia parentum; ideò D. Thomas ipſis etiam injuriam irrogari oſtendit ratione infra adducenda. Igitur:

Acceſſus ad virginem conſentientẽ, probabiliùs pertinet ad ſpeciem ſtupri.

Solut. ad 3.

In diſt. 41. art. 4. ad 5.

Gelaſius Papa, cap. Lex illa.

65 Aſſerendum eſt: ſtuprum ſpecialem addere deformitatem ſupra communem luxuriæ inordinationem. Aſſertionem illis verbis tradit D. Thomas in loco Sententiarum: „ Stuprum quod eſt illicita virginum defloratio, addit aliam deformitatem, ſcilicet damnificationem mulieris violatæ, quæ non eſt ita apta ad nubendum ſicut antè, & hæc damnificatio etiam per ſe ſpecialem legis prohibitionem habet. Cùm prohibitionem quantum attinet ad patrem, cui incumbit cura virginis, expreſsit Eccleſiaſticus verbis adductis à D. Thoma in corpore articuli poſtea tranſcribendo. Quantum verò attinet ad ſtupratorem, & ipſam puellam, teſtimonia affert D. Thomas in ſolutione ad tertium argumentum, ſtatim etiam adducendum. Audiantur tamen verba ex lib. Deuteron. *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit aliquis eam in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: Puella: quia non clamavit, cùm eſſet in Civitate: Vir, quia humiliavit uxorem proximi ſui, & auferes malum de medio tui. Sin*

Deuter. 22. v. 23.

autem in agro repererit vir puellam, quæ deſponſata eſt, & apprebendens concubuerit cum ea, ipſe morietur ſolus: Puella nibil patietur, nec eſt rea mortis: Quoniam ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum, & occidit animam ejus, ita & puella perpeſſa eſt, ſola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam.

Auctoritate & ratione theologica ſpecialis ſtupri deformitas oſtẽditur.

66 Rationem theologicam datæ aſſertionis ita tradit Div. Thomas. „ Reſpondeo dicendum: quod ubi circa materiam alicujus vitii occurrerit aliqua ſpecialis deformitas; ibi debet poni determinata ſpecies illius vitii. Luxuria autem eſt peccatum circa venerea exiſtens, ut ſupra dictum eſt, in virgine autem ſub cuſtodia patris exiſtente, quædam deformitas ſpecialis occurrit, ſi corrumpatur, tùm ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur, nulla pactione conjugali prȩcedente, & impeditur à legitimo matrimonio conſequendo, & ponitur in via meretricandi, à quo retrahebatur, ne ſignaculum virginitatis amitteret: tùm etiam ex parte patris, qui de ejus cuſtodia ſolicitudinem gerit ſecundùm illud Eccleſiaſt. 42. ſuper filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando faciat te in opprobium venire inimicis. Et ideò manifeſtum eſt quòd ſtuprum, quod importat illicitam virginum deflorationem ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata luxuriȩ ſpecies. Prȩterea in reſponſione ad tertium duplicem injuriam importare affirmat ſtuprum ſupra deformitatem luxuriæ; quam Deus præcepit, ut ſtuprator ſatisfaciat inquiens. „ Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet, unum peccatum ex adjunctione alterius deformius fieri. Fit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato injuſtitiæ: quia videtur concupiſcentia eſſe inordinatior, quȩ à delectabili non abſtinet, ut injuriam vitet. Habet autem duplicem injuriam annexam. Unam quidem ex parte virginis, quam etſi non vi corrumpat, tamen eam ſeducit, & ſic tenetur ei ſatisfacere. Unde dicitur Exodi 22. ſi ſeduxerit quis nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt. Aliam verò injuriam facit patri puellȩ: unde & ei ſecundùm legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deuter. 22. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit, qui dormivit cum ea patri puellæ 50. ſiclos argenti, & habebit eam uxorem: & quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ, & hoc ideò, ne videatur ludibrium feciſſe, ut Auguſtinus dicit.

Art. 6. in corp.

67 Hinc novum deſumitur argumentum ad oſtendendam ſpecialem ſtupri malitiam, ex pœnis nimirùm à Deo impoſitis contra ſtupratorem; quæ quidem licèt antiquitùs ad præcepta judicialia pertinerent: de facto tamen Eccleſia in jure Canonico eas inſtauravit, decernens: Quòd ſtuprator ſi ſpe, aut promiſsione futuri matrimonii puellam ad ſtuprum illexit, eam omnino ducere tenetur, ſi ipſa & pater ejus voluerint: ſi verò noluerint, tenetur eam dotare: Nùm promiſsio ſincera fuerit (quæ proindè verum contractum ſponſalitium efficit) nùm verò ſimulata: quia fraus & dolus nemini patrocinare debent. Ita conſtat ex cap. *Pervenit*, Extravag. de adulteriis, & ſtupro. Aſsignant nihilominus Theologi plures exceptiones in quibus ſtuprator non tenetur puellam ducere; ſed ſatisfacit ſuæ obligationi eam dotando. Præſertim ſi impedimentum aliquod canonicum intercedat. De hoc audiendus eſt D. Thomas exceptiones communiter admiſſas complectens illis verbis: „ Ad quartum dicendum quòd in tali caſu ſponſus, antequam aliam cognoverit, tenetur eam ducere in uxorem, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis, ſed ſi aliam duxerit, jam factus eſt impotens ad ſolvendum illud, ad quod tenebatur, & ideò ſufficit, ſi ei de nuptiis provideat, & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, ſi ſponſus ſit multò melioris conditionis, aut aliquod ſignum fraudis evidens fuerit: quia præſumi probabiliter poteſt, quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit.

Pœnæ utroque jure impoſitæ ſpecialem illam deformitatẽ mõſtrant.

D. Thom. in ſupplem. q. 46. art. 2. ad 4.

68 Nec ſolum Eccleſia in jure Canonico, ſed etiam Civile jus, graves imponit pœnas contra ſtupratorem in deteſtationem tanti criminis, jam flagellationis ſi inops fuerit; relegationis & perditionis dimidiæ bonorum partis, ſi perſona fuerit honeſta. Simili pœnȩ ſubjicitur (vel fortè majori) tutor pupillam durante tutela ſtuprans. Quòd ſi ſervus hoc crimen contra dominam, vel filiam dominȩ commiſerit, igne concremandus eſt, de quo videantur Juris-periti & PP. Salmantic. pœnas hujuſmodi indicantes; qui addunt majoribus pœnis (ibidem indicatis) plectendos eſſe, qui virginem immaturam ſtupraverit. Hæc indicaſſe ſufficiat in argumentum gravitatis criminis aſsignati. Sed quid ſi Clericus tàm immane facinus commiſerit? Jure puniendus decernitur (non ſolum publicâ fuſtigatione, ut aliqui volunt Juris-periti apud Farinacium, bene adnotantem eam pœnam non eſſe in uſu: quia contra reverentiam eſſet ſtatui debitam Clericali) pœnitentia decem annorum ex cap. *Presbyter* 82. diſt. Nec mirùm cum hæc pœnitentia pro quacunque fornicatione Clericis impoſita à S. Silveſtro dicatur apud citatum Gomez. Deinde pœna pecuniaria & depoſitionis imponitur, ex cap. *Si quis Clericus* 8. diſt. tenent DD. adnotantes, quòd virgo deflorata dotari debet. Si per vim hoc fecerit in Monaſterium, aut carcerem detrudendus eſt ex cap. *Pervenit* de adult. Adhuc verò ſi Clericus virginem immaturam, ſivè duodecim annorum minorem, per violentiam ſtupret; cum

cùm ſit gravius crimen acriori etiam pœna, Judicis arbitrio, plectendus eſt.

69 Aſſerendum eſt ſecundò: Raptum prout in præſenti, ſpecialem etiam addere malitiam, & deformitatem intra genus luxuriæ; quia ut aſſerit D. Thomas: „ Illatio violentiæ videtur procedere ex magnitudine concupiſcentiæ, ex qua aliquis non refugit periculo „ ſe injicere, violentiæ inferendæ. Diximus prout in præſenti: Nã ſępe raptus in Scriptura Sacra in bonam partem ſumitur, & eſt ſpecies quædam prophetiæ, quæ fit per alienationem; convenitque in pluribus cum extaſi. Verumtamen raptus prout ad genus luxurię ſpectat dupliciter contingere valet, vel ita ut ſit: *Violenta fœminæ abductio, de loco ad locum, causâ matrimonii.* Et in hoc ſenſu jure novo Tridentini impedimentum dirimens matrimonium ſubſequens, ſtatuitur niſi *rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit.* Raptus verò prout ab ſtupro, aliiſque ſpeciebus diſtinguitur à nobis jam ſupra deſcriptus eſt, ubi etiam raptum in priori ſenſu comprehendimus: quia frequenter in jure Canonico de utroque raptu verba fiunt, gravíſsimæque pœnæ contra raptores imponuntur. Inſuper ex præcitata diffinitione apparet ad raptum requiri violentiam, ſive ipſi perſonę, ſive patri, aut tutori, eſtò perſona rapta conſentiat, ut docet D. Thomas infra adducendus. Datur etiam raptus non ſolum quando causâ libidinis explendæ rapitur fœmina, nùm virgo ſit, nupta, vel vidua, ſed etiam quando eadem libinis causâ abducitur vir; quamvis in utroque caſu perſona rapta carnaliter non cognoſcatur.

D.Thom. 2.2. q. 154. art. 7. ad 2.

Concil.Trident. ſeſſ.14.cap.6.

Raptûs deformitas & malitię gradus.

70 Inde raptus eò gravius peccatum eſt, quò ad fœdiorem libidinem explendam fit. Graviſsimum namque eſſet, ſi maſculus, maſculum, aut fœmina fœminam raperet. Inter raptus verò fœminarum à viris, primum locum tenet criminis gravitate raptus ſanctimonialium; ſecundùm locum tenet raptus earum, quę ſimplici voto virginitatem ſuam Deo conſecrarunt; ſequitur raptus conſanguinearum vel affinium, tùm conjugatarum; deindè virginum, ſive ingenuarum puellarum, poſtremò viduarum. Idem eſtò judicium de violenta abductione viri à muliere potente: ſi enim virum Religioſum raperet, aut Sacerdotem, aut voto ſimplici caſtitatis obſtrictum, gravius crimen eſſet, quàm ſi virum profanum, aut nullius voti Religione Deo conſecratum: ſi conſanguineum vel affinem, gravius crimen eſſet, quàm ſi extraneum: ſi conjugatum, majus ſcelus eſſet, quàm ſi ſolutum. Hæ itaque circumſtantiæ in Sacramentali confeſsione neceſſariò declarandæ ſunt, per quas nimirùm fit, ut raptus cum aliis luxuriæ ſpeciebus concurrat; nempè cum peccato contra naturam, vel cum ſacrilegio, vel cum inceſtu, vel cum adulterio, vel cum ſtupro, vel cum fornicatione ſimplici.

71 Adnotat etiam & reſolvit D. Thomas, quòd licèt raptus aliquando concurrat cum ſtupro, poſſunt tamen adinvicem ſeparari, verba S. Doctoris ea ſunt: „ Reſpondeo dicendum, quòd raptus, prout nunc „ de eo loquimur, eſt ſpecies luxuriæ. Et „ quandoque quidem in idem concurrit cum „ ſtupro: quandoque autem invenitur raptus ſine ſtupro; quandoque ſtuprum ſine „ raptu. Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem „ illicitè deflorandam, quæ quidem violentia quandoque infertur tàm ipſi virgini, „ quàm patri; quandoque autem infertur „ patri, ſed non virgini, puta cùm ipſa conſentit, ut per violentiam de domo patris „ abſtrahatur. Differt etiam violentia & raptus alio modo: quia quandoque puella „ violentèr abducitur à domo parentum, & „ violenter corrumpitur: quandoque autem „ etſi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, ſed de voluntate virginis, ſive corrumpatur voluntario concubitu, ſive matrimoniali. Qualitercunque „ enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptûs: invenitur autem raptus ſine ſtupro, „ puta ſi aliquis rapiat viduam, vel puellam „ corruptam. Unde Symachus Papa dicit: „ Raptores viduarum vel virginum ob immanitatem facinoris tanti deteſtamur. Stuprum verò ſine raptu invenitur, quando „ aliquis abſque violentiæ illatione virginem „ illicitè deflorat.

D. Thom. ubi ſupra in corp. art.7.

Raptus, & ſtuprum valent ſeparari.

72 Jam igitur propoſitam aſſertionem, paucis verbis traditam & demonſtratam à D.Thoma conſpicimus: „ Raptus ſupra ſtuprum (inquit) addit ſpecialem deformitatem, ſcilicet violentiam & eductionem de „ domo patris, & ideò diſtincta ſpecies ponitur à ſtupro, Eandem diſtinctionem tradit Gelaſius Papa, raptum ponens diſtinctam à ſtupro luxuriæ ſpeciem. Imò etiam Sacra Scriptura, ut ſupra indicavimus. Sed tamen nihil magis deformitatem oſtendit datæ ſpeciei luxuriæ, quàm pœnæ contra illam ſtatutę: nam præter nullitatem matrimonii durante raptu contrahendi, ut vidimus ex Tridentino tale conjugium irritante, quòd quidem antiquitùs jam erat illicitum, ut tradit D.Thom. Graviſsimæ aliæ pœnæ decernuntur. Imprimis in jure Civili, hæc habentur apud Natalem Alexandrum. Conſtantinus Magnus, Leg. *Si quis*, lib.9. Cod. Theodoſ. titulo 24. de raptu virginum aut viduarum; raptorem infuſsione liquentis plumbi in os plecti edicit, ſivè invitam rapuerit, ſivè volentem abduxerit. Eademque pœna participes & miniſtri ſceleris damnantur. Etſi voluntatis aſſenſio detegitur in virgine, eadem qua raptor ſeveritate plectatur, cum neque his impunitas præſtanda ſit, quæ rapiuntur invitæ; cum & domi ſe uſque ad conjunctionis diem ſervare potuerint, etſi fores raptoris frangerentur audaciâ, vicinorum opem clamoribus quærere ſeque omnibus tueri conantibus. Sed leviorem tamen earum pœnam eſſe voluit Conſtantinus, ſolam ſcilicet hæreditatis paternæ privationem.

D. Thom. in ſent. ubi ſupra. Solut. ad 6.

Cap. Lex illa, Decret. 36. q. 1.

D.Thom. ar.7. ad 3.

Lib.9. Cod. Theodoſ. tit. 24. cap. Si quis.

Pa-

Parentes denique niſi contra raptorem actores ſe præberent, in exilium deportari ſanxit. Juſtinianus Imperator raptores capite plectendos decernit: Bonaque omnia tàm mobilia quàm immobilia raptorum, eorumque conſciorum & adjutorum, ad dominium mulierum honeſtarum ingenuarum, quę raptum paſſæ fuerint, transferri: pœnæ autem capitali addicit tàm raptores, quàm eorum comites, & qui conſiliarii & miniſtri hujuſmodi criminis, adjutores, ſuſceptores, & fautores convicti fuerint, cujuſcunque ſexûs & conditionis, vel dignitatis fuerint: ſive volentibus ſive nolentibus virginibus, vel aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum. Parentes autem, quorum maximè vindicta intereſt, ſi patientiam præbuerint, vel filiarum matrimonio cum raptoribus legibus vetito conſenſerint, damnat exilio. Id confirmat novella conſtitutione 143. De muliere raptum paſſa, declaratque beneficium lege indultum mulieribus raptis, ut in earum dominium ac poſſeſsionem bona raptorum transferantur, ad eas non pertinere, quæ raptoribus conſenſerunt, & eorum connubium contra legis tenorem elegerunt.

Juſtinianus Imperator, l. raptores lib.9. cod. tit.13.

Conſt. 143. de muliere raptũ paſſa.

73 In jure etiam Canonico contrà raptores graviſsimæ pœnæ determinantur, quæ eò graviores eſſe debent, quò raptus ad fœdiorem libidinem explendam fiat prout ſupra indicavimus: hinc raptores maſculorum capitali pœnâ plectendos eſſe, plures docent cum Farinac. ſimiliter & raptores Monialium. Sed de his & ſimilibus difficultatibus circa eas pœnas incurrendas, videri poſſunt Theologi Moralia tractantes, nobis autem in deteſtationem præjacti criminis, ſive ad libidinem explendam, ſive ad matrimonium, ſatis erit indicare, quòd Concilium Chalcedonenſe contra raptores, eorumque conſcios & adjutores ita decernit: *Qui rapiunt mulieres prætextu conjugii, & adjutores ac conſentientes, ſi Clerici ſunt, cadant à gradu ſuo; ſi laici anathematizentur.* Et Symachus Romanus Pontifex: *Raptores* (inquit) *viduarum vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur, illos vehementiùs perſequendo, qui ſacras virgines, vel volentes vel invitas matrimonio ſuo ſociare tentaverint. Quos pro tam nefandiſsimi criminis attrocitate à Communione ſuſpendi præcipimus.*

Concil. Chalcedonenſ. can. 27.

Symachus Pap. epiſt. ad Cæſarium Epiſcop. Arelat. in can. Raptores, *cauſa 36. q. 2.*

ARTICULUS IV.

Adulterii fędam injuſtitiam multis pandens.

74 GRADIMUR ad improbandum adulteriũ quod ſicut ipſum nomen ſonat, eſt: *Acceſſus ad alienum thorum* inquit Divus Thomas, unde & ęthymologia traditur, & natura hujus deteſtandi vitii exprimitur. Quapropter ita etiam explicant Theologi cum Magiſtro & Canoniſtæ frequenter. Adulterium tripliciter committi valet: Quando nimirum uxoratus accedit ad conjugatam; uxoratus ad ſolutam; vel ſolutus ad conjugatam. Quia ut dicitur in jure Canonico: *Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat.* Et inſuper: *Nemo putet. Viro licere, quod mulieri non licet, eadem à viro, quæ ab uxore debetur caſtimonia.* Verumtamen gravius crimen erit adulterium conjugati cum aliena uxore, quàm cum muliere ſoluta: quia geminatam injuriam irrogat; nempè propiæ conjugi, & marito alterius: Quapropter duo peccata adulterii committit, in confeſſione aperienda: ſicut ſi quis uno ictu duos homines occiderit. Diximus cum conjugata: quia carnaliter cognoſcens mulierem alteri conjugatam vinculo matrimonii, etſi non conſummati, adulterium committit: quia re ipſa violat alienum thorum. Non ita tamen qui accedit carnaliter ad deſponſatam per verba de futuro: quia re ipſa non accedit ad alienum thorum. Unde acceſus ille ſolum reductivè dicitur pertinere & reduci ad adulterium propter jus quoddam ſponſi in corpus ſibi deſponſatæ de futuro; ſed adhuc non eſt jus ſtrictum, & ad corpus.

Adulterium tripliciter cõmittitur.

Cap. Chriſtiana 32. *quæſt.* 5. *cap.* 9. 32. *q.* 4.

75 Adulterium igitur determinatam eſſe luxuriæ ſpeciem, peculiarem malitiam, & deformitatem habens ex S.Leone Papa oſtendit imprimis Doc. Angelicus: „ *Adulterium* „ *committitur* (inquit Summus Pontifex) „ *cum propriæ libidinis inſtinctu, vel alieno conſenſu cum altero vel altera contra* „ *pactum conjugale concubitur.* Sed hoc „ importat ſpecialem deformitatem luxuriæ: Ergo adulterium eſt determinata ſpecies luxuriæ. Ejus deinde ſpecialem deformitatem ratione hac theologicâ ex verbis Eccleſiaſtici patentem facit: „ In adulterio dupliciter contra caſtitatem, „ & humanæ generationis bonum aliquis „ delinquit; primò quidem in quantum „ accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriè educandæ. Alio mo-

2.2.q.154. art. 8. in ſed contr.

Eccleſiaſt. 29.

do

,, do quia accedit ad mulierem alteri per ,, matrimonium copulatam, & ſic impedit ,, bonum prolis alienæ. Eadem ratio eſt de

Adulterii ſpecialis deformitas omnigeno ſtatuitur argumento.

,, muliere conjugata, quæ per adulterium ,, corrumpitur. Unde dicitur Eccleſiaſt. 23. ,, Omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit. ,, Primò enim in lege altiſsimi incredibilis ,, fuit, in qua ſcilicet præcipitur: *Non mœchaberis*. Et ſecundò in ,, virum ſuum deliquit, in quo facit contra ,, certitudinem prolis ejus. Tertiò in ,, adulterio fornicata eſt, & ex alio viro ,, filios ſtatuit ſibi, quod eſt contra bonum ,, propriæ prolis. Sed primum eſt contra ,, commune in omnibus peccatis mortalibus: ,, alia verò duo ſpecialiter pertinent ,, ad deformitatem adulterii. Unde manifeſtum ,, eſt, quòd adulterium eſt determinata ,, ſpecies luxuriæ, utpote ſpecialem deformitatem ,, habens circa actûs venereos.

76 Et quidem ſi fornicatio etiam ſimplex lethale peccatum eſt propter irrogatam injuriam Spiritui Sancto, cujus templum violatur, prout docuit nos Apoſtolus articulo ſecundo adductus; quomodo non major deformitas erit, major iniquitas in adulterii ſcelere, quo injuſtitia in proximum nedum ſed etiam in civilem ſocietatem perpetratur? Quid ergo mirum graviorem etiam turpitudinis infamiſque notam hominibus innurat? Nam ut ait Sapiens:

Proverb. 6. à v. 32.

Qui adulter eſt, propter cordis inopiam, perdet animam ſuam: Turpitudinem & ignominiam, congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur. Inſuper, &

Eccleſiaſt. 23. à v. 25. v. 30. & 31.

Eccleſiaſticus de homine, qui tranſgreditur lectum ſuum, affirmat: *Hic in plateis Civitatis vindicabitur, & quaſi pullus equinus fugabitur: & ubi non ſperabit apprehendetur.*

à v. 34.

Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini. Subjungit deinde triplex caput unde malitia adulterii deſumitur prout ſupra ponderavit D. Thomas, & tandem de muliere adultera concludit: *Hæc in Eccleſiam adducetur, & in filios ejus reſpicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.*

77 Quid ergo mirum ſi patientiſsimus Job acri ſermone contra tàm immane ſcelus

Job 31. à v. 9.

decertaſſet? Poſtquam enim ab hoc crimine ſe immunem dicit, contra ipſum vehementiſsimè declamat. *Si deceptum eſt* (inquit) *cor meum ſuper muliere, etſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum: ſcortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii. Hoc enim neſas eſt, & iniquitas maxima. Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Hujus egregii teſtimonii, egregius interpres Thomas ſenſum ita aperit per partes:

D. Thom. ibid.

,, *Si deceptum eſt cor meum ſuper* ,, *muliere*; ſcilicet aliena concupiſcenda. Ex ,, quo autem cor à concupiſcentia mulieris ,, vincitur, conſequens eſt, ut mulierem ,, concupitam quibuſcunque dolis habere ,, conetur. Unde ſubdit; *& ſi ad oſtium* ,, *vicini mei inſidiatus ſum*; ut ſcilicet ejus ,, uxore abuterer. Juſtè autem punire videtur, ,, qui alienam uxorem adulterio ,, polluit; quod etiam ejus uxor ab aliis ,, polluatur. Unde ſubdit; *ſcortum alterius* ,, *ſit uxor mea*. Ut ſcilicet aliis ſe venalem ,, exhibeat. Ex quo ſequitur, quòd ,, alii eâ abutantur. Unde ſubdit; *& ſuper* ,, *illam incurventur alii*; ſcilicet adulterium ,, committendo: Quare autem hoc ,, peccatum vitaverit, oſtendit ſubdens; ,, *hoc enim neſas eſt*: quia ſcilicet eſt contra ,, ſtatutum Dei, qui virum & mulierem ,, in matrimonio conjunxit: & ſi conſideretur ,, humana juſtitia; eſt iniquitas ,, maxima: quia ſcilicet, quantò eſt majus ,, bonum quod ſurripitur, tantò eſt injuſtitia ,, major: ſi quis enim furaretur ,, bovem, major eſt iniquitas, quàm ſi furaretur ,, ovem. Unde & majori pœna punitur, ,, ut habetur Exodi 22. Ille autem, ,, qui adulterium committit, maximè quid ,, ei ſubtrahit; ſcilicet uxorem, quæ eſt ,, una caro cum ipſa: & prolem certam, ,, & per conſequens totam patrimonii ſucceſsionem, ,, quæ propter adulterium, quandoque ,, ad extraneum pervenit. Unde ſubdit; ,, ignis eſt, ſcilicet adulterium, uſque ,, ad conſummationem devorans: quia ,, ſcilicet defraudat hominem in toto patrimonio, ,, ut dictum eſt: Et omnia eradicans ,, genimina, dum ſcilicet filiorum ,, ſucceſsionem facit incertam, unde dicitur ,, Eccleſiaſt. 23. Mulier omnis relinquens ,, virum ſuum peccabit, ſtatuens hæreditatem ,, ex alieno matrimonio.

78 Videas hinc adulterium ſuâ gravitate furtum ipſum ſuperare: quia ut benè indicat Div. Thomas adulter majorem marito adulteræ injuſtitiam infert, quàm fur:

1. 2. q. 73. art. 5. ad 1.

iſte enim bona aufert temporalia, quæ comparatione illius boni tanquam nihilum ab hominibus reputantur. Qua propter Sapiens in Proverbiis ad verba ſupra adducta, præmittit: *Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cum tetigerit eam.*

Prover. 6. v. 29

Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit, furatur enim ut eſurientem impleat animam. Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet. Qua propter adulterium inter peccata contra proximum commiſſa, excepto homicidio, graviſsimum eſt.

Adulterium gravitate furtum ſuperans, lege divina, Eccleſiaſtica & Civili punitur graviſsimè.

Imò aliquando majorem malitiam homicidio continet, non attendendo ad propiam luxuriæ ſpeciem, ſed quia ſecum alia crimina defert; cum ex illo homicidia, perjuria, falſa teſtimonia, rixæ, contentiones, & alia innumera peccata oriantur, ut probat textus in cap. *Quid in omnibus* 32. quæſt. 7. Et ideò ibi dicitur: *Quid in omnibus peccatis adulterio eſt gravius? Namque in pœnis ſecundum obtinet locum; quoniam primum illi habent, qui aberrant à Deo,*

Deo, etſi ſobriè vixerint.

79 Adulterii etiam enormem deformitatem, Deus ipſe teſtatam voluit graviſſimorum comminatione ſuppliciorum. Nam in Levitico pœna capitis contra adulteros ſancita eſt:

Levit. 20. v. 10

Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur, & mœchus, & adultera. Eadem

Deuter. 22. v. 22.

pœna decernitur in Deuteronomio: *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, ideſt adulter & adultera: & auferes malum de Iſrael.* Quod & comprobatum

Daniel. 13. v. 41.

habetur apud Danielem. Inſuper & apud Joannem, ubi de muliere deprehenſa in adulterio à Scribis & Phariſæis dictum

Joann. 8. v. 5.

refertur: *In lege autem, Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare.* Quinimò ad mulieris adulterium, & cognoſcendum, indeque plectendum voluit ſe Deus populo Judaico obſtringi ad miraculum patrandum, ut patet in lege & ſacrificio zelotypiæ, cujus ritum legimus in libro Numerorum.

Numer. 5. v. 13

Tandem contra hujus ſceleris patratores ultionem ſuam comminatus fuit Deus per

Jerem. 5. v. 7.

Jeremiam: *Mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emiſſarii facti ſunt: Unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? & in gente tali non ulciſcetur anima mea.* Ut indè appareat perverſiſsimus Almariſii error, quo effutiit Deum ut bonum non punire adulteria, ſtupra, & hujuſmodi apud Direct. Inquiſit. p. 2. q. 7.

80 Divinas leges æmulati fuerunt Jus Canonicum & Civile graviſsimas pœnas contra adulterium ſtatuentes. Undè plures olim Africanæ Eccleſiæ Epiſcopi abſolutionem ſacramentalem adulteris etiam in morte negarunt, non deſperatione veniæ, ſed rigore diſciplinæ, ut refert Sanctus Cyprianus:

S. Cyprianus Epiſt. 52.

Et quidem (inquit) *apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſthic in Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt: Non tamen à Coepiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt.* Adulterium cum homicidio, & idololatria, publicæ pœnitentiæ legibus ſubditum fuit, quamdiù ſanctiſsima illa diſciplina in Eccleſia viguit. Adulteros, poſtquam Euchariſtiæ Viatico in mortis diſcrimine donati fuerant, ſi in priſtinam ſanitatem reſtituti, rursùs mœcharentur, in perpetuum à Communione arcendos ſanxit Hiſpanienſis Eccleſia in Concilio Illiberitano:

Concilium Illiberitanum Canon. 47.

Si quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpè fuerit mœchatus, in fine mortis eſt conveniendus: Quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei Communio. Si reſucitatus, rursùs fuerit mœchatus, non edat ulteriùs de Communione pacis. Quantum autem attinet ad Jus Civile: Par in homicidium, adulterium, & maleficiùm à Conſtantino, ejuſque filiis pœna decreta eſt, L. 1. *De pœnis, Cod. Theodoſ.*

Leges Civiles contra adulteros.

lib. 1. *De indulgentia criminum*, & lib. 4. *Quorum appellationes non recipiuntur.* Quin etiam parricidarum pœnæ hac poſtremâ lege adulteris communes factæ: *Cum pari ſimilique ratione ſacrilegos nuptiarum, tanquam manifeſtò parricidas, inſuere culeo vivos, vel exurere judicantem oporteat.* Sacrilegos nuptiarum vocat, quaſi ſacri ſanctiſsimique fœderis nuptiarum, quod Sacramentum eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, violatores.

81 Sed quidquid ſit de rigore illo; extant nunc ex Jure Canonico, & Civili pœnæ hìc indicandæ ſolum, & quæ videri poſſunt apud Auctores. Primò enim Jure Canonico, adulteri in pœnam tanti delicti excommunicantur: ex cap. Intelleximus de adulterio. Secundò ex cap. Gaudemus de

Aliæ pœnæ in Jure Canonico, & Civili: & apud ipſos gentiles.

converſione conjugatorum: adultera in monaſterium ad agendam perpetuam pœnitentiam detruditur. Tertiò Clericus adulterium commitens deponitur, & in monaſterium detruditur, ut probatur ex textu in cap. Si quis Clericus. Et ut alias omittamus pœnas ex Jure Civili, mirum dictu eſt quantum ab omnibus etiam barbaris gentibus adulterium puniatur. Nam (ut ex probatis referunt PP. Salmanticenſes) apud Ægyptios mulier adultera naſo mutilabatur: Germani adulteram nudam, abſciſsis crinibus, domo expellebant publicè per plateas, & vicos verberantes. Romani adulteros caſtrabant: Et alii teſticulis, quibus peccaverant, ſuſpendebantur. Seleucus Locrenſium Legiſlator legem tulit, ut adulteris uterque oculus erueretur: & cùm ejus filius fuiſſet in adulterio deprehenſus, & tota Civitas in honorem Patris neceſsitatem pœnæ remitteret, aliquandiù id repugnavit; ſed demùm populi precibus victus, ſibi priùs, deinde filio alterum oculum erui fecit, debitum legis ſupplicium admirabili æquitate, & juſtitiâ adimplens, ſimul & paternæ pietati, & Legiſlatoris integritati ſatisfaciens. Arabes, Longobardi, Lydi pœnâ capitali adulteros puniebant.

82 Appareat inde legem naturæ gentes ipſas docuiſſe, quàm grave crimen adulterium ſit, quod & documentis ſacris comprobatum habemus: cùm enim Iſaac, orta fame Geraram in Paleſtina profectus eſſet, ac Rebeccam uxorem ſororem ſuam eſſe dixiſſet; Rex Abimelech rei veritate perſpecta Patriarcham his verbis increpuit:

Gen. 26. v. 9.

Perſpicuum eſt quod uxor tua ſit: cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? :: *Quare impoſuiſti nobis? Potuit coire quiſpiam de populo cum uxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum. Præcepitque omni populo dicens: Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Et quidem adeò natura refugit adulterium, ut illud averſentur etiam irrationalia, etenim ut ait

Natura etiam in brutis adulterium refugit.

Plinius lib. 8. cap. 16. ſi leo ſentit cum pardo coiiſſe leænam, illam occidit: Et

ideò

ideò leęna fętorem in flumine abluit, ne in adulterio deprehendatur. Similiter videmus in elephantibus, ciconiis, columbis, turturibus, lincibus, cornicibus, & aliis animalibus quæ ſuas habent conjuges, quod ad alias non accedunt, ipſis viventibus: ergo quia tanta eſt adulterii malitia, ut ab ipſo naturæ jure ſit prohibita.

D.Thom.3.contra Gent. cap. 124.

83 Ad extremum, poſt temporales pœnas ęterna damnatio adulteris imminens, eorum pravitatem oſtendit: Adulteria enim, quæ de corde exeunt, hominem coinquinant; indeque exul fit ab illa Civitate Dei, ad quam nihil coinquinatum admittitur. *De corde enim* (inquit Chriſtus Dom.) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria :: Hęc ſunt quæ coinquinant hominem.* Id eſt: immundum & impurum reddunt, exponit S. Remigius. Et quomodo à regno Dei, non ſe excludendos agnoſcant iniqui, dicente Paulo contra eos, qui impunitatem prætendebant in peccatis: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?* Inter iniquos autem recenſet ſtatim *adulteros*, addens hoc vitium in genere luxurię, ſicut & peccatum contra naturam ad vitia enumerata cap. præcedenti. Hæc cùm ita ſint; Paulum pro ſui correctione, adulteri audiant monentem: *Honorabile connubium in omnibus* (ſit) *& thorus immaculatus.* „ Ponit enim hìc Apoſtolus (exponit Div. „ Thomas) monitionem contra concupiſ- „ centias carnalium delectationum :: Circa „ quod ſciendum eſt, quòd circa venerea „ contingit dupliciter peccatum: Uno mo- „ do per illicitam conjunctionem ſoluti cum „ ſoluta. Et quantum ad hoc dicit: *Hono-* „ *rabile connubium* (ſupple) ſit in omnibus, „ qui continere nolunt, non conjunctio for- „ nicaria: Et dicitur *honorabile*, quando „ ſit ſecundùm debitas circunſtantias ma- „ trimonii. Ex quo patet quòd actus ma- „ trimonialis poteſt eſſe ſine peccato, quod „ eſt contra hæreticos. Simonianos nimirum, Gnoſticos, Saturnianos, Tatianiſtas, Encreatitas, Adamianos, Euſtathianos, Priſillianiſtas Apoſtolicos dictos, ſeu potiùs Apoſtaticos, Albigenſes, prout ex SS. PP. referet Magiſter Nicolai in marginalibus ad locum Pauli.

Matth. 15. v. 19.

S.Remigius ap. D.Thom.in Catena aurea.

1. Corinth. 6. v.9.

D. Thom. ibid.

Hebræor.13.v. 4.

D.Thom. ibid. lect.1.

84 Si autem cum Theologis in dubium vertas, quodnam adulterium gravius cenſendum ſit, viri, an mulieris? Facile eſt reſpondere cum ſæpè laudatis PP.Salmanticenſibus: Quòd ſi adulterium conſideretur in quantum eſt contra bonum fidei & contra matrimonii Sacramentum, æquale in utroque eſt. Et ratio patet: quia ex vi contractûs matrimonialis uterque æqualiter adſtringitur ad ſervandam fidem, & non inferendam injuriam matrimonii Sacramento: ergo quoad hæc æqualis in utroque reperitur culpa. Si verò conſideretur quoad damna, quæ ex adulterio oriri ſolent, gravius eſt adulterium uxoris, quàm viri. Primò quia adulterium uxoris facit prolem de ſuo patre incertam, & ſic poteſt facere injuriam legitimo filio, adducendo extraneum in hæreditatis partitionem; ſecùs adulterium viri. Secundò: quia major infamia tàm ſibi quàm marito, & filiis inde oritur, quàm ſi vir adulteraret. Tertiò: quia magis repugnat rationi, quòd una mulier duobus viris conjungatur, quàm quòd unus vir, duabus fœminis. Quartò: quia majora damna ſolent emanare ex adulterio fœminæ, quàm viri cum ſoluta, cùm ex illo communiter oriatur mors utriuſque adulterantis, inimicitiæ, ſeditiones & alia innumera mala inter maritum, uxorem & adulterum: ergo attentis circunſtantiis gravius eſt adulterium uxoris, quàm mariti, quando cum muliere ſoluta committitur.

Adulteriũ ex fine & bono matrimonii ęqualis eſt deformitatis in viro & fœmina. Ex aliis vero capitibus mutuò ſe excedere, ſignificatur.

85 Verumtamen quidquid ſit de adductis inconvenientibus & damnis, non poſſumus non audire Auguſtinum, adulterium viri ex aliis capitibus gravius indicantem. Hæc ſunt ejus verba: * Non ſolum nihil volunt * detrahere ſeveritati; ſed iraſcuntur inſu- * per veritati, & loquuntur atque reſpon- * dent: ſed nos viri ſumus: An vero ſexus * noſtri dignitas hanc ſuſtinebit injuriam, * ut cum aliis fœminis pręter uxores no- * ſtras ſi aliquid admittimus, in luendis * pœnis mulieribus comparemur? Quaſi non * propterea magis debeant illicitas concu- * piſcentias viriliter fręnare, quia viri ſunt: * quaſi non propterea magis debeant mulie- * ribus ſuis ad virtutis hujus exemplum * ſe prębere, quia viri ſunt: quaſi non * propterea minùs debeant à libidine ſupe- * rari, quia viri ſunt: quaſi non propterea * minùs debeant laſcivienti carni ſervire, * quia viri ſunt. Et tamen indignantur, ſi * audiant adulteros viros pendere ſimiles * adulteris fœminis pœnas; cùm tantò gra- * vius eos puniri opportuerit, quantò ma- * gis ad eos pertinet, & virtute vincere, & * exemplo regere fœminas. Chriſtianis equi- * dem loquor, qui fideliter audiunt, *caput* * *mulieris vir*: Ubi ſe agnoſcunt duces, illas * autem comites eſſe debere: & ideò caven- * dum virum illàc vivendo, quâ timet ne * uxor ſequatur imitando. Sed iſti quibus * diſplicet, ut inter virum & uxorem par * pudicitiæ forma ſervetur, & potiùs eli- * gunt, maximèque in hac cauſa, mundi le- * gibus ſubditi eſſe quàm Chriſti, quoniam * jura forenſia non eiſdem quibus fœminas * pudicitiæ nexibus viros videntur obſtrin- * gere; legant, quid Imperator Antoninus, * non utique Chriſtianus, de hac re conſti- * tuerit, ubi maritus uxorem de adulterii * crimine accuſare non ſinitur, cui moribus * ſuis non præbuit caſtitatis exemplum, ita * ut ambo damnentur, ſi ambos pariter * impudicos conflictus ipſe convicerit. Tùm * relato Imperatoris edicto, ſubdit: Si hæc * obſervanda ſunt propter decus terrenę Ci- * vitatis, quantò caſtiores quærit cæleſtis pa- * tria & ſocietas Angelorum? Quę cùm ita * ſint nunquid ideò minor eſt, ac non po- * tiùs major, & pejor virorum impudicitia, * quia ineſt illis ſuperba, & licentioſa jactan- * tia?

S.Auguſtin. lib. 2.de adult.conjug.cap.8.

Ali-

86 Alibi etiam invehitur Auguſtinus contra inanem virorum excuſationem, qua intra legitimi matrimonii limites dicunt ſe ſiſtere non poſſe. * Fœdum eſt, ut * vir dicat: non poſſe fieri quod facit fœ- * mina, ſcelus eſt, ut vir dicat, non poſ- * ſum. Quod poteſt fœmina, vir non poteſt? * Quid enim illa carnem non portat? Prior * à ſerpente decepta eſt. Caſtæ uxores ve- * ſtræ oſtendunt vobis, fieri poſſe quod * non vultis facere, & dicitis fieri non * poſſe. Sed fortè dices, ideò illam faci- * liùs facere poſſe, quia multa illi cuſto- * dia eſt, legis præceptum, diligentia ma- * ritalis, terror etiam legum publicarum; * eſt etiam verecundiæ, & pudoris illius * magnum monimentum. Multæ cuſtodiæ * faciunt fœminam caſtiorem, virum ca- * ſtum faciat ipſa virilitas. Nam ideò mu- * lieri major cuſtodia, quia major infir- * mitas. Illa erubeſcit viro, tu non eru- * beſceris Chriſto? Tu liberior, quia for- * tior: quia facilè vincis, ideò tibi com- * miſſus es. Super illam, & diligentia viri, * & terror legum, & conſuetudo morum, * & verecundia major: & Deus ſuper te, * tantùm Deus. Invenis enim facilè pares * viros quibus non timeas erubeſcere, quia * faciunt illud multi. Et tanta eſt perver- * ſitas generis humani, ut aliquando me- * tuendum ſit ne caſtus erubeſcat inter im- * pudicos :: Si quis inter vos faciat ho- * micidium, quod avertat Deus, pellere * illum vultis de Patria & continuò, ſi fie- * ri poteſt, excludere. Si quis faciat fur- * tum, odiſtis illum, nec videre vultis. * Si quis dicat falſum teſtimonium abomi- * namini, nec vobis homo videtur. Si quis * concupiſcat alienas res, raptor, & in- * juſtus deputatur. Si quis volutatur cum * ancillis ſuis, amatur, blandè accipitur; * convertuntur vulnera in joca. Si quis au- * tem exiſtat, qui dicat ſe caſtum, non * facere adulterium, notum autem ſit quod * non faciat; erubeſcit accedere ad illos * non ſui ſimiles, ne inſultent, ne irrideant, * ne dicant non eſſe virum. Ad hoc de- * lapſa eſt humana perverſitas, ut vir ha- * beatur victus à libidine, & vir non ha- * beatur victor libidinis. Triumphantes * exultant, & non ſunt viri: Jacent pro- * ſtrati, & viri ſunt? Si ſpectares, ille tibi * videretur fortior, qui jaceret ſub beſtia, * quàm qui perimeret beſtiam?

Serm. 9. de decem chord.

OBJECTA DISSOLUTA.

87 Contra ſtabilitam aſſertionem nulla ſunt: Solumque proinde indicare placet argumenta aliqua, quæ ſibi opponit Div. Thomas ád probandum; adulterium non eſſe determinatam ſpeciem luxuriæ. Primò quia ubi eadem ratio difformitatis eſt, ibi non videtur eſſe alia ſpecies peccati; ſed in ſtupro & adulterio videtur eſſe eadem ratio difformitatis: quatenùs utrobique violatur mulier alienæ poteſtati ſubjecta: ergo adulterium non eſt determinata ſpecies luxuriæ ab aliis diſtincta. Deinde quia adulterium eò dicitur, quod aliquis ad aliam accedat pręter ſuam, ut habet Gloſſa ex Auguſtino deſumpta quæſt. 71. in Exodum; ſed alia mulier præter ſuam poteſt eſſe diverſarum conditionum, ſcilicet, vel virgo, vel in poteſtate Patris exiſtens, vel meretrix, vel cujuſcunque alterius conditionis: ergo videtur, quod adulterium non ſit ſpecies luxuriæ ab aliis diſtincta. Hæc tamen objecta parum urgent: Primum enim diſſolvitur negata propoſitione minori; quin obſtet ſubjuncta probatio, quandoquidem mulier alienæ poteſtati diverſimodè ſubjecta eſſe poteſt; unde diverſam ejus violatio deformitatem inducit. „ Ad tertium dicen- „ dum (inquit Divus Thomas) quòd uxor „ eſt in poteſtate viri, ſicut ei matrimo- „ nio copulata: Puella autem ſub pote- „ ſtate Patris, ſicut per eum matrimonio „ copulanda. Et ideò alio modo contra „ bonum matrimonii eſt peccatum adulte- „ rii, alio modo peccatum ſtupri: Et prop- „ ter hoc ponuntur diverſę luxuriæ ſpecies. De aliis autem ad adulterium pertinentibus agit Divus Thomas in quarto Sententiarum. Secundum autem argumentum ſolum evincit, quòd adulterio ſupervenire poſſunt aliæ circunſtantiæ, quarum ratione aliæ ſpecies luxurię in actu illo carnali inveniantur, quod utique verum eſt.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8. ad 3.

ARTICULUS V.

Promiſcuum communemque mulierum uſum omni jure deteſtandum, multis notoriè firmans.

88 MULI & equi inſtar, quibus non eſt intellectus, luxurioſos homines indicat Scriptura Sacra. Verumtamen brutalis naturæ fines tranſgrediuntur, hęretici illi pluſquam brutales, qui promiſcuum, & communem mulierum uſum inverecundè licitum tradiderunt. Hujus generis poſt Simonem Magum, Nicolaitarum & Gnoſticorum plures docuerunt, quorum ea fuit blaſfemia: *Ut quilibet, quaubet ſine peccato uti poſſit.* Similia memoravimus de Picardo connubia permixta, urente carnis libidine, licita blaterante. Eandem inſaniam tenuere non ſolum Chriſtophorus Scaplerus, ſed etiam Anabaptiſtæ effutientes: teneri mulierem coire cum quolibet viro eam petente. Videas in his Nebulonibus exulem rationem, adeò ut pluſquam beſtias appellare eos poſſimus, juxta memorabile illud Melliflui Bernardi pronunciatum: *Beſtiis beſtialior eſt homo ratione vigens, & ratione non utens.* Et

Beſtiis pejores videntur hæretici promiſcuum uſum docentes.

quo-

quomodo beſtiis beſtialiores non erunt, qui ſpurciſsimam illam mulierum communitatem & promiſcuum uſum approbant; quem irrationalia ipſa, Columbæ nimirum, Turtures, aliæque aves refugiunt ut indicavimus? Quid ergo mirum apud ipſos Gentiles, nullam legem aut conſuetudinem permiſiſſe unam mulierem plures habuiſſe viros, ut refert Divus Thomas; ſubjungens: ,, Fuit etiam hoc inconveniens reputatum apud antiquos Romanos, de ,, quibus refert Valerius Maximus, quod ,, credebant, nec propter ſterilitatem, fidem conjugalem debere diſſolvi. Scio quidem in eodem capite Divum Thomam ita concludere: Per hoc autem excluditur:: Opinio Platonis qui poſuit uxores debere eſſe communes: Quem in nova lege ſequutus eſt Nicolaus unus ex ſeptem Diaconibus. Nam quidquid ſit de Nicolao iſto, de quo plura diximus in primo apparatu. Quantum ad Platonem attinet, benè adnotat Ferrarienſis in commentario illius capitis: Quod opinio Platonis, quæ hîc refertur, accipitur non ſecundùm veritatem, ſed ſecundùm quod Ariſtoteles Platoni in ſecundo politicorum imponit. Ut enim inquit Sanctus Thomas in quarto de regimine principum, cum Socrates & Plato fuerint ſuper omnes Philoſophos, virtutibus dediti, non videtur credibile eos talem communitatem inſtituiſſe, qualem illis Ariſtoteles imponit, ut ſcilicèt mulieres quantum ad concubitum omnibus communes eſſent, quia hoc eſt magis beſtiale, quàm humanum: ſed ipſi voluerunt uxores eſſe omnibus communes quantum ad affectum amoris, & mutuam dilectionem, non autem quantum ad concubitum. Nec eſt etiam, quod aliquis Jure Civili pluralitatem ſaltem uxorum licitam eſſe dicat, propter legem Valentiniani Imperatoris; eam enim condidit, ut ita *Juſtinam* vivente adhuc *Severa* conjuge, ſuperducere poſſet; quæ proinde lex communi omnium conſenſu reprobata eſt. Inde Auguſtinus: *Poſſet enim homo dimittere ſterilem uxorem, & ducere de qua filios habeat: & tamen non licet; & noſtris quidem jam temporibus ac more Romano, nec ſuperducere, ut amplius habeat, quàm unam vivam.* Igitur:

D.Thom. lib.3. contr.gent. cap. 124.
Valerius Maximus lib. 2. de memorabilibus dictis cap.1.
Immeritò Platonicis communitas uxorum tribuitur.
S. Auguſt. lib. de bono conjug. cap. 7.

89 Aſſerendum eſt, communem & promiſcuum mulierum uſum Deo loquente, & naturà clamante inter errorum monſtra collocandum eſſe. Hæc aſſertio omnigeni juris auctoritate firmanda eſt, & imprimis quantum ad Deum præcipientem attinet, ita oſtenditur: promiſcuus & communis uxorum uſus è regione averſatur determinatæ conjunctioni unius cum una; ſed hujuſmodi individuam conjunctionem Deus per ſe ipſum homini præcepit ad bonum commune univerſi, naturęque humanæ multiplicationem & conſervationem; deinde in filio ſuo loquens præceptũ illud iteravit novoque robore communivit, quatenus antiquam diſpenſationem removit, & matrimonium ad priſtinum ſtatum reddidit. Igitur à Deo prohibitus certò eſt promiſcuus ille & brutalis uxorum uſus. Propoſitionem aſſumptam habemus apud Matthæum, ubi Chriſtus Dominus ſic ad Scribas & Phariſęos loquens refertur: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una*: Ac deinde ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Ex quibus verbis conſtat matrimonium ita à Deo inſtitutum eſſe, ut duorum tantum, non plurium conjunctione definiretur. Non enim ait: *Maſculum, & fœminas, nec adhærebit uxoribus ſuis, ſed uxori*: Nec tres, vel plures erunt in carne una, *ſed duo in carne una*: Igitur unam uni perpetuo conjungendam edixit: Quod ex his Domini verbis colligunt S. Joannes Chryſoſtomus, S. Hieronymus, Ven. Beda, Theophylactus, Euthymius, Innocentius III. Pontifex Maximus cap. *Gaud.* Extr. de divortiis.

Matth.19.v.4.
Deo loquente corruit promiſcuus uxorum brutalis uſus.

90 Idem probant iſta Salvatoris verba ab Evangeliſta Marco relata: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit mœchatur*: Nam ſi viro liceret plures ſimul habere uxores, nulla omninò cauſa eſſe videretur, cur magis adulterii reus dicendus eſſet, quod præter eam uxorem, quàm domi haberet, aliam duceret, quàm quod priori dimiſſa, cum alia conjungeretur. Ita colligit Innocentius III. loco mox indicato: *Si ergo* (inquit) *uxore dimiſſa duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta: per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque ſexu cum non ad imparia judicentur circa matrimonium reprobandam.* Pares ſunt in re matrimonii vir & mulier, Innocentio III. judice: Cum ergo mulieri non liceat plures habere viros; nec viro licet plures habere uxores. Quæ ratio ex Apoſtolo ſumpta eſt, ſcribente ſic: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ex his etiam verbis corruit aliundè tota brutalium illarum hæreſum machina: nam ſi mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir cui ſe conjugio tradidit, qualiter imaginari poteſt, quod communiter & promiſcuè aliis ſe tradat carnaliter cognoſcendam? Corruit etiam ſuperſtitioſus error libertinorum nollentium: *Uxores reddere debitum maritis non ſuæ ſectæ.* Quia ut Apoſtolus ſubjungit: *Uxori vir debitum reddat: ſimiliter & uxor viro.* Non enim diſtinxit Paulus de hac, vel illa ſecta: ſed generaliter ex ratione conjugii obligationem illam ponit. Imò & viro infideli pacificè cohabitare volenti, & ſine injuria Creatoris debere uxorem reddere debitum ex eodem teſtimonio deducitur indicatque Apoſtolus.

Marc.10.v.11
InnocentiusIII. cap. Gaud. extrav. de divortiis.
1.ad Corinth.7. v.4.
Ex Apoſtolo evertitur brutalitas illa.
1. ad Corinth. 7. v.3.

Præ-

91 Præterea rejiciendum tradit communem & promiſcuum mulierum uſum, etiam urente carnis libidine D. Paulus: ſi enim ad mulieres promiſcuè accedere aliquando licitum foret, maximè dùm graves exurgunt & tentant carnalis concupiſcentiæ motûs: quia ut hæretici contra quos agimus effutiebant: *Libidini ſatisfacere in quolibet actu turpi melius eſt, quàm intùs in corde tentari.* Vel ut ſupra retulimus: *Connubia promiſcua urente carnis libidine eſſe permittenda.* Sed etiam in his circunſtantiis ea brutalia connubia removet Apoſtolus, monens & ſuadens matrimonium cum una determinata muliere: Jam ergo ab ipſo Paulo præfocatus fuit antequam natus, error de promiſcuo mulierum uſu. Propoſitionem minorem quantum ad matrimonium contrahendum verbis illis tradidit, poſtquam virginitatem & caſtam viduitatem commendavit: *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: Quod ſi non ſe continent, nubant: Melius eſt enim nubere, quàm uri.* Id eſt. ,, Qui non ſe continent, nubant, ſeu matrimonio jungantur, ſecundùm illud 1. ad Timotheum 5. ,, *Volo ergo juniores nubere.* Et aſsignat rationem ſubdens: *Melius eſt enim nubere, quam uri.* Id eſt: concupiſcentiâ ,, ſuperari: Concupiſcentia enim eſt calor ,, quidam noxius: qui ergo concupiſcentiâ ,, impugnatur, caleſcit quidem, ſed non ,, uritur, niſi humorem gratiæ perdat à ,, concupiſcentia ſuperatus, ut exponit D. ,, Thomas. Non ergo Apoſtolus ad frænandam concupiſcentiam promiſcuum mulierum uſum permittit; ſed matrimonium determinati viri, cum determinata muliere; unde præmiſerat: *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaqueque virum ſuum habeat.* Unde in Jure Canonico aptè dicitur: *In aliena uxore omnis amor turpis eſt.*

1. Corinth.7. à v.8.
D.Thom. ibid. lect.1.
Verſ.2.
*Cap.*Origo 32. q. 4.

92 Ex Sacra Scriptura gradum facimus ad rationes Theologico-naturales, ut ex ipſa natura clamante corruat brutalis ille promiſcuus uſus, quem etiam ex irrationalibus plura refugiunt; adeò ut ſpurciſsimis prædicti erroris ſequacibus dicere poſsimus: Ite ad columbas pudicitiam docentes: ſicut ad formicam piger in Sacra Scriptura mittitur. Igitur pro eliminando craſsiſsimo illo errore ſic arguit Div. Thomas: ,, Omnis commixtio maris & fœminæ præter ,, legem matrimonii eſt improporcionata debitæ prolis educationi. Eſt enim lex matrimonii inſtituta ad excludendum vagos ,, concubitûs, qui contrariantur certitudini prolis. Si enim quilibet poſſet indifferenter ad quamlibet accedere, quæ non ,, eſſet ſibi determinata, tolleretur certitudo prolis, & per conſequens ſolicitudo ,, patris circa educacionem filiorum, & hoc ,, eſt contra id, quod convenit humanæ ,, naturæ. Quia naturaliter homines ſunt ,, ſoliciti de prolis certudine, & de educatione ſuorum filiorum. Magis etiam hoc ,, pertinet ad patres, quàm ad matres: ,, quia educatio ad matres pertinens eſt ,, circa infantilem ætatem, poſtea autem ,, ad patrem pertinet educare filium, & ,, inſtruere eum, & theſaurizare ei in totam vitam. Sic autem videmus, & in aliis ,, animalibus, quod in quacunque ſpecie ,, animalis, proles nata indiget communi educatione maris & fœminæ, ubi non eſt vagus coitus, ſed maris ad aliquam fœmellam determinatam, ut patet in omnibus avibus ſimul nidifficantibus. Unde ,, manifeſtum eſt quod omnis commixtio ,, maris & fœminæ præter legem matrimonii excludentem vagos concubitûs eſt de ,, ſe inordinata.

Rationes Theologicæ D.Thomæ.
D.Thom. quæſt. 15. de malo ar. 1. in corp. Etiam in 4. diſt. 33. q. 1. art. 1.

93 Eandem rationem ex ſimilitudine animalium deductam clariùs expreſsit Sanct. Doctor in lib. contra gentes inquiens: ,, In ,, omni animalis ſpecie in quo Patri ineſt ,, aliqua ſolicitudo de prole, unus mas non ,, habet niſi unam fœminam: ſicut patet ,, in omnibus avibus, quæ ſimul nutriunt ,, pullos, non enim ſufficeret unus mas ,, auxilium præſtare in educatione prolis ,, pluribus fœminis. In animalibus autem ,, in quibus, maribus nulla eſt ſollicitudo de ,, prole, indifferenter mas habet plures fœminas, & fœmina habet plures mares: ,, ſicut in canibus, gallinis & hujuſmodi. ,, Cum autem maſculo inter omnia animalia ſit magis cura de prole in ſpecie humana: manifeſtum eſt quòd naturale eſt ,, homini, quòd unus mas unam fœminam ,, habeat, & è converſo. Aliam etiam rationem traddit ibidem Sanct. Doct. inquiens: ,, Conſiderandum autem videtur quòd innatum eſt mentibus omnium animalium, ,, quæ coitu utuntur, quod conſortium in ,, compari non compatiuntur: undè propter coitum pugnæ in animalibus exiſtunt: ,, & quidem quantum ad omnia animalia ,, eſt una communis ratio: quia quodlibet ,, deſiderat liberè frui voluptate coitûs, ſicut & voluptate cibi, quæ quidem libertas impeditur per hoc quòd ad unam plures accedant: aut è converſo: ſicut in ,, libertate cibo fruendi impeditur aliquod ,, animal, ſi cibum, quem ipſum ſumere ,, cupit, aliud animal uſurpet: & ideò ſimiliter propter cibum, & propter coitum animalia pugnant. Hæc autem ratio ſubſiſtit ſivè vir plures fœminas; ſive fœmina plures viros cognoſcat: ,, Nam ſicut ,, libertas (ſubjungit Div. Thomas) utendi fœminâ, tollitur à mare, ſi fœmina ,, habeat alium: ita & eadem libertas à ,, fœmina tollitur, ſi mas habeat plures.

Lib. 3. contra Gent. cap.124.
Ex ipſis animalibus brutis, brutalitas illa rejicitur.

94 Militant etiam contra præcitatum errorem, & quidem urgentiùs argumenta, quibus oſtenditur naturam ipſam excludere plures uxores ab eodem viro. (etſi antiquitùs à Deo diſpenſatum fuerit) Argumenta ita per ordinem proponit D. Thomas loco proximè citato. Primò: ,, Amicitia in quadam equalitate conſiſtit. Si

igi-

„ igitur mulieri nón licet habere plures viros, quia hoc eſt contra certitudinem prolis, liceret autem viro habere plures uxores: non eſſet liberalis amicitia uxoris ad virum, ſed quaſi ſervilis, & hæc etiam ratio experimento comprobatur; quia apud viros habentes plures uxores quaſi ancillæ habentur. Secundò: amicitia intenſa non habetur ad multos, ut patet per Philoſophum in 8. Ethicorum: ſi igitur uxor habet unum virum tantum, vir autem plures uxores, non erit æqualis amicitia ex utraque parte: non igitur erit amicitia liberalis, ſed quodammodo ſervilis. Tandem: Matrimonium in hominibus oportet ordinari ſecundùm quod competit ad mores: eſt autem contra bonos mores, quod unus habeat plures uxores: quia ex hoc conſequitur diſcordia in domeſtica familia, ut experimento patet: Non eſt igitur conveniens, quod unus homo habeat plures uxores. Hinc eſt quod dicitur Geneſ. 2. *Erunt duo in carne una.*

Novæ rationes & abſurda ex illo uſu ſequuta.

95 Poſtremo: quia promiſcuus ille uſus libertatem viro daret dimittendi uxorem, & uxori virum relinquendi, & ad alios pro libito accedendi; hæc autem ſeparatio & matrimonialis vinculi diſſolutio, quantum rationi naturali repugnet, pluribus oſtendit Div. Thomas argumentis, ex ipſo lumine naturali depromptis (ut nihil dicamus de illa indiſſolubilitate, quam ſuperaddit matrimonio fidelium conjunctio perpetua Chriſti cum Eccleſia, Sacramento illo ſignificata, juxta illud Apoſtoli: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.*) Ea argumenta indicat in lib. 4. Sententiarum. Sed audiendus eſt in lib. 3. contra gentes ita diſſerens & urgens, tùm ex certitudine prolis, quæ impediretur, ſi vir poſſet mulierem dimittere, vel mulier virum, & alteri copulari. Deinde ex maxima amicitia, firma & diuturna, quam natura exigit inter virum & uxorem, non ſolum propter actum carnalis copulæ, quæ etiam inter beſtias, quandam ſuavem amiciciam facit: ſed etiam per conſortium totius domeſticæ conveſationis. „ Ad bonos etiam mores pertinet individua conjunctio maris & fœminæ: Sic enim fidelior amor unius ad alterum erit, dum cognoſcunt ſe indiviſibiliter conjunctos. Erit etiam utriuſque ſolicitior cura in rebus domeſticis, dum ſe perpetuo commanſuros in earundem rerum poſſeſsione ęſtimant. Subtrahuntur etiam ex hoc diſcordiarum origenes, quas oportet accidere, ſi vir uxorem dimittat, inter eum & propinquos uxoris: Et fit firmior inter affines dilectio. Tolluntur etiam adulteriorum occaſiones, quæ darentur, ſi vir uxorem dimittere poſſet, aut è converſo: per hoc enim daretur via facilior ſolicitandi matrimonia aliena.

In 4. diſt. 33. q. 2. art. 1. in corp. lib. 3. cont. Gent. cap. 123.

amicitia

96 Ulterius audiatur Sanct. Doct. inquiens ibidem: „ Si quis autem rectè conſideret: prędicta ratio non ſolum ad hoc producere videtur, ut ſocietas maris & fœminæ, quam matrimonium appellamus, ſit diuturna, ſed etiam quod ſit per totam vitam. Poſſeſsiones enim ad conſervationem naturalis vitæ ordinantur: & quia naturalis vita, quæ conſervari non poteſt in patre perpetuò; quaſi quadam ſucceſsione ſecundùm ſpeciei ſimilitudinem, conſervatur in filio ſecundum naturam: eſt conveniens ut in his, quæ ſunt Patris, ſuccedat & filius. Naturale eſt igitur, ut ſolicitudo patris ad filium maneat uſque ad finem vitæ ſuæ. Si igitur ſolicitudo patris de filio cauſat etiam in avibus commanentiam maris & fœminæ: ordo naturalis requirit, quòd uſque ad finem vitæ in humana ſpecie pater & mater ſimul commaneant. Videtur etiam æquitati repugnare, ſi prędicta ſocietas diſſolvatur: fœmina enim indiget mare non ſolum propter generationem, ſicut in aliis animalibus: ſed etiam propter gubernationem: quia mas eſt & ratione perfectior, & virtute fortior: Mulier verò ad viri ſocietatem aſſumitur propter neceſsitatem generationis: ceſſante igitur fœcunditate mulieris & decore, impeditur ne ab alio aſſumatur. Si quis igitur mulierem aſſumens tempore juventutis, quo & decor & fœcunditas ei adſunt, eam dimittere poſſet poſtquam ętate provecta fuerit: damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem. Item manifeſtè apparet inconveniens, ſi mulier virum dimittere poſſet: Cum mulier naturaliter viro ſubjecta ſit tanquam gubernatori. Non eſt autem in poteſtate ejus, qui alteri ſubjicitur, ut ab ejus regimine diſcedat. Contra naturalem igitur ordinem eſſet, ſi mulier virum deſerere poſſet: Si ergo vir deſerere poſſet mulierem, non eſſet æqua ſocietas viri ad mulierem, ſed ſervitus quædam ex parte mulieris.

97 In prærejectum irrationabilem errorem nullo alio fundamento ducti fuerunt brutales illi homines niſi ex eorum obcęcatione, & luminis etiam rationis naturalis voluntaria extinctione, ſi enim opponant cum D. Thoma: „ Cognoſcere mulierem, eſt actus naturalis, & ita quantum eſt ex ſe non eſt peccatum, ſicut nec videre ipſam, cum utrumque ſit actus cujuſdam naturalis potentiæ. Sed videre mulierem non ſuam non eſt peccatum: ergo neque cognoſcere non ſuam. Reſpondet Sanct. Doct. ad ſecundum dicendum: „ Quòd nihil prohibet aliquid eſſe meum ad videndum, quod tamen non eſt meum ad aliquem alium uſum, ſicut aurum, quod in platea ponitur eſt meum ad videndum, non autem ad poſsidendum. Similiter etiam mulier poteſt eſſe alicujus ad videndum, non autem ad poſsidendum. Similiter etiam mulier poteſt eſſe alicujus ad videndum, vel etiam ad poſsidendum, „ ſi-

D. Thom. q. 15. de malo, art. 1. ad 2.

Objectio quædam diſſoluta.

„ ſicut ancilla, non tamen ad uſum concubitûs eſt ſua, niſi ſecundùm determinationem legis matrimonii. Ex hucuſque dictis ſponte ruit ipſa ſui obſcęnitate Dulciniſtarum (aliàs Condormientium) fœdiſsimus error, quo delirabant dicentes: In communi debere viros ac fœminas, juvenes ac virgines in uno loco & conclavi vivere, & in eodem cubiculo dormire; ubi extinctis luminaribus ad omnes promiſcuè dicendum: *Creſcite, & multiplicamini.* Corruit inquam, quantum ad promiſcuum mulierum uſum, ut vidimus. Deinde: quia in Aſmodeica illa obſcęnitatum conglutinatione (cum nulla mulierum conditio excludatur) adulteria, inceſtus, ſacrilegia, ſtupra, aliaque luxuriæ monſtra, partim rejecta, partim contra Moliniſtas rejicienda, diabolicè agglomerata cernuntur. Concludamus igitur cum Tertulliano ad Gentiles ita loquente: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores.* Alludit enim ad mutuam illam Chriſtianorum primitivę Eceleſiæ charitatem, communemque bonorum participationem, quam ita recenſet S. Lucas: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: Poſſeſsiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*

Tertullian. in Apologet. cap. 38.

Actor. 2. v. 44.

ARTICULUS VI.

Specialem inceſtûs deformitatem oſtendens.

98 INCESTUS, ſi ad nominis etymologiam attendamus, generali vocabulo idem eſt, ac non caſtus, qualiter extenditur ad quemcunque carnalem illicitum acceſſum. „ Verumtamen, quia abuſus carnalis inter perſonas conjunctas, maximè inducit corruptelam caſtitatis, tùm propter propinquitatem, tùm etiam propter nimium ardorem amoris: Ideò (dicit D. Thomas) antonomaſticè abuſus talium perſonarum vocatur *inceſtus*. Similia traddit in Sententiariis, inquiens: „ *Inceſtus*, qui eſt conſanguinearum, vel affinium abuſus ab incendio nomen habet; vel à privatione caſtitatis quaſi antonomaſticè; quia caſtitatem violat in illis, qui maximo fœdere conjunguntur. Alii autem dicunt, quòd *inceſtus* ſumitur à *ceſtu*, qui erat cinctorium veneris, quo (ut fabulantur Poetę) venus martem alligabat, ne alienos amaret amplexûs; & ſic illo cingulo amor maritalis in legitimis nuptiis conciliabatur. Unde *inceſtus* dictus fuit, quando dabatur illegitimus concubitus; quia deficiebat cingulum illud, & conjunctio amoris maritalis. Sic in jure, docentque Covarrubias, Sotus & alii. Eſt igitur inceſtus ut art. 1. præcedenti indicavimus: *Commixtio venerea porſonarum conſanguinearum, vel affinium intra gradûs prohibitos.* Quos ibidem recenſuimus. Inceſtûs autem malitiam jam oſtendere proponimus.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 2.

In 4. diſt. 41. quæſt. 1. art. 4.

Inceſtus etymologia & acceptio ſpecialis.

In leg. Si adult. ff. ad leg. Juliam. & in leg. ſororis 39. fine, ff. de ritu nuptiar. Covarrub. tom. 1. part. 2. cap. 6. de matrim. impedim. §. 8. num. 1. Magiſter Soto in 4. diſt. 37. quæſt. unic. art. 2. in principio.

99 Aſſerendum eſt: Inceſtum eſſe luxurię ſpeciem, deformitate ſpeciali fœdatam. Aſſertionem iſtam Deus ipſe ſtatuit, acceſſum carnalem prohibens inter conſanguineos, & affines, graviſsimis illis verbis præmiſsis: *Facietis judicia mea, & præcepta mea ſervabitis, & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus veſter. Cuſtodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Ego Dominus:* Quæ verba gravem obligationem inducunt: quia, ſicut ait Abulenſis idem valent, ac ego ſum Dominus, qui mando hoc::: Quia placet mihi, qui ſum Dominus, ut faciatis, hoc, obligamini facere. His præmiſsis ſubjungit Dominus: *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſive ex matre, quæ domi vel foris genita eſt, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua eſt. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non revelabis. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies: quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non revelabis, eò quod caro ſit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuę non revelabis, quia uxor filii tui eſt: nec diſcooperies ignominiam ejus. Tupitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui eſt. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non ſumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt.* Quapropter, quia Ruben cognovit carnaliter uxorem patris ſui, cùm benediceret Jacob filios ſuos, dixit illi: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio; effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Amnon, quia concubuit cum ſorore ſua Thamar, ab Abſalone interfectus eſt. Deinde Sanctus Joannes Baptiſta hoc vitium adeò exhorruit, ut frequenter, & palam hoc crimen in Herode redargueret, dicendo: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Levit. 18. v. 4.

Abulenſ. in cap. 18. Levit. q. 4.

Jure divino prohibitus oſtenditur.

Turpitudinem

Gen. 49. v. 3.

2. Reg. 13. v. 29

Marc. 6. v. 18.

100 Magnus etiam Apoſtolus, inceſtuoſum concubitum acriter reprehendit ad Corin-

rinthios ſcribens quaſi ab ipſis etiam Gentilibus reprobatum; graviſsimâque pœnâ ab ipſomet inflictâ punitum. *Omnino auditur* (inquit) *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Quibus verbis (ut exponit Div. Thomas) aggravat peccatum inceſtuoſi fornicarii ex comparatione ad Gentiles, qui licèt non reputarent ſimplicem fornicationem ut peccatum: erat tamen quædam fornicationis ſpecies, cujus hìc meminit nempè inceſtus, quę & apud Gentiles illicita habebatur. Hoc autem erat horribile etiam apud Gentiles, utpotè contrarium naturali rationi exiſtens, ut concludit Sanctus Doctor, propter rationes infra adducendas. Oſtendit etiam Apoſtolus gravitatem inceſtûs ex pœnæ contra inceſtuoſum ab ipſomet inflicta: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Jeſu. Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Hæc autem pœna dupliciter intelligi poteſt: Primò: ,, Quòd ſicut Matthæi ,, 10. Dominus dedit Apoſtolis poteſtatem ,, ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos: ,, & per eandem poteſtatem poterant imperare ſpiritibus immundis, ut vexarent corporaliter quos hac pœnâ judicabant dignos: mandavit ergo Apoſtolus Corinthiis, ,, in ejus auctoritate tradere prædictum ,, fornicarium *Satanæ* corporaliter vexandum: unde ponit ſecundò hujus ſententiæ effectum cum dicit *in interitum carnis*, id eſt, ad vexationem carnis, & afflictionem, in qua peccavit ſecundùm illud Sapientiæ 11. *Per quæ peccat quis per hæc & torquetur*: Non enim Apoſtolus ,, Satanæ tradidit peccatorem, ut ejus poteſtati perpetuò ſubjaceret, ſed ut carnis ,, vexatione ad pœnitentiam convertatur ſecundùm illud Iſaiæ 28. *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Eſt autem hæc ſententia Apoſtoli, quam Dominus ſervavit ,, Job 2. ubi Satanæ dixit: *Ecce in manu tua eſt* (ſcilicet caro ejus) *verumtamen animam illius ſerva* (ſcilicet illæſam.) Aliò ,, modo intelligi poteſt: quod dicitur tradere hujuſmodi Satanæ, ſcilicet per excommunicationis ſententiam per quam aliquis ,, ſeparatur à communione fidelium & à ,, participatione Sacramentorum, & privatur ,, Eccleſiæ ſuffragiis, quibus homo munitur ,, contra impugnationem Satanæ propter ,, quod de Eccleſia dicitur Canticorum 6. ,, *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*; ,, ſcilicet Dœmonibus.

1. Corinth. 5. à v. 1.

D. Thom. ibid. lect. 1. ferè ad litteram.

Inceſtus etiam apud Gentiles prohibitus.

Pœna contra inceſtuoſú ab Apoſtolo inflicta.

101 Rationes autem in favorem Catholicæ aſſertionis ita proponit Div. Thomas. ,, Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum ,, eſt, ibi neceſſe eſt inveniri determinatam ,, ſpeciem luxuriæ, ubi invenitur aliquid repugnans uſui debito venereorum. In uſu ,, autem conſanguinearum, vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni ,, venereæ triplici ratione. Primò quidem, ,, quia naturaliter homo debet quandam ,, honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem ,, parentibus de propinquo originem trahunt, in tantum, quòd apud antiquos, ut ,, Valerius Maximus refert, non erat fas, ,, filium ſimul cum patre balneari, ne ſcilicet ſe invicem nudos conſpiſcerent. Manifeſtum eſt autem ſecundùm prædicta, quòd ,, in actibus venereis maximè conſiſtit, quędam turpitudo honorificentiæ contraria, ,, unde de his homines verecundantur: & ,, ideò incongruum eſt quòd talis commixtio venerea fiat talium perſonarum ad invicem. Et hæc cauſa videtur exprimi Levitici 18. ubi dicitur: *Mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus.* Et idem poſtea dicitur in aliis. Secunda ratio eſt quia ,, perſonas ſanguine conjunctas neceſſe eſt ,, ad invicem ſimul converſari. Unde ſi homines non arcerentur à commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis, & ſic animi ,, hominum nimis emolleſcerent per luxuriam: & ideò in veteri lege illæ perſonæ ,, ſpecialiter videntur prohibitę eſſe, quas ,, neceſſe eſt ſimul commorari. Tertia ratio ,, eſt, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Dùm enim homo uxorem ,, extraneam accipit junguntur ſibi quadam ,, ſpeciali amicitiâ omnes conſanguinei uxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui. Unde ,, Auguſtinus dicit lib. 15. de Civit. Dei cap. ,, 16. circa principium tom. 5. *Habita eſt ratio rectiſsima charitatis, ut homines quibus eſſet utilis, atque honeſta concordia diverſarum viciſsitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos.* Addit autem Ariſtoteles quartam rationem in ,, ſecundo Politicorum: Quia cùm naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor, qui fit ex commixtione venerea fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum, quod caſtitati repugnat. Unde manifeſtum eſt, quòd ,, inceſtus eſt determinata luxuriæ ſpecies.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. in corp.

Rationes theologicæ D. Thomæ.

102 Primam ex ſubjectis rationibus deſumpſit D. Thomas ex adducto Levitici teſtimonio ut apparet in textu. Jamque præluxerat pro more Auguſtinus illis verbis: *Habet quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipſa nequitia poſſit auferre. Illam proinde turpitudinem obſcœnorum dictorum, atque factorum, ſcenicos ipſos domi ſuę præludendi causâ coram matribus ſuis agere puderet.* Et rursùs: *Neſcio quomodo ineſt humanæ verecundię quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causâ propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus, & ipſam pudicitiam conjugalem.* Aliis rationibus pręluxerunt etiam Sanctus Ambroſius, & Auguſtinus ipſi præſertim rationi deductæ ex neceſsitudinum multiplicatione, cujus verba adducit Sanct. Doct. laudato articulo in corpore ut vidimus. Ubi in ſolutione ad tertium cum eodem Sancto Parente ſtatuit, qualiter reperiatur indecentia in commixtione perſonarum junctarum. ,, Ad ,, tertium dicendum, inquit, quòd in commixtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt, quod eſt ſecundum ſe indecens, ,, & repugnans naturali rationi, ſicut quòd ,, commixtio fiat inter parentes & filios, ,, quorum eſt per ſe, & immediata cognatio: nam filii naturaliter honorem debent ,, parentibus. Unde Philoſoph. dicit in 9. de ,, animalibus, quòd quidam equus, quia ,, deceptus fuit, ut matri commiſceretur, ,, ſe ipſum præcipitavit, quaſi præ horrore: eo quod etiam animalibus aliquibus ,, ineſt naturalis reverentia ad parentes. ,, Aliæ verò perſonæ, quæ non conjunguntur ſecundùm ſe ipſas, ſed per ordinem ,, ad parentes, non habent ex ſe ipſis indecentiam: ſed variatur circa hoc decentia, ,, vel indecentia ſecundùm conſuetudinem ,, & legem humanam vel divinam: quia ut ,, dictum eſt, uſus venereorum qui ordinatur ad bonum commune, ſubjacet legi. ,, Et ideò ſicut Auguſtinus dicit 15. de Civitat. Dei cap. 16. commixtio ſororum & fratrum quantò fuit antiquior, compellente ,, neceſsitate, tantò poſtea facta eſt damnabilior, religione prohibente. Hæc argumenta tradita à Div. Thoma aliis in locis, dùm oſtendunt meritò prohibitum fuiſſe matrimonium inter perſonas conjunctas propter ordinem, quem dicit ad conjunctionem carnalem; efficaciter oſtendunt turpitudinem & indecentiam venerei concubitûs inter perſonas conjunctas.

S. Auguſt. lib. 2. de Civitat. Dei cap. 4.

Lib. 15. cap. 16.

Epiſt. 60.

Rationibus Div. Thomæ præluxerunt SS. PP. Ambroſius & Auguſtinus.

In ſupplem. q. 54. ar. 3.

Lib. 3. contra Gent. cap. 125.

103 Poſtremò deformitatem inceſtûs oſtendunt ſtatutę, omni jure contra inceſtuoſos pœnæ. Ex jure enim divino contra inceſtuoſos pœna mortis impoſita fuit in Levitico, ubi dicitur: *Qui dormierit cum noverca ſua, & revelaverit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo, ſanguis eorum ſit ſuper eos. Si quis dormierit cum nuru ſua uterque moriatur: quia ſcelus operati ſunt, ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Deinde ex jure Canonico pœna excommunionis contra inceſtuoſos præeunte Apoſtolo, ut vidimus, impoſita eſt. Sic Concilium Aurelianenſe I. canon. 18. Epaonenſe, canone 30. Arvernenſe, canone 12. Turonenſe II. canone 21. Vernenſe, canone 9. Illos in Cathecumenorum ordine uſque ad legitimam ſatisfactionem detrudunt Concilium Agathenſe canone 61. & Ilerdenſe, canone 4. qui referuntur canone *De inceſtis*, & canone *De his*, cauſa 35. q. 2. & 3. Deinde Clericus inceſtuoſus de jure, decennalem pœnitẽtiam agere debet ex capite *Presbyter* 8. diſt. 82. aut ſeptenalem capite *Hoc ipſum* 33. quæſt. 2. At verò, ſi cum inceſtu adulterium jungat, Beneficiis privatur & deponitur, ex cap. *Si quis Presbyter*, capite *Si quis Sacerdos*, & cap. *Si quis Clericus* 81. diſt. Tandem ex jure Civili aliqui Doctores apud Farinacium & alios ſentiunt, quòd ſolum eſt impoſita pœna deportationis, & exilii ad inſulas ex lege: *Si quis viduam, ff. de quæſt.* aut pœna alia arbitraria.

Pœnæ contra inceſtuoſos omni jure ſtatutæ.

Levit. 20. v. 11

1. Corinth. 5.

ARTICULUS VII.

Graviſsimam ſacrilegii perverſitatem notam faciens.

104 NEC minus aſſerendum eſt: ſacrilegium in genere luxuriæ ſpecialem & graviſsimam deformitatem induere. Aſſertionem oſtendit Div. Thomas inquiens: ,, Quod Auguſtinus dicit 15. de Civitate Dei, *Quòd, ſicut iniquum eſt aviditate poſſidendi tranſgredi limitem agrorum, ita etiam eſt iniquum libidine concubendi ſubvertere limitem morum*: ſed tranſgredi limitem agrorum ,, in rebus ſacris eſt peccatum ſacrilegii: ergo pari ratione ſubvertere limitem morum libidine concubendi in rebus ſacris ,, facit ſacrilegii vitium: ſed libido concubendi pertinet ad luxuriam: ergo ſacrilegium eſt luxuriæ ſpecies. Deindè ſic diſſerit, quòd, ſicut ſupradictum eſt, actus ,, unius virtutis, vel vitii ordinatus ad finem alterius aſſumit ſpeciem illius: ſicut ,, furtum, quod propter adulterium committitur, tranſit in ſpeciem adulterii. Manifeſtum eſt autem, quòd obſervatio caſtitatis, ſecundùm quod ordinatur ad cultum ,, Dei, ſit actus religionis: ut patet in illis ,, qui vovent & ſervant virginitatem, ut patet per Auguſtinum in libro de virginitate. Undè manifeſtum eſt, quòd etiam luxuria, ſecundùm quod violat aliquid ad ,, divinum cultum pertinens, pertinet ad ,, ſpeciem ſacrilegii. *Et ſecundùm hoc ſacrilegium poteſt poni ſpecies luxuriæ.* Rationis D. Thomæ hæc eſt ſumma: Sacrilegium (cujus naturam & ſpecies ſupra dedimus) injuriam irrogat non ſolum caſtitati, ſed religioni: quia res Deo conſecrata polluitur: ergo non poteſt non eſſe grave crimen, & eò gravius quò res fuerit Deo magis ſacra, & obſcęnior luxuria. Ita D. Thomas compendio tradit articulo præſenti ad ſecundum inquiens: ,, Sacrilegium eſt ſpecies luxuriæ ,, ſecundùm quod ordinatur ad alterius vitii finem, & poteſt concurrere cum diverſis luxuriæ ſpeciebus. Si enim aliquis abutatur perſonâ conjunctâ ſibi ſecundùm ſpiritualem cognitionem, committit ſacrilegium ad modum inceſtûs. Si autem abutatur virgine Deo ſacrata, in quantum ,, eſt ſponſa Chriſti, eſt ſacrilegium per modum adulterii, in quantum verò eſt ſub ,, ſpi-

Div. Thom. ubi ſupra ar. 10. in ſed contr.

In corp. artic.

Graviſsima in ſacrilegio luxuriæ deformitas oſtenditur.

Solut. ad 2.

,, ſpiritualis patris curâ conſtituta , erit
,, quoddam ſpirituale ſtuprum. Etſi violen-
,, tia inferatur , erit ſpiritualis raptus, qui
,, etiam ſecundùm leges civiles graviùs pu-
,, nitur, quàm alius raptus. Indè Juſtinia-
,, nus Imperator dicit: *Si quis non dicam ra-*
,, *pere , ſed attentare tantummodo matrimo-*
,, *nii conjungendi causâ ſacratiſsimas vir-*
,, *gines auſus fuerit , capitali pœnâ feria-*
,, *tur.*

Gravior ſacrilegii malitia quo major violatur conſecratio.

105 Hçc quæ compendio tradit D.Thomas expendamus paulo fuſiùs. Imprimis enim certum debet haberi , quod gravius ſacrilegium eſt , cùm utraque perſona Deo ſacrata luxurioſè polluitur , quàm ſi altera ſolum eſſet perſona ſacra. Quandoquidem in eo eventu duplex conſecratio violatur; quemadmodum gravius crimen perpetraret, qui calices duos ad usûs profanos adhiberet, ac pollueret ; quàm ille qui unicum dumtaxàt violaret : Quapropter , qui ordine , vel voto Deo ſacratus cum perſona ſimiliter Deo ſacra luxurioſe delinquit ; utrumque debet confeſſario aperire : quia geminatum in genere moris ſacrilegium perpetravit. Certum eſt etiam gravius ſacrilegium eſſe violationem voti ſolemnis , quàm ſimplicis; quantò magis voto illo perſona Deo ſe devovet. Votum namque ſolemne (ut docuit Innocentius I. infra adducendus) ſpirituale veluti matrimonium eſt , quo ſua corpora Deo reipſa tradunt & conſecrant voventes : votum autem ſimplex veluti ſponſaliorum vim habet , quo fidem ſuam obſtringunt Chriſto , quòd alium ſponſum non eligent. Audiatur præterea D.Thomas in hoc aſſumpto ita loquens. ,, Ad primum ergo

D.Thom. 2. 2. q.88.ar.7.ad 1

,, dicendum : quòd hujuſmodi ſolemnitas
,, pertinet non ſolum ad homines , ſed ad
,, Deum in quantum habet aliquam ſpiri-
,, tualem conſecrationem , ſeu benedictio-
,, nem , cujus Deus eſt auctor ; etſi homo ſit
,, miniſter ; ſecundùm illud Numer. 6. *Invo-*
,, *cabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, &*
,, *ego benedicam eis.* Et ideò votum ſolem-
,, ne habet fortiorem obligationem apud
,, Deum , quàm votum ſimplex , & graviùs
,, peccat , qui illud tranſgreditur. Et meritò

quidem ita ſtatuitur : Nam tantò gravius crimen illud judicandum erit , quantò ſublimior eſt & ſanctior in Eccleſia Dei virginitatis ſtatus , de quo Sanctus Cyprianus inquit: *Flos ille eſt Eccleſiaſtici germinis , decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis , læta indoles , laudis & honoris opus integrum atque incorruptum , Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini , illuſtrior portio gregis Chriſti.*

S. Cyprian. lib. de diſciplin. & habitu virg.

106 Indè ſua ſpontè fluit : gravius eſſe ſacrilegium in Sacërdote , Diacono, aut Subdiacono , ſolemniter Religionem profeſſo, quàm in ſæculo manente. Quia duplex votum ſolemne , duplicemque conſecrationem priùs illud flagitium violat, illud ſcilicet, quod Sacris Ordinibus annexum eſt , & quod religioſam profeſsionem inducit : Poſteriùs verò unicum dumtaxàt votum , unicamque conſecrationem. Et prætërëa quia ſtrictius votum eſt in profeſsione religioſa , quàm in Ordine Sacro. Ut enim inquit D. Thomas.

Div.Thom. ubi ſupr. ar.11. in corpor.

,, Non eſt autem eſſentialiter annexum de-
,, bitum continentiæ Ordini Sacro , ſed ex
,, ſtatuto Eccleſiæ. Unde videtur , quòd per
,, Eccleſiam poſsit diſpenſari in voto conti-
,, nentiæ ſolemnizato per ſuſceptionem Sa-
,, cri Ordinis. Eſt autem debitum continen-
,, tiæ eſſentiale ſtatui Religionis per quem
,, homo abrenuntiat ſæculo totaliter Dei ſer-
,, vitio mancipatus : quod non poteſt ſtare
,, ſimul cum matrimonio , in quo incumbit
,, neceſsitas procurandæ uxoris & prolis &
,, familiæ & rerum , quæ ad hoc requi-
,, runtur. Unde Apoſtolus dicit 2. ad Co-
,, rinth.7. quod *Qui eſt cum uxore , ſolicitus*
,, *eſt , quæ ſunt mundi, quomodo placet uxo-*
,, *ri & diviſus eſt.* Unde nomen Monachi
,, ab unitate ſumitur per oppoſitum ad di-
,, viſionem prædictam. Et ideò in voto ſo-
,, lemnizato per profeſsionem Religionis
,, non poteſt per Eccleſiam diſpenſari , & ra-
,, tionem aſsignat Decretal. *Quia caſtitas eſt*
,, *annexa regulæ Monachali.*

107 Tandem inter ſacrilegia à perſonis Deo conſecratis perpetrata in materia luxuriæ, fœditatem quandam , magiſque horrendam deformitatem involvere quis dubitet, ſacrilegium Sacerdotis cum filia ſpirituali pœnitenti , graviùſque adhuc peccatum eſſe ſi in Pœnitentiæ Sacramento , aut illius occaſione , vel prętextu , illam ad turpia ſollicitet. Rationem tradit D.Thomas inquiens:

Horrendũ ſtatuitur Confeſſarii cum filia ſpirituali carnale peccatũ.

D.Thom. in 4. diſt.42. q.1.ar. 2.ad 8.

,, Per pœnitentiam contrahitur quoddam fę-
,, dus inter Sacerdotem , & mulierem con-
,, fitentem ſimile cognationi ſpirituali , ut
,, tantum peccet eam carnaliter cognoſcens,
,, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia. Et hoc ideò,
,, quia maxima familiaritas eſt inter Sacer-
,, dotem & confitentem ; & ex hoc iſta pro-
,, hibitio eſt inducta , ut tollatur peccandi
,, occaſio. Præluxit B. Petrus Damianus in-

Gravius ſi occaſione Sacramenti pœnitentię.

quiens : *Sequitur ut eadem ſententia differiatur , & qui carnalem filiam perdidit , & qui ſpiritualem ſacrilega commixtione corrumpit.* Et rursùs: : *Ut ad ſacros , id eſt execrabiles Confeſſores adhuc ſe diſputationis ſermo retorqueat , ſi quilibet Canonicus Presbyter cum muliere cecidit , cui pœnitentiæ judicium, vel ſemel indixit , à nemine prorſus ambigitur, quin Synodali judicio degradetur.* Pręluxerunt etiam antiqui Canones immanitatem hujus criminis annuntiantes : Nam in canone *Omnes* , qui Symmacho Papæ tribuitur, hæc habentur : *Omnes quos in pœnitentia ſuſcipimus , ita noſtri ſunt ſpirituales filii, ut & ipſi quos , vel nobis ſuſcipientibus , vel trinę merſionis vocabulo mergentibus , unda ſacri baptiſmatis regeneravit. Silveſter quoque docens admonet unumquemque Sacerdotem , ut nullus causá fornicationis ad ſuam pœnitentialem accedat ; quia ſcriptum eſt: Omnes quos in pœnitentia accipimus , ita filii noſtri ſunt , ut in Baptiſmate ſuſcepti. Quapropter hoc ſcelus ſi quis perpetravit , non ſolum dignitatis honorem amittat , verum-*

S. Petrus Damiani opuſc.7. Tit.Gemorrhianus cap.6.

Cap.9.

*Symmach.Pap. canon.*Omnes*, cauſa 30. q.1.*

etiam

etiam uſque ad exitum vitæ ſuæ jugi pœnitentię ſe ſubdat.

108 Inſuper canone *Si quis*, Cęleſtino Papæ adſcripto , ſic habetur : *Si quis Sacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit, ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe. Id circò fœmina ſi laica eſt , omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat , & converſa in Monaſterio , Deo uſque ad mortem ſerviat, Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus ab omni Officio deponatur , & peregrinando duodecim annis pœniteat. Poſteà verò ad Monaſterium vadat , ibique cunctis diebus vitæ ſuę Deo ſerviat.* Ejuſdem criminis enormitatem præcipuè ſi in Sacramento Pœnitentiæ, aut illius occaſione perpetretur, pręter antiquos Canones maximè etiam execrantur Summi Pontifices poſterioribus Eccleſiæ ſæculis , ut videre licet in Pio IV. Conſtitutione 31. quę incipit, *Cum ſicut*. In Clemente VIII. Decreto quod incipit, *In Nomine Domini, Amen.* In Paulo V. Bulla quæ incipit , *Dilecte fili.* In quibus decernunt graviſsimè procedendum eſſe contra Sacerdotes ſollicitantes tanquam contra de hæreſi ſuſpectos ; impoſita inſuper gravi obligatione Pœnitentibus ad denuntiandum Sanctæ Inquiſitionis Tribunali Confeſſarios ſollicitantes ; quæ omnia Decreta renovat , confirmat & ampliat Gregorius XV. in Bulla quæ incipit : *Univerſi.* Ex hac igitur Bulla clauſulæ nonnullæ tranſcribendæ hìc ſunt , ut appareat , & criminis immanitas , & graviſsimâ qua puniri debeat pœnâ.

*Cęleſtinus Pap. canon.*Si quis.

Execrãda antiquo & novo jure ponitur ſollicitatio ad turpia occaſione Sacramenti Pœnitentiæ.

Gregorius XV. in Bulla quæ incipit : Univerſi, *anteriores conſtitut. confirmans, & amplians.*

* 109 Quoniam autem (dicitur paragra-
* pho primo) à Romanis Pontificibus præ-
* deceſſoribus noſtris , quibuſdam in locis
* proviſum fuit , ut impium ac nefandum
* ſcelus , quod non ſolum inter Chriſti fide-
* les non eſſe , ſed nec etiam nominari de-
* bet , procul ab iis arceatur , videlicet , ut
* aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas Con-
* feſsiones deputatus, Sacroſancto Pœniten-
* tiæ Sacramento , ſollicitando Pœnitentes
* ad turpia, abutatur , ac pro medicina ve-
* nenum , pro pane aſpidem porrigat , & ex
* cęleſti Medico infernalis veneficus , ex pa-
* tre ſpirituali proditor execrabilis anima-
* rum reddatur. Idcircò nos ea , quæ his
* pernicioſiſsimis diaboli inſidiis arcendis
* certis locis ſalubriter conſtituta ſunt , ut
* nullibi deſiderentur, quantum ex alto con-
* ceditur , providendum duximus. Deinde paragrapho ſequenti ex Pio IV. refert:
* Cum ſicut nuper , non ſine animi noſtri
* moleſtiâ accepimus , diverſi Sacerdotes in
* Regnis Hiſpaniarum , atque etiam in eo-
* rum Civitatibus & Diœceſibus curam ani-
* marum habentes, ſivè eam pro aliis exer-
* centes, aut aliàs, audiendis Confeſsionibus
* pœnitentium deputati, in tantam prorum-
* perint iniquitatem , ut Sacramento Pœni-
* tentiæ in actu audiendi Confeſsiones abu-
* tantur ; nec illi , & qui id inſtituit Domi-
* no Deo , & Salvatori noſtro Jeſu Chriſto
* injuriam facere vereantur , mulieres vi-
* delicet pœnitentes ad actûs inhoneſtos,
* dum earum audiunt Confeſsiones, allicien-
* do & provocando , ſeu allicere & provo-
* care tentando & procurando ; ac loco ea-
* rum per Sacramentum hujuſmodi Creato-
* ri noſtro reconciliationis, graviori pecca-
* torum mole eas onerando , & in manibus
* diaboli tradendo , in Divinæ Majeſtatis
* offenſam, & animarum perniciem , Chriſti
* fidelium ſcandalum non modicum.

110 Inſuper Sacerdotes ſollicitantes, tanquam ſuſpectos in fide puniendos eſſe : quia ut ibidem ex eo Pontifice dicitur : *Nos in animum inducere nequentes , quòd , qui de fide Catholica rectè ſentiunt , Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant.* Deinde Archiepiſcopo Hiſpalenſi mandat , ut contra eos ſeveriſsimè procedatur in Regnis Hiſpaniæ. Eam tamen Conſtitutionem extendit Gregorius XV. ad quaslibet Chriſtiani Orbis partes , declarans imprimis , quinam Sacerdotes dicendi ſint ſollicitantes , & qualiter deinde contra ipſos procedendum ſit. * Ac præterea, ne in futu-

Cõfeſſarii ſollicitantes tanquam in fide ſuſpecti puniendi ſunt.

* rum de pœna his delinquentibus impo-
* nenda,& de modo contra eoſdẽ proceden-
* di ab aliquo dubitari poſsit , ſtatuimus,
* decernimus , & declaramus , quòd omnes
* & ſinguli Sacerdotes tàm ſęculares , quàm
* quorumvis, etiam quomodolibet exempto-
* rum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubje-
* ctorum Ordinum , Inſtitutorum , Societa-
* tum, & Congregationum Regulares, cujuſ-
* cunque dignitatis , & præeminentię , aut
* quovis privilegio muniti exiſtant, qui per-
* ſonas quæcunque illæ ſint ad inhoneſta,
* ſivè inter ſe , ſivè cum aliis quomodolibet
* perpetranda , in actu ſacramentali confeſ-
* ſionis , ſivè ante , vel poſt immediatè , ſeu
* occaſione , vel prætextu confeſsionis hu-
* juſmodi , etiam ipſa confeſsione non ſe-
* quuta , ſivè extra occaſionem confeſsionis
* in confeſsionario, aut in loco quocunque,
* ubi confeſsiones ſacramentales audiantur,
* ſeu ad confeſsionem audiendam electo, ſi-
* mulantes ibidem confeſsiones audire ſolli-
* citare, vel provocare tentaverint; aut cum
* eis illicitos , & inhoneſtos ſermones , ſivè
* tractatus habuerint , in Officio Sanctæ In-
* quiſitionis ſeveriſsimè ut infra punian-
* tur.
* 111 Et prætereà omnes hæreticæ pra-
* vitatis Inquiſitores , & locorum Ordina-
* rios omnium Regnorum , Provinciarum,
* Civitatum , dominiorum, & locorum uni-
* verſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque
* Diœceſsibus & territoriis per has noſtras
* litteras, etiam privativè quoad omnes alios,
* ſpecialiter , ac perpetuò Judices delega-
* mus , ut ſuper his contra prędictos ſimul,
* vel ſeparatim in omnibus , prout in cauſis
* fidei juxta Sacrorum Canonum formam,
* necnon Officii Inquiſitionis hujuſmodi
* conſtitutiones , privilegia , conſuetudines,
* decreta diligenter inquirant , & proce-
* dant ; & quos in aliquo ex hujuſmodi ne-
* fariis exceſsibus culpabiles repererint , in
\- eos pro criminum qualitate & circunſtan-

* tiis, ſuſpendentes ab executione ordinis, * privationis Beneficiorum, Dignitatum, & * officiorum quorumcunque, ac perpetuæ in- * habilitatis ad illa; necnon vocis activæ, & * paſsivæ, ſi Regulares fuerint; exilii, dam- * nationis ad triremes, & carceres, etiam in * perpetuum, abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſ- * que pœnas decernant, eos quoque, ſi pro * delicti enormitate graviores pœnas me- * ruerint, debitâ præcedente degradatione, * Curiæ ſæculari puniendos tradant. Tan- * dem mandat omnibus Confeſſariis ut ſuos * pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, * ut ſupra, ſollicitatos, moneant de obliga- * tione denuntiandi ſollicitantes, ſeu ut præ- * fertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu lo- * corum Ordinariis prædictis. Quod ſi hoc * officium prętermiſerint, vel pœnitentes do- * cuerint non teneri ad denuntiandum Con- * feſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes ut ſu- * pra, iidem locorum Ordinarii, & Inquiſi- * tores illos pro modo culpæ punire non * negligant.

Benedict. XIV. Conſtit. Sacramentum Pœnitentiæ, *anno* 1741. *Pontificatus anno* 1.

112 Suorum Prædeceſſorum more, animarum zelo flagrans Sanctiſsimus Dominus noſter Benedictus Papa XIV. fœliciter Eccleſiæ ſumma tenens moderamina (utinam per annos plurimos) in deteſtationem horrendi de ſollicitatione criminis, ſuâ novâ conſtitutione confirmat imprimis, laudatam nupèr Gregorii XV. conſtitutionem, ſimul cum declaratione Alexandri VII. * Dudum quidem * (inquit) à fęlic.record. Gregorio Papa XV. * Prædeceſſore noſtro per ſuas litteras in * forma Brevium ſub datum Romę apud * Sanctam Mariam Majorem die xxx.Auguſti * M.DC.XXII. Pontificatus ſui anno ſecun- * do, ſapienter proviſum fuit contra quoſ- * cunque Sacerdotes audiendis confeſsioni- * bus deputatos ad turpia, & inhoneſta ſol- * licitantes; & deinceps ſucceſsivis tempo- * ribus ad earum litterarum interpretatio- * nem, ac declarationem plura ſubinde à * Congregatione Venerab. Fratrum noſtro- * rum Sanct. Rom. Eccleſ. Cardinalium ad- * versùs hæreticam pravitatem Generalium * Inquiſitorum ſub die XI. menſis Februa- * rii anno Domini M. DC. LXI. prodie- * runt decreta, à rec. mem. Alexandro Pap. * VII. pariter Prædeceſſore noſtro in Con- * gregatione Generali S. R. Univerſalis In- * quiſitionis die XXIV. Septēb. M.DC.LXV. * coram eo habita, inter alias ab Evange- * lica veritate, & Sanctorum Patrum doctri- * nâ alienas, & diſſonas propoſitiones, ſex- * ta videlicet & ſeptima, hùc revocandæ, * damnatæ & prohibitæ fuerunt. Propoſitiones ſunt. VI. *Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſsione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſsione, ac proinde non eſt denuntiandus.* VII. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.*

Antiqua Decreta renovata contra ſolicitantes.

113 Nos itaque (proſequitur vigilantiſ- * ſimus Paſtor) maturè perpendentes quanti * momenti ſit ad æternam animarum ſalu- * tem ea ubique exactè obſervari, & quanti * ad infirmas oves curandas, & decorem * S. Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne ali- * qui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento ne- * fariè abutentes, pœnitentibus, pro cura- * tione vulnus, pro pane lapidem, pro piſ- * ce ſerpentem, pro medicina venenum por- * rigant, ſed animo ſecum recolentes ſe à * Chriſto Domino Præſides & Judices ani- * marum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſu- * blimitati, ac dignitati muneris convenit, * tàm venerandum Sacramentum admini- * ſtrent, motu proprio, & ex certa ſcientia, * ac matura deliberatione Noſtra pręfatas * litteras hujuſmodi, ac omnia & ſingula * decreta prædicta ad illarum interpreta- * tionem, & declarationem emanata, Apo- * ſtolica auctoritate tenore præſentium ap- * probamus & confirmamus, illiſque omni- * bus & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ fir- * mitatis robur adjicimus; atque etiam qua- * tenùs opus ſit, denuò committimus & * mandamus omnibus hæreticæ pravitatis * Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis om- * nium Regnorum, Provinciarum, Civita- * tum, dominiorum & locorum univerſi Or- * bis Chriſtiani in ſuis reſpectivè Diœceſi- * bus, ut diligenter omnique humano reſ- * pectu poſtpoſito inquirant, & procedant * contra omnes & ſingulos Sacerdotes tàm * ſęculares, quàm Regulares quomodolibet * exemptos, ac Sedi Apoſtolicę immediatè * ſubjectos quorumcunque Ordinum, Inſti- * tutorum, Societatum, & Congregationum, * & cujuſcunque Dignitatis, & Pręeminen- * tiæ, aut quovis Privilegio & Indulto mu- * nitos, qui aliquem pœnitentem, quęcun- * que perſona illa ſit, vel in actu Sacramen- * talis confeſsionis, vel ante, vel immedia- * tè poſt Confeſsionem vel occaſione aut * prętextu confeſsionis, vel etiam extra oc- * caſionem confeſsionis in confeſsionali, ſi- * vè in alio loco ad confeſsiones audiendas * deſtinato, aut electo cum ſimulatione au- * diendi ibidem confeſsionem ad inhone- * ſta & turpia ſollicitare vel provocare, ſivè * verbis, ſivè ſignis, ſivè nutibus, ſivè ta- * ctu, ſivè per ſcripturam, aut tunc, aut * poſt legendam tentaverint, aut cum eis * illicitos & inhoneſtos ſermones, vel tra- * ctatus temerario auſu habuerint; & quos * in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſsibus * culpabiles repererint, in eos pro criminum * qualitate & circunſtantiis ſeverè animad- * vertant per condignas pœnas juxta me- * moratam Gregorii Prædeceſſoris noſtri * Conſtitutionem, quam hìc de verbo ad * verbum pro inſerta haberi volumus: Dan- * tes etiam, ſi opus ſit, & rursùs conceden- * tes facultatem, ne delictum tàm enorme, * & Eccleſię Dei injurioſum remaneat ob * probationum defectum impunitum, jam * aliàs in pręfata Conſtitutione tributam * procedendi cum teſtibus etiam ſingulari- bus,

* bus, dummodo pręſumptiones, indicia, * & alia adminucula concurrant.

114 Renovatis (ut conſtat) retroactis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, pergit adhuc Benedictus noſter novo conatu ad extirpandum immane illud ſacrilegium, obligationem extendens denuntiandi, etiam Sacerdotes modo dicto ſollicitantes juriſdictione carentes ad abſolutionem validè impertiendam: mutua ſit ſollicitatio, vel non: conſentiatvè aut non conſentiat pœnitens: nùm temporis longum elapſerit intervallum, vel non multum elapſerit. Impoſita etiam obligatione Confeſſariis non aliter pœnitentes ſollicitatos abſolvendi, niſi prius denuntient, vel cum prius potuerint præſtare ſpondeant. Eaſdem pœnas incurrere ſtatuit Confeſſarium qui non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona pœnitentem ſollicitavit: id eſt, cum ſollicitavit ad inhoneſta habenda cum alia perſona, ut videtur conſtare ex verbis Bullę ſubjiciendis. Inde judicaverim (ſub correctione Doctorum & Eccleſiæ) ęquivocatione lapſum fuiſſe R. P. Joannem Baptiſtam de Murcia in ſuo noviſsimo Compendio Legum typis edito anno 1742. proximè elapſo apud Hieronymum Conejos, dum in Nota 3. ſcripſit loquendo de his, quæ addita ſunt in hac nova conſtitutione: *Lo ſegundo, que incurra en ellas no ſolo* quando ſollicitat per ſe; *ſino quando ſe valiò* per alium. Id eſt quod incurrat pœnas illas Confeſſarius non ſolum quando ſollicitat *per ſe*, ſed etiam quando præſtat *per alium*. Niſi enim me mea fallat opinio non talis videtur ſenſus verborum Bullæ, ibi: * Meminerint præterea * omnes & ſinguli Sacerdotes ad confeſsio- * nes audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obli- * gari ſuos pœnitentes, quos noverint, fuiſ- * ſe ab aliis, ut ſupra ſollicitatos, ſedulò * monere, juxta occurentium caſuum circun- * ſtantias de obligatione denuntiandi Inqui- * ſitoribus, ſive locorum Ordinariis prædi- * ctis perſonam, quæ ſollicitationem com- * miſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdi- * dictione ad abſolutionem validè imper- * tiendam careat, aut ſollicitatio inter Con- * feſſarium & Pœnitentem mutua fuerit, ſi- * vè ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſi- * vè conſenſum minime pręſtiterit vel lon- * gum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam * effluxerit, aut ſollicitatio à Confeſſario, * *non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona per-* * *acta fuerit*. Caveant inſuper diligenter * Confeſſarii, ne pœnitentibus, quos nove- * rint jam ab alio ſollicitatos Sacramenta- * lem abſolutionem impertiant, niſi prius * denuntiationem prædictam ad effectum * perducentes delinquentem indicaverint * competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum * primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac * promittant.

Supradictæ pœnæ roboratæ & extenſę.

115 Verumtamen prudentiſsimus & juxta zeloſiſsimus Pontifex Sacramenti Pœnitentiæ honori debitęque reverentiæ conſulens; miniſtrorum etiam innocentiæ proviſum eſſe voluit. Cùm enim contingat aliquando Confeſſarios munère ſuo debitè fungentes, offenſos reddi pœnitentibus quorum crimina Apoſtolica libertate reprehendunt, non hominibus ſed Deo placentes: indeque diabolico furore acti adverſus ſpirituales medicos inſanientes, inſurgunt, de falſa ſollicitatione inſimulantes apud Eccleſiaſticos Judices. Huic ergo grandi perverſitati occurrere ſatagens, graviſsimis verbis ita decernit. * Et quoniam improbi quidam homi- * nes reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel * alia indigna cauſa commoti, vel aliorum * impiis ſuaſionibus, aut promiſsis, aut blan- * ditiis, aut minis, aut alio quovis modo * incitati, tremendo Dei judicio poſthabi- * to, & Eccleſiæ auctoritate contempta, in- * noxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Ju- * dices falsò ſollicitationis inſimulant: Ut * igitur tam nefaria audacia, & tam dete- * ſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ * coerceatur, quæcũque perſona, quæ execra- * bili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel * per ſe ipſum innocentes Confeſſarios im- * piè calumniando, vel ſceleſtè procurando, * ut id ab aliis fiat, à quocunque Sacerdo- * te quovis privilegio, auctoritate, & dig- * nitate munito, pręterquam à Nobis, no- * ſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & * excepto mortis articulo ſpe abſolutionis * obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſo- * ribus prædictis reſervamus, perpetuò ca- * reat.

De ſollicitatione falsò accuſantes, graviter plectendi.

116 Novum tandem Apoſtolici zelûs indicium in prędaudata Conſtitutione oſtendit Summus Eccleſiæ Paſtor, dùm adverſus Confeſſarios, qui ſibi complices in peccato carnis non verentur abſolvere, ita graviter, & Apoſtolice intonat: * Demùm magno- * perè cupientes à Sacerdotalis judicii; & * Sacri Tribunalis ſanctitate omnem turpi- * tudinis occaſionem, & Sacramentorum * contemptum, & Eccleſiæ injuriam longè * ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi * mala prorsùs eliminare, & quantum in * Domino poſſumus, animarum periculis oc- * currere, quas ſacrilegi quidam Dœmonis * potiùs, quàm Dei Miniſtri, loco eas per * Sacramentum Creatori ſuo, ac Noſtro re- * conciliandi, majori peccatorum mole one- * rantes in profundum iniquitatis bara- * thrum nefariè ſubmergunt, nonnullorum * Venerabilium Fratrum Noſtrorum S.Rom. * Eccleſiæ Cardinalium, & aliquorum in * Theologia Magiſtrorum conſilio deſupèr * adhibito, accedentibus quoque iteratis * plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac * Noſtra in perpetuum valitura ſanctione, * quemadmodum à pluribus Epiſcopis per * Synodales ſuas conſtitutiones jam factum * eſſe novimus, omnibus & ſingulis Sacer- * dotibus tàm ſęcularibus, quàm Regulari- * bus cujuſcunque Ordinis, ac Dignitatis, * tametſi alioquin ad Confeſsiones exci- * piendas approbatis, & quovis privilegio, * & indulto, etiam ſpeciali expreſsione & * ſpecialiſsima nota, & mentione digno ſuf- * fultis, auctoritate Apoſtolica, & Noſtra

Ad abſolvendum complicem in peccato carnis, juriſdictio adimitur.

* Poteſtatis plenitudine interdicimus, & * prohibemus, ne aliquis eorum extra ca- * ſum extremæ neceſsitatis, nimirùm in ip- * ſius mortis articulo, & deficiente tunc * quocunque alio Sacerdote, qui Confeſſa- * rii munus obire poſsit, confeſsionem Sa- * cramentalem perſonæ complicis in pecca- * to turpi atque inhoneſto contra ſextum * Decalogi præceptum commiſſo excipere * audeat, ſublata propterea illi ipſo jure * quacunque auctoritate, & juriſdictione, * ad qualemcunque perſonam ab hujuſmodi * culpa abſolvendam, adeò quidem, ut ab- * ſolutio, ſi quam impertierit, nulla atque * irrita omninò ſit, tanquam impertita à * Sacerdote, qui juriſdictione, ac facultate * ad validè abſolvendum neceſſaria priva- * tus exiſtit, quam ei per præſentes has no- * ſtras adimere intendimus, & nihilominus * ſi quis Confeſſarius ſecùs facere auſus fue- * rit, majoris quoque excommunicationis * pœnam, à qua abſolvendi poteſtatem No- * bis ſolis, Noſtriſque Succeſſoribus dumta- * xàt reſervamus, ipſo facto incurrat: De- * clarantes etiam & decernentes, quod nec * etiam in vim cujuſcũque Jubilæi, aut etiam * Bullæ, quę appellatur Cruciatæ ſanctæ, aut * alterius cujuslibet indulti confeſsionem di- * cti complicis hujuſmodi quiſquam valeat * excipere, eique Sacramentalem abſolutio- * nem elargiri; cum ad hunc effectum, & in * hoc caſu nullus Confeſſarius, utpotè qui * in hujuſmodi peccati, & pœnitentis gene- * re juriſdictione, ut prępertur, careat, & ab- * ſolvendi facultate à Nobis privatus exi- * ſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo * & approbato. Non obſtantibus conſtitu- * tionibus & ordinationibus Apoſtolicis prę- * ſertim, quæ nuncupantur Cruciatę ſanctæ, * vel Jubilæi univerſalis & plenarii, necnon * quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, * & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sa- * cerdotes fuerint, etiam juramento, confir- * matione Apoſtolica, vel quavis firmitate * alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, * privilegiis quoque, indultis, & litteris * Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus * & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & * decretis, etiam motu proprio, aut aliàs * quomodolibet conceſsis, etiam iteratis * vicibus approbatis & innovatis: Quibus * omnibus eorum tenores præſentibus pro * expreſsis habentes hac vice dumtaxàt ſpe- * cialiter & expreſsè derogamus, cęteriſque * contrariis, quibuſcunque, volumus de- * mùm, ac præcipimus, ut omnes locorum * Ordinarii tàm pręſentes, quàm futuri pro * tempore exiſtẽtes in approbatione Confeſ- * ſariorum, tàm prædictam conſtitutionem * Gregorii Prędeceſſoris, quam pręſentem * hanc Noſtram ab omnibus Sacerdotibus * approbandis attentè legi, & accuratè ob- * ſervari curent, moneantque eos in Domi- * no, atque hortentur, ut Sacrum miniſte- * rium ipſorum fidei commiſſum ſumma * animi innocentia, morum puritate, judi- * cii integritate peragant, exhibeantque * ſemetipſos ut Miniſtros Chriſti, & diſ- * penſatores myſteriorum Dei; memores * præterea ſint, ſe locum tenere, ac vices * obire Summi atque Æterni Sacerdotis, * qui Sanctus innocens, impollutus, per Spi- * ritum Sanctum ſemetipſum obtulit imma- * culatum Deo, ut emundaret conſcientiam * noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendũ * Deo viventi: Sedulò igitur ſtudeant, diligẽ- * terque caveant, ne quærentibus, & pulſanti- * bus eorũ culpâ Cęlum claudatur, ne deper- * ditę oves ad ovile Dominicum redire pro- * perantes eorum manibus ferarum dentibus * dilaniandæ tradantur, ne Prodigi filii * egentes, & ſaucii, ad Cęleſtem Patrem re- * vertentes nefaria eorum improbitate gra- * vioribus peccatorum vulneribus, dùm ad- * huc in via ſunt, confodiantur.

117 Quantum verò attinet ad ſacrilegam Sacerdotum & Clericorum luxuriam, quam ſit graviſsimum crimen antiqua Sanctæ Eccleſiæ diſciplina indicat, per ſacros Canones, quibus à ſuo gradu, & miniſterio dejiciendos in perpetuum ſtatuitur Clericos à caſtitate lapſos ut refert Natalis Alexander, ſcilicet canone 25. Ex his qui Apoſtolici inſcribuntur. Concilium Aurelianenſe primum canone 9. Aurelianenſe ſecundum canone 8. Arauſicanum primum, canone 23. Epaonenſe canone 22. poſt *Siricium* Romanum Pontificem in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, & Joannes II. Romanus Pontifex in epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, in cauſa *Contumelioſi* Regienſis Epiſcopi. Cæſarius ipſe in oratione epiſtolę Joannis II. & Canonibus ab eo miſsis ſubjecta: *Ecce* (inquit) *manifeſtiſsimè conſtat, quia ſecundum quod & tituli antiquorum Patrum à Sancto Joanne Papa tranſmiſsi, & trecentorum decem & octo Epiſcoporum ſententia, ſed & Canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſsi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non poſſunt.* Et Sanctus Gregorius: *Pervenit ad nos* (inquit) *quoſdam de ſacris ordinibus lapſos, vel poſt pœnitentiam, vel ante, ad miniſterii ſui officium revocari: quod omninò prohibuimus, & in hac re Sacratiſsimi quoque Canones contradicunt. Qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro ordine ita careat, ut ad altaris miniſterium ulterius non accedat.* Quam diſciplinam confirmat Sanctus Martinus I. Romanus Pontifex in epiſtola ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum. Concilium Illiberitanum Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos in peccatum carnis lapſos communione etiam in exitu privaverat. *Epiſcopi* (inquit) *Presbyteri & Diaconi, ſi in miniſterio poſiti detecti fuerint, quod ſint mœchati, placuit propter ſcandalum, & propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Depoſitionis pœnâ plectendos Clericos in peccatum carnis lapſos cenſuerat Sanctus Ba-

Eccleſiaſticorum luxuria gravíſsimũ eſt crimen.

Gravíſsimæ cõtra illos ſtatutæ pœnæ in jure Canonico & Conciliis.

S. Gregor. epiſt. 26. ad Januarium.

S. Martinus I. epiſt. ad Amandum.

Concilium Illiberit. can. 19.

Baſilius: *Diaconus* (inquit) *qui pollutus eſt in labris, & ſe eò uſque peccaſſe confeſſus eſt, à miniſterio prohibetur; Preſbyter quoque, ſi quid autem ampliùs peccaſſe quis deprehenſus fuerit in quocunque ſit gradu, deponatur.*

S. Baſilius epiſt. ad Amphilochium can. 70.

118 Quantum deinde ad Monachos attinet & Moniales à caſtitate deficientes, hæc habentur Canone *Impudicas.* Cauſa 27. quæſtione 1. qui Triburienſis Concilii canon ſextus eſt. *Impudicas* (inquit) *deteſtabileſque perſonas Monachorum, ac Monacharum, quæ abjecto propoſito ſanctitatis, illicitâ & ſacrilegâ contagione ſe miſcuerunt, & in abruptum conſcientiæ deſperatione perductæ de illicitis complexibus liberè Filios procreaverunt, à Monaſteriorum cętu Eccleſiarumque Conventibus eliminandas eſſe mandamus.* Et Concilium Andegavenſe anno 453. canone 5. communione privandas ſtatuit. *Quæ de virginitate ſanctimoniali propio crimine deciderunt.* Innocentius I. deinde epiſtola 2. ad Victricium Rothomagenſem cap. 12. de ſacrilegio virginum, quæ ſolemni veli ſuſceptione conſecratæ fuerant, ita ſcribit: * Quæ * Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & ve- * lari à Sacerdote meruerunt, ſi poſteà vel * publicè nupſerint, vel ſe clanculo cor- * ruperint, non eas admittendas eſſe ad * agendum pœnitentiam, niſi is, cui ſe * junxerant, de ſæculo receſſerit. Si enim * de omnibus hæc ratio cuſtoditur, ut quę- * cunque vivente viro alteri nupſerit, ha- * beatur adultera, nec ei agendæ pœni- * tentiæ licentia concedatur, niſi unus ex * eis fuerit defunctus: quantò & illa ma- * gis tenenda eſt, quæ ante immortali ſe * ſponſo conjunxerat, & poſtea ad huma- * nas nuptias tranſmigravit? Accedit Sanctus Baſilius inquiens: * Si vidua graviſ- * ſimo judicio ſubjecta eſt, ut quæ fidem * in Chriſtum irritam fecerit, quid de * virgine putandum eſt, quæ eſt ſponſa * Chriſti, & ſacrum vas Domino dedica- * tum? Magnum quidem eſt peccatum an- * cillam quoque quæ clandeſtinis matrimo- * niis ſe dedit, ſtupri domum implere, & * poſſeſſorem per malam vitam injuriâ * afficere, ſed multò eſt gravius ſponſam * fieri adulteram; & conjunctione cum * ſponſo ignominiâ & dedecore affectâ, ſe * incompetentibus voluptatibus tradere. * Vidua itaque, ut corrupta ancilla con- * demnatur: Virgo verò adulteræ judicio * ſubjicitur. Deinde Sanctus Cyprianus inquit: * Si ſuperveniens maritus ſpon- * ſam ſuam jacentem cum altero videat; * nonne indignatur, & fremit, & per zeli * livorem fortaſsis; & gladium in manum * ſumit? Quid Chriſtus Dominus, & Ju- * dex noſter, cùm virginem ſuam ſibi di- * catam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam, ja- * cere cum altero cernit, quàm indigna- * tur & iraſcitur? Et quas pœnas inceſtis * hujuſmodi conjunctionibus comminatur? Et infra: * Si autem de eis aliqua cor- * rupta fuerit deprehenſa agat pœnitentiam * plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, * non mariti, ſed Chriſti adultera eſt: * Quod ſi obſtinatè perſeverant, nec ſe * ad invicem ſeparant, ſciant cum hac ſua * impudica obſtinatione nunquam à nobis * admitti in Eccleſiam poſſe.

Concilium Triburienſe can. 6.

Pœnæ adverſus Religioſos incontinentes.

Concilium Andegavenſ. can. 5

Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricium.

S. Baſilius epiſt. 2. canonica ad Amphilochium, canone 18.

S. Cyprianus epiſtol. 58. ad Pomponium inſcripta.

ARTICULUS VIII.

Horribilia Gnoſticorum & ſequacium ſacrilegia abominatione deteſtans.

119 IMPIAM ſacrilegii in perſonis Deo ſacris deformitatem rejicimus: ſed horreamus jam monſtruoſas abominationes ſtantes in loco ſacro. Hæccine ſunt, quas Gnoſtici omnium hęreticorum nefandiſsimi ad Eccleſiam ipſam, ad res ſacras, & (quod horret dictu) ad ſacrificia, communionemque tranſtulerunt. Effutierunt non ſolum (quod alibi indicatum eſt) debitam eſſe & licitam carnalis concubitûs ſpeciem omnem; & ad mulieres libidinoſam conſuetudinem in ſingulis corporis membris. Diabolo ducente per incantationes, veneficia, & idololatriam. Verumetiam, ipſam ſuam Synaxim & communionem turpitudine polluebant incredibili, niſi S. Epiphanius horrore perculſus memoriæ tradidiſſet, ut videre licet apud Baronium: Nobis enim cum Apoſtolo pręſtat affirmare: *Quæ apud ipſos fiunt, turpe eſt etiam dicere.* Ex eadem magnæ illius audaciæ blaſphema collectione, turpitudinum coacervatione, & fraudulentæ hujus turpis operationis cęnoſa maleolentia, ut loquitur Epiphanius; prodierunt Dulciniſtæ, qui non ſolum brutaliter affirmarunt in communi debere vivere & cohabitare viros & fœminas, ut diximus ad calcem articuli 5. præcedentis: Sed addiderunt etiam: *Quod coitus promiſcuus cum qualibet muliere licitus eſt congregatis in Eccleſia, extinctis luminibus, poſt ſolis occaſum.* Sacrilegę huic turpitudinum ſentinæ aggregare poſſumus Heicetas, qui (ut diximus in 1. apparatu) vitam pſeudoreligioſam profitentes: Dei laudibus, ipſos præclarè ſatisfactum iri dictitabant: Si unà cum ſanctimonialium turmis, choreis vacarent & tripudiis ad inſtar chori à Moyſe inſtituti, poſt ſubmerſos in mari Ægyptios.

S. Epiphanius hęreſi 26. & 27. apud Baronium anno Chriſt. 120

Prateolus V. Dulcinus.

120 Contra ſacrilegas monſtruoſæ ſpurcitiæ abominationes ſtantes in loco ſancto non argumentis, ſicut uſque modò, ſed lacrymoſis clamoribus procedendum eſt, minis, & terroribus; ſicut in Apoſtolo Paulo & antiquis Prophetis videmus templorum profanationem exhorrentibus, Non verbis ſed

Horrendiſsima Gnoſticorum ſacrilegia gemitibus potius, quàm argumentis abolenda, & flagellis plectenda.

ſed flagellis etiam in Templi profanatores Chriſtus Dominus armatus refertur à Sanctis Evangeliſtis, illos inde ejecturus. *Et invenit in Templo vendentes boves & oves & columbas & numularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. Et his qui columbas vendebant dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Sive ut Matthæus ait: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Et certè, quis non miretur Chriſtum Dominum cujus manſuetudinis ingentia ſigna dederunt Prophetæ, opera deinde adamuſsim ab ipſo completa, tanta ſeveritate armatum, & juſtà indignatione commotum. Ille inquam ipſe qui: Sicut ovis ad occiſsionem ductus, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcens, nec aperiens os ſuum. *Qui calamum quaſſatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur*, prout Apoſtolorum Princeps teſtatum reliquit. Ita certè: at zelo Domûs Dei exęſtuans, decoremque ejus quàm maximè diligens: *Zelus Domûs tuæ comedit me :: dilexit decorem Domûs Dei*, crimina etſi immania contra ſe ipſum quaſi diſsimulans: ſcelera in domo Dei patrata, nequaquam diſsimulanda judicavit cum Jeremia pręnuntians: *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?*

Joann. 2. v. 14.
Matth. 21. v. 13.
Iſaiæ 53. v. 7.
Cap. 42. v. 3.
1. Petri 2.
Jerem. 11. v. 15.

121 Sed cujus Templi profanatores inſolita ſeveritate ejecit Chriſtus? Non ne illius Salomonici, in quo ſacrificia offerebantur populo illi carnali convenientia: ſive ut loquitur Sanct. Thomas à Villanova: *In illo animalia comburebantur.* Quid quæſſo præſtitiſſet Chriſtus ſi profanatores inveniſſet in noſtris Templis, in quibus (ſubjungit Thomas) *Corpus Chriſti immaculatum & pretioſus Sanguis offertur?* Quæ cum attente meditaret Archipreſul, gemebundus exclamat: *In Templis noſtris, cum venerandum illud & Angelicis Spiritibus tremendum ſacrificium offertur, quantus puerorum ſtrepitus? Quantus loquentium & deambulantium ſonitus? Quantum inter Divinas laudes ridentium, & negotiantium murmur? Nulla devotio, nullus ordo, nulla reverentia, nullus Divinę Majeſtatis reſpectus, ſed neglecta omnia, confuſa omnia, dejecta omnia.* Et quomodo non lamentetur devotiſsimus Præſul talia committi in Templo, in Eccleſia? Memor illius Divi Chryſoſtomi memorabilis Sententiæ: *Eccleſiam ut Cęlum adi, & nihil in ea, aut loquere, aut agere, quod terram ſapit.* Et meritò quia ut aliàs pronuntiavit aureum illud eloquentiæ os: *Eccleſia locus eſt Angelorum, locus Archangelorum, Regia Domûs Dei, & Cęlum ipſum.* Sive (ut cum Evangeliſta Joanne loquamur) Civitas eſt Sancta, nova Jeruſalem deſcendens de Cęlo, à Deo parata, ſicut Sponſa ornata viro ſuo. Ea propterea ratione in Templo commiſſa peccata non crimina utcunque, ſed ſcelera appellata vidimus per Prophetam, ut aliquando notavit Angelicus Doctor.

S. Thom. Villanova concione in Dedicatione Templi.
S. Chryſoſtomus homil. 1. in Geneſim.
Templi profanatores ſugillantur.

122 Sed jam ad Chriſtum Dominum redeamus, ut ex ejus verbis & factis (à minori ut dicunt ad majus) ſacrilegos quos memoravimus hæreticos repellamus. Etenim Chriſtus Dominus acri ſermone compreſsit, & ultrici flagello antiquos illos antiqui Templi profanatores ejecit: Quia Domum Dei domum negotiationis faciebant, imò & ſpeluncam latronum: Licèt ea venderent, quæ ad ſacrificia opus haberent Iſraëlitę quorum plures quia de longè veniebant victimas non habebant, ut notat Hieronymus. Addit etiam Maximus Doctor ſtratagemam & artem qua utebantur avari illi Sacerdotes. Quibus cum præceptum fuiſſet & lege cautum ut nemo uſuras acciperet, conſtituebant numularios, qui pro uſuris, ſi non pecuniam alias accipiebant ſpecies. Hujuſmodi autem Dominus cernens negotiationem, ſeu latrocinium, ardore Spiritûs concitatus, tantam hominum multitudinem ejecit è Templo. Hucuſque ad ſenſum habet Hieronymus. Hæc cum ita ſint Auguſtinum ipſum arguentem audiamus: *Ecce Templum illud figura adhuc erat, & ejecit inde Dominus omnes qui ad nundinas venerant.* Et quæ ibi vendebant? Quę opus habebant homines in ſacrificio illius Temporis. Quid ſi ibi ebrioſos inveniret? Si negotiationis non debet fieri Domus Dei, potationis fieri debet?

S. Hieron. apud Div. Thom. in catena aurea Matth. 21.
S. Auguſt. tract. 10. in Joann. apud D. Thom. in caten. Joan. 2.

123 Idem argumentum Venerabilis Beda proſequitur inquiens: * Videbantur
* ergo licitè vendi in Templo, quæ ad hoc
* emebantur, ut in eodem Templo offer-
* rentur Domino. Sed nollens ipſe Domi-
* nus aliquid in domo ſua terrenæ nego-
* tiationis, ne ejuſdem quidem, quæ ho-
* neſta putaretur, exhiberi, diſpulit ne-
* gotiatores injuſtos, & forâs omnes ſi-
* mul cum iis, quæ negotiabantur, eje-
* cit. Quid ergo fratres mei, quid puta-
* mus, faceret Dominus, ſi rixis diſsi-
* dentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſo-
* lutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret
* irretitos, qui hoſtias, quæ ſibi immola-
* rentur ementes in Templo vidit, & eli-
* minare feſtinavit? Hæc propter illos di-
* ximus, qui Eccleſiam ingreſsi non ſo-
* lum intentionem orandi negligunt, ve-
* rumetiam ea, pro quibus orare debue-
* rant, augent: inſuper, & arguentes ſe
* pro hujuſmodi ſtultitia, convitiis odiiſ-
* que vel etiam detractionibus inſequun-
* tur, addentes videlicet peccata pecca-
* tis, & quaſi funem ſibi longiſsimum
* incautè eorum augmentatione texentes,
* nec timentes ex eo diſtricti judicis exami-
* natione damnari. Nam bis quidem in
* ſancto Evangelio legimus, quòd veniens
* in Templum Dominus hujuſmodi nego-
tia-

V. Beda comm. in locum Joan.

* tiatores ejecerit, nunc videlicet, id eſt
* tertio ante paſsionem ſuam anno, ſicut
* ex hujus Evangeliſtæ ſequentibus ſcriptis
* agnoſcimus: & ipſo quo paſſus eſt anno:
* cùm ante dies quinque Paſchæ ſedens in
* aſino Jeroſolymam veniſſet. Sed hoc idem
* cùm in Templo Sanctæ Eccleſiæ, & exa-
* mine quotidianæ viſitationis agere om-
* nis, qui recte ſapit intelligit. Unde
* multum tremenda ſunt hæc, dilectiſsi-
* mi, & digno expaveſcenda timore, ſe-
* dulâque præcavendum induſtriâ: ne ve-
* niens improviſus, perverſum quid in
* nobis, unde meritò flagellari, ac de
* Eccleſia ejici debeamus, inveniat: & ma-
* ximè in illa, quæ ſpecialiter domus ora-
* tionis vocatur, obſervandum ne quid
* ineptum geramus, ne cum Corinthiis
* audiamus ab Apoſtolo: *Nunquid domos*
* *non habetis*, ad agenda, vel loquenda
* temporalia? *Aut Eccleſiam Dei contem-*
* *nitis?* Et à Propheta cum Judæis: *Di-*
* *lectus meus in domo mea fecit ſcelera*
* *multa.*

124 Si inquam ebrioſos in Templo illo reperiiſſet Chriſtus Dominus acriùs certè reprehendiſſet. Hoc præſtat Paulus, ut proximè laudatus Beda indicat, expenditque amplius Doctor Angelicus teſtimonium Apoſtoli, dilucidè pro more exponens. Cum enim (ad ſenſum habet) fideles Eccleſiam petentes in unum convenire debeant, propter aliquod melius bonum ſpirituale; acritèr reprehendit Apoſtolus Corinthios, quod in deteriùs convenerint propter culpas quas committebant, dum in Eccleſiam conveniebant: *Hoc autem præcipio, non laudans, quòd non in meliùs, ſed in deteriùs convenitis.* Quænam autem eſſent hujuſmodi culpæ, ſignificat ſtatim, nam præter contentiones quas exercebant redarguit eos: ,, Quod in cœna tunc temporis in ,, Templis permiſſa: Divites lautè comedebant in Eccleſia, & bibebant uſque ad ,, ebrietatem, pauperibus autem nihil dabant, ita quòd remanebant eſurientes: Et ,, hoc eſt, quod dicitur, *& alius quidèm* ,, *eſurit* (ſcilicet pauper, qui non habebat ,, unde ſibi præpararet) *alter autem ebrius* ,, *eſt* (ſcilicet dives, qui ſuperfluè comedebat ,, & bibebat) contra id quod dicitur Nehemiæ 8. *Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes eis qui non præparaverunt ſibi.* Sed quid ageret Paulus (ut proximiùs ad rem noſtram accedamus) ſi ebrioſos non ſolum audiiſſet Corinthios ſed impudicitiis deditos, & quidem in ipſo Templo, in Eccleſia? Quàm juſtè inclamaſſet: *Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* De utroque Templo tùm myſtico, tùm materiali loquens.

A minori ad majus contra Gnoſticos ſacrilegos arguitur.
1. Corinth. 11.
D. Thom. lect. 4.
1. Corinth. 3.

125 Tales jam abominationes præviderat Oſeas dum vaticinavit: *In domo Iſrael vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim contaminatus eſt Iſrael.* Pręviderat etiam Regius Propheta, qui zelò domûs Dei tabeſcens contra Templi profanatores gemebundus declamavit: *Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.* Quæ verba in ſenſu morali de igne luxurię intelligenda judicat Hugo Cardinalis: *Incenderunt*, inquit, *ſanctuarium Dei*, ſcilicet ſanctuarium Domini, quod habet in terra, ſcilicet animam juſti, vel Eccleſiam ipſam igne luxuriæ. At majori inter omnes Prophetas expreſsione Ezechiel abominationes in Eccleſia legis gratiæ pręviſas, deteſtatus fuit; dùm antiqui ſanctuarii, noſtri temporis Templorum umbra, imago, & typus, abominationes detexit cap. 8. ſuæ prophetiæ. Verba ibi facit de idololatria, quam in antiquo Templo exercebant perverſi Judęi. At ſimul gulam & luxuriam eorum acriter reprehendit. Et meritò, quia re ipſa magna copulantur affinitate recenſita vitia: gulam namque, luxuriam & generare & fovere oſtendimus jam. Similiter ex idololatria ad impudicitiam naturæ ipſi horrentem gradum fieri ſignificat Apoſtolus Roman. 1. ſicut per oppoſitum obſcuratus, nempè, luxuriæ bitubinoſo & ſulphureo fumo facilè in idololatriam præceps ruit homo. Hæc vitia horrendo ſacrilegio, Gnoſtici, quos debellandos ſumpſimus, in Eccleſiis ipſis patrari ſoliti fuerunt; ut indè veroſimile fiat contra ſacrilegos illos, & ſpurciſsimos nebulones (quos pluſquam idolatras vocaret, qui ſupra laudatum Epiphanium referentem audiret) verba Ezechielis ſatis ſpecialiter dirigi.

Oſee 6. v. 10.
Pſalm. 73. v. 7.
Hugo Cardin. ibidem.
Gnoſticorum ſacrilegas abominationes præabominavit jam Oſeas.

126 *Et adhuc converſus* (inquit Propheta) *videbis abominationes majores. Et introduxit me ad oſtium atrii, & vidi, & ecce foramen unum in pariete.* Foramen in pariete, exponit Hugo Cardinalis, eſt violatio integritatis in carne. Sicut enim foramen ruina parietis eſt, ita peccatum carnale corruptio & violatio, & ruina eſt ipſius carnis. Grandis certè abominatio! Sed ſubjungit nihilominus Propheta; *& dixit ad me: Adhuc converſus videbis abominationes majores, quas iſti faciunt.* Id eſt plures, vel majores, quia in præcedentibus tantum oſtenſa eſt ſimilitudo Idola collentium, hic autem oſtenditur cum idololatria, libido, & luxuria in mulieriebus plangentibus Adonidem, ut dicitur verſu ſequenti. Inſuper omnes hujuſmodi abominationes & peccata, nempè idololatrię, libidinis, & luxuriæ, quorum primum ſignificatur à Propheta in turibulo, & Idolis domus Iſraël; ſecundum autem & tertium, in picturis abominationum: maxime aggravat Propheta: quia factas in oſtio Templi Domini, inquiens: *Certe vidiſti fili hominis, nunquid leve eſt hoc domui Juda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hìc.*

Ezechiel. 8. à v. 6.
Hug. Card. ibid.
– ibid.
V. 13.
Verſ. 14.
– mulieribus
Verſ. 17.

127 Videas in Gnoſticis (Templi poſt hominum memoriam maximis profanatoribus) in Eccleſia congregatis, redivivas, nec ſine magno incremento antiquas illas ab Ezechiele deſcriptas abominationes eò majores, quò major eſt Templorum legis gratię ſanctitas. Quid enim de illorum horrendis ſpurcitiis, in Eccleſia, in Sacrificiis, & Vaſis ſacris, abominandum nobis erit, quibus certum

tum eſt ad ſacrilegii genus ſpectare omnē injuriam, & irreverentiam in Sacramenta, omnemque eorum violationem & abuſum. Cumque maximum ſit & excelentiſsimum Euchariſtię Sacramentum, quòd ipſum Chriſtum continet, ideò inquit D.Thom.
,, Sacrilegium
,, quod contra hoc Sacramentum committi-
,, tur, graviſsimum eſt inter omnia. Poſt
,, Sacramenta autem (ſubjungit) ſecundum
,, locum tenent Vaſa conſecrata ad Sacra-
,, mentorum ſuſceptionem.

D.Thom. 2. 2. q.99. art.3. in corp.

Nimirùm Calices (quos Sanctus Optatus vocat, *Sanguinis Chriſti portitores.*) Patenæ, Pixides ſacræ, quo etiam in ordine recenſenda ſunt Corporalia. Proinde Calice conſecrato uti ad potandum, ſacrilegii crimen eſt longè graviùs crimine Baltaſſaris Babyloniæ Regis, qui divinam expertus ultionem eſt, quòd in vaſis Templi Jeroſolymitani Babylonem à Nabuchodonoſore translatis, bibiſſet ipſe, & Optimates ejus, uxores & concubinæ ejus ut habetur Danielis 5.

128 Quid ageret, quid fleret, quid lamentaretur ad conſpectum tantæ abominationis ſtantis in loco ſacro Magnus ille Pontifex Gregorius X. in Lugdunenſi generali Concilio ita decernens? * Decet domum
* Domini ſanctitudo, decet ut cujus in pa-
* ce factus eſt locus, ejus cultus ſit cum de-
* bita veneratione pacificus. Sit itaque ad
* Eccleſias humilis, & devotus ingreſſus:
* ſit in eis quieta converſatio, Deo grata,
* inſpicientibus placita, quæ conſiderantes
* non ſolum inſtruat, ſed & reficiat:: Et
* quod generaliter ſcribitur, *Ut in nomine*
* *JESU omne genufleɛtatur*, ſinguli ſingu-
* lariter in ſe ipſis implentes, glorioſum
* illud Nomen quandocunque recolitur, fle-
* ctant genua cordis ſui, quod vel capitis
* inclinatione teſtentur. Attendantur in lo-
* cis eiſdem intentis præcordiis ſacra ſo-
* lemnia, devotis orationibus inſiſtantur:
* Nullus in locis eiſdem, in quibus cum
* pace ac quiete vota convenit celebrare,
* ſeditionem excitet, conclamationem mo-
* veat, impetumvè committat. Ceſſent in
* locis illis univerſitatum, & ſocietatum
* quorumlibet concilia, conciones & publi-
* ca parlamenta. Ceſſent vana, & multò
* fortiùs, fœda & profana colloquia. Ceſſent
* confabulationes qualibet. Sint poſtremò
* quæcunque alia, quæ Divinum poſſunt tur-
* bare Officium, aut oculos Divinæ Maje-
* ſtatis offendere ab ipſis prorſus extranea:
* Ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda,
* ibi peccandi detur occaſio, aut deprehen-
* dantur peccata committi:: Ceſſent in Ec-
* cleſiis, earumque Cęmeteriis negotiatio-
* nes, & præcipuè nundinarum ac fori cu-
* juſcunque tumultus: Omnis in eis ſæcula-
* rium judiciorum ſtrepitus conquieſcat,
* nulla inibi cauſa per laicos criminalis ma-
* ximè agitetur: Sint loca eadem à laico-
* rum cogitationibus aliena. Ordinarii lo-
* corum hoc faciant obſervari, ſuadenda
* ſuadeant, interdicta hujus Canonis aucto-
* ritate compeſcant.

*Gregorius X. cap.*Decet,*tit. de Immunit.*

129 Præſtat tandem breviter reprobare non tàm hæreſim, quàm ſacrilegam inſaniam Heicetarum, quàm initio memoravimus. Inſaniam inquam ab omni ratione alienam, & auctoritate ipſius Moyſis quâ Nebulones illi abutuntur expreſsè rejectam. Obganiunt illi, effutiunt, ſacrilegè blaterantur, Deo ſacrificium laudis debitè præſtari, ſi Choreas & tripudia cum ſanctimonialibus ducerent adinſtar Chori à Moyſe inſtituti poſt ſubmerſos in mari Ægyptios. Sed ò voluntaria cæcitas! O perverſitas in detorquendis Sacris Scripturis, & in pravum pervertendis! Chorum duxit Moyſes ad glorioſè magnificandam Dei potentiam; ſed filiis Iſraël carmen illud laudis perſolventibus ſociatus dicitur in textu: *Tunc cecinit Moyſes, & filii Iſrael carmen hoc Domino: Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem dejecit in mare.* Neque à Dei laudibus decantandis, excluſæ fuerunt mulieres; at non ducebant Choros cum viris, et multòminus Choreis, & Tripudiis vacarunt, ſed ducente Maria Canticum illum perſonabant. *Sumpſit Maria Prophetiſſa, ſoror Aaron tympanum in manu ſua: Egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris quibus præcinebat; dicens, Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem ejus dejecit in mare.* Videas inde corruere vanum ſacrilegę illius inſaniæ fulcimentum, ex eo ipſo capite unde ſtabiliri præſumitur.

Tripudia cum ſanctimonialibus cōtra Heicetas deteſtantur.

Exodi 15. v.1.

Verſ.20.

130 Præterea: nam quis mente compos laudem Dei dicat, quòd ſuperbiæ, luxuriæ, aliiſque malis viam parat; ſicut de choreis, & tripudiis obſervat Tertullianus in illis, inquiens: aut *luxuria negotiatur*, aut *gloria inſoleſcit.* Quapropter Spiritus Sanctus à choreis, & ſaltationibus homines deterret per Eccleſiaſticum ſcribentem: *Cum ſaltatrice ne aſsiduus ſis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Hujuſmodi periculum infra pluribus oſtendemus, quapropter in præſentiarum Choreas illas Heicetarum pernicioſiores eſſe & pejores paucis damus. Nam quomodo non abominabiles dicamus ſaltationes illas luxuriâ & ſuperbiâ plenas; cùm per oppoſitum ſanctimoniales angelicâ puritate ſplendere debeant; & per propriæ voluntatis bonorumque omnium renuntiationem ſolemnem, non aliam gloriam, niſi humilem Jeſu Chriſti crucifixi ſequellam appetere debeant? An non virgines Deo ſacrę agnum ſequuntur immaculatum quocunque ierit? Quid ergo majoris deformitatis quàm eas, mundanis vacare choreis & tripudiis, quas ſanctiſsimus Borromæus ita deſcribit: *Chorea mundana eſt circulus, cujus centrum eſt diabolus, & cujus circumferentia ſunt Angeli ejus circunſtantes: & ideò raro, vel nunquam ſine peccato fit.* Sivè ut loquitur Chryſoſtomus: *Ubi enim ſaltus laſcivus, ibi diabolus certe adeſt. Non enim ad tripudia pedes nobis prębuit Deus, ſed ut modeſtè incedamus; non ut impudenter camelorum modo ſaliamus: ſed ut in Angelorum*

Eccleſiaſt. 9. v.4.

S. Carolus Borromęus trat. adverſus Choreas.

S.Chryſoſt.hom. 49.in Matth.

rum choris conſiſtamus. Quòd ſi corpus deforme ſit impudenter ſaliendo, quantò magis animam fędari credendum eſt? His tripudiis diabolus ſaltat, his à Dæmonum miniſtris homines decipiuntur. Si ergo Chryſoſtomus tripudia in omnibus etiam ſæcularibus reprehendit; quid quæſo diceret de Sanctimonialibus in choro frequenter inter Angelorum Choros conſidentibus.

131 Audiatur deinde virginum commendator in libro de virginibus, Sanctus Ambroſius contra Herodiadis filiam coram Herode ſaltantem: * Reginę filia intimis
* mandata ſecretis, in conſpectu virorum
* ſaltatura producitur. Quid enim potuit
* de adultera diſcere, niſi damnum pudo-
* ris? An quidquam eſt tàm pronum ad li-
* bidines, quàm inconditis motibus ea quæ,
* vel natura abſcondit, vel diſciplina vela-
* vit, membrorum operta nudare, ludere
* oculis, rotare cervicem, comam ſpargere.
* Meritò inde in injuriam divinitatis proce-
* ditur. Quid enim ibi verecundiæ poteſt
* eſſe, ubi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur::
* Quid dicitis vos, ſanctæ fœminæ? Videtis
* quid docere, quid etiam dedocere filias
* debeatis? Saltat, ſed adulteræ filia. Quæ
* vero pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas Re-
* ligionem doceat, non ſaltationem.

S. Ambroſ. lib. 3. de virginib. cap.6.

Sed omnium Patrum nullus ita expreſsiùs ad rem noſtram loquitur ſicut S. Ephrem inquiens: * Nolite errare, nullus ſervus po-
* teſt duobus dominis ſervire. Nemo poteſt
* Deo ſervire, ac cum diabolo choreas du-
* cere. Ad imaginem Dei facti ſumus, non
* dedecoremus imaginem Dei: ſed tanquam
* milites Chriſti illum ſequamur, illi ſervia-
* mus. Noli hodiè pſallere cum Angelis, &
* craſtino die in tripudiis eſſe cum Dœmo-
* nibus. Noli hodiè ſacras lectiones audire,
* tanquam Chriſto dilectus auditor, & cràs
* cytharis intentus eſſe, ut prævaricator, &
* Chriſti inimicus, noli hodiè pœnitere de
* peccatis, & cràs in perditionem tuam ſal-
* tare in choreis.

S.Ephrem hom. in qua removet Chriſtianos à ludricis rebus.

Hæc inquam verba, quantum pro re noſtra faciant, ſic oſtenditur: quia ſi nullus poteſt ſervire Deo, & cum diabolo choreas ducere; quid in religioſo, in ſanctimoniali totaliter divino cultui & obſequio ſolemniter emancipatis? Non ne cum Angelis frequenter pſallunt, divinæque laudis penſum quotidie perſolvunt, quomodo ergo non craſtino ſed eodem die in tripudiis erunt cum dœmonibus? An Dei laudibus devotè ſatisfactum iri credemus?

132 Ad hæc: quomodo obſequio ſe prętare Deo inſanè putent pſeudoreligioſi illi choreas ducentes cum virginibus Deo ſacris: ſi nequidem in atriis Templorum ſaltationes illas fieri permiſit Concilium Cabilonenſe ſtatuens: *Choreas à ſeptis Baſilicarum, & porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis atriis vetari & arceri*: an non Deo magis ſacræ ſunt Sanctimoniales, quàm atria Templorum, ut ipſæ tripudient pręſtentque quod in illis prohibetur. Et quidem non ſolum in locis ſacris, ſed neque in diebus feſtis fieri permiſit Concilium Toletanum III. Et poſtea graviter reprehendit Concilium Mediolanenſe: * Quoniam uſu nimis compertum eſt,
* depravatis his temporibus, & moribus ad
* choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus
* alia nunquam ferè conveniri ſine multis,
* & iis quidem graviſsimis Dei offenſioni-
* bus, idque cùm ob turpes cogitationes,
* obſcęnè dicta, inhoneſtas actiones, mo-
* rum corruptelas & pernicioſas ad omnia
* opera, carnis illecebras illis perpetuò con-
* junctas; tùm propter cædes, rixas, diſsi-
* dia, ſtupra, adulteria, aliaque mala pluri-
* ma inde conſequentia quàm ſæpiſsimè: His
* tot offenſionum & peccatorum ſeminariis
* locum dari, iis præſertim diebus, qui dies
* propitiationis ſunt; & iis ipſis diebus fide-
* les pleroſque nefariis iſtis Satanę blandi-
* tiis illectos, à Divinis Officiis, religioſis
* ſupplicationibus, lectionibuſque ſacris ab-
* duci, avertique rudes à percipiendis fidei
* rudimentis; alioſque ab aliis Chriſtianæ
* pietatis officiis, in quæ eo tempore, reli-
* gioſè incumbendum eſt, abſtrahi, & amo-
* veri; hoc certè graviſsimum eſt in conſ-
* pectu Dei, & Eccleſiæ: quare feſtis iis die-
* bus, ſaltem horis quibus Divina celebran-
* tur Officia, interdicimus ne ſaltationes,
* tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne
* item comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatra-
* les, haſtiludia, & alia cujuſvis generis ſpe-
* ctacula agantur. Ne circumforanei circu-
* latores, & id generis Nebulones præſtigias
* ſuas, inaniaque ea ſpectacula agant; ne-
* que quidquam omninò vendant, ne medi-
* camenti quidem prætextu.

Concilium Cabilonenſe can. 18.

Concil.Toletan. 3. can.13.

Concil. Mediolan. 3. tit. de Cultu feſtorum.

Choreas ducere, nec in atriis Templorum, neque in diebus feſtis permiſſum.

133 Tandem Heicetarum fatuitatem oſtendunt Sacra Concilia, dùm Clericis prohibent choreas ducere. Sic enim habet Concilium Mediolanenſe I. *Clerici choreas privatas, aut publicas non agent, nec ſpectabunt.* Similiter Concilium Bituricenſe: *Clerici nunquam perſonati ſint: à comœdiis, mimis, choreis, ac ſaltationibus agendis, atque ſpectandis abſtineant.* Similia tradunt plurima alia Concilia apud Natalem Alexandrum. Id ipſum Sacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis prohibent ſtatuta Synodalia Sancti Franciſci Saleſii. Rationem ſimul & præceptum dilucidè, & piè tradit Synodus Narbonenſis inquiens: *Quòd in populo veniale eſt, in Sacerdote judicatur ſacrilegium. Ideò ut monemus populum, ita Clericos diſtrictè choreas quacunque ex cauſa ducere, aut illis intereſſe prohibemus. Vitent tripudia, ludos publicos, larvas non geſtent, aut larvatos ſequantur, comœdias, fabulas, aut ludrica, & quæ ab hiſtrionibus exhibentur, non agant; ad hiſtriones non accedant: Ne puritas Sacerdotis rerum inanium, aut etiam obſcœnarum aſpectu polluatur:: Contra agentes pœnâ carceris, & alia ad arbitrium Ordinarii comprimantur.*

Concil. Mediolan. 1. p.2.tit. 25.

Bituricenſe tit. 25. can.6.

Natalis Alexāder de vita & honeſtat. Cleric. regula 5.

Statuta S.Frāciſci Saleſii p. 3.tit.4.

Synodus Narbonenſis apud laud.Alexandr.

Choreas ducere prohibitum Clericis.

ARTICULUS IX.

Sigillatim pandens vitiorum contra naturam brutalem deformitatem.

134 VITIA omnia & peccata
eſſe contra naturam,
notum eſt omnibus,
qui Theologiam à limine
ſalutarunt: nihilominus
cõmuni Conciliorum, SS. PP. & Theologorum uſu, vitia
quædam intra genus luxuriæ per antonomaſiam
dicuntur contra naturam; imò
juxta vocabuli proprietatem conformiter ad
Apoſtolum de hoc vitio ita loquentem: *Nam
fœminæ eorum immutaverunt naturalem
uſum, in eum uſum, qui eſt contra naturam.*

Ad Roman. 1. v.26.

Rationem autem tradit D.Thomas inquiens:

D. Thom. ibid. lect.8.

,, Eſt autem conſiderandum, quòd dupliciter
,, eſt aliquid contra naturam hominis:
,, Uno modo contra naturam differentię con-
,, ſtitutivæ; quæ eſt rationale (propriè ſumptum
pro diſcurſivo: quamvis latiori ſenſu
de Angelis dicitur juxta ſequens exemplum)
,, & ſic omne peccatum dicitur eſſe contra
,, naturam hominis, in quantum eſt contra
,, rationem rectam: Unde Damaſcenus di-
,, cit in lib.2. de fide cap.4. *Quod Angelus*
,, *peccans verſus eſt, ex eo quod eſt ſecundum*
,, *naturam, in id quod eſt præter naturam.*

Vitia ſpeciali ratione contra naturã dicta.

,, Alio modo dicitur eſſe aliquid contra
,, naturam hominis ratione generis, quod
,, eſt animal: manifeſtum eſt autem, quòd
,, ſecundùm naturæ intentionem commixtio
,, ſexuum in animalibus ordinatur ad actum
,, generationis (ut ex Philoſopho notat lib.
4. de hiſtor. animalium cap. 11. & lib. de
,, gener. animal. cap.1.) Unde omnis com-
,, mixtionis modus ex quo generatio ſequi
,, non poteſt, eſt contra naturam hominis
,, in quantum eſt animal: Et ſecundùm hoc
,, dicitur in Gloſſa: Naturalis uſus eſt ut vir
,, & mulier in uno concubitu coeant; contra
,, naturam verò, ut maſculus maſculum pol-
,, luat, & mulier mulierem. Et eadem ratio
,, eſt de omni actu coitûs, ex quo generatio
,, ſequi non poteſt. Præmiſerat inde S. Doct.
quod à nobis hìc reſolvendum eſt: ſi enim
peccata carnis communiter exprobrabilia
ſunt, quia per ea homo deducitur ad id
quod eſt beſtiale in homine, multò magis
peccatum contra naturam, per quod etiam
homo à natura beſtiali decidit. Oſee 4. *Gloriam
eorum in ignominiam commutabo.*

135 Aſſerendum eſt peccata contra naturam
intra genus luxuriæ omnium eſſe graviſſima.
Aſſertionem firmat D. Thomas imprimis
auctoritate Auguſtini ita in argumento
ſed contra arguens: ,, Auguſtinus dicit
,, quod *omnium horum vitiorum*, ſcilicet,
,, quę ad luxuriam pertinent, peſſimum eſt,

D.Thom. 2. 2. q.154. art.12. in ſed contra.

,, quod contra naturam fit. Et in reſponſio-
,, ne ad primum inquit: Sicut ordo ratio-
,, nis rectæ eſt ab homine, ita ordo naturæ
,, eſt ab ipſo Deo. Et ideò in peccatis con-
,, tra naturam, in quibus ipſe ordo naturæ
,, violatur, fit injuria ipſi Deo ordinatori
,, naturæ. Unde Auguſtinus dicit in 3. conf.
,, cap.8. Flagitia, quæ ſunt contra naturam,
,, ubique, ac ſemper deteſtanda, atque pu-
,, nienda ſunt, qualia Sodomitarum fuerunt,
,, quę ſi omnes gentes facerent, omnes eo-
,, dem criminis reatu divina lege teneren-
,, tur, quę non ſic fecit homines, ut ſe illo
,, uterentur modo. Violatur quippè ipſa ſo-
,, cietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet,
,, cum eadem natura, cujus ille auctor eſt,
,, libidinis perverſitate polluitur. Deinde in
,, reſponſione ad ſecundum (inquit) vitia
,, contra naturam tantò ſunt graviora, quàm
,, ſacrilegii corruptela, quantò ordo naturæ
,, humanæ inditus eſt prior & ſtabilior, quàm
,, quilibet alius ordo ſuperadditus. Poſtre-
,, mò in corpore articuli ſic theologizat: Reſ-
,, pondeo dicendum, quòd in quolibet ge-
,, nere peſſima eſt principii corruptio, ex
,, quo alia dependent. Principia autem ra-
,, tionis ſunt ea, quæ ſunt ſecundum natu-
,, ram. Nam ratio, præſuppoſitis his, quæ
,, ſunt à natura determinata, diſponit alia,
,, ſecundùm quod convenit: & hoc apparet
,, tàm in ſpeculativis, quàm in practicis. Et
,, ideò ſicut in ſpeculativis error circa ea,
,, quorum cognitio eſt homini naturaliter
,, indita, eſt graviſſimus & turpiſſimus, ita
,, in agendis agere contra ea, quæ ſunt ſe-
,, cundum naturam determinata, eſt graviſ-
,, ſimum & turpiſſimum. Quia ergo in vitiis,
,, quæ ſunt contra naturam, tranſgreditur
,, homo id, quod eſt ſecundùm naturam
,, determinatum circa uſum venereum, in-
,, de eſt, quòd in tali materia hoc pecca-
,, tum eſt graviſſimum.

Solut. ad 1.

Peccatorum contra naturã brutalis gravitas fit pateſceus.

Solut. ad 2.

In corpor. art.

136 Ejuſmodi vitiorum brutalem malitiam,
ex ipſa pœna, qua punita à Deo fuiſſe
memorat Paulus, facilè eſt deducere cum
Angelico Doctore; ſicut etiam ex eo quod
ſimul cum idololatria exorta ſint. Deinde
,, cum dicit (verba ſunt D. Thomæ) & *mer-*
,, *cedem*, oſtendit hanc pœnam convenien-
,, tem eſſe culpæ dicens: *recipientes in ſeme-*
,, *tipſis* (id eſt in deformatione ſuæ naturæ)
,, *mercedem erroris ſui*, ſcilicet quo Dei ve-
,, ritatem in mendacium commutaverunt:
,, *mercedem*, id eſt, retributionem; *quam*
,, *oportuit*, ſcilicet eos recipere ſecundùm
,, juſtitiæ ordinem; ex qua debitum erat, ut
,, qui in Dei naturam injurioſi fuerant, id
,, quod eſt proprium ipſi, creaturis attri-
,, buendo, in ſui naturam contumelioſi exi-
,, ſterent. Et quamvis merces proprie vi-
,, deatur in bonum ſonare, tamen hìc ſumi-
,, tur communiter pro quacunque retribu-
,, tione etiam in malis: ſecundum modum quo
,, dicitur infra cap.6. *Stipendia peccati mors.*
,, Mich.1. *Mercedes ejus igne comburentur.*
,, Et eſt notandum quod ſatis rationabiliter
,, Apoſtolus vitia contra naturam, quæ ſunt
gra-

D.Thom. lect.8. ut ſupra.

Vitia contra naturam cum idololatria incepiſſe, & graviter à Deo punita traditur.

,, graviſſima inter peccata carnalia, ponit
,, idololatrię pœnam, quia ſimul cum ido-
,, lolatria incepiſſe videntur; ſcilicet tempo-
,, re Abrahæ, quando creditur idololatria in-
,, cepiſſe: Unde & tunc primò leguntur in
,, Sodomitis punita eſſe, ut Geneſ. 19. Si-
,, militer etiam idololatria creſcente hujuſ-
,, modi vitia creverunt: Unde dicitur 1.
,, Machab.4. *Quòd Jaſſon auſus eſt ſub ip-*
,, *ſa arce optimos quoſque epheborum in lu-*
,, *panaribus ponere.* Erat autem hoc non
,, initium, ſed incrementum quoddam, & pro-
,, fectus gentilis & alienigenæ converſa-
,, tionis.

137 Angelico Doctori præluxerunt, non
ſolùm laudatus Auguſtinus, ſed & alii Patres:
imprimis Tertullianus inquiens:
* Reliquas libidinum furias impias, & in
* corpora, & in ſexus ultra jura naturæ,
* non modò limine, verùm omni Eccleſiæ
* tecto ſubmovemus; quia non ſunt delicta,
* ſed monſtra. Rursùs S. Petrus Damiani
* inquit: Hoc ſanè vitium nulli prorſus
* eſt vitio conferendum, quod omnium im-
* manitatem ſuperat vitiorum. Hoc ſiqui-
* dem vitium mors eſt corporum, interitus
* animarum, carnem polluit, mentis lumen
* extinguit, Spiritum Sanctum de templo
* humani pectoris ejicit, incentorem luxu-
* rię diabolum introducit, mittit in erro-
* rem, ſubtrahit deceptæ menti funditus
* veritatem, eunti laqueos præparat, cadenti
* in puteum, ne eggrediatur, oppilat, in-
* fernum aperit, paradiſi januam claudit,
* cęleſtis Jeruſalem Civem, tartareæ Baby-
* lonis facit hæredem.

Tertullian. lib. de pudicitia, cap.1.

S. Petrus Damiani lib. Gomorrh. cap.16.

138 Verumtamen ad detegendam abominabilem
vitii contra naturam deformitatem,
ſingulas ejus ſpecies articulo 1. præcedenti
deſcriptas percurramus; uniuſcujuſque
peculiarem monſtruoſam malitiam, prælucente
Sacrâ Scripturâ PP. & Conciliis, monſtrantes:
ea etenim vitia ſpecificè diſtingui infra
daturi ſumus. Quia tamen proximè demonſtratum
eſt: hujuſmodi vitia aliis luxuriæ
peccatis graviora eſſe, pręſtat indicare vel
breviter cum Div. Thoma qualis ſit malitiæ
ordo in ſpeciebus naturalibus luxuriæ conformiter
ad ea, quę ſigillatim de unaquaque
diximus: ſicut etiam inter vitia contra naturam,
de quibus in præſentiarum ſeorſim
agendum eſt. Et quantum ad primum attinet,
ſic malitiam ordinat Sanct.Doct. ,, Se-
,, cundum hoc patet quòd fornicatio ſimplex
,, eſt minimum peccatum inter iſta, quia illi
,, cum qua concubitur, nullum novum im-
,, pedimentum reſpectu ſequentis matrimo-
,, nii infertur: & poſt hoc eſt ſtuprum, per
,, quod infertur impedimentum mulieri, ut
,, non illa facilè poſtmodum nubere poſsit:
,, & poſt hoc eſt adulterium, quod eſt con-
,, cubitus ad illam, quæ non poteſt duci in
,, uxorem, dùm vir ejus vivit: & poſt hoc eſt
,, inceſtus, qui committitur cum illa, quę
,, ſimpliciter uxor non eſſe poteſt: & poſt
,, hoc eſt raptus, qui matrimonio contra-
,, riatur, non ſolum quantum ad eſſentiam,

D.Thom. in 4. diſt.41.q.1.ar. 4.ad 3.q.

,, ſed etiam quantum ad cauſam, & hic eſt
,, ordo eorum ſecundum genus ſuum conſi-
,, deratorum: tamen poteſt quandoque hic
,, ordo variari ſecundum diverſas circunſtan-
,, tias, omnium tamen horum gravius eſt
,, peccatum contra naturam.

Ordo malitiæ inter naturales luxuriæ ſpecies.

139 Eandem doctrinam iterat S. Doct.
in Summa Theologica, ubi poſt indicatam
deformitatem vitiorum contra naturam, ſubjungit:
,, Poſt quod (ſcilicet vitium contra
,, naturam) eſt inceſtus, qui ſicut dictum eſt,
,, contra naturalem reverentiam, quam per-
,, ſonis conjunctis debemus. Per alias autem
,, luxuriæ ſpecies præteritur ſolum id, quod
,, eſt ſecundum rationem rectam determina-
,, tum, ex præſuppoſitione tamen natura-
,, lium principiorum. Magis autem repug-
,, nat rationi, quod aliquis venereis utatur,
,, non ſolum contra id, quod convenit pro-
,, li generandæ, ſed etiam cum injuria alte-
,, rius: & ideò fornicatio ſimplex, quę com-
,, mittitur ſine injuria alterius perſonæ, eſt
,, minima inter ſpecies luxurię. Major au-
,, tem injuria eſt, ſi quis abutatur muliere
,, alterius poteſtati ſubjecta ad uſum gene-
,, rationis, quàm ad ſolam cuſtodiam: &
,, ideò adulterium eſt gravius, quàm ſtu-
,, prum, & utrunque aggravatur per vio-
,, lentiam, propter quod raptus virginis eſt
,, gravius, quàm ſtuprum, & raptus uxoris,
,, quàm adulterium. Et hæc omnia etiam ag-
,, gravantur ſecundum rationem ſacrilegii,
,, ut ſupra dictum eſt. Ordinem deinde inter
vitia contra naturam ibidem aſsignat S. D.
ad quartum inquiens: ,, Quòd gravitas in
,, peccato magis attenditur ex abuſu alicu-
,, jus rei, quàm ex omiſsione debiti uſûs: &
,, ideò inter vitia, quæ ſunt contra natu-
,, ram, infimum locum tenet peccatum im-
,, munditiæ, quod conſiſtit in ſola omiſsio-
,, ne concubitûs ad alterum. Graviſſimum
,, autem eſt peccatum beſtialitatis: quia non
,, ſervatur debita ſpecies. Unde ſuper illud
,, Geneſ.37. cap. accuſavit fratres ſuos cri-
,, mine peſſimo, dicit Gloſſa quòd cum pe-
,, coribus miſcebantur. Poſt hoc autem eſt
,, vitium ſodomiticum, cùm ibi non ſerve-
,, tur debitus ſexus. Poſt hoc autem eſt pec-
,, catum ex eo quod non ſervatur debitus
,, modus concubendi. Magis autem ſi non
,, ſit debitum vas, quàm ſi ſit inordinatio
,, ſecundum aliqua alia pertinentia
ad modum concubitûs.

D.Thom. 2. 2. q.154. art.12. in corpor.

Solut. ad 4.

Ordo inter vitia contra naturam.

§. I.

Mollities ſeu pollutio graviter deteſtanda.

140 MOLLITIEM inter peccata lethalia Apoſtolus reponit, quippè quæ à regno Dei poſsidendo ſuos removet ſequaces: *Neque fornicarii* (inquit) :: *neque molles* :: *regnum Dei poſsidebunt*. Hinc ajebat Sanctus Auguſtinus: *Malè utitur homo memoris bonis, quando conſentit eis, quæ in nobis habitant cupiditatibus malis: in quibus libido præ ceteris turpis eſt, cui niſi reſiſtatur, horrenda immunda committit. Quo malo benè non utitur niſi ſola pudicitia conjugalis.* Intrinſecam malitiam pollutionis ab ipſo jure naturæ promanantem hìc oſtendere facilè eſſet, niſi alias alio loco contra Caramuelem demonſtrandum aſſumere in animo fuerit. Adnotandum tamen venit; quòd licèt mollities, ſeù pollutio inter vitia contra naturam inferiorem malitiæ locum teneat; poteſt tamen novam induere deformitatem, ſivè majorem intra eandem ſpeciem gravitatem, juxta diverſitatem circunvenientis circunſtantiæ.

1. Corinth. 6.

S. Auguſtin. lib. 4. contra Julianum cap. 5.

141 Item pollutio (verba ſunt Natalis Alexandri) quæ fit alienâ manu, & contactu, ſeu ad quam aliqui mutuò ſe excitant; gravius peccatum eſt ea, quam quis ſibi procurat nullo conſcio, vel conſorte criminis. Sui enim, & alieni peccati reus eſt, qui alterum fœda contrectatione contaminat, aut ab illo ſe contaminari patitur: multoque magis reus eſt, qui tanti flagitii neſcium, aut inexpertum docet; vel repugnantem, aut turpitudinem hujuſmodi aliàs non admiſſurum, ad illam impellit attrectatione, aut titillatione, pudendorum nudatione, oſculis, blanditiis, obſcęnis verbis, & cantibus. Hinc in Romano Pœnitentiali triginta dies pœnitentiæ, ac jejunii in pane, & aqua imponuntur illis, qui ſe mutua contrectatione polluerunt: illis verò, qui ſoli ad pollutionem ſe excitarunt, decem dumtaxàt dies. Gravius item peccatum eſt, cum iis modis procuratur, qui ad ſodomię, vel beſtialitatis execranda crimina propiùs accedunt, de quibus Beatus Petrus Damiani lib. qui Gomorrhianus inſcribitur cap. 1. Unde & Pœnitentiale Romanum, & Pœnitentiale Bedæ, graviorem pœnitentiam illis indicunt, qui contra corpus aliquod molle, quaſi concubendo ſe contaminaverint, viginti ſcilicet dierum jejunium in pane & aqua. Graviorum rursùs iis, qui inter aliorum ejuſdem ſexûs femora ſe polluerint, ſcilicet quadraginta dierum jejunium in pane pariter & aqua.

Mollities ex natura ſua graviſsimum peccatum, grrvius ex circunſtantiis reſpectivè redditur.

142 Circa mollitiem, aut pollutionem in ſomnis evenientem plura diſputant Theologi moralia tractantes, quæ ad noſtrum non ſpectant inſtitutum. Verumtamen, ut paucis plura, quàm maximè utilia complectamur, audiendus eſt Div. Thomas, dilucidâ brevitate, cuncta quæ deſiderari poſſunt angelico & puriſsimo ſtylo ita expendens: „ Reſpondeo dicendum, quòd nocturna pollutio dupliciter conſiderari poteſt. Uno „ modo ſecundum ſe, & hoc modo non habet rationem peccati. Omne enim peccatum dependet ex judicio rationis, quia „ etiam primus motus ſenſualitatis non habet, quòd ſit peccatum, niſi in quantum „ judicio rationis reprimi poteſt: & ideò ſublato judicio rationis tollitur ratio peccati. „ In dormiendo autem ratio non habet liberum judicium. Nullus enim eſt dormiens, „ qui non intendat aliquibus ſimilitudinibus „ phantaſmatum, velut rebus ipſis, ut patet „ ex his quæ in primo dicta ſunt. Et ideò „ id, quod agit homo dormiens, qui non „ habet liberum judicium rationis, non imputatur ei ad culpam, ſicut nec illud, quod „ agit furioſus aut amens. Alio modo poteſt conſiderari nocturna pollutio per comparationem ad ſuam cauſam, quæ poteſt „ eſſe triplex. Una quidem corporalis. Cùm „ enim humor ſeminalis ſuperabundat in „ corpore, vel cum facta eſt humoris reſolutio, vel per nimiam calefactionem corporis, vel per quamcunque aliam commotionem, ſomniat dormiens ea, quę pertinent ad expulſionem hujuſmodi humoris abundantis, vel reſoluti, ſicut etiam „ contingit, quandò natura gravatur ex aliqua alia ſuperfluitate ita, quòd quandoque formantur in imaginatione phantaſmata pertinentia ad emiſsionem talium „ ſuperfluitatum. Si igitur ſuperabundantia „ talis humoris ſit ex cauſa culpabili (puta „ cum cauſata eſt ſuperfluitate cibi, vel potûs) tunc nocturna pollutio habet rationem culpæ ex ſua cauſa. Si autem ſuperabundantia, vel reſolutio talis humoris „ non ſit ex aliqua cauſa culpabili, tunc „ nocturna pollutio non eſt culpabilis, nec „ in ſe, nec in ſua cauſa. Alia verò cauſa nocturnæ pollutionis poteſt eſſe animalis & „ interior, (puta, cum ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem „ pollui.) Cogitatio autem quæ in vigilia „ præceſsit, quandoque eſt purè ſpeculativa „ (puta, cum aliquis cauſa diſputationis cogitat de peccatis carnalibus) quandoque „ autem eſt cum aliqua affectione, vel concupiſcentiæ, vel horroris. Contingit autem magis pollutio nocturna ex cogitatione carnalium vitiorum, quæ ſunt cum „ concupiſcentia talium delectationum, quia „ ex hoc remanet quoddam veſtigium, & inclinatio in anima: ita quòd dormiens faciliùs inducitur in ſua imaginatione ad aſſentiendum actibus, ex quibus ſequitur „ pollutio. Et ſecundum hoc Philoſophus „ dicit in 1. Ethicorum quòd, in quantum „ paulatim pertranſeunt quidam motûs à „ vigilantibus ad dormientes, meliora ſunt „ phantaſmata ſtudioſorum, quàm quorumlibet. Et Auguſtinus dicit 12. ſuper Geneſim ad litteram, quòd propter bonam animæ affectionem quędam ejus merita „ etiam in ſomnis clarent, & ſic patet, quòd „ nocturna pollutio habet rationem culpæ „ ex parte ſuæ cauſæ. Quandoque tamen „ contingit, quòd ex præcedenti cogitatione carnalium actuum, etiam ſpeculativa „ vel ſi ſit cum horrore, ſequitur in ſomnis „ pollutio: & tunc non habet rationem culpæ, nec in ſe, nec in ſua cauſa. Tertia verò cauſa eſt ſpiritualis extrinſeca (puta, „ cum ex operatione dœmonis commoventur phantaſmata dormientis in ordine ad „ talem effectum) & hoc quidem quandoque „ eſt, cum peccato præcedenti, ſcilicet negligentia præparandi ſe contra dœmonis „ illuſiones. Unde & in ſero cantatur: *Hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.* Quandoque verò eſt abſque omni culpa hominis ex ſola nequitia dœmonis. Sicut in Collationibus Patruum legitur de quodam, qui ſemper in diebus feſtis pollutionem nocturnam patiebatur, hoc „ diabolo procurante ut impediretur à ſacra „ Communione. Sic igitur patet quod nocturna pollutio nunquam eſt peccatum „ ſed quandoque eſt ſequella peccati præcedentis.

D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 5. in corpor.

Qualiter culpabilis eſt, aut inculpabilis nocturna pollutio.

§. II.

Inordinatus concubitus majorem præſefert malitiam.

143 INORDINATUS concubitus lethale peccatum eſt, ſimplici pollutione gravius, cum ſemen extra vas debitum effunditur, & quoties ejus effuſionis periculum imminet: quoties denique generatio defectu debiti ordinis in modo concubendi, etiam in uſu matrimonii impeditur. Gravitatem hujus peccati plura oſtendunt Scripturę teſtimonia, ut præcipuè videre eſt in libro Geneſis ubi vitium illud inter res deteſtabiles reponitur, dum de Her & Onam dicitur: *Dedit Judas uxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Judæ nequam in conſpectu Domini, & ab eo occiſus eſt. Dixit ergo Judas ad Onam filium ſuum: Ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, ut ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Et id circò percuſsit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret.* Et id confirmat S. Auguſtinus: * Illicitè (inquit) & turpiter etiam cum * legitima uxore concubitur, ubi prolis conceptio devitatur, quod faciebat Onam filius Judæ; & occidit illum propter hoc * Deus. Et rursùs dum habet: Cum ille naturalis uſus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id eſt ultra propagandi neceſsitatem, venialis ſit in uxore, in meretrice damnabilis; iſte qui eſt contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, ſed * execrabiliùs in uxore. Tantum valet ordinatio Creatoris, & ordo creaturę, ut in * rebus ad utendum conceſsis, etiam cum * modus exceditur, longe ſit tolerabiliùs, * quàm in eis, quæ conceſſa non ſunt, vel * unus, vel rarus exceſſus. Et ideò in re conceſſa, immoderatio conjugis, ne in rem * non conceſſam libido procurat, tolleranda * eſt. Hinc eſt etiam, quod longè minus * quamlibet aſsiduus ad uxorem, quàm vel * rariſsimus ad fornicationem. Cum verò * vir membro mulieris non ad hoc conceſſo uti voluerit, turpior eſt uxor, ſi in ſe, * quam ſi in alia fieri permiſſerit. Poſt Auguſtinum Magiſtrum, audiatur Angelicus Thomas, ejus diſcipulus: „ Uſus (inquit) „ contra naturam conjugis eſt, quando debitum vas prętermittit, vel debitum modum à natura inſtitutum, quantum ad ſitum: & in primo ſemper eſt peccatum mortale, quia proles ſequi non poteſt; unde „ totaliter intentio naturæ fruſtratur: ſed „ in ſecundo modo non ſemper eſt peccatum „ mortale, ut quidam dicunt, ſed poteſt „ eſſe ſignum mortalis concupiſcentiæ: Quandoque etiam ſine peccato eſſe poteſt, quando diſpoſitio corporis alium modum non „ patitur: alias tantò eſt gravius, quantò „ magis à naturali modo receditur.

Geneſ. 38. v. 6.

Inordinatus côcubitus deteſtandam induit deformitatem.

S. Auguſt. lib. 2. de adult. conjug. cap. 12. Et lib. de bono conjug. cap. 11.

D. Thom. in 4. diſt. 31. in expoſitione text.

§. III.

Sodomia abominanda ponitur.

144 SODOMIA pollutione ſimplici, & inordinato concubitu, gravius peccatum eſt, ut docuit nos D. Thomas. Illud eſt nefarium crimen, quo in cęlum clamaſſe dicuntur iram inde, & indignationis ignem avocantes Pentapolis incolæ, Moyſe ita referente: *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis. Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, & opere compleverint: an non eſt ita, ut ſciam.* Nefando huic clamori divinæ juſtitiæ, quàm maximè provocativo, quid pœnæ reſponderit audies in ipſo textu: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo. Et ſubvertit Civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* Quid ergo mirum in Levitico pœnâ capitis hujus criminis rei damnentur: *Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, uterque operatus eſt nefas, morte moriatur: Sit ſanguis eorum ſuper eos.* Nec ſola temporali morte, igneque materiali exterminandos eſſe Deus decrevit, ſed æterni ignis pœ-

Geneſ. 18. v. 20

Cap. 19. v. 24.

Levit. 20. v. 13.

Judæ v. 7.

pœnam luituros, juxta illud S. Judæ: *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes.*

S. Chryſoſtomus in locum Judæ.

145 Hæc verba meditatus Chryſoſtomus, ita contra nefandum crimen inclamat: * Cur cum admittantur Sodomorum ſcelera, non tamen contingunt Sodomorum * clades? Quia manet iſtis ignis alius longe illo gravior, cruciatuſque finem nullum habens: Nam ſi nos ipſi quoque ſuper his iraſcimur, & indignamur, Deus * cui omnium maximè totius, mortalium * generis cura incumbit, qui vitia vehementer, & averſatur, & odit, quando iſta impunè admitti ſcelera paſſurus * eſt? Immittet in illos penitùs manum illam * validiſsimam, & plagam non ferendam, doloremque cruciatuum ſempiternorum adeò * graviſsimum, ut ſi Sodomorum clades * illi conferatur, ludus puerorum eſſe exiſtimetur. Quam enim Barbarorum feritatem iſti non ſua improbitate tranſcenderunt? Quod Belluarum genus congreſſu * ſuo impuriſsimo non ſuperaverunt? Eſt * in quibuſdam mutarum animantium à natura inſitus libidinis ardor incredibilis, * cupidoque intolerabilis, & nullo ab inſania differens; quæ tamen amorem hunc * nefarium non norunt, ſed intra leges à * natura præſtitas permanſerunt. At iſti, * & rationales conditi, divinoque magiſterio potiti, quidvè agendum ſit, vel * non aliis quoque annuntiare juſsi, non * ita licentiosè, ac ſine metu cum meretricibus, ut cum adoleſcentibus congrediuntur.

Nefanda Sodomiæ deformitas Deo odibilis, funeſtos parat exitus.

146 Deinde ex ipſa Sodomorum ultione S. Gregorius Magnus maculam criminis agnovit inquiens: *Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem: Quia itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul igne, & ſulphure perirent; quatenus ex juſta pœna diſcerent, ex injuſto deſiderio quid feciſſent.* Quinimò ſi Apoſtolum conſulamus flagitii illius immanitatem deprehendemus, conſiderantes datum fuiſſe in pœnam ſuperbiæ, & idololatriæ. *Propter quod* (inquit Paulus) *tradidit illos* (ſcilicet Gentiles ſuperbos & idololatras) *Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis: Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula,* Amen. *Propterea tradidit illos Deus in paſsiones ignominiæ: nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes, & ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.*

S. Greg. lib. 14. Moral. cap. 10.

Roman. 1. v. 24

S. Chryſoſtomus hom. 4. in Epiſt. ad Roman.

147 Poſt tam evidens Apoſtoli argumentum, quid immoremur in recenſendis Patribus contra nefandum crimen juſtè declamantibus? Quidquid autem ipſi dixerunt, compendio audiamus in Chryſoſtomo, qui divino perculſus zelo, & fervore orationis actùs, Sodomitas deteriores arguit iis etiam qui mortem ſibi ipſis conſciſcunt. * Præſtiterit enim mori, quàm tantâ contumeliâ acceptâ vivere. Nàm qui * ſe ipſe interimit, is animam à corpore * diſſociat: At hic animam una cum corpore perdit. Quodcunque porrò delictum * nominaveris, nullum huic peccato par * dixeris: Qui ſi facta ſua ſentirent, qui * patiuntur, ſexcentas utique mortes obirent, ut ne hoc paterentur. Neque enim * eſt hac injuria alia ulla gravior, nec rationis minus habens ::: Quid de inſania * hac dixerimus, quæ ipſa tantò eſt ſcortatione deterior, quantùm ne verbis quidem exprimere licet? Neque enim hoc ſolum dico, quòd fœmina effectus ſis, ſed * quòd perdideris ipſum hoc, nimirum virum eſſe: & quòd neque in hanc tranſieris naturam, neque quam haberes aſſervaveris, ſed communis utriuſque affectus ſis proditor, dignus quem tùm viri, * tùm fœminæ lapidibus à ſe exigant, tanquam qui utrumque genus injuriâ affeceris. Atque ut intelligas, quantum hoc * demùm ſit, ſi quis à te adiens promitteret fore, ut te ex viro canem efficeret, * nonne ab eò tanquam exicioſo declinares? Tu verò te ipſe non ex viro canem * effeciſti, ſed animal hocce animante infamius: Neque enim anima ſolum, verum & corpus ejus qui hæc patrat infame eſt ac certè dignum, quod undequaque exterminetur. Quod obſecro gehennæ iis plectendis ſuffecerint? O vos, & * brutis inſipientiores, & canibus impudentiores! Nuſquam enim hujuſmodi congreſſus apud illos, ſed agnoſcit propios * terminos natura. Vos autem genus noſtrum nimiùs brutorum genere effeciſtis.

Lib. 3. adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ cap. 7.

148 Præterea declamat alibi idem Chryſoſtomus: * Amor quidam novus, & nequiſsimus noſtra ætate in noſtrum genus irrupit, & latè dominatur: Morbus * irruit acerbus, atque inſanabilis, peſtis * teterrima, atque omni pernicie immanior, & gravior invecta eſt: Scelus quoddam novum, & intolerabile excogitatum * eſt. Non enim ſcriptæ, & conſtitutæ modò, verum ipſe quoque naturæ pervertuntur leges. Nihil jam ferè ad impudicitiæ rationem fornicatio eſſe exiſtimatur. * Cæterum ut in doloribus cum paſsio incumbit violentior, prioris doloris ſenſum omnem ſua magnitudine intercipit: Sic hujus quoque magnitudo flagitii facit, ut quod ſuaptè natura tolerabile non eſt, non jam videatur intolerabile, obſcæna ſcilicet cum mulieribus libido. Optandum enim jam votis omnibus videtur poſſe hujuſmodi retia effugere, periclitaturque jam ſuperfluus effectus ſexûs muliebris, adoleſcentibus vices ejus implentibus. Quod cùm per ſe * acerbiſsimum, facit id profectò, ut deterius ſit, quòd tantum ſcelus, tam nefarium facinus incredibili audacia, ſummaque jam cum libertate admittitur, flagitiumque lex factum eſt.

Rom. 1. v. ult.

149 Ad pœnas quod attinet omni jure taxatas contra Sodomitas; jam diximus de pœna mortis in Levitico contenta. Paulus etiam poſt recenſita vitia illa contra naturam, concludit: *Qui talia agunt digni ſunt morte* (æterna nimirum & temporali) *& non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Accedit etiam Div. Thomas qui ad verba illa Iſaiæ: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis*, affirmat in nocte Nativitatis Chriſti Sodomitas omnes extinctos fuiſſe. Sic enim habet apud Patres Salmanticenſes: *Lux illa, vitio iſto* (ideſt Sodomiæ) *laborantes extinxit; ne natura quam ſumpſerat; tantâ immunditiâ fœdaretur.* Nec ſolum in lege Divina, ſed etiam apud Gentiles ipſos hoc crimen Sodomiæ pœnâ mortis plectebatur, affirmante cum pluribus Farinacio. Deinde (referente Menochio) Solon apud Athenienſes ſtatuit contra Sodomitas mortis pœnam. Eandem impoſuit Chindesfilſus Gothorum Rex. Similem pœnam jure Hiſpanico Novæ Recopilationis imponitur; nempè ut Sodomitæ pœnam ignis ſubeant, ejuſque bona fiſco applicentur. Gladio ſimiliter vel igne ſcelus tantum vindicari Principum leges ſanxerunt. Conſtantius & Conſtans Imperatores: *Cum vir nubit* (inquiunt) *in fœmina viros paritura quid cupiatur, ubi ſexus perdidit locum, ubi ſcelus eſt, quod non proficit ſcire ubi venus mutatur in alteram formam; ubi amor quæritur, nec videtur? Jubemus inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames qui ſunt, vel qui futuri ſunt rei.* Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Auguſti: *Omnes* (inquiunt) *quibus flagitii uſus eſt virile corpus muliebriter conſtitutum alieni ſexûs damnare patientiâ, (nihil enim diſcretum habere videntur cum fœminis) hujuſmodi ſcelus, ſpectante populo, flammis vindicibus expiabunt.*

Div. Thom. in cap. 9. Iſaiæ.

Divinitus & humanitus graviſsimè punitur Sodomia.

Leg. Cum vir *ad leg. Juliam de adulteriis.*

Leg. 6. tit. 7. lib. 9. Cod. Theodoſ.

Graviſsimæ pœnæ Canonicæ.

Illiber. Concil. can. 17.

Lateranenſe 3. can. 11.

Cap. Clerici *extrav. de exceſsibus Prælatorum.*

Lateran. 4. cap. Ut Clericorũ *in eadem extravag.*

Toletanum 16.

150 Sed quid dicam de jure Canonico Conciliis, & PP. Non ne *Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam eſſe Communionem*, decrevit Illiberitanum? Inſuper Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. ſtatuit: *Execrandi hujus criminis reos ſi Clerici fuerint, dejectione, & rejectione ex Clero, ac detruſione in Monaſterium ad agendam pœnitentiam; ſi laici, excommunicatione plectendos eſſe.* Similia decernunt Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. Nec non Concilium Toletanum XVI. Præcedentium Summorum Pontificum Succeſſores imitati, horrendum illud crimen deteſtantes, ſtatuerunt imprimis Leo X. *Ut quicunque Clerici illa incontinentia, quæ eſt contra naturam, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ deprehenſi fuerint laborare, à Clero dejiciantur, vel ad agendam in Monaſteriis pœnitentiam detrudantur.* Poſtremo S. Pius V. acriori zelo contra Sodomitas invehitur, tùm Conſtitutione *Cum primum*, ubi univerſim Clericos, & laicos comprehendit: & Conſtitutione *Horrendum*, ubi poſtquam antiquum Concilii Lateranenſis decretum refert; ne tanti criminis contagium impunitatis ſpe amplius invaleſcat, gravius dicit ulciſcendum, ut qui animæ interitum non horreſcunt, eos deterreat Civilium legum vindex gladius ſecularis. Et proſequitur: * Omnes, & quoſcunque Presbyteros, & alios Clericos ſæculares, & regulares cujuſcunque gradûs, & dignitatis, tàm dirum nefas exercentes omni privilegio Clericali, omnique officio dignitate, & beneficio Eccleſiaſtico præſentis Canonis auctoritate * privamus: Ita quod per judicem Eccleſiaſticum degradati, poteſtati ſtatim ſæculari tradantur, qui de eis illud idem * capiat ſupplicium; quod in laicos, hoc * in exitio divolutos, legitimis reperitur * ſanctionibus conſtitutum. Hæc cum ita ſint, quis miretur B. Petrum Damiani in lib. ſepè citato demonſtrandum aſſumpſiſſe: Clericos in vitia contra naturam ſepè lapſos ab ordinum functionibus eſſe ſuſpendendos: laicos verò à ſuſceptione ordinum interdicendos. Oſtendit enim imprimis ex S. Gregorio docente: * Neminem ad Eccleſiaſticum ordinem promoveri debere, * qui in illud crimen lapſus eſt, quod vetus lex præcepit morte damnari. Indeque ita colligit: Quæ quiſque vir cum * viro labitur, quod nimirum ſcelus per * vetuſtæ legis ſententiam morte mulctatur, etiam ſi honeſtis moribus polleat, * ſi Pſalmodiæ ſtudio ferveat, ſi in amore orationis eniteſcat, & omninò Religioſam vitam, ſub approbatæ famæ teſtimonio ducat; reatus quidem indulgentiam plene poteſt accipere, ad Eccleſiaſticum vero ordinem nequaquam permittitur aſpirare. Nam cum de illo venerabili viro importuno, qui primum * tanto fervore laudis attollitur, tot Religioſæ, & honeſtæ vitæ infulis redimitur, tot virtutum præconiis decoratur, * tamen poſtmodum dicitur: Si nulla ei crimina, quæ per ſacræ legis regulam morte multata ſunt obviant & tunc ordinandus eſt: Patet profecto, quia quem dignum morte crimen abjecerat, qualibet * Religioſa vita ſubſequens ad ſuſcipiendum Eccleſiaſtici gradus Ordinem non * reformat.

Leo X. conſtit. Supernæ.

S. Pius V. conſt. Cum primum, *conſt.* Horrendum.

B. Petrus Damiani in lib. Gomorrhianus, *cap. 2. contra Sodomitas invehitur ex S. Gregorio lib. 10 epiſt. 13.*

151 Progreditur deinde, & laudat Ancyranę Synodi canonem 15. ex quo ita colligit: * Si ergo quilibet ſęcularis hujus facinoris reus, peractâ viginti quinque annorum pœnitentiâ, in Communionem * qui-

Cap. 13. ex can. 15. Synodi Ancyranæ.

* quidem orationum, necdùm autem ad percipienda oblationum Sacramenta admittitur; quo pacto Religioſus non ſolum ad percipienda, ſed etiam ad offerenda, & conſecranda ipſa ſacra myſteria idoneus judicabitur? Si vix illi permittitur, ut Eccleſiam cum aliis oraturus introeat; qualiter iſti dabitur, ut ad altare Domini pro aliis interceſſurus accedat? Si ille antequam tam prolixum pœnitentiæ ſpatium tranſigat, non meretur audire, iſte quomodo dignus eſt ſacra Miſſarum ſolemnia celebrare? Si ille, qui minus peccavit, utpote per latum ſęculi iter incedens, indignus eſt cęleſtis Euchariſtiæ munus ore percipere; qualiter iſte merebitur tam terribile myſterium pollutis manibus contrectare. Adhuc etiam cap. 14. ex canone 16. ſequenti quem uti & 15. non de ſolis corruptoribus maſculorum, ſed de pollutionis cujuſlibet reis intelligendum eſſe cenſet: ita colligit: * Liquet profectò, quia quocunque modo per ardorem libidinis vir cum viro polluitur, non inter Catholicos Chriſtianos, ſed inter Dęmoniacos orare præcipitur; quatenus ſi carnales homines ex ſemetipſis neſciunt penſare, quod ſunt ab ipſis ſaltem valeant edoceri, cum quibus ſunt communi orationis ergaſtula deputati. Et certè ſatis dignum eſt, ut qui contra legem naturæ, contra humanę rationis ordinem, carnem ſuam per tam fœda commercia Dęmonibus tradunt communem orationis angulum cum Dęmoniacis ſortiantur. Nam cum his malis ipſa penitùs natura humana reſiſtat, difficultatem diverſi ſexûs abhorreat, luce clarius conſtat, quia nunquam tàm averſa, tàm aliena præſumerent, niſi eos, ut puta, vaſa irę apta in interitum iniqui ſpiritûs pleniter poſſiderent: Sed cum eos poſſidere incipiunt, tunc per omne quod implent, in vaſi pectoris tartareum virus ſuæ malignitatis infundunt, ut jam illa inhianter appetant, non quæ naturalis motus carnis eflagitet, ſed quæ ſola diabolica præcipitatio ſubminiſtret. Nam cum vir in virum ad perpetrandam immunditiam irruit, non eſt ille naturalis impetus carnis, ſed tantum diabolicæ ſtimulus impulſionis. Vigilanter ergo SS. PP. Sodomitas cum energumenis ſimul orare ſanxerunt, quos eodem diabolico ſpiritu invaſos eſſe non dubitaverunt. Quomodo ergo per Sacerdotalis officii dignitatem inter Deum, & populum debet mediator aſſiſtere, qui à totius populi congregatione ſejunctus, nunquam niſi inter Dęmoniacos jubetur orare?

Cap. 14. ex can. 15 ejuſdem Synodi.

152 Tandem S. Baſilium ita decernentem adducit: * Clericus, vel Monachus adoleſcentum, vel parvulorum inſectator, vel qui oſculo, vel qui aliqua occaſione turpi deprehenſus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decalvatuſque turpiter ſputamentis oblinia-tur in facie, vinculiſque arctatus ferreis, carcerali ſex menſibus anguſtiâ maceretur, & triduo per hebdomadas ſingulas ex pane ordeaceo ad veſperam reficiatur. Poſt hæc aliis ſex menſibus ſub ſenioris ſpiritualis cuſtodia, ſegregata in curticula degens, operi manuum, & orationi ſit intentus, vigiliis, & orationibus ſubjectus, & ſub cuſtodia ſemper duorum ſpiritualium Fratrum ambulet, nulla prava loquutione, vel conſilio, deinceps Juvenibus conjungendus. Ex quibus ita colligit Beatus Petrus Damianus: * Hic carnalis homo ſtudioſè perpendat, utrum Eccleſiaſticis officiis tuto miniſtrare valeat, quem ſacra auctoritas tam ignominioſis, tam turpibus dehoneſtandum contumeliis judicat. Nec ex eo ſibi blandiatur, quia neminem corruperit, cum apertiſsimè ſcriptum videat, quia qui ſolo oſculo, vel aliqua occaſione turpi deprehenſus fuerit, omnibus illis probroſæ diſciplinæ confuſionibus meritò ſubjacebit. Quòd ſi oſculum tam auſteræ ultionis ſupplicio plectitur, ipſa cum alio contaminatio quid meretur? Ad puniendum namque cui crimini, cui immaniſſimo ſceleri non ſufficeret publicè verberari, coronam amittere, turpiter decalvari, ſalivarum ſpurcitiis obliniri, carceralibus anguſtiis diutiùs comprimi, ferreis inſuper vinculis coarctari?

Cap. 15. ex S. Baſilio urget.

153 *Poſtremum quoque ordeaceo pane refici præcipitur: Quia qui factus eſt ſicut equus, & mulus congruè non cibo reficitur hominum, ſed annona paſcitur jumentorum: Porrò ſi hujus peccati pondus penſare negligimus, in ipſo ſaltem pœnitentiæ judicio, quod imponitur maniſeſtiſſimè declaratur. Quiſquis enim canonicâ cenſurâ publicam ſubire cogitur pœnitentiam, profectò Eccleſiaſticis indignus officiis perſpicuâ Patrum Sententiâ judicatur. Unde & B. Papa Siricius inter cætera ſcripſit, dicens. „Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatûs adipiſci. Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerant vaſa vitiorum. Cùm ergo hujus peccati obnoxium non ſolùm duram, ſed & publicam pœnitentiam B. Baſilius ſubire præcipiat, pœnitentem verò Clericatûs Ordinem obtinere Siricius interdicat; maniſeſtè colligitur, quia qui fœda cum maſculo libidinoſæ immunditiæ ſorde polluitur, Eccleſiaſtici fungi officio non meretur: Nec idonei ſunt Divinum tractare Myſterium, qui, ut dicitur, dudum fuerant vaſa vitiorum.*

Ex Syricio Papa.

154 Nec tamen aliquis minus deferat propoſitis argumentis Leonem IX. audiat librum illum Gomorrhianum B. Petri Damiani approbantem; atque in decretali epi-

Leo IX. in decretali epiſt. ad B. Petrum Damiani.

ſtola

ſtola ad ipſum ſcripta dicentem: * Clerici verò de quorum vita ſpurciſſima flebiliter, pariterque rationabiliter tua prudentia diſputavit, verè & omninò verè ad funiculum hæreditatis ejus non pertinent, de quo ipſi voluptuoſis ſe oblectationibus ſummovent. Qui ſi pudicè converſarentur, non ſolum Templum Dei ſanctum, ſed ipſum etiam ſanctuarium dicerentur, in quo divino candore conſpicuus ille Dei Agnus immolatur, per quem fœda totius orbis lues lavatur. Tales nimirum Clerici etſi non verborum, tamen operum teſtimonio profitentur, quia non exiſtunt quod cenſentur. Quo enim modo Clericus poſſit eſſe, vel nominari, qui propio arbitrio non metuit ſe inquinare? De qualibus, quia ſancto fervore permotus, quæ tibi videbantur, ſcripſeras; oportet, ſicut deſideras, Apoſtolicam noſtram interponamus Auctoritatem, quatenus ſcrupuloſam legentibus auferamus dubietatem: & conſtet omnibus certum noſtro judicio placuiſſe quæcunque continet ipſe libellus diabolico igni *velut aqua oppoſitus*. Et paulò poſt: Ecce (inquit) illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta ſunt fœditate polluuntur, proſpectâ æquitatis cenſurâ, ab omnibus immaculatæ Eccleſiæ gradibus, tàm Sacrorum Canonum, quàm noſtro judicio depelluntur. Sed nos humaniùs agentes, eos qui vel propriis manibus, vel invicem inter ſe egerunt ſemen, vel etiam, qui inter femora profuderunt, & non longo uſu, nec cum pluribus, ſi voluptatem refrenaverint, & digna pœnitudine probroſa commiſa luerint, admitti ad eoſdem gradûs, in quibus in ſcelere manentes, non permanentes fuerint, divinæ miſerationi confiſi, volumus atque etiam jubemus: Ablatâ aliis ſpe recuperationis ſui Ordinis, qui vèl per longa tempora ſecum, ſive cum aliis, vèl cum pluribus, brevi licèt tempore, quolibet duorum fœditatis genere, quæ deſcripſeras, maculati: Vel: quod eſt horrendum dictu & auditu; in terga prolapſi ſunt. Contra quod noſtrum Apoſtolicæ Sanctionis decretum, ſi quis auſus fuerit, vel judicare, vel latrare, Ordinis ſui ſe noverit periculo agere. Qui enim non pungit vitium, ſed palpat; cum eo qui vitio moritur, ipſe quoque mortis reus meritò judicatur.

§. IV.

Beſtialitatis graviſſima malitia notatur.

155 BESTIALITATI adjunximus congreſſum cũ Dęmone: quatenus peccatum illud quaſi generatim diffinitur: *Concubitus cum individuo alterius ſpeciei.* Hujuſcè criminis graviſſimam malitiam indicat Gloſſa ſignificans de hoc peccato accuſaſſe antiquum Joſephum: *Fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo.* Docet etiam Hugo Cardinalis ibidem. Vidimus etiam ſupra ex D. Thoma Gloſſam illam adducente: Ubi majorem hujus peccati gravitatem deducit, ex majori receſſu à fine per naturam intento in emiſſione ſeminis, nempè prolis generatione. Conſtat etiam propoſitio ex pœnis omni jure impoſitis. Deus namque ita determinavit: *Qui coierit cum jumento, morte moriatur.* Et rurſus: *Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo: ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Similiter loquitur Jus Canonicum: nam ita habetur: *Mulier quæ acceſſerit ad omne pecus, & vult aſcendi ab eo, interficietis mulierem, & pecudem: morte moriantur, quia rei ſunt.* Rationem tradit Auguſtinus: *Quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.* Eadem pœna imponitur in lege Regni. Imò notant PP. Azor, & Dicaſtillo apud PP. Salmanticenſes: Quòd in aliquibus Provinciis, maximè in Hiſpanię Regnis, reus beſtialitatis cum Bellua ipſa igne crematur, in deteſtationem tanti delicti.

Geneſ. 37. v. 3.

Hugo Cardin. ibidem.

Beſtialitatis deformitatem divinæ, & humanę pœnæ oſtendunt.

Exodi 22. v. 19.

Levit. 20. v. 15.

Cap. Mulier *15. q. 1.*

S. Auguſt. queſt. 74. ad cap. 20. Levitic.

Pœnæ in Regnis Hiſpaniæ.

156 Beſtiis acceſſum improbavimus: ſed quid non ultra magis horreamus, accubitum, vel ſubcubitum cum dœmone? Luxuriam certè plenam ſuperſtitionibus, atque in diabolum nefandis & idololatricis obſequiis. Ad hoc infernale barathrum dùm luxuriâ cęci perveniunt homines, quid aliud pręſtare videntur, quàm Dęmonem in medio cordis aſſidere facientes, ipſum obtenebrata mente adorare, & Deo turpiter poſtponere? Atque habere ſuper ſe regem Angelum abyſi, ſulphureum impudicitiæ fumum ei adolentes? Nimirum *Diabolum* per quem poſſunt beſtialis luxuriæ monſtra formare; *Angelum abyſi* per ſuperbiam & candoris carentiam, prout ad ſenſum exponit D. Thomas. Infęlices certè homines ex patre diabolo miſerè imitatione progeniti, & Anti-Chriſti præcurſores, cujus inauditam idololatriam in corde ſuo, quodammodo præſagiunt, cum Diabolum in corde ſuo (quod deberet eſſe Templum

Perverſiſſimus ad Dęmonem acceſſus, beſtialitati annumerari poteſt, in Dęmonum adorationem perducere ſolitus.

Apocalypſ. 9.

D. Thom. ibid.

Dei)

1. ad Theſſalon. 2. v. 4.

Dei) colunt, adeò ut dicere de illis poſſimus, quod de Anti-Chriſto prænuntiat Apoſtolus: *Qui adverſatur, & extollitur, ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Et ne aliquis falſa nos dicere cenſeat de beſtialibus illis diaboli ſequacibus; audiat quid referat Alfonſus à Caſtro de hominibus hanc diabolicam ſcholam profitentibus, ex juridica quorumdam ex ipſis confeſſione.

Alfonſus à Caſtro lib. de jure hæretic. puniendi cap. 16.

157 Homo (dixerunt) * qui, vel quæ hanc ſectam diabolicam profiteri vult, primùm ab eo, à quo docetur, adducitur coram dæmone in ſolio quodam alto viſibiliter ad inſtar regis ſedente. Adductus ſtatim habet juxta damnatorum infernas leges, abnegare Baptiſmum, & omnia Chriſtianæ fidei documenta relinquere, omnia Eccleſiaſtica Sacramenta rejicere, Crucem, B. Deip. Virg. aliorumque Sanctorum, quorumcunque Imagines proſternere, propriiſque pedibus conculcare. Hanc tamen imaginum conculcationem, non oportet coram diabolo illo ſtatim efficere, ſed ſufficit, ut poſt ſe facturum promittat, quàm primum dabitur occaſio. Deinde ipſi diabolo, velut principi ſeſe perpetuò obligatum, atque devinctum reddit vovens, ac promittens manibus intra manûs illius poſitis, tanquam homagium faciens, quod erit ei in perpetuum fidelis, & omnibus mandatis ejus obediens. Poſtea tactis Scripturis, ſuper quodam libro obſcuras & ignotas paginas continente, juramento promittit, ſe nunquam ad fidem Chriſti redditurum, nec divina præcepta ſervaturum, ſed ſolum ea, quæ per ipſum principem, diabolum ſcilicet mandabuntur. Promittit etiam ſe, quoties vocatus fuerit, venturum ad congregationes nocturnas & ſacrificia ſe facturum, quæ horis illis nocturnis fieri viderit, preces emiſſurum, adorationis cultum ſe ei exhibiturum, omnia denique alia, quæ ab aliis ibidem fieri viderit ſe facturum. Hoc voto, atque juramento per ipſum facto, diabolus ille in ſolio tanquam rex apparenter ſedens, ſtatim hilarem frontem prætendens promittit homini ipſi ſic ſtanti ſe daturum perpetuam, quam non habet fęlicitatem, gaudia immenſa, quaſcunque in hoc mundo cupit habere voluptates, & tandem poſt hanc vitam multo majora. Deinde unum dœmonem ad illius hujuſmodi cuſtodiam atque doctrinam conſtituit, qui illum perpetuò comittetur, illique per omnia ſerviat & omnia, quæcunque ille deſiderabit, illi tribuat. Dœmoni huic ad cuſtodiam deſtinato hoc peculiare officium inter alia commiſſum eſt, ut quotieſcunque oportuerit accedere ad ludos nocturnos, ille hoc ipſum ſuo clientulo homini ejus curæ commiſſo denuntiet, illumque deferat ad locum congregationis.

158 Hic dœmon pro cuſtodia deſignatus, qui à peſſimis illis profeſſoribus, ut audio, vocatur Martinetus vel Martinellus, quotieſcunque nocte aliquâ facienda eſt ad ludos, & voluptates exercendas generalis eorum congregatio, ante duos dies eam congregationem fiendam ſuo clientulo annuntiat, horamque & locum ei declarat, ut cùm tempus advenerit; ſit ad veniendum paratus. Jam hora eundi appropinquante, Dœmon ille Martinetus vel Martinellus vocatus, hominem ipſum voce quadam, ad ſimilitudinem vocis humanæ formata vocat. Hac voce audita mox ille clientulus vaſculum unctionis ſumit, & quędam corporis ſui membra unctione ex vaſculo ſumpta perungit. Hoc facto domum egreditur, & ſtatim propè domûs oſtium invenit Martinetum ſuum in forma hirci expectantem, ſuper quem ſic equitaturus aſcendit, manibus ſuis crines hirci fortiter apprehendens, ne propter velociſſimum hirci motum ad terram dejiciatur. Dęmon igitur in forma hirci ſic illum excipiens, atque per aëra celerrimè tranſvehens ad locum uſque congregationis defert, ubi frequens virorum, & fœminarum multitudo coram Diabolo, regis ad inſtar ſedente, concurrit. Quo poſtquam eorum quiſque pervenit, imprimis Diabolo ſedenti reverentiam facit, alio tamen modo quàm nos Deo vero facere ſolemus. Qua reverentia ſic prꝫſtita, quandoque ſacrificia ei offeruntur, non tamen ſemper. His omnibus peractis, Diabolus tanquam rex in throno fictæ majeſtatis ſedens, jubet omnibus ut tripudient, & cantent cum gaudio & lætitia, ſumentes voluptates ſuas. Tunc unuſquiſque dœmon in forma viri amaſii, ſi re vera deeſt, illius mulieris, vel in forma amaſiæ illius viri, manu apprehendit ſuam mulierem, aut virum, ad cujus cuſtodiam deſtinatus erat, & cum illa, vel illo ſaltat & choreas facit. Choreis & ſaltationibus finitis, veniunt ad menſas lautiſſimas ferculis præparatas, & ita ornatas, ut unuſquiſque pro libito ſuo illis veſcatur. Conviviis expletis, luminaria omnia extinguntur (hunc morem ſervat hæreſis condormientium) dicendo omnibus ibi exiſtentibus, creſcite, & multiplicamini, & dœmon quiſquis prædictus vel in forma viri incubi accipit ſuam fœminam, vel in forma fœminæ ſuccubæ accipit ſuum virum, & ſic invicem miſcentur, carniſque libidines uſque ad ſatietatem volitas explent cum maxima, ut ajunt, voluptate. Demùm revertuntur omnes ad domos proprias equitando in hircis ut priùs. Alias perſonas, quotquot poſſunt, ad diaboli obſequium adducere, & à Dei ſervitio avertere conantur, ut diaboli imperium ſuo miniſterio augeatur. Pueros multos antequam baptizentur, interficere conantur, ne Baptiſmo ſuſcepto, ad vitam æternam pervenire valeant. Nocte domos ingrediuntur alienas, cameras quantumlibet obſeratas, dœmone illis viam aperiente, intrant, puerorum ſanguinem ſugunt, ut ſtrix avis, quandoque ſuffocant, multaque alia circa eos mala committunt, puta faſcinationem, &c. quæ ipſæ maligno ſpiritu inſtigante, ſciunt. *

AR-

ARTICULUS X.

Luxuriæ incitamenta omnino fugienda graviter ſuadens.

159 GRADUM facimus ad luxuriæ deteſtanda incitamenta, qualia certè ſunt, oſcula, amplexûs, & tactûs impudici, aſpectûſque inhoneſti, verba ſimiliter aliaque plura, quibus abundare ſolent mundana deliramenta, & gentilicæ diverſiones in ſpectaculis, tripudiis, ſaltationibus, & choreis: De hiis igitur omnibus deteſtandis & fugiendis verba per ordinem ita facimus.

§. I.

Oſcula, amplexus & tactus improbantur.

160 HÆC tria ſimul jungimus propter maximam, quã dicunt affinitatem & convenientiam. Quapropter ea ſimul complectitur Sanctus Antoninus inquiens: *Sextus gradus luxuriæ eſt libidinoſa contrectatio, quæ ſcilicet fit per oſcula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis.* Conjungit etiam oſcula & amplexûs Div. Thomas, ſicut etiam tactûs impudicos. Dicimus impudicos, quia ut ibidem adnotat puriſſimus Doctor: „ Oſculum, amplexus & tactus poſſunt abſque „ libidine fieri vel propter conſuetudinem „ patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem „ aut rationabilem cauſam. Quinimò oſculum eſſe ſignum pacis tradit Sanctus Paulus Corinthios exhortans: *Salutate invicem in oſculo ſancto*: „ Ubi notandum eſt (exponit „ D. Thomas) quòd oſculum eſt ſignum pa„ cis: nam per os in quo datur oſculum, „ homo reſpirat: & ideò quando homines „ dant ſibi mutua oſcula, ſignum eſt quòd „ uniunt ſpiritum ſuum ad pacem. Hæc autem pax ſi vera & ſancta eſt, fit per oſculum ſanctum: quia unit ſpiritum ad ſanctitatem. „ Et ex hoc inolevit conſuetudo, „ quòd fideles & ſancti viri in ſignum cha„ ritatis & unionis ſe invicem oſculantur: „ & datur pax in Eccleſiis in oſculo ſancto. Inde habes oſculum ſanctum eſſe etiam ſignum charitatis & amoris mutui, ut notat D. Thomas prædicta verba in fine Epiſtolæ ad Roman. exponens: *Oſculum autem ſanctum eſt quod in ſignum charitatis datur*: (ut correctiora habent exemplaria) Cantic. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Exinde notat ut ſuprà, morem fidelium inter Miſſarum ſolemnia ſe invicem ſalutandi oſculo pacis. De hac ſacra Cæremonia ſic loquitur Auguſtinus: *Poſt Dominicã orationem dicitur (Pax vobis) & oſculantur ſe Chriſtiani oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia; id eſt ſi quomodo labia tua ad labia tui fratris accedunt: ſic etiam cor tuum ab ejus corde non recedat.*

S. Antoninus part. 2. tit. 5. cap. 1.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 4.

In corpore art.

2. ad Corinth. 13.

D. Thom. ibidē lect. 3.

Oſculum ſanctum ſignum eſt pacis, & charitatis.

Ad Rom. 16.

D. Thom. ibid. lect. 1.

S. Auguſt. ſerm. 83. de diverſis in Vigilia Paſchę.

161 Ut advertat tamen lector volumus, quòd in poſterioribus Eccleſiæ ſæculis, propter indecentiæ vel alicujus impuritatis periculum, quod admiſceri ejuſmodi oſculis per hominum abuſum potuiſſet; ſucceſſit mutuis illis oſculis, porrectio tabellæ ſacræ quam ſeorſim ſinguli ad eandem ſignificationem oſculantur. Deinde falſum eſt (quod aliqui ſcioli opinantur) morem illum ſacrum à Leone II. vel Innocentio I. introductum eſſe: quandoquidem S. Dionyſius Areopagita ejus oſculi memoriam facit in moderna editione. Similiter S. Juſtinus inquiens: *Nos invicem oſculo ſalutamus.* Eluxerunt autem iſti PP. duobus ſæculis ante Summos illos Pontifices. Hæc diximus de oſculo vero & ſancto: nam per oppoſitum agnovit Paulus ejuſque cum PP. fideliſſimus interpres Div. Thomas, *Oſculum* fictum & fraudulentum, quale fuit oſculum Judæ proditoris Matth. 26. & Marc. 14. oſculum deinde, non caſtum nec ſanctum, ſed impurum, immundum, & libidinoſum, quo mulier apprehenſum deoſculatur juvenem, ut dicitur Proverbior. 17. *Oſcula autem libidinoſa.* Sanct. Doct. intelligit articulo ſupra citato, quæ ad fornicationem, aut alium actum venereum proximè diſponunt, vel ex illius intentione fiunt, aut certè, quæ delectationem excitant de fornicatione aut alia ſpecie luxuriæ cogitationi occurrente, in quam animus afficitur & propendet; vel quæ cum aliqua libidinis commotione volita vel prꝫviſa, ſeu quæ prævideri potuit, ac debuit, ſive ob delectationem carnalem & ſenſibilem ex ipſis oſculis ortam, etiam ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis, libantur. Multiplicem, quam diximus acceptionem circa oſcula, adaptare certè poſſumus amplexibus, de quibus omnibus ſi libidinoſi ſint, ita reſolvimus.

Pax fidelibus mutuo oſculo, nunc porrectione ſacræ tabellæ datur in Eccleſia, ab antiquo tempore.

S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. cap. 3.

S. Juſtin. Appolog. 2.

D. Thom. ubi ſupra.

Et 1. Corinth. 15. lect. 2.

Oſcula impudica.

162 Aſſerendum eſt primo, oſcula, tactûs & libidinoſos amplexûs peccata eſſe ex genere gravia. Aſſertionem ita oſtendit Div. Thomas proximè laudatus in argumento ſed contra. „ Minus eſt aſpectus libidinoſus, „ quàm tactus, amplexus, vel oſculum; ſed „ aſpectus libidinoſus eſt peccatum mortale, „ ſecundum illud Matthæi 5. *Qui viderit „ mulierem ad concupiſcendum eam, jam „ mœchatus eſt eam in corde ſuo*: ergo mul„ tò magis oſculum libidinoſum, & alia hu„ juſmodi ſunt peccata mortalia. Prꝫterea: „ Cyprianus ad Pomponium de virginitate „ dicit. Certè ipſe concubitus, ipſe ample„ xus, ipſa confabulatio, & oſculatio, & con„ jacentium duorum turpis, & fœda dor„ mitio, quantum dedecoris & criminis ſit,

D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 4. in ſed contra.

Oſcula, tactûs & amplexûs libidinoſi peccata ſunt ex genere.

con-

,, confitentur: ergo per prædicta homo fit
Solut. ad 2.
,, reus criminis, id eſt peccati mortalis.
,, Deinde (inquit) quòd oſcula, & tactûs,
,, quamvis ſecundum ſe non impediant bo-
,, num prolis humanę, procedunt tamen ex
,, libidine, quæ eſt radix hujuſmodi impe-
,, dimenti: & ex hoc habent rationem pec-
,, cati mortalis. Tandem in corpore ita theo-
In corpor. art.
,, logizat: Dictum eſt autem ſupra, quòd
,, conſenſus in delectationem peccati eſt
,, peccatum mortale, & non ſolùm conſen-
,, ſus in actum. Et ideò cùm fornicatio ſit
,, peccatum mortale, & multò magis aliæ
,, luxuriæ ſpecies, conſequens eſt, quòd con-
,, ſenſus in delectationem talis peccati ſit
,, peccatum mortale, & non ſolum conſen-
,, ſus in actum, & ideò cùm oſcula & ample-
,, xûs hujuſmodi propter delectationem hu-
,, juſmodi fiant, conſequens eſt, quòd ſint
,, peccata mortalia, & ſic ſolùm dicuntur
,, libidinoſa: unde hujuſmodi ſecundùm
,, quod libidinoſa ſunt, ſunt peccata mor-
,, talia.

163 Suam reſolutionem pro more ex Apoſtolo firmat, & cum Apoſtolo turpitudinem ponente inter vitia nec nominanda: *Aut turpitudo*, quę eſt in tactibus turpibus, & amplexibus, & oſculis libidinoſis, Proverb. 6. *Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam, perdet animam ſuam; & turpitudinem, & ignominiam congregat ſibi.* Eodem modo verbum Apoſtoli intelligit S. Antoninus ſupra laudatus: concludens cum Angelico ſuo Magiſtro Thoma: *Omnia talia ſunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra matrimonium.* Angelico Magiſtro, & ſanctiſsimo diſcipulo præluxerunt Patres, Cyprianus iterato audiendus: *Certè* (inquit) *ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, & oſculatio, & conjacentium duorũ turpis & fœda dormitio, quantùm dedecoris, & criminis confitentur.* Deinde Ambroſius: *Intrat mors per oſcula; & ideò cave ne te laqueis labiorum ſuorum alliget.* Tandem Auguſtinus habet: *Porrò ſi alienæ fœminæ oſculum infixum, rationis ſit verbere indicare, nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum ſpatio verberatur, & ſuavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur?*

Ad Epheſios 5. *D.Thom. lect. 2.* *S. Cyprian. epiſtol. 62. ad Pōponium.* *S. Ambroſ. ſerm. 5. in Pſal. 118.* *S. Auguſt. lib. 21. de Civit. Dei cap. 11.*

Ex Apoſtolo cum Patribus improbāt Angelicus Magiſter & ejus diſcipulus S. Antoninus.

164 Progreditur deinde Florentinus Archipræſul ad praxim deſcendens ita diſcurrens: * De more eſt in aliquibus locis, ut
* non ſolùm viri viros, ſed etiam viri mu-
* lieres, pręcipuè conſaguineas ſuas, cùm de
* novo adveniunt, vel viſitant amplexentur,
* & manûs mutuò contingant, & oſculentur:
* Sicut & Jacob Patriarcha oſculatus eſt Ra-
* chelem adoleſcentulam amore caſto ut
* conſanguineam. Neceſsitas quandoque
* compellit, & tangere totum corpus, &
* etiam ſecretiora naturæ, ut Medicus infir-
* mã in tali parte:: Talia non ſunt peccata de
* ſe, quamvis poſsit ſupervenire & tentatio,
* & mala intentio: ſed hoc erit per acci-
* dens. Addit præterea: Quæ permittit hęc
* ſibi fieri ab eo, quem æſtimat ad hoc mo-
* veri amore libidinoſo, mortaliter peccat,
* quia facientem & conſentientem par pœ-
* na conſtringit, ut dicitur cauſa ſecunda
* quæſt. 1. cap. *Notum.* Sed quæ permittit
* hoc ſibi fieri, credens talem moveri ex
* dilectione fraterna, ſeu honeſta amicitia,
* ſeu quadam humanitate, ſeu more patriæ,
* non peccat, quamvis hoc faciens ex libi-
* dine moveretur, & per conſequens morta-
* liter peccaret: & hoc quoad oſcula, am-
* plexûs, & dando alteri manum, ut
* moris eſt: quod tamen periculoſum eſt.
* Et ideò cavendum eſt ab his inter virum &
* mulierem, etiam Religioſos. *Bonum eſt*
* (inquit Apoſtolus) *mulierem non tangere.*
* Nam ut dicitur Eccleſiaſtici 13. *Qui teti-*
* *gerit picem*, cui ſimilis eſt mulier, *inqui-*
* *nabitur ab ea.* Permittere autem ſe tangi
* in membris genitalibus, niſi ſint conjuges,
* vel niſi ſubſit cauſa neceſsitatis, ut infir-
* mitas & hujuſmodi credo non poſſe excu-
* ſari à mortali, cùm iſtud non fiat com-
* muniter niſi ex amore libidinoſo. Et cre-
* dere quòd hoc fiat pura intentione, eſt
* fatuitas, non ſimplicitas, & quamvis præ-
* dicta, ſcilicet oſcula, amplexûs, & tactûs,
* non impediant bonum prolis generandæ
* & educandę: quia ex his præciſè non po-
* teſt ſequi generatio: tamen ipſa proce-
* dunt ex libidine, quæ eſt radix hujuſmodi
* impedimenti; & ſecundum hoc, id eſt in
* quantum libidinoſa, ſunt mortalia, & non
* aliter. Hæc ultima verba deſumpta ſunt
ex D.Thoma ſolutione ad ſecundum ut vidimus.

§. II.

Aſpectus, & verba impudica removeantur.

165 ASPECTUUM hujuſmodi deformitatem impudicitiâ plenam, declarat imprimis Chriſtus Dom. inquiens: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Et S. Petrus impudicos homines deſcribens, arguenſque ait: *Oculos habentes plenos adulterii & inceſſabilis delicti.* Quamobrem S. Job in libro ipſius nomine ſcripto dicit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis?* Atque hoc eſt quod monet David: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et Sapiens *Virginem* (inquit) *ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. Noli circumſpicere in vicis civitatis, ne oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt:*

Matth. 5. 28. *2. Petri 2. v. 14* *Job 31. à v. 1.*

Verba impudica reprobant Oracula Sacra.

Pſalm. 118. v. 27. *Eccleſiaſt. 9. v. 5.*

& ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Nec mirum: *Aſcendit enim mors per feneſtras noſtras*; hoc eſt per ſenſus, ut dicitur Jeremiæ 9. quemadmodum idem Propheta Threnorum 3. confirmat: *Oculus meus deprędatus eſt animam meam.*

Jerem. 9. v. 21. & Thren. 3. v. 51.

166 Scripturæ morem pro more ſequentes SS.PP. ita ad verba Chriſti D. loquuntur:
* Chriſtus (inquit Chryſoſtomus) non actum
S. Chryſoſt. hom. 17. in Matth.
* ſolummodo, ſed impudicum quoque coer-
* cet aſpectum, ut diſcas ubi conſiſtat
* illud quod ſupra Scribarum, & Phari-
* ſęorum noſtra præcipitur abundare juſti-
* tia: Propter quod ait: *Qui viderit mu-*
* *lierem ad concupiſcendum eam, jam mœ-*
* *chatus eſt eam in corde ſuo.* Hoc eſt di-
SS.PP. improbant etiam.
* cere, qui dat operam in venuſta corpora
* curioſiùs intueri, & decoras aucupari fa-
* cies, talique animam ſpectaculo paſcere,
* & obſcænos pulchris etiam vultibus ocu-
* los affigere. Non enim idcirco Dominus
* adveniſſe contentus eſt, ut ſolummodo
* corpus à malis actibus, ſed ut prius ani-
* mam quoque ab hujuſmodi cogitationi-
* bus averteret :: Deinde ſubjungit: Qui
* enim ſtudet elegantes facies inſpicere,
* ipſe præcipuè fornacem ſibi iſtius paſsio-
* nis accendit, & captivam faciens ani-
* mam, ad opus quoque celeriter addu-
* cit. Propterea non dixit, qui concupi-
* vit ad adulterandum, ſed qui viderit ad
* concupiſcendum :: Sicut enim nos cùm
* gladium teneri videmus à puero, etiamſi
* nondum eum vulneratum inde eſſe cer-
* namus, verberamus tamen, ac ſępè mi-
* nantes denuntiamus, ne quando illum
* rurſus attingat: Ita etiam Deus invere-
* cundum coercet aſpectum, eumque ante
* opus tollit, ne quandoque in ipſam quo-
* que incidat actionem. Qui autem in ſe
* flammam cupiditatis accenderit, etiam
* abſente muliere, quam vidit, jugiter
* apud ſemetipſum turpium rerum ſimula-
* cra depingit, & neceſsè eſt hujuſmodi
* nonnunquam ad flagitium ipſum opere
* pervenire. :: Propterea etiam B. Job hanc
* ſibi ab initio legem ipſe decreverat, pe-
* riculoſum hoc ſpectaculum undique à
* ſuis oculis repellendo. Siquidem poſt hu-
* juſmodi aſpectum multò jam difficilius
* certamen efficitur, cùm & viderit aliquis,
* & tamen ea, quam viderit non fruatur;
* nec tantam de contemplatione ipſa capi-
* mus voluptatem, quantum patimur de
* augmento iſtius cupiditatis dolorem, for-
* tiorem contra nos facientes hoſtem, &
* ampliorem locum Diabolo dantes :: Tan-
* dem etſi enim illam nequaquam attrecta-
* ſti manu, ſed oculis tamen, ac volunta-
* te palpaſti: propterea etiam hoc procul-
* dubio adulterium reputatur; & ante fu-
* tura illa tormenta non leve jam in præ-
* ſenti invenitur afferre ſupplicium. Nam
* perturbationibus, ac tumultu intrinſecùs
* cuncta complentur, & multus quidem
* æſtus, plurimus etiam ſentitur dolor.
* Nec omninò hujuſmodi homo melius affe-
* ctus eſt; quàm qui affliguntur vel cap-
* tivitate, vel vinculis. Et illa quidem, quæ
* lethalem hanc ejicit ſagittam, eâ emiſsâ
* ſæpè evolat; at ictus remanet: Imò ve-
* rò non illa ſpiculum torſit, ſed tu tibi
* ipſi plagam illam mortiferam intempe-
* ranter ſpectans inflixiſti. Præterea ad ver-
* ba ex D. Petro adducta ſic loquitur Au-
* guſtinus: Nec ſolo tactu ſed affectu quo-
* que, & aſpectu appetitur, & appetit
S. Auguſt. epiſt. 211. alias 109.
* fœmina. Nec dicatis vos habere animos
* pudicos, ſi habeatis oculos impudicos:
* quia impudicus oculus impudici cordis eſt
* nuntius. Et cum ſe invicem ſibi, etiam
* tacente linguâ, conſpectu mutuo corda
* nuntiant impudica, & ſecundum concu-
* piſcentiam carnis alterutro delectantur ar-
* dore, etiam intactis ab immunda viola-
* tione corporibus, fugit caſtitas ipſa de
* moribus. Inſuper addit: De longe vidit
* David illam, in qua captus eſt. Mulier
* longè, libido propè. Alibi erat quod vi-
S. Auguſt. in Pſalm. 50.
* deret, in illo unde caderet :: Nunquid tu
* fortior, quàm David?

167 Inde ſua ſponte fluit, peccati lethalis reos eſſe, qui effingunt, palam exponunt, apud ſe retinent, aut ſtudioſè, & libidinoſis oculis intuentur imagines, quæ turpitudinis ſpeciem præſeferunt: Cùm ad turpes rerum illècebras, inflammandoſque adoleſcentum animos vis in illis ſit maxima. Unde S. Joannes Chryſoſtomus ait: * Dœmon nudæ quoque figu-
S. Chryſoſt. in Pſalm. 113.
* ræ aſsidet, & nunc quidem ſtatuæ ſunt
* imagines fornicationis, nunc inſani in
* maſculos amoris. Quid enim vult ſibi
* Aquila? Quid verò Ganimedes? Quid
* Apollo, qui virginem perſequitur? Quid
Picturæ turpitudinis ſpeciem præſeferentes, nec exponendæ neque retinendæ ſunt.
* aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido,
* ubique laſcivia nefariorum concubituum,
* & inſanorum amorum ſunt ubique figu-
* ræ. Adoleſcentem quemdam aſpectu ta-
* bulæ in pariete depictæ, quæ Jovem per
* imbrem aureum in Danaes gremium illap-
* ſum adumbrabat, ad libidinem ſe con-
* ſitaſſe, & Jovem ad exemplum ſtupri
S. Auguſt. lib. 1. Conf. cap. 16.
* ſibi propoſuiſſe refert Sanct. Auguſtinus.

Quamobrem rerum turpium, & obſcænarum imagines effingi ſacri Canones prohibent, deleri, vel ad honeſtatem reconcinnari præcipiunt. Concilium Mediolanenſe præſcribens, quæ à Patribus familias præſtanda ſunt, cum illorum ędes à Parrocho ſolemni ritu benedicuntur, ſtatuit ut *Imagines obſcænas, & turpes incendant: Profanas verò, quæque ad inanem voluptatem alliciunt, amovere ſtudeant.* Concilium Mediolanenſe 3. ſtatuit: * Ut ſi in hortis,

Concilium Mediolan. 5. part. 1. tit. De his quæ ad Sacramentalia pertinent.

* ædibus, aliiſvè Eccleſiarum, aut Eccle-
Mediolanenſ. 3. tit. De his quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum, & Clericorum honeſtatem.
* ſiaſticorum hominum locis, ſigna, imagi-
* nes, aut picturæ ſunt, quæ procaces, vel
* ullo alio modo aliquam obſcænitatis,
* turpitudiniſvè ſpeciem præſeferant; ita
* reconcinnentur, ut offenſionem oculis
* ne præbere poſsint, aut tollantur, de-
* leanturvè ex omni loco ubicunque extant;
* neque in poſterum ejuſmodi aliquomodo
effin-

effingantur, aut pingantur. Et quoniam Chriſtianorum hominum mentes facilè corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium atque obſcænarum imagines, ideò illas effingi vetitum eſt Conſtantinopolitanæ Synodi Canone. Itaque curet Epiſcopus, ut quicunque laici homines id generis imagines habent, vèl tabulis, vel parietibus expreſſas, pro pietatis Chriſtianæ cui addicti eſſe debent ſtudio, eas abjiciant, vel planè deleant, vel ad honeſtatem reconcinnent.

Ab Eccleſiis magis removendę, ex jure Canonico.

Concilia: Tridentinum. Cameracenſe. Mediolanenſe. Mechlinienſe. Turonenſe. Avenionenſe. Aquilejenſe. Narbonenſe.

168 Quod ſi ex privatis domibus amovendæ ſunt obſcænę, laſcivæque imagines, multò magis curandum eſt, ne in Templis Deo dicatis collocentur, quod Sanctorum Conciliorum Decretis ſpeciatim prohibetur, Tridentini ſeſsione 25. tit. *De veneratione Reliquiarum Sanctorum, & Sacrarum Imaginum*, Cameracenſis anno 1569. tit. 20. cap. 2. Mediolanenſis I. Conſtitutionum part. 1. num. 1. Mechlinienſis anno 1570. tit. *De Imaginibus* can. 1. 2. & 3. Turonenſis anno 1583. tit. 11. Avenionenſis anno 1594. tit. 26. Aquilejenſis anno 1596. Rubrica 16. Narbonenſis anno 1609. canone 7. Si autem Scriptura Sacra, Sancti Patres, Sacrique Canones adeò contra Imagines obſcænas debachantur, ab eorumque aſpectu Dei Miniſtros removere ſatagunt: Quid non erit improbare in illis cæcis, & carnalibus cæcarum mulierculárum ductoribus, vel potiùs præcipitatoribus, qui mortificationis prætextu, mulieres flagellandas coram ſe nudari jubent. Hoc enim impudicitiæ negotium in tenebris ambulans, ſi ex confeſſione, aut loco confeſsionum conſulitur, etſi poſtea complendum; non dubito quin inter crimina ſollicitationis Sacro Inquiſitionis Tribunali denuntianda, reponendum ſit. De hoc crimine ſic loquens audiatur Sanctus Antoninus: * Sed quid de illis qui ſub ſpecie mortificationis ſpiritualis faciunt coram ſe denudare mulieres totaliter, ſicut compertum eſt in aliquibus prætendentibus ſanctitatem? Credo non poſſe excuſari à mortali peccato. Et ratio hujus eſt, quia hoc eſt contra honeſtatem naturalem; adeò ut etiam primi conjuges Adam & Eva poſt tranſgreſsionem præcepti non paſsi ſint ſe invicem nudos videri, ſed fecerunt ſibi perizomata de foliis ficûs. Secundò propter periculum lapsûs. David tàm ſanctus aſpiciens caſu mulierem lavantem ſe, non evaſit crimen adulterii. Quomodo credendum eſt ut non incidat in laqueum Diaboli, qui ſtudiosè ſibi laqueum parat? Qui amat periculum incidit in illud, ut dicitur Eccleſiaſtici 3. Tertiò propter ſcandalum. Non eſt ergo hujuſmodi vera mortificatio, ſed deceptio Diaboli, & laqueus Animarum inſipientium, & dici poteſt hoc vitium impudicitiæ.

S. Antoninus part. 2. tit. 5. cap. 1.

Flagellandæ mulieres coram, vel à Cōfeſſariis, diabolico aſmodęica mortificatio eſt.

169 Reprobatis impudicis aſpectibus; reprobanda conſequenter veniunt verba impudica, turpiaque cantica; ſicut ea reprobaverat jam Apoſtolus generaliter pronuntians: *Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Exortans per oppoſitum: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Expreſsius autem capite 5. ſequenti loquitur: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos: Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio.* Apoſtolum imitatus S. Clemens Alexandrinus ſic ad rem loquitur: * Omne turpe ſpectaculum, (inquit) omnemque turpem auditionem, & ut ſemel dicam, turpem omnem ſenſum intemperantiæ, quæ quidem eſt vera ſensûs privatio, maximè oportet nos exſcindere, quæ in oculis, & in auribus titillat, & effęminat, voluptatem caventes: fractorum enim cantuum & flebilium caricæ muſæ, modorum varia veneficia, intemperanti & pravo muſicæ artificio mores corrumpunt. Et poſt multa: Amatoria quidem procul abſint cantica. Sint autem cantica Dei laudes :: Sunt enim admittendæ modeſtæ, & pudicæ armoniæ: contra à forti & nervoſa noſtra cogitatione veræ molles, & enerves armoniæ amandandæ, quàm longiſsimè, quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam & ignavam vitę agendæ rationem deducunt :: Meretricię igitur muſicæ ſunt relinquendæ. Addit deindè: A turpiloquio, & nos omninò abſtinere oportet, & eis qui illo utuntur os obſtruere, & aſpectu ſeveriore, & vultus averſione & ſubſanatione, & ſæpè etiam aſperiori oratione. Quę enim (inquit Chriſtus D) ex ore exeunt coinquinant hominem: Profanum, intemperantem, & petulantem eum oſtundunt, non modeſtum, honeſtum & temperantem. Cùm autem turpia æque in audiendo verſentur, & in ſpectando, divinis Pędagogus eadem ratione pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur, pudicos & modeſtos ſermones veluti quædam aurium munimenta adhibet, ne poſsit ad frangendam animam pervadere pulſatio fornicationis.

1. Corinth. 15. v. 33.

Epheſ. 4. v. 29.

Cap. 5. v. 3.

S. Clemens Alexandrin. lib. 2. Pędag. cap. 4.

Verba impudica poſt Apoſtolum deteſtantur SS.PP. antiqui.

170 Similia verba, & cantica deteſtatur S. Cęſarius, inquiens: * Quàm multi ruſtici, & quàm multæ mulieres ruſticanæ cantica diabolica, amatoria, & turpia memoriter retinent, & ore decantant? Iſta poſſunt tenere atque parare, quę Diabolus docet; & non poſſunt tenere, quod Chriſtus oſtendit? Quantò celeriùs & meliùs quicunque ruſticus, vèl quęcunque mulier ruſticana, quantò utiliùs poterat & Symbolum diſcere & Orationem Dominicam & aliquas Antiphonas & Pſalmum quinquageſimum vel nonageſimum: & parare & tenere & frequentiùs dicere, unde

S. Cæſarius ſer. 47.

animam ſuam, & Deo conjungere, & à diabolo liberare poſſent. Nam quomodo cantica turpia in tenebras diaboli mittunt; ſic cantica ſancta Chriſti lumen oſtendunt. Nec antiquiores solùm Patres procacis impudicitiæ ſigna illa reprehendunt, ſed etiam caſtæ morum doctrinæ poſteriores Magiſtri, ex quibus unus audiendus eſt Sanctus Antoninus. * Nulli (inquit) dubium eſt quòd qui dicit verba turpia & laſciva hac intentione ut ſe vel alium provocet ad luxuriam, vel ſe mente delectandi in loquutione & cogitatione turpium extra matrimonium, mortaliter peccat :: Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad ſolatium (id eſt jocosè) quamvis de ſe non videantur mortalia; quia peccata oris, ſecundum S. Thomam, permaximè judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: Propter quod dicit S. Auguſtinus quòd ream linguam non facit niſi rea mens: Tamen per accidens poſſet eſſe mortale ratione ſcandali, ſeu ruinæ indè ſequentis in mente alicujus, ut cum audientes ſunt debiles ſpiritu, ſivè infirmi; & verba eſſent multùm laſciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas laſciviis: ſed audientes libenter talia non tantùm ex quadam levitate, & ſolatio vano, ſed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes, non videntur poſſe excuſari à mortali, ſicut nec à delectatione moroſa turpis cogitationis, cùm ex auditu ſequantur talia, præcipuè mentibus infirmorum. Niſi fortè hoc foret inter conjuges. Si ergo contingat prętcr intentionem talia audiri, vitare debent, vel ſaltèm diſplicentiam mentis habere. Quò ſpectat illud Eccleſiaſtici 28. *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire: & ori tuo facito oſtia, & ſeras.*

S. Antoninus tit. 5. cap. 1. § 8

Qualiter verba turpia & cantilenę peccata ſint mortalia.

171 Inde habes deteſtandam librorum obſcęnorum lectionem: quia graviter peccaminoſam: librorum verò amatoriorum, quia periculis plenam. Primum ex dictis iiſdem argumentis firmum conſtat. Deinde, quia libros qui res obſcęnas & laſcivas ex profeſſo tractant, à fidelibus legi prohibuerunt, & eos retinentes ab Epiſcopis puniri ſanxerunt Pius IV. Sixtus V. & Clemens VIII. Pontifices Maximi ædito librorum prohibitorum Indice. S. Carolus Borromæus præſcripſit, quę agenda ſunt à Patrefamilias, cùm ejus domus à Parocho benedicetur: * *Amoveri* (ait) *curabit quæcunque domi ſuæ ſunt Chriſtianæ familiæ inſtituto indigna, quæque Dei oculos offendunt. Libros de rebus obſcęnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhoneſtis ceteriſque id generis, inflammari curabit. Libros de vitę religioſæ ſpiritualibus inſtitutis atque exercitationibus introducet.* Et in Concilio Mediolanenſi VI. ſtatuit, *Ut Milites in otio militari à librorum obſcęnorum, quique Chriſtianos viros non decent, lectione abſtineant; ſed Martyrum vitis legendis in quibus fortitudo, ac virtus verè militaris elucet, totos ſe occupent, cum per occupationes militares poſſunt.* Concilium Turonenſe anno 1383. prohibet: Ne libri ad laſciviam, & luxum provocantes imprimantur, vendantur, legantur, aut retineantur omninò: Jubetque, ſicubi reperti fuerint comburantur, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrent, qui minimè paruerint. Concilium Burdigalenſe eodem anno celebratum moneri jubet ſępiſsimè Chriſtianos à ſuis Parochis & Confeſſariis, ut fugiant tanquam virus mortiferum lectionem librorum quorumcunque, qui vel ad artes magicas pertinent, vel obſcænas & impias narrationes continent: eoſque (ut olim tempore Apoſtolorum factum legimus) comburant. Statuta Synodalia Biſuntinæ Diœceſis, Rituale Bituricenſe, Conſtitutiones Synodales Eminentiſsimi Cardinalis Grimaldi Aquenſis Archiepiſcopi, abſolutionem Sacramentalem negari jubent iis, qui libros impudicos & laſcivos apud ſe retinent vel legunt. *Si carmina Poetarum Dæmonum cibum*, Sanct. Hieronymus vocat: quia *dùm aures verſibus dulci modulamine currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt.* Quid de libris & carminibus amatoriis dixiſſet? An Chriſtiana diſciplina non impetrabit à veri Dei cultoribus, quod ab Ethnicis Lacedęmoniis obtinuit recta ratio? Qui ſcilicet Archilochi Poëtę celebris libro, *Noluerunt liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodeſſet*, ut refert Valerius Maximus.

Libri obſcæni, & amatorii meritò prohibiti à Summis Pontificibus.

In Concil. Mediolan. 5. p. 1. tit. Quæ ad Sacramĕtalia pertinent.

Removendos & comburendos decreta Synodalia ſtatuunt.

Mediolanĕſ. VI. tit. de Chriſtian. Milit. diſcipl.

Turonenſ. tit. de Profeſſ. fidei.

Burdigalenſ. tit. 7.

Synodalia Biſuntinæ, Bituricenſis, & Aquenſis Diœceſis.

S. Hieron. epiſt. 146. ad Damaſum.

Valerius Maximus lib. 6. cap. 3.

172 Quantum deinde ſit periculi in librorum amatoriorum lectione, teſtis eſt Sancta Tereſia cap. 4. vitæ ſuæ; teſtis Gerſonius Pariſienſis Eccleſiæ & Academiæ Cancellarius, in tractatu contra Romantium de Roſa, & Sermone in Dominicam 4. Adventus; teſtis Synodus antiqua, quæ Heliodoro Tricenſi Epiſcopo Epiſcopatum ademit ob libellos amatorios, quos Ethyopica inſcripſerat, & Choricleam poſtea nominarunt, quos quidem juvenis compoſuerat. Nam cum lectione eorum opuſculorum juvenes multi in periculum conjicerentur, Synodus Provincialis ſtatuit, vel libellos ipſos, qui amores accenderent, igni conſumptos, abolendos, vel qui eos compoſuiſſet, auctori functionem Epiſcopalem abrogandam eſſe. Ille vero Epiſcopatum deponere, quam ſcripta ſua ſupprimere maluit, refert Nicephorus Callixtus Æneæ, & Didonis amores ſe adoleſcentem legiſſe. Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem, ploraſſe S. Auguſtinus deflet lib. 1. confeſsionum, cum interim mortem animæ ſuæ, quæ fiebat non amando Deum, minimè defleret. Quantò magis lugendi ſunt qui libros impudicos, vel amatorios, ſivè ſub honeſti ſpecie intricatos amantium caſus deſcribentes, cordaque tenera ad amorem profanum emollientes, in lucem ędunt, vel legunt,

Nicephor. Callixtus lib. 12. cap. 34.

S. Auguſtin. lib. confeſſ. cap. 13.

gunt, dulcè venenum propinantes aliis, vel bibentes. Cantica Canticorum, Moyſis, Joſue, & Judicium libros à carnalibus & junioribus legi, veteres prohibebant; nedùm eos ſpiritualiter neſciunt, libidinis, ac voluptatum incitamento ſolvantur. Verba ſunt S. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi in regula ſeu libro de inſtitutione Virginum ad Florentinam ſororem. Quantò magis cenſenda eſt, periculoſa, eorum librorum lectio, qui profanos amores cùm deſcribunt & amantium colloquia, litterulas, artes, milleque caſûs intricatos referunt, in teneris & incautis adoleſcentum, & puellarum animis ſimiles flamas excitant?

S. Leander ad Florentinam c. 7.

§. III.

Saltationes, & ſpectacula fugienda.

S. Carolus Borrom. lib. memoriali p. 2. cap. 6.

173 NIHIL ferè opus eſt dicere pro deteſtandis ſaltationibus, & choreis poſt Heiceras rejectos; addere hìc ſolùm præſtat inter alia Sanctorum Patrum, & Conciliorum teſtimonia, Sanctum Carolum Borromæum, iterum audire ſtatuentem: Valeant execrandæ illæ, publicæque ſaltationes, Chriſtianorum caſtitati adeò exitioſæ, rixarum, jurgiorum, inimicitiarum, impudentiarum, pugnarum, cædiumque radices & occaſiones, imò cujuſcunque laſciviȩ ſeminaria. Quid plura? Ex ejuſmodi ſaltantium conſortiis oriuntur corporum, famæ, rerum, & Chriſtianæ denique poſt hac diſciplinæ detrimenta. Eliminentur ergo choreæ, & una cum his tot aliæ morum corruptelæ, quibus hoc maximè tempore ſolet Sathanas hominum mentes ſuo imperio vindicare, prorſus *abrogentur*. Monet deinde prȩdicatores verbi Dei, *ut choreas ſaltationes*, ac tripudia, è quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de ſuggeſtu ſȩpè *graviter reprehendant atque inſectentur*. Videri etiam poteſt S. Franciſcus Saleſius in introductione ad vitam devotam.

Choreas iterum deteſtantur S. Carolus.

S. Franciſcus Saleſius introduct. ad vitam devotam cap. 33.

174 Quantum verò ad ſpectacula, & comȩdias attinet, cuilibet ſufficeret Chriſtano, ſpiritum Chriſtianiſmi æmulanti, audire non ſolum antiquos Patres & Concilia, ſed ipſum ſanctiſsimum Borromæum Chriſtianæ diſciplinæ reparatorem cȩlitus datum, eo tempore in quo jam non vigebat antiqua, rigida Eccleſiæ diſciplina. Ipſe enim Eccleſiaſtico zelo plenus in inſtructionibus Prædicatorum verbi Dei; exortat Concionatores inter alia inquiens: *Spectacula, ludos, ludicraſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæ Chriſtianȩ adverſantur, perpetuò deteſtabitur, execrabitur. Demonſtrabit incommoda publicaſque ærumnas inde in Chriſtianum populum dimanare. In quam ſententiam valdè populum confirmabit argumentis, quæ graviſsimi viri, Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt. In eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.*

S. Borromæus in inſtructione Prædicatorum.

175 Argumenta autem quibus moveri viſus fuit ſanctiſsimus ille Purpuratus, ea compendioſè ſunt. Primò: Quòd Chriſtiani diabolo & pompis ejus, in Baptiſmo abrenuntient: ſpectacula verò & comœdiæ ad pompas diaboli pertineant. Secundò: Quòd ſpectacula commoveant pravos affectûs & cupiditates, in quibus compeſcendis & coercendis toto vitæ decurſu laborare ſummo ſtudio, ſummâque vigilantiâ Chriſtiani debent. Tertiò: Quòd Chriſtianæ pietatis ſenſum in ſpectatorum animis, ſenſim extinguant, virtutumque nervos diſſolvant. Quartò: Quòd ad profanos amores, ac voluptates emolliant animos Chriſtianorum, qui voluptatem fugere debent, cum Pœnitentiæ nati ſint, & Chriſto conformari. Quintò: Quòd ſint occaſiones peccati, libidinis irritamenta. Quòd multi ex ipſis pejores, nullus melior redire ſoleat. Sextò: Quòd de Gentilium moribus originem ſpectacula duxerint. Indicata argumenta breviter complectitur ita Div. Thomas. „ Ad ſecundum dicendum, quòd inſpectio ſpectaculorum vitioſa redditur in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia, vel laſciviæ, vel crudelitatis, per ea, quȩ, ibi repreſentantur. Unde Chryſoſtomus dicit, quòd *Adulteros, & inverecundos conſtituunt tales inſpectiones.*

Comœdias, & ludrica ſpectacula ex SS. PP. ſacro impetu noviter reprobat S. Borromæus.

D. Thom. 2. 2. q. 167. art. 2. ad 2.

S. Chryſoſtomus homil. 6. in Matth.

176 Teſtimonia autem Sanctorum Patrum, quorum meminit laudatus, & majori laude dignus Borromæus, hìc tranſcribere non inutilitèr placet, prout adducuntur à Natali Alexandro Regula VII. Imprimis Tertullianus inquit: * *Qui ſtatus fidei*, quæ ra-
* tio veritatis, quod prȩſcriptum diſcipli-
* næ inter cȩtera ſæcularium errorum, etiam
* ſpectaculorum voluptates adjuvat, Dei ſer-
* vi cognoſcite, qui cum maximè ad Deum
* acceditis; recognoſcite, qui jam acceſsiſ-
* ſe vos teſtificati, & confeſsi eſtis, ne aut
* ignorando, aut diſsimulando quis peccet.
* Tanta eſt enim voluptatum vis, ut igno-
* rantiam protelet in occaſionem, & conſ-
* cientiam corrumpat in diſsimulationem.
* Addit deinde: Quorumdam fides, aut ſim-
* plicior, aut ſcrupuloſior ad hanc abdica-
* tionem ſpectaculorum de Scripturis au-
* ctoritatem expoſcit, & ſe in incertum con-
* ſtituit, quòd non ſignificantèr neque no-
* minatim denuntietur ſervis Dei abſtinen-
* tia hujuſmodi. Planè nuſquam invenimus
* quemadmodum apertè poſitum eſt, Non
* occides, non idolum coles, non adul-
* terium, non fraudem admittes: Ita ex-
* certè definitum, non ibis in circum,
* non in theatrum, agonem, munus non ex-
* pectabis. Sed invenimus ad hanc quoque
* ſpeciem pertinere illam primam vocem
* David: *Fȩlix vir qui non abiit in conſi-*
* *lio impiorum, & in via peccatorum non*

Tertullian. lib. de ſpectaculis cap. 1.

Cap. 3.

Cap. 4.

* *ſtetit, nec in cathedra peſtium ſedit.* Præ-
* terea ſubjungit: Quaſi parum etiam de
* ſpectaculis pronuntietur; cùm concupiſ-
* centiæ ſæculi damnantur. Nam ſicut pe-
* cuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libi-
* dinis, vèl gloriæ, ita & voluptatis con-
* cupiſcentia eſt: Species autem voluptatis
* ſpectacula.
* 177 Et paulò poſt inquit: Ad prin-
* cipalem auctoritatem convertar ipſius ſig-
* naculi noſtri. Cùm aquam ingreſsi, Chri-
* ſtianam Fidem in legis ſuæ verba profite-
* mur, renuntiaſſe nos Diabolo, & Pom-
* pæ, & Angelis ejus, ore noſtro conte-
* ſtamur. Quid erit ſummum, atque præ-
* cipuum in quo Diabolus, & Pompæ, &
* Angeli ejus cenſeantur, quàm idolola-
* tria :: Igitur ſi ex idololatria univerſam
* ſpectaculorum paraturam conſtare conſti-
* terit, indubitatè præjudicatum erit etiam
* ad ſpectacula pertinere renuntiationis no-
* ſtræ teſtimonium in lavacro, quæ Dia-
* bolo & Pompæ & Angelis ejus ſint man-
* cipata. Inſuper Theatrum propiè ſacra-
* rium (ajebat) Veneris eſt. Hoc denique
* modò id genus operis in ſæculo evaſit.
* Nàm ſæpè cenſores naſcentia cùm maxi-
* mè theatra deſtruebant, Moribus conſu-
* lentes, quorum ſcilicet periculum ingens
* de laſcivia providebant. Deinde ait: Etſi
* qui modeſtè, & probè ſpectaculis frui-
* tur, pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam
* naturæ ſuȩ conditione, non tamen im-
* mobilis animi eſt, ſine tacita ſpiritus paſ-
* ſione. Nemo ad voluptatem venit ſine
* affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis
* patitur. Ipſi caſus incitamenta ſunt affe-
* ctûs. Cæterum ſi ceſſat affectus nulla eſt
* voluptas, & eſt reus jam ille vanitatis,
* eò conveniens ubi nihil conſequitur. Pu-
* to autem etiam vanitas extranea eſt no-
* bis. Quid quod & ipſe ſe judicat, inter
* eos poſitus, quorum ſe ſimilem nolens,
* utique deteſtatorem confitetur? Nobis
* ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus,
* niſi & talia facientibus non conferamur.
* Si furem, inquit, videbas, concurrebas
* cum eo. Utinam ne in ſæculo quidem
* ſimul cum illis moraremur! Sed in ſæcu-
* laribus ſeparamur, quia ſæculum Dei eſt,
* ſȩcularia autem Diaboli.
* 178 An ille recogitavit (dicit) eo
* tempore de Deo, poſitus illic ubi nihil
* eſt de Deo? Pudicitiam diſcet attonitus
* in mimos? Imò in omni ſpectaculo nul-
* lum magis ſcandalum occurret, quàm
* ille ipſe mulierum, & virorum accura-
* tior cultus, ipſa conſentio, ipſa in fa-
* voribus, aut conſpiratio, aut diſſenſio
* inter ſe de commercio ſcintillas libidi-
* num conflabellant. Nemo denique in ſpe-
* ctaculo ineundo prius cogitat, niſi vi-
* deri, & videre. Sed tragædo vociferan-
* te, exclamationes illæ alicujus Prophetæ
* retractabit? Et inter effȩminati hiſtrionis
* modos Pſalmum ſecum comminiſcetur?
* Avertat Deus à ſuis tantam voluptatis
* exitioſȩ cupiditatem. Quale eſt enim de
* Eccleſia Dei in Eccleſiam Diaboli tende-
* re? De Cȩlo, quod ajunt in cænum?
* Illas manus quas ad Deum extuleris, poſt-
* modum laudando hiſtrionem fatigare?
* Præterea ſubjungit: Cur ergo non hu-
* juſmodi etiam Dȩmoniis penetrabiles
* fiant? Nam & exemplum accidit Domi-
* no teſte, ejus mulieris quæ theatrum adiit,
* & inde cum Dœmonio rediit. Itaque in
* exorciſmo cum oneraretur immundus
* ſpiritus, quòd auſus eſſet fidelem ingre-
* di: Conſtanter & juſtiſsimè quidem (in-
* quit) feci. In meo eam inveni. Conſtat
* & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus
* diei nocte qua tragœdum audierat, cum
* exprobratione nominatim tragœdi, nec
* ultra quintum diem eam mulierem in ſȩ-
* culo fuiſſe :: Quot utique, & alia docu-
* menta ceſſerunt de his qui cum Diabolo
* apud ſpectacula communicando, à Do-
* mino exciderunt? Nemo enim poteſt
* duobus Dominis ſervire. Quid luci cum
* tenebris? Quid vitæ & morti? Addit iti-
* dem: Non ergo fugies ſedilia hoſtium
* Chriſti, illam Cathedram peſtilentiarum,
* ipſumque aërem qui deſuper incubat,
* ſceleſtis vocibus conſtupratum? Sint dul-
* cia licet & grata, & ſimplicia, etiam ho-
* neſta quȩdam, nemo venenum temperat
* felle, & elleboro, ſed conditis pulmen-
* tis, & benè ſaporatis; & plurimùm dul-
* cibus id mali injicit: ita & Diabolus le-
* thale quod conficit rebus Dei gratiſsi-
* mis, & acceptiſsimis imbuit. Omnia illic
* ſeù fortia, ſeù honeſta, ſeù ſonora, ſeù
* canora, ſeù ſubtilia perinde habe, ac ſi
* ſtillicidia mellis de ramunculo venenato:
* Nec tanti gulam facias voluptatis, quanti
* periculum per ſuavitatem.
* 179 *Sæculum* (denique ait) *gaudebit*,
* dicit Dominus. *Vos triſtes eritis.* Lugea-
* mus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum
* lugere cȩperint, gaudeamus; ne pariter
* nunc gaudentes, tunc quoque pariter
* lugeamus. Delicatus es, Chriſtiane, ſi &
* in ſæculo voluptatem concupiſcis, imò
* nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas volup-
* tatem. Philoſophi quidam hoc nomen
* quieti, & tranquillitati dederunt, in ea
* gaudent, in ea avocantur, in ea etiam
* gloriantur. Tu mihi ſcenas ſuſpiras? Di-
* cas velim, non poſſumus vivere ſine vo-
* luptate, qui mori cum voluptate debe-
* mus? Nam quid eſt aliud votum noſtrum,
* quàm quod & Apoſtoli, exire de hoc ſæ-
* culo, & recipi apud Dominum? Hìc vo-
* luptas, ubi & votum.

180 Confirmat eamdem Moralis Chriſtianȩ regulam Minutius Fȩlix: * Nos igi-
* tur (inquit) qui moribus & pudore cen-
* ſemur, meritò malis voluptatibus in pom-
* pis veſtris abſtinemus: Quarum & de ſa-
* cris originem novimus, & noxia blan-
* dimenta damnamus. Nam in ludis curu-
* libus quis non horreat populi in ſe ri-
* xantis inſaniam? In gladiatoriis, homi-

Cap. 10.

Cap. 15.

Cap. 25.

Cap. 26.

Cap. 27.

Cap. 28.

Minutius Fȩlix in Octavio.

* cidii diſciplinam? In ſcenicis etiam non
* minor furor, turpitudo prolixior. Nunc
* enim mimus, vel exponit adulteria, vel
* monſtrat. Nunc enervis hiſtrio amorem
* dum fingit infligit. Idem confirmat S. Cy-
prianus : * Converte (inquit) vultus ad
S.Cyprian. epiſtol. 1. ad Donat. * diverſa ſpectaculi non minùs pœnitenda
* contagia : In theatris quoque conſpicies
* quod tibi & dolori ſit & pudori. Co-
* thurnus eſt tragicus priſca facinora car-
* mine recenſere : De parricidis, & inceſtis
* horror antiquus expreſſâ ad imaginem ve-
* ritatis actione replicatur, ne ſęculis tran-
* ſeuntibus exoleſcat, quod aliquando
* commiſſum eſt. Admonetur ętas omnis
* auditu, fieri poſſe quod factum eſt : Nun-
* quam ævi ſenio delicta moriuntur, nun-
* quam temporibus crimen obruitur, nun-
* quam ſcelus oblivione ſepelitur. Exem-
* pla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſti-
* terunt. Tum delectat in mimis turpi-
* tudinum magiſterio, vel quid domi geſ-
* ſerit recognoſcere, vel quid gerere poſ-
* ſit audire. Adulterium diſcitur dum vi-
* detur, & lenocinante ad vitia publicæ
* auctoritatis malo, quę pudica fortaſsè
* ad ſpectaculum Matrona proceſſerat, de
* ſpectaculo revertitur impudica. Adhuc
* deinde morum quanta labes, quæ pro-
* brorum fomenta, quæ alimenta vitio-
* rum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? ::
* Evirantur mares, honor omnis & vi-
* gor ſexûs enervati corporis dedecore mol-
* litur, pluſque illic placet quiſquis vi-
* rum in fœminam magis fregerit : In lau-
* dem creſcit ex crimine; & peritior quò
* turpior judicatur. Spectatur hìc, proh ne-
* fas! & libenter, quid non poſsit ſuade-
* re qui talis eſt? Movet ſenſus, mulcet
* affectus, expugnat boni pectoris conſcien-
* tiam fortiorem : Nec deeſt probri blan-
* dientis auctoritas, ut auditu molliore
* pernicies obrepat.

181 Idem Chriſtianæ diſciplinæ caput *S.Chryſoſt.hom. 15.ad Populum Antiochenum.*
confirmat S. Joannes Chryſoſtomus. * Ple-
* rique (inquit) putant non conſtare quòd
* in theatra aſcendere peccatum ſit. Sed
* infinita vitæ mala ſolet inferre. Etenim
* in theatris immoratio fornicationem, pe-
* tulantiam, & omnem incontinentiam pe-
* perit ::: Ne tantùm itaque peccata fu-
* giamus, ſed ea etiam quæ videntur in-
* differentia, quæ paulatim in hæc pecca-
* ta nos pertrahunt. Nam qui juxta præ-
* cipitium vadit, quamvis non decidat,
* tremit, & ſæpè numero ab ipſo ſubver-
* ſus timore decidit : Ita & qui non pro-
* cul peccata fugit, ſed ſecùs ipſa vadit,
* cum timore vivit, & in ipſa labitur ſæ-
Homil.3. * piùs. Idem de Davide & Saule tractans
* argumentum : Arbitror (inquit) multos
* ex his qui heri nos deſtituerant, & ad
* iniquitatis ſpectacula diſceſſerant hodiè
* præſentes eſſe. Optarem autem illos, qui
* ſint, palam noſſe, ut eos à ſacris veſti-
* bulis arceam, non ut perpetuò foris ma-
* neant, ſed ut correcti denuò redeant.
* Quandoquidem & patres filios delinquen-
* tes frequenter ex ædibus exigunt, & à
* menſa ſubmovent non ut ſemper illinc
* exulent, ſed ut hac correptione redditi
* meliores, cum debita laude & honore
* in paternum redeant *contubernium*. Et
* infra, reos eſſe ait adulterii pleroſque
* eorum qui ſpectacula frequentant. *Qui*
* *enim viderit mulierem ad concupiſcendum*
* *ipſam, jam mœchatus eſt eam in corde*
* *ſuo.* (inquit Chriſtus) Quòd ſi mulier
* ſpontè, ac fortè in foro obvia, & ne-
* glectiùs culta ſępè numero, curioſius in-
* tuentem cæpit ipſo vultûs aſpectu; iſti
* qui non ſimpliciter, neque fortuitò, ſed
* ſtudio, & tanto ſtudio, ut Eccleſiam quo-
* que contemnant, & hujus rei gratia
* pergunt illùc, & totum ibi deſidentes
* diem, in facies abiectarum fœminarum
* illarum, defixos habent oculos, qua fron-
* te potuerunt dicere, quòd eas non vide-
* rint ad concupiſcendum? Ubi verba quo-
* que accedunt fracta laſcivaque, ubi can-
* tiones meretriciæ, ubi voces vehementer
* ad voluptatem incitant. Etenim ſi hic ubi
* Pſalmi, ubi Divinorum Eloquiorum enar-
* ratio, ubi Dei metus multaque reve-
* rentia, frequenter ſeu latro quiſpiam ver-
* ſutus clam obrepit concupiſcentia, quo-
* modo qui deſident in theatro, qui nihil
* ſani neque audiunt, neque vident, ſed
* multa defluunt turpitudine, multâ ne-
* quitiâ; qui undique obſidionem patiun-
* tur per aures, per oculos, poſsint illam
* ſuperare concupiſcentiam? Rurſum ſi
* non poſſunt, quomodo poterunt unquam
* ab adulterii crimine abſolvi; tùm qui li-
* beri non ſunt ab adulterii crimine,
* quomodo poterunt abſque pœnitentia ad
* hæc ſacra veſtibula accedere, hujuſque
* præclari conventûs eſſe participes? Qua-
* propter hortor rogoque, ut prius Con-
* feſsione, ac Pœnitentiâ aliiſque reme-
* diis omnibus ſeſe à peccato ex theatri-
* cis ſpectaculis contracto perpurgent, at-
* que ita divinos audiant ſermones. Ne-
* que enim hic à nobis mediocriter delin-
* quitur :: Non metuis ò Homo, non ex-
* paveſcis, dum oculis quibus illic lectum
* qui eſt in orcheſtra, ſpectas, ubi dete-
* ſtandæ adulterii fabulæ peraguntur, iiſ-
* dem hanc ſacram menſam intueris, ubi
* tremenda peraguntur myſteria? Dum iiſ-
* dem auribus audis, & ſcortum obſcæna
* loquens, & Prophetam ad arcana Scrip-
* turæ introducentem : Dum eodem corde,
* & lethalia ſumis venena, & hanc ho-
* ſtiam ſanctam ac tremendam? An non
* hæc ſunt vitæ ſubverſio, conjugiorum
* corruptelæ, bella, pugnæque ac rixæ in
* domibus? :: Quapropter rogo vos omnes,
* ut & ipſi pravas in ſpectaculis commo-
* rationes vitetis, & alios ab his retraha-
* tis. Quidquid enim illìc geritur non eſt
* oblectatio, ſed pernicies, ſed ſupplicium::
* Quid prodeſt illa temporaria voluptas,
* dùm hinc perpetuus naſcitur dolor, dùm

nocte

* noctè pariter; ac diè à concupiſcentia
* ſtimularis? :: Excute igitur te ipſum re-
* putans qualis fias ab Eccleſia rediens, rur-
* ſus qualis à ſpectaculis : atque hos dies
* cum illis conferas; quod ſi feceris, nihil
* opus eſt meo ſermone; ſatis enim fue-
* rit hunc diem cum illo comparaſſe, ad
* oſtendendum, & quàm magna ſit hinc uti-
* litas, & quanta ſit illinc noxa.

182 Confirmat idem Sanct. Ambroſius:
S.Ambroſ.ſerm. 5.in Pſal.118. * Qui in via eſt Dei (ait) vanitates non
* aſpicit. Via perfecta Chriſtus eſt. Qui
* igitur in Chriſto eſt, quomodo poteſt
* vanitates aſpicere; cùm Chriſtus in car-
* ne ſua omnes Mundi hujus crucifixerit
* vanitates? Avertamus igitur oculos no-
* ſtros à vanitatibus, ne quod oculus vi-
* derit animus concupiſcat. Myſtica enim
* differamus interim. Utinam hac interpre-
* tatione poſsimus revocare ad diverſa cir-
* cenſium ludorum, atque theatralium ſpe-
* ctacula feſtinantes. Vanitas eſt illa quam
* cernis. Pantomimum aſpicis, vanitas eſt::
* Ante nos eſt Chriſtus, ante nos bravium
* ejus, ad quod pervenit, qui non in in-
* certum cucurrit, nec revocavit curſum
* ſuum, ſed incitavit. Ad hunc dirige ocu-
* los tuos, averte à ſpectaculis, averte
* ab omni ſęculari pompa. His concordat
* Sanct. Auguſtinus : Perverſa (inquit) &
S.Auguſt. epiſt. 138.alias 5.ad Marcelinum cap. 2. * averſa corda mortalium, fęlices res hu-
* manas putant, cum tectorum ſplendor
* attenditur, & labes non attenditur ani-
* morum; cum theatrorum moles extruun-
* tur, & effodiuntur fundamenta virtu-
* tum, cùm glorioſa eſt effuſionis inſania,
* & opera miſericordiæ deridentur; cùm
* ex his quæ divitibus abundant luxurian-
* tur hiſtriones, & neceſſaria vix habent
* pauperes : cum Deus, qui doctrinæ ſuæ
* publicis vocibus contra hoc malum pu-
* blicum clamat, ab impiis populis blaſ-
* phematur, & Dii tales requiruntur, in
* quorum honorem ea ipſa theatrica cor-
* porum, & animorum dedecora celebren-
* tur. Hæc ſi Deus pellere permittat, tunc
* indignatur graviùs, hæc ſi impunita di-
* mittat, tunc punit infeſtiùs.
* 183 Et illum verſum explicans : *Bea-*
Enarrat. in Pſalm. 39. * *tus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus,*
* *& non reſpexit in vanitates, & inſa-*
* *nias falſas*, ait : Ecce qua volebas ire,
* ecce turba viæ latæ : Non fruſtrà ipſa du-
* cit ad amphitheatrum, non fruſtrà ipſa
* ducit ad mortem. Via lata mortifera eſt:
* latitudo ejus delectat ad tempus, finis
* ejus anguſtus in æternum, ſed turbæ
* ſtrepunt; turbæ feſtinant, turbæ collæ-
* tantur, turbę concurrunt. Noli imitari,
* noli averti, vanitates ſunt & inſaniæ
* mendaces :: Fortè nobis dicturus eſt qui
* verſu iſto percuſſus corrigi voluerit, &
* quem occupaverit timor ille juſtitię fi-
* dei, & volens cęperit ambulare angu-
* ſtam viam; dicturus eſt nobis, ambula-
* re non durabo, ſi nihil ſpectabo. Quid
* ergo facimus? Dimiſſuri eum ſumus ſine
* ſpectaculo? Morietur, nōn ſubſiſtet, non
* nos ſequetur. Quid ergo facimus? De-
* mus pro ſpectaculis ſpectacula. Et quæ
* ſpectacula daturi ſumus Chriſtiano homi-
* ni, quem volumus ab illis ſpectaculis
* revocare? :: Ecce ſi averſus fuerit à circo,
* à theatro, ab amphitheatro, quærat quod
* ſpectet, prorſus quęrat; non eum re-
* linquimus ſine ſpectaculo. Quid pro illis
* dabimus? Audi quid ſequitur : *Multa*
* *feciſti tu Domine Deus meus mirabilia* *Salvianus libro 5. de providentia.*
* *tua.* Miracula hominum intuebatur, in-
* tendat mirabilia Dei. Multa fecit Do-
* minus mirabilia ſua, hæc reſpiciat. Quare
* illi viluerunt? Ad hos accedit Salvianus
Maſsilienſis Presbyter : * *Chriſtus* (inquit
* Scriptura) *pro nobis paſſus eſt, nobis re-*
* *linquens exemplum, ut ſequamur veſti-*
* *gia ejus.* Videlicet veſtigia Salvatoris ſe-
* quimur in circis? Veſtigia Salvatoris ſequi-
* mur in theatris? Tale nobis ſcilicet Chri-
* ſtus reliquit exemplum, quem fleviſſe legi-
* mus, riſiſſe non legimus? Et hoc utrunque
* pro nobis, quia fletus compunctio eſt ani-
* mæ, riſus corruptio diſciplinæ; & ideò
* dicebat: *Væ vobis qui ridetis, quoniam fle-*
* *bitis; & beati qui fletis quoniam ridebitis.*

184 Et paucis ad propoſitum ſubiectis,
proſequitur gemebundus iſte & novus Je-
remias : * In ſpectaculis enim quædam Apo-
* ſtaſia fidei eſt, & à Symbolis ipſius, &
* cęleſtibus Sacramentis lethalis prævarica-
* tio. Quæ eſt enim in Baptiſmo ſalutari
* Chriſtianorum prima confeſsio? Quę ſci-
* licet niſi ut renuntiare ſe Diabolo &
* pompis ejus atque ſpectaculis & operi-
* bus proteſtentur? Ergo ſpectacula &
* pompę etiam juxta noſtram profeſsionem
* opera ſunt Diaboli. Quomodo, ò Chri-
* ſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſe-
* queris, quę opus eſſe Diaboli confiteris?
* Renuntiaſti ſemel Diabolo, & ſpectacu-
* lis ejus: Ac per hoc neceſſe eſt, ut pru-
* dens, & ſciens, dùm ad ſpectacula re-
* meas, ad Diabolum te redire cognoſcas.
* Utrique enim rei ſemel renuntiaſti, &
* unum utrunque eſſe dixiſti. Si ad unum
* reverteris, ad utrunque remeaſti. Abre-
* nuntio enim (inquit) Diabolo, pompis,
* ſpectaculis, & operibus ejus. Et quid
* poſtea? Credo (inquis) in Deum Pa-
* trem Omnipotentem, & in Jeſum Chri-
* ſtum Filium ejus. Ergo primum renun-
* tiatur Diabolo, ut credatur Deo; quia
* qui non renuntiat Diabolo, non credit
* Deo : & ideò qui revertitur ad Diabo-
* lum, relinquit Deum. Diabolus autem
* in ſpectaculis eſt, & pompis ſuis : Ac
* per hoc cùm redimus ad ſpectacula, re-
* linquimus fidem Chriſti. Hoc itaque mo-
* do omnia Symboli Sacrament ſolvun-
* tur : & totum quod in Symbolo ſequi-
* tur, labefactatur, & nutat. Nihil enim
* ſequens ſtat ſi principale non ſteterit.
* 185 Denique præter alia quę id pro-
* bant, indicat etiam hoc res ipſa quam
* dico, ſi quando enim evenerit, ut ea-

 dem

* dem die, & feſtivitas Eccleſiaſtica, & lu-
* di publici agantur, quęro ab omnium
* conſcientia quis locus majores Chriſtia-
* norum virorum copias habeat, cavea lu-
* di publici an atrium Dei? Et Templum
* magis omnes ſectentur, an Theatrum? Di-
* cta Evangeliorum magis diligant, an
* thymelicorum? Verba vitę, an verba
* mortis? Verba Chriſti, an verba mimi?
* Non eſt dubium quin illud magis ame-
* mus, quod anteponimus :: Omni enim fe-
* ralium ludicrorum die, ſi quælibet Eccle-
* ſię feſta fuerint; non ſolùm ad Eccleſiam
* non veniunt, qui Chriſtianos ſe eſſe di-
* cunt; ſed ſi qui inſcii fortè venerint, dùm
* in ipſa Eccleſia ſunt, ſi ludes agi au-
* diunt, Eccleſiam derelinquunt. Sperni-
* tur Dei Templum, ut curratur ad Thea-
* trum : Eccleſia vacuatur, circus imple-
* tur : Chriſtum in Altario dimittimus, ut
* adulterantes uiſu impiiſsimo oculos ludi-
* crorum turpium fornicatione paſcamus.

ARTICULUS XI.

Inverecundam nuditatem, & impudicitiam abominandam oſtendens.

186 Ex ſpurciſsima Gnoſticorum immundiſsima abyſſu, quot libidinum monſtra, & luxurioſè impuritatis magiſtri prodierint, ſignificavimus jam. In Simone etenim Mago Eccleſiæ malignantium, viſibili capite: *Aperuit puteum abyſsi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & luna, & aer de fumo putei.* Inde enim *exierunt locuſtæ in terram*: Nimirum (exponit Div. Thomas) alii hæretici, de quorum ore proceſsit ignis, & fumus, & ſulphur: id eſt doctrina fætens, ſulphureo-fumoſa, & excęcans. Videas in hoc Apocalypſis oraculo, fętidis depictos coloribus Gnoſticos, eorumque ſequaces hucuſque debellatos, quorum impudicitia, ad ſummum malitiæ apicem deducta videretur; niſi pejores ſupra Magiſtros diſcipuli, ex illa Aſmodeica Schola prodierint. Et quinam iſti? Adamani, ſeu Adamitæ, in primo apparatu n. 14. memorati; quoſque ita deſcribit D. Thomas: „ Eſt error quorundam, qui dicuntur Adamani (ſeu Adamitæ) hi imitantur nuditatem Adæ, „ nudi mares, fœminæque conveniunt, nudi lectionem audiunt, nudi orant, Sacramenta nudi celebrant. De Adamitarum errore, & anteſignano ſic habet Baronius. * Cæterum pravum genus Carpocratis latius eſt propagatum: nam ejuſdem ſtirpis fuit Prodicus nefandiſsimus, qui Adamitarum auctor extitit, qui nihilo ſecius eadem, quæ Carpocratiani, ac Gnoſticorum reliqui, turpiſsima perpetrabant, indiderunt ſibi, & ipſi nomen, ut Gnoſtici dicerentur, quod Theodoretus teſtatur. De his plura Epiphanius, qui horum Eccleſias lupanaria fuiſſe tradit, ubi non niſi nudos commorari liceret, quas Paradiſum nominabant. * Hucuſque Baronius. Recruduit poſtea ſpurciſsima hæc ſecta per Pikardum ſæculo 15. poſt Turilupinos, novos Epicureos de nulla re nobis à natura conceſſa erubeſcendum eſſe dictitantes; unde more canum & jumentorum vivebant. In hoc inverecundo errore Cynicos imitati fuere, quorum fuit impudentiſsima illa propoſitio: *Quod liceat cuique cum fœminis publicitùs coire, inſtar canum, omni pudore ſublato.*

Apocalyp. 9. v. 2

Ibidem D. Thomas.

Adamitarum brutalis inverecundia indicatur ex ſui origine.

Opuſc. 5. circa finem.

Baronius anno Chriſti 120. n. 41.

Theodoretus lib. 1. hæretic. fab. hæreſ. 52.

187 Quis non deplorandam videat ejuſmodi Nebulonum miſerandam cæcitatem: eos ita excęcavit luxuria (*ignis* certè *infernalis*, ajebat S. Laurentius Juſtinianus, ſuoque proinde fœtido fumo obſcurans) ut cęciores dicas ipſis Phariſęis propria malitia ita excęcatis, ut videntes non viderent, ut videntes ſalvatorem præſentem, virtutem non viderent ex illo ad ſalvandos homines procedentem. Cęciores inquam noſtros hic adverſantes lamentare poſſumus: „ Nam ſi ex luxuria oritur cęcitas mentis „ (ut aliàs docuit D. Thomas) quæ quaſi „ totaliter ſpiritualium bonorum cognitio- „ nem excludit: illi ipſa cęcitate cęciores, nedùm à cognitione ſpiritualium bonorum excluſi fuerunt, ſed præterea ipſam miſeriam naturæ humanæ lapſę videntes, & experimento aſpicientes non vident; cum privilegia ſtatus innocentiæ gemebundis hominibus in Adamo lapſis tribuere non pudent. Quandoquidem, de nuditate erubeſcendos non fore homines in ſtatu innocentiæ Moyſes, & cum Moyſe D. Thomas ita oſtendit: „ Dicendum, quòd veſtitus neceſſa- „ rius eſt homini ſecundum ſtatum præſen- „ tis miſeriæ propter duo. Primò quidem „ propter defectum ab exterioribus nocu- „ mentis; puta intemperati caloris, & fri- „ goris. Secundò ad tegumentum ignomi- „ niæ, ne turpitudo membrorum appareat, „ in quibus præcipuè manifeſtatur rebellio „ carnis ad ſpiritum. Hæc autem duo in „ primo ſtatu non erant: quia in ſtatu illo „ corpus hominis non poterat per aliquod „ extrinſecum lædi, ut in primo dictum „ eſt. Nec etiam erat in ſtatu illo aliqua „ turpitudo in corpore hominis, quæ ad „ confuſionem induceret. Unde dicitur in „ Geneſi: *Erat autem uterque nudus* (Adam „ ſcilicet, & uxor ejus) *& non erubeſcebant.* Similia tradit in prima parte, compendiò inquiens: „ Homines in ſtatu innocentiæ „ non indigebant animalibus ad neceſsita- „ tem corporalem, neque ad tegumentum, „ quia nudi erant, & non erubeſcebant „ nullo incitante inordinatæ concupiſcentiæ „ motu.

S. Laurentius Juſtinianus lib. de ſobrietate c. 3.

Matth. 13. à v. 13.

D. Thom. 2. 2. q. 15. art. 3. in corp.

Adamitarum pluſquam brutalis cęcitas naturæ lapſæ miſerias experta non videns.

2. 2. q. 164. art. 2. ad 8.

Nec nuditas, nec generatio in ſtatu innocentiæ aliquid erubeſcendum haberent.

1. p. q. 96. art. 1. ad 3.

188 Nec ſimiliter haberent homines quid

quid erubeſcerent de generatione per coitum, qualis fuiſſet ſi fęliciſsimus ille innocentię ſtatus perduraſſet. Nam pro brevi illo tempore permanentię in Paradiſo, procreandi filios operam non dediſſe, ſupponit Div. Thomas cum Auguſtino, cujus rationem aſsignat: „ Ideò primi Parentes „ in Paradiſo non coierunt, quia forma- „ ta muliere, poſt modicum, propter pec- „ catum de Paradiſo ejecti ſunt. Vel quia „ expectabatur divina auctoritas ad deter- „ minatum tempus commixtionis, à qua „ acceperunt univerſale mandatum. Verumtamen in ſtatu illo futuram fuiſſe generationem per coitum & commixtionem maris & fœminæ, negarunt antiqui quidam Doctores propter fœditatem concupiſcentiæ, quæ invenitur in coitu in iſto ſtatu. Unde (ſubjungit Div. Thomas) Gregorius Nyſſenus *dicit in libro quem fecit de homine*, quòd in Paradiſo aliter fuiſſet multiplicatum genus humanum, ſicut multiplicati ſunt Angeli abſque concubitu per operationem virtutis divinæ. Et dicit, quòd Deus ante peccatum fecit maſculum & fœminam, reſpiciens ad modum generationis, qui futurus erat poſt peccatum, cujus Deus præſcius erat. Eandem opinionem pravis adjunctis erroribus diſſeminarunt ſupra recenſiti Adamitæ, credentes: Nuptias nunquam futuras, ſi Adam non peccaſſet. Armeni autem & Almaricus dixerunt, quòd Adam & Eva ſi in juſtitia permanſiſſent, non coiviſſent unquam. Addit inſuper Almaricus, nullam fuiſſe ſexuum differentiam, ſi Adam & Eva non peccaſſent.

S. Auguſt. lib. 9. de Geneſi ad litteram & ex ipſo D. Thomas 1. p. q. 98. art. 2. ad 2.

189 Sed hæc omnia dilucide evertit Doct. Angelicus ibidem ſubjungens: „ Sed „ hoc non dicitur rationabiliter. Ea enim „ quæ ſunt naturalia homini, neque ſub- „ trahuntur, neque dantur homini per pec- „ catum. Manifeſtum eſt autem quòd ho- „ mini ſecundùm animalem vitam, quam „ etiam ante peccatum habebat, ut ſupra „ dictum eſt, naturale eſt generare per „ coitum, ſicut & cæteris animalibus per- „ fectis. Et hoc declarant naturalia mem- „ bra ad hunc uſum deputata. Et ideò non „ eſt dicendum, quòd uſus horum mem- „ brorum naturalium non fuiſſet ante pec- „ catum, ſicut & cæterorum membrorum. „ Sunt igitur in coitu duo conſideranda ſe- „ cundùm præſentem ſtatum. Unum quod „ naturæ eſt, ſcilicet conjuctio maris & „ fœminæ ad generandum. In omni enim „ generatione requiritur virtus activa & „ paſsiva. Unde cum in omnibus, in qui- „ bus eſt diſtinctio ſexuum, virtus activa „ ſit in mare, virtus paſsiva in fœmina, „ naturæ ordo exigit ut ad generandum „ conveniant per coitum mas & fœmina. „ Aliud autem quod conſiderari poteſt, eſt „ quędam deformitas immoderatæ concu- „ piſcentiæ, quæ in ſtatu innocentiæ non „ fuiſſet quando inferiores vires omninò ra- „ tioni ſubdebantur. Unde Auguſtinus di- „ cit: Abſit ut ſuſpicemur non potuiſſe „ prolem fieri, ſine libidinis morbo. Sed „ eo voluntatis nutu moverentur illa mem- „ bra, quo cætera, & ſine ardore & ille- „ cebroſo ſtimulo, cum tranquillitate ani- „ mæ & corporis. Subjungit etenim cum „ Auguſtino: *In illo ſtatu nulla corruptio- „ ne integritatis infunderetur gremio ma- „ ritus uxoris.* Ita enim potuit utero con- „ jugis ſalva integritate fœminei genitalis, „ virile ſemen immitti, ſicut nunc poteſt ea- „ dem integritate ſalvâ ex utero virginis „ fluxus menſtrui cruoris emitti. Ut enim „ ad pariendum non doloris gemitus, ſed „ naturalis impulſus fœminea viſcera rela- „ xaret, ſic ad concipiendum non libi- „ dinis appetitus, ſed voluntarius uſus na- „ turam utranque conjungeret. Loquitur præterea S. Parens de homine innocente: *Summa in carne ſanctitas, in anima tota tranquillitas ſicut in Paradiſo, nullus æſtus aut frigus, ſicut in ejus habitatore, nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio.*

In corpor. art.

S. Auguſtin. lib. 14. de Civ. Dei cap. 26.

Div. Thom. ſolut. ad 4.

190 Nec eſt quòd in ſui erroris patrocinium adducere poteſt Almaricus ad excludendas fœminas de ſtatu innocentiæ: Eò quia fœmina eſt mas occaſionatus, & præter intentionem naturæ proveniens; nihil autem in illo ſtatu eſſet non naturale. Deinde quia omne generans intendit generare ſibi ſimile, niſi impediatur per defectum virtutis, vel indiſpoſitionem materiæ, quæ locum non haberent in ſtatu innocentiæ: ergo non niſi mares generarentur. Nam ad primum reſpondet D. Thomas: „ Quòd „ fœmina dicitur mas occaſionatus, quia „ eſt præter intentionem naturę particula- „ ris; non autem præter intentionem na- „ turæ univerſalis ut ſupra dictum eſt. Ad „ ſecundum dicendum (inquit) quòd ge- „ neratio fœminæ non ſolum contingit ex „ defectu virtutis activæ, vel indiſpoſitio- „ ne materiæ, ut objectio tangit, ſed quan- „ doque quidem ex aliquo accidenti extrin- „ ſeco. Sicut Philoſophus dicit in libro de „ animalibus: quod ventus ſeptentrionalis „ coadjuvat ad generationem maſculorum, „ auſtralis verò ad generationem fœmina- „ rum: Quandoque etiam ex conceptione „ animæ ad quam de facili immutatur cor- „ pus. Et præcipuè in ſtatu innocentię hoc „ eſſe poterat, quando corpus magis erat „ animæ ſubjectum, ut ſcilicet ſecundum „ voluntatem generantis diſtingueretur ſe- „ xus in prole. Et quidem ſi non futuræ fuiſſent fœminæ durante innocentię ſtatu, ut quid Deus inſtituiſſet marem, & fœminam in natura humana, ut legitur in Geneſi? Inſuper, & in Matthæo: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos.* Deinde: quia ut arguit D. Thomas: „ Nihil eorum, quæ ad complemen- „ tum naturæ humanæ pertinent, in ſtatu „ innocentiæ defuiſſet. Sicut autem ad per- „ fectionem univerſi pertinent diverſi gra- „ dûs rerum, ita etiam diverſitas ſexûs eſt „ ad perfectionem humanæ naturæ; & ideò in

In ſtatu innocentiæ non excludendæ fœminæ.

D. Thom. 1. p. q. 99. art. 2. ad 1.

Solut. ad 2.

Geneſ. 1. & 3. Matth. 19. v. 4.

Div. Thom. in corp. artic.

,, in ſtatu innocentiæ uterque ſexus per generationem productus fuiſſet. Hæc de ſtatu innocentiæ prælibanda diximus. Jam verò ad aſſumptum propoſitum devenientes:

Nuditas in hominibus lapſis inverecundiæ monſtrum eſt, à Deo improbatum, & à SS.PP. rejectū.

191 Aſſerendum eſt primò, nuditatem in hominibus lapſis inter inverecundiæ monſtra reponendam eſſe. De hac veritate, nec ipſi Adamitæ dubitarent, ſi Adamum innocentem imitari geſtientes, ipſum jam lapſum, in exemplum pudoris ſibi proponerent. Nudi ante peccatum incedebant Adam & Eva, & non erubeſcebant, nec habebant certè unde erubeſcerent: At poſt peccatum, quid de illis referat Moyſes audiant Adamitæ: *Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Non quia clauſi antea fuerint oculi, ſed quia aperti non erant ad concupiſcendum, & de nuditate erubeſcendum; ſicut contigit ſtatim poſt lapſum: ut ex Auguſtino loquente notat D. Thomas: Ad nonum dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit lib. 11. ſuper Geneſim ad litteram: ,, *Non eſt credendum, quòd primi parentes eſſent producti clauſis oculis, præcipuè cum de muliere dicatur, quòd vidit lignum, quod eſſet pulchrum, & bonum ad veſcendum. Aperti ergo ſunt oculi amborum ad aliquid intuendum, & cogitandum, quod antea nunquam adverterant, ſcilicet ad invicem concupiſcendum, quod antea non fuerat.* Audiatur etiam idem Auguſtinus lib. 13. de Civitate Dei cap. 13. apud D. Thomam, ita ſcribens: *Poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratia deſerente divina de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt. Senſerunt enim motum inobedientis carnis ſuæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ.*

Geneſ. 3. v. 7.

D. Thom. 2. 2. q. 164. art. 2. ad 9. ex Auguſtino.

S. Auguſt. apud D. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. in corp.

192 Hujus erubeſcentiæ argumentum Adamus ipſe exhibuit, tremens & timens Dei conſpectum, pudore confuſus, *timui* (inquiens) *eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. Et quis indicavit tibi* (repoſuit ei Deus) *quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Ejuſdem erubeſcentiæ argumentum dedit Adamus, cum ſibi fecit perizomata (id eſt ſuccinctoria, vel bracas exponit Hugo Cardinalis.) Unde S. Epiphanius contra Adamitas exurgit. Quòd impudici, & inverecundi ſint: quia nudi non erubeſcunt; cum Adam mox poſt peccatum erubuit, ſeque veſtibus contexuit. Quod & notavit poſtea S. Antoninus articulo præcedenti aliàs adductus verbis illis: *Quòd videre mulierem nudam, etſi mortificationis prætextu, eſt contra honeſtatem naturalem, adeò ut etiam primi conjuges Adam, & Eva poſt tranſgreſſionem præcepti, non paſſi ſint ſe invicem nudos videri, ſed fecerunt ſibi perizomata de foliis ficûs.* Tandem Deus ipſe primorum parentum erubeſcentię conſuluit, quatenus: *Adæ, & uxori ejus fecit tunicas pelliceas, & induit eos.* Tunicas inquàm ad ëos induendos, pelliceas verò in ſignum mortalitatis, ut notat D. Thomas.

V. 10.

S. Epiphanius lib. 2. hæreſ. 52.

S. Antoninus ubi ſupra.

D Thom. 2 2 q. 164. art. 2. in corp. ad fin.

193 Hæc quæ diximus contra invecundam Adamitarum nuditatem, majorem horrorem incutiunt, ſi eam inverecundiam in mulieribus vel permiſſam ſolùm conſideremus. Eas etenim natura ipſa honeſto pudore induit, quibus proindè mitior ſolet eſſe mors ipſa, quàm nuditas. Indè enim honeſtæ puellæ caſtitatis amantes, appetere poſſunt permitti ſe mori, potiùs quàm hominum aſpectui ea corporis ponere membra, quæ natura ipſa maximè occultanda dedit; ut ita caſtitatis victimæ Cęlum laureatæ conſcendant. Horrorem iſtum morte ipſa amariorem in ſacris Virginibus, antiquæ crudelitatis miniſtri conſiderantes, atque invictâ earum conſtantiâ victi, in furiam & rabiem acti, poſt immania tormenta eas per loca publica nudas circumferri diabolicâ malitiâ fecerunt. Quemadmodum de Sancta Eulalia, Barbara, aliiſque pluribus memoriæ tradunt Acta Eccleſiaſtica. Heù crudelis, & impia mens! Nùm ullum aliud commentum hoc ſcelere fœdius excogitari potuit? Nùm aliud contumeliæ genus tam inſigne ad muliebris ſexus infamiam? Benedictus Deus, qui virgines ſuas ea inverecundiæ infamia actas, cęlitus induere dignatus fuit, nive inſtar lintei tegente ſimul, & refrigerante. Et quid de nuditate Adamitarum præcipuè in fœminis dicam, cum & earum faciem velandam, ne præcipitio viris ſint, agnoverunt vel ipſi Gentiles, agnovit Abimelech Rex Geraris, dum Saræ dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt, & quocunque perrexeris. mementoque te deprehenſam.* Ut veles faciem tuam ne ameris ab aliis (exponit Hugo Cardinalis.)

Horribilior, & morte amarior in mulieribus.

Deus mirabiliter virgines ſanctas cooperuit.

Geneſ. 20. v. 16.

Hugo Cardinalis ibidem.

194 Hæc cum certa ſint, quis non tremente horrore concutiatur, dum ab Adamitis audit, non ſolum viros, ſed & fœminas nudas ad Eccleſiam convenire, orare, Sacramenta celebrare? Mulieres inquam quibus Apoſtolus præcepit, ut in Eccleſiis taceant, ne ſcilicet animi hominum alliciantur ad libidinem, ut alibi cum Angelico Doctore expendimus. Nudas inquam mulieres in Eccleſia, quibus Apoſtolus idem ita præceperat: *Debet mulier velamen habere ſuper caput propter Angelos*: Rationem autem aſsignat Div. Thomas, inquiens: ,, Etiam mulier debet habere velamen ſuper caput ſuum propter Angelos, quòd quidem dupliciter intelligi poteſt: Uno modo de ipſis Angelis cæleſtibus, qui conventûs fidelium viſitare creduntur; præcipuè quandò ſacra Myſteria celebrantur: Et ideò tunc tàm mulieres, quàm viri ad reverentiam eorum honeſtè, & ordinatè ſe debent habere, ſecundùm illud Pſalm. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Alio modo poteſt intelligi, ſecundùm quod *Angeli* dicuntur Sacerdotes, in quantum Divina populo annuntiant; ſecundùm illud Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Debet ergo mulier velamen habere ſemper in Eccleſia propter Angelos, id eſt, propter Sacerdotes, duplici ratione: Primò quidèm propter eorum reverentiam, ad quam pertinet, quod mulieres coram eis honeſtè ſe habeant: unde dicitur Eccleſiaſtici 7. *Honora Deum ex tota anima tua, & Sacerdotes illius ſanctifica*: Secundò propter eorum cautelam; ne ſcilicet ex conſpectu mulierum non velatarum ad concupiſcentiam provocentur: undè dicitur Eccleſiaſtici 9. *Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius.*

1. Corinth. 14.

D. Thom. 2. 2. q. 177. art. 2.

1. Corinth. 11.

D. Thom. ibidē lect. 3.

Mulieres in Eccleſia taceāt velatum caput habentes.

195 Hæc cum dicta ſint de ſola nuditate Adamitis familiari, quis quęſo ponderare valeat eorum inexplicabilem inverecundiam, ad publicum coitum, erubeſcente natura, protractam; quòd loco ſecundæ aſſertionis hìc ponimus, prælucente Apoſtolo verbis illis: *Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Quibus Doct. Angelicus Adamitas debellat opuſculo ſupra citato. Et certè quomodo honeſtè fiat publicus coitus, eò deteſtabilior, quò majori luce pluribus pateſcens. O utinam Adamitæ attendiſſent ad illud quod in libro Numerorum legitur de publico ſupplicio publicam ſcortationem indicante per Phinees zelo Dei contra impios commotum! *Et ecce unus de filiis Iſrael intravit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus.* Accedit, quod Dominus in pœnam pernicioſi adulterii Davidis, comminatus fuit ſe permiſſurum immane illud ſcelus, quod perpetravit filius ejus Abſalom, & quod horruit vel ipſa natura: *Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque eſt ad concubinas patris ſui coram univerſo Iſrael.*

1. Corinth. 14. verſ. ult.

Publicus coitus, quàm Deo abominabilis.

Numer. 25. v. 6.

2. Regum 12. v. 11. & cap. 16. v. 22.

196 Rationem à priori ex oppoſito ad fęlicitatem ſtatûs innocentiæ proponimus: quandoquidem eò primis Parentibus juſtitià originali decoratis nihil erat unde erubeſcerent: quia concupiſcentia exæſtuans nulla, appetitus ſenſitivi exhuberantia ad rationem procul erat: per oppoſitum verò in natura lapſa nullus eſt, cui non competat cum Apoſtolo dicere: *Infęlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et inſuper: *Datus eſt mihi Angelus Satanæ qui me colaphizet.* Et præterea ut alia omittamus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quis ergo in hoc naturæ lapſæ gemebundo, & lacrymabūdo ſtatu, non erubeſcat de nuditate publicoque generationis actu, quibus præcipuè concupiſcentiæ inſultûs, & ignominioſæ paſsiones pateſcunt? Solidam hujuſmodi doctrinam cum Doctore Angelico pudicitiæ exemplari, ſic breviter ad methodum reducere poſſumus: Non poſſunt non erubeſcere homines dum erubeſcendi materia occurrit; ſed talis eſt nuditas corporis & generationis actus: nullus igitur niſi brutalis, & ſummæ inverecundiæ homo de his non erubeſcit. Minorem propoſitionem ſic oſtendimus cum Angelico Doctore: ,, Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt nomen pudicitiæ, à pudore ſumitur in quo verecundia ſignificatur, & ideò oportet, quod pudicitia propriè ſit circa illa, de quibus homines maximè verecundantur. Maximè autem verecundantur homines de actibus venereis, ut Auguſtinus dicit in 14. de Civitate Dei, in tantum, quòd etiam concubitus conjugalis, qui honeſtate nuptiarum decoratur, verecundiâ non careat: & hoc ideò, quia motus genitalium membrorum non ſubjicitur imperio rationis, ſicut motus aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur autem homo non ſolum de illa commixtione venerea, ſed etiam de quibuſcunque ſignis ejus, ut Philoſophus dicit in 2. lib. Retho. Et ideò pudicitia attenditur propriè circa venerea, & præcipuè circa ſigna venereorum, ſicut ſunt aſpectûs impudici, oſcula & tactûs. Et quia hæc magis ſolent deprehendi, ideò pudicitia magis reſpicit hujuſmodi exteriora ſigna. Quinimò aliquando contigit, quòd aliqua graviora peccata minus ſunt verecundabilia, vel quia minus habent de ratione turpitudinis, ſicut peccata ſpiritualia, quàm carnalia, vel quia in quodam exceſſu temporalis boni ſe habent: ſicut magis verecundatur homo de timiditate, quàm de audacia; & de furto, quàm de rapina propter quandam ſpeciem poteſtatis. Et ſimile eſt in aliis.

Rom. 7. v. 24.

2. Corinth. 17. v. 7.

Roman. 7. v. 23

Multiplex erubeſcendi materia pro natura lapſa aſsignatur à Div. Thoma.

D. Thomas 2. 2. q. 151. art. 4. in corp.

D. Thom. 2. 2. q. 144. art. 2. ad 4.

De quibus habeat homo magis erubeſci.

,, 197 Similia habet alibi: verecundia (inquit) reſpicit turpitudinem peccati. Unde non ſemper magis verecūdatur homo de graviori peccato; ſed de magis turpi peccato: & inde eſt, quòd magis verecundatur homo de adulatione, quàm de litigio, quamvis litigium ſit gravius. Inde oritur quòd homo magis ferat ſpectantium multitudinem quando alteri homini iraſcitur etſi injuſtè; quām unius aſpectum quando juſtè miſcetur uxori, & rationem aſsignat Magnus Auguſtinus: quia in hoc congreſſu animus quodammodo vincitur à corpore; pudet autem animum vinci à corpore, quod ei natura ſubjectum eſt: in aliis verò affectibus etſi pravis, ipſe animus à ſe vincitur. Reſtat ergo maximè hominibus lapſis erubeſcendum eſſe de turpi nuditate, & actu ipſo generationis, qui etſi legitimus, quandam tamen turpitudinem præſefert. Unde motivum quarè Scriptura Sacra acceſſum prohibet ad conſanguineos, eſt ut dicitur Levitici 18. *Ut non reveletur turpitudo conſanguineorum.* Quapropter Div. Thomas jurè reſolvit, & oſtendit: Hominem magis verecundari à perſonis magis conjunctis. Audiatur tamen Sanctus

D. Thom. quæſt. 116. ar. 2. ad 3

S. Auguſtin. lib. 14. de Civitat. Dei cap. 19.

D. Thom. ubi ſupra q. 144. art. 3.

ctus

ctus Doctor cum Gregorio Nyſſeno, & Joanne Damaſceno reſolvens, quòd verecundia eſt timor in turpi actu, vel in turpi perpetrato. Et concludit in corpore articuli: „ Reſpicit autem verecundia culpam dupliciter. Uno modo ut aliquis deſinat vitioſa agere propter timorem vituperii. Alio „ modo, ut homo in turpibus quæ agit, vitet conſpectûs publicos propter timorem „ vituperii, quorum primum ſecundùm Gregorium Nyſſenum pertinet ad erubeſcentiam, ſecundum ad verecundiam. Unde „ ipſe dicit, quòd, *qui verecundatur, occultat ſe in his, quæ agit, qui verò erubeſcit, timet incidere in ingloriationem.*

Art. 2.

OBJECTA DISSOLUTA.

198 Pro honeſtandis inverecunda nuditate, ſpurciſsimis operationibus, illicitiſque congreſsibus extra matrimonii leges, nihil rationis vel apparentis facere poteſt: Nam ſi ea libidinum monſtra etiam dùm occultè fiunt, pudet nominare, quid ſi publicè patrarentur? Pro ſola autem nuditate tuenda, & publico concubitu aliàs legitimo, fundamentum, etſi ruinoſum videtur eſſe aberrans illa Turlupinorum propoſitio: *De nulla re nobis à natura conceſſa erubeſcendum eſſe.* Sic ergo ad methodum Scholæ inde argui poteſt: Non videtur homini erubeſcendum de operationibus, & partibus à natura datis; ſed hujuſmodi ſunt naturalis legitimus concubitus, ſimiliter & corporis membra omnia: Quid ergo habeat homo unde ex illis erubeſcat. Major propoſitio tradi videtur ab Auguſtino contra Pelagianos arguente: Quia tota natura eſt opus Dei: ergo injuriam facit Deo, qui de ejus operibus erubeſcit. An fortè creatura honeſtior eſt Creatore ſuo, ut quod Creatorem non puduit inſtituere, hoc creaturam pudeat perferre? Ut contra Julianum urget idem Auguſtinus frequenter. Quinimò ſi propter concupiſcentiam in congreſſu legitimo repertam, à ratione tamen graviter non exuberantem, erubeſcendum homini eſſet; certè concupiſcentia illa peccatum eſſet, & turpis actus, ſi verum eſt quod nos docuit D. Thomas, nempè verecundiam eſſe de actu turpi. Hæc tamen nihil urgent, quia ut ab hoc ultimo incipiamus, concupiſcentia illa peccatum formaliter non eſt, licèt à peccato ſit tanquam pœna, & in peccatum inclinet, hac ratione erubeſcenda, ut ſtatim docebit nos Angelicus Magiſter. Igitur methodicè:

S. Auguſt. lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 9.

Trident. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali ad finem.

199 Reſpondetur ad argumentum diſtinguo majorem: prout præcisè à natura dantur concedo majorem (ſic enim injuria eſſet Creatoris) prout ſunt pœnę peccati, & proinde nec bona, nec mala formaliter, nego majorem, & ſimiliter diſtincta minori, nego conſequentiam. Julianus quippè libidinem bonam eſſe ponebat, & catenus bonam, ut eam Deus primis hominibus conceſſerit tanquam beneficium fęlicitate paradiſi dignum: Quamobrem Auguſtinus benè urget Pelagianos, & Julianum ipſum, quod injuriam Deo inferret erubeſcens de pretioſo illo Dei dono. Et quidem experientià compertum eſt, homines ad opera quædam ex ſe non peccaminoſa latebras quærere: cujuſmodi eſt (exempli gratia) ventrem exonerare, aliaque hujuſmodi. Neque propterea de illo actu erubeſcere, eſt erga Deum ingratum eſſe, aut eum quaſi pudendum quidpiam fecerit, reprehendere, ſed ſolum vilitatem noſtræ naturæ agnoſcere, ejuſque defectûs & imperfectiones ei connaturales, & nobis ac brutis communes pudere: qui pudor plures parit utilitates, humilitatis, demiſsionis animi, & hujuſmodi. Audiatur pro coronide, impudicitiæ omnis debellator ſtrenuus: „ Dicendum „ (inquit) quòd turpitudo illa cõcupiſcentiæ, „ quæ actum matrimonii ſemper concomitatur, non eſt turpitudo culpæ, ſed pœnæ ex „ peccato primo proveniens, ut ſcilicet inferiores vires, & mẽbra corporis rationi non „ obediant. Præterea habet: Ad quartũ dicendum, quod turpitudo illa quæ ſemper eſt in „ actu matrimonii, & erubeſcentiam facit, „ turpitudo eſt pœnæ, & non culpæ, quia de „ quolibet defectu homo naturaliter erubeſcit. Hactenùs de hac ſpurciſsima materia; *quam ſine offenſione leget, qui non exhorret Apoſtolum horrenda fœminarum flagitia reprehendentem, quæ immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam: præcipuè quia verba, ſicut ille obſcęna vitamus.* Cum Sancto Auguſtino loquor.

De datis à natura, ut pœna ſunt peccati, erubeſcere poſſumus, & aliquando debemus, ſine injuria Creatoris.

D. Thom. in 4. diſt. 26. quæſt. 1 art. 3. ad 3.

Diſt. 31. q. 2. art. 1. ad 4.

D. Auguſt. lib. 14. de Civ. Dei cap. 23.

ARTICULUS APPENDIX.

Contra rejectæ in Gnoſticis impudicitiæ erumpentes Quiſquilias.

199 POST detectam, totque invictis ex Sacra Scriptura, Conciliis & PP. depromptis argumentis rejectam, propriam & ſpecialem cujuslibet ex vitiis contra naturam brutalem deformitatem; quis crederet futuros Auctores Catholicos, non niſi ejuſdem ſpeciei malitiam in vitiis hujuſmodi agnoſcentes? Et quidem ita docuerunt Joannes Caramuel in libertate opinandi pro vivaci, quo pollebat ingenio nulli ex Catholicis Auctoribus fortè ſecundus. Utinam ſicut Scholam laudat Thomiſticam, quia nulla melior, nomen illi dediſſet, intra cujus terminos vagum ejus ingenium ſpatiaretur: præſtitiſſetque abſolutè, quod conditionatè pronuntiavit: *Liberè dico, ſi deberem ſcholæ alicui nomen dare, illi potius, quàm alteri.* Sequutus fuit in ſua opinatione Navarrum, Graſſis, decemque DD. Lovanienſes. Probabile deindè reputarunt Diana, Filliuc. Mazuchellus, Trullenc, apud PP. Salmant. ad ſextum Decalogi

Caramuel in Cõment. ad Regul. S. Benedicti diſp. 34. n. 346.

logi præcéptum, & P. Viva ad Theſes damnatas, in Alexandro VII.

201 Ejuſdem furfuris eſt cum præcedenti, opinatio alia, quam ipſe etiam Caramuel tradidit, fornicationem dicens non fore malam nec peccatum, ſi Deus illam non interdixiſſet; atque adeò non eſſe ab intrinſeco & ex natura ſua, jureque naturali peccaminoſam. Ita diſcurrit auctor iſte apud laudatos PP. & P. Viva. Præluxerant autem ipſi Durandus fornicationem defendens jure naturæ malam; non tamen adeò malam, ut ex ſe ſit peccatum grave. Deinde Martinus de Magiſtris, cujus antiquam crambem recoxit Caramuel: affirmavit namque: Fornicationem determinati viri cum determinatâ fœminâ non eſſe contra jus naturæ. Sed pejùs adhuc loquitur citatus Caramuel, cujus hęc ejus verba referunt, ut audiantur indigna: *Si Deus mollitiem non interdixiſſet, non eſſet mala, ſed ſæpè eſſet bona, & aliquandò etiam obligatoria ſub peccato mortali.* Ita deducit ex quo *mollities jure naturæ prohibita non dicatur* ab ipſo. Præindicatis laxitatibus, ne dicam obſcęnitatibus aggregandas ducimus duas illas opinationes ad materiam luxuriæ ſpectantes. Prima ea eſt ut dicatur: *Qui habet copulam cum ſoluta, ſatisfacit præcepto confeſsionis, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem.* Secunda verò eſt hujuſmodi: *Copula cum conjugata conſentiente marito, non eſt adulterium adeoque ſufficit dicere in confeſsione, ſe eſſe fornicatum.* Primam docuit etiam Caramuel, quem ſequuti fuerunt Recentiores nonnulli Complutenſes. Secundam autem novi quidam Caſuiſtæ docuerunt, quos ſuppreſſo nomine recenſet Mag. Gonet. Datis propoſitionibus annecti poteſt illa, quæ affirmat: *Probabilem eſſe optnionem, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſûs ulterioris & pollutionis.*

Propoſitiones recẽtes in materia luxuriæ, proſcriptæ.

202 In majorem deinde rejecti deteſtandique concubinatûs abominationem, placuit in hac diſſertatione propoſitiones quaſdam repellere inter catholicos quondàm propugnatas, quibus via vitio illi datur & quibus peccandi occaſiones foventur. Sic enim docuit Joannes Sanzius apud Mag. Gonet, ex P. Diana: Si concubina nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, dùm deficiente illa nimis ægrè ageret vitam; & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id difficilè inveniretur, ejicere illam non erit concubinarius obligatus; quia oblectamentum dictis circunſtantiis conſideratum, eſt majoris ęſtimationis, quàm quodcunque bonum temporale, ob quod fas erit de novo admittere fœminam ad ſui famulatum, quantumcunque metuat labendi periculum; ſi aliam non inveniat paris qualitatis illis in rebus, quæ ſibi ſunt maximè utiles: ſi enim ob hanc cauſam jam receptam expellere non conſtringitur, eodem jure admittere illam non erit conceſſum? Auctori citato conſentire videtur Joſephus ab Ortu, apud P. Diana, docens peccandi proximam occaſionem non eſſe tollendam in aliis caſibus; undè ab Ortu ortæ ſunt propoſitiones illæ chriſtianam cautelam evertentes: *Poteſt aliquandò abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere* :: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando aliqua cauſa utilis aut honeſta non fugiendi occurrit* :: *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro vel proximi.* Hæc igitur omnia luxuriæ jam deteſtatæ & rejectæ, veluti fragmenta ut ita dicam, comminuenda aſſumimus in hac diſſertatione.

§. I.

Peccata contra naturam diverſam ſpecie malitiam induere monſtrans.

203 ASSERENDUM eſt: recenſita vitia contra naturam non eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ. De hac aſſertione nullus jam dubitare poteſt catholicus, poſtquam SS. Pontifex Alexander VII. eam in ſuo Decreto damnavit propoſitionem, ordine 24. *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideòque ſufficit dicere in confeſsione ſe procuraſſe pollutionem.* Certam enim in præſenti damus Pontificiam auctoritatem nedùm in rebus fidei diffiniendis, ſed etiam in doctrina morum tradenda, cenſurandiſque Theologorum propoſitionibus, etſi aliquando probabiles, tùm intrinſecè, cùm extrinſecè reputatæ à pluribus fuerint. Nec aliter certè Summus Pontifex ex cathedra loquens, viva eſſet & infallibilis regula morum: ſi propoſitio aliqua ab ipſo declarata improbabilis, ſcandaloſa, temeraria, hæretica, & hujuſmodi remaneret adhuc probabilis practicè & ad praxim proinde reducibilis abſque ſcandalo, temeritate, errore, & periculo. Etenim, ſi Summus Pontifex ex cathedra damnaret ut ſcandaloſum aliquem actum virtutis tanquàm objectum nimirum propoſitionis proſcriptæ, veluti ſcandaloſæ, certè erraret in doctrina morum. At ſic contingeret, ſi propoſitio proſcripta ut ſcandaloſa maneret reipſa vere & practicè probabilis. V. g. poſt damnatam ab Alexandro VII. propoſitionem illam, ordine 16. *Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Si hæc inquam ſcandaloſa propoſitio, adhuc manet probabilis verè & practicè: Parochus

Propoſitio 24. ab Alexandro VII. proſcripta.

Peccata contra naturam ſpecie differunt.

Propoſitio 16. ab eodẽ proſcripta.

chus qui coram tali Sacerdote confitetur, actum virtutis exerceret. Sed talem actum damnat SS. Pontifex tanquam ſcandaloſum, ſive objectum propoſitionis ſcandaloſæ: Damnaſſet igitur tanquam ſcandaloſum actum aliquem virtutis. Sed in hoc aſſumpto plura dedimus Pontificiam auctoritatem propugnantes in ſcholis, ſpeciali tractatu. Quare.

204 Oſtenditur imprimis falſitas datæ, meritoque proſcriptæ propoſitionis ex Sacra Scriptura, ubi ſigillatim de peccatis illis contra naturam in genere luxuriæ verba fiunt, prout ſuis reſpectivè locis tradidimus, docetque Apoſtolus ſæpè laudato cap. ex 1. Epiſt. ad Corinth. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores Regnum Dei poſſidebunt.* Hoc teſtimonium utique ſi attendiſſet Caramuel, in ſuam non prolapſus fuiſſet opinationem: In illo ſiquidem, ſicut de fornicatione & adulterio, loquitur etiam de mollitie & concubitu contra naturam: Cum igitur fornicationem ab adulterio ſpecie diſtinguat Prę́ſul ille, aliàs ingenioſus; non debuiſſet non diſtinguere etiam peccata illa contra naturam. In Conciliis etiam, jureque Civili & Canonico diverſæ pœnę, aliæ aliis graviores ſtatuuntur contra brutalis illius luxurię infandos ſequaces; ſatis inde ſignificantes: non ejuſdem ſpecificę malitię agnoſcenda eſſe vitia illa. Patres deinde ſupponunt; dum ſigillatim vitia illa deteſtanda pluribus oſtendunt, quorum aliud alio graviorem deformitatem habere tradunt, ut vidimus. Quinimò & S. Leo IX. nedum ſpecies, ſed & *Genera* vocat quatuor illa ſæpè recenſita vitia contra naturam. *Ecce* (inquit) *illi, qui quavis quatuor generum quæ dicta ſunt fœditate polluuntur, proſpectâ æquitatis cenſurâ, ab omnibus immaculatæ Eccleſiæ gradibus, tàm Sacrorum Canonum, quàm noſtro judicio depelluntur.*

Differentiam illam ex Sacra Scriptura agnoſcimus.

S. Leo IX. epiſt. decret. ad B. Petrum Damiani.

205 Rationi deinde Theologicę ſubjiciendę pręmittimus, eidem virtuti plura ſpecificè vitia opponi quam ſępè, ut in confeſſo eſt apud Theologos omnes; non tamen inter eos convenit, unde dignoſcenda ſit ſpecifica diverſitas in vitiis, quæ eidem virtuti opponuntur. Ad criterium hoc inveniendum, ex Tannero & Valenzia ita loquitur P. Viva: quòd ſpecie diverſificentur vitia, quoties adeò diverſa ratione & malitia eidem virtuti opponuntur, ut quantum eſt ex natura & ratione ejuſdem peccati, non ſit eadem facilitas moraliter loquendo in his peccatis committendis, & qui propenſus eſt ad unum eorum, quantum eſt ex ipſa ratione peccati, non ſit ſimiliter propenſus ad alterum, ut ſunt in omni ſententia furtum, adulterium, detractio, homicidium; atqui pariter mollities, Sodomia, beſtialitas, ita opponuntur eidem virtuti caſtitatis, ut quantum eſt ex natura & ratione horum peccatorum non ſit eadem facilitas committendi omnia hęc; & qui eſt propenſus ad unum eorum, quantum eſt ex ipſa peccati ratione, non ſit catenus propenſus ad alia: ergo quamvis hæc peccata eidem virtuti caſtitatis opponantur, atque adeò ſint in eadem ſpecie ſubalterna, differunt tamen ſpecie infimâ, non ſecùs ac furtum & homicidium; ut proinde debeant in ſua ſpecie in confeſsione explicari. Verumtamen hæc ratio ad ſpecificè diſtinguenda vitia non ſatis nobis arridet, quandoquidem aſsignare eſt vitia ſpecie diſtincta, imò diverſis virtutibus oppoſita, quorum unum ſpecialiter facilitat ad aliud, indeque qui propenſus eſt ad unum eorum ex propia ipſius ratione, ad alterum propenſus agnoſcitur; atque in materia quam verſamur ebrietas & fornicatio oſtendunt; illa enim adeò ad luxuriam facilitat; ut Apoſtolus moneat: *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria*; prout ſuprà expendimus in diſſertatione, ſcilicet contra Gnoſticos articulo 1.

Non arridet ratio diſtinguendi ab aliquibus aſsignata.

206 Ratio autem à priori ad diſtinguenda ſpecificè recenſita contra naturam vitia carnalia, ea eſt: quia quilibet ex quatuor ſupradictis modis importat ſpecialem turpitudinem caſtitati & humanę generationi contrariam; quam proindè natura ipſa intendit; atque adeò in unoque ex illis modis ſpecialis injuria fit Deo, quia ut ait D. Thomas: „ Sicut ordo rationis rectæ eſt „ ab homine, ita ordo naturæ eſt ab ipſo „ Deo, & ideò in peccatis contra naturam, „ in quibus ipſe ordo naturæ violatur, fit „ injuria ipſi Deo ordinatori naturæ. Specialem autem uniuſcujuſque vitii contra naturam deordinationem & deformitatem oſtendit D. Thomas inquiens: „ Reſpondeo dicendum, quòd, ſicut ſupra dictum, „ ibi eſt determinata luxuriæ ſpecies, ubi „ ſpecialis ratio deformitatis occurrit, quæ „ facit indecentem actum venereum. Quod „ quidem poteſt eſſe dupliciter. Uno qui„ dem modo, quia repugnat rationi rectæ, „ quod eſt commune in omni vitio luxuriæ. „ Alio modo, quia etiam ſuper hoc repug„ nat ipſi ordini naturali venerei actûs, „ qui convenit humanæ ſpeciei, quod dici„ tur vitium contra naturam. Quod qui„ dem poteſt pluribus modis contingere. „ Uno quidem modo, ſi abſque omni con„ cubitu, causâ delectationis venereæ pol„ lutio procuretur, quod pertinet ad pec„ catum immunditiæ, quam quidem mol„ litiem vocant. Alio modo, ſi fiat per con„ cubitum ad rem non ejuſdem ſpeciei, „ quod vocatur beſtialitas. Tertio, ſi fiat „ per concubitum ad non debitum ſexum, „ puta maſculi ad maſculum, vel fœmi„ næ ad fœminam, ut Apoſtolus dicit ad „ Romanos 1. quod dicitur Sodomiticum „ vitium. Quarto, ſi non ſervetur natu„ ralis modus concubendi, aut quantum „ ad inſtrumentum non debitum, aut quan„ tum ad alios monſtruoſos & beſtiales con„ cubendi modos.

Ratio diſtinguendi vitia contra naturam.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. ad 1.

Art. 11. in corp.

207 Hęc auctoritatis & rationis momenta adeò urgent, ut communiſsimè Doctores in oppoſitam ierint & veram ſententiam, ut indè ſolum, temeritatis adminùs argueretur Caramuel; quamvis Eccleſiæ ſupremum judicium non intervenieſſet. Et mirum certè, ita Præſulem illum latuiſſe veritatem aliis Theologis etiam debilioris litteraturæ notam. Nec prætermittendum duximus citati Auctoris inconſequentiam adnotare: cum ex una parte effutierit: Mollitiem non eſſe prohibitam jure naturę, quod cum non affirmet, nec affirmare Catholicus aliquis valet de Sodomia: quomodo non inconſequenter pronuntiet: ea peccata ejuſdem eſſe ſpeciei. Nec ipſi Caramueli favet: imprimis quòd Theologi cum Divo Thoma inter ſex, aut ſeptem ſpecies luxuriæ, vitium contra naturam enumerent. Quandoquidem ſpecies dicitur non infima, ſed ſubalterna. Nec deinde favet, quod videatur de materiali ſe habere diverſum modum prodigendi humanum ſemen, unde non poſsit ſequi generatio. Jam enim diximus diverſitatem illam, peculiarem importare deformitatem, deordinationem contra naturam; ſpecialemque indè injuriam Deo Auctori naturæ.

§. II.

Simplicem fornicationem legi naturæ diſſonam pluribus monſtrans.

208 OPPOSITUM ut diximus propugnavit Caramuel; immeritò addens, propoſitæ difficultatis reſolutionem ad praxim non pertinere, ſed in ordine ſpeculativo eſſe collocandam: cum aliunde conſtet fornicationem eſſe mortale peccatum. Immeritò inquam ita philoſophatur: Nam quis dubitet peccata juri naturę oppoſita graviora eſſe eis quæ juri poſitivo adverſantur, eſſeque proindè mala quia prohibita? Quandoquidem actiones dumtaxat malæ quia prohibitæ jure poſitivo, quandoque exerceri poſſunt imò & debent, quando urget pręceptum naturale fortiùs & pręvalens. Quapropter non ad ſpeculationem ſed ad praxim maximè conducit propoſitæ difficultatis reſolutio. Cui, Theologi communiter reſpondent contra citatum Caramuelem: Simplicem fornicationem jure naturæ eſſe graviter malam. Et quidem eo certitudinis gradu ut Magiſter Soto affirmaverit: *Dicere fornicationem non eſſe contra jus naturæ, error eſt hereſi proximus, nam conſequens indè protinùs fieret, gentibus ante legem ſcriptam non fuiſſe delictum; quin verò neque poſt ſcriptam, quia lege Moſaica non tenebantur.* Quod & docuiſſe Rabbi Moyſem alibi indicavimus. Simile argumentum fieri poteſt de Turcis & Mahometanis, aliiſque infidelibus: cum enim jus poſitivum, quo fornicatio prohibetur, in ſola Scriptura Sacra ſit contentum, ſubindeque ab ipſis invincibiliter ignorari ſolet, ſi illa jure naturę prohibita non ſit, quis Turca vel infidelis, non dico hebetis, aut tardi ingenii, ſed minus acris & excellentis quàm ipſe Caramuel, nefando illi crimini ſe proſtituens, argui poterit de peccato, ac de eo juſtè in hac vita, vel in futura puniri? Si hoc conſequens adverſario diſplicet, audiat illud Auguſtini: *Hoc tu quidem non ſentis, ſed hoc ſequitur ex illis quæ ſentis. Muta ergo antecedentia, ſi vis cavere ſequentia?*

Fornicationé jure naturæ prohibitam oſtendere ad praxim pertinet.

Mag. Soto lib. 5. de juſtitia & jure q. 3. art. 5.

S. Auguſtin. ad Pollentium lib. 2. de adulter. conjug. cap. 4.

209 Præterea rejicitur Caramuelis opinatio eiſdem quatuor rationibus, quibus Gentium Apoſtolus deformitatem fornicationis oſtendit, & quas ſupra artic. 2. cum Angelico Doctore expendimus, quæ quidem independenter ab extrinſeco præcepto Dei, malam oſtendunt fornicationem, ex Divina nimirum ordinatione; ex unione ad Chriſtum; ex corporis inquinatione & ex gratiæ dignitate. Meritò igitur Summus Pontifex Innocentius XI. illam damnavit propoſitionem: *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam quia interdictam, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.* Sed quantum in hoc allucinetur Auctor illius, oſtenditur ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta: Omnis ſeminatio humana eſt ordinata à natura ad prolis generationem, educationem & inſtructionem; ſed fornicatio ſimplex eſt ſeminatio humana, quæ ex ſe naturaliter non ordinatur ad educationem & inſtructionem prolis: ergo ex ſe eſt contra ordinem à natura intentum, & conſequenter ab ipſo jure naturali, ut inordinata & mala, prohibita. Sola minor, in qua eſt difficultas probatur. Concubitus, qui fit inter perſonas, quæ naturali quodam vinculo non conveniunt ad educationem & inſtructionem prolis, non ordinatur naturaliter ad educationem & inſtructionem; ſed fornicatio ſimplex eſt concubitus, qui fit inter perſonas quæ non conveniunt naturali quodam vinculo, ſeu non ſunt devinctæ & ligatæ ad educationem & inſtructionem prolis, ut conſtat, cum ſit inter perſonas omni vinculo ſolutas: ergo ex ſe non ordinatur ad prolis educationem & inſtructionem. Hanc rationem dedimus ſupra adductis verbis Div. Thomę ex 2. 2. q. 154. art. 2.

Rationes Apoſtoli proſcriptam improbant propoſitionem.

Propoſitio 48. ab Innocentio XI. damnata.

Fornicatio à fine recedit per naturam inſpecto.

210 Sed audiendus eſt diſputans contra Gentiles, dataque opera oſtendens vanam eſſe rationem quorumdam dicentium, fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum; ibi enim poſtquam indicat concubitum contra naturam peccatum eſſe, quia inde generatio ſequi non poteſt. Sic deformitatem fornicationis ex ipſa lege naturę oſtendit: „ Similiter „ etiam oportet contra bonum hominis eſſe, „ ſi ſemen taliter emittatur, quod generatio ſe-

D. Thom. lib. 3. contr. gent. cap. 122.

„ ſequi poſsit, ſed educatio conveniens impediatur. Eſt enim conſiderandum, quòd in animalibus in quibus ſola fœmina ſufficit ad prolis educationem, mas & fœmina poſt coitum nullo tempore commanent, ſicut patet in canibus. Quęcunque verò animalia ſunt in quibus fœmina non ſufficit ad educationem prolis, mas & fœmina ſimul poſt coitum commanent, quouſque neceſſarium eſt ad prolis educationem & inſtructionem: ſicut patet in quibuſdam avibus, quarum pulli non ſtatim poſtquam nati ſunt poſſunt cibum ſibi quærere. Cum enim avis non nutriat lacte pullos (quod in promptu eſt velut à natura pręparatum, ſicut in quadrupedibus accidit) ſed oporteat, quòd cibum alienum pullis quærat, & pręter hoc in cibando eos foveat non ſufficeret ad hoc ſola fœmella: unde ex Divina providentia eſt naturaliter inditum mari in talibus animalibus, ut commaneat fœmellæ ad educationem fœtûs; manifeſtum eſt autem quòd in ſpecie humana fœmina minimè ſufficeret ſola ad prolis educationem, cum neceſsitas humanæ vitæ multa requirat, quæ per unum ſolum parari non poſſunt. Eſt igitur conveniens ſecundum naturam humanam, ut homo poſt coitum mulieri commaneat, & non ſtatim abſcedat, indifferenter ad quamcunque accedens, ſicut apud fornicantes accidit. Et paucis interpoſitis ſubjungit. Rurſus conſiderandum eſt quòd in ſpecie humana prolis non indiget ſolùm nutritione quantum ad corpus, ut in aliis animalibus, ſed etiam inſtructione quantum ad animam, nam alia animalia habent naturaliter ſuas prudentias, quibus ſibi providere poſſunt: homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet: unde neceſſe eſt ut filii à parentibus quaſi jam expertis inſtruantur. Nec hujuſmodi inſtructionis ſunt capaces mox geniti, ſed poſt longum tempus, & præcipuè cum ad annos diſcretionis perveniunt. Ad hanc etiam inſtructionem longum tempus requiritur: & tunc etiam propter impetus paſsionum, quibus corrumpitur æſtimatio prudentiæ, indigent non ſolùm inſtructione, ſed etiam repreſſione. Ad hoc autem mulier ſola non ſufficit, ſed magis in hoc requiritur opus maris, in quo eſt ratio perfectior ad inſtruendum, & virtus potentior ad caſtigandum, oportet igitur in ſpecie humana non per parvum tempus inſiſtere promotioni prolis ſicut in avibus, ſed per magnum ſpatium vitę. Unde cum neceſſarium ſit marem fœminæ commanere in omnibus animalibus quouſque opus patris neceſſarium eſt proli: naturale eſt homini quòd non ad modicum tempus, ſed diuturnam ſocietatem habeat vir ad determinatam mulierem. Hanc autem ſocietatem matrimonium vocamus. Eſt igitur matrimonium homini naturale; & fornicarius coitus, qui eſt præter matrimonium, eſt contra hominis bonum; & propter hoc oportet ipſum eſſe peccatum.

OBJECTA DISSOLUTA.

211 Inſpiciamus jam, quibus ducatur Caramuel argumentis, ut à communi Theologorum ſententia recedat: ea enim adeò debilia ſunt, & à D.Thoma ita dilucidè propoſita & diſſoluta, ut ampliùs mirari oporteat, nedum de opinatione, ſed de jactantia Caramuelis, deſiderantis aliquem audire Thomiſtam benè reſpondentem ſuis objectiunculis. Verum, nihil opus fuit præcitato Auctori, tot annis perquirere à Thomiſtis reſponſiones, quas diſſerte ab ipſa juventute invenire potuiſſet in Angelico Thomiſtarum Præceptore. Obiicies igitur primò ex Caramuele, argumenta recoquens, quibus Martinus de Magiſtris contra reſolutionem & doctrinam D. Thomæ inſurrexerat: etenim præcipua ratio qua utitur D.Thomas ad demonſtrandum ſimplicem fornicationem attento jure naturæ, eſſe graviter peccaminoſam, ea eſt; quia ſcilicet concubitus ille vagus ex propria ſui notione tollit certitudinem prolis ejuſque debitam educationem & inſtructionem; ſed hæc ratio non urget, ſaltem generaliter pro ſimplici quacunque fornicatione, licèt valeat contra fornicationem meretriciam: non ergo reſolutio D. Thomæ & motivum, cui innititur, verum habent univerſaliter. Probatur primò aſſumpta propoſitio, quia cum ad meretrices, non unus aut alius, ſed plures indifferenter, imò qui volunt, accedunt, certè certitudo tollitur prolis: ergo per oppoſitum ſi concubitus fornicarius ſit determinati viri ad determinatam fœminam ejus poteſtati aliundè ſubjectam, ut contingere poteſt in hominibus potentibus, & divitibus ſufficienter providetur de certitudine prolis.

Argumenta Martini de Magiſtris recocta a Caramuele, propoſita jam & diſſoluta fuerunt à D. Thoma.

212 Hoc argumentum, dùm proponit poſt Martinum de Magiſtris, Caramuel, Apoſtoli immemor manifeſtatur: nam quidquid ſit de injuria prolis, & independenter ab ejus damno, potuiſſet Auctor iſte agnoſcere intrinſecam deordiationem & deformitatem ſimplicis fornicationis, non ſolum ex oppoſitione ad divinam ordinationem; ſed etiam ex coinquinatione corporis, quod per gratiam redditur quodammodo membrum Chriſti & templum Spiritus Sanct. Ex hebetudine inſuper mentis, & obſtructione rationis, ut benè ex Auguſtino cum D. Thoma ponderavimus. Verumtamen, etſi hujuſmodi argumenta prætermitteremus; efficaciſsima utique perſiſtit ratio D. Thomæ, ſi benè attendatur. Ideò ad argumentum, methodo ſcholæ, reſpondetur conceſſa majori, negando minorem; ad probationem conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: providetur de certitudine, ſimul, & educatione atque inſtructione prolis, nego conſequentiam: de certitudine, ſubdiſtinguo; per ſe & attenta natura illius concubitûs, nego: per accidens ſolum & ex adjunctis circunſtantiis concedo conſequentiam. Si enim adverſantes Theologi legiſſent ſolùm rationem D.Thomæ, pro comperto haberent, eam non ſola inniti prolis incertitudine, ſed etiam & fortè pręcipuè debita educatione, quam per ſe intendit natura in generatione humana. Quod notavit jam Cajetanus, inquiens: ✱ Quoniam ratio non fundatur ſuper incertitudine prolis, quamvis hęc etiam annexa ſit tali ſeminationi ſecundum ſe: quia ex quo uterque eſt ſolutus, non eſt ibi naturale vinculum certitudinis prolis. Poteſt enim concubina alteri ſe tradere, cùm ſoluta ſit, quamvis per accidens non ſe tradat. Unde in littera certitudo prolis affertur pro ſigno ſeu effectu, & non pro principali fundamento, ut patet in littera dicente: *Et inde eſt, quòd naturaliter ineſt maribus ſolicitudo de certitudine prolis, &c.* Sed fundatur ratio ſuper defectu naturalis ordinis ad educationem & inſtructionem, &c. qui invenitur in vago concubitu ex parte utriuſque ſexûs. ✱

Cajetanus ad artic. 2. q. 154.

213 Sed replicabis, quia etiam provideri quandoque poteſt de congrua & perfecta educatione prolis per fornicationem acceptæ; ſi nempè fornicator prępotens ſit & dives: imò non ſemel meliorem ſortiuntur educationem & inſtructionem filii fornicationis, quàm legitimi filii pauperum parentum: ergo ſaltem in illo eventu ſimplex fornicatio non erit ſecundum ſe mala, jurique naturæ oppoſita. Hanc replicam jam ſibi oppoſuerat D. Thom. i[illegible]ens: „ Non autem huic rationi obſtat, quod aliqua mulier ſuis divitiis potens eſt, ut ſola nutriat fœtum. Sivè ut expreſsius arguit in quæſtionibus diſputatis: „ Commixtio maris & fœminæ ordinata eſt ad actum generationis & educationis prolis, ſed quandoque ex fornicario concubitu poteſt ſequi convenienter generatio & educatio prolis: ergo non omnis fornicarius concubitus eſt peccatum mortale. In hac replica allucinatum ſe monſtrat Caramuel, dùm fornicationis naturam inveſtigari nititur ex his, quæ ei per accidens conveniunt. Quod jam pridem in Martino de Magiſtris notavit laudatus Cajetanus, inquiens: ✱ Hic enim Martini error intollerabilis, deſtructivus totius Philoſophiæ moralis, miſcendo per ſe & per accidens: & ex his, quę ſunt per accidens, falſificans univerſale ex his, quæ ſunt per ſe, ſatis excluſus eſt ab Ariſtotele docente, qualis in moralibus certitudo, qualia ſint moralia univerſalia, prævíſus, & excluſus eſt ab Auctore in libro contra Gentiles, & hic perit omnis doctrina, niſi ſiſtatur in his, quæ ſunt per ſe. ✱

D.Thom. lib. 3. cont. Gent. cap. 122.
Quæſt. 15. de malo art. 2.

214 Reſpondetur igitur ad replicam diſtinguo antecedens: contingere valet per ſe, nego; per accidens, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quia ut ait D.Thomas priori loco adductus: „ Rectitudo naturalis humanibus actibus non eſt ſecundùm ea, quæ per accidens contingunt in uno individuo, ſed ſecundùm ea, quæ totam ſpeciem conſequuntur. In poſteriori autem loco hæc habet: „ Ad duodecimum dicendum, quòd actus generationis ordinatur ad bonum ſpeciei, quod eſt bonum commune. Bonum autem commune eſt ordinabile lege, ſed bonum privatum ſubjacet ordinationi uniuſcujuſque. Et ideò quamvis in actu nutritivæ virtutis, quæ ordinatur ad conſervationem individui, unuſquiſque poſſet ſibi determinare cibum convenientem, ergo cum determinare qualis debeat eſſe generationis actus, non pertinet ad unumquenque, ſed ad Legislatorem, cujus eſt ordinare de procreatione filiorum, ut etiam Philoſ. dicit in ſecundo Polit. lex autem non conſiderat quid in aliquo caſu accidere poſsit, ſed quid convenienter eſſe conſuevit. Et ideò quamvis in aliquo caſu poſsit ſalvari intentio naturæ in actu fornicario, quantum ad generationem prolis & educationis, nihilominus actus eſt ſecundum ſe inordinatus, & peccatum mortale.

Sicut lex, ita & natura ea attendit, quæ per ſe contingunt.

Solut. ad 12.

215 Replicabis deinde cum Caramuele: quia ratio formalis præcepti fornicationem & vagos concubitus prohibentis ob inconvenientem educationem prolis, ſaltem per accidens ceſſare dicitur à D. Thoma in caſu argumenti. Sed dùm adæquatus finis legis totaquè ejus ratio motiva ceſſat, probabile ad minus eſt deficere obligationem legis in illo caſu: ergo ſaltem probabile erit fornicationem illam ſecundum ſe, & ex jure naturæ malam non eſſe; ſed ſolum, quia à Deo prohibita. Hæc replica falſo nititur ſuppoſito. Unde conceſſa majori negatur minor: quia finis adæquatus legis naturalis prohibentis fornicationem (ut nihil hìc dicamus de aliis motivis ſuo loco cum Apoſtolo ponderatis) eſt pręcavere periculùm malæ educationis, quod communiter accidit in generatione prolis fornicariæ: hic autem finis nunquam ceſſare poteſt, etſi ceſſet finis inadæquatus in aliquo caſu particulari: quia ſemper verificatur, adhuc in hoc caſu particulari, quòd talis actio fornicaria ex ſe eſt contra convenientem educationem prolis, & affert ſecum periculum malæ educationis, licèt de facto per accidens ratione circunſtantiæ fornicantis poſsit convenienter educari. Nec ſimile eſt de lege Evangelica & naturali correctionis fraternæ: quia ejus finis adæquatus eſt emendatio proximi, quæ proinde ſi non ſperetur; ceſſat legis illius obligatio.

216 Replicabis iterum: quia non ſolum poteſt quandoque ſufficienter proviſum fieri de congrua educatione & inſtructione prolis fornicariæ; ſed etiam per ſe intendi à viro fornicante: multi enim ſunt (arguit Martinus de Magiſtris) qui intendunt religioſè educare prolem ex concubitu fornicario ſuſceptam; imò de mille non invenitur unus, qui directè & per ſe intendat nocumentum prolis: ergo ſaltem ex intentione recta fornicantis poterit hujuſmodi concubitus à malitia ſaltem gravi excuſari, attento præcisè jure naturæ. Hæc etiam replica ex ignorantia

tia procedit regulæ, unde moralitas deſumitur. Unde reſpondetur conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia malitia fornicationis non ex fine operantis, per accidens ſolum ſe habente, deſumenda eſt: ſed ex fine ipſius operis, nempè fornicationis, quæ ab intrinſeco & ex propria natura licèt per ſe ordinetur ad generationem prolis, non tamen ad debitam educationem & inſtructionem, quæ ſolum per accidens contingere ſolet. Et indè ſequitur concubitum illum fornicarium eſſe contra vitam humanam, *non prout vivere viventibus eſt eſſe, ſed ut vita educationem & inſtructionem ſub ſe comprehendit*, ut notat Cajetanus. Et meritò; quia ut Auguſtinus contra Pelagianos urgebat, melius eſt bonum eſſe, quàm eſſe, qua ratione demonſtrat omne bonum ex efficaci Dei gratia nobis advenire, eleganter inquiens: *Totum quidquid ſum, de miſericordia tua eſt. Feciſti ut eſſem, & non tu feciſti ut bonus eſſem? Dediſti mihi ut ſim, & potuit alius mihi dare ut bonus ſim? Si tu mihi dediſti ut ſim, & alius ut bonus ſim, melior eſt ille, qui mihi dedit ut bonus ſim, quam ille qui mihi, ut ſim.* Nec obſtat quòd aliquando ex ſimplici fornicatione proles non ſequatur; indeque neque nocumentum pravæ educationis. Quia ex omni ſimplici fornicatione per ſe loquendo nata eſt ſequi generatio, quamvis per accidens ratione conditionis aliquarum perſonarum non ſequatur; jam enim diximus moralitatem actûs deſumendam eſſe ex eo, quod eſt per ſe, non ex eo quod per accidens. Ex his omnibus nullo negotio reliqua diſſolvuntur objecta à Caramuele ex Martino recocta. Nihilominus ea hìc indicare & proponere cõgruit, eo modo quo Div. Thomas proponit. Igitur:

Particularis intentio fornicãtis intrinſecam nõ valet repellere deformitatẽ.

S. Auguſt. enarrat. in Pſal. 58.

217 Objicitur ſecundo: „ Omne peccatum mortale contrariatur charitati: ſed „ fornicatio ſimplex non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem „ Dei, quia non eſt directè peccatum contra Deum, nec etiam quantum ad dilectionem proximi, quia per hoc homo „ nulli facit injuriam: ergo fornicatio ſimplex non eſt peccatum mortale. Idem argumentum fuſius proponit in qq. diſput. „ Omne peccatum mortale (opponit) contrariatur charitati, per quam eſt animę „ vita ſecundùm illud 1. Joan. 3. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*: ſed ſimplex fornicatio non „ contrariatur, neque dilectioni Dei, quia „ non eſt peccatum in Deum, neque etiam „ dilectioni proximi, quia proximo non „ facit injuriam. Mulier enim ſui juris exiſtens, quæ in actum ſimplicis fornicationis conſentit, injuriam non patitur, quia „ nullus patitur injuſtum volens, ut Philoſophus dicit in 5. Ethicorum: Ergo „ fornicatio ſecundùm ſuum genus non eſt „ peccatum mortale. Hoc ipſum argumentum brevius proponit cap. 122. ex lib. 3. contra gentes: dicunt enim: (ſcilicet Auctores adverſantes) Sit aliqua mulier à viro ſoluta, quæ ſub nullius poteſtate vel Patris, vel alicujus alterius „ exiſtat; ſi quis ad eam accedat ea volente non facit illi injuriam, quia ſibi placet, & ſui corporis habet poteſtatem: & „ alteri non facit injuriam, quia ſub nullius poteſtate eſſe ponitur: non videtur „ igitur eſſe peccatum. Hæc argumenta ad brevem Scholæ methodum ita reducuntur: operatio nulli parans injuriam, non eſt ſaltem graviter peccaminoſa; ſed ſimplex fornicatio nulli injuriam irrogat; non mulieri ſui juris, ſi libenter conſentiat; non proli, cujus generationi deſervit, & quandoque debitę educationi & inſtructioni; nec aliunde Deo: quia Deus à nobis non offenditur, niſi ex eo; quod contra noſtrum aut alienum bonum hominis agimus, ut indicat & arguit Div. Thomas ultimo loco adductus: ergo ſimplex fornicatio ex genere ſuo non erit graviter peccaminoſa, ſed ſolum quia prohibita.

D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2.

Quæſt. 15. de malo art. 2.

Lib. 3. contra gent. cap. 122.

218 Reſpondetur ad argumentum conceſſa majori, nego minorem, (nam quidquid ſit de injuria mulieri conſentienti irrogata; quæ quidem jus & facultatem ſui corporis ita tradendi non habet; ſicut ſuo loco de muliere uxorata reſpectivè ad adulterium ſtatuemus) certè per fornicationem gravis injuria proli irrogatur propter jam dicta. „ Ad quartum dicendum (inquit D. „ Thomas) quòd fornicatio ſimplex contrariatur dilectioni proximi quantum ad „ hoc, quod repugnat bono prolis naſcituræ, „ dum ſcilicet dat operam generationi, non „ ſecundum quod convenit proli naſcituræ. „ Similiter reſpondit in ſecundo loco inquiens: Ad quartum dicendum, quòd omnes „ corruptiones luxuriæ, quæ ſunt præter legitimum matrimonii uſum, ſunt peccata in „ proximum, in quantum ſunt contra bonum „ prolis generendæ & educandæ, ſicut dictum „ eſt. Inde apparet fornicationem eſſe contra Deum, propter ipſam rationem ſubjunctam, quamque D. Thomas in loco contra gentes ita diſſolvit: „ Dictum eſt enim quod Deus uniuſcujuſque curam habet ſecundùm id, quod „ eſt ei bonum. Eſt autem bonum uniuſcujuſque, quod finem ſuum conſequatur; „ malum autem ejus eſt quod à debito fine divertat, ſicut autem in toto, ita & „ in partibus conſiderari oportet: ut ſcilicet unaquæque pars hominis, & quilibet actus ejus finem debitum ſortiatur. „ Semen autem etſi ſit ſuperfluum quantum ad individui conſervationem, eſt „ tamen neceſſarium quantum ad propagationem ſpeciei. Alia verò ſuperflua, ut „ egeſtio, urina, ſudor, & ſimilia, ad nihil neceſſaria ſunt: unde ad bonum hominis pertinet ſolum quòd emittantur: non „ ſolum autem hoc requiritur in ſemine, „ ſed ut emittatur ad generationis utilitatem, ad quam coitus ordinatur. Fruſtrà „ autem eſſet hominis generatio, niſi & debita nutritio ſequeretur: quia generatum „ non remaneret, debita nutritione ſubtracta.

Fornicatio ab intrinſeco opponitur dilectioni Dei, & proximi.

Solut. ad 4. in Summa Theolog.

Solutione ad 4. in quæſt. 15. ut ſupra.

„ cta. Sic igitur ordinata debet eſſe ſeminis „ emiſsio, ut ſequi poſsit, & generatio conveniens, & geniti educatio.

219 Sed replicabis: quia juxta datam ſolutionem fornicatio non eſſet de ſe mala, ſed ſolum ratione injuſtitiæ ſequutę: non ergo erit ab intrinſeco graviter mala, præſertim ſi proles non ſequatur, aut ſi debitè aliàs inſtruatur. Reſpondetur negando antecedens: quia non pręcisè ratione injuſtitiæ ſequutæ, fornicatio eſt de ſe mala. Sed quia ex propria & intrinſeca ratione importat ſeminationem deordinatam privatione naturalis ordinis ad debitam educationem prolis: ità quòd iſta deordinatio ordinis naturalis ad talem finem non eſt aliqua injuſtitia conſequens fornicationem, ſed eſt de ſua ratione. Unde in littera dicitur, *quòd fornicatio ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui eſt naſciturus*: & non dicitur, quòd importat injuſtitiam conſequentem; ſed inordinationem præſentem, quæ vergit in nocumentum prolis; & propterea nulla fornicatio excipitur: quia talis privatio eſt de ratione omnis fornicationis, licèt nulla ſequatur proles per accidens, aut per accidens proles educetur. Inde corruit exemplum, quo citatus Martinus datam ex D. Thoma ſolutionem irrito conatu infringere molitur; deſumptum nempè ex jactu lapidis, vel ſagittæ in loco, in quo facile quis poteſt lædi, qui quidem jactus non eſt peccaminoſus ſi diligenter provideatur, quod nemo lædatur: ſic ergo erit in fornicatione ſi diligenter provideatur; ſicut prudenter cautum eſt per Rempublicam benè ordinatam leges ſtatuentem ad certitudinem, debitamque educationem prolis fornicariæ. Ex quibus & aliis ſimilibus infert antiquus ille Theologus: Quòd ratio Thomæ, non eſt ſufficiens ad probationem, quòd ſimplex fornicatio eſt peccatum mortale.

Injuſtitia conſequitur fornicationem ex ſe malam.

220 Corruit inquam levis hæc ratiuncula: quia ut benè (reſpondet Cajetanus) actui fornicationis per ſe convenit privatio naturalis ordinis ad debitam educationem & inſtructionem, quia ad rationem ejus ſpectat. Sed jactui lapidis, vel ſagittæ non per ſe convenit occidere, aut percutere, ſed per accidens, inquantum fit improvidè. Et propterea ſi aufertur ly *improvidè* tollitur culpa. A autem ſimplici fornicatione tolli per naturalem potentiam non poteſt illa privatio, quę per ſe ineſt, & propterea non poteſt tolli illius culpa. Nec auctori illi ſuffragari valet legum, quas dicit, diſpoſitio, quia nulla creata lege fieri poteſt, ut fornicaria ſeminatio prædictam deformitatem & inordinationem, non habeat. Imò ſi benè inſpiciatur hujuſmodi proviſio, nùm fiat per legem, ſive per privatam perſonam, atteſtatur quod fornicarius concubitus eſt in ſe inordinatus: nam ſi deordinatus non eſſet, quid opus eſſet legum diſpoſitione, ut proles ſine nocumento evadat. Nam ideò non providet lex ſeminationi matrimoniali; & providet fornicariæ: quia illa non eſt nociva proli, & iſta ſic: & ideò iſti affert remedium. Dicitur etiam, quod ordo proviſionis bono prolis ex lege eſſet accidentalis; ettamen rectitudo moralis non ex accidentalibus deſumenda eſt, ſed ex ordine vel deordinatione naturali.

Per leges à Republica latas deordinatio tolli nõ poteſt fornicationis.

221 Pro complemento placet indicare inordinationem diſcursûs, quo utitur ſæpè rejectus Martinus, dum fornicationem dicit graviter malam ſolùm, quia prohibitam, vel ſolùm ex ſe venialiter malam. Et imprimis: quia Deus ſaltem in Decalogo non prohibet niſi ea, quæ jure naturæ mala ſunt, & quæ contra bonum Dei aut proximi tendunt, qua ratione Chriſtus Dominus, & Apoſtolus omnia Decalogi præcepta in dilectione Dei & proximi contineri docuerunt, ut alibi expendimus: ſi ergo Deus in Decalogo prohibuit ſimplicem fornicationem, ſive omnis luxurię ſpeciem & incitamentum, ut docuerunt nos SS. PP. valdè inconſequenter diſcurrit Auctor ille, fornicationem dicens à Deo prohibitam, non tamen ex genere & jure naturæ malam. Si autem ſolum eſt venialiter mala; cur Deus ex prohibitione, eam reddidit mortaliter peccaminoſam? Nunquid gaudet Deus in multiplicandis peccatis mortalibus? Et cum nulla poſsit rationabilis cauſa hujus ſingularitatis aſsignari, reſtat (inquit Cajetanus) ut fateamur, quod ideò eſt à Deo prohibita, quia eſt ſecundùm ſe mala: & ideò ſub æterna pœna prohibita, quia non eſt præter, ſed contra bonum notabile humano generi debitum, ut declaratum eſt. Et gratias agamus Div. Thomæ, qui nos hæc docuit. Qui etiam audiendus eſt loco citato ex contra gentes, ubi breviter proponit diſſolvi fundamentum, ſi aliquod poteſt eſſe in contrarium illis verbis: Nec tamen oportet reputari leve peccatum eſſe, ſi quis ſeminis emiſſionem procuraret præter debitum generationis & educationis finem, propter hoc quod aut leve, aut nullum peccatum eſt, ſi quis aliqua ſui corporis parte utatur ad alium finem, quàm ad eum, ad quem eſt ordinata ſecundùm naturam: ut ſi quis, v. g. manibus ambulet: aut pedibus operetur aliquid manibus operandum: quia per hujuſmodi inordinatos uſûs bonum hominis non multum impeditur: inordinata verò ſeminis emiſsio repugnat bono naturę, quod eſt conſervatio ſpeciei.

D. Thomas 3. cont. gent. cap. 122.

§. III.

§. III.

Acceſſum ad conjugem altero conſentiente, adulterii malitiâ fœdatum monſtrans.

222 DEINDE aſſerendum eſt copulam cum aliena conjuge etiam conſentiente, imò, & inducente marito, adulterium eſſe. De hac aſſertione dubitandi locum removet SS. Pontifex Innocentius XI. illam propoſitionem ordine 50. damnans: *Copula cum conjugata, conſentiente marito non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.* Innocentio præluxerat Sixtus V. talem copulam adulterium ſupponens, dum pœnam capitis lege lata decernit in maritum, *qui propriam uxorem in prædam alieni libidinis tradiderit, & reipſa proſtituerit, aut induxerit, ut contra jus, & fas adulteria, quæſtus, aut aliâ quavis causâ palàm exerceat.* Id ipſum ſignificaverat antea Innocentius III. qui conſultus: * Quòd quidam cum muliere qua- * dam legitima per verba de præſenti con- * traxit, quam poſtmodum à ſe incogni- * tam, cuidam conſanguineo ſuo tradidit, * in quantum potuit renitentem. Ille verò * cum ipſa licèt invita, matrimonii ſolem- * nia celebravit: ſed mulier, quàm citò * reddita fuit libertati, aufugit ab eo, & * ſe priori viro reſtitui poſtulavit. Nos * igitur inquiſitioni tuæ taliter reſponde- * mus, quòd & viro pro tam turpi facino- * re, gravis eſt pœnitentia injungenda; * & mulier propter publicam honeſtatem * eſt monenda ſolicitè ut nec primum re- * petat, cujus conſanguineus eam licèt in- * vitam cognovit; nec redeat ad ſecun- * dum, cui non poteſt præter reatum * adulterii commiſceri: ſed in continentia * maneat donec prior fuerit viam univer- * ſæ carnis ingreſſus. Quòd ſi forſan ad * id induci non potuerit vir prior coga- * tur redire ad ipſam, & maritali eam * affectione tractare: cùm adulterium ei * non poſſet objicere, qui eam adulteran- * dam tradidit, præſertim invitam. Copula igitur cum aliena uxore, quamvis conſentiente, & tradente marito verum adulterium eſt.

Propoſitio 50. ab Innocentio XI. proſcripta

Sixtus V. conſtitut. 46. ad compeſcendam.

InnocentiusIII. cap. Diſcretionem, *extra.* De eo qui cognovit.

223 Nec ſola Pontificum, & Eccleſiæ auctoritate aſſertio noſtra firma extat; cùm Apoſtolus ipſe ſatis expreſsè eam tradere videatur verbis illis: *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri: ut non ſit adultera ſi fuerit cum alio viro.* Commixtio itaque viri cum aliena uxore, ejus marito vivente adulterium abſolutè vocatur ab Apoſtolo; ſed maritus re ipſa vivit dum conſentit, vèl impellit, ut uxor ſua cum altero miſceatur: ergo adultera revera eſt, ſicque concubitus ille eſt verum adulterium. Si enim conſenſus viri rationem tolleret adulterii à propia uxore, diceret utique Apoſtolus: mulier liberata eſt à lege viri, ſi mortuus fuerit vel conſenſerit, ettamen non ita loquitur Apoſtolus, ſed ſolum: *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Sola ergo mors mariti, non autem viventis aſſenſus, uxorem à lege viri, adeòque & illius cum altero copulam ab adulterii crimine immunem facit. Ut enim aliquando ait Auguſtinus: *Hæc alligatio* (nempè conjugum per vinculum matrimonii) *facit ut aliis conjungi ſine adulterina copulatione non poſsint.*

Rom. 7. à v. 2.

Ex Apoſtolo oſtenditur malitia talis acceſſûs.

S. Auguſtin. lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 9.

224 Ratio autem theologica propoſitæ aſſertionis ex Div. Thoma ita proponitur: Adulterium ſicut ipſum nomen ſonat, eſt acceſſus ad alienum torum; ſed copula illa, etſi maritus conſentiat, imò & inducat, revera eſt acceſſus ad alienum torum: erit igitur propriè adulterium. Minor inde conſtat, quòd cùm vinculum matrimonii non diſſolvatur per conſenſum illum mariti, qui ad ejus accedit uxorem, non poteſt non accedere ad alienum torum. Mariti ergo conſenſus non tam ad hoc ſervit, ut adulterantem extraneum relevet, quàm ut lenocinii crimen involvat. Quare Tertullianus, Socratem & Catonem, qui uxores ſuas amicis communicaverunt, ut ex eis ſobolem ſuſciperent, lepidiſsimè his verbis deridet: *O ſapientiæ Atticæ, & Romanæ gravitatis exemplum! Leno eſt Philoſophus & Cenſor.* Deinde oſtenditur aſſertio, præcludendo motiva damnatæ opinionis adverſæ: quia ſi copula illa adulterii crimen non induceret, cò eſſet quia marito conſentiente nulla fieret injuria, conformiter ad regulam 27. juris: *Scienti & volenti non fit injuria:* ſicut juxta quorundam opinionem defloratio virginis conſentientis malitiam ſtupri non ſortitur; ſed ratio hæc futilis omninò eſt: ſimiliter ergo opinatio tam labili fundamento ſuperędificata. Minor oſtenditur, & imprimis quia licèt viro injuria non fieret, maxima tamen eſt quæ irrogatur Sacramento inducenti obligationem conjugibus mutuo ſervandi fidem; & huic juri illorum neuter cedere poteſt. Et deinde quia conſenſus viri irritus eſt & nullus, quippè qui non habet jus in corpus uxoris ad illicitos uſûs; ſed ſolum intra leges matrimonii: unde etſi conſentiens ſibi ipſi facit injuriam, nec poteſt removere injuriam maculati tori. Quod autem additur de defloratione virginis conſentientis, nihil officit, nobis talem acceſſum ſtuprum judicantibus. Qui autem oppoſitum probabi-

Tertullianus in Apolog. cap. 39.

Rationes à priori.

biliter judicant eodem modo admittunt, quòd virgo eſt domina ſui clauſtri, validè, quamvis illicitè de illo potens diſponere, apud Patrem Viva. Non autem ſic diſcurritur de dominio mariti in corpus uxoris.

225 Accedunt Sancti Patres Auguſtinus (poſt Tertullianum ſupra laudatum) qui ex verbis Apoſtoli ſupra datis noſtram aſſertionem tradit concludens: * Hæc verba * Apoſtoli toties repetita, toties inculcata, * vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, pla- * na ſunt. Nullius viri poſterioris mulier * uxor eſſe incipit, niſi prioris, ſi moria- * tur vir ejus. Præterea alibi ſcribit. Ab- * ſit ut ſenſu planè non humano, ſed pla- * nè vano ſic doleamus cùm flagitia cor- * riguntur, tanquam connubia diriman- * tur: Maximè in Civitate Dei noſtri, in * monte Sancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia, * ubi nuptiarum non ſolum vinculum, ve- * rùm etiam Sacramentum ita commendatur, * ut non liceat viro uxorem ſuam alteri * tradere. Quod in Republica tunc Roma- * na non ſolùm minimè culpabiliter, ve- * rùmtamen laudabiliter Cato feciſſe perhi- * betur. Neque hinc diutiùs modò diſpu- * tare opus eſt, cum & illi, quibus reſpon- * deo, non audeant affirmare, nullum * hoc eſſe peccatum, neque negent eſſe * adulterium, ne ipſi Domino Sanctoque * Evangelio apertè convinceretur obſiſtere. Tandem omittere non poſſumus: doctrinam noſtræ aſſertioni adverſantem non parum favere fœtidæ Gnoſticorum ſpurciſsimæ ſectæ, de quibus inter alia ita loquitur Epiphanius: * Primoquidem communes * uxores habent: & ſi peregrinus acceſſe- * rit de ipſorum dogmate; ſignum eſt * virorum apud fœminas, & fœminarum * ad viros in extendendo manum, ad ſa- * lutationem videlicet, ſubter palmam con- * trectationem quandam titillationis per * hoc ſe indicare oſtendentes, quod ejuſ- * dem religionis ſit qui acceſsit. Hinc igi- * tur mutua cognitione accepta, ſtatim ad * epulationem convertuntur: larga verò & * opipara edulia, carnis eſum, & vini po- * tum apponunt, etiamſi pauperes fuerint. * Ex hoc autem ubi compotarunt, & ve- * nas (ut ita dicam) ſatietate impleverunt: * vir quidem concedens uxorem alteri, ad * ipſum dicit: Surge, fac dilectionem cum * fratre. Videas inde quàm merito præjactam propoſitionem proſcripſerit SS. Pontifex Innocentius: quàm pridem damnaverat jam tanquam erroneam Univerſitas Lovanienſis.

S. Auguſtin. lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 4.

Lib. de fide, & operibus cap. 7.

SS.PP. improbantes datam propoſitioné.

S. Epiphanius hæreſi 16. apud Baronium anno Chriſti 120.

226 Præfocatis opinionibus rejicienda accedit propoſitio in prologo diſſertationis indicata, nimirum: *Qui habet copulam cum ſoluta, ſatisfacit præcepto confeſsionis dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem.* Quæ quidem merito damdata fuit ab Alexandro VII. Quia cùm contra caſtitatem plura ſint peccata ſpecie nedum infima, ſed & ſubalterna, inter ſe diſtincta: qui prædicto modo confiteretur, ſpeciem peccati non aperiret confeſſario, contra Decretum Concilii Tridentini præcipientis ſpeciem, & numerum peccatorum confiteri. Deinde quia licet circunſtantias etiam notabiliter intra eandem ſpeciem aggravantes, non ſit neceſſum confiteri juxta plurium Theologorum ſententiam: nullus tamen dubitat quin peccatum quoad ſpeciem & individuum aperiendum in confeſsione ſit: certum tamen eſt, *quòd peccatum grave contra caſtitatem*, nec ſpeciem, nec individuationem peccati exprimit. Unde licèt explicaret tunc peccatum quantum ad numerum; non tamen quantum ad ſpeciem, & individuationem. Accedit quod ille, qui ſe exponit periculo fornicandi, & opere compleret, non ſatis ſe explicaret in confeſsione dicens: expoſui me periculo fornicandi; non obſtanti, quod ſequuta fornicatio novum non ſit ſpecie, vel numero peccatum, ſed ejuſdem numero peccati complementum ad individuationem ſpectans. Eadem ſimiliter proportionali ratione, aperiri debet in confeſsione præter actum internum, etiam externum; ac proinde ſatis non erit dicere volui furari, ſi reipſa furtum perpetratum ſit.

§. IV.

Mollitiem jure naturæ prohibitam in apertum ponens.

227 IN hoc articulo debellandus venit Caramuel, cujus aberrationem in prologo recenſitam compreſſit jam SS. Pontifex Innocentius XI. eam ordine 49. propoſitionem damnans: *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Quis autem crederet virum aliàs ingenioſum, & pium non aliter de hoc crimine peſsimo philoſophatum fuiſſe, quàm de minoratione ſanguinis, aut de eſu pomi, aliiſque actibus de ſe bonis, aut indifferentibus: unde (ut refert Magiſter Gonet) comparat mollitiem cum eſu pomi vetiti, dicens: *Eſum pomi aliàs indifferentem primis hominibus interdixit Deus, quia voluit, & potuit, utpote rerum univerſarum Creator, & Dominus: ſeminis etiam effuſionem inhibuit, non quod ipſa ſit mala ante præceptum, ſed quod ipſe ſit Dominus, nos ſervi; ipſe Creator nos creaturæ, ipſi competat præcipiendi auctoritas, nobis obediendi gloria relicta ſit.* Sanè mirum eſt (proſequitur laudatus Theologus) in viro docto religioſo ſic extingui potuiſſe communiſsimas honeſtatis & pietatis notiones, ut hæc, ipſi non ſolum probabilia, ſed etiam certa videri potuerint. Nam quantum hæc non à caſtis

Propoſitio 49. ab Innocentio XI. damnata.

caſtis auribus ſolum, ſed etiam ab ipſo lumine naturali aliena ſint, agnoverunt Ethnici ipſi, qui non tantum beſtialitatem, aut Sodomiam, horridaſque illas libidinum furias in corpora, in ſexus, ultra jura naturæ, quæ non tam crimina quàm monſtra dicendæ ſunt, ut ait Tertullianus, ſed ipſam etiam mollitiem acriter reprehenderunt, ut Martialis libro nono epigram. 42. ubi in Ponticum ſe polluentem ſic invehitur.

Hoc nihil eſſe putas? Scelus eſt mihi crede, ſed ingens,
Quantum vix animo concipis eſſe tuo.
Ipſam crede tibi naturam dicere reum:
Iſtud quod digitis Pontice perdis, homo eſt.

228 Aſſerendum eſt: ab intrinſeco & jure naturæ eſſe graviter malam. Aſſertionem iſtam de qua fas jam non eſt dubitare poſt recenſitam damnationem, oſtendunt à fortiori rationes, quibus D. Thomas demonſtrat, fornicationem malam eſſe ex ſuo genere & jure naturali. Si hæc namque ex ſe mala probatur; quia ad debitam prolis educationem non ordinatur, licèt per accidens ſequi poſsit: quanto magis horrere debet natura mollitiem, qua prodigitur ſemen, eo modo, ut generatio nullatenus ſequi poſsit: „ Cum tamen ſemen etſi ſit ſuper- „ fluum quantum ad individui conſervatio- „ nem, eſt tamen neceſſarium quantum ad „ propagationem ſpeciei, inquit D. Tho- „ mas ſubjungens: Ex quo patet, quòd „ contra hominis bonum eſt emiſsio ſemi- „ nis tali modo, quod generatio ſequi non „ poſsit. Inde argui ita poteſt: nam ſicut verba ex ſua natura ordinantur ad manifeſtationem mentis, ita ſemen genitale ad propagationem prolis: unde ſicut uti verbis ad fallaciam, eſt peccatum contra ordinem naturæ; ita uti ſemine ad ſterilem laſciviam, eſt de ſe malum, & ordini ac inſtitutioni naturæ repugnans. Quapropter tam eſt impoſsibile, ut mollities, aut Sodomia congruant naturæ humanæ, quàm eſt impoſsibile, quòd mendacia ei conveniant. Nec refert, quòd poſsit mollities, aut Sodomia alicui ad ſanitatem corporis prodeſſe; poteſt enim & mendacium alicui ſimiliter ad ſalvandam vitam deſervire: Si ergo id non ſufficit, ut mendacium aliquando dicatur licere, profectò non ſufficiet, ut mollities, aut Sodomia, ac ſimilia libidinum monſtra, aliquando cenſeantur eſſe licita. Unde Auguſtinus ſic ait: * Nec ideò * nullum mendacium putandum eſt non * eſſe peccatum, quia poſſumus alicui ali- * quando prodeſſe mentiendo; poſſumus * enim & furando aliquando alicui pro- * deſſe, ſi pauper cui palam datur, ſentit * commodum, & dives cui palam tollitur * non ſentit incommodum: nec ideò tale * furtum quiſquam dixerit non eſſe pecca- * tum. Poſſumus & adulterando prodeſſe, * ſi aliqua niſi ad hoc ei conſentiatur, ap- * pareat amando moritura, & ſi vixerit * pœnitendo purganda: nec ideò peccatum * negabitur eſſe tale adulterium.

D.Thom. lib.3. cont. gent. cap. 122.

Tam impoſsibile, ut mollities congruat naturæ: quàm quòd mendacia ei conveniant.

S.Auguſtin. in Enchirid. cap. 22.

229 Sed quid opus eſt immorari, in detegenda radice malitioſæ deformitatis quàm ab intrinſeco induit mollities? Nonne, communi Theologorum, SS. Patrum & Conciliorum voce, vitium dicitur cõtra naturam: (quia ut n.19.& 134.diximus adverſatur naturæ humanæ etiam ſecundùm gradum genericum animalis) imò ſi Caramueli fides adhibenda eſſet, ejuſdem ſpeciei cum ſodomia & beſtialitate; ſed in peccatis contra naturam ipſe ordo naturæ violatur, fitque injuria Deo ordinatori naturæ, ut loquitur D. Thomas: Quis ergo dubitet, nuturam ipſam (ſui debitum ordinem ubique exigentem) refugere & in apertum ponere hujuſcemodi vitiorum brutalem deordinationem, propriori ad legem quamlibet poſitivam? Huic Angelici Doctoris ineluctabili ratiocinationi, præluxit Auguſtinus inquiens: *Flagitia, quæ ſunt contra naturam, ubique, & ſemper deteſtanda atque punienda eſſe, qualia Sodomitarum fuerunt, quæ ſi omnes gentes facerent eodem criminis reatu Divina lege tenerentur, quæ non ſic fecit homines, ut ſe illo uterentur modo; violaturque ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, cum eadem, cujus ille Auctor eſt, libidinis perverſitate polluitur.* Argumenta inſuper quibus ſupra manifeſtam dedimus deteſtandam malitiam vitiorum contra naturam, exoſſum ampliùs reddent naturæ humanæ cultoribus fœtidum Caramuelis pronuntiatum, de quo poſſumus quodammodo cum Auguſtino ita loqui: *Pudet me iſta refellere, cum eos non puduerit iſta ſentire: Cum vero auſi ſint etiam defendere, non jam eorum, ſed ipſius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.*

S. Auguſt. lib.3. confeſsion. cap. 8.

Epiſt. 46.

230 Finem arguendi (ut dicunt à priori) faciamus cum eodem Auguſtino, recte admonente, quod nec ipſa conjugalis pudicitia voluptuoſam, aliàs licitam libidinem, vellet admittere, ſi abſque illa filios procreare poſſet: qua ergo deteſtatione non refugiet natura, effrǫnem libidinoſam delectationem, penè abſorbentem, in effuſione genitalis ſeminis citra legitimum matrimonii uſum? * Cum igitur (verba ſunt Auguſtini) ſint * multarum libidines rerum, tamen cum li- * bido dicitur, neque cujus rei libido ſit * additur, non fere adſolet animo occurre- * re niſi illa, quæ obſcęnæ corporis partes * excitantur. Hæc autem ſibi non ſolùm to- * tum corpus, nec ſolùm extrinſecus, verùm * etiam intrinſecus vindicat, totumque com- * movet hominem animi ſimul affectu cum * carnis appetitus conjuncto, atque permix- * to, ut ea voluptas ſequatur, qua major in * corporis voluptatibus nulla eſt: ita ut mo- * mento ipſo temporis, quoad ejus perve- * nitur extremum, penè omnis acies, & * quaſi vigilia cogitationis obruatur. Quis * autem amicus ſapientiæ ſanctorumque gau- * diorum, conjugalem agens vitam, ſed ſi- * cut Apoſtolus monuit, ſciens vas ſuum * poſſidere in ſanctificatione & honore, non * in morbo deſiderii, ſicut & gentes quæ * ignorant Deum, non mallet, ſi poſſet, ſine * hac libidine filios procreare; ut etiam in * hoc ferendæ prolis officio, ſic ejus menti * ea quæ ad opus creata ſunt, quemadmo- * dum cętera ſuis quæque operibus diſtri- * buta membra ſervirent, nutu voluntatis * acta, non æſtu libidinis incitata?

Rejicitur à priori theſis proſcripta.

S.Auguſt.li.14. de Civitat. Dei cap.16.

1. ad Theſſalon. 4.

231 Abſurda demùm ex opinatione Caramuelis neceſſariò ſequuta arguent (quaſi à poſteriori ut dicunt) eam falſitatis. Imprimis enim ſi mollities, quæ flagitium eſt contra naturam, non eſſet prohibita quia mala: inferioris gradûs malitiam ſortiretur quàm adulterium, de quo ait Evodius (approbante Auguſtino) *Non ideò malum eſt, quia vetatur lege, ſed ideò vetatur lege quia malum eſt.* Et tamen ſupra jam demonſtratum eſt cum D. Thoma: Vitia contra naturam intra genus luxuriæ eſſe omnium maxima, & turpiſsima. Duo inſuper alia abſurda urget Magiſter Gonet, ſic ferè ad litteram tranſcripta. Imprimis enim (inquit) cum lex poſitiva non obliget niſi eos, quibus manifeſtatur, & intimatur, ſi mollities, & ſodomia ſolùm lege Dei poſitiva ſint prohibita, conſectarium profectò eſt, eos omnes non peccare, nec peccaſſe, effundendo ſemen per mollitiem, & ſodomiam, quibus Deus ſuam legem ea flagitia vetantem non intimavit. Unde juxta Caramuelis ſententiam tametſi Iſraëlitæ poſt intimatam ſibi legem Dei vetantem prædicta flagitia, peccaſſent ea perpetrando; cęteræ tamen nationes quibus judicia ſua Deus non manifeſtavit, nequaquam peccaſſent ea perpetrando; nec adhuc hodie peccarent quotquot per ignorantiam poſitivę legis Dei eis aſſueſcunt: imò nec Onam filius Judæ peccaſſet, dum *introiens ad uxorem fratris ſui ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur*, ut dicitur Geneſi 38. nam eo tempore lex poſitiva non erat promulgata: & tamen Scriptura ſubdit, *ideò percuſsit eum Dominus, quod rem deteſtabilem faceret.*

Abſurda conſequuta.

232 Secundò ſi mollities ſolo Dei præcepto poſitivo prohiberetur, aliquando eſſet licita, etiam poſt illius legis promulgationem, ſaltèm pro caſu extremæ neceſsitatis, ut ſi quis mori deberet, niſi ſe pollueret: poſitiva enim Dei præcepta ceſſare interdum in caſu neceſsitatis, certum eſt, & conſtat exemplo Davidis, qui non obſtante Dei lege laicis vetante eſum panum propoſitionis, in neceſsitate famis eos comedit, ejuſque factum Chriſtus Matthæi 12. excuſat, necnon, ob ſimilem neceſsitatem, ſuos Diſcipulos à violatione Sabbati divinitùs interdicta. At mollitiem ſeu pollutionem voluntariam, etiam in caſu extremæ neceſsitatis (puta cum neceſſaria eſt ad ſalutem vel vitam tuendam) non licere communiter docent Theologi, & patet exemplo plurium virorum illuſtrium & piorum, qui mori maluerunt, quàm ſeminis effuſionem, ex cujus retentione mors imminebat, per pollutionem procurare (imò nec per copulam contracto matrimonio licitam) ſic Div. Caſimirus Regis Polonis filius, Hungarorum Rex delectus (cujus memoria utinam mihi in benedictionibus ſemper ſit, & Angelica pudicitia in exemplo: die etenim huic caſtitatis Angelo ſacrata, vivendi in mundo ingreſſus ſui viam, & cujus nomine inter alia inſignitus agnoſcor) gravi oppreſſus infirmitate, mori potiùs, quàm caſtitatis jacturam ex Medicorum conſilio ſubire conſtanter decrevit. Idem de Jacobo Cardinali Ulyſsiponenſi, Regis Portugaliæ filio, refert Hieronymus Carimbertus libro 3. de vitis Pontificum. Similia traduntur de Iſaacio Comneno Imperatore, de Thoma ſecundo Epiſcopo Eboracenſi, & de Michaële Verino Poëta Gallo, cujus iſtud extat poſteritati conſecratum.

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo.
Ne ſe pollueret maluit ipſe mori.

Ergo mollities non ſolùm præcepto Dei poſitivo, ſed etiam lege Dei naturali prohibita eſt.

OBJECTA DISSOLUTA.

233 In adverſum ſic fundamenta proponit, laudatus & dignus laudari Theologus, inquiens: Non poſſum tamen præcipuum Caramuelis fundamentum ſubjicere, & inſolutum relinquere. Illud ponit loco ſupra citato numero milleſimo ſexcenteſimo ſexto his verbis: *Proximius ad generationem, & nativitatem accedit embris, & infans ipſe nondum natus, quàm ſemen; atqui poteſt gravida parens contra animatum fœtum procedere, ſi aliter vitam conſervare non poſsit: ergo à fortiori poſſet emittere ſemen, ſi ſolummodo conſiderentur rationes naturales.* Sed hæc ratio frivola eſt, nec valet illa conſequentia, ſeu argumentum à pari, quòd ab abortione mollitiem format: in mollitie enim immiſcetur libidinoſa delectatio, quæ in abortione nequaquam intervenit, ut proindè etiamſi abortio eſſet licita, conſequens non ſit mollitiem pariter licere. Tàm vehemens enim, & exorbitans eſt ea delectatio, quæ in effuſione ſeminis genitalis ſentitur, ut contra rationem ſit, eam unquam citra uſum legitimi conjugii ſponte admittere. Hęc tamen ſolutio licèt ad comminuendum, diſsipandumque Caramuelis fundamentum pluſquam ſufficiens ſit. Quis tamen patienter ferat: Auctorem illum ſupponentem, matrem gravidam poſſe contra animatum fœtum procedere, ſi aliter vitam conſervare non poſsit. Si enim hoc ita abſolutè verum eſſet, conſequentia doctrinæ affirmandum videretur: *Quòd liceat procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur*, ut plures olim docuerunt apud Patrem Viva. Damnavitque poſteà Innocentius XI. propoſitione 34. ſubjungens aliam ejuſdem furfuris proſcriptam theſim ordine 35. nimirùm: *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero eſt carere anima*

Ruinoſum & pluribus deficiens fundamentum Caramuelis.

rationali, & tunc primo incipere eandem habere, cum paritur: ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

134 Sed quidquid ſit de infauſta hac conſequutione: quis audeat in animum inducere, propoſitionem quam ſine examine devorat Caramuel? Quid enim dicant puriores doctrinæ amantes Theologi, audiamus vel breviter. * Matri gravidæ cui fœtu periculum imminet vitę, neutiquam applicari valent medicamenta per ſe tendentia, & ordinata ad abortum, expulſionemque fœtus, præſertim ſi animatus jam fuerit: (quidquid ſit de medicamentis per ſe ad matris ſalutem ordinatis etſi aliquando per accidens ſequatur fœtûs ruina.) Imò id ipſum affirmandum eſſe quando fœtus eſt inanimatus longè probabiliùs Theologis illis meritò apparet. Ut indè videas quo jurè potuerit affirmare Caramuel: *Poteſt gravida parens, contra animatum fœtum procedere.* Non ita in jure Canonico, ubi homicidii rei declarantur, læthaliſque peccati gravifsimi, qui abortum procurant, ſivè fœtus ſit animatus ſivè inanimis, ut ſolidâ Eccleſiaſticâ eruditione oſtendit Natalis Alexander. * Audiatur tamen Tertullianus inquiens: *Nobis homicidia ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus. Etiam fructus omnis jam in ſemine eſt.*

Natalis Alexander lib. 4. Decalogi cap. 7. art. 4. regul. 13.

Tertullianus in apologetico cap. 9.

135 Arguet inſuper Caramuel (apud laudatum Theologum) in hunc modum: *Mollities eſt ſeminis effuſio voluntaria, etſi mala ſecundùm ſe, de ipſius malitia hominibus conſtare debet. Sed quid ſemen? Doctores certant, & adhuc ſub Judice lis eſt, aliqui ſudorem, alii ſpumam, nonnulli lac, plerique ſanguinem, ſemen eſſe contendunt. Et tamen eſſe contra ipſam naturam, ſudorem, ſpumam, ſanguinem, lac, & ſimilia corporis nutrimenta vel excrementa ex rationabili cauſa decidere, nullus Dialecticus probare poterit.* Ergo nec ullâ ratione naturali probari poteſt eſſe contra naturam decidere ſemen ex rationabili cauſa. Hoc conſequens ſuppreſsit Caramuel, ſivè quia puduit illud exponere, ſivè quia cuivis obvium eſſe proſpexit. Reſpondeo primo, quòd ſi hoc argumentum valeret, probaret mollitiem non ſolum ex ſua natura, ſed etiam ſuppoſito poſitivo Dei præcepto eam vetante, non eſſe malam, illicitam, ſed de ſe bonam, & aliquando obligatoriam ſub peccato mortali: poſſet enim qui eam vellet exercere, hoc diſcurſu Caramuelis uti, & ſic argumentum proponere: Si mollities mala eſſet ex Dei præcepto eam vetante, de ipſius malitia hominibus conſtare deberet, atqui non conſtat: ergo non eſt mala ex præcepto Dei eam vetante. Minor probatur: Cùm mollities conſiſtat in voluntaria ſeminis effuſione, non poteſt conſtare de pręcepto eam vetante, niſi prius conſtet, quid ſit ſemen, cujus voluntaria effuſio interdicitur: atqui nondum conſtat quid ſit ſemen, ſed Doctores de ejus natura, & quidditate diſputant, aliis contendentibus eſſe ſudorem, aliis ſpumam, aliis lac, aliis ſanguinem, vel excrementum, & adhuc ſub Judice lis eſt: ergo nondum conſtat de præcepto mollitiem vetante, ſubindeque nec de ipſius malitia in idem proveniente.

Fallaciter & abſurdè arguit Caramuel.

236 Ecce quomodo hìc Caramuelis diſcurſus nimis probet, & mollitiem, ſuppoſito etiam poſitivo Dei præcepto eam vetante faciat licitam; imò verò etiam aliquando obligatoriam: nàm poſſet quis etiam in hunc modum rursùs arguere: non obſtante quacunque Dei lege hominibus hactenùs notificata, non modo poſſumus, ſed aliquando tenemur (quando ſcilicèt ad tuendam vel recuperandam corporis valetudinem id neceſſarium eſt) emittere ſudorem, ſpumam, lac, ſanguinem aut ſimilia corporis nutrimenta, aut excrementa: ergo & ſemen; quippè quod, juxta probabilem Doctorum ſententiam nihil eſt aliud quàm quidpiam iſtorum. Reſpondeo ſecundo directè ad argumentum, quòd ut cuilibet conſtet mollitiem eſſe de ſe & ex ſua natura malam, & lege naturæ prohibitam, non requiritur quòd naturam, & quidditatem ſeminis genitalis cognoſcat ſpeculativè, & an illud eſſentialiter, vel accidentaliter tantum à ſanguine, lacte, ſudore & aliis humani corporis humoribus, aut ſuperfluitatibus diſtinguatur, exploret; ſed ſufficit quòd ſciat illud eſſe inſtrumentum generationis, & ordinari à natura ad conſervationem, & propagationem ſpeciei, ſubindeque non licere illud prodigere, aut expendere eo actu, ex quo generatio ſequi non valeat; hoc autem lumine naturali notum eſt, & à nullo quantumcunque bardo, & ſtupido invincibiliter ignorari poteſt: undè eo ipſo quod aliquis utitur ſemine ad ſterilem laſciviam, peccat non ſolum contra præceptum Dei poſitivum, quo voluntaria ſeminis effuſio extra uſum matrimonii prohibetur, ſed etiam contra præceptum naturæ, & dictamen naturale rationis, quo omnibus hominibus, etiam illis qui præcepta Dei poſitiva invincibiliter ignorant, hujus actûs malitia, & deformitas manifeſtatur, & intimatur.

237 Plura hìc ſubjicienda eſſent contra alteram ex propoſitionibus in Prologo diſſertationis adductis nempè: *Probabilis eſt opinio quæ dicit eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* Sed quia de hoc aſſumpto ſatis lubrico diffuſè tractavimus: ne acta iterum agamus ſatis erit Ulricum audire, cujus ſententiam probat S. Antoninus ibidèm laudatus: Prop-
* terea (habet Auctor ille) Apoſtolus, poſt-
* quam reprehendit hujuſmodi vitia, ſcili-
* cet turpitudinem, ut in oſculis & tacti-
* bus; ſtultiloquium, & ſcurrilitatem, con-
* numerans ea inter peccata mortalia ma-
* nifeſta, quia & ipſa talia ſunt cum pro-
* cedunt ex libidine, ſubdit: *Nemo vos*
* *ſeducat inanibus verbis: Propter hæc ve-*
* *nit ira Dei in filios diffidentiæ.* Quod
* dixit propter quoſdam qui tunc fortè
* parvipendebant hujuſmodi vitia, ſicut &
* nunc ſunt aliqui turpes hujuſmodi
* annihilantes. Id confirmat Chriſti verbis.
* *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum,*
* *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ubi notat Venerabilis Beda, viſum accipi pro omni motu ad delectationem veneream extra matrimonium. Ex quibus Ulricus, & poſt ipſum S. Antoninus colligunt, *quod iſta eſſe peccata mortalia tenendum eſt omnino, non tanquam opinio de qua aliter ſentire liceat, ſed tanquam veritas ad fidem pertinens, ſicut omnia quæ pertinent ad bonos mores. Et qui pertinaciter aſſereret contrarium, eſſet hæreticus, quia eſt contra ſcripturam à Sanctis expoſitam.*

Propoſitio 40. ab Alexādro VII. proſcripta.

Ulricus apud S. Antoninum p. 2. tit. 5. cap. 1.

§. V.

Peccandi occaſiones removendas eſſe oſtendens.

238 PRÆTEREA aſſerendum eſt repellendam eſſe concubinā, etiam cum gravi incommodo. (Id ipſum proportionaliter tenendum eſſe circa proximas peccandi occaſiones doctrinæ conſequentiâ monſtrat.) De hac aſſertione ne quis dubitet, poſtquam Sanctiſsimus Pontifex Alexander VII. propoſitionem illam ordine 41. damnavit: *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, dum deficiente illa nimis ægre vitam ageret, & aliæ epulæ, concubinarium magno tædio afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.* Simile quid circa peccandi proximas voluntarias occaſiones fugiendas certò tenendum eſſe monſtrant tres propoſitiones in hoc aſſumpto ab Innocentio XI. damnatæ, nimirum 61. 62. 63. quas in prologo hujus diſſertationis tranſcripſimus. Maneat igitur radicitùs evulſa, relata Joannis Sanchez opinatio, quæ *ſicut Epicureorum placitis videtur conſona, ita & Chriſtianorum regulis cenſetur adverſa*, ajebant Doctores Lovanienſes. Regula namque chriſtiana prudentiſsimè cum Auguſtino exigit *contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis habere victoriam.* Hanc regulam ex Apoſtolo mutuavit dicente: *Fugite fornicationem.* „Nam
„ cætera vitia (exponit Div. Thomas ibi-
„ dem) vincuntur reſiſtendo, quia quantò
„ magis homo particularia conſiderat &
„ tractat, tanto minus in eis invenit, un-
„ de delectetur, ſed magis anxietur: ſed
„ vitium fornicationis non vincitur reſi-
„ ſtendo, quia quanto magis, ibi homo
„ cogitat particulare, magis incenditur;
„ ſed vincitur fugiendo, id eſt totaliter vi-
„ tando cogitationes immundas, & quaſli-
„ bet occaſiones ut dicitur Zach. 2. *Fugite*
„ *de terra Aquilonis, dicit Dominus.*

Propoſitio 41. ab Alexandro VII. proſcripta.

D. Thom. 1. ad Corinth. 6. lectione 3.

239 Noſtram deinde aſſertionem paucis verbis firmavit Eccleſiaſtes: *Qui amat periculum in illo peribit*; at, qui proximam occaſionem committendi peccatum dimittere non vult, occaſionem peccati amat: Non ergo poteſt eſſe ſine affectu, & conſequenter ſine peccato. Expreſsiùs adhuc tradere videtur noſtram concluſionem Chriſtus Dominus in præclaro illo ſermone montis: Ibi enim poſtquam dixit: *Omnis qui viderit mulierem, ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Statim ſubjunxit: *Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod documentum alia occaſione repetendum duxit Chriſtus, ut illius neceſsitatem diſcipulis inculcaret. Cùm enim prę miſiſſet, *vè homini illi per quem ſcandalum venit*: ſtatim adjecit: *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te; abſcide eum, & projice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manûs, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & projice abs te: bonum tibi eſt cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quod etiam Marci 9. repetit Chriſtus. Quibus Chriſti Domini oraculis admonemur peccandi occaſiones procul à nobis removendas, & à perſonis, quibus cum ſumma nobis neceſsitudo, & conjunctio eſt, vel quarum opera nobis non ſolum utilis eſt, ſed quodam modo neceſſaria, eſſe omnino diſcedendum, ſub pœna damnationis æternæ, ſi nobis occaſionem peccandi præbeant.

Eccleſiaſt. 3. v. 17.

Poſt Chriſtum D. docent SS. PP. fugere occaſiones peccandi.

Matth. 5. à v. 28.

Matth. 18. v. 7.

240 In eodem ſenſu verba Chriſti Domini communi conſenſu explicant Sancti Patres. Imprimis Sanctus Pacianus de illis, qui nos ſcandalizare non deſinunt inquit: *Hi quamlibet chari ſint, relinquendi; quamlibet utiles deſerendi ſunt.* Quid ad hæc reponere habebit Joannes Sanctius, dum concubinam effutit non eſſe rejiciendam ſi ad concubinarii oblectamentum vulgò *Regalo* utilis ſit? Deinde Sanctus Hilarius:
* Carere (inquit) non ſolùm propiis vi-
* tiis, & extrinſecus incidentibus admo-
* nemur. Non enim ex cauſis peccantium
* membrorum, corporis damna præcepta
* ſunt: Dextro enim oculo non minus
* ſiniſter erraret; Certè pes ſenſu concu-

S. Pacianus epiſt 3. ad Sympronianum.

S. Hilarius in cap. 4. Matth.

* piſ-

* piſcentiæ carens damno inutilis eſt , in
* quem pœnæ cauſa non incidet. Sed quia
* diverſa invicem membra , corpus tamen
* omnes unum ſumus , abjicere à nobis
* vèl potiùs eruere propinquitates chariſsi-
* morum nominum admonemur , ſi in
* illis aliquid tale cernamus , ne in con-
* ſortium criminis eorum de familiaritate
* veniamus : Rectiùs utilibus , & maxi-
* mè neceſſariis , tanquàm oculi , & pe-
* dis membris carentes , quam uſque in
* ſocietatem gehennæ , vitioſę propinquita-
* tis teneamus affectu. Profuſiori adhuc ſty-
lo ad rem noſtram verba Chriſti expendit
Chryſoſtomus inter alia inquiens : * Ut
* ſcilicet diſceres , non de membris eſſe
* ſermonem , ſed de his potiùs , qui no-
* bis familiaritate junguntur. Etſi igitur
* tantùm aliquem diligas , ut eo dextri
* oculi utaris vice : Aut ita tibi quempiam
* eſſe utilem putes , ut eum dextræ manus
* ducas loco , & hi tamen animæ tuæ for-
* taſsis incommodent ; etiam iſtos (inquit)
* à te abſcinde. Et diligentiùs vim ipſam
* ſermonis examina. Non enim dixit , à
* talium ſocietate diſcede : Sed maximam
* ſeparationem indicans , erue (inquit) &
* projice abs te. Tandem ut alios omitta-
mus , audiatur Magnus Auguſtinus inquiens:
* Hic verò magna opus eſt fortitudine ad
* membra præcidenda. Quidquid enim eſt
* quòd ſignificat oculus , ſine dubio tale
* eſt quòd vehementer diligitur. Solet enim
* & ab eis qui vehementer volunt expri-
* mere dilectionem ſuam , ita dici , dili-
* go eum ut oculos meos , aut etiam plus
* quàm oculos meos. Quod autem addi-
* tum eſt , dexter , fortaſſe ad augendam
* vim dilectionis valet. Quanquam enim
* ad videndum iſti oculi corporis commu-
* niter intendantur , & ſi ambo intendan-
* tur æqualiter proſint ; ampliùs tamen for-
* midant homines dextrum amittere. Ut
* iſte ſit ſenſus , quidquid illud eſt , quòd
* ita diligis , ut pro dextro oculo habeas ,
* ſi ſcandalizat te , id eſt , ſi tibi impedi-
* mento eſt ad veram beatitudinem , erue
* illud , & projice abs te. Expedit enim
* tibi , ut pereat unum horum , quæ ita
* diligis ut tanquam membra tibi hæ-
* reant , quàm totum corpus tuum eat in
* gehennam.

S. Chryſoſt. hom. 17. in Matth.

S. Auguſt. lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 13.

DIGRESSIO METAphyſico-Theologica circa ſpecies luxuriæ.

241 FINEM fecimus omni argumentorũ genere improbandi evertendi & abominandi luxuriæ monſtruoſas ſpecies. Placuit tamen in gratiam diſcipulorum quos in Theologia Scholaſtica pro noſtro munere erudiendos accepimus , metaphyſicâ differendi arte , in controverſiam vocare qualiter præindicatæ ſpecies ad genus luxuriæ pertineant : an ſcilicet in toto rigore juxta Logicæ regulas : adeò ſcilicet , ut *adulterium* (exempli gratia) ſpecificam deformitatem intra genus luxuriæ induens , intra idem genus ſpecies atoma dicenda ſit , ex ſimplici fornicatione & injuſtitia coaleſcens, illa ſe habente ut genus ; hac vero ut differentia logicè ſtrictè genus luxuriæ contrahente. Utrum vero *adulterium* importare dicendum ſit duas ſpecies atomas inter ſe diſtinctas , ſimplicis fornicationis unam , injuſtitiæ vero aliam , accidentaliter (licèt non omnino) intra genus luxuriæ advenientem. Quæ autem de adulterio ad controverſiam reducimus , de ſtupro, raptu , inceſtu & ſacrilegio proportionaliter reſolvenda eſſe ſatis conſtabit. Neque de ſimplici fornicatione , vitiiſque contra naturam diſcuſsio habenda eſt ; eas ſiquidem ſpecies eſſe atomas luxuriæ genus propriè contrahentes , ad invicemque ſpecificè diſtinctas monſtratum jam eſt. Scio equidem in diſſolvenda propoſita difficultate hinc inde probabiliter incedere graviſsimos Scholæ Theologos ; nobis tamen arriſit ſemper opinio negans, Angelico Doctori (niſi me mea fallat opinio) conformior. Nec indè tamen inficiamur communiter appellandas eſſe (licèt non in rigore Logico) ſpecies luxuriæ , potius quàm injuſtitiæ , ſacrilegii, aut impietatis. Et hoc quidem ex duplici capite. Primò quidem nam ut diſcurrit Cajetanus : * In perpetratione adulterii injuſtitia ſe habet materialiter & luxuria formaliter : quia formale ex parte finis ſe tenet , materiale autem ex parte ejus , quod eſt ad finem. Conſtat autem , quòd finis adulterii communiter eſt delectatio venerea, & quod propter illam non curat injuſtitiæ crimen incurrere. Et ideò adulterium abſolutè ponitur ſpecies luxuriæ , utpote formaliter ad luxuriam ſpectans , & ad luxuriam trahens injuſtitiam , quæ , ut in littera dicitur , non omninò per accidens ſe ha-

Rejectæ ſpecies luxurię ſic communiter appellantur.

Cajetanus ad artic. 1. q. 154. ex 2. 2. D. Thom.

habet ad illam ; quia ex magnitudine luxurię procedit injuſtitia , dùm in tantum quis ardet venereo amore alicui perſonæ, ut non curet de alteriùs jure. Et hoc, quod de adulterio dictum eſt , intellige de ſtupro , & raptu , quoniam idem eſt in eis judicium de injuria , quam importat in actu luxuriæ. * Littera Div. Thomę hæc eſt:
,, Dicendum quòd nihil prohibet , in eo-
,, dem actu diverſorum vitiorum deformi-
,, tates concurrere , ut ſupra dictum eſt 1.
,, 2. q. 18. art. 7. & hoc modo adulterium
,, continetur ſub luxuria & ſub injuſtitia.
,, Nec deformitas injuſtitiæ omnino per acci-
,, dens ſe habet ad luxuriam : oſtenditur
,, enim luxuria gravior , quæ in tantum
,, concupiſcentiam ſequitur , quòd etiam
,, in injuſtitiam ducat. Secundò : quia peccata illa quantumvis juſtitię ſint violativa, quia tamen in materia perpetrantur luxuriæ , hujus potius appellandæ ſunt ſpecies, eo quod luxuriæ magis quam injuſtitiæ deformitas pateſcat.

D. Thom. 2. 2. q. ut ſupra art. 1. ad 2.

242 Negativam igitur reſolutionem rigidiori ſcholæ methodo firmandam aſſumimus , quidquid voluntariè offendantur nedum Etherodoxi Theologiæ Scholaſticæ hoſtes aperti (in hoc errore jam efficaciter rejecti Proleg. 2. artic. 4. & ſequentibus) verùm catholici nonnulli minori qua par eſt obſervantia contra ſacram illam ſcientiam ſyllogiſtico directam ſtylo debacchantes, abuſum hominum non ſatis diſtinguentes à recto uſu facultatis ſacrę , prout loco citato benè ni fallor demonſtratum eſt , & quidem conformiter ad pronuntiatum illud Clementis Alexandrini : *Logica ſola manuducit ad veram ſapientiam , & reddit id, quod eſt optimum , & præſtantiſsimum , ut rectè cognoſcamus hominemque Deumque.* Hæc certè , aliaque momenta meditatus Illuſt. Palanco , nedùm indicat , cum Mag. Soto , quàm neceſſarius ſit in Theologia uſus Philoſophiæ , moderatus tamen ut nos demonſtravimus : ſed inſuper contra hæreticos modernos invehitur , qui *Scholaſticos* non ſine contemptu nominant. * Et ex parte contra nonnullos etiam ex Catholicis , Theologis Hiſpaniæ infenſis , quos metaphyſicos potius quàm Theologos eſſe carpunt , forſan , quia in illis ingenii ſubtilitatem , & indefeſſam , ac intenſam applicationem eidem controverſiæ examinandæ uſque ad ſubtiliſsimos diſſolvendos nodos , imitari , vel non volunt , vel non valent. *

Non ita tamen in ſtricta acceptione.

Clement Alexand. lib. 1. ſtrom.

Oſſores Scholaſticæ Theologiæ ſuggillantur.

Illuſt. Palanco tract. de charit. q. 6. n. 1. 2. & 3.

243 Invehitur certè inſignis hic Theologus non ſolum contra Etherodoxos Scholaſticæ Theologiæ hoſtes , ſed etiam contra Janſenium alioſque Theologos Lovanienſes , qui Janſenium imitati , probra adverſus Scholaſticam Theologiam conſignantes, quos (præter loco citato à nobis dicta) obmuteſcere facit Stancarus , ſectarius licèt : qui aliorum hæreticorum iras in Scholaſticos deteſtatus , dixit ac ſcripſit : *Petrum Lombardum pluris eſſe , quàm centum Lutheros , ducentos Melanthones , trecentos Bulengeros , quadringentos Petros Martyres , quingentos Calvinos. Qui ſi omnes in mortario contunderentur , non poſſet exprimi una uncia verę Theologiæ.* Nec mirum Scholæ Theologos mordere tentent , qui antiquos nedum Summos Pontifices in hoc ipſo improbare videntur & Concilia generalia præſertim Lateranenſe ſub Innocentio III. ubi magnificè conſultum fuit Petro Lombardo Scholaſticorum Magiſtro : & Lugdunenſe aliaque poſteriora , ubi Theologis Scholaſticis ſtrenuè pro fidei doctrina decertantibus inſignis honor delatus fuit. Nam eò Theologiæ Scholaſticæ adverſariorum pervicacia devenit, ut unus eorum nempè Vincentius Lenis lib. 2. cap. 6. ſcripſerit : * Pius V. & Gregorius XIII. ſua decreta obſcuriùs , quia eloquentia Philoſophorum aliquot jam ſæculis in Scholas Theologicas introducta ędunt. * Et eorum alter nempè Abbas S. Cyrani , teſtante P. Dechamps dixiſſe fertur , Tridentinam Synodum fabricatam fuiſſe à Papa , & Scholaſticis Theologis , qui in ea doctrinam Eccleſiæ multum immutaſſent.

P. Dechamps lib. 1. diſp. 1. cap. 1.

244 Mentem ſuam fuſiùs aperuit Palanco inquiens: * Unde non placet genium illorum, qui Theologiam Scholaſticam , & Theologos Hiſpaniæ in illa verſatiſsimos ſpernunt , & notant , tanquam inutiliter , & otiosè tempus , ingenium , & papyrum inſumentes in ſcholaſticis , & ſubtilibus , & accuratiſsimis diſputationibus , in quibus utra pars teneatur , ad fidem non ſpectat , ſed ad puram Metaphyſicam , & ingeniorum exercitationem, ut inquiunt. Non inquam placet, nam plurimum juvat ad fidem propugnandam & roborandan, idipſum quod controverſiæ dogmaticæ tractant , ac definiunt ut certum, vel de fide vel ut fidei proximum , dilucidiùs, & ſubtiliùs examinare quantum poſsibile ſit: Id enim quantum juvare poſsit ad propugnandam fidem , pluribus probari poſſet. Pone enim hæreticum Lutheranum contendere contra Catholicum , hominem juſtum in ſuis operibus non mereri , nec liberè & obſequiosè agere , ſed ex neceſsitate, quia aguntur ab Spiritu Sancto : Catholicum è contra reſpondere , quod aguntur ut liberè agant, & indè excitatur controverſia de motione divinæ gratiæ , & de concordia illius cum libertate voluntatis : ergo Catholicus Theologus inſtructus in diſputationibus ſcholaſticis de hujuſmodi concordia poteri optimè contendere cum hęretico. Pone item hæreticum proteſtantem dicentem hominem juſtificari per extrinſecam imputationem Chriſti , aut per non imputationem peccatorum , abſque dono intrinſeco , Catholicum è contra negantem: contendunt imprimis textibus Sacræ Scripturę ; ſed quia eorum explicationem unuſquiſque detorquet ad ſuam ſententiam, tandem opus eſt deſcendere ad vim rationum : hinc Theologus Catholicus ex efficacia voluntatis Divinæ , ex neceſsitate mutationis intrinſecè ex parte peccatoris , aliiſque ſolidis

potorit

alis fundamentis oſtendit textus Sacræ Scripturæ, in quibus remiſsio peccatorum exponitur, & juſtificatio non poſſe intelligi, niſi per hoc quòd Deus communicet peccatori gratiam intrinſecam, intrinſecè ipſum renovantem: conducit ergo quàm maximè diſputatio illa ſcholaſtica, an divinitus poſsit peccatum remitti per condonationem extrinſecam, ad revincendum hæreticum.

245 Sic ſimiliter in pręſenti negavit Mag. & negant ſimiliter plures hęretici, habitum charitatis, ſivè habitualem charitatem creatam, & intrinſecè inhærentem, qui tamen non negant actum charitatis, quo poſsimus diligere Deum. In hac igitur controverſia agitur prius dogmaticè ex ſacro textu & Conciliorum definitionibus, ut in quæſtione pręcedenti. Sed inde pullulant difficultates, quæ ſanè ſi non decidantur trunca manebit controverſia, an ſcilicèt poſsit Deus facere, quod voluntas amet Deum per charitatem, ut voluit Magiſter, & volunt hæretici, ſine charitate creata per modum principii, nam ſanè ſi id poteſt Deus, videtur ſic explicari poſſe textus Sacræ Scripturę & definitiones Conciliorum. Si autem non poteſt, fit inde textus, & definitiones prædictas non poſſe, ut illi contendunt, explicari. Rursùs hæretici volunt voluntatem merè paſsivè ſe habere, Catholici definiunt, quòd activè ſe habet. Sed hæretici cauſantur, & quærunt, quo pacto voluntas activè ſe habeat, aut concurrere poſsit; ſi actus eſt ſupra ſuas vires ut definitum eſt contra Pelagium? In quo eſt duplex via revincendi hæreticos, una Jeſuitarum, qui totum concurſum activum voluntatis ſalvant per vim innatam voluntatis activam immediatè in actum ſupernum charitatis; at conclamant hæretici, hoc eſſe incidere in Pelagium, qui tales actûs viribus naturæ attribuebat. Alia Thomiſtarum, qui propterea exigunt principium ſupernaturale intrinſecum voluntati, ut ratione illius voluntas activè concurrat, quin actus attribuatur naturæ, ſed potius gratiæ. Sed conclamant Jeſuitæ, & forſan, hæritici etiam, non procedere active à voluntate, quod ſolùm ab illa procedit viribus gratiæ. Sanè in his diſputandis non agitur cauſa otioſa, ne à dogmatibus remota & aliena, ſed fidei proxima, & explicandæ Doctrinæ Chriſtianæ aptiſsima, adeò, ut qui in his fuerit verſatiſsimus, plurimum poſſet, ſi occaſio exigeret, ad revincendos hęreticos, & eorum argutias enervandas. * Huic illuſtriſsimo Auctori, quatenus utilem prædicat Scholaſticam Theologiam libentèr ſubſcribimus: quamvis in ſuis operibus redundare credamus metaphyſicas formalitates, ejus vividum ingenium exprimentes: utinam ſicut in diſputationibus purè ſcholaſticis mirabiliter eluxit, in aliis Theologiæ muneribus, ubi ſupra à nobis indicatis, fęlicem ſuam manum admoviſſet.

246 Ad propoſitum jam accedentes, ut ab univerſalioribus, ſicut ſcholæ mos habet, exordium deſumat noſtra digreſsio, præmittendum duximus indicare, qualiter comparetur bonitas (& ſuo modo malitia) ex fine deſumpta, aut circunſtantiis ad bonitatem illam, quam ex objecto bono actus moralis derivat. Certum namque eſt, humanum actum non ab objecto ſolùm, ſed à fine etiam extrinſeco operantis (finis ſiquidem intrinſecus & operis, ut dicunt, non ponit in numero cum objecto primariam moralitatem derivante) & aliis circunſtantiis bonitatem deſumere, aut malitiam. Sic namque docuit D.Thomas verbis illis: „ Contingit autem unum actum duorum vitiorum eſſe: dum actus unius vitii ad finem „ alterius vitii ordinatur, ut cùm quis furatur, ut fornicetur: actus quidem ſecundùm ſpeciem ſuam eſt avaritię: ſecundùm intentionem verò luxuriæ. Eodem „ autem modo & in virtutibus contingit, „ quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur: ſicut cum quis dat ſua, ut „ cum altero amicitiam habeat charitatis. Similia habet in Sũma Theologica inquiens: „ Ad ſecundum dicendum, quòd nihil prohibet, actum qui eſt propriè unius virtutis elicitivè, attribui alteri virtuti, ſicut „ ordinanti & imperanti ad ſuum finem. Et „ hoc modo dare eleemoſynam ponitur inter opera ſatisfactoria, in quantum miſeratio defectum patientis ordinatur ad ſatisfaciendum pro culpa. Secundum autem, „ quod ordinatur ad placandum Deum, habet rationem ſacrificii: & ſic imperatur à „ latria. Prætcrea determinatè loquens de martyrio hæc habet: „ Ad ſecundum dicendum quòd ad actum martyrii inclinat „ quidem charitas, ſicut primum & principale motivum, per modum virtutis imperantis; fortitudo autem ſicut motivum „ proprium, per modum virtutis elicientis. „ Et indè eſt quòd martyrium eſt actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem „ ut elicientis: inde etiam eſt, quòd utranque virtutem manifeſtat. Quod autem ſit „ meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut „ & quilibet virtutis actus: & ideò ſine charitate non valet.

Ab objecto nedum moralitatem derivat actus, ſed etiam à circunſtantiis.

Div.Thom. 3. *cont.Gent. cap.* 138.

2.2. *q.* 32. *ar.* 1. *ad* 2.

*Quæſt.*124. *ar.* 2. *ad* 2.

247 Inquiritur ergo in præſenti, qualiter bonitas deſumpta à fine, & circunſtantiis (& ſimiliter malitia) comparetur ad bonitatem deſumptam ab objecto: num ſcilicet eſſentialis, an accidentalis dicenda ſit; in ſenſu ſupra explicato circa ſpecies luxuriæ? Et imprimis tanquam probabilius ſuponimus: actum moralem duplici moralitatis ſpecie, bonitate ſcilicet, vel malitia gaudentem ab objecto, & fine, aut circunſtantiis, non habere utranque eſſentialiter. Et meritò ut apparet per hanc fundamentalem rationem: quia ut aliquis actus habeat duplicem ſpeciem moralitatis ipſi eſſentialem, duplex habeat neceſſe eſt objectum formale *quo*, ſive duplex motivum formale; ſed implicat actum eundem duplex reſpicere objectum formale *quo*, ſeu duplex motivum formaliter diverſum: neutiquam ergo inducere valebit duplicem moralitatem ſibi eſſentialem.

Non ex æquo bonitatem ab objecto & circunſtãtiis deſumit actus moralis.

Cùm enim ab objecto formali ſpecificentur actus, ſicut motus à termino, ſi datur duplex objectum formale, duplicem dari actum conſequens ſit; ut indè ſubſiſtat eundem actum duplicis moralitatis eſſentialis capacem non eſſe. Sed quid prohibet ampliùs explicare datam rationem? Ut enim aliquis actus moralis gaudeat duplici bonitate (idem intellige de malitia) ſibi eſſentiali, miſericordiæ v. g. & obedientiæ debet per ſe primo, & eſſentialiter attingere honeſtatem objectivam miſericordiæ & obedientiæ prout inter ſe differunt, ſed prout ſic ſunt motiva formaliter diverſa: ergo ut actus gaudeat duplici bonitate eſſentiali debet attingere duo motiva prout ſunt formaliter diverſa; ſed implicat eundem actum attingere duo motiva prout ſunt formaliter diverſa: ergo & quòd gaudeat duplici bonitate eſſentiali. Minor eſt certa: quia ſi honeſtas miſericordiæ & obedientiæ ſumantur prout conveniunt in aliqua ratione communi honeſtatis, ſub hac ratione non dicuntur inter ſe differre, ſolum enim differunt ſecundùm ſuas differentias ſpecificas, & prout ſic ſunt motiva formaliter diverſa. Major autem probatur: quia honeſtas objectiva miſericordiæ, tribuit actui bonitatem miſericordię, non quia honeſtas eſt, ſed quia talis honeſtas eſt, & in tali ſpecie conſtituta. Et ſimiliter honeſtas obedientiæ: ergo ut actus gaudeat duplici bonitate ſibi eſſentiali, verbi gratia bonitate, & miſericordiæ, & obedientiæ debet per ſe primò, & eſſentialiter attingere honeſtatem objectivam miſericordiæ & obedientiæ, prout inter ſe differunt.

Duplici eſſentiali moralitate actus idem gaudere non poteſt.

248 Urgetur amplius detegendo æquivocationem, qua laborare videntur Auctores oppoſiti: non enim negamus poſſe eundem actum voluntatis reſpicere plures honeſtates objectivas, vel attingere plura objecta, & motiva inadæquata; dicimus tamen non attingere illa prout inter ſe diſtinguntur per ſuas differentias ſpecificas, ſed prout conveniunt in aliqua ratione communi, vel prout ſunt inter ſe ſubordinata, vel prout integrant unicum motivum formale quod in ratione objecti talis actûs unum eſt: undè communiter noſtri Theologi cum D. Thoma docent, quòd intellectus etiam Angelicus non poteſt attingere plura, ut plura: „ Sicut ad unitatem motûs (inquit „ Divus Thomas) requiritur unitas termini, „ ita ad unitatem operationis requiritur „ unitas objecti. Contingit autem aliqua accipi, ut plura, & ut unum: ſicut partes „ alicujus continui. Si enim unaquæque per „ ſe accipiatur, plures ſunt. Unde & non „ unâ operatione, nec ſimul accipiuntur per „ ſenſum & intellectum. Alio modo accipiuntur ſecundùm quòd ſunt unum in toto. Et ſic ſimul unâ operatione cognoſcuntur, tàm per ſenſum, quàm per intellectum, dum totum continuum conſideratur, ut dicitur in 3. de Anima, & ſic etiam „ intellectus noſter ſimul intelligit ſubjectum, „ & prædicatum, prout ſunt partes unius „ propoſitionis; & duo comparata, ſecundùm quod conveniunt in una comparatione. Ex quo patet, quòd multa ſecundùm quod ſunt diſtincta, non poſſunt ſimul intelligi, ſed ſecundùm quod uniuntur in uno intelligibili, ſic ſimul intelliguntur. Hujus doctrinæ apparet exemplum in ſenſu communi attingente *colorem*, & *ſonum*, non prout inter ſe differunt, qualiter attinguntur à viſu & auditu, ſed prout conveniunt in ratione qualitatis ſenſibilis. Similiter in probabiliori noſtratum ſententia: objectum formale charitatis eſt ſumma Dei bonitas, coaleſcens ex bonitate eſſentiæ, & attributorum. Per oppoſitum verò adverſarii ponunt eundem actum poſſe moveri inadæquatè à pluribus honeſtatibus objectivis formaliter ut plures ſunt: Hoc autem videtur implicatorium, quia plures honeſtates prout inter ſe differunt non poſſunt non eſſe motiva adæquata, & formaliter diverſa.

Æquivocatio quædam tollitur.

D Thom. 1. *p. q.* 58. *ar.* 2. *in corp.*

249 Probatur deinde ſuppoſitio: quia ſi duo motiva formaliter diverſa ut talia poſſent ſpecificare eundem actum, poſſet idem actus eſſe charitatis & ſpei, quod eſt abſurdum. Probatur, quia poſſet ab intellectu proponi voluntati ex parte Dei duplex amabilitas, ſcilicet charitatis, quatenùs in ſe bonus eſt, & ſpei quatenùs eſt nobis conveniens: ergo per eundem actum poſſet utraque attingi, ſicque erit charitatis & ſpei. Tandem, quia quilibet actus honeſtus per repetitionem poteſt generare habitum virtutis moralis; ſed actus cujus motivum proximum eſt duplex honeſtas objectiva diverſæ virtutis, non poteſt generare habitum: ergo non poteſt reſpicere duplicem honeſtatem objectivam. Probatur minor, quia deberet generare habitum qui eſſentialiter ad miſericordiam (exempli gratia) & obedientiam ſpectaret: generant ſiquidem actus virtuoſi habitus ſibi ſimiles: cum inauditus ſit talis habitus, non eſt invenire actus virtuoſos illum generare valentes. Reſtat tamen adnotare, bonitatem aut malitiam in actu imperato ab objecto deſumptam, eſſe illi eſſentialem, ſeu primariam. Ut enim arguit D.Thomas: „ Bonum & malum actionis, ſicut, & cæterarum rerum, attenditur ex plenitudine eſſendi, vel defectu ipſius. Primum autem, quod ad plenitudinem eſſendi pertinere videtur, eſt id quod dat rei „ ſpeciem. Sicut autem res naturalis habet „ ſpeciem ex ſua forma, ita actio habet „ ſpeciem ex objecto, ſicut & motus ex termino. Et ideò ſicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex ſua forma, quæ dat „ ſpeciem ei: ita & prima bonitas actus „ moralis attenditur ex objecto convenienti: unde & à quibuſdam vocatur bonum „ ex genere, puta uti re ſua. Et ſicut in rebus naturalibus primum malum eſt, ſi res „ generata non conſequitur formam ſpecificam, puta ſi non generetur homo, ſed „ aliquid loco hominis: ita primum malum

D. Thomas 1. 2. *q.* 18. *art.* 2. *in corp.*

in actionibus moralibus eſt, quod eſt ex objecto, ſicut accipere aliena: & dicitur malum ex genere, genere pro ſpecie accepto, eo modo loquendi quo dicimus humanum genus totam humanam ſpeciem. His prælibatis, ad propoſitum noſtrum accedimus.

Moralitas ex circunſtantiis, non ſtrictè cõtrahit ut differentia moralitatem ex objecto depromptam.

250 Aſſerendum eſt: moralitatem à circunſtantiis provenientem, accidentaliter ſuperaddi moralitati ex objecto derivatæ: neque unam ſtrictè in ſpecie atoma integrari moralitatem. Sic videtur traditum à Divo Thoma verbis relatis ex articulo primo. Similia repetit artic. 9. dicens: ,, Quod nihil prohibet unum peccatum ex adjunctione alterius deformius fieri. Fit autem deformius peccatum luxuriæ ex peccato injuſtitiæ, quia videtur concupiſcentia eſſe inordinatior, quæ à delectabili non abſtinet, ut injuriam vitet. Ex quibus arguitur primò: in actu adulterii dantur deformitates luxuriæ & injuſtitiæ: non ergo datur duplex ſpecies malitiæ una ab altera ſpecificè, imò & genericè diſtincta: falſum igitur erit, quod ſit unica tantum ſpecies malitiæ ex utraque coaleſcens. Secundò: Deformitas injuſtitiæ per accidens licèt non omninò ſe habet ad luxuriam, ut docet D. Thomas: ſed ſi contraheret luxuriam ad aliam tertiam ſpeciem, nullo modo per accidens ſe haberet ad illam, cum ſpecies contrahens genus ratione differentiæ per ſe habeat ad illud: ergo in adulterio injuſtitia non contrahit per ſe, ſed lato modo genus luxuriæ. Oſtenditur præterea veritas aſſerta ratione: ſpecies moralis peccatorum deſumitur in ordine ad objecta ſecundum quod eorum malitia importat ſpecialem repugnantiam ad rationem, ut Divus Thomas ſæpè nos docet, at in adulterio v.g. datur duplex objectum, quorum malitia importat ſpecialem repugnantiam ad rationem: non ergo unica, ſed duplex datur ſpecies peccati. Minor aſſumpta probatur: quia in adulterio datur imprimis malitia luxuriæ ex parte objecti, deinde ex parte circunſtantiæ *quis*, malitia injuſtitiæ; cùm ergo utraque malitia dicat ſpecialem repugnantiam ad rationem, ut conſtat ex terminis, in adulterio non dari duplex ſpecialis repugnantia ad rationem non poteſt. Ulterius, quia in adulterio quædam malitia ſumitur ex parte objecti luxuriæ, quæ non contrahitur eſſentialiter per malitiam injuſtitiæ, quæ deſumpta eſt à circũſtantia. Nam contractio eſſentialis juxta Ariſtotelem 7. Metaph. text. 43. debet fieri per differentias intraneas & ex ſe determinativas generis; ſpecies autem injuſtitiæ non eſt differentia intranea generi luxuriæ, cùm ad diverſum genus peccati pertineat: ergo nequit illud eſſentialiter contrahere, adeò ut ex utroque alia tertia ſpecies atoma luxuriæ coaleſcat.

D.Thom. 2. 2. q. 154. ar. 6. ad 3.

251 Accedit etiam aliud argumentum, eò quia circunſtantia quælibet ſuperveniens invenit jam moralitatis ſpeciem ab objecto deſumptam, ultimòque determinatam: quapropter determinare illam nequibit, tanquam ſtricta differentia. Objectum etenim eſt ultimò determinatum in genere moris, antequam in illo concipiatur circunſtantia, aliàs hæc non eſſet circunſtantia, ſed objectum tribuens primam moralitatem actui, ut ſupra oſtendimus: ergo circunſtantia quælibet illa ſit, invenit ſpeciem deſumptam ex objecto ultimò determinatam. Explicatur hoc ipſum: nam furtum perpetratum in loco ſacro intelligitur ultimo determinatum in ſpecie furti, antequam intelligatur ſanctitas loci: ergo malitia proveniens ex circunſtantia loci ſacri in furto, non conſtituit eandem ſpeciem cum malitia proveniente ab objecto. Et certè inter alias circunſtantias eminere finem operantis, nullus dubito: ſed circunſtantia finis non contrahit ſpeciem deſumptam ab objecto, ut docet Div. Thomas articulo 7. & tenent aliqui ex Theologis oppoſitis, non ob aliam rationem, niſi quia ſupponit ſpeciem provenientem ab objecto ultimò determinatam: ergo idem propter eandem rationem dici debet de omni alia circunſtantia. Tandem quia in adulterio v. g. non videtur potior ratio cur ſpecies, quæ deſumitur à circunſtantia rationem induat differentiæ, cum moralitas ex objecto derivata obtinet rationem generis. Sicut enim injuſtitia conjugatæ determinare videtur rationem luxuriæ: ita ſpecies ab objecto quod eſt materia luxuriæ determinat injuſtitiam à circunſtantia provenientem: quia hæc luxuria injuſta redditur à circunſtantia, quemadmodum hæc injuſtitia luxurioſa fit ex objecto.

252 Tandem argui poteſt ex abſurdo (ut dicunt) aut inconvenienti: Nam ſi ſpecies deſumpta à circunſtantiâ, contraheret tanquam differentia eſſentialis ſpeciem, quæ deſumitur ex objecto, adeò ut ex duabus reſultaret tertia ſpecies, utranque eminenter continens, ſufficeret explicare in confeſſione ſolam illam tertiam ſpeciem; ſed hoc eſt falſum: ergo & quod ex utraque componatur alia tertia ſpecies atoma. Major probatur imprimis: quia in confeſſione ſatis eſt, quòd explicetur ſpecies atoma peccati; & non requiritur explicari genus v. g. benè confitetur aliquis dicendo, commiſi furtum, quod eſt ſpecies atoma peccati, & non tenetur dicere commiſi injuſtitiam, quæ eſt genus, & poſtea addere furando, quæ eſt differentia contrahens genus injuſtitiæ ad determinatam ſpeciem: ergo ſi ſpecies deſumpta à circunſtantia contraheret tanquam differentia eſſentialis ſpeciem ab objecto modò jam relato, ſufficeret in confeſſione explicare ſolam illam tertiam ſpeciem. Deindè probatur minor: Nam in adulterio v. g, illa tertia ſpecies reſultans eſſet injuſtitia ad alterum: ergo ſufficeret dicere in confeſſione commiſi injuſtitiam contra alterum, quin opus eſſet explicare genus talis injuſtitiæ, quod eſt luxuria; ſed hoc abſurdum eſt: ergo non videtur ſuſtinenda opinio oppoſita.

OBJECTA DISSOLUTA.

253 Eundem actum duplici eſſentiali moralitate, malitiâ nimirum vel bonitate gaudere poſſe, contra illud, quod præſuppoſitum reliquimus, ita oſtendi videtur: Nihil enim vetat, ut voluntas eodem actu in objectum tendat propter diverſas honeſtates ab intellectu propoſitas, hac autem data hypotheſi, duplicem certè bonitatem ex æquo ſeu eſſentialiter induceret actus ille. At poſſe ita evenire, probatur: quandoquidem voluntas unico poteſt actu, idemque amare objectum propter omnia illa motiva, quæ reddunt illud maximè amabile, ſed ex vi duplicis honeſtatis objectum illud redditur maximè amabile, erit enim majus & excelentius bonum: ergo voluntas poterit unico actu in illud objectum tendere propter diverſas honeſtates ab intellectu propoſitas. Deindè: quia quælibet honeſtas illius ſeorſim ſumpta, poteſt per ſe primò movere voluntatem ad ejus amorem: ergo etiam ſimul cum altera, etenim ex tali conjunctione nulla ex illis amittit appetibilitatem, quam ex ſe habet. Præterea: quia Humanitas Chriſti adorari poteſt unico actu, & ratione conjunctionis cum Perſona Verbi, & ſimul ratione ſanctitatis creatæ; qui actus eſſet in duplici ſpecie virtutis, ſcilicet Latriæ & Hyperduliæ: ergo poterit voluntas unico actu amare idem objectum propter diverſas honeſtates.

254 Hoc tamen argumentum æquivocatione involutum apparet: fatemur enim actum eundem tendere poſſe in objectum propter diverſas honeſtates, non tamen prout diverſæ ſunt, ſed quatenus in aliqua honeſtatis communi ratione conveniunt, ſeu quaſi adunantur ad unicum formale motivum conſtituendum, qua ratione honeſtates illæ non attinguntur prout adinvicem diverſę; aliàs duos ſpecificarent diſtinctos actus. Exemplo rem elucidemus pro tyronum captu: Si quis Romam ierit ob plures fines inadęquatè moventes; videlicet conſequutionem beneficii & plenariam indulgentiam, quatenus ex illis reſultat major convenientia, tunc unico actu intenderet illos fines: cæterum ſi quilibet illorum apprehenderet ut convenientem ratione ſui & independenter ab altero, tunc caſus uterque finis intenderetur, ſed per duplicem actum diſtinctum. Inde conceſſa propoſitione antecedenti, negatur conſequentia: quia licèt quælibet ex illis honeſtatibus ex conjunctione cum altera non deperdat propiam appetibilitatem, ſed tamen quando ſeorſim attingitur, habet rationem motivi adæquati: quia amatur ratione propiæ differentiæ, & prout diſtincta ab alia. Cæterùm quando utraque ſimul amatur, ſolum ſpecificant actum, quatenus conveniunt in aliqua ratione communi, qua ratione ſunt unum formaliter in ratione objecti ſpecificativi. Ad ultimum ſimiliter reſpondetur, quòd Humanitas Chriſti poteſt adorari unico actu adorationis ratione duplicis excellentiæ cum ſubordinatione tamen ad unicum motivum formale ex eis reſultans. Cæterùm ſi illa duplex excellentia ſumatur, prout dicit propriam differentiam, & prout inter ſe diſtinguntur, qualiter ſpecificant actus Latriæ & Hyperduliæ, ſic Humanitas Chriſti non poteſt adorari unico actu.

Qualiter diverſæ honeſtates unicũ formaliter motivum conſtituant.

255 Si autem inquirat aliquis, qua in ſpecie moralis bonitatis reponendus ſit actus in objectum tendens propter duplicem honeſtatem miſericordiæ, exempli gratiâ, & religionis, quatenus ex eis reſultat ratio boni excellentis? Reſponderi utique poteſt cum Magiſtro Aliaga, Scholæ optimè merenti Theologo, memoratum actum utriuſque virtutis bonitatem eminenter complectere. Et conformiter ad hanc doctrinam reſpondetur deinde actum illum in ſpecie miſericordiæ & religionis non eſſe formaliter collocandum: eò quia non attingit motivum formale illarum virtutum prout inter ſe differunt. Erit igitur talis actus in ſpecie bonitatis moralis ſuperioris, licèt innominatæ; ſicut & ipſum objectum apprehenſum ut bonum optimum bonitate totali diſtincta à qualibet honeſtate illud componente, ut per hoc ſalvetur proportio inter actum, & illius motivum, quod ſi motivum amandi illam duplicem honeſtatem ſit ratio boni honeſti, ut ſic talis actus erit in eadem ſpecie bonitatis, ac eſt actus quo quis vult expreſsè honeſtè vivere. Actus ſiquidem hujuſmodi ſi efficax ſit, & in ordine ſupernaturali ab habitu charitatis elici, cum Magiſtro Joanne à Sancto Thoma in Schola ſtatuimus: ſi verò inefficax fuerit ab eodem habitu charitatis in homine juſto; ab auxilio autem fluido procedit. Affectus tamen ille quo honeſtè vivere in ordine ſupernaturali appetit homo ex ipſa voluntatis ad bonum honeſtum innata inclinatione procedit.

256 Deinde adversùs propoſitam primam aſſertionem objici poteſt pronuntiatum illud Div. Thomæ: Quòd ille qui furatur ut commitat adulterium, eſt per ſe loquendo magis adulter quàm fur: quod etiam docuit Philoſophus lib. 5. Ethicorum cap. 2. Affirmat præterea Sanctus Doctor, *quòd actùs humani ſpecies formaliter conſideratur ſecundum finem, materialiter autem ſecundum objectum exterioris actûs*. Et tandem habet: ,, Dicendum quòd actus habet bonitatem ex objecto & ex fine, & bonitas, quæ eſt ex objecto, eſt materialis reſpectu illius, quæ eſt ex fine, quam voluntas attendit, & penès iſtam potiùs conſiſtit meritum. Ex quibus apparet ſpeciem moralitatis provenientem à fine eſſe eſſentialem actui & magis formalem ea, quæ ſumitur ex objecto: bonitas ergo, quæ deſumitur à fine, non eſt ſecundaria & accidentalis. Huic objecto ſatis probabiliter reſpondent Patres Salmanticenſes Philoſophum & Divum Thomam intelligendos

D. Thom. 1. 2. q. 18. art. 6. in corp.

In 3. diſt. 30. q. 1. art. 3. ad 6.

eſſe de actibus humanis imperatis reduplicativè, ut imperatis, qualiter ſpecies à fine deſumpta eſt illis eſſentialis, ut docent citati Patres. Non autem de actibus humanis imperatis, abſolutè ſumptis: Nam prout ſic à fide deſumpta eſt accidentalis. Deinde reſpondeo, quòd cum Divus Thomas & Philoſophus docent ſpeciem deſumptam ex fine eſſe formalem, & eam quæ ſumitur ab objecto, materialem; non ita ſunt excipiendi, quòd ſpecies à fine deſumpta ſit eſſentialis. Sed dicitur formalis: quia comparatur per modum formę ad ſpeciem deſumptam ab objecto, quæ, quia determinatur per illam, dicitur ſe habere modum materiæ: ſicut cum dicimus albedinem eſſe formam hominis albi, & humanitatem ſubjectum vel materiam, ſolum ſignificamus humanitatem ſe habere per modum ſubjecti determinabilis per albedinem, tanquam per formam omninò accidentalem homini, qui per humanitatem conſtituitur eſſentialiter.

Moralitas ab objecto derivata cur materialis dicatur.

257 Adverſus præcipuum aſſertum inde pręſertim argui poteſt, quòd Doctor Angelicus ſeptem illas recenſitas, valideque rejectas luxuriæ ſpecies aſsignat: cum igitur illarum nonnullæ ſpecies dicantur luxurię, ejus genus propriè contrahentes, fornicatio nimirum, & vitia contra naturam: cur ergo de aliis ſpeciebus ſimilia non affirmamus? Reſpondetur tamen aſsignare Doctorem Angelicum ſeptem illas luxuriæ ſpecies, non quia in rigore metaphyſico & logicali dicendę ſint ſpecies, ſed lato quodam modo, & vulgari ratione, quatenus minus communia dicuntur ſpecies, etſi ſolummodo accidentaliter contrahant rationem aliquam communem. Undè merito Cajetanus inquit: Lato ſiquidem vocabulo, ſpecierum luxurię ſortita ſunt nomina. Ratio autem quare *adulterium*, *inceſtus*, *ſtuprum*, & *ſacrilegium* ſtrictè & metaphyſicè loquendo non ſunt ſtrictè ſpecies, benè verò ſimplex fornicatio & vitia contra naturam; aſsignatur ex eò; quia differentiæ quas addunt quatuor primę ſpecies, non ſunt intra genus luxuriæ; ſed intra aliud genus, ſcilicet injuſtitiæ in adulterio & raptu; impietatis in inceſtu: & irreligioſitatis in ſacrilegio: unde non contrahuntur per differentias ſpecificas ſtrictè tales. Per oppoſitum autem fornicatio ſimplex, & vitia contra naturam intra genus luxuriæ ſuperaddunt differentias ſpecificas, quæ eſſentialiter contrahunt illud genus ad determinatas ſpecies, ut docent & explicant Theologi, qui moralia tractant.

2.2.q.154.art. 1.

Aliter fornicatio & vitia contra naturā genus luxuriæ contrahunt, ac cętterę ſpecies.

258 Difficiliùs autem ex eodem Angelico Doctore objici poteſt, quòd dùm latè explicat, quando ſpecies proveniens à circunſtantiis diſtinguatur ab ea, quæ provenit ab objecto, & quando identificetur cum illa, ſicut differentia cum genere, hęc habet: „ Ad ſecundum dicendum, quòd „ ſicut actus in communi recipit ſpeciem „ ab objecto, ita actus moralis recipit ſpeciem in objecto morali. Non tamen propter hoc excluditur, quin recipiat ſpeciem per circunſtantias. Quia ex circunſtantia poteſt conſiderari in objecto aliqua nova conditio, per quam dat ſpeciem actui: puta ſi dicam, accipere rem alienam in loco ſacro exiſtentem: hic conſideratur conditio objecti ex circunſtantia loci, & ſic fit ſpecies furti, quæ eſt ſacrilegium ex circunſtantia loci, & non ex conditione objecti. Et ſimiliter neceſsè eſt accidere quandocunque ſpecies peccati, quæ per circunſtantiam conſtituitur, comparatur ad peccatum præintellectum, ut ſpecies ad genus, ſicut ſacrilegium ad furtum, vel adulterium „ ad fornicationem. Deinde ſolutione ad duodecimum: „ Dicendum, quòd ſi circunſtantia conſtituat ſpeciem, quæ ſe habeat ad peccatum pręintellectum, ut ſpecies ejus, ſicut adulterium ad fornicationem, non ſunt duo peccata, ſed unum, ſicut Sortes non eſt duę ſubſtantię, propter hoc, quod homo eſt & animal. Sed ſi conſtituat ſpeciem diſparatam peccati, erit quidem unum peccatum propter unam ſubſtantiam actûs, ſed multiplex propter multas & diverſas deformitates peccati, ſicut pomum eſt unum quale propter unitatem ſubjecti, ſed multiplex quale propter diverſitatem coloris & ſaporis. Hęc teſtimonia adeò difficilia ſunt, ut Magiſter Curiel & Monteſinos dicant Divum Thomam mutaſſe Sententiam locis pro nobis adductis. Et quidem, ſi Divus Thomas oppoſitum in hac quæſtione de malo docuiſſet ejus, quod tradidit 2.2. potiùs ſtandum eſſet noſtrę Sententiæ, quia traditæ à Divo Thoma in Summa Theologiæ; & quia ibi ex profeſſo hanc difficultatem explicat.

Q.2. de malo art.6. ad 2.

Solut. ad 12.

259 Sed ut verum fatear producta teſtimonia non adeò expreſſa ſunt in favorem ſententiæ contrariæ, ut non poſsint facilè exponi conformiter ad mentem ipſius Sancti Doctoris. Dum enim affirmat: circunſtantiam quandoque contrahere ſpeciem deſumptam ab objecto tanquam differentia genus, accipit genus, & differentiam non in rigore Logico & Metaphyſico; ſed quatenus prædicatum commune quolibet modo determinabile dicitur genus; prædicatum autem determinans conſuevit appellari differentiam. Quinimò prædicata generis & differentiæ acceptio invaluit ſatis in Theologia Morali. Imò apud Divum Thomam docentem, quòd quando quis mœchatur, ut furetur, tunc mœchia continetur ſub furto, tanquam ſpecies ſub genere, non quidem ſtrictè Logico, aut Metaphyſico, ſed Morali. Jam verò prædictam expoſitionem menti conformem eſſe Doctoris Angelici, inde apparet: Quòd in locis contra concluſionem objectis ſolum intendebat ſtatuere differentiam inter circunſtantiam finis, extrinſeci, & circunſtantias intrinſecas determinativas objecti; in eo quod

Mens D Thomę elucidatur.

2.2.q.11. art. 1. ad 2.

iſtæ

iſtæ pertinent ad eandem ſpeciem; non autem circunſtantia finis. Hoc autem ſufficienter ſubſiſtit quamvis non eadem indiviſibilis ſpecies ex objecto coaleſcat, & circunſtantiis objectivis; ex eo præcisè, quòd ſpecies proveniens à circunſtantiis objectivis magis intrinſecè comparetur ad ſpeciem provenientem ex objecto, quàm ſpecies, quæ provenit ex fine, quæ ſaltem regulariter accidentaliter & diſparatè advenit. Exemplum appareat in eo qui adulterium committit ex fine occidendi: in hoc enim caſu finis iſte intrinſecus omninò per accidens ſe habet ad luxuriam: cæterum circunſtantia objectiva, fœminæ nimirum conjugatæ, non omninò per accidens ſe habet ad luxuriam. Et hujus ratio eſt, quòd finis ille non reddit luxuriam in ſuo genere graviorem: benè verò circunſtantia illa objectiva: quia ut loquitur Divus Thomas: „ Oſtenditur luxuria gravior, quæ „ in tantum concupiſcentiam ſequitur, quod „ etiam in injuſtitiam ducat.

2.2.q.154.art. 1. ad 2.

260 Tandem opponi poteſt difficile argumentum ab efficaci ratione depromptum quia ſi in adulterio, exempli gratia, diſtinguere eſſet duas peccati diſtinctas ſpecies, una quidem eſſet *injuſtitiæ* ex circunſtantia perſonæ conjugatæ deſcendens: alia vero *ſimplicis fornicationis*. Aſſumpta propoſitio inde probatur, quòd ſimplex fornicatio eſt acceſſus naturalis ſoluti ad ſolutam; ſed in adulterio non eſt acceſſus ſoluti ad ſolutam, ſed ad ligatam vinculo matrimonii; non eſt igitur undè maneat ſpecies ſimplicis fornicationis. Et certè genus gulæ propriè & metaphyſicè contrahitur per circunſtantias comedendi pręproperè, lautè, nimis ardenter & ſtudiosè, ut docet Divus Thomas: ergo idem dicendum eſt de circunſtantiis injuſtitię, impietatis, irreligioſitatis, & hujuſmodi. Propoſitum objectum plenè diſſolvitur, ſi diſtinguimus propoſitionem illam: fornicatio eſt acceſſus naturalis ſoluti ad ſolutam, hoc eſt, quæ ante acceſſum, & poſt illum maneant ſoluti ab obligatione mutua perpetuò cohabitandi ad procurandam prolis educationem, concedo majorem; ſoluti ad ſolutam, id eſt, nulla vinculo matrimonii conſanguinitatis, & hujuſmodi ligatas, nego majorem & ſic diſtincta minori, nego conſequentiam. Itaque eſſentia ſimplicis fornicationis prout diſtinguitur ab aliis ſpeciebus luxuriæ, ſalvatur in eo, quòd fornicantes ex vi dicti acceſsùs maneant ſoluti ab obligatione mutua perpetuò cohabitandi: quia prout ſic pervertitur finis à natura principaliter intentus, ſcilicet debita prolis educatio. Hęc autem deformitas adhuc remanet in adulterio, raptu, inceſtu & ſacrilegio; licèt iſta peccata pręter deformitatem ſimplicis fornicationis, importent deformitatem injuſtitię, irreligioſitatis & impietatis. Hęc doctrina tradi videtur à Div. Thoma illis verbis: „ Dicendum, quòd adulterium, ſicut ipſum nomen ſonat, eſt „ acceſſus ad alienum torum. In quo quidem dupliciter contra caſtitatem, & humanæ generationis bonum aliquis delinquit. Primò quidem inquantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandę. (Videas eſſentiam fornicationis ſimplicis, ſeu acceſſus ſoluti ad ſolutam reſpectu fornicantis.) „ Alio „ modo, quia accedit ad mulierem alteri „ per matrimonium copulatam, & ſic impedit bonum prolis alienæ. (Ecce injuſtitia) inde in ſacrilegio, parricidio, injuſta retentione decimarum, & aliis hujuſmodi facilè eſt invenire duas malitias ſpecie diſtinctas, ſiquidem ſacrilegium importat ſpeciem injuſtitiæ & ſpeciem ſacrilegii. Similiter occiſio parentis habet ſpeciem homicidii & impietatis. Tandem injuſta retentio decimarum quantum eſt injuſta retentio, eſt peccatum injuſtitię; quatenus eſt retentio, rerumque Eccleſiæ, & ejus miniſtri ſunt deſtinatæ, eſt peccatum irreligioſitatis, aut ſacrilegii. Videantur Salmanticenſes morales in propriis reſpectivè locis. Ad ſubjunctum argumentum, ita reſpondetur; conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia illa non ſunt propriè circunſtantię, ſed differentię eſſentiales, quę logicè contrahunt objectum gulę, intra proprium genus, ita ut conſtituat diverſas ſpecies atomas ob diverſa motiva formalia intra genus gulę, ut oſtendunt ex Div. Thoma producti Patres.

Qualiter malitia fornicationis in aliis ſpeciebus maneat

— nullo

D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 8. in corp.

Non eſt diſcurrendum de ſpeciebus gulæ, ſicut luxuriæ.

DIS-

DISSERTATIO III.

NECESSITATEM BONORUM OPERUM CONTRA SIMONEM Magum, infandoſque deinde ſequaces firmans.

1 PROFLIGATIS Gnoſticis, Simon Magus hæreticorũ poſt Chriſtum D. terris datum, facilè princeps, & diabolicæ malitiæ æmulator, inter omnes maximus; hac diſſertatione debellandus venit. Simon, inquàm ille, quem in peſtilentiæ erroris cathedra, tenebrarum princeps ſedere fecit, ut malignantium hæreticorum Pſeudoeccleſiæ, veluti monſtruoſum caput, viſibiliter præſideret, inviſibileſque proinde diaboli (cujus erat Satelles) venenatos influxûs derivaret ad eos, qui ex patre diabolo futuræ eſſent infauſtæ proles. Nec mirùm rex ille ſuperborum (cui ſolemne fuit ſemper Deo adverſari) in tantæ perfidiæ devenerit barathrum. Videns Eccleſiæ Sanctæ ſuæ, tanquam viſibile caput, præfeciſſe Chriſtum D. Simonem Petrum in ſuprema veritatis Cathedra ſedentem; ut indè in omnes gentes lux effulgat Evangelii, ipſo Apoſtolorum Principe ita teſtante: *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.* Verum plures quamvis ſpurcitiæ & errorum monſtruoſos ediderit teterrimos fructûs hæreticorum Primipilus ille; eorum (pro aſſumpto nobis propoſito) aggredimur ſolum impræſentiarum diſsipare perniciosiſsimum errorem de bonorum operum excluſa neceſsitate in lege Evangelica, ut nihil de illius obſcęnis impudicitiis afferamus, ne acta ſemel, agere iteratò cogamur.

Malignãtium pſeudo-eccleſiæ SimonMagus monſtruoſum caput.

Actor. 15. v. 7.

2 In prædicto errore, ſicut in aliis (poſt ſtolidiſsimum Eunomium ſæculi 4. hæreticum) ſequaces, vel potius extumulatores habuit Simon Magus, Lutheranos & Calviniſtas, qui ad inſtar intumeſcentium Phariſęorum, veluti ſepulchra dealbata, antiquum errorem candido pietatis velo moliuntur cooperire. Negavit Magus ille bonorum operum neceſsitatem, ob negatam hominum reſurrectionem: Lutherani autem, & Calviniſtæ eam inficias ire conati ſunt neceſsitatem, ſub ſpecie ficta magnificandi merita Chriſti Domini; quaſi ipſis injuria irrogetur per illam ad bona opera neceſsitatem in lege Evangelii ad differentiam Antiquæ legis. Sub *ficta* inquam *ſpecie*: quia non Chriſtum Dominũ extollere reipſa ſatagunt: ſed effręnem prætendunt ad vitia carnalia libertatem, pio labore in Chriſti D. ſequella excuſſo. Et quidèm: ſi magnificare Chriſtum in animo haberent: qualiter pronuntiaſſet blaſphemus Calvinus: *Chriſtum D. peccatorem, divinęque maledictionis reum: deſperaſſe in Cruce*: & alia id generis, vel imaginari horribilia. Si qui verò deinde Lutheri & Calvini ſequaces neceſsitatem bonorum operum (clamante Sacra Scriptura) admittere oſtentant; neceſſaria ſolum affirmant, tanquam ſigna quædam fidei: & veluti conditiones ſine quibus fructuoſa & viva non erit fides: adeò ut nullo modo effectivè concurrant ad ſalutem. Hinc bonis juſtorum operibus rationem meriti de condigno ad vitam æternam conſequentia erroris abjiciunt: fidem contortè explicatam fallacibus encomiis extollunt: quaſi illa ſola ad juſtificationem & ſalutem æternam conſequendam ſufficiat: ea (inquiunt) eſt, vel fiducia de peccatis non imputatis, vel aſſenſus, quo certò quis credat peccata ſibi remiſſa atque in gratiam adoptionis admiſſus. Hæc utique errata extirpare aggredimur, ut in poſterum faciliori negotio radicitùs evellantur pſeudomyſticorum fraudulenta dogmata, quibus etiam bona opera removere moliuntur in ſuis pſeudoperfectis ſequacibus, quos perfectos in via chriſtianæ perfectionis credunt, & inanimiter confidunt.

Neceſsitatem bonorũ operum cum Simone Mago, novo ementito colore Lutherani negãt & Calviniſtę.

ARTICULUS I.

Ad obtinendam per juſtificationem animæ ſalutem, præter fidem, opera oſtendens neceſſaria.

3 QUANDOQUE duplicem animæ ſalutem diſtingunt Scholæ Theologi: Unam quæ habetur per gratiam juſtificantem; alteram verò per gloriam ſeu beatitudinem. Gratia etenim, infirmitatem removens peccati, quidquidve rationem culpæ habet, non immeritò animæ ſalus dicitur, juxta illud Apoſtoli: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et præterea cum gratia juſtificans veluti altera natura ſit in ordine ſuperno, virtutum omnium fęcunda radix creditur, qua cunctas hominis rationales potentias rectificat, & ad debitum reducit ordinem. Dicitur ergo animæ ſalus, & quidem prima ad differentiam gloriæ, quæ ſecunda, & æterna vocatur, qua ratione apud Marcum ajebat Chriſtus Dominus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Cum igitur à prima ſalute erroris exordium deſumant Heterodoxi affirmante Luthero: opus bonum non poteſt doceri, niſi lędas fidem; cùm fides & opera in re juſtificationis extremæ adverſentur, cui agglutinatus fuit Buzerus effutiens: ita gratis nos juſtificari à Deo, ut ante juſtificationem peccatum ſit, iramque Dei in ſe provocare, quidquid boni operis facimus. Indè, & nos neceſsitatem bonorum operum ſtabilire aggredientes, à prima ſalute initium deſumimus; pro ſecunda & æterna ſalute bonorum operum neceſsitatem, deindè oſtenſuri.

Ad Titum 3. v. 5.

Duplex animę ſalus diſtinguitur.

Marc. ult. v. 16

4 Aſſerendum eſt primo: ſola fide ad juſtificationem non ſatis diſponi peccatorem. Catholica hæc aſſertio, præter id quod affirmat, ſupponit tanquam certum, gratiam juſtificantem non aliter homini concedi, juxta conſuetum Divinæ Providentiæ ordinem, niſi prævia liberi arbitrii diſpoſitione in ordine ſupernaturali. Id namque oſtendunt Sacræ Scripturæ teſtimonia, quibus homini ut ſe præparet ad converſionem & ſalutem, ſuadetur, ſic enim dicitur per Iſaiam: *Convertimini ad me, & ſalvi eritis.* Et per Zachariam: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et certè ſi nulla ex parte hominis prævia vel ſaltim concomitans deſideraretur diſpoſitio, fruſtrà ad cordis januam pulſare diceretur divinus ſponſus, ut per gratiam habitualem in animam veniens ſuæ habitationis templum conſtituat, juxta illud: *Aperi mihi ſoror mea.* Et inſuper: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis audierit vocem meam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Ut quid etiam per Prophetam homini dictum fuiſſet. *Præparare in occurſum Dei tui Iſrael.* Et alibi: *Præparate corda veſtra Domino*, ſi nullam ex parte hominis diſpoſitionem exigeret Deus ad ipſum ſanctificandum, aut juſtificandum per gratiam?

Gratia juſtificans prævia diſpoſitione adultis conferri ſolita.

Iſaię 45. v. 22.
Zachar. 1. v. 3.
Cant. 5. v. 2.
Apocal. 3. v. 20.
Amòs 4. v. 12.

5 Pro eadem veritate rationem Theologicam indè proponit D. Thomas: „ Quòd „ juſtificatio impii ſit Deo movente homi„ nem ad juſtitiam, ut dicitur Roman. 3. „ Deus autem movet omnia ſecundùm mo„ dum uniuſcujuſque, ſicut in naturalibus „ videmus, quod aliter moventur ab ipſo „ gravia, & aliter levia, propter diverſam „ naturam utriuſque. Unde, & hominem „ ad juſtitiam movet ſecundùm conditio„ nem naturæ humanæ. Homo autem ſecun„ dùm propriam naturam habet quòd ſit li„ beri arbitrii, & ideò in eo qui habet uſum „ liberi arbitrii, non fit motio à Deo ad „ juſtitiam abſque motu liberi arbitrii: ſed „ ita infundit donum gratiæ juſtificantis; „ quòd etiam ſimul cum hoc movet libe„ rum arbitrium ad donum gratiæ accep„ tandum in his, qui ſunt hujus motionis „ capaces. Indè ſubjungit: quòd pueri, quia non ſunt capaces liberi arbitrii moventur à Deo ad juſtitiam per ſolam informationem animæ ipſorum: quia ſicut peccatum originale à quo juſtificantur, non propria voluntate ad eos pervenit, ſed per carnalem originem: ita etiam per ſpiritualem regenerationem à Chriſto in eos gratia derivatur. Et eadem ratio eſt de furioſis & amentibus, qui nunquam uſum liberi arbitrii habuerunt. Et quid mirùm pro gratia juſtificante diſpoſitionem exigat Divinæ providentiæ ſuaviſſimus ordo: cùm de Angelis ab initio ſanctis, & de Chriſto Domino per gratiam habitualem à primo conceptionis inſtanti etiam ſummè Deo grato indicare videatur Sanctus Doctor, non abſque diſpoſitione ſanctificatus fuiſſe. Quod etiam, & expreſsiùs de primo Parente, ſanctitate & juſtitia originali, à ſuis primordiis decorato affirmat. Et omnium ratio indè breviter indicatur à Sancto Doctore: quia ad receptionem formæ præſertim ſi perfecta ſit, aliqua diſpoſitio requiritur in recipiente: cùm ergo gratia habitualis perfectiſsima ſit forma in ordine ſupernaturali, & veluti altera natura, præparationem aliquam non poteſt non exigere in ſubjecto, vel præviam vel ſaltem concomitantem. Nec ſimile eſt de gratia actuali, ſive de auxiliis divinæ gratiæ, quæ non habent ſimpliciter rationem formæ in ordine ſupernaturali, ideòque connaturaliter non exigunt diſpoſitionem aliquam, ut apparet in divinæ gratiæ primis auxiliis.

D. Thom. 1. 2. q. 113. ar. 3. in corpor.

Solut. ad 1.

RatioD.Thomæ etiam pro Angelis & Chriſto D.

D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2. in corpore.

6 Præparare ſe utique debet homo ad gratiam juſtificantem per motum liberi arbitrii, ordine attento divinæ ſuaviſsimæ providentiæ, qua decrevit non aliter juſtificare hominem: (quidquid ſit juxta extraordinariam & abſolutam Dei potentiam ſecundùm „ diverſas ſcholæ opiniones) Etenim in ju„ ſtificatione impii (loquitur Div. Thomas) „ contrahitur quoddam ſpirituale matrimo„ nium hominis ad Deum; Oſeæ 2. *Sponſa„ bo te mihi in juſtitia*; ſed in matrimonio „ carnali requiritur mutuus conſenſus: ergo multo fortiùs in juſtificatione impii, & ſic requiritur ibi uſus liberi arbitrii. Urgentiùs adhuc arguit art. 3. citato ex quæſt. 113. in argut. ſed contr. Joann. 6. dicitur: *Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me*: ſed diſcere non eſt ſine motu liberi arbitrii, quo addiſcens conſentit docenti: ergo nullus venit ad Deum per gratiam juſtificantem, abſque motu liberi arbitrii. Verumtamen motûs hujuſmodi liberi arbitrii ſupernaturales, & ex gratia procedere habent, ut indicavimus. Et quidem meritò ſtatuit ita Tridentinum Concilium Pelagianorum & Semipelagianorum errata jugulans illis verbis. ✻ Declarat præterea ipſius juſtificatio✻ nis exordium in adultis, à Dei per Chri✻ ſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum ✻ eſſe; hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis ✻ eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut ✻ qui per peccata à Deo averſi erant, per ✻ ejus excitantem atque adjuvantem gra✻ tiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſo✻ rum juſtificationem, eidem gratiæ liberè ✻ aſſentiendo, & cooperando diſponantur. Idipſum poſteà diffinivit canone 3. ✻ Si quis ✻ dixerit: ſine præveniente Spiritus Sancti ✻ ſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem

Quæſt. 28. de verit. art. 3.

Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5.

Can. 3.

✻ cre-

* credere, ſperare, diligere, aut pœnitere * poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis * gratia conferatur; anathema ſit.

7 Præſuppoſitæ veritati catholicæ ſtabiliendæ plura extant deducta ex Patribus & Prophetis argumenta à Doctore Angelico; tùm quia inter formam & diſpoſitionem ad illam proportio quædam requirenda eſt, nec aliter aptè & convenienter ad formam coaptaretur & præpararetur ſubjectum; cùm ergo inter liberi arbitrii motus naturales, gratiamque juſtificantem in ordine ſupernaturali creato, maxima proportio ſufficiens non detur; nequibit homo per hujuſmodi naturales motûs ad gratiam juſtificantem diſponi. Sed præterea non adducere non poſſumus theologicam rationem, qua Doctor Sanctus oſtendit ſine gratia ad gratiam hominem præparare ſe non poſſe; talemque proindè præparationem debere eſſe ſupernaturalem. Quia ut liberum hominis arbitrium à Deo averſum per peccatum ad gratiam juſtificantem ſe præparet, debet à Deo moveri ad gratiam, quam per ſe, nec acquirere, nec adhuc cognoſcere valet; utrumque enim naturæ vires ferè immensùm excedit, cùm nec *ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis*: ergo ex hoc duplici capite exorare Deum nos monet, & quidèm meritò Scriptura Sacra, ut præparationem ad gratiam juſtificantem, in nobis operetur: quia ut dicitur Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Ea propter ex duplici indicato motivo dupliciter Deum exoramus, ut nos ſcilicèt averſos & errantes ad ſe convertat, juxta illud Pſalmi: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Et rursùs: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Deindè ut nos illuminet & dirigat juxta illud: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum.* Inſuper: *Dirige me in veritate tua.* Et deindè: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* His breviter præmiſsis.

Rationes theologicæ ex D. Thoma.

D.Thom. q.24. de verit.ar.15.

2.Corint.3.v.5

V.44.

Pſal.84. v.5.

Thren.5. v.21.

Pſalm.52.v.3.

Pſalm.14.v.5.

Pſalm.12.v.4.

8 Aſſertam in concluſione catholicam veritatem, ſtatuit ita Sacrum Tridentinum Concilium: *Si quis dixerit ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit.* Nec ſolum ſtatuit, ſed ulterius, duplici ex Sacra Scriptura deducto teſtimonio id dictum firmat capite 7. imprimis ex Jacobo Apoſtolo; deinde ex D. Paulo. Ex primo namque teſtimonio propoſitam veritatem certò deduci, notum eſt: Ait enim imprimis Jacobus: *Quid proderit fratres mei ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare eum?* Et quomodo fides ſola homini primam, aut ſecundam ſalutem conferre valeat, cùm *fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.... Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Concludit Jacobus poſtquam paulò antea aſſertionem noſtram per conſequentiam ita deduxit: *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* Hæc teſtimonia adeò Lutheranos & Calviniſtas premunt, ut nihil reponere habentes, Epiſtolam Divi Jacobi authenticam eſſe inficientur, contra communem Sanctorum Patrum & Eccleſiæ ſenſum cujus eſt libros Canonicos à non Canonicis diſcernere.

Concil.Trident. ſeſſ.6. can.9.

Jacob. 2. Ad Galat.5.

V.14.

V.17.

V.26.

V.24.

Non ſola fide diſponi hominem ad juſtificationem ex Sac. Scriptura ſtatuit Tridentinum.

9 Sed nihil habent per hanc evaſionem hæretici in ſui erroris patrocinium. Quia nedùm laudatus Jacobus, ſed & Paulus ipſe à ſacro Tridentino Concilio adductus adverſantes hæreticos premit, illam fidem nobis utilem ad ſalutem dicens, quæ per charitatem operatur: *In Chriſto Jeſu* (inquit) *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Fides inquam non informis, ſed formata, de qua alibi dixit Apoſtolus: *Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris.* Expreſsiùs adhuc loquitur Paulus dùm inquit: *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum.* Scilicet ſecundum eſſe gratiæ de quo dicitur Epheſiorum 2. *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis* (exponit Doct. Angelicus.) Hæc ex Sacrá Scriptura teſtimonia adeò expreſſa ſunt pro veritate catholica, de neceſsitate operum ad juſtitiam & ſalutem conſequendam, ut Maximus Hieronymus ad illa verba Rom. 3. *Arbitramur juſtificari hominem per fidem.* Quibus ſuo tempore hæretici, ſicut nunc Lutherani, & Calviniſtæ, in ſui erroris fulcimentum detorquebant; ſic contra hęreticos illos invehitur: abutuntur quidam hoc loco ad deſtructionem operum juſtitiæ, ſolam fidem poſſe ſufficere affirmantes; cum tamen alibi dicat Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, &c.* Nec eſt quòd immoremur hìc in rejiciendo erroneo Lutheri effugio, quo dictitabat fidem non poſſe ſubſiſtere ſine aliis virtutibus, charitate præſertim. In hoc namque aſſumpto plura poſtea adducenda ſunt. Omittimus etiam Scripturæ teſtimonia benè multa aliaque graviſsima momenta, quibus articulo ſequenti ſigillatim oſtendere habemus, opera ſive honeſtos actùs, quibus præter fidem ad juſtificationem debet homo ſeſe diſponere.

Ad Galat.5.v.6

Ad Epheſios 3. v.17.

1. Corinth. 13. v.2.

V.10.

V.28.

10 Omittere tamen non convenit Theologicam rationem, qua Doct. Angelicus demonſtrat pręter actum fidei requiri etiam motus voluntatis, ut ad juſtitiæ ſtatum homo peccator ſe transferat. Rationem autem illam ſic breviter proponimus, quantum ad pręſens attinet: quia homo non aliter peccatum mortale incurrit, niſi per actum voluntatis ad creaturam converſus, avertatur à Deo: non ergo aliter à peccato ad juſtitiam tranſire valet juxta conſuetum ordinem divinæ providentiæ, niſi

D.Thom. 1.2. q.113.ar.5.

Rationes theologicæ Div. Thomæ.

per

per actum voluntatis è contrario avertatur à creatura, & convertatur ad Deum, recedens à termino à quo, ſcilicet peccato, & accedens ad terminum ad quem ſcilicet juſtitiam: ergo ad juſtificationem impii ſatis non erit motus fidei, qui ſolum immutat intellectum in quo peccatum non conſummatur, ſed ulteriùs exigitur motus ex parte voluntatis, in qua peccatum conſummatur. Eandem rationem breviter complexus fuit Sanct. Doct. illis verbis: „ Offenſa peccati mortalis procedit ex hoc „ quòd voluntas hominis eſt averſa à Deo „ per converſionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remiſsionem divinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad „ Deum. Propoſitam in priori loco rationem explicat Sanct. Doct. exemplo motûs localis in quo corpus motum recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem.

OBJECTA DISSOLUTA.

11 Contra præmiſſam veritatem, in aſſertioneque præſuppoſitam opponunt Heterodoxi ſacra teſtimonia, quibus dicitur gratiam juſtificantem gratìs impertiri à Deo, & abſque reſpectu ad opera: *Juſtificati gratis* (inquit Apoſtolus) *per gratiam ipſius, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Inſuper: *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti*: Et alibi frequenter; at ſi impius ad juſtificantem gratiam ſeſe diſponeret per motûs ſeu actûs liberi arbitrii, non utiquè dici poſſet omninò gratìs à Deo juſtificari; quandoquidem actûs ita diſponentes & præparantes, cauſalitatem aliquam reſpectivè ad gratiam juſtificantem exercerent: non ergo ad gratiam juſtificantem opus eſt homini, ut per motus liberi arbitrii ſe pręparet ac diſponat. Præterea hominis juſtificatio ita Deo tribuitur in Scriptura Sacra, ut excludi videatur concurſus quilibet diſpoſitivus ex parte hominis; Paulus namque ait: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei,* & Evangeliſta Joannes: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*: Nulla igitur deſideranda eſt ex parte hominis pręparatio ad gratiam juſtificantem.

Rom.3. v.24.

Ad Titum 3. v.5.

Rom.9.v.16.

Joan.15.v.16.

12 Hęc tamen objectio debiliſsima eſt, facilèque diſſolvitur, ſi ad ſcholę methodum prima propoſitio diſtinguatur: gratìs juſtificari homo dicitur, nimirùm independenter à meritis gratiæ ipſius condignis, verùm eſt: per remotionem cujuſcunque præparationis, aut diſpoſitionis, non quidèm ex viribus naturæ, ſed beneficio divinę gratię, falſum eſt. Sic in terminis habet ſacrum Tridentinum Concilium: *Gratìs autem juſtificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur; ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.*

Gratìs juſtificari qualiter dicamur.

Concil.Trident. ſeſſ.6.cap.8.

Rom.11.v.6.

13 Deus igitur gratiam juſtificantem miſericorditer infundens ad opera attendit, ſeu motûs & actûs liberi arbitrii juſtificationem præcedentes, non tanquam ad meritum condignum (imò nec ſtrictè congruum) ſed tanquam ad diſpoſitiones, quibus ſubiectum aptat ad gratiam recipiendam, juxta ſuaviſsimum divinę providentiæ ordinem. Inde diſſolvitur etiam ſubjunctum argumentum, cujus aſſumpta propoſitio falſa omninò eſt, nullibi namque in Sacra Scriptura concurſus ex parte hominis per modum diſpoſitionis ad juſtificationem excluditur, ſed dumtaxàt per modum cauſæ effectivæ & meriti de condigno. Nec urgent producta teſtimonia, quorum primum de primo auxilio gratiæ, cui nulla congrua diſpoſitio de ordine ſupernaturali procedit; ſecundum autem de electione prædeſtinativa intelligendum eſt.

14 Replicari tamen poteſt juxta ſcholæ rigorem: quia ſi in negotio juſtificationis Deus operatur, & homo etſi in diverſo genere cauſæ; admittenda eſſet tanquam vera hæc propoſitio: impius juſtificat ſe: quemadmodum verificatur: Deus juſtificat impium. Verumtamen, nihil repugnat ut primam propoſitionem veram dicamus in genere ſolùm cauſę materialis & diſpoſitivæ, ut ſatis probabiliter diſcurrit Pater Vazquez juxta illud: *Omnis, qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe.* Et iterum: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs.* Nihilominus licèt cum data reſtrictione verum teneat propoſitio illa, non congruit tamen eam abſolutè admittere: ſignificare enim videtur impium eſſe cauſam principalem, vel ſaltem meritoriam ſuę juſtificationis, quòd certè hæreticum eſt. Aliter autem diſcurrendum eſt de homine juſto augmentum juſtitiæ de condigno promerente, cujus proinde dici valet cauſa moralis: atque adeò dictum eſt: *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc.*

1.Joan.3.v.3.

2.Corint.7.v.1.

Non congruit dicere: *Impius juſtificat ſe.*

Apocalypſ.ult. v.11.

15 Deindè in adverſum argui poteſt quòd Deus, quandoque peccatorem in malitia progredientem juſtificat, ut patet in Paulo, qui gratiam conſequutus eſt, dùm eſſet ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini; ſed in hujuſmodi eventu nulla videtur admitti poſſe præparatio aut diſpoſitio ex parte hominis ad gratiam: non ergo generaliter Deus gratiam confert adulto ſe diſponente per motum liberi arbitrii. Accedit, quòd gratia ſicut producitur à Deo, ita & conſervatur: juxta illud Auguſtini: *Ita ſe debet homo ad Deum convertere, ut ab illo ſemper fiat juſtus*; ſed abſque motu liberi arbitrii (arguit D.Thom.) gratia in homine conſervatur: ergo abſque motu liberi arbitrii poteſt à principio infundi. Reſpondetur tamen ad primum diſtinguendo propoſitionem aſſumptam, quæ vera eſt de præ-

Actorum 9.

Neque in juſtificatione miraculoſa, vel mirabili deficit diſpoſitio.

paratione quaſi remotâ & imperfecta, ſivè paulatìm procedente de imperfecto, vel minùs perfecto ad perfectum. Falſa tamen de diſpoſitione & præparatione perfecta, quam Deus ſubitò cauſat. Sic habet Div.Thomas: „ Ad ſecundum dicendum, quòd cùm homo ad gratiam ſe præparare non poſsit, niſi Deo eum præveniente & movente ad bonum: non refert utrum ſubitò vel paulatim aliquis ad perfectam præparationem perveniat. Dicitur enim Eccleſiaſtici 11. *Facilè eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.* Contingit autem quandoque, quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque ſtatim perfectè movet ipſum ad bonum, & ſubitò gratiam homo accipit ſecundùm illud Joann.6. *Omnis, qui audit à Patre, & didicit venit ad me.* Et ita contigit Paulo, quia ſubitò cùm eſſet in progreſſu peccati, perfectè motum eſt cor ejus à Deo, audiendo & addiſcendo, & veniendo; & ideò eſt gratiam conſequutus. Id quod in argumento ſubjungitur ita diſſolvitur à D.Thoma: „ Ad tertium dicendum quòd in infuſsione gratiæ juſtificantis, eſt quædam tranſmutatio animæ humanæ, & ideò requiritur motus proprius animæ humanæ, ut anima moveatur ſecundùm modum ſuum: ſed conſervatio gratiæ eſt abſque tranſmutatione, unde nō requiritur aliquis motus, ex parte animæ, ſed ſola continuatio influxûs divini.

D.Thom. 1. 2. quæſt.112.art. 2. ad 2.

Eccleſ.11. v. 23.

V.45.

D.Thom. quæſt. 113.ar.3.ad 3.

16 Tandem opponi poteſt argumentum ex ipſa divinæ bonitatis, & potentiæ infinita virtute. Ex primo capite ſic arguit D.Thomas: „ Cùm bonum ſit communicativum ſui ſecundùm Dionyſium cap.4. de Divinis nominibus, Deus, qui ſummè bonus eſt, ſummè ſe ipſum communicat; hoc autem non eſſet niſi ſe communicaret, & pręparanti ſe & non præparanti: ergo in juſtificatione impii non requiritur uſus liberi arbitrii, quaſi præparatio ex parte hominis. Ex ſecundo capite ita arguit Sanctus Doctor: „ Agens infinitæ virtutis non requirit diſpoſitionem in materia, cùm nec ipſam materiam requirat: ſicut in creatione apparet, cui collatio gratiæ comparatur, quæ dicitur nova creatura ad Galat. ult. ſed ſolus Deus qui eſt infinitæ virtutis gratiam cauſat: ergo nulla præparatio requiritur ex parte hominis ad gratiam conſequendam. Sed utrunque argumentum nullo negotio ab eodem Sancto Doctore diſſolvitur. Ad primum inquit: „ Quòd Deus infinitâ bonitate ſe ipſum communicat creaturis ſecundùm aliquam ſimilitudinem ſuæ bonitatis, quam eis largitur, ex hoc ipſo, quòd optimo modo ſuam bonitatem communicat, ad quem pertinet, ut ordinatè ſecundùm ſuam ſapientiam dona ſua largiatur, hoc eſt unicuique ſecundùm ſuam conditionem, & indè eſt quòd requiritur diſpoſitio ſeu pręparatio aliqua ex parte eorum quibus Deus ſua dona largitur. Inde ad ſcholę methodum explicari valet propoſitio cui argumentum nititur: Deus quia ſummè bonus ſummè ſe ipſum communicat ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, concedo: ſine tali ordine, quem diximus, elucere dum gratiam homini ſe diſponenti elargitur, nego. Et juxta eundem ſenſum methodicè ſolvitur ex ſecundo capite deſumptum argumentum, illis verbis à Div. Thoma ſolutum: „ Ad tertium dicendum, quòd agens infinitæ virtutis non exigit materiam vel diſpoſitionem materiæ, quaſi præſuppoſitam ex alterius cauſæ actione, ſed tamen oportet, quòd ſecundùm conditionem rei cauſandę, in ipſa re cauſet, & materiam & diſpoſitionem debitam ad formam. Et ſimiliter ad hoc, quòd Deus gratiam infundat animæ nulla præparatio exigitur, quam ipſe non faciat.

D.Thom. q.28. de veritat.ar.3 ad 10.

Suaviſsimus divinę providentiæ ordo diſpoſitionem requirit.

1.2.q.112.art. 2.ad 3.

17 Contra ſtabilitam aſſertionem ea opponunt hæretici Scripturæ teſtimonia, quibus juſtificatio tribuitur fidei: *In hoc omnis, qui credit juſtificatur*, ut dicitur in Actibus Apoſtolorum, & de Patriarcha Abraham: *Credidit Abraham & reputatum eſt illi ad juſtitiam*: Cùm ergo fides forma non ſit juſtificans apud Catholicos, reſtat, ut ea ſola ſufficiens ſit diſpoſitio ad juſtificationem independenter à charitate, aliiſque virtutum actibus. Sed quàm futile ſit objectum iſtud, Heterodoxi ipſi fateri tenentur, dum urgentur Scripturæ teſtimoniis, quibus etiam juſtificatio tribuitur charitati, ſpei, timori, aliiſque virtutibus. Igitur conformiter ad verum ſenſum Scripturæ Sacræ explicari ita debet ſubjecta propoſitio: juſtificatio tribuitur fidei unicè ad eam diſponenti, aliarum virtutum excluſis, vel non deſideratis actibus, nego: quatenus fides initium eſt, fundamentum, & radix ipſius juſtificationis, concedo. *Cùm verò Apoſtolus* (loquitur Tridentinum) *dicit juſtificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſsit, ut ſcilicet per fidem ideò juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſsile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Nec eſt quòd Calvinus in antidoto Tridentini, ſubjectam ſolutionem puerilem vocet, imò & erroneam more ſuo blaſphemans: Nam quomodo puerilis, quomodo erronea vocanda eſt doctrina communi SS. PP. calculo firmata, & traditione perenni? Utque eorum teſtimonia hìc prætermittamus, latè calamo recenſita à Cardinali Belarmino, Auguſtinum (de cujus patrocinio inaniter gloriantur Calviniſtæ) audiamus ita ad propoſitum Concilio Tridentino prælucentem: *Ex fide ideò dicit* (Apoſtolus) *juſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur.* Rurſùs: *Fides eſt unde omnis juſtitia ſumit initium.*

Actor. 13.v.39

Rom.4.v.3.

Concil.Trident. ſeſſ.6.cap.8.

Fides humanæ juſtificationis initium fundamētū & radix.

S.Auguſt. lib.de prædeſt.SS.cap. 7.

Epiſt.105.

Sed

18 Sed quid prohibet, aliter etiam propoſitum diſſolvere objectum, affirmantes: juſtificari hominem per fidem, ſed formatam per charitatem, ſine qua nihil prodeſſe affirmavit Apoſtolus, ſui ipſius interpres fideliſsimus. Fides inquàm per quam *Chriſtum habitare in cordibus noſtris*, alibi pronuntiavit, *in charitate radicati, & fundati*; ubi D.Thomas, ita Paulum exponit: „ Dico, quòd non ſolum per fidem, quæ ut donum eſt fortiſsima, ſed etiam per charitatem, quæ eſt in Sanctis: & ideò ſubdit: *In charitate, &c.* 1.Corinth. 13. *Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: charitas autem numquam excidit.* Cantic.ultim. *Fortis eſt ut mors dilectio*: Vnde ſicut arbor ſine radice, & domus ſine fundamento de facili ruit; ita ſpirituale ædificium, niſi ſit in charitate fundatum & radicatum, durare non poteſt. Meritò igitur Tridentinum ſtatuit: *Fides niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Et omnium ratio eſt: quia licèt fides informis quantum ad eſſentiam & naturam talis dicatur, eſt tamen valdè imperfecta; proindeque in hoc ſtatu ad juſtificationem remotè concurrere valet: at niſi per charitatem formetur, ultima non erit & perfecta diſpoſitio, cui juſtificatio tribui poſsit. Nec eſt quòd immoremur in ſecundo teſtimonio ad præſens aſſumptum impertinenti: quia non loquitur de fide ad juſtificationem Abrahæ præparente: cum jam juſtus & ſanctus Patriarcha ille fuerit. Nec de fide informi ſed per charitatem, aliaque eximia opera formata.

Ad Epheſ.3. v. 17.

D.Thom. ibid. lect.4.ad fin.

Concil.Trident. ſeſſ.6.cap.8.

Juſtificatur homo per fidē charitate formatâ.

19 Tandem in ſui erroris patrocinium nolentem detorquent Apoſtolum locis illis in quibus juſtificationem tribuere videntur fidei per excluſionem bonorum operum. Et ut alia omittamus teſtimonia, difficiliora tantum & expreſsiora ſubjiciemus. Imprimis enim opera omnia generaliter videtur excludere, dùm inquit: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem.... Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Deinde excludere determinatè videtur opera legis, inquiens: *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Inſuper ibidem: *quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Et ut alia omittamus audiendus eſt Paulus ad Galatas ita loquens: *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis propter quod ex operibus legis non juſtificatur omnis caro.* Ex productis teſtimoniis ſuum haurientes errorem Lutherani & Calviniſtæ propriam produnt cęcitatem: quandoquidèm Apoſtolus debellare prævenit Pelagianorum & Semipelagianorum errores, quibus juſtificationem, aut initium juſtificationis viribus tribuebant naturæ, ut Sancti Patres & præcipuè Auguſtinus notat. Quod præſtat Apoſtolus loco priùs adducto. Deindè contra Judæos invehitur (in poſterioribus teſtimoniis) qui tunc temporis circumciſionem & cæremonialia legis vigere adhuc affirmabant tanquam ad juſtificationem & ſalutem neceſſaria; ut notavit etiam Auguſtinus libro citato de ſpiritu, & litt. cap. 13. & alibi.

Ad Epheſ.2. v. 8.& 9.

Rom.3.v.28. & 20.

Ad Galat.2. v. 16.

S.Auguſt.lib.de ſpiritu & littera cap.29.

Lib.de grat. & libero arbitrio cap.8.

Lib. de prædeſtin.SS.cap.7.

20 Qua propter argumentum ex primo teſtimonio deductum ita diſſolvitur: homo non juſtificatur ex operibus ex viribus naturæ elicitis de quibus gloriari poſſunt quodammodo homines, fatemur utique; procedentibus ex dono Dei ipſiuſque gratiâ, intuitu meritorum Chriſti elargitâ, nego. Ad juſtificationem itaque ſimul cum infuſione gratiæ concurrit motus fidei in Deum in adultis. Ne autem quis in hoc glorietur, utrunque non ex viribus naturæ procedere docet ibi, & oſtendit Apoſtolus, cujus integrum teſtimonium illud eſt: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus, ut nequis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* „ In his verbis excludit Apoſtolus duos errores (exponit Div.Thomas) quorum primus eſt, quia dixerat quòd per fidem ſumus ſalvati, poſſet quis credere, quod ipſa fides eſſet à nobis, & quòd *credere* in noſtro arbitrio conſtitutum eſt: & ideò hoc excludens dicit: *Et hoc non ex vobis*: Non enim ſufficit ad credendum liberum arbitrium; eò quòd ea quæ ſunt fidei, ſunt ſupra rationem, Eccleſiaſt.3. *Plurima ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi.* 1. Corinth. 2. *Quæ Dei ſunt, nemo novit niſi Spiritus Dei, &c.* Et ideò quòd homo credat hoc non poteſt ex ſe habere, niſi Deus det; ſecundùm illud Sapient.9. *Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſsimis?* Propter quod ſubdit, *Dei enim donum eſt*, ſcilicet ipſa fides Philipp. 1. *Vobis autem donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed patiamini.* Et 1.Corinth.12. *Alii enim datur fides in eodem ſpiritu.* Secundò excludit alium errorem: Poſſet enim aliquis credere, quòd fides daretur nobis à Deo, merito operum pręcedentium: Et ad hoc excludendum, ſubdit: *Non ex operibus*, ſcilicet præcedentibus, hoc donum meruimus aliquando quòd ſalvati ſumus; quoniam hoc ex gratia, ut ſupra dictum eſt, ſecundùm illud Roman. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia, jam non eſt gratia.* Subdit autem rationem; quare Deus ſalvat homines per fidem abſque meritis pręcedentibus: *Ut ne quis glorietur*, in ſe ipſo, ſed tota gloria in Deum referatur, Pſal.113. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, &c.* 1. Corinth.1. *Ut non glorietur omnis caro, in conſpectu ejus, ex ipſo autem vos eſtis*

Non diſponitur homo ad juſtificationē per opera viribus naturæ elicita.

D.Thom. lect. 3.in cap.2. ad Epheſios.

„ *in*

S.Auguſt. epiſt. 105.

,, *in Chriſto Jeſu.* Præluxit etiam Auguſtinus dicens: * Quid habere boni meriti * poſſunt peccatores? Nec ipſa remiſsio * peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fi- * des hanc impetrat: neque enim nullum * eſt meritum fidei, qua fide ille (Publica- * nus) dicebat, *Deus propitius eſto mihi* * *peccatori*, & deſcendit juſtificatus meritò * fidelis humiliatus: Reſtat ergo, ut ipſam fi- * dẽ, unde omnis juſtitia ſumit initium, non * humano quo iſti extolluntur tribuamus * arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, * quoniam indè incipiunt, unde quærebant * bona merita, ſed gratuitum Dei donum * eſſe fateamur.

21 Deindè reſpondetur ad argumentum ex aliis teſtimoniis deductum, adnotata imprimis temeraria Lutheri inſolentia, qua ſuperaddidit ad verba Pauli priori loco adducta particulam *ſola*, ut adinveniret in Sacra Scriptura expreſſum: hominem per ſolam fidem juſtificari, ut ipſe effutiebat. Cùm enim de hac voluntaria additione admonitus fuiſſet, ſic reſpondiſſe fertur: *Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas*: Reſpondetur igitur explicando teſtimonia illa: homo non juſtificatur ex operibus legis Moſaycæ, ſacrificiis, cæremoniis, aliiſque ritibus per illam præſcriptis, concedo: non juſtificatur ex operibus abſolutè, nego antecedens. Itaque ſcopus Pauli in adductis teſtimoniis ille eſt, ut oſtendat homines non juſtificari per opera legis veteris, ſed per legem fidei; quæ quidem non præcipit ſolum ut credamus, ſed etiam ut deteſtemur peccatum, diligamus Deum, ut per bona opera certam noſtram electionem faciamus. Hac enim ratione excluſit Apoſtolus gloriationem inanem Judæorum in ſua lege Moſayca, qua ſe gentibus præferebant. Quandoquidèm opera cæremonialia illius legis nullo unquàm tẽpore, nec quidèm ante Evangelium promulgatum, juſtificandi vim habuerunt. ,, Unde ſi qui in veteri lege (ex- ,, ponit ad mentem Pauli D. Thomas) juſti ,, erant, non erant juſti ex operibus legis, ,, ſed ſolum ex fide Chriſti, quem *Deus pro-* ,, *poſuit propitiatorem per fidem*; ut dicitur ,, Rom.3. Unde & ipſa ſacramenta veteris ,, legis non fuerunt niſi quædam proteſta- ,, tiones fidei Chriſti, ſicut & noſtra Sacra- ,, menta: ſed differunt: Quia illa ſacramenta ,, gratiam Chriſti configurabant quaſi futu- ,, ram; noſtra autem Sacramenta proteſtan- ,, tur quaſi continentia gratiam præſentem: ,, & ideò ſignanter dicit, quod *ex operibus* ,, *legis non juſtificatur homo, niſi per fidem* ,, *Jeſu Chriſti*; quia etſi olim aliqui ſervantes ,, opera legis juſtificarentur, non tamen ,, hoc erat niſi per fidem Jeſu Chriſti.

Pauli voluntarius temerator Lutherus.

Non juſtificatur homo ex operibus antiquæ legis.

D.Thom. lect. 4. in cap. 2. ad Galatas.

ARTICULUS II.

Actûs enumerans & ſtabiliens ad juſtificationem ex parte hominis, requiſitos.

22 FATERI oportet, ad juſtificationem concurrere præter actum fidei, actus etiam timoris, ſpei, dilectionis, ſicut etiam dolorẽ de peccatis, & propoſitum novæ vitæ, obſervantiæ mandatorum, & Sacramenti Pœnitentiæ reipſa recipiendi. Totam hanc aſſertionem ſtatuit Sacrum Tridentinum Concilium, dùm modum declarans præparationis ad juſtificationem in adultis, inquit: * Diſponuntur * autem ad ipſam juſtitiam, dùm excitati * divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu * concipientes, liberè moventur in Deum, * credentes vera eſſe, quæ divinitùs reve- * lata, & promiſſa ſunt, atque illud impri- * mis, à Deo juſtificari impium per gra- * tiam ejus, per redemptionem, quæ eſt * in Chriſto Jeſu, & dùm peccatores ſe eſſe * intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, * quo utiliter concutiuntur, ad conſide- * randam Dei miſericordiam ſe converten- * do, in ſpem eriguntur, fidentes Deum * ſibi propter Chriſtum propitium fore, il- * lumque tanquam omnis juſtitiæ fontem * diligere incipiunt; ac propterea moven- * tur, adversùs peccata per odium ali- * quod, & deteſtationem. Addit etiam propoſitum inchoandi novam vitam, & ſervandi divina mandata, ſicut etiam ſuſcipiendi Baptiſmum, vel ſacramentaliter confitendi, ſi poſt Baptiſmum juſtificandus ſit homo, ut habet Tridentinum cap. 14. ubi addit ſatiſfactionem pro pœna temporali adhibendam eſſe jejuniis, eleëmoſynis, orationibus; aliiſque piis ſpiritualis vitæ exercitiis. Audiatur etiam D.Thomas, qui Concilio jam præluxerat, ejus ſtabilitam doctrinam ita complectens: ,, Reſpondeo dicendum, quòd ,, de pœnitentia loqui poſſumus dupliciter; ,, uno modo quantum ad habitum. Et ſic ,, immediatè à Deo infunditur ſine nobis ,, principaliter operantibus: non autem ſine ,, nobis diſpoſitivè cooperantibus per ali- ,, quos actûs. Alio modo poſſumus loqui ,, de pœnitentia quantum ad actûs, quibus ,, Deo operanti in pœnitentia cooperamur. ,, Quorum actuum primum principium eſt ,, Dei operatio convertentis cor, ſecundùm ,, illud Thren. ult. *Converte nos Domine ad* ,, *te, & convertemur.* Secundus actus eſt ,, motus fidei. Tertius eſt motus timoris ,, ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à ,, peccatis retrahitur. Quartus actus eſt mo- ,, tus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſe-

quen-

Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 6.

Actus ad juſtificationem diſponentes præeunte D. Thoma, deſignat Concilium Tridentinum.

D. Thom. 3. p. q. 85. art. 5. in corpor.

,, quendæ aſſumit propoſitum emendan- ,, di. Quintus actus eſt motus charita- ,, tis, quo alicui peccatum diſplicet ſe- ,, cundùm ſe ipſum, & non jam propter ,, ſupplicia. Sextus actus eſt motus ti- ,, moris filialis, quo propter reverentiam ,, Dei aliquis emendam Deo voluntarius ,, offert.

23 Prædictorum actuum hæc eſt imprimis quaſi generalis differentia, ut aliqui in Deum tendant, nimirùm actus fidei, ſpei, & dilectionis: alii verò in peccatum. Undè utriuſque generis actuum neceſsitatem pro juſtificatione impii, duplici ratione urget Doctor Angelicus, ut oſtendat liberum arbitrium tùm in Deum, tùm in peccatum debere moveri. Pro primo actuum genere arguit: Ut impius juſtificetur opus eſt, ut Deo appropinquetur, juxta illud: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Nimirùm per gratiæ infuſionem: debet ergo homo, ad hoc quòd juſtificetur per gratiam, per motum liberi arbitrii Deum contingere, qui cauſa eſt noſtræ juſtificationis, per myſterium ſcilicèt Incarnationis ſuæ, qua factus eſt Dei & hominum mediator; ſed primus inter alios motûs ſupernaturales, quibus liberum arbitrium Deo appropinquat, ipſumque veluti contingit tanquam juſtificationis cauſam eſt motus fidei, quo intellectus movetur; deindè affectus amoris præviâ fidei luce voluntatem in Deum elevans; præterea ſpei & deſiderii motus ad amoris affectum exurgentes: ,, Sic ergo ,, (concludit S. Doctor) liberum arbitrium ,, in juſtificatione impii movetur in Deum, ,, motu fidei, charitatis & ſpei: oportet ,, enim juſtificatum in Deum converti, aman- ,, do ipſum cum ſpe veniæ. Et hæc tria ,, computantur pro uno motu completo, ,, in quantum unum includitur in alio; de- ,, nominatur tamen iſte motus à fide eò ,, quòd virtute continet in ſe illos motûs, ,, & in eis includitur.

D.Thom. q. 28. de verit. art. 4. & art. 5.

Jacobi 4. v. 8.

In Deum moveri debet juſtificandus homo, & in peccatum.

24 Pro ſecundo actuum genere ſic ferè ad litteram arguit D.Thomas: ,, Quia in- ,, ter juſtificationem impii, & juſtificatio- ,, nem ſimpliciter notum illud diſcrimen ,, eſt, quòd prima remiſsionem culpæ ſe- ,, cundæ ſuperaddit juſtificationi, infuſio- ,, nem juſtitiæ ſolummodo importanti; un- ,, dè remiſsio culpæ non ſolum fit per hoc ,, quod homo deſiſtit à peccato, ſed aliquid ,, amplius, juxta illud Auguſtini: *Si à pec-* ,, *cando deſiſtere, hoc eſſet non habere pec-* ,, *cata, ſufficeret, ut hoc nos moneret ſcrip-* ,, *tura, fili peccaſti; non autem ſufficit, ſed* ,, *addidit, & de præteritis deprecare, ut* ,, *tibi remittantur*: ergo licèt ad juſtifica- ,, tionem ſimpliciter requiratur converſio ,, hominis in cauſam juſtificantem per mo- ,, tûs prædictos liberi arbitrii, ſupra hoc ,, tamen in juſtificatione impii requiritur; ,, quòd convertatur in deſtructionem pec- ,, cati præteriti: ergo ſicut converſio in ,, Deum fit per hoc quod homo cognovit ,, Deum per fidem, & eum amat, & gratiam ,, deſiderat, ſeu ſperat, ita oportet quòd ,, converſio liberi arbitrii in peccatum fiat ,, per hoc, quòd homo ſe peccatorem re- ,, cognoſcit, quod eſt humilitatis, & pec- ,, catum præteritum deteſtetur, ut pœniteat ,, feciſſe, & iterare non velit.

S.Auguſt. lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 26.

25 Ad ſingulos jam ſtabiliendos actûs progredimur, & à fide ſupernaturali exordium cum Tridentino deſumentes, ſic cum Doct. Angelico, neceſsitatem actûs fidei oſtendimus: ,, Motus liberi arbitrii requi- ,, ritur ad juſtificationem impii ſecundùm ,, quod mens hominis movetur à Deo. ,, Deus autẽ movet animam hominis, conver- ,, tendo ad ſe ipſum, ut dicitur in Pſalm. ,, 84. ſecundùm aliam litteram, *Deus tu* ,, *convertens vivificabis nos*: & ideò ad ju- ,, ſtificationem impii requiritur motus men- ,, tis, quo convertitur in Deum; prima con- ,, verſio in Deum fit per fidem ſecundùm ,, illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum* ,, *oportet credere, quia eſt*: & ideò motus ,, fidei requiritur ad juſtificationem impii. Subjungimus etiam rationem qua Sanctus Doctor oſtendit: actum fidei præparantem ad juſtificationem, debere eſſe ſupernaturalem: quandoquidèm ad juſtificationem neceſſe eſt ut voluntas in Deum finem ſupernaturalem convertatur, à quo per peccatum receſsit: debet ergo huic voluntatis converſioni prælucere cognitio Dei ut finis ſupernaturalis, ſivè in quantum eſt objectum beatitudinis, & juſtificationis cauſa: cum igitur per cognitionem naturalem ad Deum ita cognoſcendum pertingere homo non valeat, prælucere debet actus fidei ſupernaturalis. De hac enim fide loquitur Apoſtolus, dùm inquit: *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem, & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Similiter & Sanctus Joannes: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Nec mirùm: cum nec etiam placere Deo ſine fide valeat homo; qua ratione eam poſt Auguſtinum appellat Tridentinum, *Initium, fundamentum, & radix ipſius juſtificationis*, ut paulò antea memoravimus.

D.Thom. 1. 2. q. 113. art. 4. in corpore.

Inter actus præparatorios annumeratur actus fidei ſupernaturalis.

Solut. ad 1.

Rom. 5. v. 1. & 2.

26 Probatur deinde catholica aſſertio quantum ad timorem eiſdem à ſimili teſtimoniis, quibus neceſsitas fidei ſtabilitur. Eò namque ad juſtificationem fides neceſſaria dicitur: quia ex Apoſtolo habemus, *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*; deindè quia eſt initium juſtitiæ, per eamque in nobis formatur Chriſtus. Inſuper: quia juſtus ex fide vivit: & tandem ut alia omittamus, quia fides purgat peccata, ut dicitur Actor. 13. ſed hæc etiam in Scriptura Sancta dicuntur: non igitur poteſt ſine manifeſta Sacrarum Scripturarum injuria aſtrui fidei neceſsitas, timoris ſublata neceſsitate. Propoſitionem aſſumptam præter plura alia, ſubjicienda oſtendunt teſtimonia. Imprimis: *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.*

Hæbreor. v. 11. 6.

Eccleſ. 1. v. 28.

Dein-

Deinde : *Timor Domini eſt initium ſapientiæ*, ut dicitur in Pſalmo, ſivè ut habet Eccleſiaſticus : *Radix ſapientiæ eſt timere Dominum*. Præterea : *Timor Domini ad vitam.* Apud Iſaiam etiam, ſecundùm verſionem 70. Interpretum ſic habetur : *A timore tuo concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.* Tandem : *Timor Domini expellit peccatum*, habet Eccleſiaſticus. Idipſum Sancti Patres communiter indicant apud ſæpè laudatum Belarminum videndi. Audiatur tamen Magnus Auguſtinus ita loquens : * Stimulat timor, ſed noli timere, intrat charitas, quæ ſanat, quæ vulnerat timor. Timor Dei ſic vulnerat, quomodò Medici ferramentum putredinem tollit. Opus eſt ergo ut intret timor primò per quem veniat charitas, timor medicamentum ; charitas, ſanitas.

Pſal. 110. v. 10. Eccleſ. 1. v. 25. Proverb. 19. v. 23. Iſaiæ 26. v. 18. Eccleſ. 1. v. 27. S. Auguſtinus tract. 9. in Epiſt. Joann.

27 Conſultò tamen Doctor Angelicus, timorem Dei & ſervilem & filialem, inter diſpoſitiones ad juſtificationem recenſet ; eo tamen mirabili ordine, ut immediatè poſt actum fidei (qui veluti lucerna reliquis partis appetitivæ actibus debet præire) enumeret actum timoris ſervilis tanquam remotè diſponentis : Et deindè timoris filialis, ad actum charitatis vel dilectionis Dei ſequutum, completa jam juſtificatione ; & veluti diſpoſitio tempore concomitans juſtificationem : dùm actus hujuſmodi formaliter exerceatur ; aut in actu amoris virtualiter includatur. ,, Ad tertium dicendum ,, (verba ſunt S. Doct.) quòd timor ſervilis ,, qui habet oculum ad pœnam tantum, requiritur ad juſtificationem ut diſpoſitio ,, præcedens, non autem ut intrans ſubſtantiam juſtificationis, quia ſimul cum charitate eſſe non poteſt, ſed introeunte ,, charitate, timor diſcedit. 1. Joann. 4. *Timor non eſt in charitate.* (Id eſt quantum ad ſervilitatem ut ſuo loco cum Sanct. Doctore videbimus) ,, Timor autem filialis, ,, qui timet ſeparationem, includitur virtute in motu amoris, ejuſdem enim rationis eſt deſiderari conjunctionem amati, & timere ſeparationem. Neque obſtat quòd timor præſertim filialis ſi ad juſtificationem concurrere debet, computandus eſſet inter motus quibus liberum arbitrium accedit ad Deum, conformiter ad rationes D. Thomæ ; at timor fugam potius à Deo, quàm acceſſum ad ipſum habet : neutiquàm ergo inter diſpoſitiones ad juſtificationem computari debet timor filialis. Neganda enim venit aſſumpta propoſitio, de timore filiali : quia ut ait Sanctus Doctor : Ad quartum dicendum : ,, Quòd timor filialis ,, includit aliquam fugam, non tamen fugam Dei, ſed fugam ſeparationis à Deo, ,, vel elongationis à Deo, ſecundùm quod ,, timor importat quandam reverentiam, ,, per quam homo non audet Divinæ majeſtati ſe comparare, ſed ei ſe ſubjicit. Sed de hoc aſſumpto plura alibi diximus.

Timor ſervilis, & filialis diverſimodè ad juſtificationem diſponũt.

D. Thom. quæſt. 28. de verit. a. 4. ad 3.

Solut. ad 4.

28 Supereſt demùm ex eodem Sancto Doctore rationem indicare pro neceſsitate utriuſque timoris in juſtificationis negotio. Imprimis enim liberum arbitrium præparandum eſſe per motum erga peccatum, deteſtatione, ſcilicet, ipſius & fuga ſtabilitum eſt ; at timor ſervilis à peccato quàm maximè removet per pœnas quibus homines concutiuntur, & paſsim Scripturæ Sacræ prædicant, quamobrèm timoris proprium eſt animum comprimere à delectationibus ſenſibilibus : Reſtat ergo quòd juſtificationem præcedat timoris ſervilis actus. Ex alio deinde capite ad juſtificationem præcedere aut comitare debet motus liberi arbitrii in Deum per amorem, ad quem ſua ſponte ſequitur timor filialis, unde homo Deo reverenter ſubjicitur : ergo in negotio juſtificationis filialis Dei timor locum habere debet. Hinc D. Thom. explicans *quòd initium ſapientiæ eſt timor Domini*, quia inde ſapientia chriſtiana incipit operari ; ſubjungit : ,, Aliter tamen ,, timor ſervilis eſt ſicut principium, & aliter timor filialis. Timor enim ſervilis eſt ,, ſicut principium extrà diſponens ad ſapientiam, in quantum aliquis timore ,, pœnę diſcedit à peccato, & habilitatur ,, per hoc ad ſapientiæ affectum : ſecundùm illud Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini* ,, *expellit peccatum.* Timor autem caſtus ,, vel filialis eſt initium ſapientiæ, ſicut ,, primus ſapientiæ effectus. Cum enim ad ,, ſapientiam pertineat, quòd humana vita reguletur ſecundùm rationes divinas, ,, hinc oportet ſumere principium ut homo Deum revereatur, & ſe ei ſubjiciat.

Rationes pro utroque timore.

D. Thom. 2. 2. quæſt. 19. a. 7. in co. p.

29 Deinde probatur aſſertio quantum ad ſpei actum pertinet ; hæc enim ad timorem ſequitur juxta illud Pſalm. *Oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* Rurſus : *Qui timetis Dominum ſperate in illo.* Inde meritò Doctor Angelicus, timorem filialem, & ſpem ſibi invicem cohærere, ſeſeque mutuò perficere docuit illis verbis : ,, Ad primum ergo dicendum, quod timor filialis non contrariatur virtuti ſpei ,, non enim per timorem filialem timemus, ,, ne nobis deficiat, quod ſperamus obtinere per auxilium divinum, ſed timemus ab hoc auxilio nos ſubtrahere. ,, Et ideò timor filialis, & ſpes ſibi invicem coherent, & ſe invicem perficiunt. Et meritò : nam ſi ſpei firmitas auxilio Dei nititur contra obſtacula in via ſalutis tentationeſque occurrentes, ipſe eſt timor Dei, qui nos de adjutorio Dei facit ſecuros, & miſericordia, quæ corroborata dicitur ſuper timentes ſe. Tali namque adjutorio animatus timor ſanctus fortitudinem, ſpem, & fiduciam ingenerat, Salomone teſtante : *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Conſultò itaque Sacrum Tridentinum Concilium ſtatuit impium juſtificandum, à divinę juſtitię timore in ſpem erigi ex conſideratione divinæ miſericordiæ.

Pſal. 32. v. 18. D. Thom. ubi ſupra, a. 9. ad 1.

Cur ſpes timori coherens, ad juſtificationem diſponere habeat.

Proverb. 14. v. 26.

Ubi rationem indicat ; cur non ſolum timor ſed etiam ſpes ad juſtificationem præparare, & diſponere debent? Quodquidem argumentum præluxerat jam in Doctore Angelico ita breviter diſſerente : ,, Ad ſecundum dicendum, quòd in ,, Deo eſt conſiderare juſtitiam, ſecundùm ,, quam peccantes punit, & miſericordiam, ,, ſecundùm quam nos liberat. Secundùm ,, ergo conſiderationem ipſius juſtitiæ, inſurgit in nobis timor : ſecundùm autem ,, conſiderationem ipſius miſericordiæ, inſurgit in nobis ſpes.

D. Thomas ubi ſupr. ar. 2. ad 2.

30 Sigillatim verò oſtenditur ſpem ad ſalutem diſponere. In hujus namque Catholicæ veritatis confirmatione iterata extant Scripturæ teſtimonia ; ſic enim habetur in Pſalmis : *Liberavit eos ::: quia ſperaverunt in eum.* Et iterum : *Quoniam in me ſperavit liberabo eum.* Prætereà apud Joannem legitur : *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus : quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Apoſtolus etiam inquit : *Spe ſalvi facti ſumus.* Subjungimus etiam duplicem rationem pro eadem veritate ex Doctore Angelico, quarum prima ea eſt : quia ſpei objectum eſt bonum arduum, futurum, poſsibile conſequi ; at impius juſtificari anhelans, gratiam juſtificantem apprehendit, ut bonum arduum, futurum, & conſequi poſsibile per divinam miſericordiam : cùm ergo per auxilia divinæ gratiæ movetur ad juſtitiam conſequendam, non poteſt non moveri ejus voluntas per affectum ſpei utique ſupernaturalis, & Theologicæ.

Pſal. 36. v. 40. & Pſ. 90. v. 14. 1. Joann. 3. à v. 2. Roman. 8. v. 24. D. Thomas q. unica de ſpe a. 1.

Neceſsitas ſpei Theologicæ oſtenditur à D. Thoma.

31 Secunda ratio ſic proponi valet : quia juſtificatio inchoatio quędam eſt futuræ beatitudinis æternæ, quæ proprium objectum eſt ſpei Theologicę, ut oſtendit Sanctus Doctor ex illo Apoſtoli ad Hebræos 6. Habemus ſpem incedentem, id eſt incedere facientem, *uſque ad interiora velaminis*, id eſt ad beatitudinem cęleſtem ut gloſſa ibidèm exponit. Et quidèm conformiter ad ſubiecta verba : ubi Præcurſor pro nobis introivit Jeſus : ergo actus ſperandi beatitudinem & veniam de divina miſericordia, non poteſt non diſponere impium, ut juſtificationis gratiam conſequatur.

2. 2. q. 17. art. 2.

32 Prætereà in ſtabiliendà dilectionis, ſeu amoris Dei neceſsitate pro aſſequenda gratia juſtificante (extra Sacramentum ſcilicet Pœnitentiæ qualiter in præſentiarum contra hęreticos agimus) multum immorari opus non eſt, poſtquam generali ratione D. Thomę ſtabilitum relinquimus ad juſtificationem deſiderari motus liberi arbitrii erga Deum. Eam nihilominus rationem pro dilectione Dei, ſic contractam damus : Juſtitia, ſive gratia juſtificans, ſic dicta, quia homines juſtos & rectos facit ; veluti omnium virtutum radix, complectivè in affectu exiſtit : nunquam ergo ad Deum homo impius perfectè convertitur, niſi ad ipſum accedat, eumque ſecundùm affectum contingat : at inter motûs affectivos, amoris actus præminet ut aliorum radix : inter affectûs deinde amoris, dilectio charitatis caput extollit : niſi ergo amore charitatis ad Deum moveatur homo, ad juſtificationem non perveniet : ut inde appareat, eam eſſe præcipuam, diſpoſitionem (& quidèm concomitantem) qua deficiente, reliquæ diſpoſitiones effectum non conſequuntur, ut docuit nos Tridentinum aliàs laudatum. Deindè ex Sacra Scriptura aſſerta veritas oſtenditur. Ex Eccleſiaſtico imprimis, ad verba ſupra laudata pro timore Dei ſubjungente : *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Ubi poſt timorem annumerat dilectionem. Sed omnem dubitandi locum adimunt verba illa Lucę : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. Joannis 3. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.* His namque teſtimoniis aliiſque ſimilibus, abſque dilectione remiſsionem non fieri peccatorum, ita expreſsè habetur, quam quod maximè. Unde Concilium Arauſicanum ſtatuerat : *Deus fidem, & amorem ſui prius inſpirat, ut Sacramentum Baptiſmi fideliter requiràmus.* Auguſtinus deindè ajebat : * Ipſe Paulus, non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, & planè evangelicam diffinivit, cujus opera ex dilectione procedunt : fides inquit, quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeverat, ut dicat : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam charitatem autem non habuero, nihil ſum.* *

Niſi charitate ad Deum moveatur peccator juſtificationem extra Sacramentum nõ obtinebit.

Eccleſ. 2. v. 10. Lucæ 7. v. 47. 1. Joann. 3. v. 14. Concil. Arauſic. can. ult. D. Auguſt. lib. de fide, & operib. cap. 19. 1. Corinth. 13. v. 2.

33 Jam verò oſtendere aggredimur, ſacrum Concilium Tridentinum meritò præter dilectionem pœnitentiam aſsignaſſe, ſivè dolorem de peccatis, quo jus divinum à ſe violatum aliquali ſatisfactione expiare, & ſui ipſius punitione homo reſarcire intendit. Quandoquidem diſpoſitionem hujuſmodi jam Eccleſiaſticus ſignificaverat inquiens : *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Deinde in Actibus Apoſtolorum ſic Petrus ad eos, qui compuncti fuerant corde loquutus fuiſſe dicitur : *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Tandèm ut alia omittamus apud Ezechielem ita habetur : *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium, & juſtitiam : ipſe animam ſuam vivificabit. Conſiderans enim, & avertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt ita vivet, & non morietur.* In his etiam teſtimoniis neceſsitas pœnitentiæ ſignificatur. Imò & deſiderium ſivè votum Baptiſmi, aut Sacramenti Pœnitentiæ in lapſis poſt

Bap-

Dolor peccati requiſitus mõſtratur omni argumentorũ genere.

Eccleſiaſt. 2. v. 22. Act. 2. v. 38. Ezech. 18. v. 27. & 28.

Baptiſmum, utriuſque namque Sacramenti neceſsitatem Chriſtus Dominus expreſsit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.* Et inſuper: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.*

Joann.3.v.5.
Joann.20.v.23

34 Præfirmatę diſpoſitionis neceſsitatem & convenientiam, imprimis deducit Doct. Angelicus ex neceſsitate dilectionis ita breviter arguens: ,, Dilectio non poteſt eſſe ſine deteſtatione ejus, quod à Deo ſeparat. Et ideò præter motum dilectionis in Deum requiritur in juſtificatione peccati deteſtatio. Unde, & Magdalena cui dictum eſt, dimiſſa ſunt ei peccata multa, lacrymas emiſerat pro peccatis. Deindè ita arguit ferè ad litteram ut oſtendat peccatum adultis non poſſe remitti, ſine pœnitentię virtute ſeu deteſtatione peccati: Peccatum eſt offenſa Dei: Eò igitur Deus peccatum remittit, quo & ſui offenſam, quæ opponitur gratiæ cauſanti bonitatem in homine grato, quod non præſtat gratia hominis; ſed offenſa peccati mortalis non poteſt remitti abſque ejus deteſtatione, ergo neque peccatum. Probatur minor ſubſumpta; quia offenſa illa (ad differentiam offenſæ erga hominem) procedit ex eo, quod voluntas hominis eſt averſa à Deo per converſionem ad aliquod bonum commutabile: ergo requiritur ad remiſsionem divinæ offenſæ, quòd voluntas hominis ſic immutetur, ut convertatur ad Deum cum deteſtatione converſionis prædictæ, & propoſito emendæ. Audiatur præthereà S. Doct. in explicationem & confirmationem prædictæ veritatis ita pulchrè loquens: ,, Videmus quòd etiam bruta animalia à maximis voluptatibus retrahuntur per dolores verberum, oportet autem eum qui de peccato reſurgit non ſolum deteſtari peccatum præteritum, ſed etiam vitare futurum. Eſt igitur conveniens ut affligatur pro peccato, ut ſic magis confirmetur in propoſito vitandi peccata. Præterea, ea quæ cum labore & pœna acquirimus, magis amamus, & diligentiùs conſervamus. Undè illi qui per proprium laborem acquirunt pecunias, minus eas expendunt, quàm qui ſine labore accipiunt, vel à parentibus, vel quocunque alio modo; ſed homini reſurgenti à peccato hoc maximè neceſſarium eſt, ut ſtatum gratiæ, & Dei amorem diligenter conſervet, quem negligenter per peccatum amiſit: eſt ergo conveniens, ut laborem & pœnam ſuſtineat pro peccatis commiſsis. Adhuc ordo juſtitiæ hoc requirit, ut peccato pœna reddatur: ex hoc autem quòd ordo ſervatur in rebus ſapientiâ Dei gubernantis apparet: Pertinet igitur ad manifeſtationem divinæ bonitatis, & Dei gloriam, quòd pro peccato pœna reddatur: ſed peccator peccando contra ordinem divinitùs inſtitutum facit leges Dei prętergrediendo: eſt igitur conveniens ut hoc recompenſet in ſe ipſo puniendo, quod prius peccaverat: ſic enim totaliter extra inordinationem conſtituetur.

D.Thom. q.28. de verit. art.5. ad 1.
3.p. q. 86. art. 2.in corpor.
Lib.3. contra Gent.cap.158.

35 Tandem ad juſtificationem propoſitum requiri, novam vitam inchoandi, divinaque præcepta ſervandi, Scriptura Sacra ſæpè docet, tùm per Apoſtolum ita loquentem: *Si tamen illum* (ſcilicet) *Chriſtum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu, deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Similia habet ad Coloſſenſes 3. v.10. & alibi juſtificatos monet ipſe Apoſtolus; ut in novitate vitæ ambulent. Præluxerat Ezechiel Propheta inquiens: *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Inſuper: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus impietatibus ſuis, quæ operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam; vitâ vivet, & non morietur.* Nunc autem ita arguitur & ſubſumitur; ſed omnia præcepta ſervari non poſſunt quando impius juſtificatur: adeſſe ergo debet propoſitum, & deſiderium ea ſervandi. Hucuſque enumerati actûs à Tridentino Concilio diſpoſitiones vocantur ad juſtificationem. Ad eos autem reducitur actus humilitatis, ad timorem præcipuè filialem ſequutus, & motum fidei ſecundùm quod aliquis conſideratâ altitudine divinæ Majeſtatis, ſe ipſum ei ſubjicit, ut loquitur Div. Thomas loco citato de veritate, ſolutione ad 10. argumentum, verbis illis innixum: quòd *Deus humilibus dat gratiam,* & ſic ad juſtificationem impii requiritur motus humilitatis.

Propoſitú requiri oſtenditur à D.Thoma.
Ad Epheſios 4. v.21.
Roman.6. v.4.
Ezechiel.18. v. 31.
V.21.

OBJECTA DISSOLUTA.

36 Præcipua, quæ ab hæreticis opponi ſolent argumenta eò principaliter tendunt, ut ſolam fidem ad juſtificationem ſufficere adſtruant; quæ tamen artic. præcedenti diſſoluta ſunt. Unde in præſentiarum pro majori aſſertæ veritatis explicatione duplex tamen proponimus argumentum, ex his quæ ſibi opponit Sanctus Doctor, ut neceſsitatem excludant motûs liberi arbitrii in peccatum pro impii juſtificatione: ,, Bonum incommutabile (ſcilicet Deus) eſt efficacius quàm bonum commutabile (ſcilicet creatum) ſed converſio ad bonum commutabile ſufficit ad hoc, quòd homo incurrat peccatum: ergo converſio ad bonum incommutabile ſufficit ad hoc quòd homo juſtificetur: non ergo requiritur motus liberi arbitrii per modum deteſtationis ad peccatum. Deinde, opponit Sanct. Doct. ,, quicunque convertitur in aliquid, ſicut in finem ultimum, ex hoc ipſo ab alio fine ultimo avertitur; quia impoſsibile eſt unius eſſe multos fines ultimos; ſed homo quando movetur per fidem formatam in Deum, movetur in ipſum ſicut in finem ultimum: ergo ex hoc ipſo avertitur à peccato, & ita non videtur eſſe neceſſarius motus liberi arbitrii in peccatum.

37 Reſpondetur tamen ad primum objectum admittendo propoſitionem primò illatam de juſtificatione ſimpliciter, non autem de juſtificatione impii, quę exigit converſionem ad deſtructionem peccati præteriti, ut cum Sancto Doctore argumentavimus. Diſcrimen aſsignat illis verbis: ,, Quia ad hoc quod homo juſtificetur à peccato præterito, non ſolum ſufficit, quòd juſtitiam velit, & non peccet, ſed quòd contra præteritam iniquitatem operetur, deteſtando ipſam. Non autem in eo qui peccat requiritur deteſtatio Dei vel juſtitiæ niſi ex conſequenti: quia id quod eſt bonum, nullus odio habet niſi in quantum eſt incompoſibile alteri bono quod diligit. Unde peccator, non niſi per accidens odit juſtitiam, & Deum ex hoc ipſo, videlicet quod amat immoderatè bonum commutabile. Ad ſecundum objectum negatur illata concluſio cum Sancto Doctore ad quintum dicente: ,, Quòd ex hoc quod aliquis ſibi Deum finem conſtituit, ſequitur, quòd non conſtituat ſibi finem in peccatum, & ita quod avertitur à propoſito peccandi: Hoc autem non ſufficit ad deletionem peccati præteriti, ut ex corpore ejuſdem articuli ſtabilivimus. Hucuſque ſtatuimus catholicam doctrinam circa actus ad juſtificationem diſponentes, quorum aliqui ipſam juſtificationem tempore comitantur, Scholæ tamen Theologis diſputandum relinquimus, eorum actûs quinam formaliter, quinam verò virtualiter concurrere habeant. Sicut etiam quęnam fidei myſteria explicitè credi debeant medii vel præcepti neceſsitate ad juſtificationem conſequendam.

D.Thom. quæſt. 28. de veritate, a.5. ad 2.
Diſcrimen, inter juſtificationem impii, & juſtificationé non peccatoris.
Solut. ad 5.

ARTICULUS III.

Præter Fidem opera ad ſalutem æternam neceſſaria firmans.

38 HACTENUS ſtabilitum eſt ad primam animæ ſalutem, gratiam nimirùm juſtificantem obtinendam, præter fidem, opera requiri bona, ſive honeſtos cognoſcitivæ & affectivę partis motus. Nunc verò pro ſecunda ut diximus, ſive æterna vita comparanda neceſsitatem bonorum operum firmare aggredimur contra eoſdem Lutheri diſcipulos, antiquam Simonis Magi, aliorumque hæreticorum à tempore Apoſtolorum ex prava Apoſtoli intelligentia aberrantium (ut Auctor eſt Auguſtinus) extumulantes. De Eunomio etiam mente & corpore leproſo in libro de Hæreſibus ſcriptum reliquit: *Fertur uſque adeò bonis moribus fuiſſe inimicus, ut aſſeverat, quod nihil cuipiam obeſſet quorumlibet perpetratio, & perſeverantia peccatorum, ſi hujus quæ ab illo docebatur fidei particeps eſſet.* De aliis ſui ævi hæreticis ſcribit Hieronymus: *Per dulces ſermones decipiunt infœlices. Cùm enim viderint aliquos delinquentes, ajunt: nihil aliud quęrit Deus, niſi fidei veritatem, quam ſi cuſtodieritis, non curat, quid agatis.* Lutherus in libro, quem *de Babylonica captivitate* intitulavit, antiquas illas hæreſes renovans docet: * Non aliâ viâ poſſe hominem cum Deo convenire, aut agere niſi per fidem, opera ille nihil curat. Tam dives eſt Chriſtianus, ut non poſsit perire, etiamſi velit, quantumque malè vivat, niſi nolit credere. * Scio quidèm Lutheri diſcipulos ipſum excuſare in errore iſto; ſed incaſſùm, ut bene oſtendit Eminentiſsimus Belarminus. Ea propter plurimi ex proteſtantibus ſi non excuſare, temperare tamen tentant præjactum errorem: Admittentes nimirùm neceſsitatem bonorum operum, tanquam ſigna quędam manifeſtativa fidei dumtaxàt; adeò ut nullum influxum, nullamvè efficientiam habeant in ordine ad ſalutem ęternam. Inde novus apud proteſtantes erumpit error, quo operibus bonis rationem meriti de condigno vitæ æternæ denegant, apud laudatum Cardinalem. Hujuſmodi errata ut indicavimus ex perfectione legis evangelicæ, magnitudineque meritorum Chriſti haurire, in vanum tentant: quapropter neceſsitatem bonorum operum ipſo prælucente Evangelii lumine firmandam aſſumimus.

Tom.I.

S. Auguſtinus lib. de Fide & operibus cap.4.
Lib. de Hæreſibus cap.54.
S. Hieronym. in cap.4.Oſee.
Belarm. lib. 4. cap.1.
Simonis Magi errorē de bonis operibus extumularunt Novatores.

39 Aſſerendum eſt primo: fidem niſi opera accedant ad ſalutem æternam non ſufficere. Sive ut loquitur Tridentinum: *Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe hęredem eſſe conſtitutum hęreditatemque conſequuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur, ut & conglorificetur.* Quod adeò verum æſtimavit Auguſtinus, ut ex ipſo fidei vocabulo derivaverit, inquiens: *Attende ad ipſum fidei nomen: Fides enim appellata eſt, quia fit quod dicitur: duę ſyllabę ſonant cum dicitur fides. Prima ſyllaba à facto, ſecunda eſt à dicto. Interrogo te, utrum credas? Dicis credo? Fac quod dicis, & fides eſt.* Oppoſitum huic catholicę aſſertioni errorem ex pravâ ut indicavimus Apoſtoli intelligentiâ, diſſeminarunt hæretici tunc temporis: quapropter ut idem notat Auguſtinus ad pravum illud perniciosum Dogma diſsipandum plura ſcripſere in ſuis Canonicis Epiſtolis, Petrus, Jacobus, Joannes, & Judas ex quibus firmandam imprimis aggredimur catholicam veritatem. Principiò igitur Magnus Auguſtinus auctoritate innixus, Principis Apoſtolorum arguit

Concil. Trident. cap.11. ſeſſ.6.
S. Auguſtinus Serm.237.
Lib. de Fide, & operibus, cap. 14.

Neceſsitatem fidei pro æterna ſalute, ex Scriptura Sacra ſtatuit Tridentinum.

arguit ita : Si ſola fides ad beatæ vitæ conſequutionem ſufficeret, non dixiſſet Apoſtolus Petrus: *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem , & electionem faciatis : hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Sive prout in textu Græco habetur *firmam veſtram vocationem , &c.* Quaſi dixiſſet : Tunc ſtabilis erit, & firma veſtra electio , certa & ſecura veſtra ſalus , ſi bona opera fidei adjunxeritis.

2.Petri 1.v.10

Jacobi 2.

40 Nervioſiùs adhuc (ſi ita licet loqui) contra ſui ævi hæreticos neceſsitatem bonorum operum ſtatuit D. Jacobus ; dùm fidem ſine operibus mortuam dicit , nihil prodeſſe ad conſequendam vitam æternam; & alia hujuſmodi à nobis ſupra ponderata , quæ adeò urgent , ut inde Auguſtinus per apoſtrophem adverſantibus hæreticis pronuntiaverit : *Quouſque igitur falluntur, qui fide mortua , vitam ſibi perpetuam pollicentur?* Quia tamen priſcorum temporum novatores in erroris patrocinium reluctantem Paulum trahere moliebantur , ex eo quod Abraham dixerit : *Non ex operibus ſed ex fide juſtificatum.* Per oppoſitum Jacobus noſter ut errorem in ſui radice præcideret ſtatutam neceſsitatem bonorum operum , exemplo ipſius Abrahami in Catholica ſua epiſtola firmat : *Vis autem ſcire* (inquit) *ò homo inanis , quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt , offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare ? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius & ex operibus fides conſummata eſt.* Addit deinde : *Similiter & Rahab meretrix , nonne ex operibus juſtificata eſt , ſuſcipiens Nuntios , & alia via ejiciens.* Hujuſmodi accuratiſsimum ad occupandos hæreticos illos arguendi methodum in Apoſtolo Jacobo obſervavit, Magnus Auguſtinus appoſitè inquiens: *Volebam corrigere homines , qui malè* intellexerunt iſtum Apoſtolum. Jacobus *enim in Epiſtola ſua contra eos , qui nolebant benè operari de ſola fide præſumentes , ipſius Abrahæ opera commendavit , cujus Paulus fidem. Et non ſunt ſibi adverſi Apoſtoli.* Et quidèm niſi inſaniat aliquis , quomodo in doctrina adverſantes dicet Apoſtolos , quos omnia docuit idem veritatis Divinus Spiritus , qui à Patre Filioque procedit , miſſus in mundum ad veritatem docendam ? Qualiter Jacobo contrarium pronuntiabit Paulum charitatis , ipſiuſque influxu bonorum operum, uſque adeò prædicatorem eximium , ut nihil valere dicat fidem etſi magnam ſine charitate ; nihilque prodeſſe (ad meritum ſcilicèt vitæ æternę , ut alibi ponderavimus) ſive ſolam eam fidem valere , quæ per charitatem operatur , & ad Galatas ſcribens habet gentium Apoſtolus?

In Enchirid. & in lib. de Fide, & operibus.

Jacob.2.à v.20

S.Auguſtinus in Prolego enarration.in Pſal 31

AdGalat.5.v.6

41 Graviſsima hucuſque indicata momenta ad ſcholę methodum expendere congruentiſsimum eſſe , nullus non judicabit. Sola etenim fides , quæ à Theologis , & Theologorum Principe formata dicitur ad ſalutem ęternam adipiſcendam , neceſſaria dicitur & prædicatur ab Apoſtolis ; at fides meritò formata dicitur à charitate ſeſe in bona opera explicante , ab eaque perficitur , animatur , vivificatur : ſola igitur fides bonis operibus , charitate influente abundans ad ultimam fælicitatem tranſmittere valet hominem. Propoſitio major inde conſtat , quod fides inde formata dicitur , quia perfectionem , vitam & decorem habeat , in actùſque fructuoſos erumpat; aliàs mortua jure dicitur , quemadmodum corpus ſine ſpiritu , cadaver ſine anima, arbor ſine fructibus , & virtus ſine perfectione & decore. Minor autem propoſitio oſtenditur : nam per charitatem fides vitam habet , perfectionem , decorem, fœcundamque activitatem ad germinandos fructûs vitâ æternâ dignos ; charitate autem deficiente , veluti otioſa & torpida manet; Apoſtolo pronuntiante : *Charitas patiens eſt , benigna eſt : charitas non æmulatur :: omnia ſuffert , omnia credit , omnia ſperat, omnia ſuſtinet* : ſola igitur charitas in operum fructûs effuſa , fidem format , perficit , activè fructuoſam reddit , vivificat; ut inde cum mellifluo Doctore poſt Apoſtolos dicamus : *Fides ſine operibus mortua eſt, ſicut inutiliter quoque , flos apparet ubi non ſequitur fructus.* Et certè fidelibus de fide , & in fide gloriantibus ſi opera juſtitię negligant , reponere poſſumus illud Prophetæ Habacuc metaphoricum pronuntiatum : *Mentietur opus olivæ , & arva non afferent cibum.* Quia ut Hieronymus habet : *Hæc omnia ad eos referri poſſunt , qui dicunt ſe eſſe de Eccleſia , & non habent opera juſtitiæ. Mentietur autem opus olivæ , aliud promittentis , & aliud facientis.* Sed quid Apoſtolus nomine fidei per charitatem operantis ſignificet , inquirit & reſolvit Chryſoſtomus aureis illis verbis : *Quid eſt quod per dilectionem operatur? Non enim credere ſolum eſt quod quæritur , verumetiam in charitate perſeverandum.* Præluxerat etiam magnus Athanaſius , in Commentario inquiens : *Perdiſce igitur quomodo operatur fides per charitatem ; hoc eſt , ut actuoſa, & exercita ſit : charitate vero , ſi caret, otioſa & torpida ſit futura. Simile illud, fides ſine operibus mortua eſt.* Et benè quidèm mortua dicitur , ſubjungente D. Athanaſio : *In dilectione , hoc eſt rectè vivendi modo : non enim ſatis eſt fides , niſi charitas adſit , quæ vitæ totius eſt ſumma.* Audiatur prętereea poſt Patres eorum communis vox Thomas Angelicus ad illa verba Pauli : *Qui autem ſunt Chriſti , carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Ad primum ergo dicendum quòd Chriſtianus dicitur , qui Chriſti eſt. ,, Dicitur autem aliquis eſſe Chriſti non ,, ſolum ex eo , quod habet fidem Chriſti, ,, ſed etiam ex eo , quod ſpiritu Chriſti ad ,, opera virtuoſa procedit ; ſecundùm il- ,, lud ad Romanos 8. *Si quis ſpiritum*

Rationes Theologicæ oſtendunt efficaciter.

1. Corinth. 13. à v.4.

S. Bernardus Serm. 51. in Cantic.

Habacuc 3. v. 17.

S.Hieronym. ad verbaProphetæ.

S. Chryſoſtomus in Comment. cap.5.adGalat.

S.Athanaſius in cap.5.Epiſt. ad Galat.

Ad Galat.5.v. 24.

D.Thom. 2.2. q.124. a.5. ad 1.

,, *Chriſti non habet , hic non eſt ejus.* Et ,, etiam ex hoc , quòd ad imitationem Chriſti peccatis moritur , ſecundùm illud ad ,, Galatas 5. *Qui Chriſti ſunt , carnem ſuam ,, crucifixerunt cum vitiis , & concupiſcentiis.*

42 Quid prætereà Apoſtolus ſignificet verbis illis : *Charitas patiens eſt , &c.* Apoſtoli verus diſcipulus , & fidelis interpres Thomas expendit. ,, Poſtquam (inquit) Apoſtolus oſtendit charitatem eſſe adeò neceſſariam , quòd ſine ea nullum ſpirituale donum ſufficiat ad ſalutem, hic oſtendit eam ,, adeò eſſe utilem , & efficacis virtutis , quòd ,, per eam cuncta opera virtutis implentur :: ,, Primò in generali , ſecundò in ſpeciali aſſignat virtutum opera , quæ per charitatem ,, complentur. Circa primum , cùm omnis ,, virtus conſiſtat in hoc, quod aliquis bene ſe habeat in ſuſtinendo mala , vel in ,, operando bona. Quantum ad tolerantiam malorum , dicit : *Charitas patiens eſt* : id eſt facit patientèr tolerari ,, mala : cùm enim homo diligit aliquem ,, propter ejus amorem de facili tolerat quæcunque difficilia : Et ſimiliter qui diligit ,, Deum , propter ejus amorem patienter tolerat quæcunque adverſa : Undè & Cant. ,, 8. dicitur , *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem , nec flumina obruent eam* : Jacob. 1. *Patientia opus perfectum habet.* Quantum autem ad operationem ,, bonorum , ſubdit : *benigna eſt* : Benignitas autem dicitur , quaſi *bona igneitas*; ,, quia ſcilicet , ſicut ignis liquefaciendo ,, effluere facit , ita charitas hoc efficit, ut ,, bona , quæ homo habet , non ſibi ſoli ,, retineat , ſed ad alios derivet ; ſecundùm ,, illud Proverbiorum 5. *Deriventur fontes tui foras , & in plateis aquas tuas divide* : Quod quidèm charitas facit. Undè 1. ,, Joann. 3. dicitur : *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere , & clauſerit viſcera ſua ab eo , quomodo charitas Dei manet in eo?* Undè Epheſior. 4. dicitur : *Eſtote invicèm benigni , & miſericordes* : Et ,, Sapientiæ 1. dicitur : *Benignus eſt ſpiritus Sapientiæ.*

1.Corinth. 13. à v.4.

D. Thomas in locum Apoſt. lectione 2.

Charitatis in opera alia bona vividus influxus.

43 Pergit deindè Pauli diſcipulus angelicâ dexteritate oſtendens, charitatem vitare mala , & contra proximum, & in ipſo homine. Et ſubjungit : ,, Deindè cùm dicit: ,, *Congaudet autem , &c.* oſtendit quomodò charitas facit operari bonum : Et primò quantum ad proximum: Secundò quantum ad Deum , ibi : *Omnia credit.* Quantum ad proximum autem homo operatur ,, bonum dupliciter : Primò quidèm gaudendo de bonis ejus , & quantum ad hoc ,, dicit : *Congaudet autem veritati* (ſcilicet ,, proximi) vel vitæ , vel doctrinæ , vel juſtitiæ ; ex eo quòd proximum diligit ſicut ſeipſum : in tertia Epiſtola Joannis. ,, *Gaviſus ſum valdè venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.* Secundò in hoc ,, quòd homo mala proximi ſuſtinet , proùt ,, decet : & quantum ad hoc dicit , *omnia ſuffert* ; id eſt abſque turbatione ſuſtinet omnes defectûs proximorum , vel quæcunque adverſa : Roman. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere* : Galat. 6. *Alter alterius onera portate , & ſic adimplebitis legem Chriſti , ſcilicet charitatem.* Deindè cùm dicit : *Omnia credit* , oſtendit quomodò ,, charitas faciat operari bonum in comparatione ad Deum : quod quidèm fit præcipuè per virtutes Theologicas , quæ habent Deum pro objecto. Sunt autem præter charitatem duæ virtutes Theologicæ, ,, ut infra dicitur , ſcilicet Fides & Spes. ,, Quantum ergo ad Fidem , dicit , *Omnia credit* , ſcilicet quæ divinitùs traduntur, ,, Geneſis 15. *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Credere verò omnia , quæ ab homine dicuntur , eſt ,, levitatis , ſecundùm illud Eccleſiaſtici 11. ,, *Qui citò credit levis eſt corde* : Quantum autem ad Spem dicit , *Omnia ſperat*, ,, quæ ſcilicet promittuntur à Deo Eccleſiaſt. 12. *Qui timetis Deum , ſperate in eum.* Et ne Spes frangatur per dilationem ,, ſubdit , *omnia ſuſtinet* , id eſt , patienter expectat , quæ promittuntur à Deo, ,, quamvis dilata, ſecundùm illud Habacuc 2. ,, *Si moram fecerit , expecta eum.* Pſal. 26. ,, *Confortetur cor tuum , & ſuſtine Dominum.*

44 Vidimus Thomam Angelicum Pauli interpretem perfectionem fidei à charitate derivantem : ſupereſt eum audire tanquam Scholæ Angelum , qualiter oſtendat charitatem fidei formam eſſe & quaſi animam. ,, Actus voluntarii (inquit) ſpeciem ,, recipiunt à fine , qui eſt voluntatis objectum. Id autem à quo aliquid ſpeciem ,, ſortitur , ſe habet ad modum formæ in ,, rebus naturalibus. Et ideò cujuslibet actûs ,, voluntarii forma , quodammodò eſt finis ,, ad quem ordinatur : tùm quia ex ipſo ,, recipit formam : tùm etiam quia modus ,, actionis oportet quòd reſpondeat proportionabiliter fini. Manifeſtum eſt autem ,, ex prædictis , quòd actus fidei ordinatur ,, ad objectum voluntatis , quod eſt bonum, ,, ſicut ad finem. Hoc autem bonum , quod ,, eſt finis fidei , ſcilicet bonum divinum, eſt ,, proprium objectum charitatis. Et ideò ,, charitas dicitur forma fidei , in quantum ,, per charitatem actus fidei perficitur & ,, formatur. Eandem fidei à charitate formationem explicaverat jam non ſolum in Sententiariis , ſed etiam in quæſtionibus diſputatis , ubi hæc inter alia habet : ,, Quomodo autem fides per charitatem formetur, ,, ſic intelligendum eſt : Quandocunquè enim ,, duo ſunt principia moventia , vel agentia ad invicèm ordinata , id quod in effectu eſt ab agente ſuperiori , eſt ſicut formale , quod verò eſt ab inferiori agente , eſt ſicut materiale. Et hoc patet tàm ,, in naturalibus , quàm in moralibus. In

D.Thomas 2.2. q.4. a. 3. in corp.

Qualiter charitas à D.Thoma forma dicatur fidei.

In 3. diſt. 23. q.3. a.1.

Quæſtione de Fide, art.5. in corp.

„ actu enim nutritivæ potentiæ eſt vis animæ, ſicut agens primum, calor verò ignis ſicut agens inſtrumentale, ut dicitur in ſecundo de anima, quod autem in carne, quæ generatur per nutritionem, eſt ex parte caloris ignei, utpotè aggregatio partium, vel ſiccitas, vel aliquid hujuſmodi, eſt materiale reſpectu ſpeciei carnis, quæ eſt ex vi animæ. Similiter cùm ratio inferioribus potentiis imperet, utpotè concupiſcibili, & iraſcibili in habitu concupiſcibilis hoc, quod eſt ex parte concupiſcibilis utpotè pronitas quædam ad utendum aliqualiter concupiſcibilibus eſt quaſi materiale in temperantia. Ordo verò, qui eſt rationis, & rectitudo eſt quaſi forma ejus, & ſic eſt in aliis virtutibus moralibus. Unde quidam Philoſophi omnes virtutes ſcientias appellabant, ut dicitur in ſexto Ethicorum. Cùm fides igitur ſit in intellectu ſecundum quod eſt motus & imperatus à voluntate, id quod ex parte cognitionis eſt quaſi materiale in ipſa, ſed ex parte voluntatis accipienda eſt ipſius formatio. Et ideò cum charitas ſit perfectio voluntatis, à charitate fides informatur, & eadem ratione omnes aliæ virtutes proùt à Theologo conſiderantur, prout ſcilicet ſunt principia actûs meritorii.

45 Apoſtolorum Principi, & Divo Jacobo acceſsit in ſuis epiſtolis canonicis Sanctus Joannes, cujus ſpecialia teſtimonia contrà rejectum errorem hìc adducenda non veniunt: quia præcipuus epiſtolarum ſcopus totus fuit in commendanda charitate erga Deum, dilectione erga proximos, obſervantia mandatorum Dei, & bonis operibus. Præterea Sanctus Judas neceſsitatem bonorum operum contra ſui ævi hereticos acritèr invehens, expreſsit luculenter illis verbis: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis. Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti ſunt contra Deum peccatores impii.* Sed majorem continent quantum ad præſens aſſumptum attinet efficacem energiam ab eodem Apoſtolo paulò poſt ſubjuncta verba: *Vos autem chariſsimi, ſuperædificantes vos metipſos ſanctiſsimæ veſtræ fidei, in Spiritu Sancto orantes. Vos metipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.*

Judæ à v. 14.

V. 20. & 21.

46 Hoc teſtimonium alludere videtur ad verba illa Pauli: *Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, preter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Demus igitur ex productis teſtimoniis graviſsimum & peremptorium argumentum, angelico elucidante Doctore, tùm expoſitione in verba Pauli: tùm etiam in ſumma Theologica: Fides Chriſtiana ea ad ſalutem æternam conſequendam conducit, dirigit, & ſufficit, quæ fundamentum eſt reipſa ædificii ſpiritualis in anima, ut ſignificant Pauli verba, expreſsitque ampliùs Apoſtolorum Princeps recenter baptizatos. Quaſi modò genitos infantes monens: *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperędificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.* At fides Chriſtiana ſine operibus reipſa, & in actu exercito, ut dicitur in ſcholis, rationem non habet fundamenti, cui ædificium ſuperædificatur ſpirituale: quid mihi ergo fides illa informis ad ſalutem æternam conſequendam ſufficiens prædicatur? De prima propoſitione dubitare non ſinit gentium Apoſtolus, fundamentum etenim eſt Chriſtus Jeſus habitans in cordibus noſtris per fidem, ut dicitur Epheſiorum tertio. Hic enim eſt lapis ſummus angularis electus pretioſus, ut poſt Iſaiam affirmat D. Petrus: *Et qui crediderit in eum, non confundetur.* Sicut etiam affirmat D. Paulus. Probatur jam minor propoſitio: nam fides Chriſtiana in tantum exercere valet in ædificio ſpirituali rationem fundamenti, in quantum aliquis ſuperędificat fidei in ſe ipſo fundatæ profectum charitatis & bonorum operum, ſive ſint opera præclara & ſtabilia, adinſtar auri, argenti & lapidis pretioſi: ſive alia opera, quibus nimirùm homo intendit in rebus corporalibus procurandis, fœno proinde, ligno & ſtipulę comparata ut latiori calamo exponit Dr. Angelicus: Si ergo fidei opera deficiunt, & propria fundamenti ratio deficit.

1. Corinth. 3. à v. 10.

Ex Apoſtolis Theologicè arguit D. Thomas.

D. Thom. ibidè lect. 2. à medio.

Et 2. 2. q. 4. a. 7 ad 4.

1. Petri 2. v. 5.

V. 6.

Rom. 9. v. 33.

Qualiter fides chriſtiani ædificii fundamétum dicatur, ſpes dicatur paries, & charitas tectum.

47 Audiatur tamen D. Thomas articulo citato inquiens: „ Ad rationem fundamenti, non ſolum requiritur quòd ſit primum, ſed etiam, quod ſit aliis partibus ędificii connexum. Non enim eſſet fundamentum, niſi ei, aliæ partes ædificii cohærerent. Connexio autem ſpiritualis ædificii eſt per charitatem: ſecundùm illud ad Coloſſen. 3. ſuper omnia charitatem habere, quæ eſt vinculum perfectionis. Et ideò fides ſine charitate fundamentum eſſe non poteſt. Sed quid prohibitum, ut fidem dicamus murum ædificii ſpiritualis, bona verò opera antemurale juxta propheticum Iſaiæ pronuntiatum: *Urbs fortitudinis noſtræ Sion Salvatoris, ponitur in ea murus, & antemurale.* Ubi Hieronymus habet: *Non enim ſufficit murum habere fidei, niſi ipſa fides bonis operibus confirmetur.* Meritò namque Doctor Angelicus cum PP. ex Prophetis adnotavit, in ædificio ſpirituali, Fidem habere rationem fundamenti, cui ſuperaddita Spe ad inſtar parietum: accedit charitas, ut tectum: ſecundùm quod benè adducit, & explicat Dr. Sanctus. Quan-

Iſaiæ 26. v. 1.

S. Hieronymus ibidem.

D. Thomas c. de Spe, a. 4. arg. 14. & ejus ſolut.

48 Quantùm in Scriptura Sacra & Patribus expreſſa & firmata ſit bonorum operum pro æterna ſalute neceſsitas, cuique vel mediocriter Chriſtiano ex hucuſquè dictis apparet. Et nihilominus in medio lucis cæcutiunt heretici, veluti arbores infructuoſæ, & ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. Sed utinàm depoſitis aliquantulum erroneis præjudiciis attenderent: Fidem ſine operibus ad majorem damnationis cumulum deducere ob voluntatis malitiam! Juxtà illud Doctoris Angelici pronuntiatum: *Fides ſine obedientia videtur eſſè ad cumulum damnationis.* Et rectè quidèm: fides namque illa otioſa utique erit; proprio fine adipiſcendo deſtituta, judicioque Dei vindicis ſubjicienda; quemadmodum de verbo otioſo Chriſtus Dominus pronuntiavit: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Et quis eſt ſermo otioſus?* Interrogat S. Ephrem: *Profeſsio fidei, quæ eſt abſque operibus*, reſpondet ille: *Credit enim, & Chriſtum profitetur, ſed otiosè agit, cum ea minimè præſtet, quæ à Chriſto perfecta ſunt.* Horreant igitur hæretici fidem prædicantes, opera intermittentes; ſi infœlicem illum conſiderent, quem ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores mittere juſsit juſtitiæ ſupremus Rex. *Et quis ille infœlix, qui ad convivium intravit non habens veſtem nuptialem? Et quis intrat ad nuptias, ſed ſine veſte nuptiali? Qui in Eccleſia fidem habet, ſed charitatem non habet.* Interrogat, & reſpondet Magnus Gregorius: Accedēte Hieronymo in veſte nuptiali præceptorum obſervantia conſiderante.

Fides ſine obedientia videtur eſſe ad cumulum damnationis.

Judæ 1. v. 13.

D. Thomas lib. 5. de erud. Princ. cap. 37.

Matthæi 12. v. 36.

S. Ephrem tom. 3. conſ.

Matthæi 22. v. 13.

V. 12.

S. Gregorius Homil. 38. in Evang.

§. UNICUS.

Fides operibus deſtituta, ruinæ approximat.

49 VINDICATÆ propoſitionis veritatem hæretici ipſi adverſantes proprio experimento produnt: quia dùm bona opera intermittunt gravi inquinati operationibus ipſam quam magnificant fidem perdiderunt. Res itaque non nova; imò novo-antiqua: quia nullus unquam, ſive in antiquis, ſive in modernis ſæculis, à fide defecit, qui non moribus improbus fuerit, ut ſatis notum fecimus in primo apparatu. Quandoquidèm, ut Nyſſenus contra reſurrectionem negantes egregiè ſcripſit: *Qui ſibi conſcii ſunt turpiſſimarum, & fœdiſsimarum actionum, quibus graves pœnas meriti ſunt, odio judicii tollunt reſurrectionem, & pro eo quod cupiunt & optant, varias cogitationes ſibi fingunt.* Similia de aliis hæreticis immortalitatem animæ negantibus, purgatorium, infernum, hujuſque pœnarum æternitatem adnotavit Magnus Auguſtinus, dum inquit, *Ut ſuis perditis moribus banc pollicerentur, impunitatem.* Sed quid immoramur, poſtquam Apoſtolus ipſe jam pro ſuo ęvo ſignificavit illis verbis: *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee ſecundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: Ex quibus eſt Hymenęus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Hujuſmodi verborum ſenſus talis eſt juxtà expoſitionem Doctoris Angelici: Bona militia ſpiritualis ad quam Paulus Timotheum inſtruit, duo exigit (ad ſimilitudinem corporalis militiæ, quæ in eo potiſsimùm eſt, ut exercitus Duci accuratè obtemperetur, ut militia non deſeratur, ut nemini vel fraude vel vi damnum, aut injuria inferatur, ut videre eſt, apud Agellium) ſcilicèt, ut nihil agat contrarium diſciplinæ militari. Et ut non marceſcat otio: Sic igitur poteris bonam militiam habere (ipſi enuntiat Timotheo) per fidem bonam Chriſtianæ militiæ neutiquàm contrariam: Et per conſcientiam bonam bonis, ſcilicèt operibus abundantem, quibus otio perpetuum bellum indicitur; nec aliter in hac militia decertare convenit: quia repulſa bonâ conſcientiâ naufragium in fide eminet, ut oſtendunt Alexandri & Hymenęi exempla: *Hos* (inquit Theodoretus) *tradidit Diabolo, non ut bonorum præceptori, ſed ut acerbo carnifici. Ab Eccleſiaſtico etenim corpore ſeparati, & divinâ gratiâ denudati, acerbè à crudeli adverſario flagellabantur, incidentes in morbos, & alias calamitates ac ęrumnas: Hæc enim hominibus inferre conſuevit, quia & inimicus & ultor.* Similia habent Chryſoſtomus, & Haymo apud Mag. Nicolai in notis ad locum Pauli.

S. Gregorius Nyſſenus oration. 2. de Reſurrec.

S. Auguſtinus lib. 21. cap. 8.

1. ad Timoth. 1. à v. 18.

D. Thom. ibidè.

Ibidèm lect. 4.

Agellius lib. 16. Noctium Atticarum cap. 4.

50 Propoſitam veritatem ampliùs etſi breviter firmare eo aggredimur ordine, ut priùs ex Auguſtino illud veluti Proverbium memoremus: * *Quòd quis malè vivat, &*
* *benè credat difficile eſt.* Dei credere & ag-
* noſcere gratiam, eamque gratiam floccifa-
* cere, nec à Deo petere, difficile eſt. Crede-
* re in Deum, tu qui vitam agis, quaſi Deus
* non eſſet, cujus oculis nuda eſſent, & aper-
* ta, quæ facis, aut punire non poſſet, *dif-*
* *ficile eſt.* Difficile eſt credere providen-
* tiam divinam, ac fraudibus, doliſque
* fidere. *Difficile eſt* credere, Deum bo-
* num & Sanctum, ac eum maledictis one-
* rare. Difficile eſt, credere Deum vera-
* cem, eumque in teſtem falſi vocare. *Dif-*
* *ficile eſt*, credere Deum Omnipotentem,
* & eum per jocum ad iram provocare,
* nec illius timorem ullum habere. *Dif-*
* *ficile eſt*, credere paradiſum, nec cura-
* re illum, illique momentaneam anteferre
* delectatiunculam. Cum ergo bona opera
* intermittens pravis continuò affectibus

S. Auguſtinus Serm. 237. de tempor.

* ſau-

* ſaucietur, malíſque operibus inquinetur, * quatenus hominis ſpiritus velùt myſtica * terra, ſi frondes & fructus non germi- * nat; ſpinis & tribulis inhorreſcet. Sic- * que pronuntiare nobis licet etiam: *Dif-* * *ficile eſt, quòd quis benè credat, ſi non* * *benè operatur.*

Fides ſine operibus claudicat.

3.*Reg*.18.*v*.21

Luc. 15.*v*.13.

S. Gregorius lib.2.*de Pœnitentia cap*.3.

51 Deindè fidelem in bonis operibus procurandis otioſum, claudicantem meritò poſſumus appellare, ipſique objicere, quòd aliàs Iſraëlitis improbavit Elias: *Uſquequo claudicatis in duas partes?* Qui autem claudicat, caſui expoſitus benè eſt. Sic de filii prodigi fide ad verba illa: *Diſsipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Adnotavit Ambroſius inquiens: *Meritò conſumpſit eam, cujus fides in operibus claudicabat.* Audiatur etiam Magnus Gregorius ad verba illa Job: *Oculus fui cęco, & pes claudo.* De populo Judaico dicens: * Habens * oculos claudus fuit, quia legem quidèm * tenuit, ſed in ea greſſum boni operis * non tetendit; aliàs enim voce Domini * dictum non fuiſſet filii alieni mentiti ſunt * mihi; filii alieni inveterati ſunt, & clau- * dicaverunt à ſemitis ſuis. Meritò igitur idem concludit Gregorius exponens verba illa Salomonis: * *Pigredo immittit ſoporem,* * (ſic loquens) quia paulíſper etiam rectè * ſentiendi vigilantia amittitur, dùm à * benè operandi ſtudio ceſſatur.

Job 29. *v*.15.

Pſal.17.*v*.46.

S. Gregorius 3. *p. Paſt. adm.* 16.

52 Tandèm oſtendere habemus pronuntiatum illud Sancti Eucherii: *Fides & opera vinculo ſibi quodam indiſſolubili connectuntur: ubi enim una defuerit, altera penitùs non ſtabit.* Quod etiam adnotavit Gregorius ad verba illa: *Qui dicunt exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea,* * ad mores ita transferens: Inimici deſtruen- * tes uſque ad fundamentũ Jeruſalem, exina- * niunt, quando perverſi ſpiritus à corde * fidelium, deſtructo priùs ædificio bono- * rum operum, ſoliditatem quoque exhau- * riunt Religionis. Sicut enim ſuprà fun- * damentum fabrica, ſic ſuper fidem ope- * ra conſtruuntur: uſque ad fundamentum * ergo exinaniſſe eſt, everſo benè vivendi * opere, etiam robur fidei diſsipaſſe. Hujus propoſitæ veritatis ratio Theologica cum Doctore Angelico ita proponi valet: „Intellectus credentis aſſentit rei creditæ: non „quia ipſam videat vel ſecundùm ſe, vel „per reſolutionem ad prima principia per „ſe viſa, ſed quia convincitur per aucto- „ritatem divinam aſſentire his, quæ non „videt, & propter imperium voluntatis mo- „ventis intellectum, & obedientis Deo.... „Et ſecundùm hunc modum in fidelibus „Chriſtianis laudatur fides. Sed fidelis, vel quicunque ſit homo opera intermittens, praviſque ex inde operationibus irretitus, dominante præſertim, ut ſolet peſtifera ſuperbia, Deo obedire renuit: quid ergo vel ad fidem ſuſcipiendam indiſpoſitus ſit, vel ad fidem deſſerendam feſtinet? Cui proindè intimari poteſt, quod ſuperbis Judæis objiciebat Chriſtus Dominus: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ad invicèm accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt non quæritis.* „Ideò autem (exponit D. Tho- „mas) credere non poterant in Chriſtum: „quia cum ſuperba mens eorum, gloriam „& laudem appeteret, id eſt, ſe ſuper alios „efferri reputabant in gloriam, & dede- „cus in Chriſtum credere, qui abjectus vide- „bant, & pauper; & ideo ei credere non pote- „rant. Sed ille in eum credere poteſt, qui cor „habens humile ſolius Dei gloriam quæ- „rit, & ei placere appetit.

S.Eucherius in Bibliotheca PP

Pſal.136.*v*.7.

S.Gregor.lib.2. *Moral.cap*.10.

Deficientibus operibus fides vix ſtabit.

D.Thomas 2.2. *q*. 5. *a*. 2. *in corp.*

Joann.5.*v*.44. *D. Thomas ibidem lectur*.7.

OBJECTA DISSOLUTA.

53 Nihil eſſet objiciendum magis quàm teſtimonia Apoſtoli, quibus tribuere videtur juſtificationem & ſalutem fidei Chriſtianæ, ſivè fidei in Chriſtum Dominum, quibus proinde teſtimoniis abutuntur, hæretici adverſantes. Verumtamen, quia pro majori parte art. 1. pręcedenti elucidata, & explicata ſunt, ſupereſt in pręſentiarum unum vel alterum teſtimonium indicare dumtaxàt, tùm Apoſtoli affirmantis: *Omnis, qui credit in illum* (ſcilicet Chriſtum Dominum) *non confundetur.* Similia tradit S. Joannes, de Chriſto Domino in cruce exaltato, inquiens: *Ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Rurſus in Epiſtola Canonica: *Omnis, qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Hæc tamen aliaque ſimilia teſtimonia, quæ omittimus fruſtrà coaſcervant hæretici, ut ſalutem fidei referant, operibus ſecluſis. Hoc autem quàm alienum ſit à veritate Scripturarum, perſpicuum ex eo fit, quòd etiam de Spe dicitur: *Spes autem non confundit.* Et de dilectione: *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* De humilitate: *Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur.* De oratione: *Omnis, qui petit, accipit. Et quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Et de obedientia: *Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis ęternæ.* Et tamen neque ipſi hæretici, ſpem ſolam, orationem, humilitatem, obedientiam aliaque hujuſmodi ad ſalutem æternam ſufficere dicunt.

Rom.10.*v*.11.

Joann.3.*v*.15.

1.*Joann*.5.*v*.1

Rom.5. *v*.5.

1.*Joan*.4.*v*.7.

Lucæ 18.*v*.14

Lucæ 11.*v*.10

Roman.10. *v*. 13.

Hebræor. 5. *v*. 9.

54 Reſpondetur igitur allata teſtimonia, aliaque ſimilia, quæ omittimus, intelligenda eſſe de fide formata per charitatem, bonis operibus explicatam, ut benè monet Auguſtinus tract. 10. in Joannem, & Sancti Patres communiter. Atque etiam poſt Patres ipſorum communis vox Angelus, ſcilicet Scholarum: *Omnis, qui credit in illum* (ſcilicet fide formata) *non confundetur.* Scilicet, quaſi deficiens à ſalute, exponit Doctor Sanctus. Inſuper ut omnis, qui credit in ipſum: Benè operando, addit D. Thomas. Tandem ad verba Joannis ultimo loco adducta: *qui credit*, inquam fide formata, non informe, exponit Sanctus Doctor cum Gloſſa: *Credit, qui ſic vivit, quomodo Chriſtus præcepit.* Imò, neque Joannes ipſe de veritate hujus expoſitionis dubitare ſinit, tùm in contextu ad ſecundum teſtimonium, ubi opera, quæ in Deo facta ſunt commendat tanquam manifeſtativa fidei in Chriſtum de qua loquitur. *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo facta ſunt.* In ſecundo loco ſubjungit: *Hęc eſt enim Charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Prętereà quantum ad verba Pauli attinet eorum data expoſitio à D. Thoma, Apoſtolus ipſe ſignificat verbis pręcedentibus: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* In quibus tria hęc pręcipuè commendat Apoſtolus, Fidem, Spem & Charitatem, ita ut confeſsio ſit in fide, fortitudo in ſpe, latitudo in charitate, ut benè adnotat Auguſtinus. Deindè: quia Apoſtolus aſſertum ſuum probat ex illo Joëlis 2. *Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Eſt autem invocare, in ſe vocare per affectum, & devotum cultum, exponit D. Thomas, cui pręluxerat Auguſtinus: inquiens: *Invocas, quidquid amas: invocas quidquid in te vocas: invocas, quidquid vis, ut veniat ad te.* Et rursùs: *Invoca Deum, tanquam Deum, ama Deum, tanquam Deum.*

D. Thom. ibidē lect.2.

Lectur.2.*ad finem.*

D. Thom. vel Auctor. illius Comment.

Sola fides formata ſalutem conſequitur æternam.

V. 20. & 21.

V. 3.

V. 10.

S. Auguſt. in Pſal.67.

V.32.

In Pſal.85.

55 Tandèm ut effugium quodlibet ad ſenſum Pauli pervertendum occludatur hæreticis, audiatur hìc Apoſtolus (in articulis ſubſequentibus ſæpè adducendus) de prima muliere in prævaricatione ſeducta, cui proindè occluſſa poſſet ęxiſtimari ſalutis æternæ via; ſic loquens; *ſalvabitur autem per generationem filiorum, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate.* Salvabitur inquam ſivè ſalutem æternam conſequetur, ſi in fide permanſerit, ſi in dilectione, ſi in ſanctificatione, ſi in ſobrietate. Juxta illud Athanaſii: *In dilectione*, hoc eſt, *rectè vivendi modo: Non enim ſatis eſt fides, niſi Charitas adſit, quæ vitæ totius eſt ſumma.* Audiatur tamen Doctor Angelicus ibidèm adnotans: „Apoſtolum tria ponere ad ſa- „lutem æternam conſequendam neceſſaria: „Primò aliquid ad intellectum pertinens: „Secundò ad affectum, tertiò ad exterio- „rem actum. Primò (inquit) in intelle- „ctu eſt fides, per quam intellectus Chriſto „ſubjicitur: undè dicit in fide: He- „bręor. 11. ſine fide impoſsibile eſt pla- „cere Deo: Et quia fides nihil valeat ſi- „nè dilectione, ideò quoad affectum ſta- „tim ſubjungit, dicens, & dilectione 1. „Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, „ita ut montes transferam, Charitatem „autem non habuero, nihil ſum, &c. In „exteriori autem ponit duo contra laſci- „viam: Quæ conſiſtit in duobus, ſcilicet „in luxuria: Et quantum ad hoc dicit, „in ſanctificatione, id eſt in caſtitate. „1. Theſſ. 4. Hæc eſt voluntas Dei San- „ctificatio veſtra, &c. Item in crapula „contra quod dicit, cum ſobrietate. Tit. „2. Sobriè & piè & juſtè vivamus in hoc „ſæculo.

1. *Ad Timoth*. 2. *v*. 15.

S. Athanaſius ſuprà laudatus.

D. Thomas ibidèm lect. 3.

ARTICULUS IV.

Chriſtum D. inducens, verbo & exemplo, neceſsitatem bonorum operum promulgantem.

56 CHRISTUM D. generis humani Redemptorem, hominumque Legiſlatorem & Magiſtrum, Sancti Prophetæ prænuntiarunt, ut videre licet apud Iſaiam, de præviſo Meſsia vaticinantem: *Dominus Judex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Nihilominus hæretici, quos in hac diſſertatione debellandos ſuſcepimus; dùm Chriſtum Dominum Redemptorem inaniter prędicant & ſiniſtrè magnificant; eum Legiſlatorem agnoſcere renuunt, nè ſcilicet ad obediendum divinis mandatis conſtringantur, eorum libera, & effręni voluntate coercita. Illis proindè Davidicum illud pronuntiatum adaptare poſſumus: *Diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, vana loquebatur unuſquiſque ad proximum ſuum.* Per oppoſitum verò Catholica fides Chriſtum Dominum, ut Redemptorem ſimul & Legiſlatorem adeò firmiter veneratur & confitetur, ut Sacrum Tridentinum Concilium ita diffinierit: *Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe, ut redemptorem, cui fidant non etiam ut Legiſlatorem cui obediant, anathema ſit.* Pro hac veritate ampliùs ſtabilienda,

Iſaiæ 33.*v*.22.

Novatores Chriſtũ ut Redemptorem inaniter prædicantes, ut Legiſlatorem agnoſcere renuunt.

Concilium Trident.ſeſſ.6.can. 21.

57 Aſſerendum eſt: Chriſtum Dominum neceſsitatem bonorum operum pro conſequenda ſalute, verbo promulgaſſe & exemplo. Probatur primò Catholica aſſertio: opera namque bona ea ſunt, quibus homo præceptis obtemperat & mandatis; ſic enim primæ morum regulæ conformia ſunt, nempè legi æternæ, unde aliæ derivantur leges; at Chriſtus Dominus præcepta obſervanda dedit pro ſalute æterna, non aliter conſequenda: Igitur Chriſtus Dominus præter fidem opera bona exigit non inquam ſub conſilio, & libito hominis relicta, vel ad melius eſſe poſita; ſed tanquam omninò neceſſaria. Aſſumptam propoſitionem tota ferè evangelica hiſtoria oſtendit; unde aliqua dumtaxàt teſtimonia in exemplum ſubjicienda duximus: Et imprimis poſtquam Chriſtus Dominus ſe vitem appellavit, diſcipuloſque ſuos palmites dicit, in ſe ipſo manendos, ut fructum afferant vitâ æternâ dignum, juxta illud: *Ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Quid pręſtare debeant, ita expreſsè ſignificat: *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectio-*

Chriſtus D. neceſsitatem bonorum operũ verbo promulgans.

Joann. 15.

V. 16.

V. 19.

lectio-

,, mum (qui non credit jam judicatus) id ,, eſt hoc ipſum, quòd non credit eſt ſibi ,, ad condemnationem (non credere enim, ,, eſt non adhęrere lumini, quòd eſt eſſe ,, in tenebris.) Et hæc eſt magna condem- ,, natio. Sapient. 17. una catena tenebra- ,, rum, &c. Tobiæ 5. Quale mihi gau- ,, dium, &c. Tertiò modo ſecundùm eun- ,, dem (qui non credit) non judicatur, id ,, eſt jam condemnatus eſt, id eſt jam ma- ,, nifeſtam cauſam condemnationis habet. ,, Et ſimile eſt ac ſi diceretur de aliquo, ,, qui manifeſtam cauſam mortis habet: an- ,, te etiam quàm feratur ſententia mortis ,, contra eum, quia jam mortuus eſt. Un- ,, dè Gregorius dicit quòd in judicio du- ,, plex eſt ordo. Quidam enim judicabun- ,, tur judicio diſcuſsionis. Illi videlicet, qui ,, habent aliquid condemnationi repug- ,, nans, ſcilicet bonum fidei, ſcilicet fide- ,, lis peccatoris. Sed infideles quorum dam- ,, natio eſt manifeſta abſque diſcuſsione dam- ,, nantur. Et de iſtis dicitur (Qui non cre- ,, dit jam judicatus eſt.)

64 Præcepta obſervanda docendo tradit Chriſtus D. ut vidimus: Exemplo etiam, quatenus cœpit facere, & docere, ut oſtendere aggredimur. *Fecit enim quæ facienda nobis docuit*, ut aliquando ajebat Auguſtinus, *crucem Chriſti veluti Cathedram conſiderans Magiſtri docentis*. Eo namque cœleſti ejus inter homines converſatione, paſsione, & morte tendebat divinus Pręceptor, ut nobis ſalutis ſemitam oſtenderet, ſua nobis relinquens virtutum exempla, ut ajebat Apoſtolorum Princeps: In hoc enim vocati eſtis: *Quia, & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Nec aliter hominibus contingere poteſt cum Chriſto per charitatem manere in via ad Cœlum ducente, juxta illud Joannis divinum pronuntiatum: *Qui dicit ſe in ipſo manere debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare*. Quæ verba ſic elucidat D. Thomas, vel quiſquis ſit auctor illius Commentarii, ,, Qui dicit ſe manere in Chriſto, per cha- ,, ritatem. Charitas enim facit manere in ,, Chriſto: ut infrà quarto cap. Qui ma- ,, net in charitate in Deo manet (debet ſi- ,, cut ille ambulat, & ipſe ambulare) id ,, eſt debet ſe ei in via morum conforma- ,, re, ut poſsit dicere illud Job. 23. Veſti- ,, gia ejus ſequutus eſt pes meus. Gloſſa ,, hìc in via juſtitiæ, charitatis, & pa- ,, tientiæ, & orando pro inimicis, ſicut ,, ipſe oravit. Hæc eſt via cœli non ſæcu- ,, li, Dei, non mundi (ambulare) Gloſſa de ,, virtute in virtutem, debet enim membrum ,, ſequi caput ſuum, diſcipulus Magiſtrum, ,, ſervus dominum. Et notando, quod ly ,, ſicut, non dicit omnimodam ſimilitudi- ,, nem, ſed qualemcunque, vel non dicit ,, ſimilitudinem abſolutam, ſed compara- ,, tivam, ut ſcilicet, ſicut ille ſuo modo ,, ambulavit, ita & nos ſecundùm modum ,, infirmitatis noſtræ.

S. Auguſtinus tract. 129. in Joannem.

Chriſtus D. exemplo opera docuit.

1. Petri 2. v. 21.

1. Joan. 2. v. 6. D. Th. ibidèm.

65 Jam verò ſolitam differendi methodum inſequentes, ita hæreticos urgere, & ad veritatis catholicæ gremium reducere aggredimur. Chriſtus Dominus divina præcepta adeò plenè obſervavit, ut ſe ipſum humilians, ad mortem uſquè factus fuit Patri obediens: quippè qui non venit ſolvere Legem, ſed adimplere: Et ſicut ipſe dedit mandatum, Pater & Legem in medio cordis ſcriptam, ita fecit; ſed non aliter hominibus etiam fide Chriſti inſtructis, gratia promittitur in præſenti, in futurumque ſempiterna gloria, niſi obedientia; aliarumque virtutum à Chriſto relicta exempla imitentur: manet ergo Chriſtum Dominum non ſolum verbo, ſed etiam exemplo neceſsitatem bonorum operum docuiſſe. Qua propter ad ſui ſequellam invitans dicebat: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Propoſitio aſſumpta multiplici argumento pateſcit. Primò quia non niſi filii Dei, ex Deoque proinde ſpiritualiter geniti, gratia ſplendent, in gloriam adoptandi tanquam hæredes in ſpe vitæ ęternæ; at ſoli fideles, qui opera Deo placita eliciunt, Patrem Deum dicere valent; quemadmodum illi dumtaxàt Abrahæ filii meritò audiebantur, Chriſto Domino pronuntiante: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Qua propter meritò Chryſologus indè inferebat: *Qui genitoris opera non facit, negat genus*. Et deindè miſerum Epulonem clamantem audiens: *Pater Abraham miſerere mei*: ita revincit: *O infelix Epulo, modò cognoſcis Patrem, & modò tibi Patrem ſe eſſe negat, quem in Lazaro Patrem ſic ſpreviſti*: ergo non aliter hominibus fide Chriſti inſtructis gratia promittitur in præſenti, in futurumque gloria ſempiterna, niſi obedientiâ, aliiſque virtutibus à Chriſto relicta imitentur exempla.

Pſ. 39. v. 11.

Gratia non aliter promittitur & gloria, niſi fidelibus Chriſtum imitantibus.

Joann. 8. v. 39.
ſerm. 123.

Lucæ 16. v. 24.

S. Chryſologus ſerm. 122.

66 Secundò oſtenditur propoſitio illa aſſumpta: nam juſti filii Dei & nominantur, & ſunt beneficio gratiæ ſanctificantis, per quam divinæ naturæ conſortes efficiuntur; ſed gratia hæc ſanctificans fugere docet *ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*. Deindè virtutum opera, quæ juſtos non ſine fructu ſalutis conſtituunt, ut Apoſtolorum Princeps ſubjungit, exortans proinde ad opera bona, quibus eorum electio certa manifeſtatur. Quænam autem ſint hujuſmodi opera à v. 5. *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*: Non igitur homines aliter vocandi ſunt ad gloriam ſempiternam, niſi exemplo Chriſti Domini mandata ſervent, in operaque virtutum erumpant. Deindè argumentum propoſitum maximè urget, ſi Chriſtum Dominum filium naturalem Dei Patris, veluti exemplar agnoſcimus adoptionis hominum in filios Dei; ut nos docuit Doctor Angelicus, benè adnotans: adoptionem per gratiam communem eſſe toti Trinitati, licèt approprietur Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis hujus ſimilitudinem exemplaris. Quinimo & jam Apoſtolus ipſe ſtatuerat, inquiens: *Quos præſcivit, & prędeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*.

2. Petri 1. v. 4.

V. 8.

V. 10.

D. Thomas 3. p. q. 23. a. 2. ad 3.

Romanorum 8. v. 29.

67 Sic itaque arguitur: homines in gratiam & gloriam adoptantur ad ſimilitudinem Chriſti Domini filii Dei naturalis, qui datus eſt nobis tanquam Magiſter, ſalutis ſemitas verbo monſtrans & exemplo, adinſtar ergo Chriſti Domini illi qui per gratiam in filios Dei adoptantur, admittendi ſunt ad hæreditatem æternam. Indè quàm conveniens fuerit naturalem Chriſti filiationem in ejus & Baptiſmo & Transfiguratione manifeſtari à Patre verbis illis: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui* :: *ipſum audite*; aureis verbis ita tradit Divus Thomas: ,, Reſpon- ,, deo dicendum quòd adoptio filiorum Dei ,, eſt per quandam conformitatem imaginis ,, ad filium Dei naturalem. Quod quidèm ,, fit dupliciter. Primò quidèm fit per gra- ,, tiam viæ, quæ eſt conformitas imperfe- ,, cta. Secundò per gloriam patriæ, quæ ,, eſt conformitas perfecta, ſecundùm illud ,, 1. Joann. 3. *Nunc filii Dei ſumus, &* ,, *nondum apparuit, quid erimus: ſcimus* ,, *quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus,* ,, *quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*. Quia ,, igitur gratiam per baptiſmum conſequi- ,, mur, in Transfiguratione autē præmonſtra- ,, ta eſt claritas futuræ gloriæ, ideò *tàm* ,, *in baptiſmo, quàm in transfiguratione* ,, *conveniens fuit manifeſtari naturalem* ,, *Chriſti filiationem teſtimonio Patris*, qui ,, ſolus eſt perfectè conſcius illius perfectæ ,, generationis ſimul cum Filio, & Spiritu ,, Sancto.

Matthæi 3. v. 17. c. 17 v. 5. D. Th. 3. p. q. 45. a. 4. in corp.

68 Oportet tandem fundamentum evertere, cui hæreticorum inanis confidentia & errorum machina innititur. Magnificanda utique eſt Chriſti D. redemptio, exaltanda ejus pro nobis ſatisfactio, quibus & remiſſionem nobis promeruit peccatorum, & utranque ſalutem animæ, quam etiam ut homo phyſicè inſtrumentaliter & meritoriè principaliter cauſat. ,, Ad primum ergo di- ,, cendum (verba ſunt D. Thomæ) quòd ,, dare gratiam, aut Spiritum Sanctum con- ,, venit Chriſto, ſecundùm quod Deus, au- ,, ctoritativè, ſed inſtrumentaliter conve- ,, nit etiam ei, ſecundùm quod homo, in ,, quantum ſcilicet ejus humanitas inſtru- ,, mentum fuit divinitatis ejus. Et ita actio- ,, nes ipſius ex virtute divinitatis fuerunt ,, nobis ſalutiferæ utpotè gratiam in nobis ,, cauſantes, & per meritum, & per effi- ,, cientiam quandam. In hac doctrina præluxit Doctor Angelicus Sacro Tridentino Concilio, juſtificationis noſtræ cauſas dilucidè aſsignanti & indè etiam æternæ juſtorum gloriæ, dum Chriſtum Jeſum tanquam caput porponit in membra, & tanquam vitem in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter influentem. Cauſa finalis juſtificationis gloria Dei eſt & Chriſti, ac vita æterna, habet Tridentinum. Et meritò poſtquam Apoſtolus pronuntiaverat: *Qui prędeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum* :: *In laudem gloriæ gratiæ ſuę*. Deinde cùm Chriſtus Dominus caput corporis Eccleſiæ frequentiſsimè ponatur ab Apoſtolo, juſtorum gratia & gloria non poteſt non in ipſum Chriſtum glorioſè redūdare, juxta illud: *Omnibus his veluti ornamento veſtieris*, apud Magnum Gregoriū. Tertium docuit etiam Paulus: *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam*. Cauſa efficiens (proſequitur Tridentinum) miſericors Deus eſt, qui gratuitò abluit, & ſanctificat, ſignans & ungens ſpiritu promiſsionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtrę. Et meritò quidèm: Nam ſolius Dei eſt gratiam juſtificantem, auctoritativè, & per modum cauſæ principaliter efficientis dare, juxta illud Iſaiæ: *Ego ſum, ego ſum, ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*. Tandem cauſa efficiens meritoria (& per modum inſtrumenti conjuncti, ut habet D. Thomas) *eſt dilectiſsimus unigenitus Dei Patris, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſuâ ſanctiſsimâ paſsione in Ligno Crucis nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatiſfecit*. Ita ex Apoſtolo concludit Tridentinum conformiter ad illud Iſaiæ: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum* :: *juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos*. Ex his omnibus inferant hæretici adverſantes, Chriſtum Dominum nobis factum eſſe cauſam ſalutis æternæ. At dùm inferunt, remotam inde neceſsitatem bonorum operum, præceptorumque obſervantiam, errant maximè, & ab ipſo Apoſtolo rejiciuntur, dùm inquit de Chriſto Domino: *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ*. Obtemperare igitur Chriſto Domino docenti & facienti, ut in nobis ſalutem cauſet æternam, debemus.

3. p. q. 8. a. 1. ad 1.

Concilium Tridentinum ſeſ. 6. cap. 16.

Juſtificationis noſtræ multiplex cauſa.

Seſſ. 6. cap. 7.

Ad Epheſios 1. v. 5. & 6.

S. Greg. lib. 32. Mor. cap. 5.

Roman. 6. v. 22.

Iſaię c. 43. v. 25.

D. Thom. lect. 3. in c. 4. epiſt. ad Rom. & 3. p. q. 2. a. 6.

Iſaiæ 53. v. 10. & 11.

Ad Hebræos 5. v. 9.

OBJECTA DISSOLUTA.

69 In ſui favorem errati, illud adducit Lutherus Chriſti Domini: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*. Sed in his verbis effutiit hæreticus, præter baptiſmum, ſolam fidem ad ſalutem æternam neceſſariam dicere Chriſtum Dominum: Cur ergo bonorum operum ſarcinam ſuper imponere moliuntur Catholici. Sed ò cæcutiens perfidia! dùm producta verba attendens; Chriſtum Dominum ſimulat, in eadem occaſione Apoſtolis loquentem: *Euntes*

Marci 16. v. 16.

Matthæi 28. v. 19.

tes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis; ut ſupra ponderatum eſt. Imò & per ipſum Marcum ſignificatur; quàm heroica debeat eſſe fides illa, quæ ſatis ſit ad mirabilia illa patranda: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, &c.* Quapropter meritò Bernardus adnotavit. Verumtamen conſideremus, quod ſequitur. Igitur futilis propoſita objectio diſſolvitur, propoſitionem aſſumptam ita explicando, ut vera ſit de fide operibus viva; non autem de fide mortua, ſive ut appoſitè ajebat Gregorius: *Fortaſsè autem, unuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego jam credidi, ſalvus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus teneat: vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, operibus non contradicit.*

S. Bernardus ſerm. 1. de Aſcenſione.

D. Gregorius Homil. 29. in Evang. apud D.Thom. in Catena Aurea.

Fides quę operibus non contradicit ad ſalutem valet.

70 Ojiciunt deinde Etherodoxi: quia lex ad ſervanda præcepta obligans, finem accepiſſe in Chriſto Domino, ipſemet indicare videtur illis verbis: *Omnes enim Prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetarunt*: Manent igitur poſt Chriſtum Dominum non ampliùs neceſſaria opera bona præceptorumque obſervantia, niſi ad ſummum per modum conſilii. Et quidèm ita ſignificari videtur per Apoſtolum ad Galat. ita ſcribentem: *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini.* Verumtamen ut ab hoc ultimo incipiamus, neceſſum eſt ſignificare producta Pauli verba nihil ad præſens aſſumptum facere. Quandoquidem, ut alibi ponderavimus, oſtendit ibi Apoſtolus poſt Evangelium, antiqua cæremonialia mortifera eſſe; per earum enim obſervantiam amittitur Chriſtus Dominus & ejus gratia, ideoque ſubjungit *à gratia excidiſtis.* Reſpondetur tamen ad propoſitum objectum explicando aſſumptum antecedens: lex cæremonialis & figurativa, ad Joannem uſque, ſeu potius Chriſtum, verum utique eſt: lex præceptiva, ſeu mandata Dei continens, negatur antecedens. Veniente etenim veritate antiquæ figuræ ceſſarunt; ut data opera oſtenſum eſt ſupra cum Apoſtolo dicente: Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem: *Nihil enim ad perfectum adducit lex.* Hunc eſſe dati teſtimonii genuinum ſenſum, inde notum fit, quòd non ſolum de lege ſed etiam de prophetis, uſque ad Joannem dixit Chriſtus Dominus. Et tamen poſt Joannem, plures fuiſſe prophetas, nec ipſe Lutherus negabit, ſi Dominum audiat dicentem: *Ecce mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas.* In eodem igitur ſenſu, quo Chriſtus Dominus, non mittendos affirmat prophetas poſt Joannem; de lege diſcurrendum eſt. Sicut enim poſt Joannem miſsi non ſunt prophetæ ad prænuntiandum Chriſtum futurum, & futura ea, quæ completa fuerunt in Chriſto, de quibus habet D. Petrus: *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti.* Tamen miſsi fuerunt prophetæ ad confirmandam fidem & bonos mores, ut benè exponit D. Thomas in Commentario. Ita ſimiliter de lege diſcurrendum eſt, quæ quidem in Chriſto completa eſt, quantum ad figuralia præcepta, manet tamen quantum ad præcepta morum. *Omnes prophetæ uſque ad Joannem*; * Non
* quòd poſt Joannem (inquit Hieronymus)
* excludat Prophetas; legimus enim in
* actibus Apoſtolorum & Agabum prophe-
* taſſe, & quatuor virgines filias Philip-
* pi, ſed quòd lex & Prophetæ, quos
* ſcriptos legimus, quidquid prophetarunt,
* de Domino vaticinati ſunt. Quando er-
* go dicitur, uſque ad Joannem prophe-
* taverunt, Chriſti tempus oſtenditur; ut
* quem illi dixerunt eſſe venturum, Joan-
* nes veniſſe oſtenderet.

Matthæi 11. v. 13.

Ad Galat. 5. v. 4.

Lex cæremonialis uſque ad Joannem.

Hebræor. 7. à v. 18.

Matthæi 23. v. 34.

1. Petri 1. à v. 10.

S. Hieronymus comm. in locum Matthæi apud D. Thomam in Catena Aurea.

Actor. 11.

Actor. 21.

71 Objiciunt deinde novatores teſtimonia nonnulla, in quibus Chriſtus Dominus nihil aliud ad ſalutem æternam exigit, niſi fidem Chriſtianam. *Sicut Moyſes* (inquit) *exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, & rurſus, *qui credit, in eum, non judicatur.* Et alibi frequenter. Sicut etiam habet gentium Apoſtolus: *Dicit enim ſcriptura: omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Similiter Apoſtolorum Princeps de Chriſto Domino loquens ait: *Quem cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata. Reportantes finem fidei veſtræ in ſalutem animarum.* Hęc namque, aliaque ſimilia teſtimonia ad pravas ſuas opiniones detorquent hæretici; irrito tamen conatu. Cùm enim de fide per charitatem bonis operibus explicatam, formata, procedant, veritatem ipſam Catholicam ampliùs firmant. Ut enim appoſitè adnotavit Dr. Angelicus, non dixit Chriſtus Dominus: *Qui credit ei* ſalvatur, vel non judicatur: *Sed qui credit in eum.* Id eſt qui credendo, in eum per charitatem tendit. Id ipſum ſatis indicat laudatus Apoſtolorum Princeps, dilectionem præmittens fidei. In expoſitione data memorat S. Dr. famoſam illam & utilem diſtinctionem à Theologis poſt Sanctos Patres valdè commendatam inter hæc tria: *Credere Deo, credere Deum, & credere in Deum.*

Joann. 3. à v. 14.

Rom. 10. v. 11.

1. Petri 1. v. 8. & 9.

D. Thomas ibidem lect. 3.

Credere Deo, credere Deũ, & credere in Deum.

72 Igitur credere Deo, ſignificat aſſentiri veritatibus fidei propter auctoritatem Dei revelantis, quæ eſt objectum formale ſeu motivum fidei. Credere Deum, ſignificat: tendere per aſſenſum fidei in ejus objectum principale, ſeu formale *quod*, nempè Deus, ſeu prima veritas in eſſendo.

,, Cre-

,, Credere in Deum, demonſtrat ordinem ,, fidei ad finem, qui eſt per charitatem; ,, nam credere in Deum, eſt credendo in ,, Deum ire, quod charitas facit, ut in- ,, quit D. Thom. Propoſitam diſtinctionem firmat & expendit in Summa Theologica. Deinde in quæſtionibus diſputatis. Præterea in Sententiariis ubi inquit: ,, Ex hoc ,, enim quòd intellectus terminatur ad unum, ,, actus fidei eſt credere Deum, quia objectum fidei eſt Deus, ſecundùm quod ,, in ſe conſideratur, vel aliquid circa ipſum vel ab ipſo. Ex hoc verò quod intellectus terminatur à voluntate, ſecundùm hoc actus fidei eſt credere in Deum, ,, id eſt, amando in eum tendere. Eſt enim ,, voluntatis amare: ſecundùm autem quod ,, ratio voluntatem inclinat ad actûs fidei, ,, eſt credere Deo. Ratio enim qua voluntas inclinatur ad aſſentiendum his, quæ ,, non videt, eſt, quia Deus ea dicit, ſicut ,, homo in his quæ non videt, credit teſtimonio alicujus boni viri, qui videt ea, ,, quæ ipſe non videt. Ex quibus deducere eſt: quòd credere Deo, & credere Deum, ad intellectum pertinet abſolutè, ideòque in peccatoribus locum habere poteſt. Sivè credere Deo ſignificet objectum formale *quo*, & credere Deum objectum formale *quod*, ſivè materiam fidei, ut diximus cum Sancto Doctore Commentario in locum Pauli: vel è converſo, ut ſignificare videtur in Summa Theologica. Sed tamen *credere in Deum* pertinet ad intellectum ſecundùm quod movetur à voluntate. Supereſt tamen ſtabilitum à D. Thoma diſcrimen ex Auguſtino audire: * Quis neſ-
* ciat (inquit) hoc eſſe facere voluntatem
* Dei, operari opus ejus, id eſt quod illi
* placet? Ipſe autem Dominus apertè alio
* loco dicit, hoc eſt opus Dei, ut creda-
* tis in eum, quem ille miſit. Ut creda-
* tis in eum, non ut credatis ei. Sed ſi
* creditis in eum, creditis ei: non autem
* continuò qui credit ei, credit in eum.
* Nam & dæmones credebant ei, & non
* credebant in eum. Rurſùs de Apoſtolis
* ipſius poſſumus dicere, credimus Paulo;
* ſed non, credimus in Paulum: credimus
* Petro, ſed non credimus in Petrum.
* Credenti enim in eum, qui juſtificat im-
* pium, deputatur fides ejus ad juſtitiam.
* Quid eſt ergo credere in eum? Credendo
* amare, credendo diligere, credendo in
* eum ire, & ejus membris incorporari.
* Ipſa eſt ergo fides, quam de nobis exigit
* Deus: & non invenit, quod exigat, niſi
* donaverit, quod inveniat. Quæ fides, ni-
* ſi quam diffinivit alio loco Apoſtolus ple-
* niſsimè dicens: neque circumciſio aliquid
* valet, neque pręputium, ſed fides, quæ
* per dilectionem operatur.

D. Thomas lect. 1. in c. 4. Epiſt. ad Roman.

I. 2. 2. q. 2. a. 2. q. 14. quæſt. de fide, a. 7. ad 7.

In 3. diſt. 23. q. 2. a. 2. q. 2. in corp.

Fides qua in Deum credimus prædicatur neceſſaria ad ſalutem.

S. Auguſtinus tract. 29. in Joann.

*** *** *** *** ***

§. I.

Libertas per Chriſtum qualis ſit.

73 RURSUS arguunt hæretici: quia æquum non eſt jugo ſervitutis in præceptorum obſervantia ſubjicere, quos Chriſtus D. in libertatem vocavit. *Itaque fratres* (ajebat Paulus) *non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit*, ſivè ut ipſe Chriſtus Dominus ajebat: *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Inde factum eſt, ut frequenter poſt Chriſtum Dominum Apoſtoli & pręſertim Paulus libertatem ſæpè prædicaverit à Chriſto Domino fidelibus ſuis impertitam. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*, ad Corinthios ſcribebat. Et ad Galatas inquit: *Vos in libertatem vocati eſtis fratres.* Et alibi ſæpè. Hæc teſtimonia dùm objiciunt hæretici perverſam & brutalem ſuam cæcitatem produnt. Eam namque libertatem à Chriſto Domino introductam obganiunt, ut liberè poſsint carni indulgere; cùm tamen Apoſtolus ultimo loco productus novatorum, quos adverſantes hìc habemus, perverſitatem quaſi digito monſtrans ſubjungat: *Tantum ne libertatem, in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritûs ſervite invicèm.* Loquitur inquam Apoſtolus de vera & ſpirituali libertate, quæ eſt per gratiam: hæretici verò affectant exponere de libertate vana, perverſa, temporali, & carnali. Affectant inquàm; ſed eorum opera contrarium oſtendunt; Apoſtolo ipſo ſubjungente: *Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus, beneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia.* Hæc omnia cum abundent inter hæreticos, bonorum operum oſores, quis non perſpicuè videat, eos libertatem in occaſionem carnis dare; quòd Apoſtolus prudenter præcavet. In eam igitur libertatem vocati ſumus à Chriſto Domino ut devicta ſervitute carnis, liberè per Chriſtum ſpiritu ambulemus. *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas*; de quibus plena diſſertatio à nobis aliquando inſtituenda eſt. His præmiſsis:

Ad Galat. 4. v. 31.

Joann. 8. v. 36.

2. Corinth. 3. v. 17.

Ad Galat. 5. v. 13.

A v. 19.

A v. 22.

74 Reſpondetur explicando antecedens aſſumptum, ſacraque teſtimonia ſubjuncta: Chriſtus Dominus in libertatem nos vocavit, libertatem inquam à morte, à peccato, à miſeriis, & à ſervitute legis Moſaycæ, verum utique eſt, in libertatem vocavit, ſeu liberos fecit à bonis operibus,

Chriſtus vocavit nos in libertaté à morte æterna, à peccato, à ſervitute legis antiquæ.

&

& obſervantia mandatorum falſum eſt. Vel
aliter vocavit nos in libertatem ſpiritûs à
ſervitute carnis, ut indicatum eſt. Hæc
omnia vel breviter firmare & oſtendere uti-
liſsimum erit. Igitur per Chriſtum D. libe-
ratos fuiſſe fideles à ſervitute legis Moſay-
cæ quantum ad legalia & ceremonialia præ-
cepta, adeò abundanter demonſtratum eſt
Diſſertatione primâ præcedenti, ex Apo-
ſtolo præſertim, ut ipſius in doctrina con-
ſtantiam ſatis ſit in præſentiarum indicare:
dùm ad Galatas ſcribens habet: *Sed ne-*
que Titus, qui mecum erat, cum eſſet genti-
lis, compulſus, & circumcidi. Sed propter ſub-
introductos falſos fratres qui ſubintroierunt
explorare libertatem noſtram, quam habe-
mus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem
redigerent. Quinimò & ab ipſa ſervitute
legis divinæ moralis, liberari fideles per
gratiam & ſpiritum Chriſti charitate diffu-
ſa in cordibus noſtris, ſæpè pronuntiat
laureatus in Cœlo Paulus: quatenus ſcili-
cet lex adhuc vigens in lege gratiæ non
dominatur juſtis, tanquam ſervis imminens
flagello, & timorem ſervilem ſemper incu-
tiens: ſed imperat illis per charitatem li-
benter obtemperare volentibus.

Ad Galat. 2. à v. 3.

75 Hoc eſt quod Paulus ſignificavit duo-
bus ultimis teſtimoniis in argumento pro-
ductis, & inſuper dùm inquit: Non enim
ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. Et iterum:
Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Et
tandèm: *Sciens hoc quia lex juſto non eſt*
poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis,
& peccatoribus. Senſum Apoſtoli in ejus
Commentario mirificè elucidavit Dr. Ange-
licus, ubi verba ex cap. 6. adducta & in-
telligenda etiam, de lege quantum ad mo-
ralia: hæc habet: ,, Alio modo dicitur ali-
,, quis eſſe ſub lege, quaſi à lege coactus: &
,, ſic dicitur eſſe ſub lege, qui non volunta-
,, riè ex amore, ſed timore cogitur legem
,, obſervare: Talis autem caret gratiâ, quæ
,, ſi adeſſet, inclinaret voluntatem ad ob-
,, ſervantiam legis, ut ex amore moralia
,, ejus præcepta impleret. Sic igitur quan-
,, diù aliquis ſic eſt ſub lege, ut non im-
,, pleat voluntariè legem, peccatum in eo
,, dominatur: ex quo voluntas hominis in-
,, clinatur, ut velit id quod eſt contrarium
,, legi: ſed per gratiam tale dominium tol-
,, litur, ut ſcilicet homo ſervet legem, non
,, quaſi ſub lege exigens, ſed ſicut liber:
,, Galat. 4. *Non ſumus ancillæ filii, ſed li-*
,, *beræ: qua libertate Chriſtus nos libera-*
,, *vit.* Hanc autem gratiam facientem ho-
,, mines liberè legem implere, non confe-
,, rebant legalia Sacramenta, ſed conferunt
,, eam Sacramenta Chriſti: Et ideò illi qui
,, ſe cæremoniis legis ſubjiciebant, quan-
,, tum pertinet ad virtutem ipſorum Sacra-
,, mentorum legalium, non erant ſub gra-
,, tia, ſed ſub lege: niſi fortè per fidem
,, Chriſti gratiam adipiſcerentur: illi verò,
,, qui Sacramentis Chriſti ſubjiciunt, & eo-
,, rum virtute gratiam conſequuntur, ut
,, non ſint ſub lege, ſed ſub gratia; niſi for-
,, tè per ſuam culpam ſe ſubjiciant ſervitu-
,, ti peccati. Similia tradit S. Dr. ad ver-
ba adducta ex Epiſt. ſecunda ad Corinth.

Roman. 6. v. 14

Ad Galat. 5. v. 18.

1. ad Timoth. 1. v. 9.

D. Thom. lect. 3. in cap. 6. Epiſt. ad Roman.

D. Thomas in cap. 3. 2. Epiſt. ad Corinth. lect. 2.

76 Tandem exponit teſtimonium ex
Epiſt. ad Galatas inquiens: ,, Si autem re-
,, feratur ad moralia præcepta ſic, *eſſe ſub*
,, *lege*, poteſt intelligi dupliciter: vel quan-
,, tum ad obligationem: Et ſic omnes fi-
,, deles ſunt ſub lege; quia omnibus data
,, eſt: unde dicitur Matthæi 5. *Non veni*
,, *ſolvere legem, ſed adimplere, &c.* Vel
,, quantum ad coactionem: & ſic juſti non
,, ſunt ſub lege: quia motus & inſtinctus
,, Spiritùs Sancti, qui eſt in eis, eſt pro-
,, prius eorum inſtinctus: Nam charitas
,, inclinat ad illud idem, quod lex præcipit:
,, Quia ergo juſti habent legem interiorem,
,, ſpontè faciunt, quod lex mandat ab ip-
,, ſa non coacti: Qui verò voluntatem ma-
,, lefaciendi habent, comprimuntur tamen
,, pudore, vel timore legis, iſti coguntur;
,, Et ſic juſti ſunt ſub lege obligante tan-
,, tum, non cogente, ſub qua ſunt ſolum
,, injuſti: 2. Corinth. 3. *Ubi Spiritus Do-*
,, *mini, ibi libertas*; 1. Tim. 1. *juſto non*
,, *eſt lex poſsita*; ſcilicet cogens.

D. Thom. lect. 5. in locum Epiſt. ad Galat.

Juſti non ſunt ſub lege quantum ad coactionem.

77 Angelico Thomæ, ex Apoſtolo pro-
poſitam libertatem à ſervitute legis etiam
moralis explicanti, præluxit de more Au-
guſtinus: aliud eſſe adnotans: hominem eſ-
ſe ſub lege, & aliud eſſe in lege. Sub lege
enim dicitur eſſe, qui à lege regitur tan-
quam ſervus. In lege eſt, qui ſecundùm
legem agit ut liber. Unde aliquando aje-
bat idem Auguſtinus: *Non ſumus ſub lege*
bonum quidem jubente, non tamen dante,
ſed ſumus ſub gratia, quæ id quod lex ju-
bet, faciens nos amare, poteſt liberis im-
perare. Inſuper, inquit, *ſi ſpiritu ducimi-*
ni, non eſtis ſub lege, quæ timorem incu-
tit, non tribuit charitatem; rursùs expli-
cat illud: *Juſto non eſt lex poſita*, de le-
ge terrente & minante, qua juſti non in-
digent, ſed injuſti. Quod etiam pulchrè
explicat in eandem ſententiam S. Ambro-
ſius tractans illud: *Lex Dei ejus in corde ip-*
ſius. Ubi dicit, legem ſcriptam fuiſſe in ta-
bulis lapideis propter injuſtos, de quorum
cordibus lex Dei deleri jam cæperat. Juxta
illud: *Lex propter traſgreſſionem poſita eſt.*
Ut videlicet tranſgreſſores eam videre co-
gerentur in tabulis, qui non ampliùs eam
videbant in cordibus. Nam juſtis non eſt
neceſſaria lex ſcripta in tabulis, cum eam
diligenter ſervent in cordibus. *Lex enim*
Dei in corde ipſius.

S. Auguſtinus enarrat in Pſal. 1.

Lib. de contin. c. 3.

Lib. de natura, & gratia c. 57.

Lib. de ſpirit. & litt. cap. 10.

In Pſal. 36.

Ad Galat. 3. v. 19.

78 Nec à ſervitute legis ſolum eripuit
nos Chriſtus Dominus: ſed etiam & præ-
cipuè à peccato & conſequenter à morte
per peccatum introductâ: *Per peccatum mors.*
Hujuſmodi libertatem ſæpè Paulus: *Lex*
enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu libera-
vit me à lege peccati & mortis. Liberavit
inquam à lege peccati, quia ut præmiſit:
Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui
ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm
carnem ambulant. ,, Ergo nunc ex quo ſu-
,, mus per gratiam liberati, nihil damna-
,, tionis eſt reſiduum, quia & tollitur dam-
,, natio, quantum ad culpam, & quantum
,, ad pœnam, infert ibidèm Dr. Angelicus.
Inſuper à ſervitute peccati ad libertatem
gratiæ tranſlatos eſſe fideles per Chriſtum,
& à morte docuerat cap. præcedenti idem
Apoſtolus: *Cum enim ſervi eſſetis peccati,*
liberi fuiſtis juſtitiæ: quem ergo fructum
habuiſtis tùnc in illis, in quibus nunc eru-
beſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc
verò liberati à peccato, ſervi autem facti
Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctifica-
tionem, finem verò vitam æternam. Sti-
pendia, enim peccati mors, gratia autem
Dei, vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino
noſtro. Tandèm ut alia omittamus, audia-
tur idem Apoſtolus ad Epheſios ita ſcribens:
In commendationem nimiæ Dei erga nos di-
lectionis & charitatis. *Et cum eſſemus mor-*
tui peccatis, convivificavit nos in Chriſto
(cujus gratia eſtis ſalvati) & conreſuſcita-
vit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chri-
ſto Jeſu, ut oſtenderet in ſæculis ſuperve-
nientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in
bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.

Libertas à peccato & morte æterna per peccatum itroducta. introdu

Roman. 8. v. 1. & 2.

D. Thomas ibidèm lect. 1.

Roman. 6. à v. 20.

Ad Epheſios 2. à v. 5.

79 Hæc Pauli memorabilia verba bre-
viter, profundè tamen libertatem tùm à
peccato, tùm à morte nobis per Chriſtum,
veluti inſtrumentalem & exemplarem da-
tam mirificè extollunt. Digna proinde ut
à D. Thoma ſic elucidata audiamus: ,, Tri-
,, plex beneficium (inquit) tangit in illis ver-
,, bis Apoſtolus, id eſt juſtificationis, re-
,, ſurrectionis à mortuis & aſcenſionis in
,, Cœlum: per quæ tria Chriſto aſsimilamur.
,, Dicit ergo quantum ad primum, ut le-
,, gatur littera ſuſpenſivè: *Deus autem qui*
,, *dives eſt, &c. Cum eſſemus mortui pec-*
,, *catis, convivificavit nos in Chriſto*; id
,, eſt, ſimul vivere fecit cum Chriſto: Oſee 6.
,, *Vivificavit nos poſt duos dies, &c.* Con-
,, vivificavit (inquam) hic ſcilicet per viam
,, juſtitiæ: Pſal. 65. *Qui poſuit animam meam*
,, *ad vitam*: Et hoc *in Chriſto*, id eſt per
,, gratiam Chriſti; cujus (ſcilicet Chriſti)
,, gratia eſtis ſalvati: Roman. 8. *Spe enim*
,, *ſalvi ſumus.* Quantum verò ad ſecun-
,, dum dicit: *Et conreſuſcitavit nos cum*
,, *Chriſto*: quantum ad animam in re, &
,, ſpe quantum ad corpus: Roman. 8. *Qui*
,, *ſuſcitavit ipſum à mortuis, vivificabit*
,, *& mortalia corpora veſtra.* Quantum
,, verò ad tertium dicit: *Et conſedere fecit*
,, *in cœleſtibus in Chriſto Jeſu*: Scilicet nunc
,, per ſpem, & tandem in futuro in re: Quia
,, ut dicitur Joann. 12. *Ubi ego ſum, illic*
,, *& miniſter meus erit, &c.* Item Apoca-
,, lyp. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum*
,, *in throno meo; ſicut & ego vici, & ſe-*
,, *di cum Patre meo, in throno ejus.* Uti-
,, tur autem in his Apoſtolus præterito
,, pro futuro, enuntians tanquam jam fa-
,, ctum, quod futurum eſt pro certitudi-
,, ne ſpei. Sic ergo *convivificavit* quantum
,, ad animam, tandem *reſuſcitabit*, quan-
,, tum ad corpus, *conſedere fecit*, quantum
,, ad utrunque.

D. Thomas ibidèm lect. 2.

80 Datam doctrinam methodicè expen-
damus quantum ab libertatem à peccato
(inde ex conſequenti conſequuta libertate
à morte) qui peccato ſubeſt, peccati ſervi-
tute conſtringitur, juxta illud Joannis 8.
Reſpondit eis Jeſus: *Amen amen dico vo-*
bis: quia omnis, qui facit peccatum, ſervus
eſt peccati. Qui verò peccati jugum excu-
tit in libertatem ab illa ſervitute tranſit:
cum ergo per gratiam Chriſti peccatorum
vincula confringantur; ad veram à ſervitu-
te peccati libertatem per Chriſtum Domi-
num fideles reducuntur. Sed qualiter homo
peccati ſervus fiat, maximè à nobis atten-
di debet: Nam Chriſtus Dominus ad exag-
gerandam illam ſpiritualem ſervitutem; ut
adnotat D. Thomas in Commentario ad
verba adducta Joannis. ,, Ponit ergo hìc
,, Dominus quaſi quoddam juramentum,
,, quod ideò geminatur. (*Amen amen dico*
,, *vobis*) ut ſuam ſententiam magis firmam
,, oſtendat. (Hebræorum 6. *Interpoſuit juſ-*
,, *jurandum, ut per duas res immobiles,*
,, *&c.*) Secundò univerſalem loquutionem
,, cum dicit. (Omnis) ſive Judæus, ſive Græ-
,, cus, dives, aut pauper, Imperator, aut
,, mendicus. Roman. 3. *Non eſt diſtinctio*
,, *Judæi & Græci. Omnes enim peccaverunt,*
,, *&c.* Servitutem etiam proponit dicens.
,, (Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati)
,, ſed contra ſervus non movetur proprio
,, arbitrio ſuo, ſed Domini, qui autem
,, facit peccatum movetur proprio arbitrio
,, ſuo: Ergo non eſt Servus. Reſponſio. Di-
,, cendum, quòd unumquodque, quod con-
,, venit ei ſecundùm ſuam naturam. Quan-
,, do ergo movetur ab aliquo extraneo, non
,, operatur ſecundùm ſe: ſed ab impreſsio-
,, ne alterius: quod eſt ſervile. Homo au-
,, tem ſecundùm ſuam naturam eſt rationa-
,, lis. Quando ergo movetur ſecundùm ra-
,, tionem proprio motu movetur: & ſecun-
,, dùm ſe operatur, quod eſt libertatis.
,, Quando verò peccat operatur præter ra-
,, tionem: & non movetur, quaſi ab alio
,, retentus terminis alienis. Et ideò (qui
,, facit peccatum, ſervus eſt, &c.) 2. Petri
,, 2. à quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſer-
,, vus eſt. Sed quantò quis movetur ab
,, extraneo; tantò magis in ſervitutem re-
,, digitur. Et tanto magis vincitur à pecca-
,, to; quantò minùs habet de proprio mo-
,, tu, ſcilicet rationis; & magis efficitur
,, ſervus.

Joann. 8. v. 34.

D. Thom. ibidèm lect. 4.

Qualiter peccans fit ſervus peccati.

81 Solidiſsimam præjacti teſtimonii ex-
poſitionem ex Sanctis Patribus, Auguſti-
no præſertim & Gregorio, derivavit San-
ctus Doctor quos ibidèm adducit & expli-
catiùs in Catena Aurea. Ibi: *Amen amen*
dico vobis, &c. Auguſtinus trac. 41. in
Joannem: ,, Multum commendat, quod
,, ſic pronuntiat: Quodammodo (ſi dici fas
,, eſt) juratio eſt. *Amen* quippè interpre-
,, tatur verum; et tamen non eſt interpreta-
,, tum, nec Græcus hoc interpres auſus
,, eſt facere vel Latinus. Nam hoc verbum
,, Amen, Hebræum eſt. Non eſt autem inter-
,, pre-

SS. Auguſtinus & Gregorius apud D. Thom. in Catena Aurea.

,, pretatum; ut honorem haberet velamento ſecreti; non ut eſſet ligatum, ſed ne vileſceret nudatum. Jam quantum commendatum ſit, ex ipſa geminatione cognoſcite: *Verum tamen dico*: Veritas dicit; quæ utique etſi non diceret verum dico, mentiri omnino non poſſet: Tamen inculcat, dormientes quodammodo excitat, contemni non vult quod dicit: Omnis, inquit Judæus, Græcus, dives, pauper, Imperator & mendicus, *ſi facit peccatum ſervus eſt peccati*. Gregorius 4. Moralium cap. 21. vel in antiq. cap. 42. Quia quiſquis ſe pravo deſiderio ſubjicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla ſupponit. Sed huic dominio contradicimus, cùm iniquitati quæ nos c[illegible]perat, reluctamur; cùm conſuetudini violenter reſiſtimus, cùm culpam pœnitendo percutimus, & maculas ſordium lachrymis lavamus. Gregorius 25. Moral. cap. 14. vel in antiq. cap. 20. Quantò autem aliqui liberiùs peragunt perverſa quæ volunt, tantò ejus ſervitio obnoxius obligantur. Auguſt. (ut ſupra) O miſerabilis ſervitus! Servus hominis aliquando ſui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requieſcit: ſervus peccati quo fugit? Secum ſe trahit quocunque fugerit: peccatum enim quod facit, intus eſt: voluptas trãſit, peccatũ non tranſit præterit quod delectabat, remanſit, quod pũgat. Solus de peccato liberare poteſt, qui venit ſine peccato, & factus eſt ſacrificium pro peccato.

82 Liberavit igitur nos Chriſtus Dominus à ſervitute peccati & mortis, dùm filios Dei per gratiam conſtituit: inde etiam ad libertatem à miſeriis revocavit, imperfectè quidem in hac vita mortali; completè autem & perfectè in futura gloria; ideoque à D. Thoma libertas gratiæ hìc, & libertas gloriæ in futuro appellatur. Hoc & Auguſtinus à D. Thoma ibidèm adductus & in Catena Aurea, docuerat, inquiens tract. 41. ſuper Joannem: ,, Prima libertas eſt carere criminibus; ſed iſta inchoata eſt, non perfecta libertas; quia *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ut non ea quæ vultis faciatis*. (ad Galat. 6.) Libertas autem plena atque perfecta eſt, quando nullę erunt inimicitiæ, quando noviſsima inimica mors deſtruetur. (1. ad Corinth. 15. v. 26.) Quamvis ergo nihil damnationis maneat in his qui in Chriſto Jeſu baptizati & verè juſtificati ſunt, verè remiſſa culpâ & pœnæ æternæ amoto reatu: tamen veluti peccati pœnæ remanent & corporis pœnalitates & potentiarum vulnera & appetitus exurgentes & moleſtæ paſsiones, quas Apoſtolus ipſe reformidabat: *Infelix ego homo quis me liberabit, de corpore mortis hujus? Gratia* (utique reſpondet) *Dei per Jeſum Chriſtum D. noſtrum*. Liberabit inquam hìc à peccato & in reſurrectione etiam à pœnis & corruptione corporis aggravantis animam: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*. Rationem breviter aſsignāt D. Thomas, dùm aſſerit: ,, Quòd natura humana pro hoc ſtatu viæ, licèt per gratiam ſanetur quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Romanos 7. ibi: *Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*.

Libertas à miſeriis in hac vita imperfectè, completè in alia.

D. Thomas in locum Joannis.

S. Auguſt. apud D. Thomam in Catena Aurea.

Rom. 7. v. 24.

Sap. 9. v. 15. 1. 2. q. 109. à 9. in corp.

83 Hæc cum ita ſint & noviſsimè à Tridentina Synodo diffinita, congruentiſsimam præſtat audire rationem qua D. Thomas oſtendit hujuſmodi pœnalitatum permanentiam in hominibus p[illegible] Baptiſmum juſtificatis. ,, Reſpondeo dicendum quòd Baptiſmus habet virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ, non tamen eas aufert in præſenti vita: ſed ejus virtute auferentur à juſtis in reſurrectione, quando *mortale hoc induet, immortalitatem*, ut dicitur primæ Corinth. 15. Et hoc rationabiliter, primò quidem: quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & efficitur membrum ejus, ut ſupra dictum eſt, & ideò conveniens eſt, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actum in capite. Chriſtus autem à principio ſuæ conceptionis fuit plenus gratiâ & veritate: habuit tamen corpus paſsibile, quod poſt paſsionem & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum. Unde & Chriſtianus in Baptiſmo gratiam conſequitur, quantum ad animam: habet tamen corpus paſsibile in quo pro Chriſto poſſit pati, ſed tandem reſuſcitabitur ad impaſsibilem vitam. Unde Apoſtolus dicit Roman. 8. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis*, & infra eodem: *heredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & ſimul glorificemur*. Secundò, hoc eſt conveniens propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam & alias paſſibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Unde ſuper illud Roman. 6. *Ut deſtruatur corpus peccati*, dicit Gloſſa: *Si poſt Baptiſmum vixerit homo in carne, habet concupiſcentiam cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet*: In cujus figuram dicitur. Judic. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi*. Tertiò hoc fuit conveniens, ne homines ad Baptiſmum accederent propter impaſsibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ. Unde & Apoſtolus dicit. 1. Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm ſperantes ſumus in Chriſto: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*.

3. P. q. 69. à 3. in corp.

Cur poſt Baptiſmum pœnalitates remaneat.

84 Nihilominùs etſi maneant pœnalitates

tes illæ meritò dixit Apoſtolus ab illis liberatum eſſe, *gratia Dei per Chriſtum*: quia ab illarum ſervitute, licèt non ab earum tollerantia liberavit nos Chriſtus D. per ſuam paſsionem. Dupliciter itaque tollerari poſſunt pœnalitates ſive mala pœnæ, vel ſe ſubjiciendo illis earumque ſervituti dùm deprimitur animus, & in pravum convertitur, amiſſa gratiâ, boniſque ſpiritualibus. Vel paſsiones illas pœnales in bonum convertendo prout Chriſtus D. exemplo docet & auxilio; juxta illud Pauli: *Cohæredes Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Si ergo cum Chriſto & propter Chriſtum mala tolleramus pœnæ non illis veluti ſervi ſubjicimur; ſed ſuperiores evadimus: non à pœnis calcamur, ſed eas quaſi calcamus, ut Auguſtinus in ſimili ajebat: *Calcari enim non poteſt niſi inferior: ſed inferior non eſt, qui quamvis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in Cœlo eſt*. Sic namque ſimul cum Chriſto patienter ſuſtinent tribulationes hujus mundi qui futuræ gloriæ, Chriſti cohæredes futuri ſunt, ipſi configurati tanquam prædeſtinatorum exemplari, & bona omnia prædeſtinatis promerito, quibus proindè omnia etiam pœnalia cooperantur in bonum, Paulo dicente: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*. Nec mirum (exponit D. Thomas) cùm prædeſtinati ſint nobiliores univerſi partes, de quibus ſpecialem curam habet Deus (Pſalm. 33.) ,, *Oculi Domini ſuper juſtos*: in quantum ſic de eis curat quòd nihil mali circa eos eſſe permittit, quod non in eorum bonum convertat. Et hoc quidem manifeſtum eſt, quantum ad mala pœnalia quæ patiuntur: Undè in Gloſſa dicitur: *Quòd ipſorum infirmitate exercetur humilitas; afflixione patientia; contradictione ſapientia; odio benevolentia*. Sed hæc libertas à ſervitute pœnarum ampliùs eluſceſcet, ex his quæ jam ſubjicimus.

A ſervitute pœnalitatum, non à tollerantia ſuos Chriſt. D. liberavit.

Rom. 8. v. 17.

S. Auguſtinus homil. ſupr. c. 5. Matthæi apud D. Thomã in Catena Aurea.

Apoſtolus ubi ſupra 28.

D. Thomas ibidèm, lect. 6.

Deſumitur ex ſententiis Auguſt. apud D. Proſperum ſent. 158.

85 Tandèm in libertatem ſpiritûs vocavit nos Chriſtus D. quatenus à ſervitute carnis per gratiam, ipſo promerente, elargitam liberavit. Hujuſmodi libertatem commendat maximè, pariter & oſtendit tanquam in Cœlo laureatus Theologus Paulus, præſertim capite illo citato ex Epiſtola ad Galatas; cujus divinam doctrinam, Angelico Doctore elucidante, ita methodicè proponimus. ,, *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem*: Dicitur enim ſecundùm Auguſtinum, quòd caro concupiſcit, in quantum anima ſecundùm ipſam carnem concupiſcit: ſicut oculus dicitur videre cum potiùs anima per oculum videat. Sic ergo anima per carnem concupiſcit, quando ea, quæ delectabilia ſunt ſecundùm carnem appetit: per ſe verò anima concupiſcit, quando delectatur in his, quæ ſunt ſecundum ſpiritum, ſicut ſunt opera virtutum & contemplatio divinorum, & meditatio ſapientiæ, juxta illud ſapientiæ 6. v. 21. Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Hucuſque D. Thomas in commentario, prælucente Auguſtino, illis verbis. * Veraciſsime ſcriptum eſt: caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: ſedtamen carnem ſine anima concupiſcere nihil poſſe, puto quòd omnis doctus & indoctus non dubitet: Sic enim dictum eſt, caro concupiſcit, ſicut dictum eſt, auris audit & oculus videt. Quis enim neſcit, quòd anima potiùs, & per aurem audiat, & per oculum videat? Quantò congruentiùs dicitur caro concupiſcere, quando anima non ſolum carni animalem vitam præbet, verum etiam ſecundum carnem aliquid concupiſcit. Per oppoſitum verò ſpiritus concupiſcit adverſus carnem. Non inquam adverſus naturam carnis (exponit D. Thomas) ſed adverſus ejus deſideria: quæ ſcilicet ſunt ad ſuperfluitatem. ,, Unde & ſupra dictum eſt: *Deſideria carnis* (ſcilicet ſuperflua) *non perficietis*: In neceſſariis enim ſpiritus non contradicit carni; quia ut dicitur Epheſiorum 5. *Nemo carnem ſuam odio habuit*.

Ad Galatas 5.

V. 17.

D. Thomas ibidèm lect. 4.

In libertatem ſpiritus vocavit nos Chriſtus D.

S. Auguſtinus lib. 10. ſuper Gen. ad litt. c. 12.

Non adverſus naturam carnis pugnare debemus, ſed contra ejus ſuperflua deſideria.

86 Mutua hujus compugnationis ſignum manifeſtum eſt diverſitas, imò & contrarietas operum carnis & ſpiritûs, quæ ſubjungit ibidèm Apoſtolus, & à nobis ſupra memorata ſunt. Eandem contrarietatem tradit & oſtendit alibi Apoſtolus ex eo quod illi, qui ſecundum carnem ambulant, ea, quæ carni ſunt, ſapiunt, qui verò ſecundum ſpiritum ambulant, quæ ſunt ſpiritûs, ſentiunt; deducta inde contrarietate inter ſapientiam carnis & ſpiritûs, quarum prima ducit ad mortem, ſecunda verò ad vitam & pacem. In hoc enim loco in confirmationem ſuæ doctrinæ inducit Apoſtolus duos ſyllogiſmos (inquit D. Thomas) ,, unum quidem ex parte carnis, qui eſt talis: Quicunque ſequuntur prudentiam carnis ducuntur ad mortem. Sed quicunque ſunt ſecundùm carnem, ſequuntur prudentiam carnis: ergo quicunque ſunt ſecundùm carnem ducuntur ad mortem. Alium ponit ex parte ſpiritûs, qui eſt talis: Quicunque ſequuntur prudentiam ſpiritus, conſequuntur vitam & pacem; ſed quicunque ſunt ſecundùm ſpiritum, ſequuntur prudentiam ſpiritûs: ergo quicunque ſunt ſecundùm ſpiritum, ſequuntur vitam & pacem.

Roman. 8. à v. 5.

D. Thomas ibidèm lect. 1.

Contrarietas inter opera carnis, & ſpiritus.

87 Ea contrarietate ſuppoſita, ita arguentes ſubjungimus: *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*, ex Principe Apoſtolorum docuit nos D. Thomas circa ſervitutem peccati adductus: Sic ergo, qui à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, vincitur, in ſervitutem carnis redigit ſpiritum: Qui verò per oppoſitum, ſpiritu dominante, carnales affectiones, concupiſcentias & ſuperflua nocivaque deſide-

ria reprimit, cohibet & rationi ſubjicit; in ſervitutem ſpiritus carnem trahit; ſic per gratiam meritis Chriſti datam, caro ſubjicitur ſpiritui & rationi: ergo excuſſa carnis ſervitute, permanet homo, & revocatur in libertatem ſpiritûs. Non quia carnis deſideria, concupiſcentiæ motûs & corporis corruptibilis moleſtas affectiones non ſentiat, non experiatur: ſed quia hujuſmodi affectionibus non ſuccumbit, non conſentit, ſed potiùs viriliter reſiſtit, de illis glorioſè triumphans, quòd Apoſtolus jam notaverat, illis verbis: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*: Id eſt delectationes, quas caro ſuggerit:: Ita tamen quòd in hoc non includantur deſideria, quæ ſunt ad neceſsitatem carnis, ſed quæ ſunt ad ſuperfluitatem, exponit ibidèm D. Thomas. In hoc itaque ſenſu dicitur ab Apoſtolo: *Ubi ſpiritus, ibi libertas*; quia ubi dominatur ſpiritus, non regnant paſsiones carnis, quibus dominantibus captivus manet ſpiritus. Quòd autem hæc ſpiritus libertas, cujus beneficio juſtus homo in carne dicitur non eſſe, per gratiam Chriſti, ut diximus acquiratur, ratione cujus Deus in anima manet, expreſsè docuit laudatus Apoſtolus: *Vos autem* (*inquit*) *in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis*. Id eſt, exponit D. Thomas: „Non eſtis in vitiis carnis „quaſi ſecundum carnem viventis: 2. Co„rinth. 10. *In carne viventes, non ſecun„dum carnem militamus*. Et addit *ſed in „ſpiritu*. Id eſt ſpiritum ſequimini. *Si ta„men ſpiritus Dei habitat in vobis*. Sci„licet per charitatem 1. Corinth. 3. *Tem„plum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat „in vobis*. Apponit autem hanc conditio„nem: quia quamvis in Baptiſmo Spiri„tum Sanctum receperint, potuiſſet tamen „contingere, quòd per peccatum ſuperve„niens Spiritum Sanctum amiſiſſent. His motivis aliiſque ſimilibus ductus diffinivit Sacrum Concilium Tridentinum: Per Baptiſmum tolli quidquid habet propriam rationem peccati. Subjungit tamen: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem, hęc Sancta Synodus fatetur & ſentit, quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed utiliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet, quinimo, qui legitime certaverit coronabitur*.

Qui ſpiritu dominâte, ſuperflua & nociva cohibet carnis deſideria, in libertatem ſpiritus aſurgit.

Ad Galat. 5. v. 16.

D. Thomas ibidem lect. 4.

Roman. 8. v. 1. D. Thomas ibidem lect. 2.

Concilium Trident. ſeſſ. 5. cap. 3.

88 Multiplicem certè, elucidatam libertatem, cùm per Chriſtum datam firmavimus, opponet fortè aliquis: An non Antiqui Prophetæ, Patres, & quotquot viri juſti in veteri teſtamento, imò & tempore legis naturæ floruerunt, à ſervitute peccati, pœnæ æternæ, carnis & hujuſmodi, in libertatem gratiæ & ſpiritûs revocati fuerunt? Quid ergo cum Apoſtolo dicimus: in eam libertatem tranſlatos eſſe fideles in lege Evangelii; *gratia Dei per Chriſtum*. Verumtamen oppoſitio iſta in majorem ducit commendationem ſuperabundantis meriti & efficientię Chriſti Domini. Ultrò enim fatemur juſtos omnes in veteri teſtamento vitâ functos etiam in libertatem, quodammodo vocatos fuiſſe; ſedtamen beneficio meritorum Chriſti Domini, ex cujus præviſione, quidquid gratiæ & ſpiritus in antiquis illis inventum fuit, miſericors Deus contulit; ut benè Theologi omnes tenent, firmant & ſtabiliunt; poſtquam Chriſtus Dominus à Joanne dicitur: *Agnus occiſus ab origine mundi*. Et ſimiliter, pronuntiante Apoſtolo, Chriſtum Dominum mortem ſubiiſſe, *in redemptionem earum prævaricationum, quę erant ſub priori teſtamento*.

Antiqui fideles in libertatem, ex parte, vocati fuerunt per merita Chriſti D.

Ad Hebræos 9. v. 15.

89 „Unde infert D. Thomas, quòd an„tiqui teſtamenti cultores liberati ſunt à „peccatis quantum ad maculam, ſed non „virtute Sacramentorum veteris legis, ſed „in fide Chriſti. Meritò igitur Sanctus Dr. de illis, qui tempore antiquæ legis, gratia & charitate eluxerunt, inquit: fue„runt aliqui in ſtatu veteris teſtamenti ha„bentes charitatem & gratiam Spiritûs „Sancti, qui principaliter expectabant pro„miſsiones ſpirituales & æternas, & ſecun„dùm hoc pertinebant ad legem novam. „Et rurſus: illi autem, qui in veteri teſta„mento Deo fuerunt accepti per fidem, ſe„cundùm hoc ad novum teſtamentum per„tinebant, non enim juſtificabantur, niſi „per fidem Chriſti, qui eſt auctor novi te„ſtamenti: unde, & de Moyſe dicit Apo„ſtolus ad Hebręos undecimo, *quòd majo„res divitias æſtimabat thęſauro Ægyptio„rum, improperium Chriſti*. Id eſt pro fide Chriſti, vel in typum Chriſti, improperia ſuſtinere, magis æſtimavit, quàm divitias Ægypti. Et hoc faciebat aſpiciens in remunerationem, quam ſcilicet ex hoc ſperabat, ut exponit D. Thomas ibidèm. Huic expoſitioni præluxerunt SS. PP. Ambroſius, inquiens, *majorem boneſtatem æſtimavit Ægypti thęſauris opprobrium Chriſtri*. Vel, *majus patrimonium æſtimans thęſauris Ægypti opprobrium Chriſti*. Et ſimiliter habent Chryſoſtomus, Gloſſa & Haymò.

D. Thomas ibidèm lect. 4.

1. 2. q. 207. a. ad 2. & 3.

Ad Hebręos 11. v. 26.

D. Thomas lect. 5.

S. Ambroſius lib. de Paradiſo c. 3. lib. de Abel & Cain c. 4.

90 Nihilominus affirmare debemus in majorem & perfectiorem libertatem adeptos eſſe fideles novi teſtamenti, prę juſtis antiquę legis. Quandoquidem licèt utrique per Chriſti gratiam liberati ſint à ſervitute peccati, pœnæ æternæ, carnis, & à ſervitute legis etiam quantum ad moralia præcepta confomiter ad ſenſum ſupra explicatum. Tamen fideles juſti tempore illo viam agentes, ſub ſervitute & jugo Moſaycę legis quantum ad legalia & cœremonialia, concluſi erant. Et poſt mortem captivi detinebantur in Abrahę ſinu; quouſque per Chriſtum D. in cruce mortuum aperta fuit Cœlorum janua; quò aſcendens in Cœlum, & viam pandens, juſtos omnes duxit juxta illud Michæ 2. *Aſcendit pandens iter ante eos*. Inde D. Thomas in„quit: Chriſtus ſua paſsione meruit nobis „introitum regni Cœleſtis & impedimen„tum removit; ſed per ſuam Aſcenſionem „nos, quaſi in poſſeſsionem regni Cœle„ſtis introduxit. Et ideò dicitur, quòd „aſcendit pandens iter ante eos. Ut inde videas quàm rectè Apoſtolus noſtram per Chriſti gratiam conſequutam libertatem ſpecialiter commendaverit illis verbis: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſsionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. Senſus namque Apoſtoli (Angelico Doctore elucidante) talis eſt: Quòd licèt eximii Patriarchæ & juſti veteris teſtamenti multùm in verſibus antecedentibus commendati teſtimonio fidei vivæ & formatæ, approbati à Deo fuerint, & electi ad æternam hæreditatem, non tamen repromiſſam gloriam acceperunt uſque ad Chriſtum, juxta Pſal. 88. *Diſtuliſti Chriſtum tuum*. Quoad uſque ſimul, cum juſtis novi teſtamenti glorificati fuerunt, quantum ad præmium eſſentiale. Iſta enim conſummatio de qua loquitur Apoſtolus poteſt referri, inquit D. Thomas, ad præmium eſſentiale, ſcilicet ad beatitudinem, quæ habetur per Chriſtum, quam non habuerunt Sancti veteris teſtamenti. Nulli namque ex illis dictum fuerat ſicut latroni: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Id ipſum breviori ſermone tradiderat D. Thomas lect. 4. præcedenti aſſerens, quòd licèt antiqui juſti remiſsionem acceperint peccatorum quantum ad maculam: non tamen quantum ad iſtum effectum, qui eſt introitus Cœli: quia per mortem Chriſti aperta eſt janua vitæ. Nullus enim ante mortem Chriſti intravit, Zachariæ 9. *Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu in quo non eſt aqua*.

In libertatem perfectiorem Novi Teſtamenti fideles vocati ſunt.

D. Thomas 3. p. q. 49. à 5. ad 4.

Ad Hebręos 11. à v. 39.

D. Thomas ibidèm lect. 8. prope finem.

Lucæ 23. v. 43.

D. Thomas Hebræor. 9. lect. 4.

91 Angelicum Thomam in aſſumpto propoſito, Pauli audivimus dexteriſsimum Commentatorem; audiamus nunc veluti Scholæ Principem, ita Theologicè diſcurrentem: Dicendum (inquit) ad primum quod Sancti PP. operando opera ju„ſtitiæ meruerunt introitum Regni Cœle„ſtis per fidem Paſsionis Chriſti ſecundùm „illud Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt „regna, operati ſunt juſtitiam*, per quam „etiam unuſquiſque à peccato purgabatur, „quantum pertinet ad emundationem pro„priæ perſonæ. Non tamen alicujus fides, „vel juſtitia ſufficiebat ad removendum „impedimentum, quod erat per reatum „totius humanæ creaturæ, quod quidem „remotum eſt pretio Sanguinis Chriſti, & „ideò ante Paſsionem Chriſti nullus intra„re poterat regnum Cœleſte, adipiſcendo „ſcilicet beatitudinem æternam, quę con„ſiſtit in plena Dei fruitione. Id ipſum breviter docuit Sanctus Doctor, dùm inquit. „Antiqui Patres meruerunt introitum „paradiſi, quantum ad id, quod Perſonæ „eſt, ſicut & nos; tamen, quòd remo„veretur impedimentum, quod erat ex par„te naturæ, mereri non potuerunt, & „ideò ſemper remanebat eis janua clauſa. Deindè in q. 29. de veritate art. 7. & alibi frequenter. Rationem tamen fundamentalem dilucidè propoſuit in corp. præcitati articuli, inquiens.

D. Thomas 3. p. q. 49. à 5. ad 1.

Differentia inter antiquam, & noſtram libertatem.

In 3. diſt. 18. q. 1. a. 6. q. 2. ad 2.

92 „Reſpondeo dicendum, quòd clau„ſio januæ eſt obſtaculum quoddam pro„hibens hominem ab ingreſſu. Prohibe„bantur autem homines ab ingreſſu Reg„ni cœleſtis propter peccatum, quia ſi„cut dicitur Iſa. 35. *Via illa ſancta vo„cabitur, & non tranſibit per eam pol„lutus*. Eſt autem duplex peccatum im„pediens ab ingreſſu Regni cœleſtis. Unum „quidem commune totius humanæ natu„ræ, quod eſt peccatum primi parentis, & „per hoc peccatum præcludebatur homini „aditus Regni cœleſtis. Unde legitur Gen. „3. quòd poſt peccatum primi parentis *col„locavit Deus Cherubim & flameum gla„dium, atque verſatilem ad cuſtodiendam „viam ligni vitæ*. Aliud autem eſt pecca„tum ſpeciale uniuſcujuſque perſonæ, quod „per proprium actum committitur uniuſ„cujuſque hominis. Per paſsionem autem „Chriſti liberati ſumus non ſolum à pec„cato communi totius humanæ naturæ & „quantum ad culpam & quantum ad rea„tum pœnæ, ipſo ſolvente pretium pro „nobis; ſed etiam à peccatis propriis „ſingulorum, qui communicant ejus paſ„ſioni per fidem & charitatem & fidei ſa„cramenta. Et ideò *per paſsionem Chri„ſti aperta eſt nobis janua Regni cœleſtis*. „Et hoc eſt, quòd Apoſt. dicit Hebr. 9. „quòd *Chriſtus aſsiſtens Pontifex futuro„rum bonorum:: per proprium ſanguinem „introivit ſemel in ſancta, æterna redemp„tione inventa*. Et hoc figuratur Num. 35. „ubi dicitur, quòd *homicida manebit ibi*; „ſcilicet, in civitate refugii, *donec Sacer„dos magnus, qui oleo Sancto unctus eſt, „moriatur, quo mortuo poterit in domum „ſuam redire*.

93 Videſsis hucuſque juſtos, pèr gratiam Chriſti liberos à legis ſervitute, culpęque & pœnæ æternę, atque à ſervitute carnis in libertatem ſpiritûs tranſlatos. Permanent nihilominus ſub aliqua ſervitute corruptionis ex parte corporis, quoad uſque in libertatem gloriæ nunc in ſpe, poſtea in re tranſmittantur; qua ratione indicatum eſt ſupra, libertatem ſpiritûs per gratiam Chriſti eſſe dumtaxat in præſenti vitâ incohatam & imperfectam. Hoc ipſum & Paulus egregiè ſignificavit, verbis illis: *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Hæc utique verba licèt adaptentur, vel creaturæ ſenſibili in novitatem adducendæ, vel ipſi naturæ humanæ, generaliter tamen de homine juſto ſpecialiter intelligi poſſunt, ut adnotat Dr. Angelicus. „*Crea„tura* hìc tripliciter accipi poteſt: uno „modo homines juſti, qui ſpecialiter „crea-

Roman. 8. v. 20 & 21.

D. Thomas ibidèm lect. 4.

„ creaturę Dei dicũntur: vel quia permanent in bono, in quo creati ſunt: vel „ propter excelentiam: quia omnis creatura quodammodo eis deſervit: Jac. 1. „ Voluntariè genuit nos verbo veritatis, „ ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus: „ Hæc autem creatura (id eſt homo juſtas) „ expectat revelationem gloriæ filiorum „ Dei, tanquam præmium ſibi repromiſſum; tit. 2. Expectantes beatam ſpem, „ & adventum gloriæ magni Dei. Homo „ itaque etiam juſtus vanitati ſubjectus eſt, „ id eſt iſtis rebus corporalibus, quæ ſunt „ mutabilia & caduca :: ſubjicitur autem „ eis propter neceſsitatem præſentis vitæ, „ circa ea occupationem habens: Non tamen volens: quia hujuſmodi temporalia „ non amat: ſicut illi contra quos dicitur „ Pſal. 4. Ut quid diligitis vanitatem, & „ quæritis mendatium? Sedtamen hujuſmodi vanitati ſubjicitur talis creatura propter ordinationem Dei, qui ſubjecit eam „ (id eſt, hominem juſtum) hujuſmodi ſenſibilibus creaturis: ettamen in ſpe, ut „ ſcilicet quandoque à tali occupatione „ homo liberetur: *In reſurrectione*, ſcilicet „ quando *neque nubent*; *neque nubentur*, „ *ſed erunt ſicut Angeli in Cœlo*: *Matthæi* „ 22. :: In ultimis verbis oſtendit Apoſtolus „ terminum prædictę ſpectationis. Cùm „ enim creatura id eſt homo *ingemiſcat*, „ partim propter mala, quæ patitur, partim propter bona ſperata, quæ differuntur: Tren. 1. *Multi gemitus mei*, *&* *cor* „ *meum mœrens*. Et parturiat, quia cum „ quadam afflictione animæ ſuſtinet dilationem gloriæ ſpectatę: Prov. 13. Spes quæ „ differtur affligit animam. *Uſque adhuc*, „ id eſt uſque ad mortem; quia iſte gemitus non eſt ablatus per noſtram juſtificationem. Vel uſque adhuc; quia non „ ſolùm antiqui Patres, qui fuerunt ante „ Chriſtum, ſed etiam in tempore gratiæ eadem patimur:: Non tamen vana eſt ſpectatio vel ſpes: *Quia ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Etſi quidem „ per creaturam intelligatur homo juſtus; „ per ſervitutem corruptionis intelligitur „ cura quęrendi victum & veſtitum & alia „ quibus ſervitur noſtræ mortalitati, quæ „ eſt quædã ſervitus, à qua liberabuntur Sancti tendentes in libertatem gloriæ filiorum Dei: Qui, quamvis nunc habeant libertatem juſtitiæ quæ eſt à ſervitute peccati, nondum tamen habent libertatem „ gloriæ, quæ eſt à ſervitute miſeriæ: Job. „ 39. *Quis dimiſit onagrum liberum?* Si fortè tamen alicui non ſatis arrideat Doctoris Angelici expoſitio homini juſto adaptata; non poterit non placere, ſi Apoſtolum audiat; poſtquam dixit: *Omnis creatura* :: ſubjungentem: *Non ſolùm autem illa*, *ſed &* *nos ipſi primitias ſpiritus habentes*; *& ipſi intra nos gemimus*, *adoptionem filiorum Dei expectantes*, *redemptionem corporis noſtri*.

Juſti permanent in aliqua ſervitute corruptionis ex parte corporis quouſque in libertatem gloriæ tranſmitantur complete.

Rom. 8.

Verſ. 23.

§. II.

Superabundans meritorum Chriſti efficientia ad bona opera pro utraque ſalute nos urget.

94 TANDEM oportet hæreticorum objectum vana oſtentatione propoſitum adducere, licèt jam diſsipatum breviter fuerit in ultimo pro ſtabilienda Catholica aſſertione adducto argumento, ex ſuperabundanti redemptionis Chriſti plenitudine ab Etherodoxis derivatum: eo etenim fine Chriſtum redemptorem, ſubdola tamen calliditate, laudibus extollunt, ut peccandi majorem libertatem aucupent; quibus proinde cum regio propheta pronuntiare poſſumus, nomine Chriſti. *Peccatori autem*, *dixit Deus*: *Quare tu enarras juſtitias meas*, *& aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam* : *& projeciſti ſermones meos retrorſum* :: *Os tuum abundavit malitiâ* : *& lingua tua concinnabat dolos*. Muta igitur eorum fiant labia doloſa; taceant illi; quia eorum fallaci commendatione non indigent merita Chriſti; poſtquam magnificata, etſi nunquam ſatis fuerunt à Patribus & Prophetis, & deinde à Thoma Angelico, cum Paulo & Apoſtolis loquente; & quo prælucente, hæreticos arguam, & ſtatuam contra faciem eorum. *Una enim oblatione conſmmavit in ſempiternum ſanctificatos*. „ Id eſt perfecit, reconciliando & conjungendo nos Deo tanquã „ principio: quia hoſtia Chriſti, qui Deus „ eſt & homo, habet virtutem æternam „ ſanctificandi:: Per Chriſtum etiam perficimur & conjungimur Deo: Roman. 5. „ *Per quem acceſſum habemus ad Deum*. D. Thomas ibidèm. De hac certè conſummatione præcipuè loquutum fuiſſe Chriſtum Jeſum dùm poſt acceptum azetum dixit: *Conſummatum eſt*. Quod poteſt referri, inquit D. Thomas ad conſummationem ſanctificationis, quæ eſt per paſsionem & crucem ejus, adducens verba Apoſtoli *una enim oblatione*, *&c*.

Pſal. 49. v. 16.

Subdola, & malitioſa hæreticorũ magnificatio meritorum Chriſti ut Redemptoris.

Ad Hebræos 10. v. 4.

D. Thomas lect. 1. prope finem.

Joann. 19. v. 30.

D. Thom. lect. 5.

95 Et quomodo non conſummaret in æternum ſanctificatos Chriſtus Dominus in cruce ſeipſum offerens per modum perfecti ſacrificii pro nobis in *oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*? Chiſtus Dominus, *qui nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*. Qui redemit nos, *non corruptibilibus auro vel argento*:: *ſed pretioſo ſanguine*, *quaſi agni immaculati*, *& incontaminati*. Redemptione inquam propriè dicta: quia ut Angelicè diſſerit D. Thomas: „ Per peccatum dupliciter homo obligatus erat. Primò qui-

Epheſior. 5. v. 2.

ad Galat. 3. v. 13.

1. Petri 1. à v. 18. D. Thomas 3. q. q. 48. à 4. in corp.

„ dem

„ dem ſervituti peccati, quia qui facit peccatum ſervus eſt peccati, ut dicitur Joannis „ 8. & 2. Petri 2. *A quo quis ſuperatus eſt*, „ *hujus & ſervus eſt*: Quia igitur diabolus hominem ſuperaverat inducendo eum „ ad peccatum, homo ſervituti diaboli addictus erat. Secundò quantum ad reatum „ pœnæ, quo homo erat obligatus ſecundùm Dei juſtitiam, & hoc etiam eſt ſervitus quædam: ad ſervitutem enim pertinet, quòd aliquis patiatur, quod non „ vult: cum liberi hominis ſit uti ſe ipſo, „ ut vult. Quia igitur paſsio Chriſti fuit „ ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro „ peccato, & reatu pœnæ generis humani, „ ejus paſsio fuit quaſi quoddam pretium „ per quod liberati ſumus ab utraque obligatione. Nam ipſa ſatisfactio, qua quis „ ſatisfacit, ſive pro ſe, ſive pro alio pretium quoddam dicitur, quo ſe ipſum, „ vel alium redimit à peccato, & à pœnâ, „ ſecundùm illud Daniel. 4. *Peccata tua* „ *eleemoſynis redime*: Chriſtus autem ſatiſfecit, non quidem pecuniam dando, aut „ aliquid hujuſmodi: ſed dando id, quod „ fuit maximum, ſeipſum ſcilicet pro nobis, & ideo paſsio Chriſti dicitur eſſe „ noſtra redemptio.

Chriſtus D. propriè & ſtrictè nos redemit.

96 Hæc ſi quis perpendat jam dubitare non valebit Chriſtum Dominum ſua paſſione & morte noſtram ſalutem operatum fuiſſe perfecta ſatisfactione adhibita, ſive per modum etiam ſatisfactionis, ut firmat iterum D. Thomas: Quia in perſona Chriſti dicitur: „ *Quæ non rapui*, *tunc exolvebam*. Non autem exolvit, qui perfectè non ſatisfecit: ergo videtur quòd „ Chriſtus patiendo perfectè ſatisfecerit „ pro peccatis noſtris. Deinde proſequitur „ in corpore articuli: Reſpondeo dicendum „ quòd ille propriè ſatisfacit pro offenſa, „ qui exhibet offenſo id, quod æque, vel „ magis diliget, quàm oderit offenſam. „ Chriſtus autem ex charitate & obedientia patiendo, majus Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret recompenſatio totius offenſæ generis humani. Primò quidem propter magnitudinem charitatis, ex „ qua patiebatur. Secundò propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione „ ponebat: quæ erat vita Dei & hominis. „ Tertiò propter generalitatem paſsionis „ & magnitudinem doloris aſſumpti, ut ſupra dictum eſt, & ideò paſsio Chriſti non „ ſolum ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans „ ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis, ſecundùm illud 1. Joann. 2. *Ipſe* „ *eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; *non* „ *pro noſtris autem tantum*, *ſed etiam pro* „ *totius mundi*.

Perfectiſsime, & ſuperabundanter ſatisfecit.

Art. 2. in ſed à

In corp. art.

97 Tandem quòd Chriſtus Dominus & per modum meriti, cùm etiam per modum efficientiæ ſacratiſsima ſui morte, & paſsione ſalutem noſtram operatus fuerit, jam nos docuit D. Thomas loco citato adductus & alibi frequenter. Iterum tamen audiatur circa meritum Chriſti ita loquens; „ Reſpondeo dicendum, quòd (ſicut ſupra „ dictum eſt) Chriſto data eſt gratia non „ ſolum, ſicut ſingulari perſonæ, ſed in „ quantum eſt caput Eccleſiæ, ut ab ipſo „ redundaret ad membra, & ideo opera „ Chriſti hoc modo ſe habent tàm ad ſe „ quàm ad ſua membra, ſicut ſe habent „ opera alterius hominis in gratia conſtituti ad ipſum. Manifeſtum eſt autem, „ quòd quicunque in gratia conſtitutus „ propter juſtitiam patitur, ex hoc ipſo „ meretur ſibi ſalutem, ſecundùm illud „ Matthæi 5. *Beati qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam*. Unde *Chriſtus* „ *per ſuam paſsionem non ſolum ſibi*, *ſed* „ *etiam omnibus membris ſuis meruit ſalutem*. Deinde circa efficientiam hac ratione Theologizans. Dicitur 1. ad Corinth. Quòd *verbum crucis*, *his*, *qui ſalvi fiunt*, „ *eſt virtus Dei*; ſed virtus Dei efficienter „ operatur noſtram ſalutem; ergo paſsio „ Chriſti in cruce efficienter operata eſt „ noſtram ſalutem. In corpore autem art. „ ſic diſcurrit: Reſpondeo dicendum, quòd „ *duplex eſt* efficiens, *principale & inſtrumentale*. *Efficiens quidem principale humanæ ſalutis eſt Deus*. Quia verò humanitas Chriſti eſt divinitatis inſtrumentum, *ut ſupra dictum eſt*, ideò ex conſequenti omnes actiones, & paſsiones „ Chriſti inſtrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad ſalutem humanam. „ *Et ſecundùm hoc paſsio Chriſti efficienter cauſat ſalutem humanam*.

Art. 1. in corpore.

Chriſtus D. per modum etiam efficientiæ noſtram ſalutem operatus fuit.

Art. 6. in ſed à

In corp. art.

98 Sed jam redarguendo hæreticos; audiamus qualiter ſophiſticant, in pravum convertere, & reducere conantes, meritorum Chriſti ſuperabundantem influxum. Bona opera effuciunt ipſi, ad utranque ſalutem, gratiam videlicet & gloriam, ſi neceſſaria adſtruantur, inde eſſet: vel quia divinæ juſtitiæ ſatisfaciendum nobis manet: ſive ut gloriam promereamur æternam; ſed neutro ex his capitibus, neceſsitate bonorum operum, fideles novi teſtamenti conſtringuntur: Explodenda igitur venit decantata illa operum neceſsitas. Propoſitionem aſſumptam ita oſtendere in vanum laborant: Chriſtus D. pleniſsimè, gratiam quamcunque, & gloriam promeruit æternam: integramque & omnibus numeris perfectam pro nobis ſatisfactionem exhibuit: ſi ergo merita & ſatisfactiones ab hominibus exiguntur, certè derogatum eſt infinitæ & exuberantiſsimæ Chriſti D. ſatisfactioni virtutique meritoriæ. Quandoquidem: ſi hæc ſufficiens eſt, cur à nobis alia exigitur: vel ſi à nobis exigitur, non illa prædicabitur ſufficiens. Hoc argumentum clamoroſè decantatum ab hæreticis, quos adverſantes in præſentiarum habemus, non latuit Angelici Thomę perſpicatiæ antequam ex orco prodiiſſent Lutherani. „ Prætereà „ (inquit) poſita cauſa ſufficienti, nihil „ aliud requiritur ad effectum inducendum: „ requiruntur autem adhuc alia ad remiſſionem peccatorum, ſcilicet baptiſmus

Ojectum de irrogata injuria meritis Chriſti, ante novatores D. Thomas propoſuit & pleniſsimè diſſolvit.

3. p. q. 49. a. 1. arg. 4.

&

„ & pœnitentia: ergo videtur quòd paſsio „ Chriſti non ſit ſufficiens cauſa remiſsio„nis peccatorum. Sive ut alibi arguit: Aut „ Chriſtus ſufficienter meruit nobis, aut in„ſufficienter, ſi ſufficienter, meritum no„ſtrum non requiritur ad ſalutem, ſi in„ſufficienter, inſufficientis gratia fuit, quo„rum utrunque eſt inconveniens: ergo „ Chriſtus nobis non meruit. Et quantum „ attinet ad conſequendam gloriam ita in „ oppoſitum arguit Sanctus Dr. Poſita „ causâ ſufficienti non requiritur aliquid „ aliud ad effectum: ſi ergo Chriſtus ſuffi„cienter meruit nobis apertionem januæ „ paradiſi, videtur quòd non oporteat nos „ aliquid propter paradiſum operari. Omittimus alia teſtimonia, quibus Dr. Angelicus ſibi opponit, & quidem urgentiori ſtylo, argumenta malè conſarſinata ab ipſis hæreticis.

Quæſt. 29. de verit. art. 7.

In 3. diſt. 18. q. 1. art. 6. quæſtiunc. 2.

99 Reſpondetur jam ad argumentum conceſſa majori negando propoſitionem aſſumptam. Hujus probationi ita ſub diſtinctione occurritur: Chriſtus Dominus pleniſſimè quoad ſufficientiam gratiam nobis meruit & gloriam, perfectamque exhibuit pro peccatis ſatisfactionem; verum eſt, firmum & Catholicum. Meruit & ſatisfecit quoad efficaciam, & in actu exercito (ut Scholæ Theologi dicere ſolent) ſubdiſtinguo, pro illis hominibus qui aſpirante Dei gratia, auxiliiſque ſupernis per Chriſtum datis, exuberantem illam ſatisfactionem ſibi applicant, & gratiæ cooperantes gloriam promerentur æternam, concedo: qui eam non ita ſibi applicant, nego antecedens & conſequentiam. Quia merita & ſatisfactiones ab hominibus per opera bona, & ſuſceptionem Sacramentorum adhibenda exiguntur, non quidèm propter defectum ſatisfactionis, & valoris meritorii in Chriſto Domino, ſed per modum applicationis ex ipſis meritis Chriſti valorem derivantis. Sic habet Tridentinum generaliter circa fructum mortis Chriſti ſtatuens: *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſsionis ejus communicatur: nam ſicut revera omnes homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti, cum ea propagatione, per ipſum dùm concipiuntur propriam injuſtitiam contrahant: ita, niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificarentur: cum ea renaſcentia per meritum paſsionis ejus, gratia qua juſti fiunt illis tribuatur.* Deinde ſigillatim de ſatisfactione, & merito verba faciens ſtatuit in hunc modum: *Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo movemur, in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habet, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

Concilium Trident. ſeſſ. 6. c. 3.

Seſſ. 14. v. 8.

100 Ut autem appareat, quantum Tridentino Concilio præluxerat Dr. Ang. præſtat ipſum audire & Theologorum Principis agentem munus: Paulum deinde, alioſque Apoſtolos & Prophetas Commentariis exponentem. Diſtinctionem imprimis ſub qua argumentum propoſitum methodicè diluimus, expreſſam reliquit illis verbis: „ Dicendum, quòd ad hoc quod aliquid in „ alterum, effectum inducere poſsit, duo „ requiruntur, unum ex parte agentis ſci„licèt quod habeat virtutem ſufficientem „ ad inducendum illum effectum: alterum „ ex parte recipientis, ut ſcilicèt diſpoſi„tum ſit ad ſuſcipiendum actionem. Chri„ſti autem, qui in nobis meruit deletio„nem peccatorum, invenitur ſufficientia ad „ delendum omnia peccata noſtra ex duo„bus, ſcilicet ex actione, in qua meritum „ conſiſtit, quæ agit vi divina, eo quod eſt „ actio Dei & hominis, ut dictum eſt, „ & ex hoc habet infinitam in merendo effi„caciam. Et iterùm ex eo quod paſsio abſtu„lit, ſcilicet animam Deo unitam, quæ etiam „ habebat infinitum valorem ex hoc quod eſt „ Deo unita, & ex hoc eſt infinita efficacia in „ ſatisfaciendo. Ex parte autem noſtra requi„ritur, ut nos præparemus ad meriti Chriſti „ effectum in nobis ſuſcipiendum per fi„dem intellectûs, & charitatem affectûs, „ & per imitationem operis, quodquidem „ non contingit in omnibus: & ideò quoad „ ſufficientiam ſatisfactionis & meriti om„nia peccata per Chriſti paſsionem deleta „ ſunt, non autem quantum ad efficien„tiam. Indè ad primum inquit dicendum, „ quòd in illis, qui damnantur, indiſpoſi„tio eſt ad recipiendum effectum meriti „ Chriſti, unde ex hoc contingit, quòd eo„rum peccata non deleantur, non ex in„ſufficientia meriti paſsionis Chriſti.

Tridentino Concilio præluxit D. Angelicus.

In 3. diſt. 19. q. 1. a. 1. q. 2.

101 Deindè ad argumentum iteratò propoſitum. Quantum ad primum ſic habet Sanctus Dr. „ Ad quartum dicendum, „ quòd quia paſsio Chiſti præceſsit, ut cau„ſa quædam univerſalis remiſsionis pec„torum (ſicut dictum eſt) neceſſe eſt, quòd „ ſingulis adhibeatur ad deletionem pro„priorum peccatorum. Hoc autem fit per „ Baptiſmum & Pœnitentiam & alia Sacra„menta, quæ habent virtutem ex paſsio„ne Chriſti, ut infra patebit. Ad ſecundum ita reſpondet D. Thomas ibidèm: „ Ad octavum dicendum, quòd meritum „ Chriſti ſufficienter operatur, ut quædam „ cauſa univerſalis ſalutis humanæ, ſed „ oportet hanc cauſam applicari ſingulis „ per Sacramenta & per fidem formatam, „ quæ per dilectionem operatur. Et ideò „ requiritur aliquid aliud ad ſalutem no„ſtram præter meritum Chriſti, cujus ta„men meritum Chriſti eſt cauſa. Tandem ad tertium argumentum inquit: „ Ad ter„tium dicendum, quòd quamvis remotum „ ſit impedimentum, quod erat ex parte

Merita Chriſti debent applicari per Sacramenta, & bona opera.

„ na-

„ naturæ per Chriſtum, tamen oportet, „ quòd per actum meritorium efficiatur ho„mini paradiſus debitus, quantum ad id „ quod eſt perſonæ, & ideò oportet, quòd „ homo agat ad hoc, ut paradiſum intra„re mereatur. Applicatio igitur requiritur ex parte hominis, quæ quidem non ſolum non derogat, ſed potiùs extollit, redemptionis Chriſti ſuperabundantem efficientiam: quandoquidem ex valore illo nobis datur & ipſa applicatio, quatenus per Chriſtum diſpenſantur generaliter auxilia ſuperna, ut gratiæ cooperantes propriam faciamus remiſsionem culpæ, ſatiſfactionem pro pœna, meritumque gratiæ & gloriæ.

102 Indè D. Thomas inquit: „ Ad un„decimum dicendum quòd Chriſtus & „ membra ejus ſunt una perſona myſtica. „ Undè opera capitis ſunt aliquo modo „ membrorum. Et ſic cùm propter opera „ Chriſti aliquid nobis à Deo datur, non „ fit contra id, quod dicitur in Pſalm. *Tu* „ *reddes unicuique ſecundùm opera ſua.* „ Et tamen ita merita Chriſti nobis proſ„ſunt, ut in nobis per Sacramenta gra„tiam cauſent, per quam ad opera meri„toria incitamur. Etenim Deus, qui dives eſt in miſericordia, in bonitate profuſus, dùm omnes homines ſalvos fieri ſeriò vult, auxilia cunctis diſpenſat, confert adminùs ſufficientia, nobis per Chriſtum promerita. Quinimò, ut veroſimiliùs judicamus, ſtatuimuſque aliquando in ſcholis, auxilia illa ſaltem remotè ſufficientia, quodammodo debita eſſe hominibus ex ſuppoſitione redemptionis Chriſti Domini: vel potiùs Chriſto Domino pro omnibus mortuo, ſanguinemque pro omnium ſalute in odorem ſuavitatis æterno Patri offerenti, debitum quodammodo eſt, ut auxilia ſufficientia hominibus conferantur; ſive titulo juſtitiæ, ut affirmant Theologorum aliqui, vel fidelitatis. Et meritò quia cùm Chriſtus Dominus omnium hominum ſalvator conſtitutus ſit, ſalvatoriſque piiſsimum munus ad ſuperabundantiam expleverit, ipſius meritis debita ſunt media, quibus homines cuncti æternam poſsint conſequi ſalutem; imò & de facto conſequantur, niſi ex ſua culpa deficiant: cui enim debitus eſt finis, debita ſunt quodammodo media ad finem illum conſequendum.

Quæſt. citata de verit.

Auxilia ſufficienta omnibus conceſſa, & quodammodò debita.

103 Quis non videat, multifariam, multiſque modis uſque ad fundamentum, exinanitam manere ruinoſſam Proteſtantium machinam, nunc verò eos redarguendos, iterumque convincendos proponimus; debitam illam applicationem ex parte hominis adhibendam oſtendentes triplici præſertim momento: ex eo ſcilicet, quod Chriſtus Dominus tanquam cœleſtis medicus nobis reliquerit utriuſque ſalutis ſacra apothecmata: veluti caput in membra influat: adinſtar vitis tandem in palmites vigorem derivet. Hæc momenta contra modernos hæreticos potenter adducit Sacrum Tridentinum Concilium; cui contradicere cùm rationabiliter non poſsint, propterea exoſſum habent. Ut autem innoteſcat, nihil niſi ex Scriptura, & Sanctis Patribus, venerandos illos Patres ſtatuiſſe, in auxilium vocamus Doctorem illum Angelicum, qui cum Patribus ex prophetis hæreticos debellavit.

Ex triplici ſacra notione Chriſto D. convenienti Proteſtantium diruitur machina.

§. III.

Chriſtus Dominus velut cœleſtis medicus opera exigit bona.

103 PRINCIPIO igitur: nam Chriſtus D. verbum caro factum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, velut cœleſtis medicus ad vulnera, infirmitates, ægritudines medendas, quibus humana tenebatur natura, deſcendit de cœlis. Et quidem, cur divinum non dicamus medicum, conſubſtantiale illud verbum, de quo prænuntiatum erat: *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum?* Verbum Patris, oriens ex alto *ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſsionem peccatorum eorum?* Divinus Samaritanus, qui proprii cruoris ſacro medicamine ſanaturus tranſivit hominem à ſtatu gratiæ deſcendentem, inque dœmonum manus incidentem, vulneribus plagis ſauciatum, ſemivivum relictum? Miſericors ille Dominus, Jeſus Salvator, qui dùm pronuntiavit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus*: ſeipſum medicum dicit, qui miro medicandi genere (exponit Rabanus) propter iniquitates noſtras vulneratus eſt, ut vulnus peccatorum noſtrorum ſanaret? *Fidelis ſermo* (nobis cum Auguſtino, prælucente Paulo, exclamare eſt) *& omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ. Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipſe ægrotus genus humanum eſt.* Ad mundum igitur venit Jeſus, ſeu probaticam piſcinam, in qua hominum multitudo tota jacebat langueſcens infirmitate contracta per voluntatis, ſpirituſque arbitrium, viam aperientibus, corporum ſenſibus, tanquam per quinque porticos hujus miſeriarum Xenodochii; morte per feneſtras aſcendente. Sub hac piiſſima notione Chriſtum Dominum ſæpè nos conſiderandum propoſuit Doctor Angelicus, indè oſtendens ad futura peccata delenda paſsionem Chriſti concurrere.

Chriſtus Dominus velut cœleſtis medicus, nobis ſacra reliquit apotecmata.

Pſalm. 106. v. 20.

Matthæi 9. v. 12.

Rabanus apud D. Thomas in Catena.

Iſaiæ 43.

1. ad Timoth. 1.

Auguſt. Serm. 175. à Iſai. 9. de verbis Apoſtoli.

104 „ Ad tertium (inquit) dicendum, „ quòd Chriſtus ſua paſsione nos à pec„catis liberavit cauſaliter, id eſt, inſti-

D. Th. 3. p. q. 49 art. 1. ad 3.

„ tuens

,, tuens cauſam noſtræ liberationis, ex qua ,, poſſent quęcunque peccata quandocunque ,, remitti, vel præterita, vel præſentia, vel ,, futura, ſicut ſi medicus facit medicinam, ,, ex qua poſsint quicunque morbi ſanari, ,, etiam in futurum. Et in Sententiariis.

Aart. 1. ad 3.

,, Ad tertium dicendum, quòd paſsio Chri- ,, ſti quantum ad ſufficientiam poteſt dele- ,, re peccata, etiam antequam fiant, ſed ,, efficientia deletionis non eſt, niſi poſt- ,, quam aliquis à peccato commiſſo averti- ,, tur: ſicut medicina ſufficiens ad ſanan- ,, dum paratur interdùm antequam aliquis ,, infirmetur, ſed non ſanatur per ipſam ,, actu; niſi poſtquam infirmus fuerit. Audiatur etiam ad verba adducta Chriſti D. inquiens: ,, Et vocat ſe Dominus medi- ,, cum: & benè: Pſalm. 102. *Qui propi- ,, tiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ,, ſanat omnes infirmitates tuas*: tàm ani- ,, mæ, quàm corporis, ideòque tangit ad ,, infirmitates animę & corporis. Undè di- ,, cit non eſt opus valentibus medicus, ,, &c. valentes dicuntur, qui ex ſuperbia, ,, reputant ſe valere, de quibus Apocalyp. ,, 3. *Dicis, dives ſum & locupletatus, & ,, nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer ,, & miſerabilis & pauper & cæcus & nu- ,, dus.* Et talibus non eſt opus medicus, ,, *ſed malè habentibus.* Id eſt peccatum ,, recognoſcentibus, ſicut dicebat David ,, Pſal. 50. *Iniquitatem meam ego cog- ,, noſco.*

D. Thomas ibidèm in Comment.

105 In hac expoſitione docuit nos Dr. Angelicus ita poſt ſtabilitam Chriſti D. notionem hæreticos urgere: Quid utilitatis efficaciæ & efficientiæ in actu exercito habere poteſt medicina, perituſque medicus pro illis infirmis, qui propriam non recognoſcentes infirmitatem, ſivè ex alio frivolo motivo, nec medici præcepta cuſtodiunt neque medicinam ſumere ſibiquemetipſis applicari omittunt? Nihil profectò. Cur ergo medicinam ſpiritualem à Chriſto D. pręparatam, quantumvis efficacis virtutis redundantem, ſufficere dicant Etherodoxi ſuperbiâ tumentes ad vulnera quibus ſauciantur curanda, cum cœleſtis medici mandata averſentur; nec ſumere volunt, ſibique applicare pretioſam illam, pro animi languoribus curandis medicinam? Fateamur utique: Quod reſina eſt in Galaad, & Medicus eſt ibi: Pœnitentiæ medicina eſt in Eccleſia; vel reſina ſunt Sacramenta, quę perfluxerunt à terebyntho, id eſt à Chriſto (Eccleſiaſt. 24.) *Ego quaſi terebynthus expandi ramos meos, & rami mei honoris, & gratię.* Sed qualiter obducta erit cicatrix, id eſt plaga peccati: ſi ad crucis Chriſti imitationem, pœnitentiam voluntariam non aſſumimus? Si ad Sacramenta non accedimus, ut aquam ſalutiferam divinæ gratiæ de fontibus Salvatoris cum gaudio hauriamus! Concludamus igitur cum Auguſtino: *Non enim miſit Deus filium ſuum, in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Ergo quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interemit, qui præcepta medici obſervare non vult.* Meritò propterea Angelicus Thomas, Auguſtini premens veſtigia, docet, quòd efficacia ſanguinis Chriſti, effectum non habet niſi in his, qui ſalvantur, & hoc ex culpa hominum. Et in Sententiariis ſic loquitur. Ad ſecundum dicendum; quòd hoc, quod omnes homi- ,, nes non reparantur non eſt ex inſuffi- ,, cientia medicinæ reparantis, cùm ſit ſuf- ,, ficiens quantum in ſe eſt ad reparan- ,, dum omnes, qui naturam humanam ha- ,, bent, vel habere poſſunt, ſed ex defe- ,, ctu eorum, qui reparationis effectum in ,, ſe ipſis impediunt, ſicut etiam carentia ,, viſûs, qui humanam naturam conſequi- ,, tur cauſatur in cæcis natis ex defectu ,, materiæ.

Chriſti D. ſacra medicamina non proſunt his, qui ea non ſibi applicant.

Hugo ibidèm.

S. Auguſtinus tract. 12. in Joannem.

S. Auguſtinus Commen. in c. 26. Matthæi.

D. Thomas in 3. diſp. 20. q. 1. a. 1. q. 1. ad 2.

106 Præjacta doctrina attendere nos facit in hæreticis, quos rejiciendos aſſumpſimus, impletum Iſaiæ ſacrum illud pronuntiatum: *Vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* In illis ſiquidem triplex ſpiritualis vulneris genus abundat: (*Vulnus*) id eſt culpa patens: (Et livor) invidia latens (& plaga tumens) ſuperbia nimirum inflans. Expoſitio eſt D. Thomæ. Sive ut habet Cardinalis Hugo: vulnus eſt concupiſcentia carnis, quæ violat carnis integritatem. *Et livor* concupiſcentia oculorum, quæ omnia livore, id eſt concupiſcere facit. Eccleſiaſt. cap. 14. *Nequam eſt oculus lividi; & avertens faciem ſuam, & deſpiciens animam ſuam: Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis. Et plaga tumens*, eſt ſuperbia vitæ. De qua Naum. 3. *Peſſima eſt plaga tua.* Jerem. cap. 30. *Inſanabilis eſt fractura tua, peſſima plaga tua.* Ettamen geminatum illud vulnus in hęreticis inſanatum permanet, quatenus medicamen applicare intermittunt Chriſtianę legis jugum excutientes; inde cum laudato Doctore Angelico ſubjungere poſſumus, quòd eorum mortalis & inveterata infirmitas (non eſt circumligata) vinculo legis retrahentis: Jeremię 2. ,, *A ſæ- ,, culo confregiſti jugum meum, rupiſti vin- ,, cula mea, dixiſti, non ſerviam.* Quantum ,, ad primum (nec curata medicamine) cha- ,, ritate ſanante, quantum ad ſecundum ,, Proverb. 10. *Univerſa delicta operit cha- ,, ritas*, (nec fota oleo) humilitate lenien- ,, te. Judith. 9. Humilium & manſueto- ,, rum tibi ſemper placuit deprecatio. Ec- ,, cleſiaſt. 3. *Quanto major es, tanto magis ,, humilia te in omnibus.*

Iſaiæ 1. v. 6.

D. Thomas ibidèm in Commētario.

Hugo Gardin. ibidèm.

Ra-

§. IV.

Ratio capitis in Chriſto D. bona opera in membris requirit.

Chriſtus D. tanquam caput in membra influit.

107 CHRISTUM D. contemplandum dedimus velut cœleſtem medicum divina relinquentem pro curandis animę morbis medicamina: ipſum inſpicere damus, tanquam *caput in membra, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influentem.* Nec inficias ire audent hęretici, dùm Apoſtolum ſimilia prædicantem audiunt: *Ipſum* (inquit) *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam.* Et benè ſuper omnem Eccleſiam: cùm caput ſit hominum nedum, ſed & Angelorum: *Qui eſt caput* (alibi ajebat Paulus) *omnis principatûs & poteſtatis.* Et meritò quidem: nam ut Dr. Angelicus arguit: ,, Ad unum finem, qui ,, eſt gloria divinæ fruitionis, ordinantur & ,, homines & Angeli: Unde corpus Eccle- ,, ſię myſticum non ſolum conſiſtit ex ho- ,, minibus, ſed etiam ex Angelis. Totius ,, autem hujus multitudinis Chriſtus eſt ca- ,, put: quia propinquiùs ſe habet ad Deum, ,, & perfectiùs participat dona ipſius non ,, ſolum quàm homines, ſed etiam quàm ,, Angeli, & de ejus influentia non ſolum ,, homines recipiunt, ſed etiam Angeli. Di- ,, citur enim Epheſior. 1. quòd conſtituit ,, eum, ſcilicet Chriſtum; Deus Pater ad ,, dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra om- ,, nem poteſtatem, & principatum, & vir- ,, tutem, & dominationem, & omne no- ,, men, quod nominatur, non ſolùm in ,, hoc ſæculo, ſed etiam in futuro, & om- ,, nia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ideò ,, Chriſtus non ſolum eſt caput hominum, ,, ſed etiam Angelorum: unde & Matthæi ,, 4. Legitur, quòd acceſſerunt Angeli, & ,, miniſtrabant ei. Bene nihilominus adver- ,, tit S. Dr. quòd licèt Chriſtus ut homo ſit ,, caput etiam Angelorum, non tamen ita ,, propriè, nec eodem modo ſicut hominum, ,, propter duas conditiones. Primò quan- ,, tum ad conformitatem naturæ: quia cum ,, hominibus convenit etiam ſecundùm ſpe- ,, ciem in natura, cum Angelis autem non ,, ſecundùm ſpeciem ſed ſecundùm genus ,, intellectualis naturæ. Secundò quantum ,, ad influentiam: quia non influit Angelis re- ,, movendo prohibens, aut merendo gratiam, ,, aut orando pro eis: quia jam beati ſunt: ſed ,, in his quæ ad actus hierarchicos perti- ,, nent, ſecundùm quod unus Angelus illu- ,, minat, purgat, & perficit alium, ut in ,, ſecundo lib. ſent. diſt. 6. dictum eſt. Hoc ,, enim multò eminentiùs à Chriſto reci- ,, piunt. Similia tradit S. Dr. lect. 8. in cap. 1. ad Epheſios.

Trident. ſeſſ. 6. cap. 16.

Ad Epheſios 1. v. 22.

Ad Coloſ. 2. v. 10.

D. Thomas 3. p. q. 8. à 4. in corp.

In 3. diſt. 13. q. 2. a. 2.

Epheſiorum 1. lect. 8.

108 Jam verò Chriſtum Dominum caput eſſe hominum demonſtrat Dr. Angelicus, Scholæ Theologum agens, tùm in Sententiariis, tùm etiam in ſumma Theologica, ubi diſſerit ita: Reſpondeo dicendum: ,, Quòd ſicut tota Eccleſia dicitur unum ,, corpus myſticum per ſimilitudinem ad ,, naturale corpus hominis, quod ſecundùm ,, diverſa membra habet diverſos actûs, ut ,, Apoſt. docet Rom. 12. & 1. ad Corinth. ,, 12. ita: *Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ ,, ſecundùm ſimilitudinem humani capitis*, ,, in quo tria poſſumus conſiderare, ſcilicet ,, ordinem, perfectionem, & virtutem: or- ,, dinem quidem, quia caput eſt prima pars ,, hominis, incipiendo à ſuperiori: & inde ,, eſt, quòd omne principium conſuevit vo- ,, cari caput, ſecundùm illud Ezechielis 16. ,, *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum pro- ,, ſtitutionis tuæ*: perfectionem autem, quia ,, in capite vigent omnes ſenſûs, & inte- ,, riores & exteriores, cùm cæteris in mem- ,, bris ſit ſolus tactus, & inde eſt quod ,, dicitur Iſai. 9. *Senex, & honorabilis ip- ,, ſe eſt caput*: virtutem verò, quia virtus ,, & motus cæterorum membrorum, & gu- ,, bernatio eorum in ſuis actibus eſt à ca- ,, pite, propter vim ſenſitivam & motivam ,, ibi dominantem: unde, & rector dicitur ,, caput populi, ſecundùm illud 1. Reg. 15. ,, *Cum eſſes parvulus in oculis tuis, caput ,, in tribubus Iſraei factus es.* Hæc autem ,, tria competunt Chriſto ſpiritualiter. Pri- ,, mò enim ſecundùm propinquitatem ad ,, Deum gratia ejus altior eſt & prior, etſi ,, non tempore: quia omnes alii accepe- ,, runt gratiam per reſpectum ad gratiam ,, ipſius, ſecundùm illud Roman. 8. *Quos ,, præſcivit hos, & prædeſtinavit confor- ,, mes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe ,, primogenitus in multis fratribus.* Secun- ,, dò verò perfectionem habet, quantum ,, ad plenitudinem omnium gratiarum, ſe- ,, cundùm illud Joann. 1. *Vidimus eum ,, plenum gratiæ & veritatis*, ut etiam ſu- ,, pra oſtenſum eſt. Tertiò virtutem ha- ,, bet influendi gratiam in omnia membra ,, Eccleſiæ, ſecundùm illud Joann. 1. *De ,, plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Et ,, ſic patet, quòd Chiſtus convenienter di- ,, citur Eccleſiæ caput.

3. p. q. 8. a. 1. in corp.

Ex triplici capitis notione, Chriſtum D. eſſe caput Eccleſiæ cum Apoſtolo oſtendit D. Thomas.

109 Thomam ut principem Scholę audivimus: adeamus nunc ad ipſum, Apoſtolum lucidè explanantem, exponentem; ſive triplicem illam conditionem Chriſto Domino convenire ampliùs firmantem. Poſtquam enim Apoſtolus dixit Chriſtum Dominum caput eſſe corporis Eccleſię, ſtatim ſubjungit: *Qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt.*

Ad Coloſſenſes 1. à v. 18. lect. 5.

110 In his enim verbis Chriſto Domino convenire tria privilegia capitis in ordine ad alia membra meritò attributa ſigni-

fi-

ficat Apoſtolus, exponente D. Thoma, hæc
inter alia ibidèm pronuntiante: caput enim
reſpectu aliorum membrorum habet tria
privilegia: ,, Primò quia diſtinguitur aliis
,, ordine dignitatis, quia eſt principium &
,, præſidens: Secundò in plenitudine ſen-
,, ſuum: quia ſunt omnes in capite: Ter-
,, tiò in quodam influxu ſensûs & motûs
,, ad membra: Et ideò primò oſtendit quo-
,, modò Chriſtus eſt caput ratione digni-
,, tatis: Secundò ratione plenitudinis gra-
,, tiarum: Tertiò ratione influentiæ. Ec-
,, cleſia quidèm habet duplicem ſtatum, ſci-
,, licet gratiæ in præſenti & gloriæ in fu-
,, turo, & eſt eadem Eccleſia; & Chriſtus
,, eſt caput ſecundùm utrunque ſtatum:
,, quia primus in gratia & primus in glo-
,, ria. In prioribus igitur laudati teſtimo-
,, nii verbis oſtenditur dignitas Chriſti Do-
,, mini, ut caput ordine dignitatis: quia
,, non ſolum eſt in gratia ſecundùm quod
,, homo, ſed etiam omnes ſunt juſtificati per
,, fidem Chriſti: Romanor. 5. *Per obedien-*
,, *tiam unius hominis juſti conſtituuntur*
,, *multi*: & ideò dicit, *qui eſt principium*,
,, ſcilicet juſtificationis & gratiæ in tota
,, Eccleſia; quia etiam in veteri teſtamento
,, ſunt aliqui juſtificati per fidem Chriſti:
,, Joann. 8. *Ego principium, qui loquor,*
,, *&c.* Pſal. 109. *Tecum principium, &c.*
,, Item eſt principium, quantum ad ſtatum
,, gloriæ: Ideò dicitur *primogenitus ex mor-*
,, *tuis*: quia enim reſurrectio mortuorum
,, eſt, quaſi quædam ſecunda generatio,
,, quia homo in ea ad vitam æternam re-
,, paratur. (Matthæi 19. *In regeneratio-*
,, *ne, cum ſederit filius hominis, &c.*) Et
,, præ omnibus primus eſt Chriſtus; ideò
,, *primogenitus ex mortuis*, id eſt eorum,
,, qui ſunt geniti per reſurrectionem.

D. Thomas ibidem lect. 5.

111 Proſequitur D. Thomas, deinde
cùm dicit: *Quia in ipſo, &c.* oſtendit digni-
,, tatem capitis quantum ad plenitudinem
,, gratiarum omnium: alii enim Sancti ha-
,, buerunt diviſiones gratiarum: ſed Chri-
,, ſtus habuit omnes: ideò dicit, *quia in*
,, *ipſo, &c.* Singula verba pondus ſuum
,, habent: *Complacuit*, deſignat, quòd do-
,, na hominis Chriſti, non erant ex fato,
,, ſeu meritis, ut dicit Photinus, ſed ex di-
,, vinæ voluntatis complacentia, aſſumentis
,, hunc hominem in unitatem perſonæ: Mat-
,, thæi 3. *Hic eſt filius meus, &c.* Item di-
,, cit: *Omnem*: quia alii habent hoc do-
,, num, alii aliud, Joann. 13. *Omnia dedit in*
,, *manu ejus*: Item dicit: *plenitudinem*;
,, quia aliquis aliquod habuit donum, ſed
,, non plenitudinem ejus, ſeu virtutis; quia
,, fortè invitus in aliquo defecit: ſed Joan-
,, nis 1. dicitur de Chriſto: *Vidimus eum*
,, *plenum gratiæ, & veritatis.* Eccleſ. 24.
,, *In plenitudine ſanctorum detentio mea.*
,, Item dicit: *Habitare*: alii enim accepe-
,, runt uſum gratiæ ad tempus, quia ſpi-
,, ritus prophetarum non ſemper adeſt pro-
,, phetis: ſed in Chriſto eſt habitualiter;
,, quia ſemper ad votum in Chriſto eſt do-
,, minium hujus plenitudinis: *Joann. 1.*
,, *Super quem videris ſpiritum deſcenden-*
,, *tem, & in eo manentem, &c.*

112 ,, Deindè cùm dicit: *Et per eum,*
,, *&c.* Oſtendit Chriſtum eſſe caput Eccle-
,, ſiæ ratione influxûs: & hæc eſt tertia ra-
,, tio capitis: & primò oſtendit influxum
,, gratiæ: ſecundò exponit quod dixerat,
,, ibi *pacificans*. Dicit ergo primò: Dico
,, quòd complacuit, non ſolùm quantum
,, ad hoc quod haberet in ſe, ſed etiam ut
,, per eum ad nos derivaret: Unde dicit,
,, *& per eum reconciliari omnia in ipſum:*
,, 2. Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mun-*
,, *dum reconcilians ſibi.* Exponit autem
,, qualis ſit iſta reconciliatio, & quomodò
,, omnia ſint reconciliata: in reconciliatio-
,, ne autem ſunt duo conſideranda: Primò,
,, in quo conveniunt qui reconciliantur:
,, diſcordes enim diverſas habent voluntates:
,, reconciliati autem conſentiunt in aliquo
,, uno: & ſic voluntates priùs diſcordes
,, concordant in Chriſto: & hujuſmodi vo-
,, luntates ſunt & hominum & Dei & An-
,, gelorum: hominum; quia Chriſtus homo
,, eſt; Dei; quia Deus eſt: Angelorum; quia
,, illorum tàm ſecundùm humanitatem,
,, quàm ſecundùm divinitatem gubernator
,, eſt: item diſcordia erat inter Judæos
,, qui volebant legem, & gentiles qui non
,, volebant legem: ſed utroſque Chriſtus
,, concordat, quia ex Judæis eſt, & quia
,, abſolvit obſervantias legis: Et hæc con-
,, cordia eſt facta per ſanguinem; inter
,, Deum enim & hominem cauſa diſcor-
,, diæ fuit peccatum, & implevit legem: &
,, ita removit cauſam diſcordię; Hebræo-
,, rum 12. *Acceſſiſtis ad Sion montem &*
,, *Civitatem Dei viventis Jeruſalem, &c.*
,, Et ſic reconciliati ſumus; & ita ſunt pec-
,, cata, *ſive quæ in Cœlis*, ut Angeli &
,, Deus, *ſive quæ in terris* (ſcilicet Judæi
,, & gentiles) ideò Chriſto nato dicitur
,, Lucæ 1. *Gloria in altiſſimis Deo, & in*
,, *terra pax hominibus*: Item in reſurre-
,, ctione dixit: *Pax vobis*, ut habetur
,, Joann. 20. Epheſ. 2. *Ipſe enim eſt pax*
,, *noſtra, qui fecit utraque unum.*

113 Hæc cùm ita ſint, judicabit fortè
aliquis Chriſtum Dominum dicendum etiam
eſſe cor Eccleſiæ; quatenus datam analo-
giam ad corpus naturale attendentes, no-
tiones illæ, quæ cordi conveniunt in na-
turalibus, eſſe nimirum totius vitæ princi-
pium, in aliaque membra influere, quàm
maximè Chriſto Domino reſpectivè ad alia
Eccleſiæ membra conveniunt. Hac ratione
ductus Pater Suarez ultrò concedit, Chri-
ſtum Dominum dici poſſe cor Eccleſiæ. Ve-
rumtamen non ità abſoluta loquutione di-
cendum eſſe, veroſimiliùs judicamus cum
Divo Thoma ſtatim adducendo; & meritò
quidèm, nam cùm in Epiſtolis Pauli, Chri-
ſtum Dominum eſſe caput Eccleſiæ invenia-
mus quàm ſæpè, nunquam tamen (quod
ſciam) cor Eccleſiæ dicitur. Conveniunt
igitur ipſi (fatemur) proprietates aliquæ
ca-

Non eadem proprietate dicendus eſt Chriſtus D. cor Eccleſiæ.

capiti adaptari ſolitæ; quia ut benè habet
Divus Thomas: ,, Ad tertium dicendum,
,, quòd caput habet manifeſtam eminen-
,, tiam reſpectu exteriorum membrorum;
,, ſed cor habet quandam influentiam oc-
,, cultam, & ideò cordi comparatur Spiri-
,, tus Sanctus, qui inviſibiliter Eccleſiam
,, vivificat & unit; capiti comparatur ipſe
,, Chriſtus ſecundùm viſibilem naturam, ſe-
,, cundùm quam homo hominibus præfer-
,, tur. Audiatur etiam S. Doctor in ſen-
tentiariis: ,, Ad quintum dicendum, quòd
,, cor eſt principium virium vitalium in to-
,, to corpore: & eſt primum principium om-
,, nium membrorum quantum ad eſſe, ut
,, dicit Philoſophus: ſed caput eſt princi-
,, pium virium animalium, quæ pertinent
,, ad ſenſum & ad motum. Et quia cùm
,, dicimus Chriſtum principium eſſe mem-
,, brorum Eccleſiæ, non intendimus quan-
,, tum ad eſſe naturale ſecundùm quod
,, ſunt homines: ſed quantum ad fidem &
,, charitatem, per quam Eccleſiæ membra
,, uniuntur: ideò accomodatiùs dicitur ca-
,, put, quàm cor.

3. p. quæſt. 8. art. 1. ad 3.

In 3. diſtinc. 13. quæſt. 2. art. 1. ad 5.

114 Reſolvit etiam Sanctus Doctor,
cunctorum hominum, vel beatitudine capa-
cium, uti ſunt viatores, ſive æternæ jam
gloriæ fælicitate exultantium, Chriſtum Do-
minum eſſe caput: diverſâ tamen ratione,
prout ſolitâ perſpicuitate ita expendit. Reſ-
pondeo dicendum: ,, Quòd hæc eſt diffe-
,, rentia inter corpus hominis naturale, &
,, corpus Eccleſiæ myſticum, quod membra
,, corporis naturalis ſunt omnia ſimul, mem-
,, bra autem corporis myſtici non ſunt om-
,, nia ſimul, neque quantum ad eſſe natu-
,, ræ, quia corpus Eccleſiæ conſtituitur ex
,, hominibus, qui fuerunt à principio mun-
,, di uſque ad finem ipſius: neque etiam
,, quantum ad eſſe gratiæ: quia eorum
,, etiam, qui ſunt in uno tempore, qui-
,, dam gratiâ carent, poſtmodum habitu-
,, ri, aliis eam jam habentibus. Sic igi-
,, tur membra corporis myſtici accipiuntur
,, non ſolùm ſecundùm quod ſunt in actu
,, ſed etiam ſecundùm quod ſunt in poten-
,, tia. Quædam tamen ſunt in potentia,
,, quæ nunquam reducuntur ad actum.
,, Quędam verò ſunt, quæ quandoque re-
,, ducuntur ad actum. Et hoc ſecundùm
,, triplicem gradum: quorum primus eſt
,, per fidem, ſecundus per charitatem viæ,
,, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo
,, dicendum eſt, quòd accipiendo generaliter
,, ſecundùm totum tempus mundi, Chriſtus
,, eſt caput omnium hominum: ſed ſecun-
,, dùm diverſos gradùs. Primò enim &
,, principaliter eſt caput eorum, qui actu
,, uniuntur ſibi per gloriam. Secundò eo-
,, rum, qui actu uniuntur ſibi per chari-
,, tatem. Tertiò eorum qui actu uniuntur
,, ſibi per fidem. Quartò verò eorum, qui
,, ſibi uniuntur ſolum in potentia nondum
,, reducta ad actum, quę tamen eſt ad actum
,, reducenda ſecundùm divinam prædeſtina-
,, tionem. Quintò verò eorum, qui in po-
,, tentia ſunt ſibi uniti, quæ nunquam re-
,, ducetur ad actum: ſicut homines in hoc
,, mundo viventes, qui non ſunt prædeſti-
,, nati, qui tamen ex hoc ſęculo recedentes,
,, totaliter deſinunt eſſe membra Chriſti,
,, quia jam nec ſunt in potentia, ut Chri-
,, ſto uniantur.

3. p. quæſt. citata art. 3. in corp.

Diverſimodè juxta diverſitatem ſtatûs Chriſtus D. caput eſt hominum.

115 Audiatur etiam S. Dr. pleniùs elu-
cidans corporis myſtici notionem. ,, In
,, corpore naturali (inquit) invenitur qua-
,, druplex unio membrorum ad invicem.
,, Prima eſt, ſecundùm conformitatem na-
,, turæ, quia omnia membra conſtant ex
,, eiſdem ſimilibus partibus, & ſunt unius
,, rationis, ſicut manus & pes ex carne &
,, oſſe: & ſic dicuntur membra unum, ſi-
,, cut genere, vel ſpecie. Secunda eſt, per
,, colligationem eorum ad invicem per ner-
,, vos & juncturas, & ſic dicuntur unum
,, continuatione. Tertia eſt, ſecundùm quod
,, diffunditur vitalis ſpiritus, & vires ani-
,, mæ per totum corpus. Quarta eſt, ſe-
,, cundùm quod omnia membra perficiun-
,, tur per animam, quę eſt una numero
,, in omnibus membris. Hæ quatuor unio-
,, nes inveniuntur in corpore myſtico. Pri-
,, ma eſt, in quantum omnia membra
,, ejus ſunt unius naturæ, vel ſpecie vel ge-
,, nere. Secunda eſt, in quantum colligata
,, ſunt ad invicem per fidem, quia ſic con-
,, tinuantur in uno credito. Tertia eſt,
,, ſecundùm quod vivificantur per gratiam
,, & charitatem. Quarta eſt, ſecundùm
,, quod eſt in eis Spiritus Sanctus, qui eſt
,, principaliter perfectio corporis myſtici,
,, quaſi anima in corpore naturali. Prima
,, autem dictarum unionum non eſt unio
,, ſimpliciter, quia illud in quo hæc unio eſt,
,, non eſt unum numero, ſicut eſt in tribus
,, ſequentibus, quia per fidem & charita-
,, tem in uno credito & amato ſecundùm
,, numerum uniuntur, ſimiliter Spiritus
,, Sanctus unus omnes replet. Homines
,, igitur infideles non pertinent ad unio-
,, nem corporis Eccleſiæ, ſecundùm quod
,, eſt unum ſimpliciter, & ideò reſpectu
,, horum Chriſtus non eſt caput, niſi in
,, potentia :: fideles autem peccatores perti-
,, nent quidem aliquo modo ad unitatem
,, Eccleſię, in quantum continuantur ei per
,, fidem, non tamen poſſunt dici membra
,, propriè, niſi ſicut membrum mortuum,
,, ſcilicet equivocè :: Et ſicut operationes,
,, quæ ſunt ad alterum poſſunt aliquo mo-
,, do fieri per membra arida (ut percutere
,, vel aliquid hujuſmodi) non tamen ope-
,, rationes, quæ ſunt in animæ membris:
,, ita nec mali recipiunt ſpiritualiter vitę
,, operationem à Spiritu Sancto: ſed tamen,
,, Spiritus Sanctus per eos operatur ſpiri-
,, tualem vitam in aliis, ſecundùm quod
,, aliis Sacramenta miniſtrant, vel alios
,, docent. Fideles autem in gratia exiſten-
,, tes uniuntur, & ſecundùm tertiam unio-
,, nem, quæ eſt formalis reſpectu hujuſmo-
,, di ſecundæ, & ſecundùm quartam unio-
,, nem, quæ eſt completiva totius. Et ideò
ho-

In 3. diſt. 13. q. 2. a. 2.

horum propriè dicitur Chriſtus caput.

116 Maneat utique tanquam certum; Chriſtum D. Angelorum hominumque caput eſſe: non ſic tamen aliarum rerum naturalium, ut reſolvit D. Thomas, & meritò: quia licèt reſpectu corporis humani poſsit dici caput, non ita tamen reſpectivè ad alias res naturales. Primum ita oſtendit S. Dr. ,, Corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ eſt propria forma ejus & motor. Et in quantum quidèm eſt forma ejus, recipit ab anima vitam, & cæteras proprietates convenientes humano corpori ſecundùm ſuam ſpeciem, in quantum verò anima eſt motor corporis, corpus inſtrumentaliter ſervit animæ. Sic ergo dicendum eſt, quòd habet vim influendi humanitas Chriſti, in quantum eſt conjuncta Dei verbo, cui corpus unitur per animam, ut ſupra dictum eſt. Unde tota Chriſti humanitas, ſecundùm ſcilicet animam & corpus influit in homines, & quantum ad animam & quantum ad corpus: ſed principaliter quantum ad animam, ſecundariò quantum ad corpus. Uno modo in quantum membra corporis exhibentur arma juſtitiæ in anima exiſtente per Chriſtum, ut Apoſt. dicit Roman. 6. Alio modo, in quantum vita gloriæ ab anima derivatur ad corpus, ſecundùm illud Roman. 8. *Qui ſuſcitavit Chriſtum Jeſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Similia tradit in lib. 3. ſent. Inde aſsignat diſcrimen inter humanum & corpora alia, inquiens: ,, Ad ſecundum dicendum, quòd corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem, ſicut habet corpus humanum, & ideò non eſt ſimile.

3. p. q. 8. a. 2.

Hominum & Angelorũ caput eſt Chriſtus non ita aliarum rerum naturalium.

In 3. diſt. 13. q. 2. art. 1.

117 Inde oſtenditur ſecundum: quia Chriſtus Dominus non influit phyſicè, nec principaliter, nec inſtrumentaliter in creaturas naturales præcisè ſecundùm quod fiunt à proprio agente ſecundùm ordinem naturæ: ergo Chriſtus Dominus earum prout ſic non poteſt dici propriè caput; quamvis dicatur rerum omnium Dominus; prout eruditè oſtendit D. Thomas in opuſc. de eruditione principum. Diximus: præcisè ſecundùm quod fiunt à proprio agente. Nam ut D. Thomas habet: ,, Si loquamur de anima Chriſti, ſecundùm propriam naturam & virtutem, ſive naturalem, ſive gratuitam; potentiam habuit ad illos effectûs faciendos, qui ſunt animæ convenientes, puta ad gubernandum corpus, & ad diſponendos humanos actûs, & etiam ad illuminandum per gratiæ, & ſcientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales, ab ejus perfectione deficientes, per modum quo hoc eſt conveniens creaturæ rationali; ſi autem loquamur de anima Chriſti ſecundùm quod eſt inſtrumentum Verbi ſibi uniti, ſic habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad incarnationis finem, qui eſt inſtaurare omnia, ſive quæ in Cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Deinde oſtenditur ex illo Auguſtini: *Meruit Chriſtus, ut juſti eſſemus, non ut homines vel liberi eſſemus.* Tandem: quia Chriſtus Dominus non influit in creaturas ut præcisè naturales, fidem, gratiam, aliaque hujuſmodi dona, quibus membra Chriſti conſtituuntur: non ergo earum omnium caput dicendus erit.

Opuſc. 20. lib. 3. cap. 13. & 14.

3. p. q. 13. a. 2. in corp.

118 Adnotare etiam convenit datam prærogativam Chriſto Domino convenire, non ſolùm ut Deus eſt, ſed etiam ut homo, quandoquidem prioritas, perfectio, & cauſalitas, quas habet Chriſtus Dominus in ordine ad membra Eccleſiæ conveniunt Chriſto Domino, non præcisè ut Deo, ſed etiam ut homini: quippè ſecundùm humanitatem ſubſiſtentem in verbo importat omnes eas conditiones. Præſertim quia ſi ſolum conſideretur ut Deus, & ratione naturæ divinæ; erit quidèm caput, ſed non homogeneum & ejuſdem rationis cum corpore Eccleſiæ. Oportet itaque illam prædicationem applicari Chriſto Domino ut homini & ſecundùm humanam naturam. Sed advertere oportet in hujuſmodi prædicatione ly *ſecundùm humanitatem* non reddere ſenſum reduplicativum, nec denotare, quod humanitas eſt ratio formalis conſtituendi Chriſtum Dominum caput Eccleſiæ, ſed ſolum ſumi ſpecificativè ſignificando humanitatem eſſe ſubjectum *quo* illius gratiæ, qua Chriſtus Dominus in ratione capitis conſtituitur, exercetque officium capitis ut in natura humana ſubſiſtens, quod non obſcurè docuit Apoſtolus illis verbis: *Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*: Nam pedes Chriſti ejus ſignificant humanitatem, quemadmodum Anſelmus aliique Patres obſervant.

Chriſtus D. etiam ut homo eſt caput Eccleſiæ.

Ad Epheſ. 1. v. 22

119 Et poſt Sanctos Patres Doctor Angelicus cujus hæc ſunt verba: ,, Sciendum eſt, quòd hoc quod dicit *ſub pedibus* poteſt accipi dupliciter: uno modo, ut ſit loquutio figurativa & ſimilitudinaria: ut ſcilicet per hoc detur intelligi, quòd omnis creatura totaliter eſt ſubjecta poteſtati Chriſti: illud enim eſt nobis omninò ſubjectum, quod pedibus conculcamus. Et de iſta poteſtate dicitur Matthæi ultimo *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*: Hebræorum 2. *In eo enim quod ei omnia ſubjiciuntur, nihil dimiſit non ſubjectum ei:* Alio modo, ut ſit loquutio metaphorica; nam per pedes intelligitur infima pars corporis; per caput verò ſuprema: licèt autem in Chriſto divinitas & humanitas non habeant rationem partis, tamen divinitas, quæ eſt ſupremum in Chriſto, intelligitur per caput. 1. Corinth. 11. *Caput verò Chriſti Deus.* Humanitas verò quæ infima eſt intelligitur per pedes; Pſalm. 131. *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Eſt ergo ſenſus, quòd omnia creata non ſolum ſubjecit Pater Chriſto, in quantum eſt Deus, cui ab æterno omnia ſunt ſubjecta, ſed etiam humanitati ejus.

D. Thomas ibidèm lectione 8.

120 Hucuſque inficias fortè non ibunt bonorum operum oſſores hæretici: at ex ipſa notione capitis deberent neceſsitatem deducere bonorum operum. Quandoquidem non aliter à capite, virtutem, vigorem, vitam & perfectionem reſpectivè congruam derivant membra, niſi ipſi uniantur. Quis namque vidit unquam, vel ramum à radice arboris viriditatem ſugere, dùm ab eo præciſus eſt? Aut membrum corporis naturalis ſeparatum aut totaliter aridum, vitalem trahere influxum à capite? Fateantur igitur etiam nolentes hæretici, non aliter Chriſtum Dominum in ſui myſtici corporis membra virtutem jugiter influere, niſi ipſi uniantur. Influxu illo, majoris perfectionis incrementum accipiente, quò perfectior fuerit ea unio & membrorum cum capite conformitas. Indè fideles peccatores minorem influxum, quàm juſti à Deo per Chriſtum recipiunt. Illi quidem tanquam filii Dei, imperfectè quidem per regenerationem nimirum & fidem juxta illud Apoſtoli: *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: quam ſcilicet receperunt in Baptiſmo, ubi in Eccleſiæ ſinu geniti ſunt. Et inde diſpoſiti ut adoptionem in filios Dei accipiant per gratiam, juxta illud: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.* Juſti verò tanquam filii adoptivi, *non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis ſed ex Deo nati.*

Influxus Chriſti D. ut capitis, neceſsitatem oſtendit bonorum operum.

Ad Galat. 3. v. 26.

Joan. 1. v. 12.

121 Ut ergo fideles à Deo per Chriſtum D. gratiam, ejuſque incrementum & gloriam tandem accipiant, neceſſum eſt ipſi imprimis perfectè uniri, eique conformari, ſivè configurari & quaſi incorporari; inſuper & induere Dominum Jeſum Chriſtum ut Apoſtolus loqui conſuevit; ſed ſine charitate in opera bona ſeſe diffundente malaque removente, ut Apoſtolus oſtendit, (indeque deducens ejus ſupra gratias gratis datas excellentiam, prout aliquando ſtabilivimus) neque unio illa, nec conformitas inveniri poteſt: igitur neque gratiam & gloriam accipere valebit homo quantumcunque fidelis, niſi in opera bona per charitatem effluat. Minorem aſſumptam poſuit Apoſtolus, qui poſtquam recenſet liberationem & redemptionem factam à Chriſto D. inquit: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Ubi oſtendit Apoſtolus, quibus hoc beneficium concedatur (expoſitio eſt D. Thomæ.) Et ponit duas conditiones, quę ad hoc requiruntur. Quarum primam ponit dicens: ,, *iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*; id eſt, qui ſunt ei incorporati per fidem & dilectionem, & fidei Sacramentum: Gal. 3. *Omnes quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*:: Illis verò qui non ſunt in Chriſto Jeſu, damnatio videtur: unde alibi ſubditur: *Si quis in me non manſerit mittetur foras: ſicut palmes, & areſcet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Secundam conditionem ponit dicens: *Qui non ſecundùm carnem ambulant*, id eſt, concupiſcentiam carnis non ſequuntur: 2. Corinth. 10. *In carne ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.* Sic Angelicus Thomas divinum Theologum, vel in Cœlis laureatum exponens. Audiatur deinde Magiſtrum ſententiarum illuſtrans. ,, Ad quartum (inquit) dicendum, quòd Chriſtus in quantum nobis influit per meritum, dicitur caput noſtrum, ut ſupra dictum eſt. Ex capite autem non recipitur influxus in membris diviſis, ſed in membris conjunctis capiti, quantumcunque caput ex ſe ſufficiens ſit ad influendum. Unde quamvis meritum Chriſti ſit ſufficiens ad delendum peccata, tamen ad efficientiam deletionis requiruntur ea, quæ capiti conjungunt: hujuſmodi autem ſunt fides & charitas. Et ideò Magiſter aſsignat fidem paſsionis & charitatem quaſi cauſas efficientiæ deletionis culpæ: cauſam tamen ſufficientiæ aſsignat in hoc quod dicit, quòd mors Chriſti eſt verum ſacrificium per quod peccata delentur.

Roman. 8. v. 1.

D. Thomas Roman. 8. lect. 1.

122 Et tandem circa conformitatem membrorum ad caput (de quo plura dicenda ſunt contra pſeudo-myſticos) quid reponere habebunt Lutherani? An conformitas erit; imò quomodo non monſtruoſitas: ſi ſub ſpinoſo capite, quod Chriſtus eſt, membrum non ſpinoſum ſed delicatum eſſe velit, ut aliquando Bernardus melliflluè eructavit? An Chriſto Domino, ut capiti configurari, dicenda ſunt membra illa, quæ ex oppoſito ad Dominum moribus incedunt? Non ita utique Apoſtolorum Princeps docuit: *Quaſi filii* (inquit) *Obedientiæ, non configurati prioribus ignorantię veſtræ deſideriis. Sed ſecundùm eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis: Quoniam ſcriptum eſt; Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum.* ,, Ideſt, (exponit Divus Thomas) filio obedientiæ ſimiles, qui fuit obediens Patri uſque ad mortem, Philip. 2. Vel quaſi filii, Joan. 1. *Quaſi unigeniti à Patre.* Obedientiæ, inquam, intranſitivę, id eſt obedientes. Et dicit, filii obedientiæ, ut notetur quòd obedientia debet eſſe filialis, non ſervilis: hoc refertur ad operationem boni, (non configurati) ideſt non conformes, vel aſsimilati (prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis) provenientibus ex ignorantia & errore propter quod excuſabiliores eratis, etſi non à toto, modò non hoc referatur ad delectationem mali. Poſtea ponitur exemplar utriuſque partis juſtitiæ (ſed ſecundùm eum) ideſt,

Monſtruoſum eſt, membra capiti non conformari.

1. Petri 1. à v. 14.

D. Thomas ibidèm, vel quiſquis ſit Author illius Commentarii.

,, ideſt, ſitis configurati ad ejus exemplar
,, quod eſt correctiſsimum, ſcilicet, anto-
,, nomaſticè: unde dicitur Sanctus Sancto-
,, rum, Daniel. 9. (*qui vocavit vos*) ad fi-
,, dem, vocatione interiori per Spiritûs
,, Sancti gratiam & exteriori per verbum
,, prædicationis. Vocavit autem (ut & ip-
,, ſi) id eſt ſicut ipſe Chriſtus, (ſitis ſancti)
,, id eſt, mundi & puri ab omni peccato.
,, Vel ſecundùm Gloſſam, id eſt, firmi con-
,, tra vitia & contra tribulationes, (*in om-
,, ni converſatione*) non in parte conver-
,, ſationis, ſed in tota, id eſt, inter dome-
,, ſticos & extraneos, inter bonos & malos,
,, inter ſæculares, ſeu laicos & religioſos,
,, inter proſpera & adverſa. Sunt enim
,, quidam qui conformantur omnibus qui-
,, bus conjunguntur: nam quando ſunt
,, cum ſæcularibus, ſunt quaſi ſæculares:
,, quando cum religioſis, ſunt quaſi reli-
,, gioſi. Tales ſunt ſimiles animali quod
,, dicitur Chamęleon, quod conformatur
,, omnibus, quibus aſſociatur, quando
,, conjungitur rei albæ, vel rubeæ, vide-
,, tur album, vel rubeum. Nota, quòd ſic
,, dixerunt quidam de anima, quod ſorti-
,, tur rerum ſimilitudines. Et debetes eſſe
,, Sancti, quoniam ſcriptum eſt, (*Sancti
,, eritis, quoniam ego Sanctus ſum*) dig-
,, num eſt enim filios Patri conformari &
,, membra capiti. Gloſſ. *Tales vos volo
,, qualis ego ſum.*

123 Ad extremum deinde, qualiter
vel imaginari poſſunt Chriſtum induti, fi-
deles illi, qui operibus virtuoſis vale di-
centes, carni ſerviunt, opera carnis, alias
cum Apoſtolo à nobis recenſita, perficien-
tes? Audiant namque ex Apoſtolo quomo-
do Chriſtus induatur: poſtquam enim in-
ducit ad ſumenda arma lucis & honeſtè
ambulandum: Exponit (verba ſunt D.Tho-
,, mæ:) ,, Quomodo debeamus induere ar-
,, ma lucis, dicens *ſed induimini Dominum
,, Jeſum Chriſtum*, in quo ſcilicet abun-
,, dantiſsime fuerunt omnes virtutes ſecun-
,, dùm illud Iſai. 4. *Apprehendent ſeptem
,, mulieres virum unum*: Induimus autem
,, Jeſum Chriſtum: Primò quidem per Sa-
,, cramenti ſuſceptionem: Galat. 3. *Qui-
,, cunque in Chriſto baptizati eſtis, Chri-
,, ſtum induiſtis*: Secundò per imitationem:
,, Coloſſ. 3. *Expoliantes vos veterem ho-
,, minem cum actibus ſuis, & induentes no-
,, vum, &c.* Et Epheſior. 4. *Induite no-
,, vum hominem, qui ſecundùm Deum crea-
,, tus eſt in juſtitia, &c.* Dicitur autem
,, induere Chriſtum, qui Chriſtum imita-
,, tur: quia ſicut homo continetur veſti-
,, mento, & ſub ejus colore videtur, ita in
,, eo, qui Chriſtum imitatur, opera Chriſti
,, apparent: per hoc ergo induimur arma
,, lucis, quando induimur Chriſtum. Ter-
,, tiò exponit, quod dixerat, *ſicut in die
,, honeſtè ambulemus*, per hoc quod ſub-
,, dit, *& carnis curam, ne feceritis in de-
,, ſideriis*: In hoc enim pulchritudo hone-
,, ſtatis conſiſtit, ut homo non carnem ſpi-
,, ritui, ſed ſpiritum præferat carni: Suprà
cap. octavo: *Debitores ſumus, non carni,
ut ſecundùm carnem vivamus.*

Non Chriſtum induunt, qui bonis operibus vale dicunt.

Ad Rom.13.v. 14.

D. Thom. lect. 3. penes finem.

§. V.

Chriſtus D. vitis dicitur & homines palmites, ut iterum appareat neceſſitas bonorum operum.

124 JUVAT tandem Chri-
ſtum Dominum con-
templari, ut veram vi-
tem jugiter in ſuos
palmites influentem; ut
inde ad calcem, ite-
rum ſtabiliatur bonorum operum neceſsitas
qualiter in articulo præſenti firmanda pro-
ponitur. Chriſtus D. influxum gratiæ deri-
vat & gloriæ ad homines juſtos, ad ſimili-
tudinem vitis in ſuos palmites vigorem,
virtutem, fœcunditatem tranſmittentis: at
palmites non aliter à vite humorem vivi-
ficum, vigoroſum & fœcundantem hauriunt,
niſi in vite maneant, ejus vitâ & vigore vi-
ventes ſimul & fructificantes: Ad hujus er-
go ſimilitudinem myſtici palmites, homi-
nes nimirum juſti, à Chriſto D. veluti my-
ſtica vite derivare non valent ſalvificum
gratiæ & gloriæ influxum, perfectionem &
fœcunditatem, niſi maneant ipſi uniti per
charitatem in opera bona effuſſam. Quia
debent manere *in dilectione Chriſti*: Nec
aliter in hac dilectione manebunt, niſi per
bona exerceantur opera, præceptorumque
obſervantiam, exemplo D. qui dixit: *Si
præcepta mea ſervaveritis: manebitis in di-
lectione mea: ſicut & ego Patris mei præ-
cepta ſervavi: & maneo in ejus dilectione.*
Quæ quidem verba, quia jam ſupra cum
D. Angelico expendimus, hìc ponderare
intermittimus. Reſtat tamen firmare utram-
que propoſitionem compendio datam in ar-
gumento propoſito: nempe, quòd Chriſtus
D. ad juſtos præſertim homines compare-
tur tanquam vitis vera ad palmites ei
uniendos ut fructum ſalutis afferant.

Chriſtus D. vitis, & homines dicuntur palmites, ut ipſi per charitatem in opera proffuſſam, uniantur.

Joan.15.v.10.

125 Sed quid opus eſt diſcurrere in eo
quod ipſe D. palam explicavit: ipſum proin-
de audiamus, ab Auguſtino & Thoma
adductum & dilucide explicatum. *Ego ſum*
(inquit) *vitis vera*. Dicitur *vitis*, per quan-
dam ſimilitudinem (loquitur D. Thomas)
quia ſicut vitis licet deſpecta videatur:
,, Omnia tamen ligna excedit in dulcedi-
,, ne fructûs; Ita Chriſtus etſi mundo deſ-
,, pectus videretur, quia pauper erat, & ig-
,, nobilis videbatur, & ignominiam ſuſti-
,, nens, tamen dulciſsimos fructûs protulit:
,, ſecundùm illud cant. 2. *Fructus ejus dul-
,, cis gutturi meo*. Et ideò Chriſtus eſt vi-
,, tis afferens vinum interius inebrians:
,, quod eſt vinum compunctionis, &c. Ite-
,, rum vinum confortans noſtræ refectionis.
Su-

Joan. 15. v.1.

D. Thomas ibidem, lectur. 1.

,, Supra 6. *Sanguis meus verè eſt potus.* Sic
,, enim ſupra comparavit ſe grano frumen-
,, ti, quia caro ejus verè eſt cibus. Hæc
,, eſt vitis illa de qua dicitur Gen. 49. *Vi-
,, debam coràm me vitem habentem propa-
,, gines tres*, id eſt Chriſtum in quo ſunt
,, tres ſubſtantiæ corpus & anima & divi-
,, nitas. Hæc eſt etiam vitis de qua Ja-
,, cob dicit Gen. penultimo: *Ligabis ad
,, vitem fili mihi Aſinam tuam*, id eſt Ec-
,, cleſiam. Sed hæc vitis eſt vera. Ubi ſcien-
,, dum, quòd verum aliquando dividitur
,, contra ſimilitudinarium: ſicut homo ve-
,, rus ab homine ficto, aliquando à cor-
,, rupto, ſicut acetum à vino: quia eſt
,, vinum corruptum. Hoc ergo quod di-
,, citur (*ego ſum vitis vera.*) Accipitur ſe-
,, cundo modo: ut diſcernat ſe à vite cor-
,, rupta, à populo Judæorum, de quo dici-
,, tur Jerem. 2. *Quomodo converſa es in
,, amaritudinem vitis aliena.* Et hoc ideò,
,, quia non faciebat uvas ſed labruſcas
Iſaiæ 5. Subjectam explicationem hauſit
D. Thomas pro more ſuo ex Auguſtino,
cujus hæc ſunt verba: * Quid ergo eſt,
* ego ſum vitis vera? Nunquid ut adderet
* vera, hoc ad eam vitem retulit, undè
* iſta ſimilitudo tranſlata eſt? Sic enim di-
* citur vitis per ſimilitudinem, non per
* proprietatem. Quemadmodum dicitur
* ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis,
* & cœtera hujuſmodi, quæ magis ipſa ſunt
* vera, ex quibus ducuntur iſtæ ſimilitudi-
* nes, non proprietates. Sed cùm dicit,
* ego ſum vitis vera; ab illa ſe utique diſ-
* cernit, cui dicitur: Quomodo converſa
* es in amaritudinem vitis aliena? Nam
* quo pacto eſt vitis vera, quę expectata
* eſt ut faceret uvam, fecit autem ſpinas?

S. Auguſtinus tract. 80. in Joannem apud D. Thomam in Catena Aurea.

126 Convenit valdè hìc adnotare ra-
tionem vitis in ſenſu explicato, Chriſto D.
congruere ut homini, eo proportionali mo-
do, quo ſupra explicavimus ipſi rationem
capitis adaptari: *Quamvis autem* (inquit
Auguſt.) *Chriſtus vitis non eſſet, niſi ho-
mo eſſet; tamen iſtam gratiam palmitibus
non præberet, niſi etiam Deus eſſet*. Dici-
tur ergo vitis in quantum homo ſpecifi-
cativè; quia aliter vitis non eſſet, ut præ-
clarè docuit Auguſtinus antea laudatus.
* Iſte locus (habet) Evangelicus, fratres,
* ubi ſe dicit D. vitem & diſcipulos ſuos
* palmites, ſecundùm hoc dicit, quòd eſt
* caput Eccleſiæ, noſque membra ejus,
* mediator Dei & hominum homo Chri-
* ſtus Jeſus. Unius quippè naturæ ſunt
* vitis & palmites; propter quod cùm eſ-
* ſet Deus, cujus naturæ non ſumus, fa-
* ctus eſt homo, ut in illo eſſet vitis hu-
* mana natura, cujus & nos homines pal-
* mites eſſe poſſemus. Hæc Auguſt. docuit,
hæc deinde Thomas efficaciter firmavit ſub-
jungens: ,, Sed notandum quòd in Chri-
,, ſto eſt duplex natura: divina ſcilicet &
,, humana. Et ſecundùm humanam conve-
,, nit nobiſcum, & eſt minor Patre. Se-
,, cundùm divinam convenit cum Deo: &
,, eſt ſupra nos. Eſt ergo vitis vera ſecun-
,, dum hoc quòd eſt caput Eccleſiæ homo
,, Chriſtus Jeſus, & hoc inſinuat introdu-
,, cens agricolam, qui eſt Pater. Undè di-
,, cit (*& Pater meus agricola eſt*) ſi enim eſt
,, vitis ſecundùm divinam naturam: pater vi-
,, tis eſſet, ſicut & filius: quia ergo ſecundùm
,, humanam naturam vitis eſt, ideò pater ſe
,, habet ad ipſum ſicut agricola ad vitem.
,, Ipſe etiam ſecundùm quod Deus agrico-
,, la eſt.

Ratio vitis Chriſto D. congruit ut homini.

Tract. 81. in Joann.

127 Sed cur Deus agricola dicatur in
ordine ad hujus myſticæ vitis palmites,
quidque ex eis requirat, ſic expendit Do-
ctor Angelicus: Dicitur autem agricola à
cultura. ,, Undè & vinitor inquantum co-
,, lit, agricola eſt. Sed cùm colere ſit ſtu-
,, dium impendere, dupliciter aliquid coli-
,, mus, vel ut id quod colimus melioretur:
,, & hoc modo colimus agrum: vel aliquid
,, tale. Alio modo ut nos melioremur per
,, ipſum. Et hoc modo homo colit Sapientiam.
,, Deus ergo colit nos, ut nos ex ejus ope-
,, re melioremur: inquantum extirpat ma-
,, la ſemina de cordibus noſtris. Aperit cor
,, noſtrum aratro ſermonis: plantat ſemina
,, præceptorum: colligit fructum pietatis
,, (ut dicit Auguſtinus) Nos autem colimus
,, eum, ut nos per ipſum melioremur, ſed
,, hoc adorando, non arando. *Si quis Dei
,, cultor eſt, &c.* Eſt ergo pater agricola
,, hujus vitis ad bonum alterius. (*Ipſe enim
,, plantat.*) Jer. 2. *Ego te plantavi, &c.*
,, Ipſe augmentat, 1. Corinth. 3. *Ego plan-
,, tavi: Apollo rigavit; Deus autem, &c.*
,, quia ſolus Deus interiùs augmentat &
,, fructificare facit quantumcunque hoc coo-
,, peretur exteriùs, ipſe cuſtodit & conſer-
,, vat. Matthęi 21. Et Iſaiæ 5. dicitur: *Qui
,, ædificavit in vinea turrim & ſepem cir-
,, cundedit*. Studium autem agricolæ eſt
,, circa duo, circa vitem & circa palmites.
,, Sed vitis de qua hic agitur perfecta erat
,, non indigens agricolæ ſtudio. Undè to-
,, tum ſtudium agricolæ erat circa palmi-
,, tes impendendum. Et ideò dicit (*Om-
,, nem palmitem, &c.*) Palmites autem ſunt
,, de natura vitis: undè adhærentes Chri-
,, ſto ſunt palmites hujus vitis. Ezech. 17.
,, *Facta eſt vinea, & fructificavit in palmites.*
,, Circa hoc ergo duo facit. Primò ponit ſtu-
,, diũ hujus agricolæ circa palmites malos. Se-
,, cundo circa palmites bonos. Studium au-
,, tem ejus circa malos eſt ut ſcindantur
,, à vite. Undè dicit (*omnem palmitem*) id
,, eſt omnem fidelem (*non ferentem fructum*)
,, in vite (*in me*) ſine quo nihil fructificare
,, poteſt (*tollet eum*) à vite. Ex quo ap-
,, paret, quòd non ſolum à Chriſto ex-
,, cinduntur aliqui, quia mala faciunt, ſed
,, etiam quia mala facere negligunt. 2. Co-
,, rinth. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum,
,, &c.* Undè de ſe dicebat Apoſtolus 1.
,, Cor. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum,
,, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Et
,, Matthæi 25. dicitur *quòd ablatum eſt ta-
,, lentum ei, qui ex eo non fructificavit,
ſed*

„*ſed abſcondit illud.* Lucæ 13. *Dominus* „*ficum ſterilem præcepit abſcindi.* Studium „autem ejus circa bonos palmites eſt ut „foveantur ad magis fructificandum. Un„dè dixit (*& omnem, qui fert fructum,* „*&c.*) Ad litteram enim in vite naturali „contingit, quòd palmes multos ſurcu„los habens minus fructificat propter hu„moris diffuſionem ad omnes, & ideò „cultores, ut magis fructificet, purgant „eum à ſuperfluis ſurculis. Ita eſt in ho„mine: Nam homo bene diſpoſitus & „Deo conjunctus, ſi ſuum affectum ad „diverſa inclinet, virtus ejus minoratur, „& magis inefficax fit ad benè operandum. „Et indè eſt, quòd Deus ut benè fructi„ficet, frequenter præcindit hujuſmodi „impedimenta, & purgat immittens tri„bulationes & tentationes, quibus for„tior fiat ad operandum, & ideò dicit „(*purgavit eum*) etiam ſi purus exiſtat: „quia nullus eſt ideò purus in hac vita, „ut non ſit magis, magiſque purgandus. „1. Joann. 5. *Si dixerimus quoniam pec*„*catum non habemus, &c.* Et hoc (*ut* „*plus fructum afferat*) id eſt creſcat in vir„tute, ut tantò ſint fructuoſiores, quan„tò ſunt mundiores. Apocalyp. ult. *Qui* „*juſtus eſt, juſtificetur adhuc, &c.* Col. 1. „*Verbum Evangelii fructificat, &c.* Pſal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.* Huic Angelicæ expoſitioni præluxerunt SS. PP. quantum ad malos attinet, Hilarius ita habet: *Inutiles autem & inferaces palmites deſecans, igni deputabit arſuros.* Chryſoſtomus deinde: *Fructum autem hìc vitam ocultè inſinuat, oſtendens, quòd ſine operibus non poteſt aliquis eſſe in eo.* Inſuper quantum ad bonos pertinet, ita ſcripſit: *Et quia etiam qui valde virtuoſi ſunt indigent agricolæ opere, adjungit: Et omnem qui fert fructum, purgabit, &c. Hoc dixit propter tribulationes eorum, quæ tunc inducebantur; oſtendens, quod tentationes eos fortiores faciebant; ſicut purgare (hoc eſt circumcidere) palmitem, eum magis germinare facit.*

Homines ſine bonis operibus palmites ſunt ad ignem deſtinati.

S. Hilarius lib. 9. de Trinit.

Chryſoſtomus: Homil. 5. in Joannem apud D. Thom. ibidèm in Catena.

ARTICULUS V.

Perfectio Evangelii perfectiora exigit virtutum opera.

128 LEGIS Evangelicæ à perfectione (unde hæretici mel ſugere deberent piæ mellifluæque doctrinæ) venenum hauriunt errorum, quo à ſequendis veſtigiis Chriſti D. novæ legis conditoris recedunt. Illi enim inter utramque legem nolentes rectè diſtinguere, antiquam deprimentes, novam dum extollunt, reipſa rejiciunt, quaſi non eſſet lex, quæ præcepta non intimat, cum tamen perfectiora mandata præcipiendo commendet. Non ſic hæreticorum perpetuus debellator, ipſiſque proindè formidabilis Thomas, qui *ſplendens luce divini muneris, novæ ſimul & legis veteris*, dùm arcana reſerat, veterem novâ luce illuſtrat, cùm novam in veteri adumbratam, ipſis Judæis ita amabilem reddidit, ut mirum non ſit, Sixtum Senenſem, Paulum Burgenſem alioſque bene multos & magnos Rabbinos ad Evangelium, Divinâ aſpirante gratiâ traxerit. O utinam hæreticis, quos adverſarios in hac diſſertatione habemus, Angelica Thomæ lux, Deo mirabiliter operante, eluceſcat, ut veram Evangelii notionem agnoſcentes, in Dominicam Eccleſiæ caulam reducti, ad ipſius Evangelii normam, quùm diſcurſus, tùm affectus componant. Dabimus igitur imprimis utriuſque legis diſcrimina, ut neceſsitatem deinde bonorum operum, ex Evangelii perfectione certam & perſpicuam faciamus. Audiatur intereà Sacrum Tridentinum Concilium, ita ad noſtrum propoſitum diffiniens: *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.* Et rurſus: *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum, quaſi verò Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſsio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema ſit.*

D. Thomas arcana reſerans antiqui Teſtamenti.

In Officio Dominicano.

Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 19.

Can. 20.

§. I.

Præcipua utriuſque legis diſcrimina ſtatuens.

129 DISCRIMINA Evangelium inter & legem veterem daturi, qualiter diſtinguātur, qualitervè conveniant, quaſi compendio & veluti generaliter ſignificare habemus. Apoſtolus namque indicare videtur legem veterem, eſſe, & non eſſe aliam à nova: *Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt, ut legis tranſlatio fiat*, habet Apoſtolus: ſed aliud eſt Sacerdotium novi & veteris teſtamenti, ut ibidèm Paulus probat: ergo etiam alia lex (arguit D. Thomas.) Ex alio capite oppoſitum ſignificare videtur Apoſtolus illis verbis: *Miror, quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium, quod non eſt aliud.* D. Thomas: „Et licèt ſit aliud Evangelium ſe„cundùm traditionem pſeudo-Apoſto„lorum, tamen ſecundùm meam prædi-

Ad Hebr. 7. D. Thomas ibidèm, & 1. 2. q. 107. art. 1. in ſed contra.

Ad Galat. 1. v. 6. D. Thomas ibidèm lect. 2.

ca-

„cationem non: eſt enim aliud in promiſ„ſis, ſed non eſt aliud in figura: Quia „idem continetur in veteri teſtamento & „in novo: in veteri quidèm ut in figura: „in novo verò ut in re & expreſsè: Et ſic „eſt aliud Evangelium quantum ad ea, „quæ exteriùs apparent; ſed quantum ad „ea, quæ interiùs ſunt & continentur, non „eſt aliud. Quis non videat hujus geminati teſtimonii obſcuram eſſe & difficilem concordiam? Verumtamen Dr. ille *egregius, qui Scripturarum ænigmata reſeravit, & obſcura dilucidavit*, difficultatem depellit. Statuit namque, quòd lex quælibet ordinat hominem ad aliquem finem: unde penès illum reſpectum diverſitas legum attendenda eſt: ſi namque fines ſint diverſi, ſpecifica inter leges diſtinctio & differentia agnoſci debet: Quando autem finis idem eſt, ad quem magis, vel minus appropinquantur leges, non ita ſpecificè diſtinguntur, ſed differentia dumtaxat quaſi accidentali, & penès perfectum, & imperfectum.

Urbanus V. in priori Bulla ad Toloſanos.

Vetus & nova lex penès perfectum & imperfectum differunt ſolum.

130 „Reſpondeo dicendum (habet D. „Thomas) quòd ſicut ſupra dictum eſt, „omnis lex ordinat converſationem huma„nam in ordine ad aliquem finem. Ea „autem, quæ ordinantur ad finem, ſecun„dùm rationem finis dupliciter diverſificari „poſſunt. Uno modo, quia ordinantur „ad diverſos fines, & hæc eſt diverſitas „ſpeciei, maximè ſi ſit finis proximus. Alio „modo ſecundùm propinquitatem ad fi„nem vel diſtantiam ab ipſo, ſicut pa„tet, quòd motûs differunt ſpecie ſecun„dùm quod ordinantur ad diverſos termi„nos, ſecundùm verò quòd una pars mo„tûs eſt propinquior termino, quam alia, „attenditur differentia in motu ſecundùm „perfectum & imperfectum. Sic ergo duæ „leges diſtingui poſſunt dupliciter, uno „modo, quaſi omninò diverſæ, utpotè „ordinatę ad diverſos fines: ſicut lex ci„vitatis, quæ eſſet ordinata ad hoc, quod „populus dominaretur, eſſet ſpecie diffe„rens ab illa lege, quæ eſſet ad hoc or„dinata, quod optimates civitatis domi„narentur. Alio modo duæ leges diſtingui „poſſunt, ſecundùm quod una propin„quiùs ordinat ad finem, alia verò remo„tiùs, puta in una & eadem civitate di„citur alia lex, quæ imponitur viris per„fectis, qui ſtatim poſſunt exequi ea, quæ „pertinent ad bonum commune; & alia „lex datur de diſciplina puerorum, qui „ſunt inſtruendi, qualiter poſtmodum ope„ra virorum exequantur. Dicendum eſt „ergo, quòd ſecundùm primum modum „lex nova non eſt alia à lege veteri: quia „utriuſque eſt unus finis, ſcilicet ut homi„nes ſubdantur Deo. Eſt autem unus Deus „& novi & veteris teſtamenti, ſecundùm „illud Rom. 3. *Unus Deus eſt, qui juſti*„*ficat circumciſionem ex fide, & prępu*„*tium per fidem.* Alio modo lex nova „eſt alia à veteri: quia lex vetus eſt qua„ſi pædagogus puerorum, ut Apoſt. dicit „ad Galat. 3. *Lex autem nova eſt lex per*„*fectionis, quia eſt lex charitatis*, de qua „Apoſtol dicit ad Col. 3. quòd eſt *vincu*„*lum perfectionis.*

D.Thomas 1. 2. q. 107. a. 1. in corp.

132 Conformiter ad prælibatam Doctoris Angelici doctrinam, convenit jam inter melioris notæ Theologos, Eccleſiam militantem, unam, eandemque eſſe in triplici & diſtincto ſtatu, legis nempè naturæ, ſcriptæ & Evangelicæ, ſecundùm quod Patres, Auguſtinus præſertim & Nyſſenus, verba illa Canticorum exponentes, intelligunt: *Una eſt columba mea*: „Id eſt, una eſt „generalis Eccleſia, quæ & rectè colum„ba vocatur: quia Spiritus Sancti dote, „qui in ſpecie columbę apparuit, Chriſto „ſponſata eſt & ſanctificata (expoſitio eſt „Divi Thomæ.) Accedit efficax ratio Theologica: Quandoquidem Eccleſia cùm ſit corpus quoddam myſticum, cujus membra ſunt fideles & juſti, unitatem ſaltem quoad ſubſtantiam, non poteſt non habere, ſi eadem quoad ſubſtantiam ſit forma, ratione cujus, ad invicèm & cum Chriſto Domino ejus capite uniuntur; talis autem eſt fides & gratia; atqui ejuſdem rationis ſemper fuit gratia ſanctificans, hominibus viatoribus in triplici memorato ſtatu per Chriſtum Dominum impertita, ut in ſuperioribus firmiter ſtabilitum eſt: ſimiliter, & fides Theologica eadem ſemper quantum ad ſubſtantiam, nullo prout ſic accepto incremento, niſi quoad majorem explicationem, ut Angelicè demonſtrat ſcholarum Angelus: Maneat ergo firma & ſtabilis Eccleſiæ militantis aſſerta unitas. Hinc Sanctus Doctor benè oſtendit: fideles in omni ſtatu fidem unius Dei & mediatoris Jeſu Chriſti profeſſos fuiſſe: „Et ideò „antiqui Patres, ſervando legalia ſacra„menta, ferebantur in Chriſtum per fi„dem & dilectionem eandem, qua & nos „in ipſum ferimur: & ita Patres antiqui „ad idem corpus Eccleſiæ pertinebant, ad „quod nos pertinemus. Atque in hoc ſenſu Apoſtolus affirmat: *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Et rurſùs: *Habentes eundem ſpiritum fidei*; ut rectè expendit magnus Auguſtinus. Et tandem ſi Eccleſiæ unitas, & veluti identitas ab ejus fundamento deſumenda eſt adinſtar materialis domus; quis dubitet Eccleſiæ in omni ſtatu, unum & idem eſſe fundamentum, Apoſtolo dicente: *Fundamentum enim aliud, nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, Chriſtus Jeſus.*

Canticorum 6. v. 8.

D. Thomas Comment. in locum Cant.

Eccleſia Militans una eſt, in omni ſui ſtatu.

2. 2. q. 1. art. 7.

3. part. q. 8. artic. 3. ad 3.

1. Corinth. 10. v. 3.

2. Corinth. 3. S. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 16.

1. Corinth. 3. v. 11.

133 Primum deindè & radicale diſcrimen, unde reliquæ derivantur differentiæ inter utramque legem ex doctrina tradita, ſtatim aſsignat D. Thomas: „Ad ſecun„dum dicendum, quòd omnes differen„tiæ, quæ aſsignantur inter novam legem „& veterem, accipiuntur ſecundùm per-

D. Thomas art. 1. ſupra citato, ex 1. 2. q. 107. ſolut. ad 2.

fectum

,, fectum & imperfectum. Præcepta enim
,, legis cujuſlibet dantur de actibus virtu-
,, tum: ad operanda autem virtutum ope-
,, ra, aliter inclinantur imperfecti, qui non-
,, dùm habent virtutis habitum, & aliter
,, illi, qui ſunt per habitum virtutis per-
,, fecti. Illi autem qui nondùm habent ha-
,, bitum virtutis, inclinantur ad agendum
,, virtutis opera ex aliqua cauſa extrinſe-
,, ca, puta ex comminatione pœnarum,
,, vel ex promiſsione aliquarum extrinſe-
,, carum remunerationum, puta, honoris,
,, vel divitiarum, vel alicujus hujuſmodi,
,, & ideò lex vetus, quæ dabatur imper-
,, fectis, ideſt, nondùm conſequutis gra-
,, tiam ſpiritualem, dicebatur lex timoris,
,, in quantum inducebat ad obſervationem
,, præceptorum, per comminationem qua-
,, rundam pœnarum, & dicitur habere
,, temporalia quædam promiſſa. Illi autem,
,, qui habent virtutem, inclinantur ad vir-
,, tutis opera agenda propter amorem vir-
,, tutis, non propter aliquam pœnam aut
,, remunerationem extrinſecam, & ideò
,, lex nova, cujus principalitas conſiſtit in
,, ipſa ſpirituali gratiâ indita cordibus,
,, dicitur lex amoris, & dicitur habere
,, promiſſa ſpiritualia & æterna, quæ ſunt
,, objecta virtutis, præcipuè charitatis, &
,, ita per ſe in ea inclinantur, non quaſi
,, in extranea, ſed quaſi in propria. Et
,, propter hoc etiam lex vetus dicitur co-
,, hibere manum, non animum; quia qui
,, timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet,
,, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato
,, recedit, ſicut recedit voluntas ejus, qui
,, amore juſtitiæ abſtinet à peccato, & prop-
,, ter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris,
,, dicitur animum cohibere.

Radicalis inter utramque legem differentia, ſecundùm perfectum, & imperfectum accipitur.

134 Videas indè ſecundam, & quidem ſatis præcipuam inter utramque legem differentiam ex eo ſcilicet, quòd lex moſayca meritò dicebatur lex timoris, inquàm ſervilis, quia ad obediendum Deo, comminatione pœnarum homines inducebat: Evangelium verò lex amoris jure appellatur: quia amore juſtitiæ & juſtitiæ fontis, ſuaviter allicit, efficaciter trahit ad divina mandata; atque adeò illa ſervorum, hæc filiorum lex audit: Hæc in mannâ cælitùs dato præfigurata fuit: illa in quinque hordeaceis panibus, quibus hominum quinque millia Dominus ſaturavit. De hoc ultimo audiatur Auguſtinus:
* Quinque au-
* tem panes ordeacei ſignificant veterem
* legem: ſive quia nondùm ſpiritualibus,
* ſed adhuc carnalibus data eſt lex; id eſt
* quinque corporis ſenſibus deditis (nam
* & ipſæ turbæ quinque millia hominum
* fuerunt) ſive quia per Moyſem lex ipſa
* data eſt: Moyſes enim quinque libros
* ſcripſit. Et quod hordeacei erant panes,
* benè ſignificavit ipſam legem, quæ ita
* data erat, ut in ea vitale animæ alimen-
* tum corporalibus Sacramentis obtexeretur:
* Hordei enim medulla tenuiſsima palea
* tegitur: vel ipſum populum nondùm ex-
* poliatum carnali deſiderio, quo tan-
* quam palea cordi ejus inhærebat. Addit
* Beda: Hordeum etiam pabulum eſt ju-
* mentorum, & cibus ruſticorum ſervo-
* rum, lex autem vetus data eſt & ſervis
* & jumentis; id eſt, carnalibus.

Antiqua lex timoris: Evangelica autem lex amoris dicitur.

S. Auguſtinus apud D. Thomam in Catena Aurea.

Joan. 6.

135 In hoc hordeaceo igitur pane obumbrata fuit lex Moſayca: cum tamen Evangelium in pane triticeo ſymbolizata fuerit. Nec solùm in ipſo tritico, ſed in ipſius tritici medulla, & adipe juxta illud: *Frumenti adipe ſatiat te*: conformiter etiam ad magnificam illam promiſsionem, Judæis in typo & figura, fidelibus novæ legis in veritate datam: *Conſtituit eum ſuper excelſam terram: ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſsimo. Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan: & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberet meraciſsimum.* Quid ergo mirum lex antiqua vino comparetur, lex autem Evangelica, lacti ſimilis in lib. cant. dicatur:
,, *Quia meliora ſunt ubera tua vino.* Per
,, ubera Chriſti, dulcedo Evangelii intelli-
,, gitur: quia veluti lacte nutritur infan-
,, tia credentium. Vinum autem auſterita-
,, tem legis ſignificat: ſed ubera Chriſti
,, meliora ſunt vino: quia dulcedo Evan-
,, gelii melior eſt auſteritate legis. Et meritò quidem: nam vinum non aliter exprimitur, niſi ſub prælo quaſi ſuper poſito pondere opprimatur uva: ideòque antiquæ legis ſimilitudinem exprimit, quæ non aliter fructum faciebat niſi ſub pondere inſoportabili innumerabilium ferè præceptorum; indè Apoſtolorum Princeps novis fidelibus dixerat: *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus?* Per oppoſitum autem lac ſuaviſsimè ſtillat tanquam amoris alimentum, ut alibi dixiſſe reminiſcor cum dulciſsimo Saleſio circa notiones Myſticæ Theologiæ.

Per panem ordeaceum quo Chriſtus turbas pavit, antiqua lex obumbravit.

Pſal. 147.

Deuter. 32. *v.* 13.

Cant. 1. *v.* 1.

D. Thomas ibidem.

Nova autem in pane triticeo, & medulla tritici.

Actor. 15. *v.* 10

136 An non etiam legis illius ſeveritatem, & hujus ſuavitatem patenter oſtendunt ſigna ſub quibus utraque lex data fuit? Ea inquam ſigna præjactam nobis manifeſtant differentiam, quam Auguſtinus paucis verbis ità complectitur: *Hæc breviſsima & apertiſsima differentia duorum teſtamentorum, timor & amor.* Deſcribit nobis data opera Apoſtolus terribilia quædam in datione antiquæ legis facta, ſimiliter & terrorem ipſius Legiſlatoris. Ea ex Paulo audiamus, elucidante Angelico ejus diſcipulo, & uſque ad apices interprete fideliſsimo. Quantum ad terribilia ſigna; ponit Apoſtolus tria ſcilicet terrorem quantum ad viſa: ſecundò quantum ad audita: tertiò quantum ad comminationes: & hoc contrapoſitivè ad ſigna in datione legis Evangelicæ per adventum Spiritùs Sancti manifeſtata. Quantum ad primum ponit Apoſtolus terribilia ex parte

S. Auguſtinus lib. 4. *contra Adimantum cap.* 17.

Ad Hebræos 12 *à v.* 18.

D. Thom. ibidem lect. 4.

Illi ſeveritas, huic ſuavitas competit.

Dei

Dei, ſcilicèt zelum ad puniendum, ſeveritatem pœnæ, & occultationem dantis legem: ,, Zelus deſignatur per ignem: Deut. 4.
,, *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt,*
,, *Deus æmulator*: Malachiæ 3. *Ipſe enim*
,, *quaſi ignis conflans*; unde ipſe Deus fre-
,, quenter vocat ſe *zelotem*, quia crimen
,, ſponſæ non dimittit inultum: Exodi 20.
,, *Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis*
,, *zelotes.* Et 34. *Dominus, zelotes no-*
,, *men ejus.* Proverb. 6. *Zelus & furor*
,, *viri non parcet in die vindictæ*: Unde
,, dicitur hìc: *Non enim acceſsiſtis ſicut il-*
,, *li ad tractabilem & acceſsibilem ignem.*
,, Ille enim ignis ut dicitur Exod. 19. Erat
,, corporalis, & ideò palpabilis & ſenſibi-
,, lis, & etiam in certo loco, ut ad ipſum
,, poſſet accedi: In nova autem lege datus
,, fuit ignis Spiritûs Sancti Act. 2. Sicut
,, enim Judæis quinquageſsima die ab egreſ-
,, ſu de Ægypto, apparuit ignis æmulatio-
,, nis, ita diſcipulis quinquageſsima die à
,, die reſurrectionis ignis Spiritus Sancti
,, non palpabilis, ſed mente perceptibilis:
,, Thren. 1. *De excelſo miſit ignem in oſsibus*
,, *meis, & erudivit me*: Iſte ignis infi-
,, nitus eſt naturâ, & loco: *lucem enim*
,, *habitat inacceſsibilem.* Primæ Timoth. 6.
,, Et ideò non eſt acceſsibilis.

137 ,, Severitas pœnæ ſignificatur per
,, turbinem, qui eſt ventus cum aqua:
,, Job. *In turbine conteret me*: vel po-
,, teſt referri ad tentationes: Lex enim non
,, refrænabat concupiſcentiam; quia non
,, dabat gratiam adjutricem ex opere ope-
,, rato, ſed tantum cohibebat actum: Et
,, ideò generabat turbinem tentationum.
,, Occultatio autem dantis legem ſignifica-
,, tur per caliginem: in qua figurabatur
,, quòd ſtatus legis occultus erat; id eſt,
,, velatus; 2. Corinth. 3. *Uſque in ho-*
,, *diernum diem, cùm legitur Moyſes vela-*
,, *men poſitum eſt ſuper cor eorum.* Sed in
,, lege, ſcilicet Evangelii iſtud velamen abla-
,, tum eſt: in cujus ſignum in paſsione Chri-
,, ſti velum templi ſciſſum eſt, quia nos
,, revelata facie gloriam D. ſpeculamur,
,, ubi ſupra. 2. Corinth. 3. Pergit deinde Apoſtolus, exponente D. Thoma, ad aſsignanda terribilia quantum ad auditum, ſive ex parte ipſius legis: nimirum magnitudo comminationum: gravitas præceptorum, & multiplicatio ipſorum. Quantum ad primum dicit: *Et procellam.*

Severitas antique legis in monte Sinai manifeſtata.

138 ,, Procella propriè eſt conturbatio
,, maris: Largè autem dicitur turbatio aë-
,, ris cum turbine & pluvia: unde ſignifi-
,, ficat auſteritatem comminationum, quæ
,, erant in veteri lege: Deut. 29. *Sonitus*
,, *tubæ* ſignificat gravitatem præceptorum,
,, ad quorum adimpletionem indicebatur
,, homini quaſi bellum contra ſeipſum: *Vox*
,, *verborum.* Significat multitudinem præ-
,, ceptorum: verborum inquàm Dei per
,, ſubjectam creaturam, ſcilicet per Ange-
,, lum: Galat. 3. Ordinata per Angelos,
,, &c. Deus enim per Angelos ibi loque-
,, batur: quæ omnia adeò terribilia fue-
,, runt, quòd illi, qui vocem illam audie-
,, runt, excuſaverunt ſe, ne eis fieret ver-
,, bum: Unde dicitur Exodi 20. *Perterri-*
,, *ti atque timore perculſi fuerunt, & ſte-*
,, *terunt procul dicentes Moyſi: loquere tu*
,, *nobis, & audiemus: Non loquatur nobis*
,, *Dominus, ne fortè moriamur*: In quo
,, deſignatur (ſubjungit poſtea D. Thomas)
,, differentia novi & veteris teſtamenti: Quia
,, vetus teſtamentum fuit in terrore, ut
,, corda Judæorum, quæ prona erant ad
,, idolatriam, terrerentur: Novum autem
,, datum eſt in amore: Roman. 8. *Non ac-*
,, *cepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in ti-*
,, *more, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis*
,, *filiorum: in quo clamamus Abba, Pater:*
,, Unde & Chriſtus non terrores in princi-
,, pio prædicationis ſuæ præmiſit; ſed reg-
,, num Cœlorum promiſit. Matthæi 4.
,, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim*
,, *regnum Cœlorum*: Proverb. ult. *Lex cle-*
,, *mentiæ in lingua ejus.*

Tom. I.

139 Tandem aſsignat Apoſtolus terrorem ex parte ipſius Legiſlatoris, ſcilicet Moyſi: Moyſes dixit: *Exterritus ſum,* (ſcilicet interiùs) *& tremebundus* (exteriùs.) Si ergo Moyſes ita exterritus fuit, cum eſſet perfectiſsimus inter omnes. ,, (Exponit
,, D. Thomas ibidèm) ſignum erat, quòd
,, ipſa lex terribilis erat etiam ipſis perfe-
,, ctis; quia non dabat gratiam, ut dictum
,, eſt, ſed tantum oſtendebat culpam: unde
,, ipſa fuit grave jugum, de quo dicit Pe-
,, trus Act. 15. *Quòd hoc eſt jugum, quod neque*
,, *nos, neque Patres noſtri portare potuimus*:
,, Sed lex Chriſti jugum ſuave eſt: Quia *chari-*
,, *tas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*
,, *per Spiritum Sanctum, qui datus eſt no-*
,, *bis,* Roman. 6. Unde ſciendum eſt quod
,, iſta littera, quam ponit hìc Apoſtolus
,, non Exod. 20. Sed forte accepit eam
,, Apoſtolus. Exod. 3. Ubi in viſione ru-
,, bi territus fuit, & dixit: *Non ſum elo-*
,, *quens ab heri, & nudius tertius*: Ex quo
,, dixit vel facto ſaltem, etſi non verbo,
,, *exterritus ſum, & tremebundus*: vel for-
,, tè Apoſtolus utitur aliâ litterâ, quam
,, non nos habemus: Ex quo apparet, quòd
,, lex vetus fuit lex timoris.

140 Ex hac ſecunda, tertia differentia ſponte fluit; ſive aliis vocibus eadem ſecunda differentia explicatur: nimirum, quòd nova lex per oppoſitum ad antiquam, lex dicitur gratiæ, quam abundanter & vi ſui ſtatûs diffundit: qua ratione dicitur à S. Doct. *animum cohibere* dùm antiqua ſolum *cohibet manum*, quatenus peccatum oſtendit, à quo timore ſolum pœnæ removet, ſed gratiam remittentem ex vi ſui ſtatûs non confert. Diximus ex vi ſtatûs: quia data doctrina intelligenda eſt, quantum ad id, quod per ſe ac propriè ad alterutrum teſtamentum pertinet juxta conditionem utriuſque, quia per ſe ad vetus timor pertinet, per ſe autem ad novum amor: Alioqui ut Auguſtinus rurſùm dicit: *Qui rectè*

Lex nova ad differentiam antiquæ, lex gratiæ dicitur.

S. Auguſtinus lib. 1. *Contra adverſarium legis, & Prophetarum cap.* 17.

Deum

*Deum colit, & utriuſque teſtamenti unum
invenit Deum, in utroque diligit ejus bo-
nitatem, in utroque metuit ejus ſeverita-
tem.* Eandem doctrinam tradit Doctor An-
Joan. 1. v. 17.
gelicus, verba illa: *Lex per Moyſem data
eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum
facta eſt*, in quadruplici ſenſu exponens,
quatenus ſcilicet gratia per Jeſum Chri-
ſtum facta eſt, id eſt, gratia ſubſtantialis
omnis gratiæ fons, & principium ::: Gra-
tia empta & pretio ſoluta eſt. -- Gra-
tia perfectiſsima imperfectè ſucceſsit. -- Lex
nova exhibet gratiam, quam non dabat
ex propriis meritis, ſed ſolum figurabat
lex antiqua. Quadruplicem indicatum ſen-
P. Antonius Boucat ex Comment. D. Thomæ in cap. 1. Joannis.
ſum ita colligit ex Commentario Divi Tho-
mæ in caput primum Joannis Pater Bou-
cat. Primum ſenſum exhibet his verbis.
,, Hinc etiam perpendimus ex plenitudine
,, ejus accipientes legem quidèm per Moy-
,, ſen fore datam, gratiam autem & veri-
,, tatem per Jeſum Chriſtum, nedùm fore
,, datam, ſed factam: Patre quidem legem
,, dante per Moyſen, gratiam & veritatem
,, faciente per Jeſum. Sed ſi Jeſus eſt qui
,, dicit, *ego ſum veritas*, quomodo veritas
,, fit per Jeſum? Sed intelligendum eſt,
,, quòd ipſe veritas ſubſtantialis eſt, ex qua
,, prima veritate & ejus imagine, ſculptæ
,, ſunt multæ veritates in his, qui verita-
,, tem tractant.

141 Secundum ſubindigitat ſenſum ibi-
dèm. ,, Omnis plenitudo fidelium, & qui-
,, nunc ſunt & futurorum, de plenitudine
,, ejus accepimus, dicente Apoſtolo 1. Co-
,, rinth. 6. *Empti enim eſtis pretio magno:
,, glorificate & portate Deum in corpore
veſtro.* Tertium prodit auctoritate S. Joan-
nis Chryſoſtomi Homilia 13. in Joannem
ſuffultus. ,, Chryſoſtomus; vel accepimus
,, gratiam pro gratia, ideſt, pro veteri no-
,, vam: Sicut enim eſt juſtitia & juſtitia,
,, adoptio & adoptio, circumciſio & cir-
,, cumciſio, ita gratia & gratia: ſed illa
,, quidem ut typus, hæc verò ut veritas.
,, Hoc autem induxit oſtendens, quoniam
,, & Judæi gratiâ ſalvabantur, ſed & nos
,, omnes gratiâ ſalvi ſumus, miſericordiæ
,, autem & gratię fuit legem ſuſcipere.
Quartum demùm ex auctoritate S. Augu-
ſtini tract. 3. in Joan. dat. ,, Auguſtinus:
,, quid autem accepiſtis? Et gratiam pro
,, gratia ::: Quam gratiam primò accepi-
,, mus? Fidem. Vocatur enim gratia, quia
,, gratis datur: hanc ergo accepit gratiam
,, primam peccator, ut ejus peccata di-
,, mitterentur; & iterum gratiam pro gra-
,, tia, id eſt, pro hac gratia, in qua ex fide
,, vivimus recepturi ſumus aliam, id eſt,
,, vitam æternam :: Non erat iſta gratia in ve-
,, teri Teſtamento, quia lex minabatur, non
,, opitulabatur; jubebat, non ſanabat.
,, Languorem oſtendebat, non auferebat,
,, ſed præparabat medico venturo cum gra-
,, tia & veritate; unde ſequitur: quia lex
,, per Moyſen data eſt. Mortem enim tem-
,, poralem & æternam occidit mors Do-
,, mini tui, ipſa eſt gratia, quæ promiſſa
,, & non exhibita erat in lege.

142 Ex propoſita doctrina facilè eſt
deducere, quòd ſupra (inter explicandam
libertatem à Chriſto datam) docuit nos
Divus Thomas, nempè antiquos Judæos,
gratia & juſtitia pollentes ſecundùm hoc
jam ad legem novam pertinuiſſe. Addens
tandem loco prius ibi adducto: ,, *Similiter
D. Th. 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2.
,, etiam in novo teſtamento ſunt aliqui car-
,, nales, nondùm pertingentes ad perfectio-
,, nem novæ legis; quos oportuit etiam in
,, novo Teſtamento, induci ad virtutis ope-
,, ra, per timorem pœnarum, & per ali-
,, qua temporalia promiſſa.* Inde ſi aliquis,
juſtos antiqui Teſtamenti, Chriſtianos di-
Euſebius lib. 1. Hiſtor. cap. 1.
cere velit, inficias non ibo; ſive ut loqui-
tur Euſebius: * Eos ſi non nomine, re-
* bus tamen & Religione Chriſtianos fuiſ-
* ſe, ſi quis dicat, non mihi videtur er-
* rare. Subjiciens poſtea, nec immeritò: Et
* ideò non novella, neque peregrina eſt
Antiqui Judæi quomodo ad legem Novam pertinere poterant.
* Chriſtianorum religio, & nuper exorta;
* ſed ſi fas eſt liberè judicare, quod ve-
* rum eſt, prima omnium atque ex ipſa
* ſimul mundi origine ac nativitate deſ-
* cendens, eodem Chriſto Deo, Doctore,
* & inſtitutore jam inde ab initio ſpeciem,
* formamque ſuſcipiens. Nec mirum, quia
Cap. 4.
* ut capite 4. Euſebius ipſe habet: Cum
* Chriſtiani nomine, nihil aliud ſignifice-
* tur, quam vir qui per Chriſti cognitio-
* nem atque doctrinam, modeſtia, juſtitia,
* tollerantia, fortitudine & pietate, cul-
* tuque unius, qui ſuper omnia eſt Dei-
* profeſsione ordinatus eſt. Hæc omnia ve-
* teres illi non minus ſtudiosè quàm nos
* excoluerunt. Abeant ergo Theologi ma-
lè affirmantes: Antiquam Synagogam, non
ſponſam, ſed quaſi concubinam Chriſti
dicendam eſſe; quos validè rejicit Dr. An-
D. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. a. 1. q. 3. in corp.
gelicus frequenter; audiendus ſolum in ſen-
tentiariis, ubi ſupreſſo nomine illos referens,
ſubjungit: ,, Sed hoc eſt valdè abſurdum,
,, quia ſicut eſt una fides antiquorum &
,, modernorum, ita una Eccleſia: unde il-
,, li qui tempore Synagogæ Deo ſerviebant,
,, ad unitatem Eccleſię, in qua Deo ſervi-
,, mus, pertinebant. Et præterea hoc eſt
expreſsè contra id, quod habetur. Je-
rem. 3. Ezechiel. 16. & Oſeę 2. ubi expreſ-
sè fit mentio *de deſponſatione Synagogæ*:
Unde non fuit ſicut concubina, ſed ſi-
cut uxor.

143 Audiatur tandem Apoſtolus, pluri-
bus hucuſque ſtabilitam differentiam, pau-
cis ita complectens: *Non enim accepiſtis
ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed
accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* ,, Non
Roman. 8.
,, autem hoc dicitur (exponit D. Thomas)
D. Thom ibidèm lect. 3.
,, quaſi ſit alius & alius ſpiritus, ſed quia
,, idem eſt ſpiritus; ſcilicet, qui in qui-
,, buſdam facit timorem ſervilem, quaſi
,, imperfectum; in aliis facit amorem filia-
Ad Galat. 4.
,, lem quaſi quoddam perfectum. *Quoniam
autem eſtis filii Dei* (ſic deinde ad Galat.
ſcripſerat Apoſtolus:) *miſit Deus ſpiritum*

filii

*filii ſui in corda veſtra, clamantem, Abba,
Pater: itaque jam non eſt ſervus, ſed fi-
lius: Quòd ſi filius, & hæres per Deum.*
Sed quando & qualiter ſpiritū illum adoptio-
nis filiorum acceperint homines, proxime
ante ſignificaverat illis verbis: *At ubi ve-
nit plenitudo temporis, miſit Deus filium
ſuum factum ex muliere, factum ſub lege,
ut eos qui ſub lege erant, redimeret, ut
adoptionem filiorum reciperemus.* Videas
hìnc Evangelium, legem eſſe gratiæ & fi-
liorum Dei, qua liberati fuerunt homines
Lex antiqua dicta fuit ſervitutis.
à ſervitute legis antiquæ ſub qua tanquam
ſervi detinebantur, ſecundùm quod expreſ-
ſerat etiam Apoſtolus in duobus Abrahæ
filiis, Iſac nempe & Iſmaele, illum ex do-
mina nempe Sara genitum: iſtum verò ex
Agar ancilla, ut ſignificandum daret Chri-
ſtianum populum in legem libertatis voca-
tum; Judaicum verò ſub legis ſervitute
detentum fuiſſe toto illo antiqui teſtamenti
tempore. *Scriptum eſt enim: quoniam Abra-
Ad Galat. 4. à v. 22.
ham duos filios habuit: unum de ancilla &
unum de libera. Sed qui de Ancilla, ſecun-
dùm carnem natus eſt, qui autem de libe-
ra per repromiſsionem: Quæ ſunt per alle-
goriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamen-
ta. Unum quidem in monte Sina, in ſer-
vitutem generans: quæ eſt Agar: Sina au-
tem mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt
ei, quę nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum
filiis ſuis. Illa autem, quæ ſurſum eſt Je-
ruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.*
Deinde concludit Apoſtolus alibi laudatus:
*Itaque, fratres, non ſumus Ancillę filii,
ſed liberæ, quâ libertate Chriſtus nos li-
Verſ. 31.
beravit.*

144 Omittere non poſſumus iterum
audire Apoſtolum, ſervitutem & imperfe-
ctionem antiquæ legis ad differentiam Evan-
gelii, duplici ſimilitudine exprimentem di-
lucidè. Docet namque antiquos Judæos
concluſos eſſe & cuſtoditos ſub lege, tan-
V. Beda ferm. de verbis Apoſt.
quam ſub pędagogo, ſive ut exponit Ve-
nerabilis Beda: *Quodammodo, terrente mole-
ſtiſsimo Pædagogo.* Deinde conſtitutos fuiſ-
ſe, (tanquam parvulum) ſub lege, velut
ſub tutoribus & actoribus; etiam illi qui
aliunde filii erant; uſque ad adventum
Chriſti Domini. Sed loquatur jam nobis
Ad Galat. 3. à 23.
Apoſtolus ipſe: *Prius autem quam veniret
fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam
fidem, quę revelanda erat. Itaque lex pæ-
dagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide
juſtificemur. At ubi venit fides, jam non
ſumus ſub pædagogo.* Deinde: *Dico autem:
Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil
differt à Servo, cum ſit Dominus omnium:
ſed ſub tutoribus & actoribus eſt, uſque ad
Et ad Galat. 4. à v. 1.
præfinitum tempus à patre: ita & nos,
cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi
eramus ſervientes*, Poſt Magiſtrum divini-
tùs inſpiratum, audiatur Diſcipulus An-
gelicè exponens, his conceptis verbis, aliis
pro brevitate omiſsis
D. Thomas ibidèm lect. 8.
145 *Priùs autem, quàm veniret, &c.*
,, Dicit ergo ſi ſcriptura (id eſt lex ſcrip-
,, ta) detinuit omnia ſub peccato, quas uti-
,, litates habebant Judæi ex lege, antequam
,, veniret fides ex gratia? Reſpondet &
,, dicit: *Nos Judæi* (ante adventum fidei)
,, *cuſtodiebamur ſub lege*; inquantum fa-
,, ciebat nos vitare idololatriam & multa
,, alia mala: cuſtodiebamur inquam, non
,, ſicut liberi, ſed quaſi ſervi ſub timore;
,, & hoc *ſub lege*, (id eſt ſub onere legis
,, & dominio) Roman. 8. *Lex in homine
,, dominatur quantò tempore vivit, &c.*
,, Et cuſtodiebamur, *concluſi*, id eſt, ſerva-
,, ti, ne deflueremus ad vitia, ſed prępara-
,, remur *in eam fidem, quæ revelanda erat*:
,, Eſai. 56. *Juxta eſt ſalus mea, ut veniat;
,, & juſtitia mea ut reveletur.* Et dicit
,, *revelanda*; quia cum fides excedat om-
,, ne humanum ingenium, non poteſt per
,, proprium ſenſum haberi, ſed ex revela-
,, tione & dono Dei: Eſai. 40. *Revelabi-
,, tur gloria Domini, &c. Vel in eam fi-
,, dem, quæ revelanda erat* tempore gra-
,, tiæ; in antiquis temporibus ſub multis
,, ſignis latens: Unde & tempore Chriſti
,, *velum templi ſciſſum eſt.* Matthæi 37.

146 Quantum ad verba illa attinet:
,, *Itaque lex pędagogus noſter, &c.* Ita præ-
,, clare ſubjungit: Quandiù enim hæres
,, non poteſt conſequi beneficium hæredi-
,, tatis, vel propter defectum ætatis vel
Lex antiqua, qualiter pedagogus dicatur ab Apoſtolo.
,, alicujus debitæ perfectionis, conſervatur
,, & cuſtoditur ab aliquo inſtructore; qui
,, quidem inſtructor pædagogus dicitur, à
,, *pædos*, quod eſt puer; & *agoge*, quod eſt
,, ductio: per legem enim Judæi tanquam
,, imbecilles pueri, & per timorem pœnæ
,, retrahebantur à malo, & promoveban-
,, tur amore, & promiſsione temporalium
,, ad bonum: Judęis autem promiſſa erat
,, benedictiò futuri ſeminis de hæreditate
,, obtinenda; ſed nondùm advenerat tem-
,, pus ipſius hęreditatis conſequendæ: Et
,, ideò neceſſarium erat, quod conſervaren-
,, tur uſque ad tempus futuri ſeminis, &
,, cohiberentur ab illicitis: Quod factum
,, eſt per legem: & ideò dicit, *itaque lex,
,, &c.* Quaſi dicat: Ex quo ſub lege cu-
,, ſtodiebamur, lex fuit noſter pædagogus;
,, id eſt dirigens, & conſervans, in *Chriſto*
,, (id eſt in via Chriſti) ut ex fide Chriſti ju-
,, ſtificaręmur: Oſee 11. *Puer meus Iſrael
,, & dilexi eum*: Hieremiæ 31. *Caſtiga-
,, ſti me Domine, & eruditus ſum, &c.*
,, Roman. 3. *Arbitramur enim hominem
,, juſtificari per fidem, &c.* Et quamvis lex
,, pædagogus noſter eſſet, non tamen ad
,, perfectam hæreditatem ducebat; quia ut
,, dicitur Hebræorum 7. *Neminem ad per-
,, fectum adduxit lex, &c.* Sed hoc offi-
,, cium ceſſavit poſtquam venit fides: & hoc
,, eſt, quod dicit, *at ubi venit fides*, (ſci-
,, licet Chriſti) *jam non ſumus ſub pæda-
,, gogo*, id eſt, ſub coactione, quæ non eſt
,, neceſſaria liberis 1. Corinth. 15. *Cum
,, eſſem parvulus ſapiebam ut parvulus,
,, &c. Cum autem factus ſum vir, eva-
,, cuavi quę erant parvuli, &c.* 2. Corinth.

5. Si

,, 5. *Si qua ergo in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt*, *&c.*

147 Ad verba illa *quanto tempore parvulus*, *&c.* Notat & inquit D. Thomas: ,, Quòd Apoſtolus aliquando aſsimilat parvulo ſtatum legis, ſicut hic... Cujus ratio eſt: quia ſtatus veteris legis eſt ſicut parvulus propter imperfectionem cognitionis in ipſa comparatione ad ſtatum gratiæ & veritatis, quæ per Chriſtum facta eſt... Proprium enim ſervi eſt, quòd ſit ſubjectus alicui domino. Puer autem quamdiù parvulus eſt, quia non habet cognitionem perfectam & uſum liberæ voluntatis propter defectum ætatis, committitur cuſtodiæ aliorum, qui & bona ejus defendant (& hi dicuntur *tutores*) & negotia agant; & hi *actores* nominantur: & ideo licèt ſit Dominus omnium rerum ſuarum, tamen inquantum ſubjicitur aliis, nihil differt à ſervo; quia nec voluntatem liberam habet, imò cogitur: Et hęc adaptantur ad populum Judaicum: Eſai. 44. *Et nunc ſerve meus Jacob.* Sed notandum eſt quòd in populo Judaico aliqui erant ſimpliciter ſervi; illi ſcilicet, qui propter timorem pœnæ & cupiditatem temporalium, quæ lex promittebat, legem ſervabant: Alii qui verò erant, qui non erant ſervi ſimpliciter, ſed quaſi ſervi exiſtentes, erant verè filii, & hęredes (ſive ut loquitur Magnus Athanaſius: *Etſi filii dicebantur, ſervorum tamen locum ſunt habiti*) ,, qui licèt attenderent exterius ad temporalia, & vitarent pœnas, nihilominus tamen in eis finem non ponebant, ſed accipiebant ea ut figuram ſpiritualium bonorum: Unde licèt viderentur nihil exterius differre à ſervis, inquantum cęremonias, & alia legis mandata ſervabant; tamen erant Domini, quia non ea intentione eis utebantur ut ſervi, quia illis utebantur amore ſpiritualium bonorum, quæ præfigurabant; ſervi verò principaliter timore pœnæ, & cupiditate terrenę commoditatis. Dicitur tandem de Judæis pro illo ſtatu: *Sub elementis mundi eramus ſervientes*: Id eſt ſub lege, quæ temporalia promittebat: ,, Et comminebatur pœnas temporales. Vel lex vetus dicitur *elementum*: quia ſicut pueris, qui ſunt inſtruendi ad ſcientiam, primo proponuntur elementa illius ſcientię, per quæ manuducuntur ad illam ſcientiam: ita lex vetus propoſita eſt Judęis, per quam manuducerentur ad fidem & juſtitiam :: *Vel elementis*, id eſt corporalibus rerum ritibus quos ſervabant; ſicut lunares dies, neomenias, & Sabbatum.

Lect. 1. in c.4.

Antiqui juſti, etſi filii eſſent, ſervorum tenebant locum.

§. II.

Reliquæ differentiæ derivantur.

148 NON jam eſt aſsignare (fateor) differentiam aliquam in doctrina tradita non ſignificatam. At pro majori claritate in aſſumpto ſupra modum utiliſsimo, congruum erit reliquas differentias ſigillatim, breviter tamen apponere. Et imprimis: ſi illa, ſervorum lex dicitur: aut etiam filiorum aliquando, & ut Athanaſii verbis utar: *Etſi filii dicebantur, ſervorum tamen loco ſunt habiti*: lex autem Evangelica, adoptionis filiorum dicitur: Meritò Thomas Angelicus ſupra, nos breviter docuit: veterem legem habuiſſe *temporalia quædam promiſſa*: legem verò novam, habere dicitur: *Promiſſa ſpiritualia & æterna.* Deductam differentiam Jeſus-Chriſtus palam ſignificavit in exordio ſuæ prædicationis, quam à beatitudinibus deſumpſit, & in earum prima, dùm paupertatem ſpiritus commendavit, prædictam differentiam ſatis expreſsit. Et nota (inquit D. Thomas) quòd Moyſes primo promiſsit divitias :: ,, Et ideò ut diſtinguat Dominus legem veterem à nova, primo ponit beatitudinem in contemptu divitiarum temporalium: Præluxit Angelico Doctori magnus Auguſtinus in celebri illa ſententia: *Deus ſe utriuſque teſtamenti voluit eſſe actorem, ut & terrena promitteret in veteri & cæleſtia in novo: ſecundùm illud Iſaiæ: Si volueritis, & audieritis me, bona terrę comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos.* His verbis utitur D. Thomas; concludens: ,, Unde legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum. Sed adnotare placet, datam doctrinam procedere de bonis, & malis temporalibus expreſsè promiſsis & comminatis; in quibus, tanquam in ſymbolo & figura implicitè ſaltem promiſſa, & comminata fuerunt bona ſpiritualia & mala etiam æterna, quod non latuit antiquis Patriarchis & Prophetis: cum tamen per oppoſitum in lege Evangelica expreſsè comminationes de ſupplitio ęterno contra tranſgreſſores legis, omnibus generaliter intimentur: ſicut per oppoſitum bona ſpiritualia & æterna promittuntur, nempe futura beatitudo omnium bonorum agregatione completa, ut videre licet Hebręorum 12. Exponente Doctore Angelico lect. 4.

Temporalia promiſſa in lege veteri: ſpiritualia in nova.

Matthæi 5.

D. Thomas ibidèm.

Iſaiæ 1. à v. 19

D. Thomas 1. 2. q. 99. a. 6. in corp.

149 Profluit deinde quartum diſcrimen, nempe quòd lex antiqua, quia ſervis data, & duræ cervicis hominibus in tabulis

lis lapideis ſcripta fuit: ex adverſo autem Evangelium, quia lex amoris & filiorum in corde per Spiritum Sanctum ſuaviter ſcripta dicitur. Ita expreſſe habet Auguſtinus apud D. Thomam: ,, *Sicut lex factorum ſcripta fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei ſcripta eſt in cordibus fidelium.* Et deinde: *Quæ ſunt leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa preſentia Spiritus Sancti, qui eſt digitus Dei, quo preſente diffunditur charitas in cordibus noſtris, quę plenitudo legis eſt & præcepti finis.* Et meritò quia ut efficaciter arguit D. Thomas: lex nova eſt lex novi teſtamenti; ſed lex Novi Teſtamenti eſt indita in corde; quandoquidem Apoſtolus ad Hebræos 8. ut oſtenderet perfectionem,ælioremque conditionem novæ legis, adducit contra repugnantes Judæos teſtimonium illud Jeremiæ: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper Domum Iſrael, & ſuper Domum Juda Teſtamentum Novum: Non ſecundùm teſtamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam ea*: Ergo lex nova eſt lex indita, ſive in cordibus ſcripta: cum per oppoſitum de lege veteri ſcriptum ſit: *Scriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis*; ſcilicet lapideis, quibus confractis, dixit Dominus ad Moyſen: *Præcide tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti.*

Lex nova in corde ſcribitur cùm antiqua in tabulis lapideis ſcripta dicitur.

S. Auguſtinus lib. de ſpirit. & littera c. 17. & 26.

D. Thomas 1. 2. q. 106. a. 1. in corp.

In arg. ſed cont. Hebręor. 8. à v. 8.

Jerem. 3. à v. 31.

Exodi 32. v. 16.

Cap. 34. v. 1.

150 Hæc omnia expreſsit Apoſtolus, qui legem novam vocat Epiſtolam in cordibus ſcriptam ad differentiam veteris legis: *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Id eſt, præclarè exponit D. Thomas: ,, Non atramento: quia non admixta erroribus, ſicut pſeudo - Apoſtoli; non mutabilis & imperfecta, ſicut vetus lex; quæ *neminem ad perfectum adduxit.* Hebræor. 7. Nam atramentum nigrum eſt per quod intelligitur error; & delebile per quod intelligitur mutabilitas: Non, inquam, atramento eſt ſcripta, *ſed ſpiritu Dei vivi*, id eſt, Spiritu Sancto quo vivitis, & quo docente inſtructi eſtis: Epheſ. 1. *In quo ſignati eſtis.* Ubi autem ſit ſcripta inſinuat, ſubdens: *Non in tabulis lapideis*, ſicut lex vetus, ut excludat duritiem: quaſi dicat; non in lapideis cordibus habentibus duritiem, ſicut Judæi (Actor. 7. v. 51. *Dura cervice, & in circumciſis cordibus, & auribus,*) *ſed in tabulis cordis carnalibus*, id eſt in cordibus latis ex charitate; & carnalibus, id eſt mollibus ex affectu implendi & intelligendi: Ezechiel. 36. v. 26. *Et auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in preceptis meis ambulatis.* Sed qualiter lex Evangelica cordibus indita, non autem ſcripta dicatur; ad methodum, & ſcholæ rigorem ita expendit Dr. Angelicus: in lege etenim Novi Teſtamenti potiſsimum eſt, & in quo tota ejus virtus conſiſtit gratiâ Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Chriſti, habet etiam lex nova quædam, ſicut diſpoſitiva ad gratiam Spiritus Sancti, & ad uſum hujus gratię pertinentia, quæ ſunt quaſi ſecundaria in lege nova, de quibus oportuit inſtrui fideles Chriſti & ,, verbis & ſcriptis, tàm circa credenda, quàm circa agenda. Et ideò (concludit S. Dr.) dicendum eſt quòd principaliter lex nova eſt lex indita, ſecundariò autem eſt lex ſcripta.

2. Corinth. 3. v. 3.

D. Thomas ibidèm lect. 1.

1. 2. q. 106. a. 1. in corp.

151 Diximus etiam cum D. Thoma ex Auguſtino, quòd antiqua lex appellatur *lex factorum*: nova autem, *lex fidei*, in quo ſignificatur aliud diſcrimen, ſeu quinta differentia. Eam quoque expreſſam dederat Apoſtolus inquiens: *Ubi eſt gloriatio tua? Excluſa eſt, per quam legem? Factorum? Non, ſed legem fidei.* Sed qualiter accipienda & intelligenda veniat data ab Apoſtolo differentia, ejus explicat Angelicus Diſcipulus. ,, Et ſic patet, quòd duplicem legem hìc inducit Apoſtolus; ſcilicet factorum & fidei: & in promptu eſſe videtur, quòd per *legem factorum* intelligitur lex vetus; & per *legem fidei*, lex nova; per quam gentilis æquiparatur Judæo. Hæc tamen diſtinctio non inde accipienda eſt, quòd ſolum in lege veteri pręcepta inſtarent, ut bene adnotat in præſenti D. Thomas; datam diſtinctionem ita dilucide exponens, conformiter ad differentiam proximè præjactam. ,, Dicendum eſt igitur quòd *legem factorum* dicit legem exteriùs propoſitam & deſcriptam, per quam exteriora facta hominum ordinantur, dum præcipitur quid fieri debeat, & per prohibitionem oſtenditur à quo debeat abſtineri: *Legem* autem *fidei* vocat legem interiùs deſcriptam, per quam non ſolum exteriora facta, ſed etiam ipſi motûs cordium diſponuntur: inter quos primus eſt motus fidei: *Corde enim creditur ad juſtitiam*; infra cap. 10. Et de hac lege loquitur cap. 8. *Lex ſpiritus vitæ, quę eſt in Chriſto Jeſu.*

Illa lex factorum, noſtra lex fidei dicitur.

Roman. 3. v. 27

D. Thomas ibidèm. lect. 4.

152 Magis autem dilucide explicat Dr. Angelicus, quid intelligat Paulus per *legem factorum*, ſive ut alibi loquitur: *Legem mandatorum*, evacuatam per Chriſtum in lege nova. Dicitur autem *lex mandatorum*, non qua aliæ leges mandatis careant: ,, Nova enim lex mandata habet Joann. 14. *Mandatum novum do vobis*:

Ad Epheſ. 2.

D. Thomas ibidèm lect. 5.

ſed

,, ſed propter duo: primò quidem prop-
,, ter magnum numerum mandatorum le-
,, galium, intantum quòd ab homini-
,, bus ſervari non poſſunt; ſecundùm illud
,, Actor. 15. *Hoc eſt onus quod neque nos,*
,, *neque patres noſtri portare potuimus.* Job.
,, 11. *quod multiplex ſit lex ejus, &c.*
,, vel dicitur *mandatorum*, id eſt facto-
,, rum: Roman. 3. Unde ſicut baptiſmus
,, Joannis dicitur *baptiſmus aquæ*, quia
,, tantum exteriùs mundabat, interiùs au-
,, tem non ſanctificabat; ita & lex vetus
,, dicitur *lex factorum*, quia præcipiebat
,, tantum quid facere deberent; ſed non
,, conferebat gratiam per quam ad legem
,, implendam juvarentur: lex verò nova
,, dirigit in agendis præcipiendo; & juvat
,, ad implendum, gratiam conferendo:
,, *Evacuans*, dico ſicut imperfectum eva-
,, cuatur per perfectum, & umbra per veri-
,, tatem: 1. Corinth. 13. *Cùm autem ve-*
,, *nerit quod perfectum eſt, evacuabitur*
,, *quod ex parte eſt*: Imperfectio & umbra
,, veteris legis: de qua Hebræor. 10. *Um-*
,, *bram enim habens lex futurorum bono-*
,, *rum, &c.* Et hoc *decretis*, id eſt præ-
,, ceptis novi teſtamenti, per quæ exclu-
,, ditur lex: Levit. 26. *Comedetis, ve-*
,, *tuſtiſsima veterum* (id eſt præcepta legis
,, naturæ ſimul cum nova lege; & præcep-
,, tis ejus ſuſceptis) *vetera projicietis*; id
,, eſt cæremonialia præcepta veteris legis,
,, quantum ad eorum ſubſtantiam, ut di-
,, ctum eſt.

Illa littera dicta eſt occidens, nova, ſpiritus vivificans.

153 Deducitur prætereà etiam ex di-
ctis inter utramque legem ſexta differen-
tia: nempe quòd illa appellatur *littera ac-*
cidens: hæc verò *ſpiritus vivificans*, jux-
ta illud Pauli: littera enim occidit, ſpiri-
tus autem vivificat. Quandoquidem licèt
allata verba plures admittant ſenſûs apud
Sanctos Patres, & Scripturæ Interpretes,
propoſito nihilominus aſſumpto, quamma-
ximè adaptantur à SS. PP. Auguſtino præ-
ſertim, ejuſque addictiſsimo diſcipulo.
Littera legis occidit, & ſpiritus gratiæ vi-
vificat, habet Auguſtinus frequenter in
lib. de Spiritu & littera. Poſt Auguſtinum
autem audiatur Thomas ad verba Apoſto-
li imprimis adnotans profundè dicta eſſe,
deinde ſubjungens: ,, Et ſic patet quòd
,, vetus lex eſt teſtamentum litteræ: ſed no-
,, vum Teſtamentum eſt Teſtamentum Spi-
,, ritus Sancti; quo *Charitas Dei diffun-*
,, *ditur in cordibus noſtris*; ut dicitur Ro-
,, man. 5. Et ſic dùm Spiritus Sanctus fa-
,, cit in nobis charitatem, quæ eſt pleni-
,, tudo legis, eſt Teſtamentum novum:
,, *Non littera*, (id eſt per litteram ſcri-
,, bendum) *ſed ſpiritu* (ideſt per ſpi-
,, ritum, qui vivificat.) Roman. 8. *lex*
,, *ſpiritus vitæ*, id eſt vivificantis. Qua-
liter lex nova dicatur ſpiritus vivificans
ſatis indicat in preſenti Laudatus Tho-
mas; quod conſtat ex ſupra dictis, ubi
legem novam appellandam eſſe legem gra-
tiæ, imò & abundantiſsimè ſtabilivimus.

2. Corinth. 3. v. 6.

D. Thomas ibidèm lect. 2.

154 Sed major occurrit difficultas ad
explicandum, qualiter lex vetus dicenda
ſit littera occidens; de quo plura in ſcho-
lis diximus tractantes de auxilio ſufficien-
ti circa illam Auguſtini propoſitionem: *Lex*
(ſcilicet vetus) *non ſolum nihil prodeſt,*
verum etiam plurimum obeſt, niſi adjuvet
gratia; quam quidèm propoſitionem fir-
mat ex verbis Pauli adductis. Plura etiam
fortè in tertia parte adducentur contra
Queſnellum, alioſque, plus æquo depri-
mentes veterem legem. Satis proinde erit
in præſenti indicare quòd antiqua lex oc-
caſionaliter (occaſione inquam non data
ſed accepta) dicitur occidere. Primò: quia
cognitionem dabat peccati: *Per legem enim*
cognitio peccati. Secundò occaſionaliter au-
gebat concupiſcentiam: *Peccatum per man-*
datum operatum eſt in me omnem concu-
piſcentiam: Inquantum ſcilicet prohibe-
bat mala juxta illud.

Nitimur in vetitum, cupimus ſemperque
negata.

Tertiò ex multitudine, & pondere præcep-
torum. Cùm tamen per oppoſitum lex il-
la quantum erat ex propriis meritis & ſta-
tu, gratiam non conferebat ad vitanda
peccata ex cognitione legis graviora; ad
reprimendos concupiſcentiæ impetûs, præ-
ceptaque ſervanda. Triplicem datam ra-
tionem ſæpè tradidit Magnus Auguſtinus &
Doctor Angelicus, teſtimonia Apoſtoli ex-
ponentes; unde compendio docet: Lex di-
citur occidiſſe ex ſua imperfectione, in-
quantum ſcilicet gratiam non dabat. Et
Auguſtinus: *Lex data eſt, non ad auferen-*
dum peccatum, vel ad liberationem à pec-
cato, ſed ad oſtendendum peccatum ante
gratiam: per quod factum eſt, ut ſub le-
ge poſiti, & vehementiori deſiderio pec-
candi raperentur, & ampliùs etiam de
prævaricatione peccarent. Quod explicat
Sanctus Albertus Magnus exemplo febrici-
tantis, in quo magis excitatur ſitis, dùm
ei oſtenditur aqua. Id ipſum docuit Sera-
phicus Bonaventura in eadem diſtinctione,
inquiens: *Et quia erat ibi oſtenſio culpæ,*
& non erat adjutorium gratiæ, dabatur
per conſequens occaſio ipſi concupiſcentiæ,
ut traheret ad mortem: & ideò lex Mo-
ſayca ſecundùm litteralem ſenſum dicitur
lex occidens per occaſionem.

S. Auguſtinus lib. 1. de Grat. Chriſti contra Pelag. cap. 8.

Lex antiqua ſolum occaſionaliter occidere dicitur, & hoc tripliciter.

Roman. 3. v. 20.

Roman. 7. v. 8.

D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 1.

D. Auguſt. in expoſ. Epiſtolæ ad Rom. ad verba illa: Lex ſubintravit, &c.

D. Albertus Magnus in 3. diſtinct. 40. artic. 4.

155 Profluit etiam ex dictis ſeptimum
diſcrimen ex Apoſtolo à Divo Thoma aſ-
ſignatum. ,, Inveniemus, (inquit) quatuor
,, leges ab Apoſtolo eſſe inductas: primò le-
,, gem Moyſi, de qua dicit: *Condelector*
,, *legi Dei ſecundùm interiorem hominem*:
,, Secundò legem fomitis, de qua dicit:
,, *Video aliam legem in membris meis.* Ter-
,, tiò legem naturalem, ſecundùm unum
,, ſenſum, de qua ſubdit: *Repugnanti le-*
,, *gi mentis meæ*: Quartò, tradit legem
,, novam, cum dicit: *Lex ſpiritus vitæ*;
,, nam ſicut ſpiritus naturalis facit vitam
,, naturæ; ſic ſpiritus divinus facit vitam
,, gratiæ. Joann. 6. *Spiritus eſt qui vivi-*
,, *ficat.* Lex igitur nova dicitur: *Lex ſpi-*
ritûs, non ſic lex antiqua, quæ ſolum
dicitur lex ſpiritualis: *Scimus enim quòd*
lex ſpiritualis eſt. ,, Scilicet ſpiritui homi-
,, nes concordans. Pſalm. 18. *Lex Domi-*
,, *ni immaculata*: Vel ſpiritualis eſt, id eſt,
,, à Spiritu Sancto data, qui digitus Dei
,, dicitur in Scripturis: Lucę 11. *Si in di-*
,, *gito Dei ejicio Dæmonia*: Unde dicitur
,, Exodi 31. *Dedit Dominus Moyſi duas*
,, *tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.* Lex
,, tamen nova non ſolum dicitur lex ſpi-
,, ritualis, ſed lex ſpiritûs, ut patet infra
,, cap. 8. Quia non ſolum à Spiritu San-
,, cto eſt, ſed Spiritus Sanctus eam impri-
,, mit cordi. Elucidat ampliùs D. Thomas
qualiter lex nova dicatur ab Apoſtolo: *Lex*
ſpiritus vitæ; inquiens: ,, Quæ quidèm
,, lex poteſt dici uno modo Spiritus San-
,, ctus: ut ſit ſenſus *Lex ſpiritûs*, id eſt,
,, lex quæ eſt ſpiritûs. Lex enim ad hoc
,, datur, ut per eam homines inducantur
,, ad bonum: unde & Philoſophus 2. Ethic.
,, cap. 1. dicit, quòd *intentio Legiſlatoris*
,, *eſt cives facere bonos*: Quod quidèm lex
,, humana facit, ſolum notificando quid
,, fieri debeat, ſed Spiritus Sanctus men-
,, tem inhabitans, non ſolum docet quid
,, oporteat fieri intellectum illuminando
,, de agendis, ſed etiam affectum inclinat
,, ad rectè agendum: Joan. 14. *Paraclitus*
,, *autem Spiritus Sanctus, quem mittet*
,, *Pater in nomine meo, ille vos docebit*
,, *omnia* (quantum ad primum) *& ſuggeret*
,, *vobis omnia* (quantum ad ſecundum)
,, *quæcunque dixero vobis.* Alio modo lex
,, ſpiritûs poteſt dici proprius effectus Spi-
,, ritûs Sancti: ſcilicet fides per dilectio-
,, nem operans; quæ quidèm, & docet
,, interiùs de agendis (ſecundùm illud 1.
,, Joan. 2. *Unctio docebit vos de omnibus*)
,, & inclinat affectum ad agendum, ſecun-
,, dùm illud 2. Corinth. 5. *Charitas Chri-*
,, *ſti urget nos.* Et hæc quidèm lex ſpi-
,, ritûs, dicitur lex nova: quæ vel eſt ipſe
,, Spiritus Sanctus; vel eam in cordibus
,, noſtris Spiritus Sanctus facit.

D. Thomas lectione 1. in caput 8. ad Rom.

Lex antiqua ſpiritualis, noſtra lex dicitur ſpiritus.

Roman. 8. v. 2.
D. Thom. lect. 1.

156 Primam deindè, & radicalem dif-
ferentiam ſupra datam attendentes, dedu-
cere habemus utranque legem diſcrimina-
ri tanquam continens à contento: quia
ſcilicet nova lex in veteri continebatur,
velut perfectum ſub imperfecto, adinſtar
arboris contenti in ſemine. Sic cum PP.
& Prophetis methodicè oſtendit Dr. Ange-
licus, imprimis in argumento ſed contra:
quia Ezechiel. 1. dicitur: *Rota erat in ro-*
ta, id eſt: Novum Teſtamentum in vete-
ri, ut Gregorius exponit. Deindè ſubjun-
git: ,, Reſpondeo dicendum, quòd aliquid
,, continetur in alio dupliciter: uno modo
,, in actu, ſicut locatum in loco, alio mo-
,, do virtute, ſicut effectus in cauſa, vel
,, completum in incompleto: ſicut genus
,, continet ſpecies poteſtate, & ſicut tota
,, arbor continetur in ſemine, & per hunc
,, modum nova lex continetur in veteri.
,, Dictum eſt enim, quòd nova lex com-
,, paratur ad veterem, ſicut perfectum ad
,, imperfectum. Unde Chryſoſtomus expo-
,, nens illud, quod habetur Marci 4. *Ul-*
,, *trò terra fructificat primùm herbam,*
,, *deinde ſpicam, deinde plenum frumen-*
,, *tum in ſpica*; ſic dicit: *Primò herbam*
,, *fructificat in lege naturæ, poſtmodum*
,, *ſpicas in lege Moyſi, poſtea plenum fru-*
,, *mentum in Evangelio.* Sic igitur eſt lex
,, nova in veteri, ſicut fructus in ſpica.

Lex nova ſub antiqua, tanquam perfectum ſub imperfecto continebatur.

1. 2. q. 107. a. 3. in corp.

S. Gregorius Homil. 6. in Ezechiel. parùm à medio.

157 Ex eadem radice aliam deducit D.
Thomas differentiam: quia ſcilicet antiqua
lex, *multa determinabat, & pauca relin-*
quebat hominum libertati determinanda:
Unde tot multiplicavit præcepta, neque re-
liquit alia ſub conſiliis ad majorem per-
fectionem ordinatis. Sicut per oppoſitum:
,, Lex nova dicitur lex libertatis:: Quia
,, non arctat nos ad facienda, vel vitanda
,, aliqua niſi, quæ de ſe ſunt, vel neceſ-
,, ſaria, vel repugnantia ſaluti, quæ ca-
,, dunt ſub præcepto, vel prohibitione le-
,, gis. Deindè oſtendit quàm conveniens
fuerit perfectioni Legis Evangelicæ, con-
ſilia quædam ſuperaddi ad præcepta, ſic
quoad ſubſtantiam diſſerens: quia Lex
Evangelica ex quo lex perfecta ſit & li-
bertatis, ad conſequendum finem beatitudi-
nis æternæ immediatè introducit; at per
conſilia meliùs & expeditiùs valet homo
conſequi prædictum finem: ergo conve-
nienter in lege nova, quæ eſt lex liberta-
tis, ſupra præcepta ſunt addita conſilia:
non autem in veteri lege, quæ erat lex
ſervitutis. Propoſitionem aſſumptam fir-
matur ita, nam cum homo viatorem agens,
inter bona hujus mundi & ſpiritualia bo-
na ſit conſtitutus; quantò plus inhæret re-
bus hujus mundi, tantò impeditur à bo-
nis illis ſpiritualibus; adeò ut taliter eis
excidat, ſi ultimum finem in bonis hujus
mundi conſtituat: ſin autem pervenire va-
let ad beatitudinem, quin bona illa tota-
liter abjiciat, ideòque hæc totalis abjectio
neceſſaria non eſt, ſub præcepto proindè
non cadens; juvat tamen quammaximè
ut homo expeditiùs perveniat ad beati-
tudinem; & hæc abdicatio cadit ſub con-
ſilio.

D. Thomas 1. 2. q. 108. a. 1.

Lex antiqua iteravit præcepta: lex nova plura ſub conſilio reliquit.

Art. 4. in corp.

158 Indè Doctor Sanctus meditans at-
tentè tria eſſe hujus mundi bonorum ge-
nera, ad triplicem claſſem reducit Evange-
lica conſilia, inquiens: ,, Bona autem hu-
,, jus mundi, quę pertinent ad uſum hu-
,, manæ vitæ, in tribus conſiſtunt, ſcili-
,, licet in divitiis exteriorum bonorum,
,, quæ pertinent ad concupiſcentiam ocu-
,, lorum & in deliciis carnis, quæ perti-
,, nent ad concupiſcentiam carnis: & in
,, honoribus, quę pertinent ad ſuperbiam
,, vitæ, ſicut patet 1. Joan. 2. hæc autem
,, tria totaliter derelinquere, ſecundùm quod
,, poſsibile eſt, pertinet ad conſilia Evan-
,, gelica. In quibus etiam tribus fundatur
,, omnis religio, quæ ſtatum perfectionis
,, profitetur; nam diviciæ abdicantur per-

Ad triplicem claſſem conſilia Evangelica reducuntur, à D. Thoma.

,, pau-

,, paupertatem ; deliciæ carnis perpetuam
,, caſtitatem ; ſuperbia vitæ per obedien-
,, tiæ ſervitutem. Expreſsiori adhuc ſtylo
loquitur Sanctus Doctor, ubi explicans
Evangelica conſilia, inquit. ,, Occupatur

D. Thomas 3. cōtraen. c. 130.

,, autem humana ſolicitudo ſecundùm com-
,, munem modum humanæ vitæ erga tria:
,, primò quidèm circa propriam perſonam
,, quid agat, aut ubi converſetur. Secun-
,, dò autem circa perſonas ſibi conjunctas,
,, prçcipuè uxorem & filios. Tertiò circa
,, res exteriores procurandas, quibus ho-
,, mo indiget ad ſuſtentationem vitæ. Ad
,, amputandam igitur ſolicitudinem circa
,, res exteriores datur homini in lege di-
,, vina conſilium paupertatis: ut ſcilicet
,, res hujus mundi abjiciat, quibus ani-
,, mus ejus ſolicitudine aliqua implicari
,, poteſt. Hinc eſt quod Dominus dicit
,, Matthæi 19. *Si vis perfectus eſſe, vade*
,, *& vende omnia, quç habes, & da pau-*
,, *peribus: & veni & ſequere me.* Ad
,, amputandam autem ſolicitudinem uxoris
,, & filiorum datur homini conſilium de
,, virginitate, vel continentiâ: hinc eſt
,, quod dicitur 1. Corinth. 7. *De virgini-*
,, *bus autem præceptum Domini non habeo:*
,, *conſillum autem do.* Et hujuſmodi con-
,, ſilii rationem aſsignans, ſubdit: *Qui ſi-*
,, *ne uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini*
,, *ſunt, quomodò placeat Deo, qui autem*
,, *cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quç ſunt*
,, *mundi, quomodò placeat uxori, & divi-*
,, *ſus eſt.* Ad amputandam autem ſolici-
,, tudinem hominis etiam circa ſeipſum da-
,, tur conſilium obedientiæ, per quam ho-
,, mo diſpoſitionem ſuorum actuum com-
,, mittit ſuperiori; propter quod dicitur
,, Hebræorum ultimo: *Obedite prçpoſitis*
,, *veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim per-*
,, *vigilant, quaſi rationem pro animabus ve-*
,, *ſtris reddituri.* Sed de hoc aſſumpto plu-
,, ra dicemus (Deo dante) contra Pſeu-
,, do-myſticos.

159 Videas hucuſque novæ ſupra an-
tiquam legem præſtantiam, dum plurima
tunc gravia, & quaſi innumerabilia præ-
cepta hominibus data eſſent, pauca verò,
etſi perfectiora nobis Chriſtus de neceſsi-
tate obſervanda reliquit; perfectionis ta-
men conſilia, proponens pro arbitrio exe-
quenda. Jam verò hoc ipſum in Sacra-
mentis videre eſt. In utroque namque le-
gis ſtatu Sacramenta pro hominibus Deus
inſtituit; plura tamen in lege Moſayca,
pauciora in lege Evangelica, ſive ut Au-
guſtinus loquitur: *Sacramenta veteris le-*
gis ſunt ablata, quia impleta, & alia
ſunt inſtituta, virtute majora, utilitate
meliora, actu faciliora, numero pauciora.

In nova lege, Sacramenta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.

S. Auguſtinus lib. contra Fauſtum, cap. 13. apud Div. Thomam 3. p. quæſt 61. artic. 4. in ſed contra. Solution. ad 2.

Quam differentiam aſsignat Divus Tho-
mas, ad ſecundum (inquiens) ,, quod Sa-
,, cramenta veteris legis Apoſtolus vocat
,, egena, & infirma elementa: quia gra-
,, tiam non continebant, nec cauſabant.
,, Et ideò utentes illis Sacramentis, dicit
,, Apoſtolus ſub elementis mundi Deo ſer-

Ad Galat. 4. v. 9.

,, viſſe: quia ſcilicet nihil aliud erant, quàm
,, elementa hujus mundi. Noſtra autem Sa-
,, cramenta gratiam continent, & cauſant:
,, & ideò non eſt de eis ſimilis ratio. Hæc
omnia ita eſſe videntur ad demonſtrandam
ſuperexcellentiam novæ legis Sacramento-
rum ad Sacramenta legis naturæ, veluti
umbræ, & Sacramenta legis ſcriptæ tan-
quam imagines Sacramentorum novæ le-
gis, in quibus corpus veritatis contine-
tur, ut appoſitè ajebat Victorinus: *Prima*
Sacramenta legis naturalis, quaſi verita-
tis umbra fuerunt; quç verò tempore Le-
gis Moyſis, quaſi quædam imago veritatis:
quç autem ſub gratia noviſsimè conſequun-
tur, jam non umbra, vel imago, ſed ip-
ſum corpus veritatis.

Hugo Victorinus lib. de Sacram. part. 11. cap. 6.

160 Aliam deinde, & quidem ſatis
notabilem differentiam agnoſcere eſt inter
utranque legem: Nimirùm, quòd Lex
Evangelica, cunctis hominibus, ſivè omni
rationali creaturæ intimanda & promulgan-
da, Apoſtolis Chriſtus Dominus præcepit:
Euntes in mundum univerſum, prædicate
Evangelium omni creaturæ, docentes ſer-
vare ea, quæ mandavi vobis. Per oppoſi-
tum verò lex Scripta ſoli populo Judæo-
rum data fuit, ut benè oſtendit D. Tho-
mas ex Apoſtolo ita loquente: ,, *Quid er-*
,, *go ampliùs Judæo? Multum quidem per*
,, *omnem modum: primum quidem, quia*
,, *credita ſunt illis eloquia Dei.* Inſuper
,, ex illo Pſalmi: *Non fecit taliter omni*
,, *nationi, & judicia ſua non manifeſta-*
,, *vit eis.* Tandèm, ut alia omittamus, con-
ſtat ex illo Deuter. ubi propter legem il-
lam Judæis datam, natio illa ſic extollitur
ſupra gentilium populos: *Nec eſt alia na-*
tio tàm grandis, quæ habeat Deos appro-
pinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt
nobis. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta:
ut habeat cæremonias, juſtaque judicia &
univerſam legem, quam ego proponam ho-
die ante oculos veſtros? Hujus per di-
vinam providentiam ſuaviſsimæ diſpoſitio-
nis ratio multiplex aſsignari ſolet. Nobis
autem magis arridet ea, quam aſsignat D.
Thomas, nempè ut in populo illo com-
pleret Deus promiſsiones Abrahæ datas, de
Chriſto Domino ex ejus ſemine naſcituro,
juxta illud Apoſtoli: *Abrahæ dictç ſunt*
promiſsiones & ſemini ejus. Non dicit: Et
ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in
uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Sic
enim expreſsè ſatis habetur in Deuter. *Ut*
compleret verbum ſuum Dominus, quod
ſub juramento pollicitus eſt patribus tuis
Abraham, Iſaac, & Jacob. ,, Deus igitur
(infert S. Dr.) & legem & alia beneficia
,, ſpecialia illi populo exhibuit, propter
,, promiſsionem eorum patribus factam, ut
,, ex eis Chriſtus naſceretur. Quamvis enim
,, ſalus futura per Chriſtum eſſet omnibus
,, gentibus præparata, oportebat tamen
,, ex uno populo Chriſtum naſci, qui prop-
,, ter hoc, præ aliis prærogativas habuit,
,, ſecundùm illud: *Quorum*, ſcilicet Ju-
dæo-

Lex Evāgelica cunctis: antiqua lex populo Judæorum data.
D. Thomas 1. 2. q. 98. a. 4.
Roman. 3. v. 1.
Pſal. 147. v. 20.
Deuter. 4. v. 7.
Ad Galat. 3. v. 16.
Deuter. 9. v. 5.
D. Thomas in corp. art.
Solut. ad 1.

,, dæorum *eſt adoptio filiorum Dei & te-*
,, *ſtamentum & legiſlatio, quorum pars,*
,, *& quibus Chriſtus eſt ſecundùm carnem.*
Sive ut in corpore articuli loquitur: De-
,, cebat enim, ut ille populus, ex quo
,, Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpecia-
,, li ſignificatione polleret ſecundùm illud,
,, quod dicitur Levit. 19. *Sancti eritis,*
,, *quia ego Sanctus ſum.* Nec etiam fuit
,, propter meritum ipſius Abrahæ, ut talis
,, promiſsio ei fieret, ut ſcilicet Chriſtus
,, ex ejus ſemine naſceretur; ſed ex gra-
,, tuita Dei electione & vocatione; unde
,, dicitur Iſai. 14. *Qui ſuſcitabit ab orien-*
,, *te juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur ſe.*
,, Sic ergo patet, quòd ex ſola gratuita
,, electione Patres promiſsionem accepe-
,, runt, & populus ex eis progenitus legem
,, accepit, ſecundùm illud Deuter. 4. *Au-*
,, *diſti verba illius de medio ignis, quia*
,, *dilexit patres tuos, & elegit ſemen eo-*
,, *rum poſt illos.* Si autem rursùs quæratur,
,, quare hunc populum elegit, ut ex eo
,, Chriſtus naſceretur, & non alium; con-
,, veniet reſponſio Auguſt. quam dicit ſu-
,, per Jonn. *Quare hunc trahat, & illum*
non trahat, noli velle dijudicare, ſi non
vis errare.

In corp. artic.

161 Exinde ſua ſponte verum fluit,
quod indicavimus legem ſcilicet novam ge-
neraliter ita obligare univerſos homines,
ut ſine illa, vel extra illam ſalutem non
valeant conſequi æternam: dicente Domi-
no: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,*
ſalvus erit: qui verò non crediderit (fide
nempe Chriſti per charitatem operante)
condemnabitur. Ex adverſo autem, ſinè le-
ge Moſayca, extra Judæorum populum &
religionem plures ſalvi fuerunt ex gentili-
tate per obſervantiam legis naturæ; non
tamen ſinè Dei remuneratoris ſupernatu-
ralis cognitione, & aliquali in Chriſtum
implicita ſaltem ſide. Utrunque nos do-
cuit & ſtatuit cum Patribus ex Prophetis
D. Thomas. Primum reſolvit & probat ex
Magno Dionyſio affirmante, *quòd multi*
Gentilium per Angelos reducti ſunt in
Deum: Cùm ergo Gentiles legem Moſay-
cam non obſervarent, ſinè lege illa ſalu-
tem adepti fuerunt. Apoſtolus etiam ex-
preſsè ſatis legem illam dicit ſolis Judæis
datam & ipſos ſolos ad ejus obſervantiam
teneri: *Scimus autem, quoniam quæcunque*
lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur.
,, Id eſt (exponit D. Thomas) ad quos lex
,, datur, & qui legem profitentur Deuter.
,, 33. *Legem præcepit nobis Moyſes: Gen-*
,, *tiles autem non erant ſub lege.* Gentiles
,, autem (ait D. Thomas) perfectiùs & ſe-
,, curiùs ſalutem conſequebantur ſub ob-
,, ſervantiis legis, quàm ſub ſola lege na-
,, turali; & ideò ad eas admittebantur.
,, Sicut etiam nunc laici tranſeunt ad Cle-
,, ricatum, & Sæculares ad religionem,
,, quamvis abſque hoc poſsint ſalvari.

Extra legem Evangelicam ſalus non eſt: ſicut fuit extra legem Moſaycam.

D. Thomas 1. 2. q. 98. a. 5. ibi S. Dionyſ. lib. 9. de cœleſti Hierarch. c. 9. poſt medium.

Rom. 3. v. 19. D. Thomas ibidèm lect. 2. Solut. ad 3.

162 Aſsignat deindè S. Dr. rationem,
cur Judæis ſolum lex illa Moſayca ut ta-

lis inſtabat. ,, Reſpondeo dicendum, quòd
,, lex vetus manifeſtabat prçcepta legis na-
,, turæ, & ſuperaddebat quædam pro-
,, pria prçcepta. Quantum igitur ad illa,
,, quç lex vetus continebat de lege naturæ,
,, omnes tenebantur ad obſervantiam ve-
,, teris legis, non quia erant de veteri le-
,, ge, ſed quia erant de lege naturæ: ſed
,, quantum ad illa, quç lex vetus ſuperad-
,, debat, non tenebantur aliqui ad obſer-
,, vantiam veteris legis, niſi ſolus popu-
,, lus Judæorum. Cujus ratio eſt: quia
,, lex vetus, ſicut dictum eſt, data eſt
,, populo Judæorum, ut quandam prærogа-
,, tivam Sanctitatis obtineret propter re-
,, verentiam Chriſti, qui ex illo populo
,, naſciturus erat. Quæcunque autem ſta-
,, tuuntur ad ſpecialem aliquorum ſanctifi-
,, cationem, non obligant, niſi illos; ſi-
,, cut ad quædam obligantur Clerici, qui
,, mancipantur divino Miniſterio, ad quæ
,, laici non obligantur. Similiter & reli-
,, gioſi ad quædam perfectionis opera obli-
,, gantur ex ſua profeſsione, ad quæ Sæ-
,, culares non obligantur. Et ſimiliter ad
,, quædam ſpecialia, obligabatur popu-
,, lus ille, ad quæ alii populi non obli-
,, gabantur: Unde dicitur Deuter. 18.
,, *Perfectus eris, & abſque macula co-*
,, *ram Domino Deo tuo*: & propter hoc
,, etiam quadam profeſsione utebantur
,, Deuter. 26. *Profiteor hodiè coram Domi-*
,, *no Deo tuo, &c.*

Artic. 5. ut ſupra in corp.

163 Secundum autem ſtatuit S. Dr. ex
illo Act. 4. ubi de Chriſto Domino pro
nobis paſſo dicitur: ,, *Non eſt aliud no-*
,, *men datum hominibus, in quo oporteat*
,, *nos ſalvos fieri*: Et ideò Myſterium In-
,, carnationis Chriſti, aliqualiter oportuit
,, omni tempore eſſe creditum apud om-
,, nes, diverſimodè tamen ſecundùm di-
,, verſitatem temporum & perſonarum. Ad-
ducit etiam Auguſtinum ita loquentem: *Il-*
la fides ſana eſt, qua credimus, nullum
hominem ſivè majoris, ſivè parvç ętatis li-
berari à contagio mortis, & obligatione
peccati niſi per unum mediatorem Dei &
hominum Jeſum-Chriſtum. Quinimò, & de
Gentilibus, quos ad ſalutem perveniſſe ſu-
pra diximus, inquit ſolutione ad 3. ,, Quòd
,, multis Gentiliũ facta fuit revelatio de Chri-
,, ſto, ut patet per ea, quç prædixerunt de
,, Chriſto: Nam Job 19. dicitur: *Scio,*
,, *quòd Redemptor meus vivit.* Sibylla
,, etiam prænuntiavit quædam de Chriſto,
,, ut Auguſtinus dicit: Si qui tamen ſal-
,, vati fuerunt, quibus revelatio non fuit
,, facta, non fuerunt ſalvati abſque fide
,, mediatoris: quia etſi non habuerunt fi-
,, dem explicitam, habuerunt tamen fi-
,, dem implicitam in divina providentia,
,, credentes, Deum eſſe liberatorem homi-
,, num ſecundùm modos ſibi placitos, &
,, ſecundùm quod aliquibus veritatem cog-
,, noſcentibus ſpiritus revelaſſet ſecundùm
,, illud Job. 35. c. *Qui docet nos ſuper ju-*
,, *menta terræ.* Memorat etiam in confir-
ma-

2. 2. q. a. 7. in corp.
S. Auguſtinus Epiſt. 157. apud D. Thom.
Solut. ad 3.
S. Auguſtinus lib. 1. contra Fauſt. c 15. apud D. Thom.
Baron. tom. 9. ad ann. 180.

mationem, momentoſam illam hiſtoriam quam adducit etiam Cardinalis Baronius: * Addit Teophanes admiratione dignum eventum de inſcriptione inventa in refoſſa tunc temporis veteri ſepultura, quòd cùm omnes tàm Græci, quàm Latini hiſtorici æquè aſſerant, noluimus prætermittere. Theophanes igitur ſui temporis proſequutus hiſtoriam ita rem geſtam paucis narrat: Hoc etiam anno in longis Thraciæ muris quidam homo fodiens, invenit arcam lapideam, quam cum expurgaſſet & relevaſſet, reperit virum jacentem, & conglutinatas arcæ litteras continentes hæc: *Criſtus naſcetur ex Virgine Maria. Credo in eum. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus, ò ſol iterum me videbis.* Increbuit ſermo, vatis alicujus ejuſdem fuiſſe ſepulchrum, ejuſdemque repertum in eo vaticinium ſcriptum divinitùs revelatum. *

164 Hæc licèt vera ſint; aliquos nempè fuiſſe infideles extra populum Judaicum ſalutem æternam conſequutos per obſervantiam legis naturæ, cultum veri Dei, & in Chriſtum Dominum aliquali fide: cenſeo attamen, fuiſſe jure ac merito damnatam doctrinam quorumdam, qui non multis abhinc annis prætendebant, extitiſſe integram, extra populum Judaicum, gentium nationem, quæ per duo circiter annorum millia ante Chriſtum natum, puram, & illibatam conſervavit, unius ac veri Dei cognitionem, & in Templo omnium antiquiſsimo, uni ac vero Deo ſacrificavit. Hæc namque opinatio proſcripta jam pridèm fuit à ſacra facultate Pariſienſi die decimâ ſeptimâ menſis Auguſti anni 1700. ſub hac cenſura: *Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, impia, verbo Dei contraria, hæretica, Chriſtianæ fidei, & religionis everſiva, virtutem paſsionis Chriſti, & crucis ejus evacuans.* Et merito quidèm: nam juxta Scripturæ fraſim, antiquæ extra populum Judaicum gentes univerſim (id eſt in plurimum) idololatræ appellantur: *Omnes dii gentium dœmonia.* Inſuper *Simulacra gentium, argentum & aurum.* Inſuper & S. Lucas ſatis expreſsè habet Deum, ante adventum Chriſti permiſiſſe, ut omnes gentes excepto ſolo populo Judaico ingrederentur vias ſuas, id eſt, in denſiſsimis idololatriæ tenebris jacerent immerſæ: *In præteritis generationibus* (inquit S. ille Evangeliſta) *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Sivè ut loquitur Apoſtolus de gentilibus, qui ambulabant in paſsione deſiderii Deum ignorantes. Ubi D. Thomas: „ Quia hoc eſt Gentilium quærere delectationes præſentis, non futuræ vitæ. Hinc Apoſtolus ipſe ponit ſummam damnificationem Gentilium propter ignorantiam Dei, dicens: *Sine Deo in hoc mundo.* „ Id eſt (exponit D. Thomas) ſine cognitione Dei. „ Pſal. 75. *Notus in Judæa Deus: non autem gentibus*, ut dicitur 1. Theſſal. 4. Quòd „ tamen intelligitur de cognitione, quæ eſt „ per fidem, nam de cognitione naturali, dicitur Roman. 1. *Qui cum cognoviſſent „ Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.*

Integra non extitit natio extra Judæam, verum cultum Dei conſervans.

Pſal. 95. v. 5.
Pſal. 113. v. 4.
Act. 14. v. 15.

1. ad Theſſal. 4.
D. Thom. ibidèm lect. 1.

Ad Epheſios 2. verſ. 12.
D. Thom. ibidèm. lect. 4.

165 Tandem (ut alias omittamus differentias) memorare præſtat legem veterem, per Evangelii irradiationem ceſſaſſe jam, ut data opera oſtendimus diſſertatione primâ præcedenti. Inde ultima hìc apponenda differentia oritur, quatenus Lex Evangelica ad finem uſque ſæculorum duratura creditur, juxta promiſsionem illam Chriſti Domini: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Et de Spiritu Sancto legem Evangelicam in cordibus ſcribente: *Et ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Quem quidèm Paraclitum ſivè Spiritum S. in Apoſtolos miſit, poſt ſuam in Cœlos aſcenſionem, juxta illud Actor. 1. *Baptizabimini in Spiritu S. non poſt multos hos dies*: nam ut Joannes dixerat: *Nondùm erat Spiritus datus; quia nondùm Jeſus erat glorificatus.* Quibus excluduntur inſanæ poſitiones Montaniſtarum, & Manichæorum, quas ita refert, & refellit D. Thomas: „ Sicut Auguſtinus dicit in lib. contra Fauſ„ tum, *Montanus & Priſilla* poſuerunt „ quòd promiſsio D. de Spiritu Sancto „ dando non fuit completa in Apoſtolis „ ſed in eis. Et ſimiliter Manichæi poſue„ runt, quòd fuit completa in Manichæo, „ quem dicebant eſſe ſpiritum paraclitum. Oſtendit prætereà Dr. Sanctus perpetuam durationem legis Evangelicæ ex illis verbis Chriſti D. *Dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Generatio inquam fidelium Chriſti juxta Chryſoſtomi expoſitionem: ergo ſtatus fidelium Chriſti manebit uſque ad conſummationem ſæculi, urget in argumento ſed contra.

Lex antiqua ceſſavit, Evangelica ad finem uſque mundi duratura.

Matthæi 28. 20.

Joann. 14. 16.

Actorum 1. 5.
Joan. 7. v. 39.

D. Thomas 1. 2. q. 107. a. 4. ad 1.

Matthæi 24. 34.

S. Chryſoſtom. Homil. 78. in Matthæum.

166 In corpore autem articuli ita rem elucidat: „ Reſpondeo dicendum, quòd ſtatus „ mundi variari poteſt dupliciter. Uno modo „ ſecundùm diverſitatem legis, & ſic huic „ ſtatui novæ legis nullus alius ſtatus ſuc„ cedet. Succeſsit enim ſtatus novæ legis „ ſtatui veteris legis, tanquam perfectior „ imperfectiori: nullus autem ſtatus præ„ ſentis vitæ poteſt eſſe perfectior, quàm „ ſtatus novæ legis. Nihil enim poteſt eſ„ ſe propinquius fini ultimo, quàm quod „ immediatè in finem ultimum introducit: „ hoc autem facit nova lex: Unde Apo„ ſtolus dicit ad Hebræos 10. *Habentes ita„ que fratres fiduciam in introitu Sancto„ rum in ſanguine Chriſti, quam initia„ vit nobis viam novam:* *Accedamus.* Unde „ non poteſt eſſe aliquis perfectior ſtatus „ præſentis vitæ, quàm ſtatus novæ legis: „ quia tantò eſt unumquodque perfectius, „ quantò eſt ultimo fini propinquius. Alio „ modo ſtatus hominum variari poteſt, ſe„ cundùm quod homines diverſimodè ſe „ habent ad eandem legem, vel perfectiùs, „ vel minùs perfectè, & ſic ſtatus veteris „ legis frequenter fuit mutatus, cùm quan„ doque leges optimè cuſtodirentur, quan-

D. Thomas in corp. artic.

„ doque autèm omninò prætermitterentur. „ Sic etiam & ſtatus novæ legis diverſifica„ tur ſecundùm diverſa loca & tempora & „ perſonas, inquantum gratia Spiritus San„ cti perfectiùs, vel minùs perfectè ab ali„ quibus habetur. Non eſt tamen expe„ ctandum quod ſit aliquis ſtatus futurus, „ in quo perfectiùs gratia Spiritus Sancti „ habeatur, quam hactenùs habita fuerit, „ & maximè ab Apoſtolis, qui primitias „ ſpiritûs acceperunt, id eſt & tempore priùs, „ & cæteris abundantiùs, ut Gloſſ. dicit „ Romanor. 8. Inde ſubjungit Sanctus „ Doctor ibidèm: Ad primum ergo dicen„ dum; quòd ſicut Dionyſius dicit in Ec„ cleſ. Hierar. triplex eſt hominum ſtatus. „ Primus quidem veteris legis. Secundus „ novæ legis. Tertius ſtatus ſuccedit non „ in hac vita, ſed in futura, ſcilicet in pa„ tria. Sed, ſicut primus ſtatus eſt figura„ lis & imperfectus reſpectu ſtatus Evan„ gelii: ita hic ſtatus eſt figuralis, & im„ perfectus reſpectu ſtatus patriæ, quo ve„ niente, iſte ſtatus evacuatur, ſicut dici„ tur 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc „ per ſpeculum in ænigmate, tunc autem „ facie ad faciem.*

167 Et quidem quòd non ſit expectandus futurus aliquis ſtatus, in quo abundantior ſit gratia, & Myſteriorum Chriſti plenior cognitio, valide ulteriùs confirmari poteſt ex eodem Doctore Angelico Apoſtolorum ſtabiliente plenitudinem ſcientiæ, & gratiæ ſupra reliquos fideles, ex majori propinquitate ad Chriſtum Dominum: „ Ultima, inquit, conſummatio gratiæ facta „ eſt per Chriſtum, unde & tempus ejus „ dicitur tempus plenitudinis ad Galat. 4. „ Et ideò aliqui fuerunt propinquiores „ Chriſto, vel ante, ſicut Joannes Bapti„ ſta: vel poſt, ſicut Apoſtoli, pleniùs my„ ſteria fidei cognoverunt: quia & circa „ ſtatum hominis hoc videmus, quòd per„ fectio eſt in juventute, & tantò habet „ homo perfectiorem ſtatum, vel ante, vel „ poſt, quantò eſt juventuti propinquior. Nam doctrinam ex Auguſtino Sanctus Doctor mutuavit, cujus illa verba referuntur: *Quamvis omnes de plenitudine Chriſti accepimus, Apoſtoli tamen, quantò prius, tantò abundantius receperunt.* Inde factum eſt, Apoſtolos longè in hac plenitudine antiquos ſuperaſſe Prophetas, atque ſubſequentes deinde Patres & Doctores. Sic enim expreſsè ſatis ſignificavit Apoſtolus, inquiens: *Secundùm divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis in omni ſapientia & prudentia, ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ.* Et inſuper: *Nos quidem ſpiritûs primitias habentes.* Inde corruit inſana illa, & erronea exiſtimatio Abbatis Joachimi, & Petri Joannis, qui effutierunt: Apoſtolum non penetraſſe ſenſum Evangelii, ſed quod primus novit illum S. Benedictus, docebat ille: vel S. Franciſcus, ajebat Petrus Joannes, quorum errorem damnatum referunt Guido Carmelitanus & Alfonſus à Caſtro lib. de hæreſibus verbo *Apoſtoli*, hæreſi prima. In his namque erroribus confutandis immorari jam non oportet; poſtquam Sanctus Lucas Evangeliſta refert, quòd Chriſtus aperuit diſcipulis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas. Sedde hoc aſſumpto, nonnulla tradere confidimus in ultima parte operis in prologo contra Archiepiſcopum Cameracenſem, alioſque Pſeudomiſticos.

D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 7. ad 4.

D. Thomas ſuper cap. 3. ad Rom.

Ad Epheſ. 1.

Rom. 8.

Lucæ ult.

168 Verumtamen quantum ad permanentiam, quam diximus legis Evangelicæ, non poſſumus non memorare phantaſticum delirium, hæreſemque illorum, qui *flagellantes* appellabantur, & dicebant, quòd Evangelium deſiit poſt adventum ſuæ ipſorum ſectæ. Simili errorum nota referuntur conſignati, quidam Joannes de Parma, & Almaricus; quorum prior effutiens, quòd Evangelium Chriſti non eſt Evangelium Regni, dicebat quòd poſt Evangelium Chriſti aliud Evangelium ſuccedet, ſcilicet Evangelium æternum, ſive ſpiritûs Sancti, quo adveniente & clareſcente evacuabitur Evangelium Chriſti. Almaricus verò diſſeminavit: quòd lex nova viguit uſque ad tempus ſui ipſius; & ex tunc habuerunt finem, & fuerunt evacuata, Baptiſmus, Pœnitentia & omnia alia novæ legis Sacramenta. Hujuſmodi namque errores evaneſcunt omninò ex promiſsionibus à Chriſto factis, & deinde ex variis ſcripturæ teſtimoniis, quibus lex nova Teſtamentum dicitur æternum, Evangelium æternum, & alia hujuſmodi. Imprimis per Prophetam Baruch: *Statuam illis Teſtamentum alterum ſempiternum.* Deinde in Apocalypſi: *Vidi alterum Angelum volantem per medium Cœli habentem Evangelium æternum.* In Epiſt. ad Hebræos. *Qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium in ſanguinem Teſtamenti æterni.* Deinde dicitur à S. Luca: *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt. Quia* (inquit ibi Theophylatus) *turbationes & Bella & alterationes dixit eſſe futuras tàm elementorũ, quàm cæterarum rerum, ne quis ſuſpicetur, quòd fortè aliquando deſtruendus ſit Chriſtianiſmus, dixit. Non enim præteribit hæc generatio Chriſtianorum. Cœlum quidèm & terra immutabuntur: ſermones autem mei & Evangelium meum non peribunt, ſed manebunt. Tametſi commoveantur omnia: fides tamen in me non deficiet. Apparet autem hoc loco, quòd Eccleſiam omni creaturæ præferat; Eccleſia enim ejus, & verbum, ac Evangelium nequaquam peribunt.*

Exploditur error contra durationem legis Evangelicæ.

DirectoriumInquiſit.

P. 2. q. 9. & quæſt. 7.

Baruch. 2. v. 35

Apocalyp. 14. v. 6.

Ad Hebræos 13 v. 20.

Luc. 21. v. 33.

169 Quod autem Petrus ille effutiit: Evangelium, ſcilicet Chriſti non eſſe Evangelium regni, expectandumque eſſe aliud Evangelium Spiritûs S. erroneum nedùm eſt, ſed & ſtultiſsimum; damnatum imprimis ab Alexandro IV. contra Petrum de Parma. Reprobatur etiam à D. Thoma ſupra citato, oſtendente imprimis, legem novam etiam eſſe legem Spiritûs S., qua ratione di-

In laudato Directorio.

D. Thomas ſolut. ad 3.

Rom. 8.

diciter ab Apoſtolo: *Lex ſpiritus vitę in Chriſto Jeſu*, ut ſupra ponderatum eſt. Et quidèm quomodo non lex Spiritus S. quam ipſemet in cordibus hominum ſcripſit? Et quomodo non lex totius Trinitatis, quæ in nomine trium perſonarum venientes ad Eccleſiam Chriſti baptizare præcipit? Deindè: „ Cùm Chriſtus D. ſtatim in principio „ Evangelicæ prædicationis dixerit: *Appro-„pinquavit regnum Cœlorum*, ſtultiſsimum „ eſt dicere, quòd Evangelium Chriſti non „ ſit Evangelium regni (inquit D. Thom.) Plurima etiam ſunt teſtimonia in quibus Evangelium Chriſti, quod ſcilicet Chriſtus prædivit prædicareque mandavit Apoſtolis; dicitur Evangelium regni Cœlorum: quia ad regna Cœlorum homines ducit: Marc. 1. Matth. 4. Actorum 8. Et alibi frequenter. Hinc corruit etiam Almarici opinatio, quam cum reliquis ejuſdem erroribus, ita damnat Concilium Lateranenſe III. ſub Innocentio III. *Reprobamus etiam, & condemnamus perverſiſsimum dogma impii Almarici: cujus mentem ſic pater mendacii excœcavit, ut ejus doctrina non tàm hæretica, quàm inſana ſit cenſenda.*

D. Thomas ſolut. ad 4.

Luc. 10. v. 9.

Cap. Damnamus de ſumma Trinit. & Fide Catholica.

§. III.

Perfectio Evangelii neceſsitatem inducit bonorum operum.

170 PRIMò aſſerendum eſt: perfectionē legis Evangelicæ neceſsitatem intimare bonorum operum. Probatur primo catholica aſſertio: quia Evangelium Chriſti, ſeu bonum nuntium de copioſa per eum redemptione, de gratia diſpenſanda multiplici, & gloria tandem retribuenda, tale à nobis debet agnoſci, quale à Prophetis prænuntiatum legitur; ſed ab antiquis Prophetis vaticinatum in ſacris libris habemus tanquam lex nova antiquum fœdus perfectiſsimè adimplens, nova proinde, vel nova perfectione antiquorum aliqua ſaltem præcepta perfectè renovata intimans: ipſa igitur Evangelii perfectio præceptorum obſervantiam exigit, neceſsitatemque proindè bonorum operum. Aſſumptam minorem apud Iſaiam & Micheam expreſſam invenimus: ſic ille habet: *De Sion exibit lex, verbum Domini de Jeruſalem*: Similia repetit Micheas; de adventu Meſsiæ uterque loquens: *Et erit in noviſsimis diebus præparatus mons domùs Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus.* Sicut enim in monte Sina antiqua lex data fuit Judæis, ita lex nova & verbum Dei, id eſt, *Evangelium exivit de Sion*, ubi ſita erat Jeruſalem & cœnaculum, quo deſcendens Spiritus Sanctus in eorum cordibus, legem gratiæ ſcribens, inflammavit ſimul & illuminavit ad fœliciter promulgandum Evangelium juxta præceptum Chriſti Domini Marci ultimo verſu 15. & Lucæ 24. v. 49. Si ergo Evangelium lex dicitur, & quidèm perfecta, continere debet præcepta & mandata, perfectiora utique præceptis antiquæ legis; qua ratione meritò nova dicuntur, quia perfecta; quæ quidèm omnia cum ad dilectionem Dei & proximi reducantur, juxta illud: *Plenitudo legis eſt dilectio*; & rursùs: *in his duobus mandatis* (ſcilicet de dilectione Dei & proximi) *tota lex pendet, & Prophetæ*; expreſsit Chriſtus Dominus ad Diſcipulos in nocte cœnæ illis verbis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicèm; ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicèm.* Ubi non prætermittitur præceptum de diligendo Deo, *quia benè intelligentibus* (inquit Auguſtinus) *utrumque invenitur in ſingulis; nam & qui diligit Deum, non eum poteſt contemnere præcipientem ut diligat proximum; & qui supernè ſpiritualiter diligit proximum, quid ideo diligit niſi Deum?*

Iſaiæ 2. v. 3.

Micheæ 4. v. 2.

D. Thomas, in locum Iſaiæ.

Evangelium lex cum perfectior, perfectiora præcipit opera.

Rom. 13. v. 10.

Matthæi 22. v. 40.

Joan. 13. v. 34.

S. Auguſtin. tract. 64. Joan. apud Thomam in Catena.

171 Et quidem ſi à prophetis prænuntiantibus, ad ipſum Chriſtum Dominum jam loquentem attendimus, ſic methodicè eadem illa propoſitio minor oſtendi poteſt: nam Evangelium ea continet, quæ Chriſtus Dominus docenda hominibus, Apoſtolis mandavit ad promulgandum Evangelium miſsis; at Chriſtus Dominus ipſis docere homines præcepit, nedùm credere ea quæ unigenitus Dei Patris revelavit, ſed & ſervare ea quæ mandavit, ut expreſſum eſt Matthæi 18. Meritò igitur infert Auguſtinus: *Evangelium recipere in duobus conſiſtit, in fide & operibus, ſine operibus autem impoſsibile eſt intrare in regnum Cœlorum. Non enim dixit* (ſcilicet Chriſtus) *docentes eos, quia ſim natus, ſed ut mandata ſervent.* Si autem Magno Auguſtino acquieſcere renuunt Hæretici, audiant Apoſtolum ad Coloſſenſes gratulantem maximè, quòd verbum Evangelii in ipſis creſceret & fructificaret: *Et fructificat, & creſcit, ſicut in vobis ex ea die, qua audiſtis gratiam Dei in veritate*, ſcilicet Evangelii; ſed hæc fructificatio ſita erat non in ſola veritatis Evangelicæ cognitione, ſed potiùs in omni opere bono & virtute, ut ſtatim ſubjungit Apoſtolus: *In omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei; in omni virtute confortati ſecundùm potentiam claritatis ejus*: Quis ergo, niſi ſecutiat, ab Evangelio relegare molietur bonorum operum neceſsitatem & virtutem & à Chriſto Domino promulgata præcepta.

S. Auguſtinus lib. 5. contr. Fauſtum Manichæum.

Ad Coloſſenſe. 1. v. 6.

172 Dicamus igitur per lucem Evangelii evacuata manſiſſe omninò antiqua figuralia præcepta, cæremonias, ſacrificia, Sacramenta; veritate antiquitùs figurata in apertum poſita in Chriſto Domino, ſciſſo jam velo Sancta Sanctorum occultante; novis, perfectioribus tamen inſtitutis Sacramentis, ſublimioribus ritibus, novo etiam & æterno ſæpiuſque incruentè iterato crucis ſacrificio. Cæterum moralia præcepta novum à Chriſto Domino in nova lege robur accipiunt, & perfectionem; ſuperadditis Evangelicis conſiliis; ut ſupra nos docuit Angelicus Doctor, ad verba illa Chriſti Domini: *Non veni ſolvere, ſed adimplere.* Et certè quis dubitet perfectiora præcepta agnoſcenda eſſe in lege illa, quam Chriſtus Dominus fęliciter exordiri voluit à beatitudinibus, quas per ſe ipſum Chriſtus Dominus ſuper montem promulgare dignatus fuit: *Aſcendit in montem.* Ad oſtendendum perfectionem hujus doctrinæ: quia perfectiſsima, (exponit D. Thomas.) Et benè quidem in monte ſermonem illum habuit, qui quantum ad mores optimos pertinet, complectitur perfectum vitæ chriſtianæ modum, juxta doctrinam Auguſtini. *Et aperiens os ſuum docebat eos*; nempè Chriſtus Dominus, verbum Patris *aperuit os ſuum*, quòd ipſe in lege veteri aperire ſoleret ora prophetarum: Multiphariè enim olim loquens Patribus in Prophetis, *noviſsimè loquutus eſt nobis in filio.* Vel aperiens os ſuum dicitur: quia magna & profunda dicturus erat. Utraque hęc expoſitio ab Auguſtino deſumpta lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 1. traditur à D. Thoma. Evolvant nunc hæretici cæleſtis & Evangelicę doctrinæ ſummam, in qua vel unicus ſit apiculus, quo æternę fęlicitatis adoptio fidei dumtaxat adſcribatur? *Non enim dixit* (verba ſunt Auguſt.) *Beati qui me confeſsi fuerint natum; ſed beati pauperes ſpiritu :: Beati mites, &c.*

Moralia antiqua præcepta novum in nova lege robur accipiunt.

Matthæi 5. v. 1.

D. Thomas ibidèm in Comm.

S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſ. Evang. c. 19.

D. Thomas in Comm.

S. Auguſtinus ubi ſupra.

173 Ulteriùs demonſtrari oportet præcepta moralia, quæ in lege vigebant tùm naturali, tùm ſcripta, in ſuo robore permanere poſt adventum Evangelicæ lucis. Deinde oſtendendum eſt ampliuſque urgeri, præcepta illa novam induiſſe peſectionem. Quantum ad primū ita theologizamus: quemadmodum gratia naturam non deſtruit, ſed roborat potiùs, perficit & extollit, ita lumen Evangelicæ legis & gratię, lumen naturę & naturalis rationis non impedit, ſed potiùs vigere magis & irradiare præſtat: igitur lex Evangelica, lex gratiæ meritò audiens, legem naturæ non evacuat, præceptaque legis naturæ ipſo dictamine rationis naturalis intimante cognita. Sed præcepta moralia hujuſmodi ſunt, ſivè ad legem naturæ pertinent: igitur nemo rationis rectæ compos præcepta illa per irradiationem Evangelicę lucis remota affirmabit. Aſſumptam propoſitionem ex Apoſtolo oſtendit 1. Divus Thomas Apoſtoli Interpres: *Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem, non habentes, ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*: „ Sed hoc oportet intelligi de his quæ pertinent ad bonos mo-„ res: ergo omnia moralia præcepta legis „ ſunt de lege naturæ; infert Divus Thomas in Summa Theologica. In Commentario autem verborum Apoſtoli, ſic inter alia habet: *Naturaliter faciunt, quæ ſunt „ legis*; id eſt, quæ lex mandat; ſcilicet „ quantum ad præcepta moralia, quę ſunt „ de dictamine rationis naturalis; ſicut & „ de Job dicitur: quod erat *juſtus, & re-„ ctus, ac timens Deum, & recedens à ma-„ lo* (vel ut habetur in noſtra vulgata *ſim-„ plex & rectus.*) :: Vel poteſt dici *natu-„ raliter*, id eſt per legem naturalem oſten-„ dentem eis quid ſit agendum; ſecundùm „ illud Pſalmi 4. *Multi dicunt: quis oſten-„ dit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos „ lumen vultus tui.* Quòd eſt lumen ratio-„ nis naturalis, in qua eſt imago Dei:: „ *Ipſi ſibi ſunt lex*; inquantum, ſcilicet „ funguntur officio legis ad ſe ipſos, in-„ ſtruendo ſe, & inducendo ad bonum:: „ Et hoc modo oſtenditur, quòd opus le-„ gis ſit in cordibus eorum inſcriptum per „ quædam opera, quæ hujuſmodi ſcriptum „ annuntiant; teſtimonium reddente illis „ conſcientia.

Novam etiam acceperūt perfectionem, Apoſtolo docente, & Thoma Theologizante.

Ad Romanos ſecundo à v. 14.

Div. Thomas 1. 2. q. 100. art. 1. in ſed contra.

D. Thomas Lectione 3.

Job 1. verſ. 1.

174 Oſtendit deindè eandem illam propoſitionem aſſumptam S. Doctor ratione Theologicâ: quia moralia præcepta ea jure dicuntur, quæ præcipiunt pertinentia ſecundùm ſe ad bonos mores; at boni mores in homine hi dicuntur; qui rectè rationi naturali congruunt: mali autem qui à ratione diſcordant; ut videre etiam eſt in parte rationis ſpeculativæ, reſpectivè ad lumen naturale primorum principiorum: omnia igitur præcepta moralia ad legem naturæ pertinere dicenda ſunt. „ Sic igitur pa-„ tet. (Concludit Divus Thomas) quòd „ cùm moralia præcepta ſint de his, quæ „ pertinent ad bonos mores, hęc autem „ ſunt, quæ rationi conveniunt: omne au-„ tem rationis humanæ judicium aliqualiter „ à naturali ratione derivatur, neceſſe eſt, „ quòd omnia præcepta moralia pertineant „ ad legem naturæ, ſed diverſimodè. Quæ-„ dam enim ſunt, quę ſtatim per ſe ratio „ naturalis cujuſlibet hominis dijudicat eſſe „ facienda, vel non facienda: ſicut, *Hono-„ ra patrem tuum, & matrem, &c. Non „ occides, non furtum facies*, & hujuſmo-„ di ſunt abſolutè de lege naturæ. Quæ-„ dam verò ſunt, quæ ſubtiliori conſidera-„ tione rationis à ſapientibus judicantur „ eſſe obſervanda: & iſta ſic ſunt de lege „ naturæ, ut tamen indigeant diſciplinâ, qua „ minores à ſapientibus inſtruātur, ſicut illud. „ *Coram cano capite conſurge, & honora „ perſonam ſenis* & alia hujuſmodi. Quæ-„ dam verò ſunt, ad quæ judicanda ratio „ humana indiget inſtructione divinâ, per „ quam erudimur de divinis, ſicut eſt il-„ lud: *Non facies tibi ſculptile, neque om-„ nem ſimilitudinem: non aſſumes nomen „ Dei tui in vanum.*

In corpore art.

175 Jam inde præſtat cum Angelico Do-

Omnia præcepta moralia antiquitùs data vigent adhuc; & judicialia quodammodo.

Doctore firmare: moralia omnia præcepta antiquitùs data (imò & judicialia quędam eâ ratione, qua ad moralia pertinebant ut alibi indicatum eſt,) vigere adhuc in lege Evangelica: Moralia etenim præcepta omnia ad decem præcepta Decalogi reducuntur, vel tanquam prima principia undè præcepta illa derivantur vel in ordine naturæ, vel in ordine gratiæ: ſivè ut concluſiones ex ipſis Decalogi præceptis deductæ; ſed in lege gratiæ maximè vigent pręcepta Decalogi: omnia igitur & præcepta moralia antiquitùs data. De propoſitione minori dubitare non ſinit Chriſtus Dominus, dùm Decalogi mandata ſervanda juſsit à quocunque volente ad vitam æternam ingredi: cùm enim ad Jeſum accederet *unus* (qui Adoleſcens, & Dives erat ut notat Hieronymus) interrogans, quid boni faceret, ut vitam haberet æternam, dixit ei Chriſtus Dominus: *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dicit illi: Quę? Jeſus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulteraberis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices: Honora Patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Memorat autem hìc Chriſtus Dominus ſecundæ dumtaxat Tabulæ præcepta; idcircò ſcilicèt, quia fortè ,, iſte ſtudioſus erat in dilectione Dei; ſivè ,, quia dilectio proximi gradus eſt aſcen- ,, dendi ad dilectionem Dei, ut adnotat ,, Divus Thomas. Sivè enumerat præcepta ,, ſecundæ Tabulæ tantùm, quod notiora eſſent, & quòd ex illis primæ Tabulę pręcepta intelligantur, cùm dilectio proximi ſit plenitudo legis, & amoris erga Deum ſignum certiſsimum. Hoc ipſum apparet ex capite 43. Epiſtolæ ad Romanos: & cap. 2. Epiſt. S. Jacobi, ubi facta mentione legis, ſola ſecundæ Tabulę præcepta, exempli gratia pariter proponuntur.

Matth. 19. à v. 16.
S. Hieronymus apud D. Thom. in Cat. Aurea.
D. Thomas in Catena Aurea.

176 Major autem propoſitio conſtare imprimis videtur ex illis verbis Deuteronomii: *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Ex eo enim quòd decem verba Decalogi, quę à cęremonialibus & judicialibus inibi diſtinguuntur, vocat univerſam legem, ſatis innuit, quòd omnia alia præcepta moralia ad iſta decem Decalogi reducuntur. Deinde oſtenditur ratione Angelici Doctoris, cui præmittimus prima, & univerſalia legis naturæ præcepta, poſſe appellari pręambula ad legem Decalogi: ſicut Divus Thomas alibi oſtendit: pręcepta fidei, ſpei & charitatis eſſe præambula ad legem. Sic igitur arguit Divus Thomas: ,, Quòd pręcepta Decalogi ,, ab aliis præceptis legis differunt in hoc, ,, quod præcepta Decalogi per ſe ipſum ,, Deus dicitur populo propoſuiſſe: alia ve- ,, rò præcepta propoſuit populo per Moy- ,, ſem. Illa ergo pręcepta ad Decalogum ,, pertinent, quorum notitiam homo ha- ,, bet per ſe ipſum à Deo; hujuſmodi ve- ,, rò ſunt illa, quæ ſtatim ex principiis ,, communibus primis cognoſci poſſunt mo- ,, dicâ conſideratione, & iterum illa, quæ ,, ſtatim ex fide divinitùs infuſſa innoteſ- ,, cunt. Inter præcepta ergo Decalogi non ,, computantur duo genera præceptorum, ,, illa ſcilicet, quę ſunt prima & commu- ,, nia, quorum non oportet aliquam editio- ,, nem eſſe, niſi quòd ſunt ſcripta in ra- ,, tione naturali, quaſi per ſe nota, ſicut ,, quòd homo nulli debet malefacere & alia ,, hujuſmodi: & iterum illa quę per dili- ,, gentem inquiſitionem ſapientum inve- ,, niuntur rationi convenire: hæc enim ,, proveniunt à Deo ad populum, median- ,, te diſciplina ſapientum. Utraque ta- ,, men horum præceptorum continentur in ,, præceptis Decalogi, ſed diverſimodè: nam ,, illa quę ſunt prima & communia conti- ,, nentur in eis, ſicut principia in conclu- ,, ſionibus proximis; illa verò quæ per ſa- ,, pientes cognoſcuntur, continentur in eis ,, è converſo, ſicut concluſiones in Principiis. Addit deinde S. Doctor ſolutione ad ſecundum: ,, Quòd præceptum de obſer- ,, vatione Sabbati, eſt ſecundùm aliquid ,, morale, inquantum ſcilicet per hoc pręcipitur, quod homo aliquo tempore va- ,, cet rebus divinis, ſecundùm illud Pſalm. ,, 48. *Vacate, & videte quoniam ego ſum* ,, *Deus*. Et ſecundùm hoc inter pręcepta ,, Decalogi computatur non autem quan- ,, tum ad taxationem temporis; quia ſe- ,, cundùm hoc eſt cæremoniale.

Deut. 4. v. 8.
D. Thomas 2. 2. q. 22. art. 1.
In corp. art. 3. ex quæſt. cit. 100. ex 1. 2.
Solut. ad 2.

177 Et certè: quomodo non vigeant in lege Evangelica pręcepta illa, quibus homo diſponitur & urgetur, ut benè ſe habeat in ordine ad Deum & proximos? Audiant hæretici efficacem Theologicam rationem Doct. Ang. cujus nomen, quia ipſis exoſſum, audire recuſſant: Eccleſia etenim Chriſti communitas quædam eſt hominum ſub Deo, adinſtar humanę cujuſlibet Reipublicæ ſub uno Principe: non ergo inficias ibunt Etherodoxi, perfectiori regimine Chriſtianam Reipublicam, ſivè Chriſti D. Eccleſiam inſtructam fuiſſe à Divino Legiſlatore, præ civili hominum communitate. Si autem hæc ita ſunt, natura ipſa docente: Qualiter Theologizet Thomas Theologus, attendant. ,, Reſpondeo dicen- ,, dum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, ſicut ,, præcepta legis humanæ ordinant hominē ad ,, quandam communitatem humanam, ita ,, pręcepta legis divinæ ordinant hominem ,, ad quandam communitatem, ſeu rempu- ,, blicam hominum ſub Deo. Ad hoc au- ,, tem quòd aliquis, in aliqua communi- ,, tate benè commoretur, duo requiruntur, ,, quorum primum eſt, ut benè ſe habeat ,, ad eum, qui præeſt communitati. Aliud ,, autem eſt, ut homo benè ſe habeat ad ,, alios communitatis conſocios & compar- ,, ticipes. Oportet igitur, quòd in lege ,, divina primò ferantur quædam præcepta ,, ordinantia hominem ad Deum, & inde ,, alia quędam præcepta ordinantia homi-

Art. 5. in corp.

,, nem alios proximos ſimul convenientes ,, ſub Deo. Principi autem communitatis ,, tria debet homo, primò fidelitatem, ſe- ,, cundò reverentiam, tertiò famulatum. Fide- ,, litas quidem ad Dominum in hoc conſi- ,, ſtit, ut honorem principatûs ad alium ,, non deferat, & quantum ad hoc acci- ,, pitur primum præceptum, cùm dicitur: ,, *Non habebis Deos alienos*. Reverentia au- ,, tem ad Dominum requiritur, ut nihil ,, injurioſum in eum committatur, & quan- ,, tum ad hoc accipitur ſecundum præcep- ,, tum, quod eſt: *Non aſſumes nomen Do-* ,, *mini tui in vanum*. Famulatus autem ,, debetur Domino in recompenſationem ,, beneficiorum, quæ ab ipſo percipiunt ,, ſubditi. Et ad hoc pertinet tertium præ- ,, ceptum de ſanctificatione Sabbati in me- ,, moriam creationis rerum. Ad proximos ,, autem aliquis benè ſe habet & ſpeciali- ,, ter, & generaliter. Specialiter quidèm ,, quantum ad illos, quorum eſt debitor, ,, ut eis debitum reddat, & quantum ad ,, hoc accipitur præceptum de honoratione ,, parentum. Generaliter autem quantum ,, ad omnes, ut nulli nocumentum infera- ,, tur, neque opere, neque ore, neque ,, corde; opere quidèm infertur nocumen- ,, tum proximo, quandoque quidèm in ,, propriam perſonam, quantum ad conſi- ,, ſtentiam perſonę, & hoc prohibetur per ,, hoc, quod dicitur: *Non occides*. Quan- ,, doque in perſonam conjunctam, quan- ,, tum ad propagationem prolis, & hoc ,, prohibetur cùm dicitur: *Non męchabe-* ,, *ris*. Quandoque in rem poſſeſſam, quæ ,, ordinatur ad utrunque, & quantum ad ,, hoc dicitur: *Non furtum facies*. No- ,, cumentum autem oris prohibetur, cùm ,, dicitur: *Non loqueris falſum teſtimonium.* ,, Nocumentum autem cordis prohibetur, ,, cùm dicitur: *Non concupiſces*. Et ſecun- ,, dùm hanc etiam differentiam poſſunt di- ,, ſtingui tria præcepta ordinantia ad Deum, ,, quorum primum pertinet ad opus: unde ,, ibi dicitur: *Non facies opus ſcuptile*. Se- ,, cundum ad os: unde dicitur: *Non aſſu-* ,, *mes nomen Dei tui in vanum*. Tertium ,, pertinet ad cor, quia in ſanctificatione ,, Sabbati, ſecundùm quod eſt morale præ- ,, ceptum, præcipitur quies cordis in Deum ,, vel ſecundùm Auguſt. per primum præ- ,, ceptum reveretur unitatem primi princi- ,, pii, per ſecundum veritatem divinam, ,, per tertium ejus bonitatem, qua ſancti- ,, ficamur, & in qua quieſcimus ſicut in fi- ,, ne. Nec eſt quòd aliquis ordinationem præjactam deficientem judicet, eò quia præcepta non recenſeantur ordinantia hominem ad ſe ipſum. Nam ut benè reponit S. Doctor. ,, Quia pręcepta Decalogi re- ,, feruntur ad præcepta dilectionis; fuit au- ,, tem datum pręceptum homini de dile- ,, ctione Dei & proximi, quia quantum ad ,, hoc, lex naturalis obſcurata erat prop- ,, ter peccatum, non autem quantum ad ,, dilectionem ſui ipſius: quia quantum ad ,, hoc, lex naturalis vigebat: vel quia etiam ,, dilectio ſui ipſius includitur in dilectio- ,, ne Dei & proximi. In hoc enim homo ,, verè ſe diligit, quod ſe ordinat in Deum: ,, & ideò in præceptis Decalogi ponuntur ,, ſolum præcepta pertinentia ad proximum ,, & ad Deum.

Solut. ad 1.

178 Præcepta moralia vigere adhuc in lege Evangelica demonſtratum eſt: ea inſuper novam perfectionis lucem induiſſe, novo ſuperveniente Evangelico lumine, ſivè Chriſto Domino omnem hominem venientem in hunc mundum illuminante; oſtendere progredimur. Imprimis: quia novam accipit perfectionem lex, dùm & falſum ejus intellectum removet: Et cùm ſecuriùs obſervanda datur; ſed Chriſtus Dominus hoc præſtitit, dum legem impleviſſe dicitur quantum ad præcepta moralia: Novam ergo perfectionem legi ſuperaddidit. Propoſitionem minorem pro prima parte, illis verbis tradidit D. Thomas: ſuâ, (inquit,) doctrinâ adimplevit Chriſtus præcepta legis tripliciter. ,, Primò quidem, verum intel- ,, lectum legis exprimendo, ſicut patet in ,, homicidio & adulterio, in quorum prohi- ,, bitione Scribæ & Phariſæi non intelligebant ,, niſi exteriorem actum prohibitum: unde ,, Dominus legem adimplevit, oſtendendo ,, etiam interiores actûs peccatorum cade- ,, re ſub prohibitione. Id ipſum expreſ- ,, ſiùs alibi oſtendit inquiens: Quòd Do- ,, minus circa illa legis præcepta adimple- ,, tionem appoſuit, in quibus Scribæ & ,, Phariſæi non rectum intellectum habe- ,, bant, & hoc contingebat præcipuè circa ,, tria præcepta Decalogi. Nam circa pro- ,, hibitionem adulterii & homicidii æſtima- ,, bant, ſolum exteriorem actum prohiberi, ,, non autem interiorem appetitum, quod ,, magis credebant circa homicidium & adul- ,, terium, quàm circa furtum vel falſum ,, teſtimonium, quia motus iræ in homi- ,, cidium tendens, & concupiſcentię motus ,, tendens in adulterum, videntur aliquali- ,, ter nobis à natura ineſſe, non autem ,, appetitus jurandi, vel falſum teſtimo- ,, nium dicendi. Circa perjurium verò ha- ,, bebant falſum intellectum credentes, per- ,, jurium quidem eſſe peccatum; juramen- ,, tum autem per ſe eſſe appetendum & ,, frequentandum; quia videtur ad Dei re- ,, verentiam pertinere: & ideò Dominus ,, oſtendit, juramentum non eſſe appeten- ,, dum tanquam bonum, ſed melius eſſe ,, abſque juramento loqui, niſi neceſsi- ,, tas cogat.

Quomodo antiqua præcepta novam accipiunt perfectionem.
D. Thomas 1. 2. q. 107. a. 2. in corp.
Quæſt. 108. a. 3. ad 1.
Antiqui Judæi correcti in intelligentia legis.

179 Præjactæ Angelici Doctoris doctrinę ſumma paucis verbis à Chriſto Domino dilucidè tradita fuit: *Audiſtis* (ajebat) *quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Quæ vox*, inquit Auguſt. *non eſt accipienda ut jubentis juſto, ſed permittentis infirmo.* ,, Sive ,, ut Gloſſa habet: ſed ſciendum eſt, in to- ,, to corpore legis non eſſe ſcriptum, odio ,, habebis inimicum tuum; ſed hoc dicitur

Matthæi 5. v. 43.

S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. in monte. cap. 21. vel 41. apud D. Thom. in Catena.

,, quantum ad traditionem ſcribarum, qui-
,, bus viſum eſt hoc addendum; quia Do-
,, minus præcepit filiis Iſraël perſequi ini-
,, micos ſuos. (Levit. 26.) Et delere Ama-
lec de ſub Cœlo (Exodi 17.) Id ipſum
circa uſuræ acceptionem adnotat D. Tho-
mas verbis illis: ,, Accipere uſuras ab alie-
nis non erat ſecundùm intentionem legis,
,, ſed ex quadam permiſsione propter pro-
,, nitatem Judęorum ad avaritiam & ut
,, magis pacificè ſe haberent ad extraneos,
,, à quibus lucrabantur. Similia tradit cir-
ca repudium Judæis permiſſum; alia-
que ad juſtitiam ſpectantia & bona tem-
poralia repromiſſa. Hæc omnia perſpi-
cuè oſtendit Doctor Angelicus ex Sacra
Scriptura: Quantum enim ad primum &
ſecundum attinet: ,, Dicendum (inquit)
,, quòd circa judicialia præcepta, duplici-
,, ter Scribæ & Phariſæi errabant. Primò
,, quidem, quia quędam, quę in lege
,, Moyſi erant tradita tanquam permiſsio-
,, nes, ęſtimabant eſſe per ſe juſta, ſcilicet
,, repudium uxoris, & uſuras accipere ab
,, extraneis: & ideò Dominus prohibuit
,, uxoris repudium, Matthęi 5. Et uſura-
,, rum acceptionem, Lucæ 6. dicens: *Da-
te mutuum, nihil inde ſperantes.*

Gloſſa apud D. Thom. ibidem.

1. 2. q. 105. a. 3. ad 3.

1. 2. q. 107. a. 3. ad 2.

180 Ad tertium verò quod ſpectat, ſub-
jungit immediatè D. Thomas: ,, Alio mo-
,, do errabant credentes quædam, quę lex
,, vetus inſtituerat facienda propter juſti-
,, tiam, eſſe exequenda ex appetitu vindi-
,, ctæ, vel ex cupiditate temporalium re-
,, rum vel ex odio inimicorum, & hoc in
,, tribus præceptis. Appetitum enim vin-
,, dictæ credebant eſſe licitum propter præ-
,, ceptum datum de pœna talionis, quod
,, quidèm fuit datum, ut juſtitia ſervare-
,, tur, non ut homo vindictam quęreret:
,, & ideò Dominus ad hoc removendum
,, docet, animum hominis ſic debere eſſe
,, præparatum, ut ſi neceſsè ſit, etiam pa-
,, ratus ſit talia ſuſtinere. Motum autem
,, cupiditatis æſtimabant eſſe licitum prop-
,, ter præcepta judicialia, in quibus man-
,, dabatur reſtitutio rei ablatę fieri etiam
,, cum aliqua additione, ut ſupra dictum
,, eſt, & hoc quidem lex mandavit prop-
,, ter juſtitiam obſervandam, non ut da-
,, ret cupiditati locum, & ideò Dominus
,, docet, ut ex cupiditate noſtra non re-
,, petamus: ſed ſimus parati, ſi neceſſe
,, fuerit, etiam ampliora dare; motum ve-
,, rò odii credebant eſſe licitum propter
,, pręcepta legis data de hoſtium interfe-
,, ctione, quod quidem lex ſtatuit prop-
,, ter juſtitiam implendam, ut ſupra di-
,, ctum eſt, non propter odia exſaturanda,
,, & ideò Dominus docet, ut ad inimicos
,, dilectionem habeamus, & parati ſimus,
,, ſi neceſſe fuerit, etiam benefacere; hæc
,, enim præcepta ſecundùm præparationem
,, animi ſunt accipienda, ut Auguſt. exponit.

In eadem ſolut. ad 2.

181 Tandèm circa bona temporalia re-
promiſſa ſic habet: ,, Dicendum quòd res
,, mundanæ ad tria reducuntur, ſcilicet
,, ad honores, divitias & delicias, ſecun-
,, dùm illud 1. Joan. 2. *Omne quod eſt in*
,, *mundo, concupiſcentia carnis eſt*, quod
,, pertinet ad delicias carnis: *& concupiſcentia*
,, *oculorũ*, quod pertinet ad divitias, *& ſuper-*
,, *bia vitæ*, quod pertinet ad ambitum gloriæ
,, & honoris. Superfluas carnis delicias lex
,, non promiſit, ſed magis prohibuit, repromi-
,, ſit autem celſitudinem honoris & abun-
,, dantiam divitiarum. Dicitur enim Deu-
,, ter. 28. *Si audieris vocem Domini Dei*
,, *tui, faciet te excelſiorem cunctis gentibus*,
,, quantum ad primum, & poſt pauca ſub-
,, dit: *Abundare faciet te omnibus bonis*,
,, quantum ad ſecundum: Quæ quidem pro-
,, miſſa ſic pravè intelligebant Judæi, ut
,, propterea eſſet Deo ſerviendum, ſicut
,, propter finem, & ideò Dominus hoc re-
,, movit oſtendens primò, quòd opera vir-
,, tutum non ſunt facienda propter huma-
,, nam gloriam, & ponit tria opera ad quæ
,, omnia alia reducuntur. Nàm omnia quæ
,, aliquis facit ad refręnandum ſeipſum in
,, ſuis concupiſcentiis, reducuntur ad je-
,, junium, quæcunque verò fiunt propter
,, dilectionem proximi, reducuntur ad eleë-
,, moſynam: quæcunque verò propter cul-
,, tum Dei fiunt, reducuntur ad orationem.
,, Ponit autem hęc tria ſpecialiter quaſi
,, præcipua, & per quę homines maximè
,, ſolent gloriam venari. Secundò docuit
,, quòd non debemus finem conſtituere in
,, divitiis, cum dicit: *Nolite theſaurizare*
,, *vobis theſauros in terra.* Pro ſecunda
parte minoris ſupra aſſumptæ ſatis ſit au-
dire D. Ang. in corpore articuli ſecundi
antea laudati, ubi præter additionem con-
ſiliorum, de quo jam ſupra diximus, ita
loquitur: ,, Secundò adimplevit Dominus
,, pręcepta legis, ordinãdo quomodò tutiùs ob-
,, ſervaretur quod lex vetus ſtatuerat: Sicut
,, lex vetus ſtatuerat, ut homo non pejeraret,
,, & hoc tutiùs obſervatur, ſi omninò à jura-
,, mento abſtineat, niſi in cauſa neceſsitatis.

1. 2. q. 108. a. 3. ad 4.

1. 2. q. 107. a. 2. in corp.

182 Tandem oſtendenda venit legis
Evangelicæ, ejuſque præcęptorum major
perfectio ex verbis illis Chriſti D. ad Diſ-
cipulos: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra,*
plusquam Scribarum & Phariſæorum, non in-
trabitis in regnum Cœlorum. His namque ver-
bis: *Teſtamentum vetus confirmat, compa-*
rationem ejus faciens ad novum: Plus enim
& minus ejuſdem generis eſt: Verba ſunt
Chryſoſtomi. Et quamvis ad pravum Pha-
riſæorum ſenſum verba iſta directa ſint etiam
juxta expoſitionem Gloſſę: Nihilominus ſa-
tis principaliter juſtitiam Scribarum & Pha-
riſæorum vocat Chriſtus D. quatenus illi
exteriores operationes nimio quandoque
cultu ponendas dicebant; parùm de inte-
rioribus affectibus curantes, juxta exproba-
tionem illam D. *Populus hìc labiis me ho-*
norat, cor autem eorum longè eſt à me. Id
eſt (exponit Gloſſa, vel potius Anſelmus)
Commendando exteriorem munditiam, eum
honorabant: ſed dùm interiori (quæ vera
eſt) carebant, cor eorum longè erat à Deo,
&

Ulteriùs oſtēditur major perfectio legis Evangelicæ.

Matthæi 5. v. 20.

S. Chryſoſt. Homilia 11. operis imperfecti, apud D. Thomam in Catena.

Matthæi 15. v. 8. S. Anſelmus in Catena Aurea.

& illis talis honor inutilis erat. Per op-
poſitum verò Chriſtus D. etſi exteriorem
cultum non removeat à nova lege: prę̀ci-
puè tamen interiorem requirit, quo ſenſu
intelligi poteſt, quòd mulieri Samaritanæ di-
xit: *Sed venit hora (& nunc eſt) quando*
veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiri-
tu & veritate: Nam & Pater tales quæ-
rit, qui adorent eum.

Joan. 4. v. 23.

183 Hac præſuppoſita doctrina, inſtau-
ratur & oſtenditur Theologicâ ratione pro-
poſitum aſſumptum: quia cum lex vetus
plurima circa exteriores actûs præcepta ſta-
tuiſſet, pauciora tradidit circa interiorem
rectitudinem; ſed lex nova, etſi aliqua aſsignet
præcepta circa exteriores actûs ordinandos:
præcipuè tamen in ordinando interiores
actûs abundantiùs occupatur: perfectiora
igitur præcepta vigent in lege Evangelica.
Propoſitionem minorem, quantum ad pri-
mam partem elucidat D. Thomas, præcep-
ta data oſtendens, quibus in gratiam in-
troducimus, nimirum Sacramenta, numero
inquam pauciora, & virtute efficaciora;
quam in lege veteri, ut alibi cum Augu-
ſtino diximus: Et pręcepta, quibus ad re-
ctum uſum gratiæ homo ordinatur, per
opera nempè charitatis, quę quidem ſecun-
dùm quod ſunt de neceſsitate virtutis, per-
tinent ad præcepta moralia, quæ etiam in
veteri lege tradebantur: ,, Unde quantum
,, hoc, lex nova ſupra veterem addere non
,, debuit circa exteriora agenda. Determi-
,, natio autem prædictorum operum in or-
,, dine ad cultum Dei pertinet ad præcepta
,, cęremonialia legis: in ordine verò ad
,, proximum, ad judicialia, ut ſupra dictum
,, eſt; & ideò quia iſtæ determinationes non
,, ſunt ſecundùm ſe de neceſsitate interio-
,, ris gratiæ, in qua lex conſiſtit, idcirco
,, non cadunt ſub præcepto novæ legis, ſed
,, relinquuntur humano arbitrio: quędam
,, quidèm quantum ad ſubditos, quæ ſcili-
,, cet pertinent ſigillatim ad unumquenque,
,, quædam verò ad prælatos temporales,
,, vel ſpirituales, quæ ſcilicet pertinent ad
,, utilitatem communem. Sic igitur lex
,, nova nulla alia exteriora opera determi-
,, nare debuit præcipiendo vel prohibendo,
,, niſi Sacramenta & moralia præcepta, quæ
,, de ſe pertinent ad rationem virtutis, pu-
,, ta non eſſe occidendum, non eſſe furan-
,, dum & alia hujuſmodi.

Illa in exterioribus: hæc in interioribus præcipuè elucet.

D. Thomas 1. 2. q. 108. a. 2. in corp.

184 Jam verò attendere eſt, quanta per-
fectione interiores ordinaverit actûs lex
Evangelica, cujus ſummam Divinus ille
ſermo, quem Chriſtus D. in monte habuit,
continet. *Conſiderandum eſt* (ajebat Augu-
ſtinus) *quia, cum dixit: Qui audit verba*
mea hæc, ſatis ſignificat ſermonem iſtum
Domini omnibus præceptis, quibus Chriſtia-
na vita formatur, eſſe perfectum. Inde ſub-
jungit D. Thomas. ,, Reſpondeo dicendum,
,, quòd ſicut ex inducta auctoritate Augu-
,, ſtini apparet: *Sermo, quem Dominus in*
,, *monte propoſuit, totam informationem*
,, *chriſtianæ vitę continet, in quo perfectè*
,, *interiores motûs hominis ordinantur.* Eam
ordinationem ita expendit Dr. Angeli-
cus ad verba Chriſti Domini, quæ hìc ſub-
jungenda duximus. Imprimis enim decla-
rat Chriſtus Dominus beatitudinis finem,
,, commendata apoſtolica dignitate, per
,, quos erat Doctrina Evangelica promul-
,, ganda. Primum docuit verbis illis: *Bea-*
ti pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt
regnum Cœlorum. Sic in reliquis beatitu-
dinibus, & concludit poſtea, *gaudete, & exul-*
tate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in
Cœlis. Ubi Auguſtinus: ✻ Non hìc Cœ-
✻ los puto dici ſuperiores partes hujus vi-
✻ ſibilis mundi (non enim merces veſtra
✻ in rebus viſibilibus collocanda eſt) ſed in
✻ Cœlis, dictum puto in ſpiritualibus fir-
✻ mamentis, ubi habitat ſempiterna juſti-
✻ tia: ſentiunt ergo jam iſtam mercedem
✻ qui gaudent ſpiritualibus bonis; ſed ex
✻ omni parte perficietur, cùm mortale hoc
✻ induerit immortalitatem. Dignitatem eo-
rum per quos doctrina Evangelica promul-
ganda erat, commendat illis verbis: *Vos*
eſtis ſal terrę:: Vos eſtis lux mundi. Chry-
ſoſtomus ibi: ✻ Sicut Doctores propter bo-
✻ nam converſationem ſunt *ſal*, quo popu-
✻ lus conditur, ita propter verbum do-
✻ ctrinæ ſunt *lux*, qua ignorantes illumi-
✻ nantur: Priùs autem eſt benè vivere,
✻ quàm benè docere: & ideò poſtquam
✻ Apoſtolos dixerat *ſal*, conſequenter vo-
✻ cat eos lucem, dicens: *Vos eſtis lux*
✻ *mundi.* Vel quia *ſal* in eo ſtatu tenet
✻ rem, nè ad deterius mutetur; *lux* au-
✻ tem ad melius perducit illuſtrando: prop-
✻ ter quod Apoſtoli dicti ſunt priùs *ſal*
✻ propter Judæos, & propter populum
✻ Chriſtianum, à quibus Deus cognoſci-
✻ tur, quos ſervant in Dei ſcientia; *lux*
✻ autem propter gentes, quas ad ſcientiæ
✻ lumen perducunt. Tandem commen-
dationem Evangelicę doctrinæ tradit Chri-
ſtus Dominus illis verbis ſępè in ſuperio-
ribus ſatis expenſis, *nolite putare quoniam*
veni ſolvere legem, aut Prophetas: non
veni ſolvere, ſed adimplere. Deinde ſub-
dit: *Amen quippè dico vobis, donec tran-*
ſeat Cœlum & terra, jota unum, aut
unus apex non præteribit à lege, donec om-
nia fiant. ✻ Auguſtinus: Per hoc autem
✻ quod ait, *jota unum, aut unus apex*
✻ *non tranſibit à lege*, nihil aliud poteſt
✻ intelligi, niſi vehemens expreſsio perfe-
✻ ctionis, quæ per litteras ſingulas demon-
✻ ſtrata eſt, inter quas litteras jota minor
✻ eſt cæteris, quia uno ductu fit; apex
✻ etiam eſt ipſius aliqua in ſummo parti-
✻ cula: Quibus verbis oſtendit, in lege ad
✻ affectum etiam minima quæque perdu-
✻ ci. Rabanus: *Apertè quoque gręcum jo-*
ta, & non Hæbreum Joth poſuit; quia
jota in numero decem ſignificat, & Decalo-
gum legis enumerat, cujus quidem apex & per-
fectio eſt Evangelium. Jam verò ſubjungit
Dr. Angelicus: Ordinat, ſcilicet Chriſtus in
ſermone citato, interiores hominis motûs.

Art. 3. in ſed cont.

In corp. art.

Summa ſermonis Chriſti D. in monte, ad hominem perfectè ordinandum.

Matthæi 5. v. 3.

Verſ. 12. D. Thomas in Catena Aurea.

Verſ. 14. & 15. S. Chryſoſtom. in Catena Aurea.

Verſ. 17. & 18.

S. Auguſtinus in Catena D. Thomæ.

Rabanus ibidem.

D. Thom. 1. 2. q. 108. a. 3. in corp.

185 „Primò quidèm quantum ad ſeip-
„ſum, & deinde quantum ad proximum.
„Quantum autem ad ſeipſum dupliciter
„ſecundùm duos interioris hominis mo-
„tûs circa agenda, qui ſunt voluntas de
„agendis, & intentio de fine: unde pri-
„mò ordinat hominis voluntatem ſecun-
„dùm diverſa legis præcepta, ut ſcilicèt
„abſtineat aliquis non ſolum ab exteriori-
„bus operibus, quæ ſunt ſecundùm ſe ma-
„la, ſed etiam ab interioribus & ab oc-
„caſionibus malorum. Deindè ordinat in-
„tentionem hominis, dicens quòd in bo-
„nis quæ agimus, neque quęramus huma-
„nam gloriam, neque mundanas divitias,
„quod eſt theſaurizare in terra. Primi ge-
neris ordinationem tradidit Chriſtus Domi-
nus cap. illo 5. à v. 20. ubi removet inte-
riores motûs pravos & occaſiones malorum,
ex ſiniſtra Moſaicæ legis intelligentia ger-
minantes; quemadmodum de odio inimi-
corum vitando diximus cum D. Thoma,
V. 44. & habetur hìc v. 44. *Ego autem dico vo-
bis diligite inimicos veſtros*; & de jura-
V. 37. mento non frequentando, v. 37. *Sit au-
tem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non.* De
internis concupiſcentiæ motibus ſermo eſt
v. 28. De ſcandalo vitando & removendis
periculis & occaſionibus peccandi v. 29. &
30. Prohibet etiam Chriſtus Dominus ibi-
dèm iracundiæ interiores motus, vel eos
V. 22. etiam, qui in aperto evadunt: *Ego au-
tem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur
fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem
dixerit fratri ſuo, raca: reus erit conſilio.
Qui autem dixerit fatue: reus erit gehen-
næ, ignis.* * Loquitur hìc Chriſtus Domi-
S. Chryſoſtomus in Catena Aurea. * nus (verba ſunt Chryſoſtomi in opere
* imperfecto homil. 11.) Non de iracun-
* dia carnis, ſed iracundiâ animæ: caro
* enim non poteſt obedire, ut non con-
* turbetur: Quando ergo homo iraſcitur,
* & non vult facere, quod ira compellit,
* caro ejus irata eſt, animus autem ejus
* non eſt iratus. Ly *raca* probabilius eſt
* (inquit Auguſtinus) non eſſe vocem ſig-
* nificantem aliquid, prout ab Hebræo
* quodam ſe audiviſſe tradit, ſed indig-
* nantis animi motum exprimentem. Has
* autem voces grammatici interjectiones
* vocant, velut cum dicitur à dolente hèu.
In tertio vocabulo nempè *fatue* exprimitur
per vituperationem ira, notat Auguſtinus,
S. Auguſtinus in Catena Aurea. benè ſubjungens: * Gradus itaque ſunt in
* iſtis peccatis: Primò ut unuſquiſque iraſ-
* catur, & motum retineat corde concep-
* tum. Jam ſi extorſerit vocem ipſa com-
* motio non ſignificantem aliquid, ſed
* animi motum ipſa eruptione teſtantem,
* plus eſt, quàm ſi ira ſurgens ſilentio
* premeretur, ſed adhuc plus eſt ſi etiam
* verbum proferatur, quòd jam certam
* vituperationem deſignat. Subjungit etiam:
* Vide etiam nunc tres reatûs: judicii,
* conſilii & gehennæ ignis; in quibus
* quoſdam gradûs factos admonet à levio-
* ribus ad graviora: Nam in judicio ad,
* huc defenſioni locus datur: Ad conſilium
* autem pertinere videtur ſententiæ pro-
* latio, quando inter ſe judices confe-
* runt, quo ſupplicio damnari oporteat;
* In gehenna verò ignis, certa eſt & dam-
* natio & pœna damnati. Unde patet
* quantum interſit inter juſtitiam Phari-
* ſæorum & Chriſti: ibi enim occiſio, reum
* facit judicio; hìc autem ira facit reum
* judicio; quod horum trium eſt leviſ-
* ſimum.

186 Rectam intentionem in operibus
habendam monet Chriſtus D. toto capite
6. Juſtitiam enim noſtram, id eſt bona
opera, quorum tria genera ponit (quæ
fortiora bona dicit Chryſoſtomus) Eleëmo-
ſynam, orationem, Jejunium, non eſſe fa-
cienda præcipit propter inanem gloriam
captandam: *Coràm hominibus ut videa-* *Matthæi c. 6. v. 1.*
mini ab eis. Non dicit ſolum *coràm homi-
nibus*, ſed ſubdit *ut videamini ab eis:
Quia ſunt quidam, qui ſic faciunt juſti-
tiam coràm hominibus, ut non videantur
ab eis, ſed ut ipſa opera videantur & glo-
rificetur pater, qui in Cœlis eſt*, (habet
Auguſtinus) ſive ut loquitur Gregorius: *SS. P.P. adducti in Catena Aurea.*
*Qui ergo non ideò facit, ut ab hominibus
videatur; etſi coràm hominibus fecerit, non
tamen coràm hominibus feciſſe videtur: Qui
enim aliquid facit propter Deum, nemi-
nem videt in corde ſuo, niſi Deum prop-
ter quem facit. In hoc verò quòd dicit* Recta intentio à Chriſto D. prȩſcripta.
(iterum Auguſtinus) *ut videamini ab eis
nihil addens apparet hoc eum probibuiſſe,
ut ibi finem noſtri propoſiti collocemus.*
Hunc pravum finem declinare docet Chri-
ſtus D. quia aliàs præmium in Cœlis non
correſpondebit. *Nam quid à Deo recipies*
(ajebat ad propoſitum Chryſoſtomus) *qui
Deo nihil dediſti? Nam quod propter Deum
fit, Deo datur, & ab eo recipitur; quod
autem propter homines fit, in ventos effun-
ditur.* Similia monet Chriſtus D. circa je-
junium, & orationem, quibus methodum di-
vinitùs tradit per totum caput, commen-
dans maximè rectam in operibus bonis
intentionem, tanquam lucernam, unde lu-
cem opera derivant. Removet etiam Do-
minus appetitum ad terrenorum affluen-
tiam (unde non parum detrimenti accipe-
re poteſt homo, à v. 24.) ſed ut pro cæle-
ſti mercede præcepta Dei faciamus (habet
Gloſſa) non pro terrenis, quæ lex promit-
tebat. Omnia autem terrena ad duo potiſ-
ſima reducuntur, ſcilicet ad humanam glo-
riam & ad terrenorum affluentiam. *Sed
ſciendum* (inquit Chryſoſtomus) *quòd appe-
titus gloriæ propinquus eſt virtuti. Ubi
enim res agitur glorioſa, ibi facilius inve-
nit locum gloriationis occaſio: Et ideò in-
tentionem gloriæ primo Dominus excludit:
Præ omnibus enim vitiis carnalibus pericu-
loſius hoc eſſe in hominibus intellexit: cum
enim omnia mala ſervos diaboli vexent;
concupiſcentia vanę gloriæ magis vexat ſer-
vos Dei, quàm ſervos diaboli.* Addit Au-
guſtinus: *Quas enim vires nocendi habeat
bu-*

*humanę glorię amor, non ſentit, niſi qui
ei bellum indixerit; quia etſi cuiquam fa-
cile eſt laudem non cupere dùm negatur,
difficile tamen eſt ea non delectari cum
offertur.*

187 „Conſequenter (pergit D. Tho-
„mas in illo corp. articuli) autem ordinat
„interiorem hominis motum, quoad pro-
D. Thom. in corp. artic. citati. „ximum, ut ſcilicet eum non temerariè,
„aut injuſtè judicemus aut præſumptuosè,
„neque tamen ſic ſimus apud proximum
„remiſsi, ut eis ſacra committamus, ſi
Matthęi cap. 7. v. 6. „ſint indigni. Juxta illud: *Nolite dare
ſanctum canibus, neque mittatis margaritas
veſtras ante porcos: nè forte conculcet eas
pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos.*
* Juſſerat ſuperiùs (verba ſunt Chryſoſto-
S. Chryſoſtomus in Catena Aurea. Alii etiam PP. adducendi. * mi) diligere inimicos & benefacere his,
* qui peccant in nos: Ne ergo cogitarent
* Sacerdotes, etiam quæ Dei ſunt eis com-
* municare, talem cogitationem compeſ-
* cuit, dicens: *Nolite ſanctum dare cani-
* bus*: Ac ſi diceret mandavi vobis dili-
* gere inimicos, & benefacere eis de ve-
Homo rectè ordinatus ad Proximum. * ſtris corporalibus bonis, non tamen de
* meis corporalibus paſsìm, quoniam in na-
* tura vobiſcum communes ſunt, non in
* fide; & Deus carnalia beneficia dignis &
* indignis ſimiliter præſtat; non autem
* gratias ſpirituales. Quales ſint hujuſmo-
* di gratiæ, ſic exponit idem Chryſoſto-
* mus: Sanctum eſt, ſicut Baptiſmus, gra-
* tia corporis Chriſti, & hujuſmodi: My-
* ſteria autem veritatis, margaritæ ſunt;
* quia ſicut margaritæ incluſæ cochleis,
* poſitæ ſunt in profundo maris; ſic My-
* ſteria divina verbis incluſa, poſita ſunt in
* altitudine ſenſus Sacræ Scripturæ. Quæ
* quidèm, his qui bonæ mentis ſunt &
* intellectum habent revelata, honeſta ap-
* parent; his autem qui inſenſibiles ſunt,
* magis videntur reverenda, cum igno-
* rantur. Subjungit autem Auguſtinus: Ca-
* nes autem pro impugnatoribus veritatis,
* porcos pro contemptoribus poſitos, non
* incongruè accipimus. Quapropter quia
* canes exiliunt ad dilacerandum, quòd
* autem dilacerant, integrum eſſe non ſi-
* nunt, dixit, *Nolite Sanctum dare cani-
* bus*; quia quantum in ipſis eſt, ſi fieri
* poſſet, conantur perimere veritatem. Por-
* ci autem quamvis non ita ut canes mor-
* ſu appetant, paſsìm tamen calcando in-
* quinant: Et ideò dicit: *Neque mittatis
* margaritas veſtras ante porcos.*

188 Quantum verò attinet ad proxi-
mos, prȩcipuè removet Chriſtus Dominus
injuſtum & temerarium judicium, inquiens:
A verſ. 1. *Nolite judicare, & non judicabimini, &c.*
Ad hunc ſenſum: * Quia Dominus hoc
* mandato non prohibet Chriſtianos ex be-
* nevolentia alios corripere, ſed ne per
* jactantiam juſtitiæ ſuæ, Chriſtiani Chri-
* ſtianos deſpiciant, ex ſolis plerumque
* ſuſpicionibus, odientes cæteros & con-
* demnantes, & ſub ſpecie pietatis pro-
* prium odium exequentes.* Sic Chryſoſto-
mus. Auguſtinus autèm ita èxponit: * Vel
* aliter: hoc loco nihil aliud præcipi exi-
* ſtimo, niſi ut ea facta quæ dubium eſt,
* quo animo fiant, in meliorem partem
* interpretemur. Deus autem, quæ non *S. Auguſt. ibidèm in Catenâ Aurea.*
* poſſunt bono animo fieri (ſicut ſunt ſtu-
* pra, blaſphemię & hujuſmodi) nobis ju-
* dicare permittit: de factis autem mediis,
* quę poſſunt bono & malo animo fieri,
* temerarium eſt judicare. Maximè ut con-
* demnemus. Duo autem ſunt, in quibus
* temerarium judicium cavere debemus;
* cùm incertum eſt, quo animo quidque
* factum ſit, vel cùm incertum eſt, qua-
* lis quiſque futurus eſt, qui nunc vel
* bonus vel malus apparet. Non ergo re-
* prehendamus ea, quæ nec ſcimus, quo
* animo fiant, neque ita reprehendamus,
* quæ manifeſta ſunt, ut deſperemus ſani-
* tatem. Ad verba autem Chriſti ſubjun-
cta in textu, ſubjungit Auguſtinus: Pri-
* mum ergo cogitemus, cùm aliquem re-
* prehendere nos neceſsitas coegerit, utrum
* tale ſit vitium, quod nunquam habui-
* mus; & tunc cogitemus, & nos homi-
* nes eſſe, habere potuiſſe: vel ſi tale quid
* habuimus & jam non habemus; & tunc
* tangat memoriam communis fragilitas,
* ut illam correctionem, non odium ſed
* miſericordia præcedat: Si autem invene-
* rimus nos in eodem vitio eſſe, non ob-
* jurgemus, ſed congemiſcamus, & ad
* pariter conandum invitemus. Rarò au-
* tem & ex magna neceſsitate objurgatio-
* nes adhibendæ ſunt; in quibus non ut
* nobis, ſed ut Deo ſerviatur inſte-
* mus.

189 Proſequitur deinde Dr. Angelicus: Modus adimplendi Evangelicam legem
„Ultimò autem docet (ſcilicet Chriſtus
„Dominus) modum adimplendi Evangeli-
„cam doctrinam, ſcilicet implorando di-
„vinum auxilium, & conatum apponendo *Artic. 3. ult. ſupra in corp. ad finem.*
„ad ingrediendum per anguſtam portam
„perfectę virtutis, & cautelam adhibendo,
„nè à ſeductoribus corrumpamur, & quòd
„obſervatio mandatorum ejus eſt neceſſa-
„ria ad virtutem; non autem ſufficit ſo-
„la confeſsio fidei, vel miraculorum ope-
„ratio, vel ſolus auditus. Implorationem
„divini auxilii à verſu 7. *Petite, & da-* *Matthæi 7. à v. 7.*
bitur vobis. Commendat Chriſtus Domi-
nus data ſecuritate impetrandi, quæ juſtè
& debitè petuntur, concludens: *Omnia ergo
quæcunque vultis, ut faciant vobis homines* *V. 12.*
*& vos facite illis. Duo autem oportet ad-
eſſe oranti, & petere vehementer, & quæ
oportet petere: hæc autem ſunt ſpiritualia,
etenim Salomon quia petiit quod petere opor-* *3. Regum. 3. v. 5.*
tebat, velociter accepit, ut benè adnotat
Chryſoſtomus. Secundum admonuit Chri-
ſtus Dominus illis verbis: *Intrate per an-* *A v. 13. in cap. 7. Matthæi.*
*guſtam portam: quia lata porta, & ſpa-
cioſa via eſt, quę ducit ad perditionem,
& multi ſunt qui intrant per eam, quàm
anguſta porta, & arcta via eſt, quæ du-
cit ad vitam: & pauci ſunt, qui inve-
niunt eam.* Ubi Chryſoſtomus: * Præci-
puè

S. Chryſoſt. ubi ſupra.

* puè enim tres ſunt naturales paſsiones,
* & intimè,ſive intimiùs adhęreſcentes carni.
* Primò eſca & potus, deinde amor viri
* ad mulierem, tertio loco ſomnus; & ideò
* gravius eſt eas à natura carnali præci-
* dere, quàm cæteras paſsiones. Et ideò
* nullius paſsionis abſtinentia ſic ſanctifi-
* cat corpus, ſicut quòd homo ſit caſtus,
* jejunus & vigiliis perſeverans: Ergo
* propter omnes has juſtitias, & præcipuè
* propter laborioſiſsimum jejunium, dicit:
* *Intrate per anguſtam portam.* Porta per-
* ditionis eſt diabolus per quam introi-
* tur in gehennam: Porta vitæ Chriſtus,
* per quam introitur in regna cæleſtia.
* Lata autem porta dicitur eſſe diabolus,
* non magnitudine poteſtatis extenſus, ſed
* effręnatæ ſuperbię licentia dilatatus. Por-
* ta anguſta dicitur Chriſtus, non parvi-
* tate poteſtatis exiguus, ſed humilitatis
* ratione collectus; quia quem totus non
* capit mundus, ſeipſum intra anguſtias
* uteri virginalis incluſit. Via autem per-
* ditionis eſt omnis iniquitas. Dicitur au-
* tem ſpecioſa, quia non eſt intra regu-
* lam diſciplinæ incluſa, & ambulantes in
* ea quidquid eos delectaverit, hoc ſe-
* quuntur. Via autem vitæ dicitur eſſe
* omnis juſtitia, & propter contrarias
* cauſas eſſe arcta.

190 Fugam à ſeductoribus Chriſtus Dominus intimat: *Attendite à falſis Prophetis. Attendite* dicit: quia firma tutela ſalutis eſt ſcire, quem fugias. Non dixit aſpicite, ſed *attendite* (id eſt cautè conſiderate) quia falſi illi Prophetæ non in aperto ſeducunt, ſed ad nos veniunt in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces; quæ autem nota ſunt & certa, potius aſpicimus, quàm attendimus; ut bene advertit Chryſoſtomus. Falſi autem Prophetæ & hæretici ſunt & etiam hypochritæ ſeductores, juxta diverſas Sanctorum Patrum expoſitiones in Catena Aurea. Modus autem eos cognoſcendi ex fructibus eorum ſive operibus deſumendus eſt; an ſcilicet opera carnis, an fructus referant ſpiritûs, de quo plura alibi diximus cum Apoſtolo ad Galat.5. *A fructibus* (inquit Chriſtus D.) *cognoſcetis eos*, ſtatim ſubjungens: *Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Ubi Chryſoſtomus aptiſsimè ſubjungit:

V. 15.

Seductores fugiendi.

V. 16.

S. Chryſoſt. ibidèm.

* Uva in ſe
* Myſterium Chriſti habet: Sicut enim
* botrus multa in ſe grana ligno median-
* te ſuſpendit, ſic & Chriſtus multos ſibi
* fideles per Lignum Crucis tenet adjun-
* ctos. Ficus autem eſt Eccleſia, quæ mul-
* tos fideles tenet dulci quodam charita-
* tis amplexu, ſicut ficus multa uno teg-
* mine tenet incluſa. Sunt ergo in ficu
* ſigna hæc: charitatis quidem in dulcedi-
* ne; unitatis autem in conjunctione gra-
* norum: In uva autem patientiæ ſignum
* eſt, quia in torcular mittitur; gaudii
* autem, quia *vinum lætificat cor homi-*
* *nis* (Pſ. 103.) ſinceritatis, quia non eſt
* aquâ permixtum; ſuavitatis autem in
* delectatione. Spina autem & tribulus ex
* quacunque parte habet aculeos; ſic &
* ſervos diaboli, ſi ex quacunque partę
* conſideraverimus, iniquitatibus pleni ſunt.
* Non poſſunt ergo hujuſmodi ſpinæ & tri-
* buli Eccleſiaſticos fructûs proferre. Quòd
* autem particulariter ſub ſimilitudine fi-
* cûs & vitis, ſpinæ & tribuli dixerat,
* oſtendit conſequenter univerſaliter eſſe
* verum, cùm dicit: *Sic omnis arbor bo-*
* *na fructûs bonos facit, mala autem ar-*
* *bor fructûs malos facit.* Tandem non

ſolam fidei confeſsionem ſufficere nec miraculorum operationem, graviter & multis oſtendit Chriſtus Dominus à verſu 21. uſque ad finem cap. 7. de quo cum plurima à nobis dicta ſint; ſatis erit audire Hieronymum verba Chriſti ſic exponentem:

S. Hieronymus in Catena Aurea.

* Sicut ſupra dixerat eos qui habent ve-
* ſtem bonæ vitæ, non recipiendos prop-
* ter dogmatum nequitiam, ita nunc è
* contrario aſſerit, ne his quidem accom-
* modandam fidem qui cum polleant inte-
* gritate doctrinę, malis operibus eam
* deſtruunt: Utrunque enim Dei ſervis
* neceſſarium eſt; ut & opus ſermone, &
* ſermo operibus comprobetur; & ideò
* dicit: *Non omnis qui dicit mihi Domi-*
* *ne, &c.*

§. IV.

Perfectio Legis Evangelicæ perfectiora exigit opera.

191 SECUNDO aſſerendum eſt: exceſſum multiplicem Evangelii ſupra legem ſcriptam, perfectiora exigere opera ad ſalutem neceſſaria. Nihil magis magnificant Etherodoxi in lege nova, quàm libertatem in pravum ſenſum detortam, ut vidimus: Nos autem Evangelium, legem perfectam libertatis vocamus, ſed ſi legem iſtam perſpectam habemus, ab illa conſtrictos nos debemus agnoſcere ad bona, perfectioraque opera prę fidelibus antiqui fæderis: ipſa ergo vera libertas Evangelii, antiquâ ſervitute depulſa, neceſsitatem bonorum operum inducens credi debet. Minorem aſſumptam expreſsis illis verbis Beatus tradidit Jacobus: *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis: Hic beatus in facto ſuo erit. Si quis autem putat, ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hęc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Lucidiſsimis hu-

Jacob. 1. à v. 25.

Libertas Evangelii ad mandata libertius ſervanda tendit.

juſ-

D. Thomas ibidèm in Comment.

juſmodi verbis, lucidam expoſitionem ſubjungimus Angelici Doctoris, vel Auctoris illius Commentarii. Sic enim priora verba exponit:
,, (*Qui autem perſpexerit*) id
,, eſt perfectè aſpexerit, non tantum vul-
,, tum exteriorem in eo figendo, ſed etiam
,, interiorem (*in lege perfectæ libertatis*)
,, id eſt, in doctrina Evangelii quæ eſt per-
,, fectę libertatis, quia reſtituit libertatem à
,, culpa, in præſenti per gratiam in Sacra-
,, mentis, à miſeria verò in futuro
,, per gloriam immortalitatis: quando ſci-
,, licet mortale hoc induerit immortalitatem.
,, 1. Corinth. 15. (*Et permanſerit in ea*)
,, id eſt, perfectè manſerit per perſevera-
,, tionem operis, (*Et non auditor oblivio-*
,, *ſus*) audita ſcilicet memorando (*ſed factor*
,, *operis*) id eſt, opere ſcilicet implendo
,, (Hic *beatus in facto ſuo erit*) non in
,, verbo tantum. Pſal. 18. *In cuſtodiendis*
,, *illis retributio multa*: non dicit in au-
,, diendis. Poſteriora verba ſic elucidat:
,, (*Si quis putat*) quamvis non ſit (*Se reli-*
,, *gioſum eſſe*) propter fidem & opera quæ
,, habet. Dicitur autem religioſus, quaſi
,, religatus Deo, qui per peccatum fuerat
,, diviſus: qui ligatus præceptis, religatur
,, conſiliis. Vel religatus poſt diſſolutionem
,, membrorum: ſicut dolium religatur poſt
,, diſſolutionem aſſerum, ut contineat vi-
,, num: & hoc pręceptis, & prohibitioni-
,, bus, & aliis obſervantiis minoribus. Et
,, quia lingua maximè indiget religione,
,, quia ſedet in humido, & ideò labilis,
,, ideo ſubditur (*Non refręnans linguam*
,, *ſuam*) fręno diſcretæ taciturnitatis, ſe-
,, cundùm id Eccleſiaſtici 28. *Verbis tuis*
,, *facito ſtateram, & fręnos ori tuo rectos.*
,, (*Sed ſeducens cor ſuum*) ſeorſum ducens
,, extra veritatem, Gloſſa, non intelligens
,, ſe puniendum pro peccato linguæ. (*Hu-*
,, *jus vana eſt religio*) inutilis & non ve-
,, ra, quia non eſt benè religatus ſoluto
,, vinculo linguæ,quę cùm ſit indomita religa-
,, ri eger. Vel ſic ſeducens cor ſuum ſeor-
,, ſum à lingua ducens, ut ſcilicet cor &
,, lingua non communicant, ſicut eſt in
,, mendacio. Eccleſiaſt. 3. *Cor ingrediens*
,, *duas vias non habebit ſuccesûs*, cor men-
,, tientis ingreditur duas vias, quia viam
,, veritatis in cognoſcendo, falſitatis in lo-
,, quendo. Sed è contrario (*Religio mun-*
,, *da*) Gloſſ. in cordis intentione (*& im-*
,, *maculata*) Gloſſa, in operis executione.
,, Vel munda interiùs à ſeipſo: immacula-
,, ta exteriùs ab aliis (*apud Deum*) ſcilicet
,, filium, qui eſt Deus per naturam (*&*
,, *Patrem*) ſcilicet Deum, qui eſt Pater no-
,, ſter per adoptionis gratiam (*hæc eſt vi-*
,, *ſitare pupillos*) corporaliter conſolatione
,, verborum & erogatione munerum, &
,, protectione malorum. Unde per hęc in-
,, telligit omnia opera miſericordię, quæ
,, impendimus proximo (*pupillos,*) id eſt,
,, ſine patre (*& viduas*) ſine marito, non
,, divites (*in tribulatione eorum*) vel cor-
,, porali, vel ſpirituali: non in proſperi-
,, tate, ſicut multi faciunt, qui ſunt ſo-
,, cii menſæ, Eccleſiaſt. 5. (*Et immacula-*
,, *tum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*) maculato
,, ſcilicet, unde Gloſſa, qui mundum dili-
,, git, immaculatum ſe non cuſtodit: un-
,, de ſolent dici verſus, mundus non mun-
,, dus, quia mundus polluit: ergo qui
,, manet in mundo, quomodò mundus
,, erit? Et in Canonica Judę, odientes
,, eam, quæ carnalis eſt, maculatam tu-
,, nicam, hoc eſt, perfecta religio eſt, in
,, medio macularum immaculatam ſe cu-
,, ſtodire.

192 Secundò oſtenditur data aſſertio, imò & argumenti præcedentis aſſumptum: in libertatem vocati ſumus per Chriſtum, pronuntiavit Apoſtolus; ſed hæc libertas non in occaſionem carnis data eſt, ut alibi ſtatuimus, ſed ad mandata ſervanda legemque omnem implendam: ergo ipſa Evangelii vera libertas ad præcepta ſervanda maximè inducit. Propoſitio minor, pręlucente Apoſtolo, ſic methodicè oſtenditur: quia ad charitatem ſervandam ex libertate quam Apoſtolus pręmittit, inducit fideles: *Per charitatem ſpiritus ſervite invicèm*; ſed qui charitatem, tùm ad Deum, tùm ad proximos habet, totam legem adimplet: *Omnis enim lex in uno ſermone impletur, diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Sive ut alibi loquitur: *Qui diligit proximum, legem implevit :: plenitudo legis eſt dilectio*: igitur Apoſtolus ex ipſa libertate legis Evangelicæ neceſsitatem derivat, præcepta omnia ſervandi. Diximus ex dilectione Dei & proximi; quamvis Apoſtolus de ſola dilectione proximi verba hìc faciat; quia ut alibi nos docuit Auguſtinus, vera per charitatem proximi dilectio ſine dilectione Dei non invenitur; quapropter Matthæus in duobus mandatis dilectionis, ſcilicet Dei & proximi totam legem pendere affirmat, & Prophetas. Hinc Divus Thomas de univerſis pręceptis, ſic eleganter theologizat:

Ad Galat. 5. v. 13.

D. Thomas lectione 3. in cap. 5. ad Galatas.

,, Reſpon-
,, deo dicendum, quòd in delectione Dei
,, includitur dilectio proximi 1. Joann. 4.
,, *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui*
,, *diligit Deum, diligat, & fratrem ſuum*:
,, & è converſo proximum diligimus prop-
,, ter Deum: impletur ergo tota lex in
,, uno præcepto charitatis: præcepta enim
,, legis reducuntur ad illud præceptum:
,, nam omnia pręcepta, vel ſunt moralia,
,, vel ſunt cæremonialia, vel judicialia: mo-
,, ralia quidèm ſunt præcepta Decalogi;
,, quorum tria pertinent ad dilectionem
,, Dei; alia ſeptem ad dilectionem proxi-
,, mi: Judicialia autem ſunt ut quicunque
,, furatur aliquid, reddat quadruplum, &
,, his ſimilia; quæ ſimiliter ad dilectionem
,, proximi pertinent: cæremonialia verò
,, ſunt ſacrificia, & hujuſmodi, quę redu-
,, cuntur ad dilectionem Dei. Et ſic pa-
,, tet quòd omnia in uno præcepto chari-
,, tatis implentur, *Diliges proximum tuum,*
,, *ſicut te ipſum.*

In dilectione Dei & proximi tota continetur & adimpletur lex.

Sed

193 Sed quid prohibet Paulum audire deducentem præcepta Decalogi ex dilectione proximi. Poſtquam enim verba ſupra adducta ſcripſit; *Qui diligit proximum, &c.* inductivè diſcurrens concludit, ut ſupra: *plenitudo legis eſt dilectio*, Inductio Apoſtoli ea eſt: *Nam non adulterabis: non occides, non furaberis: non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Nec eſt quòd aliquis opponat, quòd etiam de dilectione Dei verum ſit, imò & principaliter derivari mandatorum obſervantiam: quia ut alibi diximus cum Angelico Doctore & in pręſenti loco repetit: dilectio illa proximi, quæ legem implet, ad charitatem pertinet, ſeu dilectionem Dei, adeò ut dilectio Dei ſit cauſa dilectionis proximi, & dilectio proximi effectus dilectionis Dei, qua ratione mutuò ſe includunt. Et inde eſt (verba ſunt Divi Thomæ) quòd in Sacra Scriptura: ,,Quandoque fit mentio ſolum de dilectione Dei, quaſi ſufficiat ad ſalutem, ſecundùm illud Deuteronomii 10. *Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum & ambules in viis ejus & diligas eum?* Quandoque autem fit mentio ſolum de dilectione proximi: Joannis 15. *Hæc vobis mando ut diligatis invicèm.*

Rom.13.v.9.

Div.Thom.lect. 2. in cap. 13. ad Romanos.

194 Circa inductionem Apoſtoli, ſic loquitur D. Thomas: ,,More inducentium (id eſt, juxta morem eorum, qui per inductionem aliquid probant) enumerat quædam præcepta, quæ dilectionem proximi implent: Et quia præcepta tria primæ tabulæ immediatiùs ordinantur ad dilectionem Dei, non facit mentionem hìc de eis: quamvis & ipſa impleantur in dilectione proximi, prout dilectio Dei includitur in dilectione proximi: Enumerat autem mandata ſecundæ tabulæ; prætermittit tamen præceptum affirmativum tantùm, quod eſt de honore parentum; in quo etiam intelligitur, ut omnibus reddamus, quæ debemus: Enumerat autem præcepta negativa, per quæ aliquis prohibetur malum proximis inferre: & hoc duplici ratione. Primò quidèm: quia præcepta negativa ſunt magis univerſalia, & quantum ad tempora, & quantum ad perſonas. Quantum ad tempora quidèm, quia præcepta negativa obligant ſemper & ad ſemper: Nullo enim tempore eſt furandum & adulterandum: Præcepta autem affirmativa obligant quidèm ſemper, ſed non ad ſemper, ſed pro loco & tempore; non enim tenetur homo, ut omni tempore honoret parentes, ſed pro loco & tempore. Quantum ad perſonas autem, quia nulli hominum eſt nocendum: non autem ſufficientes ſumus ut unus homo poſsit omnibus hominibus ſervire. Secundò quia magis manifeſtum eſt, quòd per dilectionem proximi impleantur præcepta negativa, quàm affirmativa: Qui enim diligit aliquem, magis abſtinet à nocumento illius, quàm ei beneficia impendat; à quo quandoque homo impeditur per potentiam.

195 ,,Tripliciter autem aliquis nocumentum proximo inferre poteſt: uno modo, facto: Alio modo, verbo: Tertiò deſiderio: facto quidèm tripliciter: uno modo, quantum ad perſonam ipſius proximi: Et hoc prohibetur, cum dicitur, *non occides*: in quo etiam intelligitur prohiberi omnis injuria in perſona proximi illata: 1. Joann. 3. *Omnis homicida non habet vitam ęternam in ſe ipſo*: Secundò quantum ad perſonam conjunctam; ſcilicet, uxorem: Et hoc prohibetur, cum dicitur: *Non adulterabis*: In quo etiam intelligitur prohiberi fornicatio, & omnis illicitus uſus genitalium membrorum: Hebræ. ult. *Fornicatores, & adulteros judicabit Deus*: Tertiò quantum ad res exteriores: quod prohibetur; cum dicitur: *Non furaberis*, in quo etiam prohibetur omnis injuſta ſubſtractio rei alienę; ſive per vim ſive per dolum: Zachar. 5. *Omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur.* Nocumentum autem quod quis proximo infert verbo, prohibetur cum dicitur: *Non falſum teſtimonium dices*: Quod non ſolum prohibetur in judicio, ſed etiam extra judicium; ſive per modum detractionis ſive per modum contumeliæ; Proverb. 19. *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet.* Nocumentum autem quod quis infert proximo ſolo deſiderio prohibetur, cum dicitur: *Non concupiſces rem proximi tui*: Ubi etiam intelligitur prohiberi concupiſcentia uxoris: ſupra cap. 7. *Nam concupiſcentiam neſciebam* (ſcilicet eſſe peccatum,) *niſi lex diceret, non concupiſces.* Ponuntur autem hæc mandata Exodi 20. Enumeratis autem pluribus præceptis, colligit omnia alia in communi dicens: *Etſi quod eſt aliud mandatum* (affirmativum vel negativum, vel ad Deum vel ad proximum pertinens per modum ſupra dictum) *inſtauratur*, id eſt perficitur, & impletur) *in hoc verbo, diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quod quidem ponitur Levit. 19. ubi nos habemus: *Diliges amicum tuum ſicut te ipſum*, quòd autem dicit *proximum tuum* referendum eſt ad omnem hominem, & etiam ad Sanctos Angelos ut Auguſtinus probat in 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 30.::

Nocumentum fieri proximo, tripliciter contingit.

196 Quod autem dicit: ,,*Sicut te ipſum*, non eſt referendum ad æqualitatem dilectionis, ut ſcilicet aliquis teneatur diligere proximum æqualiter ſibi, hoc enim eſſet contra ordinem charitatis, quo quilibet plus tenetur, ſuam quàm aliorum ſalutem curare. Cantic. 2. *Ordinavit in me charitatem.* Sed eſt referendum

Qualiter proximum ut nos metipſos diligere habeamus.

dum

,,dum ad ſimilitudinem dilectionis, ut ſcilicet ſimiliter diligamus proximum, ſicut nos metipſos: Et hoc tripliciter: Primò quidèm, quantum ad finem dilectionis, ut ſcilicet nos & proximum diligamus propter Deum: Secundò quantum ad formam dilectionis, ut ſcilicet, ſicut aliquis ſeipſum diligit, quaſi ſibi volens bonum; ita aliquis proximum diligat quaſi ei bona volens: Qui autem diligit proximum, ad hoc ſolum ut ejus utilitate vel dilectione potiatur, non vult bonum proximo, ſed ex proximo vult ſibi bonum. Quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales (puta vinum vel aquam) ut ſcilicet eis utatur. Tertiò quantum ad effectum dilectionis, ut ſcilicet aliquis proximi neceſsitati ſubveniat, ſicut ſibi, & quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, ſicut nec propter ſuum amorem.

197 Propoſitam doctrinam paucis illis verbis dedit Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Hæc autem mutua ſupportatio, tripliciter fit: ,,Uno modo (inquit D. Thomas) deffectum alterius corporalem, ſeu ſpiritualem patienter tolerando: Rom. 15. *Debemus autem nos firmiores infirmorum imbecillitatem ſuſtinere.* Alio modo neceſsitati mutuæ ſubveniendo: Rom. 12. *Neceſsitatibus Sanctorum communicantes.* Tertio modo, pro pœna debita ſatisfaciendo orationibus & bonis operibus: Proverb. 18. *Frater qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma*:: *Et ſic adimplevitis legem Chriſti*, id eſt charitatem. Dicitur autem charitas ſpecialiter *Lex Chriſti*, triplici ratione: Primò, quia per hoc diſtinguitur lex nova à veteri: Nam illa eſt timoris, hæc verò amoris:: Secundò: quia per charitatem ſpecialiter Chriſtus legem ſuam promulgavit; Joann. 13.:: Tertiò, quia ipſam implevit Chriſtus, & exemplum eam implendi nobis reliquit. Nam ipſe ex charitate peccata noſtra tulit: Iſaiæ 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit.* Et 1. Petri 2. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*:: Sic ergo debemus alter alterius onera portare ex charitate, ut ſic impleamus legem Chriſti.

Ad Galatas 6. v. 2. D. Thomas ibid. lect. 1.

198 Angelico Doctori pręluxerat Auguſtinus: imprimis enim rationem cur Apoſtolus, impletionem legis in ſola proximi dilectione conſtituerit, eò aſsignat: * Quia de dilectione Dei poſſunt mentiri homines: quia rariores tentationes eam probant: in dilectione autem proximi faciliùs convincuntur eam non habere, dùm iniquè cum hominibus agunt. Conſequens eſt autem, ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit Deum, diligat & proximum tanquam ſeipſum: Quia hoc jubet ille, quem ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id eſt omnem hominem tanquam ſe ipſum, quis poteſt, niſi Deum diligat, cujus præcepto & dono dilectionem proximi poſsit implere? Cum ergo utrunque præceptum ità ſit, ut neutrum ſine altero poſsit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque ſufficit, cum agitur de operibus juſtitię: ſed opportuniùs illud de quo quiſque faciliùs convincitur. Unde Joannes dicit: *Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Mentiebantur enim quidam dilectionem ſe Dei habere, & de odio fraterno eam non habere convincebantur, de quo judicare in quotidiana vita, & moribus facilè eſt. Cæterum qua ratione in duobus præceptis charitatis reliqua contineantur, diſſertè tradit etiam Auguſtinus inquiens: * Dominus, qui verbum conſummans, & brevians fecit ſuper terram, in duobus præceptis dixit legem prophetaſque pendere; ut intelligeremus, quidquid aliud divinitùs præceptum eſt, in his duobus habere finem, & ad hæc duo eſſe referendum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tanquam te ipſum. In his* (inquit) *duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ.* Quidquid ergo Dei lege prohibemur, & quidquid jubemus facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo iſta compleamus. Et fortè generalis prohibitio eſt, non concupiſces, & generalis juſsio: Diliges. Denique ſcriptura non præcipit niſi charitatem, non damnat niſi cupiditatem, & ita informat mores hominum. Et ille tenet, & quod patet, & quod latet in divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus (inquit S. Auguſtinus.)

S. Auguſtinus in cap. 5. Epiſt. ad Galatas.

Lib. de perfect. juſtitiæ hominis cap. 5.

199 Alibi etiam ſic ad propoſitum loquitur: * Tota lex in duobus præceptis eſt, in dilectione Dei, & dilectione proximi: Ad duo itaque præcepta (id eſt ad dilectionem Dei & proximi) pertinet & Decalogus: Ad primum præceptum tres chordę pertinent, quia Deus eſt trinitas: ad alterum verò præceptum (id eſt ad dilectionem proximi) ſeptem chordæ, quomodo vivatur inter homines. Et inferius: Ideo duæ tabulæ legis datæ ſunt: Deus enim famulo ſuo Moyſi duas tabulas dedit, in quibus conſcripta erant decem prępcepta legis, tria in una tabula ad Deum pertinentia, ſeptem in altera tabula pertinentia ad proximum. Sic Iſidorus in Exodum. Cur in duabus tabulis data eſt lex, niſi propter duo præcepta dilectionis Dei, & proximi? Hæc enim in ſingulis tabulis explicata ſunt: in una, tria præcepta ad Dei pertinentia charitatem: in alia verò ſeptem pertinentia ad proximi ſocietatem.

Serm. 39. de Tempore. Tractat. 10. Chordis cap. 6.

S. Iſidorius in cap. 3. Exod.

200 Tertium ſatiſque efficax argumentum

tum Paulus ipſe dedit ad Hebræos ſcribens:
Poſtquam enim præcipuas utriuſque legis
differentias cap. 12. aſsignavit, prout ſu-
pra benè expendimus; ſic ad noſtrum
propoſitum concludit: *Itaque regnum im-*
mobile ſuſcipientes, habemus gratiam;
per quam ſerviamus placentes Deo, cum
metu, & reverentia: Etenim Deus noſter
ignis conſumens eſt. His enim verbis po-
nit Apoſtolus concluſionem principaliter in-
tentam (exponit D. Thomas:) ,, Poſtquam
,, enim multipliciter commendavit gratiam,
,, & beneficia per Chriſtum nobis colata
,, & conferenda, principaliter intendit nos
,, inducere ad ſerviendum ei: Et hoc con-
,, cludit, quòd ex quo nobis in novo Te-
,, ſtamento promittuntur bona immobilia,
,, debemus Chriſto, qui repromittit, ſer-
,, vire in timore & reverentia. Et hæc eſt
,, concluſio principalis: unde primo reſu-
,, mit beneficium exhibitum, dicens, *ita-*
,, *que* (ex quo ſcilicet Deus nobis repro-
,, mittit Cœlum & terram immobilia, per
,, quę deſignantur bona futura immobilia
,, & ſempiterna) *Habemus* (id eſt reddimus)
,, *gratiam* (id eſt gratiarum actionem) 2.
,, Corinth. 9. *Gratias ago Deo ſuper ine-*
,, *narrabili dono ejus.* Et hoc *ſuſcipientes*
,, (id eſt quia ſuſcipimus, etſi non in re,
,, tamen in ſpe promiſsionis) *regnum im-*
,, *mobile.* Pſalm. 144. *Regnum tuum reg-*
,, *num omnium ſæculorum*: Lucæ 1. *Reg-*
,, *ni ejus non erit finis*: Vel per *gratiam*
,, intelligitur donum gratię, quod in præ-
,, ſenti recipimus tanquam pignus æternæ
,, glorię, & ideò dicit, *Itaque ſuſcipien-*
,, *tes regnum immobile*, id eſt futuræ glo-
,, riæ, quod nobis promittitur Lucæ 12.
,, *Nolite timere puſillus grex, quia com-*
,, *placuit patri veſtro, dare vobis regnum*:
,, Quod enim ſperamus, habemus, ſcilicet
,, gratiam, quam tanquam quoddam glo-
,, rię inchoativum accepimus: ſicut enim
,, natura non deficit in neceſſariis, mul-
,, tò minus Deus.

Hebræor. 12. à v. 28. D. Thomas ibidèm lect 5.

Propter bona à Chriſto D. repromiſſa, ipſi in timore, ſervire debemus & reverentia.

201 Inde jam ex verbis Apoſtoli cum
D. Thoma ferè ad litteram, principalem
concluſionem Scholæ methodo oſtendimus:
Dictat ratio naturalis, quod ei à quo mul-
ta beneficia recipimus, obligamur ad reve-
rentiam & honorem exhibendum: ergo mul-
tò fortiùs Deo, qui nobis per legem Evan-
gelicam, maxima donavit, & infinita re-
promiſit: ergo per iſtam gratiam nobis da-
tam in pręſenti, & gratiam conſummatam
in gloria poſtea dandam, *ſerviamus placen-*
tes Deo, cum metu, & reverentia: Quia
aliàs Deo debitum obſequium non præſta-
bimus. Quandoquidem Deo ſervire debe-
mus non ſolum per actionem exteriorem,
ſed præcipuè per intentionem rectam, per
interiorem reverentiam, timorem & amo-
rem, ſanctitatem & juſtitiam, juxta illud:
Placens Deo factus eſt dilectus. Inſuper:
Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.
Deindè: *Serviamus illi in Sanctitate, &*
juſtitia. Et ratio eſt: Quia Deus prop-
ter creationem dicitur Dominus: Propter
regenerationem verò Pater; ſed Domino
debetur timor; Patri amor & reverentia:
etenim: *Filius honorat Patrem, & Ser-*
vus Dominum ſuum. Deindè: *Si ergo Pa-*
ter ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Do-
minus ego ſum, ubi timor meus? Ergo ſer-
viendum Deo eſt cum metu, & timore,
atque reverentia, ſicque debita Deo red-
dentes juſtè, piè & Sanctè.

Sapiẽt. 4. v. 10. Pſalm. 50. v. 19. Lucæ 1. v. 74. & 75. Malach. 1. v. 6.

202 Vidimus Apoſtolum qualiter ex bo-
nis per Evangelium promiſsis induxerat
novi teſtamenti fideles ad perferenda non
ſolùm mala, ſed ad operandum bona, juxta
Davidicum pronuntiatum: *Declina à ma-*
lo, & fac bonum. Quare in capite 13.
incipit moralis inſtructio, ut Gloſſa adno-
tat. ,, Primo enim (inquit D. Thomas) hor-
,, tatur ipſos, nempè fideles, ad bona;
,, oſtendens quomodo debent bonum ope-
,, rari, quantum ad proximos :: quantum
,, ad ſe ipſos :: quantum ad Prælatos: Om-
nia igitur bona hæc opera, ad quæ cætera
reduci poſſunt, ex ipſa Evangelii ſupra ve-
terem legem, perfectione exigit à nobis
Apoſtolus. Ex primo capite ſic ad mentem
Pauli, arguit D. Thomas: Dictum eſt, quod
,, promiſſum eſt nobis regnum immobile,
,, ad quod ſi volumus pervenire, neceſsè
,, eſt nos charitatem habere: ergo charitas
,, fraternitatis maneat in vobis. 1. Joann. 4.
,, *Qui non diligit fratrem ſuum, quem vi-*
,, *det, Deum, quem non videt quomodo*
,, *poteſt diligere?* Item 1. Petri 2. *Omnes*
,, *honorate, fraternitatem diligite*: Quia
,, verò charitas non eſt otioſa, ut di-
,, cit Gregorius, ideò hortatur ad opera
,, charitatis. 1. Joann. 3. *Non diligamus ver-*
,, *bo, neque lingua, ſed opere & veritate.*
,, Ideò dicit quòd debemus oſtendere cha-
,, ritatem peregrinis per hoſpitalitatem; vin-
,, ctis per compaſsionem; pauperibus per
,, ſubventionem. Et primum ponit ibi, *Et*
,, *hoſpitalitatem nolite oblivîſci*: Secundum
,, ibi, *Mementote vinctorum*: Tertium ibi,
,, *Et laborantium.*

Hebręorum 13.

D. Thomas ibid. lect. 1.

Bona operanda, quantum ad proximos, Prælatos, & nos metipſos.

203 Singula percurrit deinde D. Ange-
licus: ,, Quantum ad primum dicit *oblivîſ-*
,, *ci*: quia iſti aliquando in proſperitate ſua
,, multum fuerant hoſpitales, ſed modo
,, depauperati erant; & ideò non ita benè
,, poterant: Tandem animat eos ad con-
,, tinuandum ſecundùm poſsibilatatem ſuam:
,, Roman. 12. *Hoſpitalitatem ſectantes*: Et
,, ſpecialiter facit mentionem de hoſpitali-
,, tate; quia qui peregrinos recipit, tria
,, opera miſericordiæ ſimul implet; quia
,, & recipit, & cibat, & potat ::: Quan-
,, tum ad ſecundum dicit, *Mementote vin-*
,, *ctorum*, illorum ſcilicet, qui propter
,, Deum miſsi ſunt in carcerem: memen-
,, tote autem viſitando & redimendo, tan-
,, quam eſſetis ſimul corporaliter cum eis
,, vincti: Hoc enim eſt aliud opus miſe-
,, ricordiæ: Matthæi 25. *In carcere eram*
,, *& veniſtis ad me*: Contra quod Iſaiæ
,, 14. dicitur, *Vinctis ejus non aperuit car-*

Quantum ad proximos.

,, *cerem.* Hoc ipſi aliquàndo ſecerunt, ſi-
,, cut patet ſupra cap. 10. Specialiter au-
,, tem hoc pertinet ad opus miſericordiæ,
,, alienam miſeriam ſuam reputare. Quan-
,, tum ad tertium dicit: *Et laborantium*;
,, ſive labore corporali: Pſal. 123. *Labo-*
,, *res manuum tuarum, quia manducabis.*
,, Sive ſolicitudine ſpirituali: 2. ad Ti-
,, moth. 2. *Laborantem agricolam oportet*
,, *primum de fructibus percipere.* (quę ver-
ba ad intentionem Apoſtoli, de ſolicitu-
dine per laborem ſpiritualem intelligun-
tur, ut benè adnotat Magiſter Nicolai.)
Pręluxerat etiam Haymo putans verba il-
la intelligenda eſſe de his *qui laborant in*
doctrina, & operatione Sancta ſive in
malis ſuſtinendis (tota enim præſens vita
labor quidam eſt.) Inducit deinde Apoſto-
lus ad hæc bona præſtanda ex proprio ex-
perimento: ,, (*Tanquam & ipſi in corpo-*
,, *re morantes*) quaſi dicat: Per quod ex-
,, perti eſtis, quid neceſſe ſit laborantibus,
,, Eccleſiaſt. 21. *Intellige quę ſunt proxi-*
,, *mi tui ex te ipſo*: Matthæi 7. *Omnia*
,, *quæcunque vultis ut faciant vobis homi-*
,, *nes, eadem & vos facite illis.*

204 Per ordinem verò ad ſeipſum ope-
rari bonum monet & ſuadet Apoſtolus, cu-
jus doctrinam ex D. Thoma quoàd ſub-
ſtantiam ita damus. Homini in ſe ipſo no-
cent præcipuè carnalium delectationum con-
cupiſcentiæ; & bonorum exteriorum cu-
piditas: Opus ergo erit homini paſ-
ſiones illas ita continere, ut peccare non
contingat; ſed hoc præcavet Magnus Apo-
ſtolus: rectè igitur oſtenditur quomodò bo-
num operari debeant homines quantum ad
ſe ipſos. Minor quoad primam partem lit-
teraliter tradit D. Thomas inquiens: ,, Cir-
,, ca venerea contingit dupliciter peccatum:
,, uno modo per illicitam conjunctionem
,, ſoluti cum ſoluta: Et quantum ad hoc
,, dicit, *Honorabile connubium*; ſupple ſit
,, in omnibus qui continere nolunt, non
,, conjunctio fornicatoria: Et dicitur *ho-*
,, *norabile*, quando fit ſecundùm debitas
,, circunſtantias matrimonii: ex quo patet,
,, quòd actus matrimonialis poteſt eſſe ſine
,, peccato: quod eſt contra hęreticos. 1. Co-
,, rinth. 7. *Si nupſerit virgo, non pecca-*
,, *vit.* Unde Dominus ad oſtendendum bo-
,, num eſſe actum matrimonii, primum ſig-
,, num fecit in nuptiis; & matrimonium
,, nobilitavit præſentià ſuâ corporali; &
,, naſci voluit de conjugata: Alio modo
,, per violationem thori maritalis, quando
,, ſcilicet vir accedit ad alterius uxorem,
,, vel mulier ad alterius virum: & quan-
,, tum ad hoc dicit: *Et thorus immaculatus.*

Quantum ad ſe ipſum.

205 Jam verò pro ſecunda parte mi-
noris aſſumptæ, ſic loquitur S. Dr. ,, Cir-
,, ca cupiditatem bonorum exteriorum, con-
,, tingit peccare duobus modis: uno mo-
,, do per tenacitatem: alio modo per cu-
,, piditatem: liberalitas enim eſt vir-
,, tus quæ ponit medium circa pecunias,
,, quantum ad dationem, & quantum ad
,, acceptionem. Quantum ad primum, ſci-
,, licet contra tenacitatem dicit, *ſint mo-*
,, *res ſine avaritia*: avarus enim dicitur
,, nimis tenax, quaſi *avidus æris*: unde
,, Eccleſiaſtic. 10. *Avaro nihil eſt ſceleſtius.*
,, Quantum ad ſecundum dicit, *contenti*
,, *prœſentibus*: Illi enim qui ſuper his quæ
,, habent, volunt alia cumulare, non ſunt
,, contenti præſentibus: Primæ Timoth. 6.
,, *Habentes alimenta, & quibus tegamur,*
,, *his contenti ſimus*: vel quod dicitur, *ſint*
,, *mores ſine avaritia*, prohibet avaritiam
,, quantum ad cupiditatem & tenacitatem.
,, Cum verò dicit, *contenti prœſentibus*, ex-
,, cludit cauſam avaritiæ, ſcilicet ſolicitu-
,, dinem: Matthæi 6. *Nolite ſoliciti eſſe.*
,, Non enim prohibetur quod homo ſoli-
,, citetur de rebus in poſterum neceſſariis,
,, ſed quod cura & ſolicitudo non præoc-
,, cupet mentem: ſic enim qui præoccupat
,, futuram ſolicitudinem, ſolicitus eſt in
,, craſtinum. Hujus admonitionis rationem
ſubjungit Apoſtolus: *Ipſe enim dixit, non*
te deſeram, neque derelinquam: ita ut
confidenter dicamus, Dominus mihi ad-
jutor; non timebo quid faciat mihi homo;
id eſt, exponit Divus Thomas: ,, Non de-
,, bemus ſuperfluè eſſe ſoliciti, ſed ta-
,, men facere quod in nobis eſt, ſcilicet
,, cum fiducia divini auxilii: *Ipſe enim di-*
,, *xit*: Joſue 1. *Non te deſeram* (ſcilicet quin
,, miniſtrem tibi neceſſaria) *neque derelin-*
,, *quam* (ſcilicet famæ perire) vel non de-
,, linquam, quin liberem te à malis.

Circa exteriora bona peccatur, tenacitate, & cupiditate.

206 Circa tertium Apoſtoli monitum
de operando bono quantum ad Prælatos,
ità theologizat Doctor Angelicus: Prælati,
vel defuncti jam ſunt, vel viventes: ergo
ad mortuos ità debet ſe habere homo, ut
eorum exempla & doctrinam imitetur;
malorum doctrinam devitans. Erga viven-
tes verò debet homo pręſtare obedientiam.
Primum docuit Apoſtolus ſubjungens: *Me-*
mentote præpoſitorum veſtrorum, qui vo-
bis loquuti ſunt verbum Dei, quorum in-
tuentes exitum converſationis imitamini
fidem. Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe &
in ſæcula. Quaſi dicat, non ſolum me-
mentote Apoſtolorum, qui vobis prædica-
verunt verbo & exemplo, ſed etiam intue-
mini, & illorum bonum exitum atque bo-
nam converſationem imitamini. Per op-
poſitum autem *doctrinis variis & peregri-*
nis nolite abduci; quaſi dicat (ait Divus
,, Thomas) ita dixi quòd debetis imitari
,, fidem Apoſtolorum: ergo à doctrina ip-
,, ſorum, per quamcunque aliam doctri-
,, nam nolite abduci, id eſt, removeri.
,, Ubi ſciendum eſt, quòd cùm veritas con-
,, ſiſtat in medio, cujus eſt unitas, ideò
,, uni vero multa falſa opponi poſſunt, ſi-
,, cut uni medio multa extrema: Doctrina
,, ergo fidei una eſt; quia à puncto in
,, punctum non convenit ducere niſi unam
,, rectam lineam. Omnes aliæ doctrinæ mul-
,, tæ ſunt; quia à recto multis modis con-
,, tigit deviare: & ideò dicit: *Doctrinis*

Quantum ad Pręlatos emortuos.

D. Thom. ibid. lect. 2.

,, *variis*, (id eſt diviſis) Oſeæ 10. *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Hæ ſunt illæ doctrinæ, de quibus 1. Timoth. 4. *Doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium*: Item ſunt peregrinę, ſcilicet à fide catholica. A nobis autem tales doctrinæ non ſunt ſuſtinendæ; quia *non ſumus hoſpites & advenæ, ſed ſumus cives Sanctorum, & domeſtici Dei.* Epheſ. 2.

Quantum ad viventes.

207 Quantum ad Prælatos viventes, debet homo non ſolum orationes ad Deum fundere pro eis, ſecundùm quod in propria perſona monet Apoſtolus: *Orate pro nobis.* Sed etiam debet Prælatis duo præſtare, ſcilicet obedientiam, ut ipſorum mandata impleat homo: unde dicit: *Obedite præpoſitis veſtris.* Item reverentiam, ut eos honoremus tanquam Patres, & ipſorum diſciplinam toleremus, & ideò dicit Apoſtolus: *Et ſubjacete eis.* Horum rationem cum Paulo, Pauli Diſcipulus, ita quoad ſenſum expendit: quia Pręlati invigilant & laborant, continuaque ſolicitudine premuntur in ſubditorum utilitatem; veluti Paſtores vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum; ut in typo dicitur Lucę 2. Deinde periculum ipſis imminet, quaſi pro animabus noſtris rationem reddituri. Reddent enim Pręlati in die judicii rationem de ſibi commiſsis, quando fiet eis illa quæſtio, Jeremiæ 13. *Ubi eſt grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum?* Hoc eſt enim maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit.

D. Thomas ubi ſupra lect. 3.

208 Tandem (ut finem dicendi in hac materia, nunquam ſatis commendata & firmata, faciamus) plura alia argumenta, alias diffuſione digna, ſtricto calamo complectemur. Primò quia ex quo Evangelium ad differentiam antiqui fœderis lex dicatur perfectę libertatis, aptè deducitur fideles novi Teſtamenti eò liberos dici: quia in adoptionem filiorum vocati ſunt: ergo ex ipſa Evangelii notione ambulare tenentur ſecundùm Spiritum Dei: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur ii ſunt Filii Dei.* Certum tamen eſt, eos qui ambulant ſecundùm ſpiritum, ea, quæ ſpiritus ſunt, ſive fructus ſpiritus Deo offerre: Sicut per oppoſitum: qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, ut ibidèm tradit Apoſtolus. Quinam autem ſint fructus ſpiritus & opera carnis, non ſemel cum Apoſtolo expendimus. Secundò: Si novum Teſtamentum lex charitatis jurè prædicatur: ut in bona opera effundatur oportunum juxta & neceſſarium erit; cum probatio dilectionis exhibitio ſit operis, ut jam alibi benè oſtenſum eſt. Ad hæc: Evangelium nedum gratiæ, ſed, & plenitudinis gratiæ lex dicitur: Inde ſic theologizandum nobis erit: Lex gratię opera etiam exteriora præcipere debet, quæ neceſſariam habent convenientiam ad gratiam, & prohibere ea, quæ contrarietatem dicunt ad interiorem gratiam conſiſtentem in fide per dilectionem operante: ,, Et hujuſmodi exteriora opera (concludit D. Thomas) ſunt præcepta, vel prohibita in lege nova, ſicut præcepta eſt confeſsio fidei, & prohibita negatio: dicitur Matthæi 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.*

Roman. 8. v. 14

Argumenta compendio iterata.

D. Thomas 1. 2. q. 108. a. 1. in corp.

209 Quartò: nam bona per Chriſtum nobis in Cœlis promiſſa & in terris data, non carnalia, non terrena, non caduca, non corporalia ſunt; quemadmodum per Moyſem antiquitùs expreſsè promiſſa fuerunt: Cùm ergo hujuſmodi bona tanquam merces vitę Evangelicæ reſpondeant, perfectiora opera à ſuis exigit cultoribus Evangelium; perfectioraque præcepta intimavit proinde Chriſtus Dominus, ut ita contra omnem mundi concupiſcentiam pugnet homo. Ea propter ſe ipſum abnegandum eſſe hominem, docet Chriſtus in Evangelio, tollere crucem ſuam, renuntiare omnia quę poſsidet, odio habere parentes & propinquos, adhuc autem & animam, id eſt vitam ſuam, aliaque ſimilia benè multa, quæ ſub conſilio reliquit, & ſæpè ſub pręcepto, ſi animæ detrimentum immineat, monitis illis non obſervatis. Præterea, ſi à fidei myſteriis ad morum præcepta gradum facimus, ita licebit arguere: in veteri Teſtamento, manifeſtata ſatis Dei unitate & providentia ſupernaturali, plura Myſteria, Trinitatis præſertim, & Incarnationis verbi adumbrata dumtaxat fuerunt: in novo autem Teſtamento perſpicuè tradita & prędicata fuere; hujus ſignum eſt, quòd Moyſes cum loqueretur ad populum, faciem velabat, nobis autem Chriſtus ipſe revelata facie loquutus eſt, anuntians omnia quęcunque audivit à Patre ſuo. Unde Apoſtolus: *Moyſes*, inquit, *ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus :: Nos verò omnes revelata facie, gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*: Ergo perfectiora in novo præ antiquo Teſtamento præcepta agnoſcenda ſunt.

2. Corinth. 3. v. 13. & 18.

210 Tandem, adveniente Evangelio nova lex mundo irradiavit; indeque novi Teſtamenti fideles ad Evangelii normam vitam componentes, filii lucis meritò audiunt: ergo bona opera præſtare tenentur. Per legem novam, arguit D. Thomas, efficiuntur homines filii lucis: ,, Unde dicitur Joan. 12. *Credite in lucem, ut filii lucis ſitis*: Sed filios lucis decet opera lucis facere & opera tenebrarum abjicere, ſecundùm illud Epheſiorum 5. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate*: Lex ergo nova quædam exteriora opera debuit prohibere, & quædam præcipere. Hæc

Ubi ſupra in argum. ſed cont.

Hæc omnia meditanti occurrit memoriæ, ſolidam & piam rationem hìc indicare, quam dedimus Diſcipulis tractatu de Trinitate circa notitiam hujus Myſterii apud antiquos Judæos. Cur ſcilicet Deus non ita palàm, ſed ſub obſcura quadam traditione Judæis etiam ſapientibus Myſterium illud revelavit? Quia nimirùm lex vetus erat lex timoris & pœnę; lex verò gratiæ eſt tempus amoris & benignitatis. Deus igitur, qui dives eſt in miſericordia, clementiæ propenſior, quàm vindictæ, magis amari appetit, quàm timeri, eique proprium eſt miſereri ſemper & parcere; juſtitia verò eſt opus quaſi alienum ab eo: Non ergo mirum ſi tempore illo ſeveritati addicto & deſtinato, unus voluerit Deus apparere, qui quaſi coactus, ſupplicia multiplicaret.

Deus ut Trinus novis fidelibus cur eluxerit.

211 At tempore gratię trinus voluit adorari: quia ut Iſaias loquitur: *Multus eſt ad ignoſcendum.* Quaſi diceret, dùm agitur de pœna, unicus Deus conſpicitur, quando agitur de venia, veluti multiplicatur, ut multotiès ignoſcat. Et ſanè cùm Deum quaſi ſolitarium apprehendimus, ipſo lęſſo, ad quem recurrimus? Sed dum Trinum meditamur, erigitur animus, creſcitque fiducia. Offendimus Patrem, interpellamus Filium, Spiritum Paraclitum imploramus; Patrem per Filium obſecramus. Sicque triplex aperta eſt miſericordiæ janua; unde & *Dominus, Deus miſericordiarum*, ab Apoſtolo nominatur; triplex affulget refugii locus, & aſylum ſecuriſsimum per incarnationem detectum. Unde Bernardus ajebat: *Ad Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia fugiebas, Jeſum tibi dedit mediatorem. Quid non apud Patrem filius talis obtineat, exaudietur utique pro reverentia ſua.*

S. Bernardus ſerm. de Nativ. B. V.

OBJECTA DISSOLUTA.

212 Nihil eſt imprimis ut immoremur in diſſolvenda objectione, inde à novatoribus deſſumpta quod Evangelium lex fidei dicitur ad differentiam antiquæ legis, quæ appellatur ab Apoſtolo lex factorum. Jam enim differentiam iſtam in commendationem Evangelii elucidavimus. Objiciunt ergo primò: Ubi gratia conceditur & ex conſequenti gloria, abſque bonorum operum ſubjecta conditione, non videtur imponenda neceſsitas bonorum operum; ſed gratia per Chriſtum conferenda ex fide credentibus repromiſſa fuit: non ergo gravari debent novi Teſtamenti fideles bonorum operum onere. Minorem aſſumptam indicat Apoſtolus ad Galat. ſcribens: *Ut promiſsio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Id eſt exponit Doct. Angel. ,, Daretur gratia repromiſſa non ſolum Judæis, ſed omnibus credentibus, quia illa gratia poterat liberare à peccatis: Et hęc gratia eſt ex fide Jeſu Chriſti. Futilis certè contra catholicam doctrinam objectio, imò contra ipſos Novatores peremptoria argumentatio, ſi Apoſtoli ſubjecta verba attendere velint: *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Reſpondetur igitur diſtinguendo minorem, eamque explicando ad mentem Apoſtoli: Gratia repromittitur credentibus, fide per charitatem formata, quę talis dicitur in Chriſto Jeſu, quatenus in cordibus noſtris inhabitat, ut dicitur ad Epheſios 3. verum utique eſt: Falſa verò eſt propoſitio de fide otioſa & mortua. Fides namque Chriſti, de qua Apoſtolus verba facit, induere Chriſtum nos docet. Quid autem ſit Chriſtum induere, jam n.123. ſignificatum eſt; ampliuſque expendit Div. Thomas in prædicta verba Pauli: ,,Qui induitur aliqua veſte, protegitur, ac contegitur ea, & apparet ſub colore veſtis, colore propio occultato: Eodem modo, & qui induit Chriſtum, protegitur à Chriſto Jeſu contra impugnationes, & ęſtus; & in eo nihil aliud apparet, niſi quæ Chriſti ſunt: Rom. 13. *Induite Dominum Jeſum Chriſtum.* Et ſicut lignum accenſum induitur igne, & participat ejus virtutem; ita & qui Chriſti virtutes accipit, induitur Chriſto: Luc. ult. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Quòd in illis locum habet, qui interiùs Chriſti virtute informantur: Epheſ. 4. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & Sanctitate.*

Ad Galat. 3. v. 22.

D. Thomas ibid. lect. 8.

A verſ. 26.

Gratia repromiſſa fidelibus credentibus fide per charitatem formata.

D. Thomas lect. 9.

213 Objiciunt deindè nam ſi Evangelium lex dicitur perfectiora præcepta intimans ſub pœnarum inferni comminatione, nec bonum nuntium diceretur, nec jugum ſuave leveque onus, prout à Chriſto D. appellatur: *Jugum meum ſuave eſt, & onus leve.* Imprimis: quia bonum nuntium eò dicitur, quòd lęta annuntiat, bona promittit, ſuaviter allicit; ſed Evangelium iram quandoque & indignationem annuntiat, æterna ſupplicia comminatur, contra legum tranſgreſſores divinam vindictam imprecatur: Non ergo Evangelium poſſet dici bonus & lætus nuntius. Quantum ad ſecundum ita arguere poſſent cum Angelico Doctore: quia ſi lex nova perfectiora præcepta continet; cùm præcepta quantò perfectiora, tantò majorem habeant difficultatem in ſui obſervantia; conſequens erit, quòd lex nova gravior ſit quàm vetus. Secundò quòd ſe habet, ex additione ad alterum videtur eſſe difficilius; ſed lex nova ſe habet ex additione ad veterem: vel quia nova proponit præcepta moralia: vel quia antiqua præcepta nova perfectione roborat: Erit ergo inde gravior quàm lex vetus. ,, Præterea (arguit S. Doctor) facilius eſt terrena proſperitate uti, quàm tribulatione perpeti; ſed in veteri Teſtamento per obſervationem veteris legis conſequebatur proſperitas temporalis, ut patet Deuteron. 28. Obſervatores autem novæ legis conſequitur

1. 2. q. 107. a. 4.

,, mul-

,, multiplex adverſitas: prout dicitur 2. Co- ,, rinth. 6. *Exhibeamus noſmetipſos, ſi- ,, cut Dei miniſtros, in multa patientia, in ,, tribulationibus, in neceſsitatibus, in an- ,, guſtiis, &c.* Ergo lex nova eſt gravior, ,, quàm lex vetus. Tandem: Infirmis & ,, parvulis levia onera ſunt imprimenda; ,, ſed illi qui erant in veteri lege parvu- ,, lis comparantur, qui autem ſunt in no- ,, va viris perfectis, ut patet ad Ga- ,, lat. 4. ergo lex nova eſt gravior, quàm ,, vetus.

In 3. diſt. 40. q. 1. a. 4.

214 Reſpondetur tamen, nullum eſſe hęreticis vel apparens motivum pro duplici illo inconvenienti deducendo. Nam ad primum quod attinet, ita diſtingui poteſt minor aſſumpta: Evangelicus ſermo iram annuntiat, ſupplicia comminatur æterna, contra protervos & obſtinatos alioſque peccatores, ut inde ad viam ſalutis reducat, concedo, in ipſis comminationibus ſiſtens, nego. Nàm dùm terret, conſolatur oſtendens Salvatorem & ad ejus gratiam invitans. Unde cum Belarmino dicere poſſumus. Evangelium terret, ut conſoletur, quomodo medicus vulnerat, ut ſanet. Quod non tamen propriè convenit Legi Moyſis, quæ terrebat comminando ſupplicia peccatoribus, & non oſtendebat niſi obſcurè liberatorem. In hujus doctrinæ confirmationem hęreticos vellem audientes Apoſtolum Evangelii ſublimem promulgatorem; in ipſo enim gravia & terribilia comminata videbunt ad timorem & triſtitiam excitantia; triſtitia tamen in bonum audientium verſa. *Quoniam etſi contriſtavi vos in Epiſtola* (ajebat) *non me pœnitet: etſi pœniteret, videns quòd Epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit: Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem; ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam, in omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio.*

Evangelium minatur pœnas, ut ſanet.

2. Corinth. 7. à v. 8.

215 Hujus teſtimonii ſenſum utiliſsimè expendit Dr. Angelicus, ſic inter alia loquens: ,, Peccaverant enim Corinthii fa- ,, ciendo fornicationem; & Apoſtolus in- ,, crepaverat eos; ut patet in prima Epiſt. ,, cap. 5. & 6. Tunc autem incertus erat ,, Apoſtolus, quem eventum deberet habe- ,, re illa triſtitia; bonum ſcilicet an ma- ,, lum: Et ideò dubitans pœnituit: ſed ,, videns poſtmodum, quod bonum inde ,, provenerat, gaudebat: ideò dicit, *quo- ,, niam etſi contriſtavi*, (vos increpando ,, in prima Epiſtolà) *non me pœnitet* mo- ,, dò; quia correcti eſtis. :: *Videns quod ,, Epiſtola illa etſi ad horam vos contriſta- ,, vit, nunc gaudeo*, quia eſtis converſi: ,, Et rationem gaudii aſsignat; quia non ,, gaudeo de hoc quia *contriſtati eſtis*, ſed ,, de effectu (ſcilicet de correctione) quia ,, ſcilicet *contriſtati eſtis*, non ad deſpe- ,, rationem, ſed ad pœnitentiam; ſicut me- ,, dicus non gaudet de amaritudine medi- ,, cinæ; ſed de effectu; ſcilicet de ſanita- ,, te: ſuprà cap. 6. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* :: Pergit deinde S. Doctor: ,, Cauſa autem ex qua commendatur co- ,, rum triſtitia, hæc eſt, quia eſt ſecundùm ,, Deum: Et ideò dicit: Licèt ad horam ,, contriſtaverim vos per Epiſtolam, ta- ,, men nunc gaudeo; id eſt, quia contriſta- ,, ti eſtis ſecundùm Deum. Ubi ſciendum ,, eſt quòd triſtitia & gaudium, & com- ,, muniter omnis affectio ex amore cauſa- ,, tur: Triſtatur enim quis, quia caret eo ,, quod amat: Qualis autem eſt amor, ta- ,, lis eſt triſtitia ex amore cauſata: Eſt au- ,, tem duplex amor: unus quo diligitur ,, Deus: & ex hoc cauſatur triſtitia, quæ ,, eſt ſecundùm Deum: Alius amor quo ,, amatur ſæculum: & ex hoc cauſatur tri- ,, ſtitia ſæculi: amor quo diligimus Deum, ,, facit nos libenter ſervire Deo, ſolicitè ,, quęrere honorem Dei, & vacare Deo ,, dulciter, & quia peccando impedimur ,, à ſervitio Dei, & ideò ei non vacamus, ,, nec ejus honorem quęrimus, ideò amor ,, Dei cauſat triſtitiam de peccato; & hęc eſt ,, triſtitia ſecundùm Deum, quæ quidèm triſti- ,, tia non fit nobis ad malum, nec detri- ,, mentum, ſed potiùs ad fructum & me- ,, ritum. Et ideò dicit, *ut in nullo detri- ,, mentum patiamini ex nobis*; quia non ,, ſolum bona & grata, quæ vobis impen- ,, dimus, vobis proſunt; ſed etiam hoc ,, ipſum quod vos corrigimus & contri- ,, ſtamus. Hebræor. 12. *Omnis diſciplina ,, in præſenti videtur non eſſe gaudii ſed ,, mœroris, poſtea autem fructum paratiſ- ,, ſimum reddit, &c.*

D. Thomas lect. 2.

D. Thomas lect. 3.

216 Conſequenter commendat Apoſtolus effectum illius triſtitię ſecundùm Deum, nempe conſequutionem præmii vitæ æternæ, quę eſt ſalus ſtabilis, ad differentiam ſalutis temporalis, quæ tranſitoria eſt. Effectum autem prædictum manifeſtat Apoſtolus ex eo quod in Corinthiis multa operatus fuit triſtitia illa, quæ ad ſalutem ducunt. ,, Ponit autem ſex ad hoc pertinentia (verba ſunt D. Thomæ) quorum unum ,, eſt generale, ſcilicet *ſolicitudo*: quando ,, enim homo eſt in lætitia, de facili com- ,, mittit aliquas negligentias: ſed quando ,, eſt triſtis & in timore; ſolicitatur; & ,, ideò dicit :: *In vobis operatur ſolicitudi- ,, nem*; ad vitandum mala, & ad facien- ,, dum bona :: nam verus pœnitens debet ,, recedere à malo & facere bonum. Quan- ,, tum ad primum docet Apoſtolus, quod ,, triſtitia illa pœnitentiam operans, homi- ,, nem roborat contra illos qui ad malum ,, inducunt; ipſum hominem utiliter con- ,, tra

D. Thomas ibidèm fere ad literam.

,, tra

,, tra ſeipſum indignat pro peccatis quę fe- ,, cit: atque in continuo timore conſtituit, ,, ne, ſcilicet in futuro iterum cadat. Quan- ,, tum ad ſecundum triſtitia illa excitat *de- ,, ſiderium* bona faciendi, *æmulationem* ad ,, bonos imitandos; *vindictam* deinde, ut ,, in ſe ipſo vindicet homo, quòd pecca- ,, vit. Et hoc quidem utile eſt: nàm cùm ,, omne malum neceſſarium ſit puniri, vel ,, ab homine, vel à Deo: melius eſt quòd ,, homo malum in ſe puniat quod fecit, ,, quàm quòd Deus puniat: quia horren- ,, dum eſt incidere in manus Dei, Hebræo- ,, rum 10. Tandem indicat Apoſtolus, Co- ,, rinthios per illam triſtitiam exhibuiſſe ſe ,, incontaminatos, totaliterque abſtinentes ,, à malo, vel in negotio chriſtiano: vel ,, in negotio de quo correcti erant, pu- ,, ta, de favore, quem dederunt fornica- ,, tori, quatenus poſtmodum puniendo & ,, condemnando ipſum, oſtenderunt ſe ,, in hoc incontaminatos, ut concludit Di- ,, vus Thomas.

217 Circa ſecundum in objectione propoſitum aſſumptum, qualiter lex nova ſuavior ſit præ veteri, data opera cum Divo Thoma elucidandum venit; unde propoſita objectio evaneſcet: dicitur namque Matthęi 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis*, quod exponens Hilarius dicit: *Legis difficultatibus laborantes, & peccatis ſæculi oneratos ad ſe advocat*: & poſtmodum de jugo Evangelii ſubdit: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*: ergo lex nova eſt levior quàm vetus. Sed verba poſteriora Matthæi expendamus conformiter ad ſupra dicta n. 150. ex Doctore Angelico: nimirùm interiorem Spiritus Sancti gratiam, præcipuum eſſe quod in lege Evangelica invenitur: præcepta autem per Scripturam notificata aliquid eſſe ſecundarium. Cum enim gratiæ Spiritus Sancti proprium ſit ſuavitatem quandam in animam derivare: *O quam bonus, & quam ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus*, ideò jugum Chriſti, ſcilicet lex ſecundùm illud quod principaliter importat dicitur ſuave, imò hæc ſuavitas gratiæ reddit levia onera, ſive præcepta Evangelica ſecundariò intimata, quæ aliàs ſecundùm ſe forent gravia, imò graviora quàm in lege veteri. ſi deficeret nempe gratia Spiritus Sancti, quæ eſt propria novi Teſtamenti, atque humilibus promiſſa, quam virtutem proximè antea commendaverat Chriſtus: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

Divus Thomas 1. 2. ubi ſupra in ſed contra.

S. Hilarius can. 11. in Matthæum.

Jugum Evangelii ſuave.

218 Hęc omnia à Divo Thoma Theologum agente ita expenduntur loco proximè citato, & in Sententiariis. ,, Reſpon- ,, deo dicendum (inquit in Summa Theolo- ,, gica) quòd circa opera virtutis, de qui- ,, bus præcepta legis dantur, duplex dif- ,, ficultas attendi poteſt. Una quidèm ex ,, parte exteriorum operum, quæ ex ſeip- ,, ſis quandam difficultatem habent & gra- ,, vitatem: & quantum ad hoc lex vetus ,, eſt multò gravior, quàm nova; quia ad ,, plures actus exteriores obligabat lex ve- ,, tus in multiplicibus cæremoniis, quàm ,, lex nova, quæ præter præcepta legis na- ,, turę paucifsima ſuperaddidit in doctri- ,, na Chriſti & Apoſtolorum: licèt aliqua ,, ſint poſtmodum ſuperaddita ex inſtitutio- ,, ne Sanctorum Patrum, in quibus etiam ,, Auguſtinus dicit eſſe, moderationem at- ,, tendendam, ne converſatio fidelium one- ,, roſa reddatur. Dicit enim ad inquiſitio- ,, nes Januarii de quibuſdam, quòd ipſam ,, religionem noſtram, quam in manifeſtiſ- ,, ſimis & paucifsimis celebrationum Sacra- ,, mentis Dei voluit miſericordiâ eſſe libe- ,, ram, ſervilibus premunt oneribus, adeò ,, ut tollerabilior ſit conditio Judęorum, ,, qui legalibus Sacramentis, non humanis ,, præſumptionibus, ſubjiciuntur. Alia au- ,, tem difficultas eſt circa opera virtutum ,, in interioribus actibus, puta, quòd ali- ,, quis opus virtutis excerceat promptè & ,, delectabiliter, & circa hoc difficile eſt ,, virtus; hoc enim non habenti virtutem ,, eſt valdè difficile, ſed per virtutem red- ,, ditur facile. Et quantum ad hoc præcep- ,, ta novæ legis ſunt graviora præceptis ve- ,, teris legis, quia in nova lege prohiben- ,, tur interiores motus animi, qui expreſ- ,, ſè in veteri lege non prohibebantur in ,, omnibus, etſi in aliquibus prohiberen- ,, tur, in quibus tamen prohibendis pœna ,, non apponebatur; hoc autem eſt diffici- ,, limum non habenti virtutem, ſicut etiam ,, Philoſophus dicit in 5. Ethic. quòd ope- ,, rari ea, quæ juſtus operatur facile eſt, ,, ſed operari ea, modo quo juſtus opera- ,, tur ſcilicet delectabiliter & promptè, eſt ,, difficile non habenti juſtitiam. Et ſic ,, etiam dicitur 1. Joann. 5. *Quod manda- ,, ta ejus gravia non ſunt*; quod expo- ,, nens Auguſtinus, dicit, quòd non ſunt ,, gravia amanti, ſed non amanti ſunt ,, gravia.

In corp. art.

219 In Sententiariis verò ſic loquitur: ,, Dicendum, quòd difficile & oneroſum ,, menſuratur ſecundùm virtutem ſuſtinen- ,, tis. Aliquid enim oneroſum eſt debili ,, quod forti eſt leve: & ideò de onere le- ,, gis & Evangelii poſſumus loqui duplici- ,, ter, aut quantùm ad gravitatem præcep- ,, torum ſecundùm ſe, aut per compara- ,, tionem ad virtutem obſervantium. Si ,, primo modo, ſic quantùm ad numerum ,, præcepta veteris legis erant magis onero- ,, ſa, quia lex vetus arctabat ad cæremo- ,, nialia multa, & judicialia: lex autem ,, nova ad moralia tantùm, quæ etiam lex ,, naturæ imperat, & in uno verbo abbre- ,, viato dilectionis Dei & proximi conclu- ,, duntur. Sed quantùm ad explicationem ,, iſtorum præceptorum, ſic præcepta novæ ,, legis quodammodò ſunt difficiliora, quia ,, magis explicatur virtus præceptorum mo- ,, ralium in nova lege, quàm in veteri. ,, Et ſuperaddit lex nova conſilia, quam- ,, vis ad ea non cogat: & quædam etiam

In 3. diſt. 40. q. 1. a. 4. q. 4.

pro-

,, prohibet, quæ lex vetus permittebat in-
,, firmati deferens, ſicut libellum repudii,
,, & hujuſmodi. Si autem ſecundo modo,
,, ſic abſolutè lex vetus onerolior erat, tùm
,, quia auxilium gratiæ non conferebat ad
,, mandata implenda, ſicut nova facit: tùm
,, quia vetus lex per modum timoris co-
,, gebat ad hoc, ad quod nova lex ex amo-
,, re inducit, qui omnia levia facit.

220 Totius Angelicæ doctrinæ ſumma
hæc eſt: præcepta novæ legis etſi numero
pauciora, atque ex hoc capite leviorem
reddant legem: perfectionis tamen eminen-
tia, majorem ſecundùm ſe difficultatem
addunt; gravioraque proinde ſunt, naturę
tamen, non gratiæ. Carni, non ſpiritui,
ſecundùm quem ambulare debent novi fi-
deles: graviora ſunt mundi amatoribus,
non tamen Deum in veritate diligentibus,
ut ex Auguſtino ſignificat proximè lauda-
tus Thomas: Auguſtinum etiam alibi co-
pioſiùs loquentem in Catena Aurea addu-
cit: * Item qui jugum Domini intrepidâ
* cervice ſubierunt, tam difficilia pericu-
* la patiuntur, ut non à laboribus ad
* quietem, ſed à quiete ad laborem vo-
* cari videantur, ſicut & Apoſtolus de ſe
* dicit (2. ad Corinth. 6.) ſed profectò
* aderat Spiritus Sanctus, qui in exterio-
* ris hominis corruptione interiorem reno-
* varet, de die in diem; & guſtata requie
* ſpirituali, in affluentia deliciarum Dei, in
* ſpe futuræ beatitudinis, omnia præſen-
* tia deliniret aſpera, & omnia gravia re-
* levaret. Secari & uri ſe homines pa-
* tiuntur, ut dolores non æterni, ſed ali-
* quanto diuturnioris ulceris, acriorum
* dolorum pretio redimantur. Quibus tem-
* peſtatibus, vel procellis impleti ſunt
* & mercatores, ut divitias ventoſas ac-
* quirant? Sed qui has non amant, eadem
* gravia patiuntur: Qui verò amant, ea-
* dem quidem ſed non gravia patiuntur.
* Et ſic de aliis etiam dici poteſt: omnia
* enim ſæva & immania, prorſus facilia &
* propè nulla effecit amor: Quantò ergo
* faciliùs ad veram beatitudinem charitas
* facit, quod ad miſeriam, (quantum po-
* tuit) cupiditas fecit?

Evangelica præcepta gravia ſunt carni, non ſpiritui.

S. Auguſtinus ſerm. 9. de verb. Domini apud D. Thomam in Catena. Matthęi 11.

221 Inde ad propoſita objecta ita ſatiſ-
facimus: Ad primum jam diximus: præcep-
ta illa, majorem difficultatem ſuperaddere,
reſpective ad naturam: non ad gratiam
& charitatem in novo teſtamento largiter
communicatam. Secundum ita diſſolvit S.
Dr. ,, Ad tertium dicendum, quòd illę
,, additiones ad præcepta veteris legis
,, ad hoc ordinantur, ut faciliùs implea-
,, tur, quod vetus lex mandabat, ſicut
,, Auguſtinus dicit, & ideò per hoc non
,, oſtenditur, quòd nova lex ſit gravior,
,, ſed magis, quòd ſit facilior. Ad ſecun-
dum objectum diſtinguo minorem: ob-
ſervatores novæ legis conſequitur adver-
ſitas ab ipſa lege impoſita, nego mino-
rem: propter amorem faciliter tolerata,
concedo. Ad ſecundum dicendum, in-
quit D. Thomas, quòd adverſitates, quas
,, patiuntur obſervatores novæ legis, non
,, ſunt ab ipſa lege impoſitę, ſed tamen
,, propter amorem, in quo ipſa lex con-
,, ſiſtit, faciliter tolerantur, quia ſicut Au-
,, guſtinus dicit in libro de verbis Domini:
,, *Omnia ſæva & immania, & facilia &*
,, *propè nulla efficit amor.* Ad ultimum
conceſſa majori ut jacet diſtinguo mino-
rem: comparantur parvulis; duræ tamen
cervicis & ad malum pronis, concedo:
Parvulis quantum ad innocentiam, nego.
Audiatur S. Dr. ,, Ad tertium dicendum,
,, quòd ſicut qui tortuoſa ligna dirigunt,
,, ad partem contrariam magis deflectunt,
,, ut ſic ad rectitudinem veniatur: ita etiam,
,, ut dicitur in 2. Ethic. tendentibus ad
,, virtutem faciendum eſt, ut qui à rectitu-
,, dine virtutis diſtorti fuerant, magis à con-
,, trariis virtutis abſtrahantur. Et propter
,, hoc etiam pœnitentibus graviora onera
,, imponuntur quàm innocentibus. Et ita
,, etiam carnali populo & cervicoſo majo-
,, ra onera imponenda fuerunt ad ejus du-
,, ritiam edomandam, cùm tamen modum
,, ejus non excederet, ſicut etiam infirmis
,, dieta arctior, & pueris diſciplina ſtri-
,, ctior imponitur.

Art. citat. ex Summa Theolog ſol. ad 3.

Ibidèm ſolut. ad 2.

Adverſa, ſuavia reddit amor.

D Thomas in loco ſent. ſolut. ad 3.

222 Tandem in ſui erroris fulcimen-
tum adducunt Etherodoxi Apoſtolum, Evan-
gelium ita magnificè commendantem: ut
ejus fides ſine operibus, nedum juſtificatio-
nis initium dici debeat (ut num. 17. poſt
Auguſtinum, docuit nos Tridentinum Con-
cilium) ſed etiam incrementum, perfectio
& conſummatio ſalutis. *Evangelium* (in-
quit Paulus) *virtus Dei eſt in ſalutem om-
ni credenti.... Juſtitia enim Dei in eo
revelatur ex fide in fidem.* Ex quibus ar-
guit Calvinus in antitodo Concilii: Quia
ſi ſalutis dumtaxat initium fidei tribuere-
tur, perfectio autem operibus, non utique
diceret Paulus ex fide in fidem, ſed ex fi-
de in opera: ſola ergo fides Evangelica,
perfectio & conſummatio eſt ſalutis æternæ.
Hæc tamen objectio nullius momenti eſt;
fatemur enim Evangelium ſalutem confer-
re omni credenti; ſed fide, juxta Evange-
lii normam operante, ut ſępè oſtenſum eſt.
Hac enim ratione revelatur juſtitia, qua
homo juſtus fit, inquantùm per fidem Evan-
gelii, homines juſtificantur ſecundùm quod-
cunque tempus, inquit D. Thomas ibi-
dèm. Nec urget Calvini additamentum:
quia verba illa Pauli etiam ſignificant tran-
ſitum ex fide in opera: ex fide nimirum
informi ad fidem charitate & operibus for-
matam, ut aliqui apud Cardinalem Belar-
minum exponunt. Et quidèm conformiter
ad ſimiles loquendi phraſes Scripturæ Sacrę,
quæ ſignificant progreſſum & incrementum
ejuſdem rei v.g. *Ibunt de virtute in vir-
tutem.* Inſuper: *Transformamur à clarita-
te in claritatem, tanquam à Domini Spiri-
tu.* Rurſus: *Et miſericordia ejus à proge-
nie in progenies.* Revelatur igitur in Evan-
gelio Dei, quæ incipit à fide inchoata, &
per-

Roman. 1. *v.* 16. & 17.

Ex fide in fidem tranſire & opera docet Apoſtolus.

D. Thomas lect. 6.

Pſalm. 83. *v.* 8.

2. *Corinth.* 3. 18.

Luc.e 1. *v.* 50.

perducitur ad fidem charitatè perfectam &
formatam.

223 Alias etiam adducit expoſitiones
Cardinalis Belarminus, cui præluxit D. Tho-
mas ibidèm inquiens: ,, *Ex fide in fidem,*
,, id eſt ex fide veteris Teſtamenti proce-
,, dendo in fidem novi Teſtamenti, quia ab
,, utroque homines juſtificantur, & ſalvan-
,, tur per fidem Chriſti, quia eâdem fide
,, crediderunt venturum, qua nos veniſſe
,, credimus: Et ideò dicitur 2. Corinth. 4.
,, *Habentes eundem ſpiritum fidei, credi-*
,, *mus propter quod loquimur.* Vel poteſt
,, intelligi ex fide prædicatorum in fidem
,, auditorum, infra cap. 10. *Quomodo cre-*
,, *dent ei, quem non audierunt,* vel ex fi-
,, de unius articuli in fidem alterius, quia
,, ad juſtificationem requiritur omnium ar-
,, ticulorum fides: Apocalyp. 1. *Beatus, qui*
,, *legit, & audit verba Prophetiæ hujus,*
,, ſcilicet omnia, non unum tantum. Alio
,, modo poteſt intelligi *ex fide præſenti in*
,, *fidem futuram;* id eſt in plenam viſionem
,, Dei: quæ quidem dicitur fides ratione
,, certæ & firmę cognitionis: ſicut etiam
,, Auguſtinus explicat lib. 2. quæſt. Evan-
,, gelicarum quæſt. 39. Hoc autem ratione
,, Evangelicæ cognitionis 1. Corinth. 13.
,, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigma-*
,, *te, tunc autem facie ad faciem.*

APOSTROPHE AD BONORUM operum oſſores.

224 Hæc cùm ita ſint (bonorum ope-
rum miſeri oſſores) audire vos precor Apo-
ſtolum ita ad propoſitum ſcribentem: *Nox
pręceſſit, dies autem appropinquavit.* Prę-
ceſsit quidem nox, tempus ſcilicet præce-
dens Chriſti Incarnationem; tempus vete-
ris Teſtamenti, in quo nondum myſteria
manifeſta erant, ſed ſub quadam caligine:
Sicut enim in nocte apparent umbræ, ita
illo tempore eminebant legalia, quæ ſunt
umbra futurorum, ut dicitur ad Coloſſen-
ſes *Appropinquavit dies*: Tempus nimirum
ab Incarnatione Chriſti, & deinceps; *dies
utique propter præſentiam ſpiritualis ſolis
in mundo*: de quo dicitur Malachiæ: *Orie-
tur Sol Juſtitiæ.* Quid ergo reſtat, niſi ut
abjicientes opera tenebrarum, induamur
arma lucis? Opera inquàm peccatorum,
quæ meritò Apoſtolus opera tenebrarum di-
cit. ,, Primò quidem, quia in ſe ipſis pri-
,, vati ſunt lumine rationis, quo illuſtrari
,, debeant humana opera, Eccleſiaſt. 2. *Sa-*
,, *pientis oculi in capite ejus: ſtultus in*
,, *tenebris ambulat.* Secundò, quia in tene-
,, bris aguntur, Job. 24. *Oculus adulteri*
,, *obſervat caliginem.* Tertiò, quia per
,, ea homo ad tenebras ducitur; ſecundùm
,, illud Matthæi 22. *Mittite eum in tene-*
,, *bras exteriores.* Aſſumitte inquàm virtu-
,, tes, quę & arma dicuntur, inquantum
,, nos muniunt: Epheſior. ultim. *Induite vos*
,, *armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adver-*
,, *ſus inſidias diaboli.* Et dicuntur lucis
,, arma, tùm quia lumine rationis deco-
,, rantur & perficiuntur, Proverb. 4. Ju-
,, ſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, pro-
,, cedit uſque ad perfectam diem. Tùm
,, quia lucis examen requirunt; Joann. 3.
,, *Qui facit veritatem venit ad lucem.*
,, Tùm quia per opera virtutum alii illu-
,, minantur, Matthæi 5. *Sic luceat lux ve-
ſtra coram hominibus. Sicut in die ho-
neſtè ambulemus.* In uſu ſcilicet, & pro-
fectu virtutum. Hæc enim duo videntur
dici congruere: ,, Primò quidem honeſtas:
,, Nam in die unuſquiſque ſe ſtudet com-
,, ponere, ut coram aliis honeſtus appa-
,, reat: in nocte autem non ſic: unde di-
,, citur 1. Theſſal. 5. *Qui dormiunt, no-*
,, *cte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte*
,, *ebrii ſunt: nos autem, qui diei ſumus, ſo-*
,, *bri ſimus*: Undè 1. Corinth. 14. dici-
,, tur: *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordi-*
,, *nem fiant in vobis.* Secundò homo in
,, die ambulat, non in nocte. Unde dici-
,, tur Joann. 11. *Qui ambulat in nocte,*
,, *offendit*: Et ideo quia dies eſt, oportet
,, quòd ambulemus: id eſt, de bono in
,, melius procedamus. Undè dicitur Joan.
,, 12. *Ambulate, dum lucem habetis.* Hæc
omnia præſtabimus certè, ſi Dominum Je-
ſum Chriſtum induamur, carnis inordi-
nata cura relicta: Nàm Chriſtum induere
dicitur, qui Chriſtum imitatur (ut alibi
nos docuit D. Thomas) quia ſicut homo
,, continetur veſtimento, & ſub ejus colore
,, videtur, ita in eo, qui Chriſtum imita-
,, tur, opera Chriſti apparent.

Abjicienda opera tenebrarum, induenda arma lucis.

Rom. 13. *v.* 12.

D. Thom. ibid. lect. 3.

Ad Coloſſ. 2. *v.* 17.

Malach. ultimo v. 2.

225 Sed qualiter, & quænam abjicien-
da ſint opera tenebrarum ſeu peccatorum,
ex ipſo Apoſtolo erudiri poſſent novato-
res, eorum prava opera quaſi digito mon-
ſtrante. *Non in comeſſationibus* (inquit)
*& ebrietatibus: Non in cubilibus & im-
pudicitiis: Non in contentione, & æmula-
tione.* His namque verbis removere do-
cet Apoſtolus opera peccatorum, primo
quæ pertinent ad corruptionem partis con-
cupiſcibilis per intemperantiam delectatio-
num circa cibum, potum, & tactum. Dein-
de ea quæ pertinent ad corruptionem par-
tis iraſcibilis. ,, Undè (verba ſunt D. Tho-
mæ:) primò excludit intemperantiam ci-
,, borum, cùm dicit: *Non in comeſſatio-*
,, *nibus.* Dicuntur *comeſſationes* ſuperfluæ,
,, & nimis accuratæ comeſtiones. Prov. 23.
,, *Noli eſſe in conviviis* potatorum, *nec*
,, *in comeſſationibus* eorum, qui carnes ad
,, veſcendum conferunt. Quod quidem po-
,, teſt eſſe peccatum mortale, ex hoc quod
,, ſecundùm legem pro hac culpa aliquis
,, damnatur. Dicitur enim de filio proter-
,, vo, Deuteronom. 11. *Comeſſationibus*
,, *vacat & luxuria atque conviviis: La-*
,, *pidibus eum obruet populus, &c.* Dici-
,, tur autem aliquis vacare comeſſationibus
,, atque conviviis, non quidèm ſi come-
,, dat magnificè ſecundùm ſtatum ſuæ dig-
,, nitatis: ſicut dicitur Eſther 2. *Quòd Aſ-*
ſue-

„ ſuerus juſsit preparari convivium per mag-„ nificum :: propter conjunctionem Eſther:: „ Juxta magnificentiam principalem. Sed „ quando aliquis hoc facit præter decen-„ tiam ſui ſtatus: & præcipuè ſi ad hoc „ principalis ejus cura exiſtat; ſicut illi de „ quibus dicitur infra cap. ult. hujuſmodi „ Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo „ ventri. Et Philippenſ. 3. *Quorum Deus* „ *venter eſt*. Secundò excludit intemperan-„ tiam circa potum, cùm ſubdit: *Et ebrie-* „ *tatibus*: Quę pertinent ad ſuperfluitatem „ potûs extra menſuram rationis hominem „ ponentis: Eccleſiaſt. 31. *Vinum in ju-* „ *cunditatem creatum, & non in ebrie-* „ *tatem*.

226 Excludit deinde Apoſtolus intemperantiam delectationis quantum ad tactum. Et primò circa corporalem quietem cùm dicit: „ *Non in cubilibus*, id eſt non ſu-„ perflua dormitione, quam convenienter „ poſt comeſſationem & ebrietatem prohi-„ bet, quia ſequitur ex illis, & poteſt eſ-„ ſe in hoc peccatum mortale, quando prop-„ ter quietem corporalem & ſomnum, omit-„ tit homo, quæ facere debet, & inclinatur ad „ aliqua mala facienda; Michęæ 2. *Væ qui* „ *cogitatis inutile, & operamini malum* „ *in cubilibus veſtris*. (Ubi Hieronymus habet:) *Væ vobis qui & cogitatis malum, & opere conſummatis, & cubilia ad quieſcendum data, ſtupris polluitis; & quidquid iniquitatis nocte tractatis, quaſi differe non liceat, ſtatim ut dies claruerit, feſtinatis implere*. Poteſt etiam ly *in cubilibus* referri ad apparatum luxurię: Gen. 49. „ *Aſcendiſti cubile Patris tui*. Excludit in-„ ſuper intemperantiam circa venerea ad „ tactum pertinentia: *Et impudicitiis*, id „ eſt quibuſcunque veneris actibus: qui di-„ cuntur impudici: quia non cavent id „ quod eſt maximè pudore vel confuſsione „ dignum: Quia omnes delectationes ta-„ ctûs (Gulæ & Luxuriæ) ſunt communes „ nobis & brutis; unde qui eis inordina-„ tè inſiſtit, brutalis efficitur, ſicut equus „ & mulus, Pſal. 31. quia ſpecialiter in „ actibus venereis, ratio hominis totaliter „ abſorbetur à delectatione, ut non poſ-„ ſit homo tunc aliquid intelligere, ſicut „ Ariſtoteles dicit lib. 7. Ethicor. cap. 12. (vel 11. ſive lect. 11. apud D. Thomam.) „ Undè & Oſee 4. dicitur: *Fornicatio, ebrie-* „ *tas, & vinum auferunt cor*. Tandem „ excludit circa partem iraſcibilem *conten-* „ *tionem*, quę, ut Ambroſius dicit, eſt „ impugnatio veritatis cum confidentia cla-„ moris. Prohibet etiam omnem rixam, „ non ſolum verborum, ſed & factorum, „ quæ ut plurimum à verbis incipit: quia „ tamen ex invidia generari ſolet conten-„ tio, ſubdit, & *æmulatione*. Hucuſque ferè ad litteram D. Thomas.

S. Hieronymus in cap. 2. Michęæ.

*** *** ***

ARTICULUS VI.

Bona opera non ſigna ſolum, ſed cauſa eſſe ſalutis æternę oſtendens.

227 TANDEM omnis effugiendi via pręcluſa novatoribus remanebit, ſi ſtabiliamus hìc, bona opera non ſigna eſſe dumtaxat fidei, ſed verè effectivè conducere ad ſalutem. Tùm generali ratione, tùm etiam: quia meritoria de condigno ſunt vitæ æternæ. Hoc enim averſantur Etherodoxi, quibus, & ipſum nomen mercedis & meriti de condigno exoſum eſt. Adeò ut Calvinus (apud Belarminum lib. 5. cap. 1.) acerbè invehatur contra veteres Patres vocabulis illis uſos. Sed meliùs dixiſſem contra Spiritum Sanctum, verba illa Scriptoribus Sacris dictantem, ut ſtatim videbimus. Martinus verò Bucerus, effutiit: *Patres his nominibus uſos, duram commiſiſſe Cathacreſim*: intolerabilis planè injuria Patribus nedùm, ſed & Spiritui Sancto. Sit ergo contra novatores.

§. I.

Bona opera ſalutem operantur æternam.

228 IMPRIMIS aſſerendum eſt: bona opera ſalutem operari æternam. Primum in hujus aſſertionis ſtabiliendam veritatem ita proponimus argumentum; quia ſemen reſpectivè ad fructum, quem in virtute continet, nedùm habere dicitur rationem ſigni, ſed potiùs rationem cauſę utcunque operativæ; ſed bona opera reſpectivè ad fructum vitę æternæ, rationem obtinent ſeminis: cur ergo ipſis denegabitur virtuoſa efficientia, virtuſque ęternæ gloriæ quodammodò operativa? Majorem propoſitionem cum natura doceat, minorem ita oſtendimus cum Paulo, vel potiùs Paulus ipſe docet apertè: *Qui autem*, (inquit) *ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam*. Sicut per oppoſitum pręmiſerat, quòd *qui ſeminant in carne, de carne & metent corruptionem*. Et benè quidem, nam cùm ſemen fructificet ut in plurimum ſecundùm conditionem terræ; unde videmus, quòd in aliquibus terris, ſemen frumenti degenerat in ſiliginem, vel in aliquod aliud, inquit Divus Thomas. Quid mirum, quod ille qui ſeminat in carne, id eſt, in fomentum & utilitatem carnis, metat corruptionem, quę eſt conditio propria carnis. Sic igitur ad noſtrum aſſumptum cum eodem Angelico Doctore Paulum expendimus: „ *Qui au-* „ *tem ſeminat in ſpiritu* (id eſt ordinat „ ſtudium ſuum ad ſervitutem ſpiritûs, ex „ fide & charitate ſerviendo juſtitiæ) *metet* „ *quidèm de ſpiritu, ſecundùm conditio-* „ *nem ejus*. Conditio autem ſpiritûs eſt, „ quod ſit auctor vitę, Joannis 6. *Spiritus* „ *eſt qui vivificat*: non autem cujuſcunque, „ *vitæ*, ſed vitæ æternæ; cum ſpiritus ſit inmor-„ talis: & ideo metet de ſpiritu vitam „ æternam: Proverbiorum 11. *Seminanti* „ *juſtitiam merces fidelis, quia nunquam* „ *deſicatur*. Angelico Doctori pręluxerat Sanctus Proſper ad verba illa Pſalmi *Potens in terra erit ſemen ejus*, ſic aptiſsimè diſſerens: *Semen futuræ meſsis eſſe opera miſericordiæ, Apoſtolus teſtis eſt dicens: Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim proprio metemus. Quid autem potentius hoc ſemine, cujus impendio comparatur Regnum Cœlorum & vita æterna?* Hæc certè vita æterna meſsis quidèm eſt divinitùs promiſſa juſtis, qui fructum bonum afferentes in patientia, voluntatem Dei faciunt, juxta illud: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem: Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſsionem.*

Ad Galatas 6. v. 9.

D. Thomas ibidèm lect. 2.

Opera juſtorum ſemina ſunt gloriæ.

S. Proſper in Pſalm. 111.

Ad Hebreos 10. a verſ. 35.

229 Secundum argumentum, non jam in ſymbolo & ſimilitudine, ſed in ipſa manifeſta veritate, miniſtrat nobis Gentium Apoſtolus ad Corinthios inquiens: *Id enim, quod in pręſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur*, id eſt, non attendentibus ad terrena, ſed ad cœleſtia, ut exponit Divus Thomas. Hæc autem Apoſtoli verba, ſic ad methodum Scholæ, cum Angelico Doctore elucidante, expendimus: id quod aliud operatur, non hujus ſignum dumtaxat, ſed quodammodo cauſa dici debet; ſed hujuſmodi ſunt tribulationes patienter toleratę ab hominibus juſtis, non terrena ſed cœleſtia attendentibus, reſpectivè ad gloriam æternam, quam operari dicuntur ab Apoſtolo: erunt igitur opera illa bona gloriæ ęternæ conſequendæ, nedum ſigna, ſed & cauſæ quodammodo operativæ; ea efficientia ad reliqua opera bona ſimiliter extendenda. Sed ut magis enargia hujus Apoſtolici teſtimonii appareat, miram erit attendere cum Angelico Doctore & mirabilem correſpondentiam inter tribulationes juſtorum in hac vita, & gloriam in futuro correſpondentem, ut nova ratione de illis dicamus cum Sancto Doctore, hæc ſunt cauſa & meritum, quare Deus iſtam gloriam nobis conferat. Quinque enim conditiones in hoc juſtorum ſtatu Apoſtolus indicat. Primò; quia ſtatus hujus vitę in Sanctis, eſt in ſe parvus, & quaſi inperceptibilis: unde dicit: *Id* (id eſt minimum.) Secundò eſt tranſitorius: unde dicit: *In pręſenti*: id eſt in vita iſta, quæ eſt in afflictionibus & ærumnis. Tertiò, brevitas temporis: unde dicit: *Momentaneum*. Item eſt levis: unde dicit: *leve*: quia ſpiritui charitate ferventi leviſsimum eſt onus tribulationum. Tandèm ſtatus præſentis vitę eſt pœnalis, ideò dicit: *Tribulationis*. Per oppoſitum verò ponit quinque conditiones ſtatûs beatitudinis: nam contrapoſitivè ad primum, dicit: *Supra modum*, id eſt ſupra menſuram. Contra ſecundam conditionem dicit: *In ſublimitate*, id eſt in ſtatu ſublimi abſque perturbatione. Contra *momentaneum*, ponit *æternum*. Contra *leve*, ponit *pondus*. Et quidèm propter duo: pondus enim inclinat, & trahit ad motum ſuum, quæ ſubſunt ſibi. Sic gloria ęterna erit tanta, quòd totum hominem faciet glorioſum & in anima, & in corpore; nihilque erit in homine, quod non ſequatur impetum gloriæ: vel dicitur: *Pondus* propter pretioſitatem: nam pretioſa ſolum ponderari conſueverunt, juxta illud Levitici: *Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarii ponderabitur*. Contra hoc quod dicit: *Tribulationis*, ponit, *gloriæ*.

2. Corinth. 4. v. 17.

D. Thomas ibidem lect. 5.

Opera juſtorum æternum gloriæ pondus operantur.

Levit. 27. v. 25.

230 Tandem alia ſimilitudine ex ipſa tamen ſcriptura aſſertionem noſtram breviter firmamus, hac diſſerendi ratione: nam qui ad januam nedùm vocat, ſed pulſat, aperiendum ſibi quodammodo præſtat, ſed per bona opera aliundè per fidem clamantes ad januam Cœlorum pulſare dicuntur: aliqua erga efficientia reſpectivè ad Regnum Cœlorum concedi, neceſſum erit. Propoſitionem minorem ex illis verbis Chriſti Domini: *Petite, & dabitur vobis, pulſate, & aperietur vobis*, ita oſtendit Auctor Operis imperfecti: *Sicut qui pulſat oſtium, non tantum voce clamat, ſed & manu, ſic qui opera facit, quaſi manu pulſat Deum operibus bonis.* Jam verò Virgines illæ fatuę, quæ ſub noctis mediæ tempore Cœlorum portas ſibi aperiri rogarunt, repulſam paſſę, Cœlo æternùm excluſæ ſunt; quare illud? Solo vocis ſono intrò admitti petierunt, nec manibus pulſarunt. *Venerunt & reliquę Virgines dicentes, Domine, Domine aperi nobis.* Hic illud advertite, quod dicitur de fatuis illis Virginibus, dixiſſe ſolummodò, *Domine aperi nobis*, non verò, quòd venerint pulſantes. Dixerat non tantum Dominus: *petite*, ſed & addidit *pulſate*; ille ad Cœlorum januas pulſat, qui operibus neceſſariis paratus accedit, eique Cœlorum januæ aperiuntur ad ingreſſum.

Qualiter juſti pulſare dicuntur Cœli januam.

Lucę 11. v. 9. Auctor imperfecti Homilia 18. in Matthęum.

231 Supereſt dumtaxat rationem adducere, qua D. Thomas Theologorum agens congruenter oſtendit propoſitam aſſertionem: licèt enim Deus per ſuam potentiam homini poſſet beatitudinem conferre, nulla in ipſo præcedente operatione, qua ad beatitudinem obtinendam tenderet; oppoſitum

D. Thomas 1. 2. q. 5. a. 7. in corp.

Theologica D. Thomæ ratio.

Solut. ad 1.

ſitum autem exigere videtur divinę ſapientię ſuaviſsimus ordo : ergo quamvis operatio hominis non præexigatur ad conſequutionem beatitudinis propter inſufficientiam divinæ virtutis ; benè verò ut debitus ordo in rebus ſervetur, ut ſolutione ad 1. docet S. Doctor. Propoſitionem minorem, pro ſecunda parte, ad Scholæ methodum, ita breviter oſtendimus, poſtea daturi verba D. Thomæ. Nam qui naturaliter ſive in natura ſua habet bonum aliquod perfectum, non indiget motu vel operatione, ut bonum illud conſequatur: ſecùs verò ſi naturam excedat : cùm ergo beatitudo naturalis dumtaxat Deo ſit; naturam aliam quamcunque creatam excedens: ſolius Dei erit ad illam ſine operatione prçcedente devenire : creaturę autem rationales per unam, vel plures operationes juxta diverſitatem perfectionis, ad ultimam fœlicitatem conſequendam pervenire habent.

In corp. artic.

232 Reſpondeo dicendum, quod rectitudo voluntatis, ut ſupra dictum eſt (q.4. „ a. 4.) requiritur ad beatitudinem, cùm „ nihil aliud ſit, quàm debitus ordo vo„ luntatis ad ultimum finem, quæ ita exi„ gitur ad conſequutionem ultimi finis, „ ſicut debita diſpoſitio materiæ ad conſe„ quutionem formæ, ſed ex hoc non oſten„ ditur, quod aliqua operatio hominis de„ beat præcedere ejus beatitudinem. Poſ„ ſet enim Deus ſimul facere voluntatem „ rectè tendentem in finem & finem con„ ſequentem, ſicut quandoque ſimul ma„ teriam diſponit, & inducit formam. Sed „ ordo divinę ſapientiæ exigit, ne hoc fiat, „ ut enim dicitur in 2. de Cœlo : Eorum„ que nata ſunt habere bonum perfectum, „ aliquid habet ipſum ſine motu, aliquid „ uno motu, & aliquid pluribus. Habere „ autem perfectum bonum ſinè motu con„ venit ei, quod naturaliter habet illud: „ habere autem beatitudinem naturaliter „ eſt ſolius Dei. Unde ſolius Dei proprium „ eſt, quòd ad beatitudinem non movea„ tur per aliquam operationem prçceden„ tem. Cum autem beatitudo excedat om„ nem naturam creatam, nulla pura crea„ tura convenienter beatitudinem conſequi„ tur abſque motu operationis, per quam „ tendit in ipſam : ſed Angelus qui ſupe„ rior eſt ordine naturæ, quàm homo, „ conſequutus eſt eam ex ordine divinæ „ uno motu operationis meritoriæ, ut in „ primo expoſitum eſt: Homines autem „ conſequuntur ipſam multis motibus ope„ rationum, qui merita dicuntur. Unde „ etiam ſecundùm Philoſophum beatitudo „ eſt præmium virtuoſarum operationum.

§. II.

Bona juſtorum opera meritoria ponit vitæ æternæ.

233 DE bonis juſtorum operibus operari diximus ſalutem æternam; de quibus ſolum ſtabilire habemus meritoria eſſe de condigno, augmenti nedum gratiæ & charitatis, ſed etiam gloriam ipſam. Quapropter nonnulla ex Theologorum Schola hùc aſportare neceſſum erit, circa naturam & conditiones meriti condigni. Cum enim meritum Theologicum generatim dictum, opus ſit in obſequium Dei Auctoris ſupernaturalis prçſtitum, cui præmium quodammodo debetur ſupernaturale, meritò quadantenùs proportionatum; Inde apud Scholæ Theologos meritum conſuevit adçquatè dividi in congruum & condignum. Illud cum præmio æqualitatem non habet, ſed proportionem quandam: ſecùs autem eſt in meritò condigno. Qualis autem dicenda ſit çqualitas iſta, nùm geometrica ſolum & proportionalis, an arithmetica ſeu mathematica Scholaſtici dubitant Theologi ; nos autem utrunque dicendi modum quodammodò conciliantes, diximus, æqualitatem illam non debere talem dici in eſſe entis, qualiter præmium ſæpè excedit meritum, ut patet in viſione beatifica reſpectivè ad actus virtutum tranſeuntes. Deſideranda igitur eſt æqualitas arithmetica præmii in eſſe præmii cum merito ; quæ jurè appellatur æqualitas arithmetica virtualis ; eò quia meritum condignum in virtute adçquet & contineat præmium. Sic enim nos docuit Angel. Doctor. „ Ad tertium (inquit) dicendum quòd gra„ tia Spiritûs Sancti, quam in præſenti „ habemus, etſi non ſit æqualis gloriæ in „ actu, eſt tamen æqualis in virtute, ſicut „ ſemen arborum, in quo eſt virtus ad to„ tam arborem. Et ſimiliter per gratiam in„ habitat hominem Spiritus Sanctus, qui „ eſt ſufficiens cauſa vitæ æternę, unde & „ dicitur eſſe pignus hçreditatis noſtræ. 2. „ ad Corinth.

Meritum condignum vitę æternę jure concedēdum, gloria ipſius.

D. Thomas in 2. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 3.

Conditiones ad meritum ex parte operis.

D. Thomas 1. 2. *q.* 114. *art.* 3. *ad* 3.

234 Inde jam eſt facilè deducere: ad meritum condignum vitæ çternæ ſanctitatem in perſona merente præexactam eſſe ; ſivè gratiam ſanctificantem, à qua formaliter hominem ſanctificari tanquam ab unica cauſa formali noſtræ juſtificationis, ſtatuerat Sacrum Tridentinum Concilium. Eſt etenim gratia ſanctificans veluti forma, operationes meritorias valorans, qua ratione dicitur ſemen glorię, & fons aquæ ſalientis in vitam æternam; atque indè çqualitas illa virtualis erumpit, quam diximus neceſſariam eſſe ad meritum condignum vitæ æternæ. Erit ergo gratia ſanctificans ad me-

Ex parte operantis.

ritum illud requiſita, nedùm tanquam removens prohibens, ſed etiam tanquam poſitivè conducens, ſaltem juxta præſentem Dei providentiam. An verò id ipſum dicendum ſit attentâ etiam potentiâ Dei abſolutâ, proùt veroſimiliùs habeo, Diſcipuliſque tradidi, diſputandum relinquo Scholæ Theologicæ. Satis namque erit in præſenti adnotare, juxta præſentem providentiam dubitandum non eſſe de propoſita doctrina, poſtquam diffinita eſt à Tridentino Concilio ſeſsione 6. cap. 16. & can. 32. prælucentibus Concilio Millevitano can. 5. & Arauſicano can. 18. Inſuper poſtquam Sanctiſsimus Pontifex Pius V. in Bulla quę incipit : *Ex omnibus*, confirmata per Gregorium XIII. ſequentes inter alias plures contra Michaëlem Bajum damnavit propoſitiones.

S. Pius V. in Bulla, quæ incipit : Ex omnibus.

2. *Sicut opus malum, ex natura ſua eſt mortis æternę meritorium; ſic bonum opus, ex natura ſua eſt vitę æternæ meritorium.*

Errata Baii circa meritum vitę æternæ.

13. *Pelagii ſententia eſt : opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non eſt regni cœleſtis meritorium.*

14. *Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti, ex eo quod fiunt per ſpiritum adoptionis, inhabitantem corda Filiorum Dei, ſed tantum ex eo quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.*

16. *Ratio meriti non conſiſtit in eo quod, qui benè operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum ; ſed in eo ſolum quod quis obedit Divinæ legi.*

20. *Tandem inſinuat : quod opera juſtitiæ & temperantiæ, quę Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerint majorem valorem.*

235 Audiatur tamen Doct. Ang. aſſumptum propoſitum, pro more ſuo ita elucidans & firmans. „ Reſpondeo dicendum, „ quòd hominis ſine gratia duplicis ſtatus „ conſiderari poteſt, ſicut ſupra dictum eſt. „ Unus quidem naturæ integræ qualis, fuit „ in Adam ante peccatum. Alius autem „ naturę corruptæ, ſicut eſt in nobis ante re„ parationem gratię. Si ergo loquamur de „ homine quoad primum ſtatum, ſic una ra„ tione non poteſt homo mereri abſque „ gratia vitam æternam per pura naturalia, „ quia ſcilicet meritum hominis dependet „ ex præordinatione Divina. Actus autem „ cujuſcunque rei non ordinatur divinitùs „ ad aliquid excedens proportionem virtu„ tis, quæ eſt principium actus : hoc enim „ eſt ex inſtitutione divinæ providentiæ, ut „ nihil agat ultra ſuam virtutem. Vita au„ tem æterna eſt quoddam bonum exce„ dens proportionem naturę creatæ: quia „ etiam excedit cognitionem, & deſiderium „ ejus, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 2. „ *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec* „ *in cor hominis aſcendit*. Et inde eſt, „ quòd nulla natura creata eſt ſufficiens „ principium actus meritorii vitæ æternæ, „ niſi ſuperaddatur aliquod ſupernaturale „ donum, quod gratia dicitur. Si verò „ loquamur de homine ſub peccato exi„ ſtente, additur cum hoc ſecunda ratio „ propter impedimentum peccati. Cùm enim „ peccatum ſit quædam Dei offenſa exclu„ dens à vita æterna, ut patet per ſupra „ dicta, nullus in ſtatu peccati exiſtens po„ teſt vitam çternam mereri, niſi priùs „ Deo reconcilietur dimiſſo peccato, quod „ fit per gratiam. Peccatori enim non de„ betur vita, ſed mors, ſecundùm illud „ Rom. 6. *Stipendia peccati mors.*

D. Thomas ubi ſupra art. 2. *in corp.*

236 Statum gratiæ ſanctificantis ex parte ſubjecti merentis, requiſitum omnimodè diximus. Atque ex eodem capite ſtatum viatoris in puro homine communis Dei providentia ad meritum deſtinavit, juxta illud D. Thomæ : *Mereri, & demereri pertinet ad ſtatum vię.* Cùm enim meritum (arguit D. Thomas) via quædam ſit & motus, quo ad præmium movetur homo, motus autem ſit actus exiſtentis in via, exploratum eſſe debet ſtatum viæ ad meritum requiri. Verumtamen non ita inter Theologos convenit, qualiter hujus ſtatûs conditio explicanda ſit. Nobis autem dicendum duximus cum D. Thoma: Hominem, quantum ad præſens attinet aſſumptum viatorem dici, dùm viſione beatifica carens ambulat per fidem, atque in corpore eſt conſtitutus. Sic enim Apoſtolus ſignificare videtur ad Corinth. ſcribens: *Scientes quoniam dùm ſumus in corpore peregrinamur à Deo, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem.* Quibus præſentis vitæ peregrinatio in eo ſita dicitur, quod homo in corpore mortali, ac paſsibili conſtitutus per fidem ambulet, & non „ per ſpeciem, id eſt non per viſionem „ perfectam, fidei enim verbum eſt ſicut „ lucerna, à qua illuminamur ad ambulan„ dum in via iſta, ut exponit D. Thomas.

D. Thom. 2. 2. *q.* 13. *a.* 4. 1. *p.* *q.* 62. *a.* 9.

Q. 7. *de malo a.* 11.

Status vię.

2. *Corinth.* 5. *v.* 6.

D. Thomas lectione 2.

237 Statui viæ ad merendum libertas adjungi debet in perſona merenti ; libertas inquàm indifferentię, nùm contrarietatis ſit, vel contradictionis ; ſive quo ad ſpecificationem, vel quo ad exercitium, ut in Scholis dicitur, & à neceſsitate ; excluſa proinde fucata illa Baii, & Janſenii libertate à coactione, prout jam Eccleſia per Innocentium XI. declaravit Janſenianam illam damnans propoſitionem : *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſsitate.* Eandem propoſitionem prædamnaverat jam Dr. Angelicus. Hæc autem opinio (inquit) eſt hęretica : „ Tollit „ enim rationem meriti, & demeriti in hu„ manis actibus. Non enim videtur eſſe „ meritorium, vel demeritorium, quòd „ aliquis ſic ex neceſsitate agit, quod vi„ tare non poſsit. Eſt autem annumeran„ da inter extraneas Philoſophię opiniones, „ quia non ſolum contrariatur fidei, ſed „ ſubvertit omnia principia Philoſophiæ „ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in

Libertas indifferentiæ.

Quæſt. 6. *de malo art. unic.*

,, in nobis, ſed ex neceſsitate movemur ,, ad volendum, tollitur deliberatio, exhor- ,, tatio, præceptum & punitio, & laus, & ,, vituperium, circa quæ moralis Philoſo- ,, phia conſiſtit. Hujuſmodi autem opinio- ,, nes, quę deſtruunt principia alicujus par- ,, tis Philoſophiæ dicuntur poſitiones extra- ,, neæ, ſicut nihil moveri, quod deſtruit ,, principia ſcientiæ naturalis.

238 Præjactam veræ libertatis ad meritum requiſitam notionem ab Eccleſiaſtico mutuavit D. Thomas: Poſtquam enim dixit: *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*; quibus veram indifferentiæ activæ libertatem in homine juſto declarat; continuò ſubjungit: *Ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino & Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Ut appareat meritum hominis juſti libertatem indifferentiæ exigere, quippè qui potens tranſgrédi non fuit tranſgreſſus. Et meritò: nam ſublatâ indifferentiâ arbitrii, & dominium tollitur voluntatis in ſuos actus ad veram libertatem omnimodè requiſitum: *Non eſt quippè nobis liberum quod in poteſtate non habemus*; ut aliquando ajebat Auguſt. Jure igitur S. Parens rationem meriti, & demeriti ad veram indifferentiam activam voluntatis, ſive veram potentiam eligendi utrumque libertatis extremum reducit, inquiens: *Habet unuſquiſque in ſua voluntate aut eligere, quę bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere, ea quę mala ſunt, & eſſe arbor mala.* In hoc aſſumpto, cùm plura diximus in Scholis de merito juſti tractantes, & de voluntario, audiendum dumtaxat hìc damus Doctorem Angelicum ita loquentem: ,, Sumus Domini noſtrorum ,, actuum, ſecundùm quod poſſumus hoc ,, vel illud eligere. Et rurſus: Dominium ,, autem quod habet voluntas ſupra ſuos ,, actus, per quod in ejus eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinatio- ,, nem virtutis ad unum, & violentiam ,, cauſæ exteriùs agentis.

Eccleſiaſt. 31. à v. 10.

S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio c. 3.

Lib. 2. cont. Felicem Manichæum c. 4.

D. Thomas 1. p. q. 82. a. 1. ad 3.

1. Cont. Gent. cap. 68.

239 Dubitant nihilominus Scholę Theologi, an libertas in cauſa ſicut ad peccatum, ita & ad veram rationem meriti ſufficiens ſit. Deindè: an ad meritum de condigno vitæ ęternæ ſufficiat libertas illa, quam vocant in capite. Dicimus tamen ad 1. eam libertatem non ſufficere ad meritum præſertim de condigno vitę æternę. Quandoquidem ad rationem meriti requiritur actus ſubjectivè liber ſivè per modum exercitii provenientis ex imperio rationis & voluntatis. Sed operationes aliæ honeſtæ in ſomniis, etſi ab homine in vigilia deſideratæ, non ſunt ſubjectivè voluntariæ, liberæque; quandoquidem intentio habita in vigilia præſtare non valet operationes in ſomniis elicitas ex imperio rationis & voluntatis, tunc ligatę & impeditæ provenire, cujus ſignum eſt, eas aliquando evenire nullo præcedente deſiderio, & aliquando reluctante homine: non ergo operationes illę ratione intentionis præcedentis, poſſunt eſſe ſufficienter liberę, ut meritoriæ ſint. Aliàs nutritio naturalis eſſet meritoria, dùm quis temperatè comedit, ea intentione ut nutriatur ex recto fine. Hoc autem falſum eſſe contendunt omnes: eò ſolum quod nutritio, dùm exercetur, nullatenus ſubditur imperio rationis. Nec ſimile eſt in libertate requiſita ad peccatum, quæ in cauſa ſufficiens eſt, cùm effectus mali per ſe prævíſi peccaminoſi ſint, licèt non ſint directè voliti. Meritò igitur affirmat D. Thomas: Salomonem dormiendo non meruiſſe ſapientiam, nec illam accepiſſe; ſed in ſomnio fuiſſe declaratum ei, quòd propter præcedens deſiderium, ſapientia fuit ei infuſa à Deo: additque quòd ſi Salomon in ſomniis meruit infuſionem ſapientiæ à Deo; tale ſomnum non fuit naturale, ſed Propheticum, in quo frequenter datur uſus liberi arbitrii.

Libertas in cauſa, ſicut & in capite non ſufficit ad meritum.

D. Thomas 1. 2. q. 113. a. 3. ad 2.

240 Ad ſecundum quòd attinet quæſitum, reſpondendum eſſe judico: non ſufficere libertatem illam; adeò ut affirmari poſsit, quòd membra illius capitis moralis in quo continerentur, in ipſo capite propriè mereri. Si enim hoc poſsibile eſſet, utique affirmare oporteret, quòd homines juſti propriè mereantur in Chriſto, & non ſolum quòd Chriſtus meruit nobis: ſic enim exigeret pleniſsima perfectio ad gloriam Redemptoris in Chriſto ut capite morali conducens; cùm ergo non videatur affirmandum quod homines ipſi propriè mereantur in Chriſto dona ſupernaturalia, intuitu meritorum Domini conceſſa; aliàs reſpectivè ad homines non eſſent purè gratuita; reſtat, ad meritum non ſufficere libertatem illam in capite. Ejuſdem reſolutionis ſic aliquando rationem metaphyſico-theologicam in Scholis proponebam: Libertas inſufficiens ut meritum capitis poſſit tribui membris, ut illud moraliter elicientibus, non eſt ſufficiens ut membra mereantur; ſed talis eſt libertas in capite: ergo & non erit ſufficiens ad meritum. Probatur minor: libertas in capite non eſt ſufficiens, ut forma dignificans meritum adhuc moraliter tribuatur membris: ergo inſufficiens eſt ut meritum capitis poſsit tribui membris, ut illud moraliter elicientibus. Conſequentia videtur bona: quia meritum nequit ultra ſe extendere, quàm principium meriti ſeu forma dignificans, cujus effectus quaſi formalis eſt ipſum meritum. Probatur antecedens: principium condignificans, & per modum formæ valorans meritum, eſt Sanctitas perſonæ operantis, ſcilicet gratia habitualis reddens hominem juſtum; ſed libertas in Capite non ſufficit, ut gratia conſtituens ipſum Caput ſanctum & juſtum, conſtituat adhuc moraliter ſancta & juſta membra in illo moraliter contenta: ergo libertas in Capite non eſt ſufficiens, ut forma dignificans meritum, adhuc moraliter tribua-

tur

tur membris. Minor conſtat: quia gratia non aliter conſtituit Sanctos, niſi per intrinſecam inhęrentiam, ut patet ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7.

241 Si fortè dicatur: in illo eventu hominem merentem in Capite debere eſſe juſtum & in gratia conſtitutum: indè hęc propria Sanctitas ſufficiens erit, ut ille mereretur in Capite; etiam ſi non eſſet Sanctus per Sanctitatem Capitis. Sed hoc evertitur & ampliùs explicatur præcedens ratio: ut homo mereatur in Capite, non ſufficit propria Sanctitas, ſed debet reddi Sanctus per Sanctitatem Capitis; ſed hoc repugnat ut ex Tridentino indicavimus: ergo nulla eſt ſolutio: Probatur major: homo nequit denominari formaliter merens per ipſum meritum Capitis, niſi conſtituatur Sanctus per Sanctitatem Capitis: ergo non ſufficit propria Sanctitas. Probatur antecedens: homo nequit denominari merens per meritum Capitis, niſi ipſi conveniat forma dignificans meritum Capitis; ſed non propria Sanctitas, ſed Sanctitas Capitis eſt forma dignificans meritum Capitis non ergo poteſt homo denominari moraliter merens per ipſum meritum Capitis, niſi conſtituatur Sanctus, per Sanctitatem Capitis.

242 Prælibatis conditionibus ex parte perſonę merentis, aliam ex parte Dei ſuperaddere neceſſum eſt, nempè ordinationem quandam: ,, Nam meritum hominis ,, apud Deum, eſſe non poteſt (inquit ,, Div. Thomas) niſi ſecundùm præſuppoſi- ,, tionem Divinæ ordinationis. Qualis autem dicenda ſit hujuſmodi ordinatio, non uno modo explicatur in Scholis Theologorum. Verumtamen dubitandum non videtur, Deum defacto operationes juſtorum ad præmium vitæ æternæ ordinaſſe per expreſſam præmii repromiſsionem, imò & pactum remunerandi honeſtos juſtorum labores. Sic enim habet D. Jacobus: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſsit Deus diligentibus ſe.* Hujus repromiſsionis meminit Tridentinum, *atque ideò* (inquit) *benè operantibus uſque in finem & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna: Et tanquàm gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſsione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Quòd autem hujuſmodi repromiſsio quodammodò induat rationem pacti, Chriſtus Jeſus indicavit ſatis in parabola laborantium in vinea, qui à Patre familias, conventione facta ex denario diurno, miſsi fuerunt in vineam. In quibus ſatis oſtenditur ordinationem illam ex parte Dei ad meritum prærequiri: quapropter antequam de merito in mercede incluſo, mentio aliqua fieret, præſuppoſitum fuit ly *conventione facta.* Et meritò, quia cùm juſtorum omnia opera bona ex divina miſericordia & gratuita liberalitate Dei deſcendant, pluribuſque proinde titulis Deo ſint debita; neutiquam poſſent jus meritorium fundare, niſi aliunde Deus ordinaſſet juſtis conferre gloriam ſub conditione boni operis. Nec ſolum pro remuneratione operum hominis juſti, ſed etiam Chriſti Domini, pactum & promiſsio prę-luxit, juxta illud: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longęvum:: videbit, & ſaturabitur.*

Ordinatio ex parte Dei.

D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 1. in corp.

Jacobi 1. v. 12.

Concilium Tridentinum ſeſ. 6. cap. 16.

Matthæi 20. à v. 1.

Iſaiæ 53. v. 10. & 11.

243 Jam verò duplicem conditionem ex parte ipſius actûs meritorii, à Theologis melioris notæ exactam, breviter damus. Earum prima eſt, quòd ſit actus poſitivus, unde omiſsio actûs mali ſecundùm ſe non erit propriè meritoria. Sic habet frequenter Dr. Angelicus, cujus hæc dumtaxat verba adducimus: ,, Dicendum quòd plu- ,, ra requiruntur ad bonum, quàm ad ma- ,, lum, eò quòd bonum contingit ex tota ,, integra cauſa, malum autem ex ſingu- ,, laribus *defectibus*, ut Dionyſius dicit 4. ,, cap. de divin. nomin. Et ideò pecca- ,, tum poteſt contingere, ſive aliquis faciat ,, quod non debet, ſive non faciendo quod ,, debet: ſed meritum non poteſt eſſe, niſi ,, aliquis faciat voluntariè, quòd debet, & ,, ideò meritum non poteſt eſſe ſine actu, ſed ,, peccatum ſine actu. Et meritò quidèm, nam omiſsio quæcunque illa ſit, etiam actus mali, non poteſt eſſe intrinſecè bona, bonitas ſiquidem moralis quæ eſt fundamentum meriti, jurè ponitur à Theologis in ipſa tendentia poſitiva ad objectum conſonum regulis morum; omiſsioni autem intrinſecè & ratione ſui negativa dumtaxat conformitas vel difformitas convenire valet. Nec ſimile eſt in omiſsione pura ſecundùm aliquos Theologos poſsibili reſpectivè ad meritum & bonitatem, & reſpectivè ad malitiam. Quandoquidem pura omiſsio actus præcepti poterit utique dici mala & demeritoria: ſecùs autem pura omiſsio actus mali. Illa enim voluntaria, indèque libera dici valet à Theologis illius ſententię, eò prę-ciſè, quia homo poteſt, tenetur, & non adimplet præceptum. Non tamen hoc ipſum de pura omiſsione actûs mali affirmare eſt: quia licèt homo poſsit ponere actum malum, & non ponat; non tamen tenetur ponere illum: imò potiùs ad illum tenetur non ponendum. Quapropter Doctor Angelicus, cùm ſibi oppoſuerit verba illa Pſalmi: *Diverte à malo, & fac bonum*; ubi indicari videtur omiſsionem actus mali habere rationem boni, imò & mereri vitam & palmam; ut Gloſſa habet. Sic reſpondet ad ſecundum. ,, Quòd declinare à malo ,, ſecundùm quod ponitur pars juſtitiæ, non ,, importat negationem puram, quod eſt ,, non facere malum: hoc enim non me- ,, retur palmam, ſed ſolum vitat pœnam. ,, Importat autem motum voluntatis repu- ,, diantis malum, ut ipſum nomen decli- ,, nationis oſtendit: & hoc eſt meritorium, ,, præcipuè quando aliquis impugnatur, ut ,, malum faciat, & reſiſtit. Ad ſecundam

D. Thomas 1. 2. q. 71. a. 5. ad 1.

Debet eſſe actus poſitivus.

D. Thomas 2. 2. q. 79. a. 1. ad 2.

Pſal. 33. v. 15.

quod

quod attinet conditionem; nihil eſſet dicendum juxta veroſimiliorem nobis ſententiam, quam in Scholis ſatis efficaciter propugnavimus: eundem actum bonum ſimul & malum eſſe non poſſe, bonum, ſcilicet ex objecto, & malum ex fine, aut è converſo. Verumtamen data opinione oppoſita verè utique probabili: à pluribuſque Theolog. admiſſa.

Actus adequatè bonus.

244 Dicendum nobis eſt: actum ſimul bonum & malum conformiter ad prælaudatam ſententiam, non eſſe meritorium de condigno vitæ æternæ. Si enim malitia qua actus ille obvolveretur, gravis eſſet; nihil videtur de noſtra aſſertione dubitandum: quia cum ſubjectum ita operans Deo reddatur inviſum, gratiâ ſanctificante deſtitutum, dignumque pœnâ æternâ; quis in animum inducere poterit: operationem illam, etſi ex alio capite bonam, promereri de condigno vitam æternam? Præcipuè cum Deus merita remuneraturus, pro aliquo priori reſpicere habet perſonam merentem, quàm ejus opera, juxta illud: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Quinimò veram eſſe credimus aſſertionem, etiamſi malitiâ levi actus inficiatur. Quandoquidem operatio vitę æternæ de condigno meritoria, & bona eſſe debet, & benè fieri; ſi autem actus ex objecto bonus, ob pravum finem etſi leviter diformem, uti eſſe ſolet inanis gloria, eliciatur, etſi bonus poſſet dici, non tamen quòd benè fiat. Quapropter Apoſtolus exhortans ad ſpem & meritum vitæ æternæ, non ſubſtantiam præcisè bonorum operum, ſed & modum rectitudinis in eis præſcribit, ad Titum ita ſcribens: *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo. Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

Gen.4.v.4.

Ad Titum 2. à verſ.12.

245 Tandèm: Urgèntiori argumento ſtabilienda venit aſſertio noſtra, ex verbis Chriſti Domini ad Phariſęos ita loquentis: *Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* His namque verbis apertè docet Chriſtus Dominus; opus aliunde bonum ex fine inanis gloriæ factum, præmium ſaltem vitę æternę non eſſe adepturum, in hoc etiam quòd addit *alioquin, &c.* nihil aliud demonſtrat, niſi illud nos cavere oportere, ne humanam laudem pro noſtrorum operum mercede quæramus, ut exponit Auguſtinus. Et certè quid mercedis accepturi ſunt in Cœlis, ex inani gloria operantes; cum jam receperint mercedem ſuam in terra, ut habet Chriſtus Dominus? Sivè ut loquitur Chryſoſtomus: *Quid autem à Deo recipies, qui Deo nihil dediſti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo recipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur.* Accedit etiam Mag. Gregorius in parabolam decem Virginum ſic loquens: *Hodierna Sancti Evangelii lectione compellor dicere, ut & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis: ne per hoc quod à vobis rectum geritur; favor aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intùs à mercede vacuetur.* Audiatur tandem Divus Thomas: „Ad primum dicendum, quòd „nullus peccando meretur vitam æternam. „Undè opus virtuoſum amittit vim me„rendi vitam æternam, ſi propter inanem „gloriam fiat: etiamſi illa inanis gloria „non ſit peccatum mortale.

Matth.6.v.1.

D. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domin.in monte apud D.Tho. in Catena.

S. Chryſoſtomus ibidèm.

S. Gregorius hom.12. in Ev.

D.Thomas 2.2. q. 132. a. 3. ad 1.

249 Supereſt demùm, nonnulla dicere circa aliam conditionem, à Theologis acriter controverſam; & utrinque probabiliter. Utrum ſcilicet ad meritum condignum vitæ æternæ neceſſum ſit, aliarum virtutum actus virtualiter ſaltèm imperari à charitate, ut cum Angelico Doctore, & Seraphico Bonaventura communior in Scholis Sententia tenet, apud Cardinalem Belarminum: In oppoſitum licèt inclinent graviſsimi Theologi. Diximus virtualiter: Nam ad meritum etiam vitę ętcrnæ condignum, non requiri imperium actuale, ſive actualem & formalem ordinationem charitatis, docuit nos D. Thomas, præfocans Bajaniſmum & Janſeniſmum, antequam exorti fuiſſent. Sic enim loquitur: „Ad quartum dicendum, quòd ad hoc, „quòd alicujus actionis finis ſit Deus, vel „charitas, non oportet, quòd agendo „illam actionem aliquis de Deo vel chari„tate cogitet. Nec iterum ſufficit, quòd „aliquis in habitu tantum Deum & chari„tatem habeat, quia ſic etiam actum ve„nialis peccati aliquis in Deum ordinaret, „quod falſum eſt: Sed oportet quòd priùs „fuerit cogitatio de fine, qui eſt charitas „vel Deus, & quòd ratio actiones ſequen„tes in hunc finem ordinaverit: ita quòd „rectitudo illius ordinationis in actioni„bus ſequentibus ſalvetur, ut patet in „exemplo, quòd Avicen. ponit de artifi„ce, qui, ſi dùm opus ſuum exerceret, „ſemper de regula artis cogitaret, mul„tum in opere impediretur; ſed ſicut „prius excogitavit per regulas artis: ita „poſtmodum operatur, & ſic in opere ejus „rectitudo artis ſalvatur.

Imperium virtuale charitatis.

D.Thomas in 2. diſt.38. q.1. a. 1.ad 4.

250 Meritò igitur affirmat ſæpè Doctor Angelicus, præmium vitę ętcrnæ ad charitatem primò pertinere: ad alias autem virtutes ſecundariò, ut poſtea ſignificavimus. Nec inde deducendum eſt, præmium eſſentiale ſoli charitati debitum eſſe: Aliis autem virtutibus, earum ſpecificâ bonitate attentâ, ſolummodo præmium accidentale reſpondere. Hæc namque opinio, nonnullis licèt Theologis arrideat: nobis autem non probatur, pręſertim poſt duplicem illam propoſitionem damnatam contra Queſnellum in Conſtitutione *Unigenitus*, nimirum 55. *Deus non coronat niſi charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo,*

tivo, in vanum currit. Et 56. *Deus non remunerat niſi charitatem; quoniam charitas ſola Deum honorat.* Omittimus plurima Sacræ Scripturæ & SS. PP. teſtimonia, in quibus æternum gloriæ præmium eſſentiale, nempè vita æterna, actibus fidei, miſericordiæ, patientiæ, humilitatis, & generaliter bonis juſtorum operibus promittitur: præſertim ſi ex imperio ſaltèm virtuali charitatis eliciantur. Hæc autem qualiter vera eſſe poſsint, planè non aſſequor: ſi præmium eſſentiale actibus aliarum virtutum à charitate imperatis, eorum attentâ ſpecificâ bonitate, in Cœlis non correſpondeat, diſtinctum à præmio, quod charitati imperanti correſpondet. Audiatur inter alios Patres Auguſtinus, ſic Deum loquentem exhibens: *Venale habeo: quid Domine? Regnum Cœlorum: quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Videas hinc vitam ęternam aliarum etiam virtutum actibus tanquam mercedem correſpondere, ut multiplici aliàs momento in Scholis firmavimus.

S. Auguſtinus in Pſal. 93.

251 Verumtamèn, quòd debeant ſaltèm virtualiter imperari à charitate, non minoris efficaciæ argumentis ſtabilivimus. Imò ſtabilire videtur Gentium Apoſtolus, dùm actum fidei meritorium dicit vitæ ęternæ, qui à fide procedit per dilectionem operante, prout adducit Doctor Angelicus: ſimile quid appareat in actu patientiæ & fortitudinis. *Nam in Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per charitatem operatur*, ait Paulus, & rursùs: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: Scilicet ad meritum condignum vitæ ęternæ. Hujuſmodi autem loquendi modus in Apoſtolo, ſatis expreſsè indicat: actus aliarum virtutum meritorios de condigno vitæ æternæ, à charitate ſaltèm virtualiter imperari debere, etſi à propriis virtutibus eliciantur. Quapropter immediate aſsignat Paulus influxum charitatis erga aliarum virtutum actus, inquiens: *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quęrit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* Hujuſmodi charitatis influxum ad mentem Pauli explicant Angelico Doctori prælucentes SS. PP. Benè igitur deducit Cornelius à Lapide: Benignitatem, patientiam &c. de quibus loquitur Paulus; actus eſſe, non quidem elicitos, ſed imperatos à charitate; ſive ut loquitur Ambroſius: *Ideò puto dicit: quia charitas credit omnia, hoc eſt: quia facit fidem omnia credere.*

Ad Galat. 5. v. 6.

1. Corinth. 13. v. 3.

A verſ.4.

S. Ambroſius Epiſt.44.

252 Et certè: quòd æternum gloriæ regnum virtutibus v.g. moralibus ſolùm per charitatem imperatis, tanquam præmium correſpondeat, verba ipſa Chriſti Domini videntur indicare, quibus electi invitandi ſunt ad regnum Patris in die judicii: *Eſurivi* (inquiet) *& dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram & collegiſtis me: Nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.* Videas igitur actus virtutum moralium, quibus in prę- mium vita ęterna correſpondet, elicitos eſſe ex imperio ſaltem virtuali charitatis, ſive propter Chriſti amorem. Non enim facilè eſt concipere, quòd aliquis Chriſtum cibat, niſi qui pauperi, propter amorem ſaltem virtualem Chriſti, panem porrigit: Aliàs infideles, qui ex motivo honeſto naturali eleëmoſynam elargirentur, propriè dicerentur Chriſtum cibare: quod videtur abſurdum. Deinde, cùm Chriſtus Dominus ſubjungat: *Quandiù feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*: Solam illam eleëmoſynam meritoriam vitæ æternæ prædicare videtur, quam aliquis elargitur pauperi per reſpectum ad Chriſtum Dominum, & nomine Chriſti: ſive ex affectu & amore ſaltèm virtuali ad Chriſtum Dominum. Quapropter ſubtiliter pro more Cajetanus ſic expendit: *Non dicit quandiù uni pauperi: quia benefacere homini pauperi, officium eſt naturalis miſericordiæ, commune fidelibus & infidelibus: ſed benefacere fratri Jeſu Chriſti, officium eſt Chriſtianæ miſericordiæ, quæ in pauperibus Chriſtum conſiderat, & propter Chriſtum exercet hæc opera.*

Matth. 25. à v.35.

V. 40.

Cajetanus ibidèm in Comment.

253 Subjiciamus tandem Theologicam rationem, quam novitiis Theologis aliquando dedimus: Actus namque de condigno meritorius vitæ æternæ, ei debet eſſe proportionatus, & quidèm poſitivè; ſed actus virtutis etiam ſupernaturalis, à charitate neutiquàm imperatus, eam non poteſt habere poſitivam proportionem: Non ergo meritorius de condigno erit vitæ æternæ. Propoſitio aſſumpta ita oſtenditur: vita æterna præmium eſt amicabile, ſive homini correſpondens titulo amicitiæ cum Deo: Solummodò igitur honeſta operatio in qua reſplendeat ratio amicitię, erit vitæ ęternæ poſitivè proportionata. Ratio autem amicitiæ non aliter reſplendere videtur in operatione aliqua, niſi ab homine eliciatur, non ſolum aliundè amico, ſed ut amico Dei, ſive ipsâ amicitiâ, quæ eſt per charitatem influente per imperium ſaltèm virtuale: Niſi ergo virtutum actus à charitate imperentur, poſitivam non valebunt proportionem habere cum præmio vitę ęternæ: nec operationes dicendæ erunt formaliter amicabiles, charitate concomitanter dumtaxat ſe habente in ſubjecto Dei amico. Quemadmodum homo aliàs inſigniter Theologus, dùm ſerviliter & mechanicè operatur, ejus non influente Theologia, non poteſt dici, quod operetur ut Theologus: nec opera illa Theologico-litteralia appellantur.

254 Aliam rationem ex ipſa conditio-

D.Thomas 2.2. q.114. à4. in corp.

ne præmii vitæ æternæ proponit D. Thomas inquiens: ,, Reſpondeo dicendum,
,, quòd ſicut ex dictis accipi poteſt, hu-
,, manus actus habet rationem merendi ex
,, duobus. Primò quidèm & principaliter
,, ex divina ordinatione, ſecundùm quòd
,, actus dicitur eſſe meritorius illius boni, ad
,, quod homo divinitùs ordinatur. Secun-
,, dò verò ex parte liberi arbitrii, inquan-
,, tum ſcilicet, homo habet præ cæteris
,, creaturis, ut per ſe agat voluntariè agens.
,, Et quantum ad utrumque principalitas
,, meriti penès charitatem conſiſtit. Primò
,, enim conſiderandum eſt, quòd vita æter-
,, na in Dei fruitione conſiſtit: motus au-
,, tem humanæ mentis ad fruitionem divi-
,, ni boni eſt proprius actus charitatis, per
,, quem omnes actus aliarum virtutum or-
,, dinantur in hunc finem, ſecundùm quod
,, aliæ virtutes imperantur à charitate, &
,, ideò meritum vitæ æternæ primò perti-
,, net ad charitatem: ad alias autem vir-
,, tutes ſecundariò, ſecundùm quod eo-
,, rum actus à charitate imperantur. Simi-
,, liter manifeſtum eſt, quòd id, quod ex
,, amore facimus, maximè voluntariè faci-
,, mus. Unde etiam ſecundùm quod ad ra-
,, tionem meriti requiritur, quòd ſit vo-
,, luntarium, principaliter meritum chari-
,, tati attribuitur.

§. III.

Meritum condignum operibus juſtorum tribuens.

255 INSUPER aſſerendum eſt: Bona juſtorum opera de condigno meritoria eſſe vitæ æternæ. Ita ſtabilivit Tridentinum, inquiens:

Concilium Trident. ſeſſ.6.cap. 16.

* Hac igitur ratione juſtificatis hominibus,
* ſive acceptam gratiam perpetuò conſer-
* vaverint, ſive amiſſam recuperaverint,
* proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abun-
* date in omni opere bono, ſcientes, quod
* labor veſter non eſt inanis in Domino,
* non enim injuſtus eſt Deus, ut oblivif-
* catur operis veſtri & dilectionis, quam
* oſtendiſtis in nomine ipſius, & nolite
* amittere confidentiam veſtram, quæ mag-
* nam habet remunerationem: atque ideò
* benè operantibus uſque ad finem, & in
* Deo ſperantibus proponenda eſt vita
* ęterna, & tanquam gratia filiis Dei
* per Chriſtum Jeſum miſericorditer pro-
* miſſa, & tanquam merces ex ipſius
* Dei promiſsione, bonis ipſorum ope-
* ribus, & meritis fideliter reddenda.

Canone 26.

* Deinde: Si quis dixerit juſtos non
* debere pro bonis operibus, quę in Deo
* fuerint facta, expectare, & ſperare æter-
* nam retributionem à Deo per ejus mi-
* ſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi
* benè agendo, & divina mandata cuſto-
* diendo, uſque in finem perſeveraverint;
* anathema ſit. * Et adhuc expreſsiùs quę-
ſtionem ſic diffinit: * Si quis dixerit, ho-
* minis juſtificati bona opera, ita eſſe do-
* na Dei, ut non ſint etiam bona ipſius
* juſtificati merita, aut ipſum juſtificatum
* bonis operibus, quæ ab eo per Dei gra-
* tiam & Jeſu Chriſti meritum, cujus vi-
* vum membrum eſt, fiunt, non verè
* mereri augmentum gratiæ, vitam æter-
* nam, & ipſius vitæ æternę, ſi tamen in
* gratia deceſſerit, conſequutionem, at-
* que etiam glorię augmentum; anathema
* ſit.

Canone 32.

Tridentino pręluxerunt Concilium Arauſicanum 2. ſic loquens: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Deinde Lateranenſe ſic habet: *Non ſolum virgines & continentes, verùm etiam & conjugatę per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Tandem Florentinum in Decreto de Purgatorio docet: *Animas, quę nihil expiandum habent, mòx in Cœlum recipi, & habere gloriam ſecundùm meritorum diverſitatem.*

Concilium Arauſicanum 2. cap.18.

Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. Firmiter.

Florentinum in Decreto de Purgatorio.

256 Tridentini Concilii diffinitionibus, cùm aquieſcere nolint Novatores, motivum irrefragabile cui nititur, contra ipſos ita primò urgemus: Quod enim per juſtam remunerationem operibus bonis reddendum ſperatur, correſpondet meritis tanquàm præmium; at ſic vitâ æternâ remunerandos juſtos, expreſsè docuit Apoſtolus: Meritò igitur Tridentina Synodus, præcedentium Conciliorum veſtigia premens, noſtram Catholicam aſſertionem tanquam fidei Dogma declaravit. Paulum audiamus ad Hebræos ita loquentem: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Hanc remunerationem Corinthiis propoſuit idem Apoſtolus, ut intuitu mercedis in via Domini abundanter laborarent: *Itaque* (ajebat) *fratres mei dilecti, ſtabiles ſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Et quidèm quomodò non per remunerationem reddendum dicemus, quod rationem habet mercedis? Sic itaque Chriſtus Dominus gloriam juſtis in Cœlis reddendam appellavit, cùm dixit: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.* Quinimò, & hoc ipſum antiquitùs Abrahæ à Domino dictum fuit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Apoſtolus inſuper (ut alia omittamus ſimilia teſtimonia) *Unuſquiſque*, inquit, *mercedem recipiet ſecundùm laborem ſuum.* In his & aliis teſtimoniis verba fieri de mercede vitæ æternę adeò notum eſt, ut niſi voluntariè cæcutire vellent Novatores, certè agnoſcerent; non enim verè à Chriſto diceretur: *Merces copioſa in Cœlis.* Neque à Domino: *Magna nimis.* Quare Apoſtolus, poſt-

Rationes Theologicę urgentur.

Ad Hebręos 10. v. 35.

1. Corinth. 15. v. 58.

Matth.5.v.12.

Gen.15. v.1.

1. Corinth. 3. v.8.

poſtquam dixit, Deum redditurum unicuique ſecundùm opera ſua, ſtatim ſubjunxit: *His, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam ęternam.* Nec aliter certè ſcripſiſſet ad Galatas. *Qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Vitam inquàm ęternam, non ſolum tanquam mercedem & præmium divinæ repromiſsioni debitum, ſed & ipſis bonis operibus per ſpiritum adoptionis filiorum factis. Nec aliter divinus Paterfamilias procuratori ſuo dixiſſet in parabola Vineæ: *Voca operarios, & redde illis mercedem*; ſcilicet debitam labori in cultura vineę exantlato. Hæc omnia cùm evincant iterata teſtimonia, in quibus mercedem illam reddendam ſignificatur ſecundùm opera, diſparatam Hæreticorum evaſionem evaneſcere faciunt. Teſtimonia autem hæc ſunt: *Reddes unicuique ſecundùm opera ſua.* Deindè: *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundùm opera ſua.* Rursùs: *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Aliundè: *Theſaurizas tibi iram in die irę, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Prætereà: *Quę ſeminaverit homo, hæc, & metet.* Denique: *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.*

Roman. 2. v.7.
Ad Galat. 6. v.8.
Matthæi 20. v.8.
Pſal.61. v.13.
Matthæi 16. v.27.
Lucæ 6. v.38.
Roman.2. v.5.
Galat.6. v.8.
Apoc.ult. v.12.

257 Rejicitur deinde putida hęreticorum violenta expoſitio: Nam ſi divinæ dumtaxat promiſsioni, non juſtorum bonis operibus, debita eſſet merces gloriæ: Non dicerentur bona opera, ratio, motivum, & quodammodo cauſa cur juſtis gloria reddenda eſt: ettamen ita in Scriptura frequenter habetur, imprimis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Item ibidèm: *Quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Prætereà: *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione & ideò ſunt ante Thronum Dei.* Nonne particulæ illę, *enim*, *quia ideò* cauſalitatem ſignificant? Si namque ſolum Divinæ Providentię ordinem notant, non aliter conferendi gloriam, niſi prius opera juſtis dederit; dicant quæſo Novatores, quibus verbis Chriſtus D. apertiùs potuiſſet explicare cauſalitatem quam prætendimus? Imò cum eodem verborum tenore de malorum ſupplicio loquatur D. in teſtimonio Matthæi: *Diſcedite à me maledicti in ignem ęternum :: eſurivi, & non dediſtis mihi manducare* ordinem dumtaxat & conſequentiam inter prava opera & ſupplicium æternum oſtenderet Chriſtus D. quod certè nec Calviniſta affirmabit, dicente Apoſtolo: *Stipendia enim peccati mors.*
,, Dicuntur autem ſtipendia (verba ſunt
,, D. Thomæ) mercedes militum à ſtipe pen-
,, denda, id eſt ponderanda; quia pecunia
,, diſtribuenda militibus ponderabatur. Quia
,, ergo peccatores peccato militant, mem-
,, bra ſua exhibentes arma peccato (ut ſu-
,, pra dictum eſt) mors dicitur eſſe ſtipen-
,, dium peccati; id eſt, retributio quam re-
,, tribuit ſibi ſervientibus: Et ex hoc ma-
,, nifeſtum eſt quòd mors ſit finis pecca-
,, torum, non quem peccantes quærunt,
,, ſed qui eis retribuitur: Pſal. 10. *Ignis,*
,, *ſulphur, ſpiritus procellarum, pars cali-*
,, *cis eorum.*

Novatorum diſpungitur violenta expoſitio.
Matthæi 25. v. 33.
V.21. & 23.
Apocal.7.v.14.
Ad Rom. 6. v. 23.
D. Thomas ibidèm lect.4.

258 Bonorum operum effectivam quodammodò cauſalitatem in adductis teſtimoniis aliiſque ſimilibus, non eſt cur iteratò demonſtremus, poſt ſtabilitam jam primam pręcedentem aſſertionem. Et certè quomodò meritoria cauſalitas non conveniet juſtorum operibus ad promerendam mercedem gloriæ, quæ ipſis debita ab Apoſtolo pronuntiatur? *Ei autem, qui operatur* (loquitur Paulus) *merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.*
,, Dicit ergo (exponit D. Thomas) quod
,, ei qui operatur (ſcilicet opera juſtitię)
,, merces æternę retributionis, de qua di-
,, citur Iſaiæ 40. *Ecce merces ejus cum eo;*
,, non reputatur ſecundùm gratiam tantùm,
,, ſed ſecundùm debitum; ſecundùm illud
Matthæi 20. *Nonne ex denario conveniſti mecum?* Nec debitum utcunque operibus juſtorum bonis cenſeri debet æternæ mercedis præmium; ſed debitum de condigno ſivè præmium condignum, prout iteratis teſtimoniis Sacræ Litteræ tradunt; adeò ut de quolibet juſto ad gloriam admiſſo, nobis pronuntiare liceat, quod de Miniſtris Evangelicis Chriſtus Dominus ajebat: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Teſtimonia ſacra ea ſunt: *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Deindè Apoſtolus: *Ut digni habeamini in Regno Dei pro quo & patimini.* Deindè apud Sanctum Lucam habetur. *Illi verò, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis :: æquales Angelis, & Filii ſunt Dei.* Tandem ut alia omittamus, in Apocalypſi dicitur de juſtis ad Cœlum vocandis: *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

Rom.4. v.4.
D. Thomas ibidèm lect.1.
Meritum condignum vitę ęternę, juſtorum opera induunt.
Luc. 10. v. 7.
Sap.3. verſ. 5.
2. ad Theſſalon. 1. v.5.
Luc. 20. v.35.
Apocal.3. v. 4.

259 Tandem, ad validè roboranda multiplicia momenta in argumento propoſito expenſa, præſtat ineluctabile Chriſti Domini teſtimonium à Divo Thoma indicatum, & ampliùs Theologicè propoſitum; hac differendi ratione: Præmium operibus bonis conventione, pacto aut conditione laboris promiſſum, non poteſt non eſſe debitum laboranti juxta conventionem & pactum; ſed ita juſtis repromittitur gloria in parabola vineæ: ſi ergo juſti in cultura animæ debitè laboraverint, debitam utique ſibi facient mercedem æternæ gloriæ; quibus proindè Chriſtus Dominus aptè reponet: *Tolle quod tuum eſt.* Minorem propoſitionem ſic expreſſam dedit nobis Chriſtus Dominus. *Simile eſt Regnum Cœlorum homini Patri Familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.*

Theologica D. Thomæ ratio ex verbis Chriſti.
Matth.20.
V. 14.
V. 1. & 2.

S. Chryſoſtom. in Cat. Aur.

SS. Hieronymus ibidèm & Remigius.

1. Corinth. 3. D. Thomas ibidèm lect. 2.

ſuam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno miſit eos in vineam ſuam. His enim verbis, de conventione & pacto nihil expreſsius dici poteſt. Vinea excolenda ab hominibus, *juſtitia eſt* (inquit Chryſoſtomus) *in qua diverſa ſpecies juſtitiarum poſitæ ſunt, quaſi vites; puta manſuetudo, caſtitas, patientia, cateræque virtutes; quę omnes generaliter juſtitia appellantur.* Per *denarium diurnum*, rectè deſignatur præmium obſervati Decalogi: Quia ut Remigius, & Hieronymus adnotant: denarius dicitur, qui antiquitùs pro decem numis computabatur, & figuram Regis habet. Sed audiatur Doctor Angelicus verba illa Pauli: *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet*, ita elucidans: ,, Hæc ,, autem merces & communis eſt omnibus, ,, & propria ſingulorum: communis quidèm, ,, quia idem eſt quod omnes videbunt, & ,, quo omnes fruentur; ſcilicet Deus; ſe-,, cundùm illud Job 22. *Super Omnipoten-,, tem deliciis affiues, & levabis ad Deum ,, faciem tuam*: Iſaię 28. *In illa die erit ,, Dominus exercituum corona glorię, & ,, ſertum exultationis populo ſuo.* Et ideò ,, Matth. 20. omnibus laborantibus in vi-,, nea datur unus denarius: Propria verò ,, merces erit ſingulorum; quia unus alio ,, clariùs videbit, & pleniùs fruetur, ſe-,, cundùm determinatam ſibi menſuram: un-,, de & Dan. 12. *Illi qui docti ſunt, com-,, parantur ſplendori firmamenti, qui ad ,, juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ,* ,, dicuntur: Hinc eſt quod Joan. 14. dici-,, tur: *In domo Patris mei manſiones mul-,, tæ ſunt*: propter quod etiam hic dici-,, tur: *Unuſquiſque propriam mercedem ac-,, cipiet.*

D.Thomas 1.2. q. 114. art. 3. in ſed contr. 2. ad Timoth. 4.

D. Thomas in 2. diſt. 27. q. 1. art. 3. in ſed contra.

260 Secundum argumentum principale ſic proponitur à D. Thoma: ,, Id quod ,, redditur ſecundùm juſtum judicium, vi-,, detur eſſe merces condigna; ſed vita ,, æterna redditur à Deo ſecundùm judi-,, cium juſtitiæ, ſecundùm illud ſecundę ad ,, Timoth. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi ,, corona juſtitię, quam reddet mihi Domi-,, nus in illa die juſtus Judex*: Ergo homo meretur vitam ęternam ex condigno. Simile argumentum proponit in ſententiariis; ubi addit: Sicut ſe habet culpa ad pœnam; ita & opus virtutis ad gloriam; ſed culpa ex condigno pœnam æternam meretur: ergo & actus virtutis ex condigno vitam æternam meretur. Hucuſque Thomas tanquam Scholarum Princeps. Audiatur etiam ut Pauli fideliſsimus interpres, adducta verba ita dilucidè expendens. ,, Hęc ,, corona (inquit) duplex eſt: Quædam prin-,, cipalis: Quædam ſecundaria: Prima eſt ,, pręmium eſſentiale, quę nihil aliud eſt, ,, quam gaudium de veritate: Iſai. 28. *In ,, die illa erit Dominus exercituum corona ,, glorię, & ſertum exultationis reſiduo ,, populi ſui*: Deus eſt ergo corona noſtra. ,, Secunda eſt corona, quę debetur ſpecia-,, libus operibus: Et hæc eſt aureola: Et ,, una debetur Martyribus: ſupra cap. 2. ,, *Non coronabitur niſi qui legitimè certa-,, verit*: Et ad hoc eſt quod dicit: *Bonum ,, certamen certavi*: Alia debetur Virgini-,, bus: Sap. 4. *In perpetuum coronata ,, triumphat, incoinquinatorum certaminum ,, præmium vincens*: Et ad hoc eſt; *Cur-,, ſum conſummavi*: Apocal. 14. *Hi ſe-,, quuntur Agnum quocumque ierit: Virgi-,, nes enim ſunt, &c.* Tertia eſt Docto-,, rum. Proverb. 4. *Dabit capiti tuo aug-,, menta gratiarum, & corona inclyta pro-,, teget te*: Et ad hoc dicit: *Fidem ſervavi.* Et ,, dicit *Repoſita*; id eſt ſecundùm æternam ,, prędeſtinationem reſervata: ſuprà cap. 1. ,, *Scio cui credidi, & certus ſum, quia ,, potens eſt depoſitum meum ſervare in il-,, lum diem.* Dator hujus eſt Deus: Ideò ,, dicit: *Quam reddet mihi Dominus* (ſci-,, licet per ſuam juſtitiam) *in illa die*: Nam ,, hæc eſt corona glorię: Et hæc eſt duplex: ,, ſcilicet animæ; & hæc redditur Sanctis ,, *in illo die*; ſcilicet in morte: Unde hic ,, dicit: *Tempus meæ reſolutionis inſtat.* ,, 2. Cor. 5. *Si terreſtris domus noſtra hu-,, jus habitationis diſſolvatur, ædificatio-,, nem habemus ex Deo*: Alia eſt corporis: ,, Et hæc reddetur *in illa die*; ſcilicet ju-,, dicii. 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobili-,, tate, ſurget in gloria, &c.* Participes ,, hujus ſunt omnes Sancti: Undè dicit: ,, *Non ſolum autem mihi* (ſcilicet reponi-,, tur) *ſed & his qui diligunt adventum ,, ejus.*

D.Thomas lect. 2. in locum Pauli.

Præmium vitæ æternę corona juſtitię qualiter dicatur.

Ad Hebræos 6. v. 10.

2. ad Timoth. 1. v. 12.

D. Thomas ibidèm lect. 4.

261 Tertium argumentum, vel potiùs præjactæ argumentationis fulcimentum validiſsimum, ita damus: Nam quod à Deo ut juſto ſive ex juſtitia redditur, remuneratio utique, merces & corona juſtitiæ vocari debet; ſed juſtis gloria donatur à Deo ut juſto, ſive ex juſtitia: Erit ergo ſtrictum præmium merito condigno reſpondens. Propoſitionem aſſumptam docuit nos Apoſtolus proximè adductus. Deinde ad Hebræos inquiens: *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis quam oſtendiſtis, in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis & miniſtratis.* Ergo Deus ut juſtus opera remuneravit juſtorum. Prętereà ad Timotheum ſcripſit: *Ob hanc cauſam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* ,, Quaſi dicat (verba ſunt D. Tho-,, mæ) quia me ipſum, & labores & paſsio-,, nes meas credidi (id eſt commiſi) Deo, ſcio, ,, *quod potens eſt depoſitum meum ſervare.* ,, *&c.* Et nota quòd *depoſitum* dicitur du-,, plex: uno modo depoſui: Et ſic homo ,, deponit apud Deum ſalutem ſuam, quan-,, do ſe Deo totum committit 1. Petri 5. ,, *Omnem ſolitudinem veſtram in eum pro-,, jicientes, quoniam ipſi cura eſt de vobis*: ,, Pſal. 54. *Jacta ſuper Dominum curam ,, tuam, & ipſe te enutriet*: Item deponit ,, opera ſua, quando ſcilicet non ſtatim re-,, cipit remunerationem ſuam, ſed in po-

,, ſte-

,, ſterum: Et ſic qui benè facit, deponit ,, illa apud Deum: *Et hoc uſque in illum ,, diem*, quando judicabit occulta homi-,, num; quibus tunc reddet Deus merce-,, dem laborum ſuorum. Sapientiæ 10.

Actorum 10. v. 34.

1. Petri 1. v. 17.

Acceptio perſonæ in Deo locum propriè non habet.

Eccleſiaſtes 12. à v. 13.

S. Auguſtinus Epiſt. 40. ad Valentinum.

262 Hæc fortè in cauſa fuere Sacris Scriptoribus, ut ſępè à Deo removerent vel umbram vitii acceptionis perſonarum à juſto judice uſquequaque alienę. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus*, ajebat Apoſtolorum Princeps. Et iterum: *Et ſi Patrem invocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundùm uniuſcujuſque opus.* Similia habentur Deuteronomii 10. Et locis etiam poſtea adducendis ex Apoſtolo. Ut inde pręjacto argumento finem imponamus verbis ipſis, quibus ſuum librum Eccleſiaſtes abſolvit: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit.* Si ergo cuncta in judicium adducenda ſunt, merita vel demerita præcedere debent: quia ut aliàs Auguſtinus ſcripſit: *Si non ſunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Videant Novatores rationem meriti denegantes juſtorum operibus, qualiter etiam tollunt reipſa articulum fidei de judicio futuro.

Calvini effugium præcluditur.

263 PLURES, inter proponenda argumenta, evaſiones diſsipavimus novatorum: reſtat nihilominus eam diſsipare in qua præcipuè ſiſtit Calvinus: dum enim (reſpondet) gloria ſive vita æterna *merces* in Sacris Litteris dicitur, non propriè accipitur ly *merces*, ſed per figuratam loquutionem. Id ipſum *de remuneratione*, *merito*, *corona juſtitiæ* aliiſque ſimilibus vocabulis, pronuntiavit. Sed quo motivo? quoniam vita æterna in Scripturis vocatur hęreditas; Hęreditas autem non eſt propriè *merces*, ſtricta *remuneratio*, & *corona juſtitię*, cùm hæc propriis laboribus conſequatur; hæreditas autem æterna jure connaturalitatis Filiis Dei debetur. Sed quis non videat liberam Calvini Scripturas exponendi rationem? Imò, & Sacræ Theologiæ Scholaſticæ ignorantiam, errorum (ut bene Proleg. 2. à n. 39. ponderavimus) fœcundiſsimam matrem? Primum apparet: Nam cùm in Scripturis, vita æterna non minus frequenter, ſed fortaſsè frequentiùs dicatur merces, quàm hæreditas; unde probabit Calvinus, dicendam eſſe propriè hęreditatem, impropriè mercedem, & non potius contra, mercedem propriè, hęreditatem impropriè? Ignorantiam Theologiæ manifeſtat etiam Calvinus. Si enim in hac ſacra ſcientia mediocritèr inſtructus eſſet, utramque notionem in vita æterna, ſeu beatorum gloria agnoviſſet, atque ex Apoſtolo Paulo didiciſſet. Imprimis enim hæreditas filiis Dei adoptivis jure adoptionis debita dicitur ab Apoſtolo: *Si autem filii, & hæredes*; ex quibus ita infert Divus Thomas: ,, Attenditur etiam pretium ,, operis ſecundùm dignitatem gratiæ, per ,, quam homo conſors factus divinæ natu-,, ræ, adoptatur in Filium Dei, cui debe-,, tur hæreditas ex ipſo jure adoptionis. Frequentiùs tamen gloria ipſa jure adoptionis debita, *præmium, remuneratio, merces, & corona juſtitiæ* in Sacris Litteris appellatur; quatenus propriis laboribus & meritis, eam ſibi alio titulo debitam reddunt juſti.

Romanorum 8. v. 17. D. Th. 1. 2. q. 104. a. 3.

Gloria juſtis (etſi aliàs debita) ſub merito condigno cadit

Ad Philippenſ. 2. v. 8.

D.Thomas 3. p. quæſt. 19. art. 3. in corp.

264 Neque inconveniens reputare debent hæretici, gloriam aliàs titulo connaturalitatis, juſtis quodammodo debitam, ut pręciſè filii ſunt adoptivi Dei; ipſis laborantibus in vinea Domini debitam etiam quodammodo fieri, tanquam denarium diurnum ex conventione & pacto in Cœlis reddendum. Nam & ipſi Chriſto Domino debita erat gloria corporis, & exaltatio nominis, hoc ipſo quod erat filius Dei, & tamen; *quia humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: Propterea Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Hujuſmodi meriti rationem in Chriſto Domino, ex maxima ejus perfectione, ita angelicè deducit Angelicus Doctor: ,, Quia habere aliquod ,, donum per ſe, eſt nobilius, quàm ha-,, bere illud per aliud: & ſic ille qui ha-,, bet aliquid per meritum proprium, ha-,, bet quodammodò illud per ſe ipſum; ,, unde nobilius habetur id, quod habetur ,, per meritum, quàm id quod habetur ſi-,, ne merito. Quia autem omnis perfectio ,, & nobilitas Chriſto eſt attribuenda, con-,, ſequens eſt, quod ipſe per meritum ha-,, buerit illud, quod alii per meritum ha-,, bent, niſi ſit tale quid, cujus carentia ,, magis dignitati Chriſti, & perfectioni ,, præjudicet, quàm per meritum accreſcat: ,, unde nec gratiam, nec ſcientiam, nec ,, beatitudinem animæ, nec divinitatem me-,, ruit: quia cùm meritum non ſit, niſi ,, ejus, quod nondum habetur, oporteret, ,, quod Chriſtus aliquando iſtis caruiſſet, ,, quibus carere magis diminuit dignitatem ,, Chriſti, quàm augeat meritum; ſed glo-,, ria corporis, vel ſi quid aliud hujuſmo-,, di eſt, minus eſt, quàm dignitas meren-,, di quæ pertinet ad virtutem charitatis: ,, & ideo dicendum eſt, quod Chriſtus glo-,, riam corporis, & ea, quæ pertinent ad ,, exteriorem ejus excellentiam (ſicut eſt aſ-,, cenſio, veneratio, & alia hujuſmodi) ,, habuit per meritum, & ſic patet, quod ,, aliquid ſibi mereri potuit.

265 Hæc eadem ratio proportionalem habet efficaciam reſpective ad prædeſtinatos, in gloriam utique vocatos conformi-

ter

Ad Roman. 8. v. 17.

ter ad Imaginem Jeſu Chriſti Filii Dei naturalis: quandoquidem per ſpecialem qua juſtos proſequitur benevolentiam, voluit ut ad gloriam pervenirent per propria merita, labores, paſsiones, & hujuſmodi, juxta illud Apoſtoli ad ſupra adducta verba ſubjungentis: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Et certè qualiter eximiæ Sanctitatis juſti, & in militia Chriſti fortiſsimi milites, multiplici aureola coronandi eſſent in Cœlis; ſi jure ſolum connaturalitatis, & non meriti titulo, præmium in gloria non ſibi debitum facerent? Sic enim, tametſi parvulis, qui mox à Baptiſmo decedunt, vita æterna donetur ſolo jure hæreditatis; tamen voluit Deus filios ſuos, qui uſum rationis habent, propriis laboribus & meritis illam acquirere, ut duplici titulo illis vita ęterna deberetur, titulo videlicet hęreditatis, & jure mercedis; quoniam enim magis honorificum eſt, habere aliquid ex merito, quàm ex ſola donatione, ideò Deus, ut filios ſuos magis honoraret, id etiam eis præſtitit, ut vitam ęternam per merita ſibi pararent. Deinde certum eſt etiam meritis bonorum operum, quæ (ut diximus) gratiam ſanctificantem in ſubjecto prærequirunt, quamplures correſpondere gloriæ ſempiternæ gradus, ad quos non pertingunt, qui ſolo adoptionis titulo in hæreditatem incontaminatam & immarceſsibilem perveniunt.

266 Si Sacræ Theologiæ acquieſcere detrectant Novatores, cui proprium eſt Scripturæ ſenſus etiam reconditos aperire, ſacris ad invicem collatis teſtimoniis: Sanctos Patres adeamus, quibus commiſſum à Deo fuit ſacrum cuſtodire depoſitum: illi enim Spiritu Sancto inſpirati, omnem Prophetiam Scripturæ, quæ propriâ interpretatione non fit, nobis oſtendunt. Innumera tamen cùm extent Sanctorum Patrum teſtimonia in confirmationem eorum quæ dicta ſunt: eorum tamen nonnulla ſubjungere habemus, quibus rationem meriti in operibus juſtorum agnoſcunt; rationemque mercedis, & coronæ juſtitiæ in ipſa gloriæ ęternæ retributione.

2. Petri 1. v. 20.

SS.PP. ſtabilitum meritum firmant.

S. Auguſt. Epiſt. 105. ad Xiſtum.

Primum docuit Auguſtinus inquiens: * Nulla ne ſunt me- * rita juſtorum? Sunt planè, quia juſti * ſunt, ſed ut juſti fierent, merita non * fuerunt.

S. Proſper. in reſponſ. ad cap. 6. Gallorum.

Accedit Sanctus Proſper: * Ju- * ſtificatus homo, id eſt ex impio pius fa- * ctus, nullo præcedente bono merito acci- * pit donum, quo medio acquirat & me- * ritum.

S. Gregorius lib. 2. Mor. c. 42.

Deinde Sanctus Gregorius. * Quia * in hac vita nobis eſt diſcretio operum, * erit in illa procul-dubio dignitatum, ut * quo hìc alius alium merito ſuperat, illìc * alius alium retributione tranſcendat.

S. Bernard. ſer. 81. in Cant.

Tandem Divus Bernardus: * Omne quod * feceris bonum, malumve, quod quidem * non facere liberum ſit, meritò ad me- * ritum deputatur.

267 Deinde mercedem, & coronam appellant, imprimis Irenæus inquiens: * Pre- * tioſam arbitremur coronam; videlicet * quæ per agonem nobis acquiritur, ſed * non ultrò coalitam. Et quantò per ago- * nem nobis advenit, tantò eſt pretioſior.

S. Irenæus lib. 4. adver. hæreſ. c. 72.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. de Bapt.

Gregorius Nazianzenus: * Crede (inquit) * reſurrectionem, judicium, mercedem ad * juſtam Dei lancem exigendam.

Tertullianus c. 15. Epiſt. 1. ad Cor.

Deinde Tertullianus ait: * Ordo meritorum, diſ- * poſitorum nomine diſponetur. Merita * autem cùm corpori quoque adſcribantur, * ordo quoque corporum diſponatur ne- * ceſſe eſt, ut poſsit eſſe meritorum.

S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinian.

Hieronymus: * Jam noſtri laboris eſt pro di- * verſitate virtutum, diverſa nobis præ- * mia pręparare.

S. Cyprianus in lib. de ſimplicit. Prælat. poſt medium.

Tandem ut alios Patres omittamus audiendus eſt Cyprianus: * Ju- * ſtitia (inquit) opus eſt, ut promereri * quis poſsit Deum: præceptis ejus, & * monitis obtemperandum eſt ut accipiant * merita noſtra mercedem.

Serm. ultim. de Eleemoſyna.

Et rurſus: * Si * expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis * agone currentes, dies nos vel redditionis, * vel perſequutionis invenerit; nuſquam * Dominus meritis noſtris ad pręmium * deerit. In pace coronam vincentibus * candidam pro operibus dabit, in per- * ſequutione purpuream pro paſsione gemi- * nabit.

Calvinianum effugium Theologicâ ratione depellitur.

268 Tandem depellimus calvinianum effugium hac Theologica differendi ratione: Non poteſt non eſſe, *præmium, merces, remuneratio, corona juſtitiæ* quod à Deo intuitu bonorum operum juſtis confertur per juſtitiam, ſive ex juſtitia: At ita gloria conferenda dicitur in Sacris Litteris: Quomodo igitur propriam rationem mercedis remunerativæ, præmii & coronæ non obtinebit? Minorem propoſitionem omnia teſtimonia producta oſtendunt. Ex quibus exploratum fuit mihi Scholæ Theologum agenti; Deum non reddere juſtis pręmium meritorum per virtutem gratitudinis, prout graves aliundè Theologi opinantur. Quinimo eam virtutem propriè dictam Deo repugnare docuiſſe videtur Doctor Angelicus: Cùm enim propria gratitudinis materia ſit beneficium pręſtitum: ejus actus recompenſatio & gratiarum actio, locum habere non valebit virtus hæc in ſubjecto, cui homo nullum beneficium exhibere poteſt. Sed Deo nullum valet homo beneficium exhibere: Sic enim reſpectum aliquem ſuperioritatis indueret; quandoquidem benefacere, reſpectum aliquem ſuperioritatis formaliter exprimere videtur. Et deinde: quia beneficium ex propria vocabuli notione obſequium nominat non debitum, qualiter eſt propria materia gratitudinis: Quodnam autem obſequium præſtare quibit homo innumeris titulis aliàs non debitum Deo? Juxta illud: *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*: Fatendum igitur erit; Deum juſtorum merita non remunerare per virtutem gratitudinis, ſed per juſtitiam. Qualis autem ſit hæc juſtitia, non eodem modo determinant Theologi Scholaſtici.

D. Thomas 2. 2. q. 106. a. 1.

1. Paralip. 29. v. 14.

In

269 Imprimis enim nobis affirmandum videtur, remunerationem illam non fieri per juſtitiam, quæ legalis appellatur. „ Hæc „ enim (inquit D. Thomas) eſt quædam „ ſpecialis virtus ſecundùm ſuam eſſentiam, „ ſecundùm quod reſpicit commune bo- „ num, ut proprium objectum. Et ſic eſt „ in principe principaliter, & quaſi archi- „ tectonicè, in ſubditis autem ſecundariò, „ & quaſi adminiſtrativè. Quibus docet juſtitiam illam reperiri poſſe tam in inferioribus alicujus communitatis, quàm in principe moderante. Quia tamen juſtitia legalis, eo quod juſtitia ſit, verum & ſtrictum exigit debitum, princeps autem qua talis, non ſit propriè alteri debitor, dum juſtitiam legalem in principe reponimus, neceſſe eſt ipſum conſiderare etiam ut partem, & membrum ejuſdem communitatis. Ex quibus ita oſtenditur præjacta ſententia: Deus ſiquidem communitatis hominum, & totius univerſi ſupremus Princeps & moderator, in utroque ordine naturali & ſupernaturali ita recognoſcitur, ut neutiquàm univerſi pars, aut myſticè hominum communitatis membrum dici valeat, extra illam eminenter infinito modo ſplendens. Imo dum bona etiam generalia hominum univerſitati diſpenſat, omnia propter ſemetipſum operatur. Ut inde liquidò deducamus, Deum merita juſtorum per juſtitiam illam legalem non remunerare.

D. Thomas 1. p. q. 21. a. 1. in corp.

270 An vero per juſtitiam commutativam? Affirmant utique nobiles Theologi, quorum tamen opinio nobis non arridet: Cùm eam juſtitię ſpeciem, in Deo reſpectivè ſaltem ad puros homines collocandam eſſe inficiemur cum Angelico Doctore. Sic enim habet: „ Reſpondeo dicendum, quod „ duplex eſt ſpecies juſtitiæ. Una, quæ „ conſiſtit in mutua datione & accep- „ tione, ut puta, quæ conſiſtit in emptione, „ & venditione, & aliis hujuſmodi com- „ municationibus, vel commutationibus. „ Et hæc dicitur à Philoſopho 5. Ethic. „ juſtitia commutativa, vel directiva com- „ mutationum, ſive communicationum. Et „ hæc non competit Deo, quia ut dicit „ Apoſtol. Roman. 2. *Quis prior dedit illi,* „ *& retribuetur ei?* Eandem aſſertionem, ex eiiſdem Apoſtoli verbis firmat Sanctus Dr. in ſcripto contra Gentiles. Expreſsiùs etiam habet in ſententiariis inquiens: „ Cùm „ enim ſit duplex ſpecies juſtitiæ, ut in 5. „ Ethicor. Philoſophus dicit, ſcilicet juſti- „ tia diſtributiva, & commutativa quæ eſt „ in contractibus, ut in emptore, & ven- „ ditore. Juſtitia commutativa reſpicit æqua- „ litatem arithmeticam, quæ tendit in „ æqualitatem quantitatis. Juſtitia vero di- „ ſtributiva æqualitatem geometricam, quæ „ eſt æqualitas proportionis. In redditione „ autem præmii ad merita magis ſervatur „ forma diſtributionis, cùm ipſe unicui- „ que ſecundùm opera ſua reddat, quàm „ commutationis, cùm Deus à nobis nihil „ accipiat, quamvis à Sanctis, quandoque „ inveniatur metaphoricè dictum, quod „ bonis operibus regnum Cœlorum emitur. Plura alia in confirmationem præjactæ doctrinę, ſicut & in adverſum objectiones poſſent adduci, aliàs à nobis ponderata in tractatu de merito juſti. Ea tamen omittere decrevimus: quia non Theologorum controverſias dirimere, ſed dogmata propugnare in his lucubrationibus aggreſsi ſumus. Inde pro complemento.

D. Thomas 1. cont. Gent. cap. 93.

In 2. diſt. 27. q. 1. a. 3. in corp.

S. Dionyſius lib. de divin. nom. cap. 8.

D. Thomas ibidèm in Comment.

Deus merita remunerat per juſtitiam diſtributivam, habentem modum quendam juſtitiæ commutativę.

271 Aſſerendum nobis eſt: Deum merita remunerare juſtorum per juſtitiam diſtributivam, habentem quendam modum juſtitiæ commutativæ: Sic docuit magnus Dionyſius, prout exponit D. Thomas, & meritò: Nam remuneratio conferens præmium attenta dignitate perſonarum, & ſimul jure bonorum operum, ſi aliàs tale præmium ſit bonum commune, pertinet ad juſtitiam diſtributivam, ut vox ipſa ſignificat, & tradit D. Thomas; ſed Deus ita ſe habet conferendo gloriam juſtis, intuitu, & in præmium bonorum operum: Eam ergo confert per juſtitiam diſtributivam, habentem tamen aliquem modum juſtitiæ commutativæ, ut docet laudatus, ſemperque laudandus Thomas, inquiens: „ Forma „ divini judicii attenditur ſecundùm ratio- „ nem juſtitiæ commutativę; prout ſcilicet „ recompenſat præmia meritis, & ſupplicia „ peccatis. Et quidèm ſi ad juſtitiam diſtributivam meritorum remuneratio non ſpectaret, cur tàm expreſsè removendum à Deo Sacri Scriptores ſtuduiſſent vitium acceptionis perſonarum, ut ſupra n. 262. dedimus. Atque in pręſenti Apoſtolum adducimus: *Non eſt* (inquit) *acceptio perſonarum apud Deum.* Et rurſus: *Deus perſonas non accipit.* Quia ſcilicet vitium illud juſtitiæ diſtributivæ opponitur; ejuſque naturam D. Thomas in Commentario utriuſque loci exponit. Sed præcipue & data opera utrunque docet & firmat S. Dr. in Summa Theologica inquiens.

D. Thomas 2. 2. q. 80. a. 1.

2. 2. q. 61. a. 4.

Rom. 2. v. 11.

Ad Galatas 2. v. 6

D. Thomas lect. 2. in utroque loco.

2. 2. q. 63. a. 1. in corp.

272 „ Reſpondeo dicendum, quod per- „ ſonarum acceptio opponitur juſtitię di- „ ſtributivæ. Conſiſtit enim æqualitas di- „ ſtributivę juſtitiæ in hoc, quod diverſis „ perſonis diverſa tribuuntur ſecundùm pro- „ portionem ad dignitates perſonarum. Si „ ergo aliquis conſiderat illam proprieta- „ tem perſonę, propter quam id, quod, „ ei confertur, eſt ei debitum, non eſt „ acceptio perſonę, ſed cauſæ. Unde Gloſ- „ ſa ſuper illud ad Epheſios 6. *Perſona-* „ *rum acceptio non eſt apud Deum,* dicit, „ quod *Deus judex juſtus cauſas diſcernit,* „ *non perſonas.* Puta, ſi aliquis promoveat „ aliquem ad magiſterium propter ſufficien- „ tiam ſcientiæ: hic attenditur cauſa de- „ bita, non perſona. Si autem aliquis con- „ ſideret in eo, cui aliquid confert, non „ id, propter quod id, quod ei datur, eſ- „ ſet ei proportionatum, vel debitum, ſed „ ſolum hoc, quod eſt iſte homo, puta, „ Petrus, vel Martinus, hìc eſt acceptio „ perſonę: quia non attribuitur ei aliquid prop-

,, propter aliquam cauſam, quæ faciat eum ,, dignum, ſed ſimpliciter attribuitur per- ,, ſonę. Ad perſonam autem refertur quæ- ,, cunque conditio non faciens ad cauſam, ,, propter quam ſit dignus hoc dono, pu- ,, ta, ſi aliquis promoveat aliquem ad præ- ,, lationem, vel magiſterium, quia eſt di- ,, ves, vel quia eſt conſanguineus ſuus, eſt ,, acceptio perſonæ. Contingit tamen ali- ,, quam conditionem perſonæ facere eam ,, dignam reſpectu unius rei, & non reſpe- ,, ctu alterius. Sicut conſanguinitas facit ,, aliquem dignum ad hoc, quòd inſtituatur ,, hęres patrimonii: non autem ad hoc quod ,, conferatur ei pręlatio Eccleſiaſtica. Et ideo ,, eadem conditio perſonę in uno negotio ,, conſiderata facit acceptionem perſonæ, in ,, alio autem non facit. Sic ergo patet ,, quòd perſonarum acceptio opponitur ,, juſtitiæ diſtributivæ in hoc, quod præter ,, proportionem agitur: nihil autem oppo- ,, nitur virtuti, niſi peccatum. Unde con- ,, ſequens eſt, quod perſonarum acceptio ,, ſit peccatum.

OBJECTA DISSOLUTA.

273 Bona juſtorum opera effectivè moraliter ad vitam ęternam non concurrere, ut ſtatuimus in 1. aſſertione illis argumentis conantur Novatores probare, quibus meritum condignum glorię rejicere moliuntur: unde contra utranque aſſertionem objici poſſunt argumenta quibus probari videtur, non poſſe hominem aliquid mereri à Deo. ,, Opponitur itaque primo ex Div.

D.Thomas 1.2. q.114. a. 1.

,, Thom. nullus videtur mercedem mere- ,, ri, ex eo quod reddit alteri quod de- ,, bet; ſed per omnia bona, quę facimus, ,, non poſſumus ſufficienter recompenſare ,, Deo quod debemus, quin ſemper am- ,, pliùs debeamus, prout Philoſophus ipſe jam agnovit. Sed expreſsiùs habet Chriſtus Dominus illis verbis:

Lucæ 17. à v. 9.

Nunquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non, puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Ergo homo non poteſt aliquid mereri à Deo. Reſpondetur tamen cum Sancto Doctore ibidèm negando majorem: quia etiam dum aliquis reddit quod debet ex propria voluntate, honeſtè & laudabiliter operans, aliquid meretur: *Alioquin actus juſtitię, quo quis reddit debitum, non eſſet meritorius.* Sive ut loquitur in ſententiariis:

In ſolut. ad 1. in 2. diſt. 27. q.1. a.3.

,, Ad ,, tertium dicendum quòd etiam reddendo ,, quod debet, meretur aliquis, in hoc ,, namque aliquis apud Deum meretur in ,, quo etiam vitæ laudabilis apud homines ,, conſtituitur. Actus autem juſtitiæ eſt lau- ,, dabilis ſicut & aliarum virtutum. Undè ,, etiam actus juſtitiæ meritorius eſt. (Quam- ,, vis quidam hoc quondàm negaverunt) ,, Ettamen actus juſtitiæ in redditione de- ,, biti, etiam quod homini debetur conſi- ,, ſtit: quamvis enim illud quod aliquis al- ,, teri debitum reddit, ſuum non ſit: Ni- ,, hilominus tamen modus operationis, in ,, quo fundatur, & jus merendi & laus ip- ,, ſius reddentis eſt, qui voluntariè, & ,, propter bonum juſtitiæ reddit. Inde juxta Scholę methodum diſtinguimus majorem: Nullus meretur mercedem, ex eo præcisè quod reddit alteri quod debet, permitto majorem; ſi obſequium vel donum, aliàs debitum, bonum noſtrum quodammodo ſit ex libera Dei dignatione, nego majorem, & ſimiliter diſtincta minori nego conſequentiam.

274 Cuncta itaque juſtorum opera innumeris titulis Deo debita agnoſcimus: qua ratione ea poſſet Deus ab hominibus exigere, nulla aſsignata remuneratione. Verumtamen ex gratuito pacto, & liberali promiſsione decrevit Deus ut operibus juſtorum gloria ęterna tanquam merces, præmium, & corona juſtitiæ, tribuatur ut pluribus oſtenſum eſt. Unde Auguſtinus:

S. Auguſtinus ſerm. 3. de verbis Dom.

O magna bonitas Dei! Cui cum pro conditione reddere debeamus obſequium, utpote Servi Domini, amicitiæ nobis præmia repromittit, ut à nobis obſequia debitę ſervitutis extorqueat. Et Cœleſtinus primus:

Cœleſtinus 1. in Epiſt. ad Epiſc. Galliæ cap. 12.

Tanta erga omnes homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona; atque pro his, quę largitus eſt, ęterna præmia ſit donaturus. Hac enim ratione Auguſtinus adducta verba Chriſti Domini exponit. Poteſt etiam præjactum teſtimonium explicari cum V. Beda, ut ſenſus ſit: Nihil utilitatis, nos Deo adferre poſſumus; quia quidquid boni facimus, id nobis utile eſt, non Deo, qui bonorum noſtrorum non eget. Quare ſumma cum humilitate Deo ſervire debemus, & gratias agere, quod obſequium acceptare voluerit.

Nihil obeſt merito, quod homo aliàs debeat Deo obſequium.

Niſi dicamus cum Ambroſio:

S. Ambroſius lib. 8. in Lucam.

Jubere nos Dominum ut agnoſcamus, quid ſumus ex nobis, quid ex gratia. Ex nobis ſervi inutiles ſumus, inepti prorſus ad ea implenda quæ Dominus præcepit: Tamen per ejus gratiam utiles efficimur: juxta illud Apoſtoli:

2. ad Timoth. 2. v. 21.

Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis (ſcilicet à conſortio malorum) *erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Id eſt utilitati ſuę cedet ad honorem Domini, exponit D. Thomas.

D. Thomas ibidèm lect. 4.

275 Eandem expoſitionem tradere videtur S. Joannes Chryſoſtomus apud Cardinalem Belarminum in præſenti: * Non dicit Dominus, cum feceritis hęc omnia, ſervi inutiles eſtis; ſed ait: dicite, quia ſervi inutiles ſumus, ubi vult nos de nobis poſt benefacta humiliter ſentire, ne ſuperbia corrumpat opera bona, quæ fecimus. Sed cùm nos dicemus, ſervus inutilis ſum, dicet illi: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* * Abſolutè non eſſe inutiles eos, qui benè operantur, perſpicuum eſt ex ipſa parabola de talentis, nam ſervum inutilem vocat Chriſtus eum ſolum, qui talentum abſcondit, &

Matthæi 25. v. 21.

quem

quem projici jubet in tènebras exteriores. Alios autem, qui talenta multiplicaverant, ut ſervos utiles laudat & remunerat. Et Cyrillus:

S. Cyrillus in Catena Aurea. Luc. 17.

* Docet autem Dominus quòd * jus poteſtatis dominicę, quaſi debitam * ſubjectionem requirit à famulis, cùm ſub- * dit: Nunquid gratiam habet ſervo illi; * quia fecit quæ ſibi imperaverat? Non * puto. Per hoc morbus ſuperbiæ tollitur. * Quid ſuperbis? Ignoras quòd ſi non per- * ſolvis debitum, periculum imminet: Si * verò perſolvas, nullam gratiam facis; ſe- * cundùm illud Pauli (1. ad Corinth. 9.) * Si evangelizavero non eſt mihi gloria; * neceſsitas mihi eſt: vę mihi ſi non evan- * gelizavero. Conſidera ergo quòd qui * apud nos dominantur, non referunt gra- * tias cùm aliquis ſubditorum ſtatuta ſibi * proſequuntur obſequia; ſed ex benevo- * lentia ſępius ſuorum provocantes affe- * ctum, majorem eis appetitum ſerviendi * aggenerant. Sic & Deus petit quidèm à * nobis famulatum jure ſervitii; verùm * quia, clemens, & bonus eſt, honores la- * borantibus pollicetur, & ſupereminet * ſudoribus ſubjectorum benevolentię mag- * nitudo.

276 Objicitur ſecundò argumentum quod ſecundo loco ſibi obiicit Divus Thomas: Ex eo quod aliquis ſibi proficit, nihil videtur mereri apud eum, cui nihil proficit: ſed homo benè operando ſibi proficit, vel alteri homini, non autem Deo:

Homo juſtus Deo proficit, quantum ad obſequium.

dicitur Job 35. *Si juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet:* ergo homo non poteſt aliquid à Deo mereri. Facilè tamen reſpondetur ad Scholæ ſtylum: cui nihil proficit quantum ad utilitatem nego majorem: quantum ad obſequium, unde aliqua glorificatio pręmianti accreſcit, concedo majorem, & diſtinguo minorem: juſtus benè operans nihil Deo proficit quantum ad utilitatem Deo accreſcentem, concedo minorem: quantum ad manifeſtationem gloriæ Dei, quam juſtus quærit, nego minorem, & conſequentiam. ,, Ad ſecundum (inquit Divus Thomas)

D. Thomas a.1. ex q.114. ſolut. ad 2.

,, quòd Deus ex bonis noſtris non quærit ,, utilitatem, ſed gloriam, id eſt, manife- ,, ſtationem ſuę bonitatis, quod etiam ex ,, ſuis operibus quærit. Ex hoc autem, quod ,, eum colimus, nihil ei accreſcit, ſed no- ,, bis, & ideò meremur aliquid à Deo, non ,, quaſi ex noſtris operibus aliquid ei ac- ,, creſcat, ſed inquantum propter ejus ,, gloriam operamur.

277 Objicitur tertio argumentum, quod tertio loco ita proponit Divus Thomas: ,, Quicunque apud aliquem aliquid mere- ,, tur, conſtituit eum ſibi debitorem; debi- ,, tum enim eſt, ut aliquis merenti merce- ,, dem rependat; ſed Deus nulli eſt debi- ,, tor: unde dicitur Romanorum 10. *Quis* ,, *prior dedit ei, & retribuetur ei*? Ergo ,, nullus à Deo poteſt aliquid mereri. Idem ,, argumentum in loco ſæpè citato Senten- ,, tiarum breviùs ita proponit. A quocun- ,, que quis meretur, ille debitor ſibi effi- ,, citur, quia præmium merito debetur; ,, ſed Deus non poteſt effici debitor: ergo ,, apud ipſum nihil ex condigno mereri poſ- ,, ſumus. Sed ampliùs propoſitum à D.Thoma argumentum expendamus. Et imprimis quantum ad propoſitionem minorem attinet, eam expreſſam legimus in mellifluo Bernardo, dicente:

S. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione.

Neque talia ſunt hominum merita, ut propter ea, vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Major autem propoſitio, conſtare videtur ex doctrina à nobis ſtabilita, quia præmia reddit Deus juſtis ex juſtitia; ſed juſtitia ſtrictum debitum inducit: ſi ergo ſuppoſita Dei promiſsione, non ex ſola fidelitate præmium gloriæ datur à Deo; Deus ipſe debitor creaturę redderetur. Hinc Auguſtinus ajebat:

S. Auguſtinus ſermone 26. de verbis Apoſtoli.

Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo. Significavit etiam Divus Thomas loco Sententiarum ad quartum inquiens:

D. Thomas in loco ſent. ſolut. ad 4.

,, Quod Deus non efficitur debitor ,, nobis, niſi fortè ex promiſſo: quia ipſe ,, bona operantibus præmium repromiſit; ,, & ideo non eſt inconveniens, ſi ab ipſo ,, quis mereri poſsit, ex quo aliquo mo- ,, do debitor eſt. Deinde quia præſuppoſita Dei repromiſsione, gloria juſtis verè debita eſt debito ſtricto juſtitiæ, ſaltem diſtributivæ; at implicat gloriam juſtis debitam eſſe, quin Deus ipſis dicatur debitor. Quandoquidem, quod debitum eſt juſtis, ab aliquo debet dari: dicendum igitur erit, Deum debitorem eſſe hominibus. Tandem; quia ſuppoſitâ exiſtentiâ meritorum, unà cum Dei repromiſsione de præmio gloriæ conferendo: vel Deus tenetur dare gloriam, vel non? Si tenetur: erit igitur Deus propriè debitor creaturæ. Si non tenetur: ergo poſſet gloriam negare adhuc ſuppoſitâ promiſsione, quod eſt impoſsibile.

278 Reſpondetur igitur ad argumentum negando majorem, quam utique negat Divus Thomas ad tertium inquiens,

D. Thomas q. 114. art. 1. ad 3.

,, quod quia actio noſtra non habet ratio- ,, nem meriti, niſi ex pręſuppoſitione di- ,, vinę ordinationis, non ſequitur quòd ,, Deus efficiatur ſimpliciter debitor nobis, ,, ſed ſibi ipſi, inquantum debitum eſt, ,, ut ſua ordinatio impleatur.

Deus reddit debita nulli debens.

Itaque quamvis gloria dicatur debita bonis juſtorum operibus (aliàs non eſſet corona juſtitiæ; neque laborantibus in vinea dictum fuiſſet: *Tolle quod tuum eſt, & vade*; id eſt, recipe mercedem tuam, & vade in gloriam, exponit Remigius) neutiquam tamen affirmare congruit; Deum eſſe debitorem creaturæ, & in hoc ſenſu intelliguntur verba Auguſtini & Thomæ.

Matthęi 20. v. 14.

S. Remigius in Catena Aurea.

Quapropter idem Auguſtinus appoſitè pronuntiavit Deum alloquens: *Reddis debita nulli debens.* Hujus doctrinę fundamentalem rationem profundè non minus ac dilucidè tradit Doctor Angelicus inquiens: ,, Debitum attendi po-

D. Thomas 1. p. q. 21. a. 1. ad 3.

teſt

,, teſt dupliciter in operatione divina, aut ſecundùm quod aliquid debetur Deo, aut ſecundùm quod aliquid debetur rei creatæ, & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum namque eſt à Deo, ut impleatur in rebus id, quod ejus ſapientia, & voluntas habet, & quod ſuam bonitatem manifeſtat, & ſecundùm hoc juſtitia Dei recipit decentiam ipſius, ſecundùm quam reddit ſibi, quod ſibi debetur. Debitum etiam eſt alicui rei creatę, quod habeat id, quod ad ipſam ordinatur. Sicut homini, quod habeat manus, & quod ei alia animalia ſerviant. Et ſic etiam Deus operatur juſtitiam, quando dat unicuique, quod ei debetur ſecundùm rationem ſuæ naturæ, & conditionis. Sed hoc debitum dependet ex primo: quia hoc unicuique debetur, quod eſt ordinatum ad ipſum ſecundùm ordinem divinæ ſapientię. Et licèt Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipſe eſt debitor, quia ipſe ad alia non ordinatur, ſed potiùs alia in ipſum. Et ideò juſtitia quandoque dicitur in Deo condecentia ſuæ bonitatis; quandoque verò retributio pro meritis. Et utrumque modum tangit Anſelmus dicens: *Cùm punis malos, juſtum eſt, quia illorum meritis convenit: cûm verò parcis malis, juſtum eſt, quia bonitati tuę condecens eſt.*

In loco ſent.

279 Inde ad primam propoſitionis majoris ſubjunctam probationem, conceſſa majori de juſtitia diſtributiva, diſtinguimus minorē, quæ vera eſt de juſtitia commutativa, falſa autem de juſtitia diſtributiva, proùt conceptis verbis tradit D. Thomas in loco citato Sententiarum. ,, Vel dicendum (inquit) quòd in juſtitia commutativa ille apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, quod meretur, ut patet in illis, qui operationes ſuas locant in ſervitium aliorum, ſed in juſtitia diſtributiva non requiritur ratio debiti ex parte ejus, qui diſtribuit: poteſt enim ex liberalitate aliqua diſtribuere, in quorum tamen diſtributione juſtitia exigitur, ſecundùm quod diverſis, prout eorum gradus exigit, proportionabiliter tribuit. Ad ſubjunctam probationem neganda etiam eſt propoſitio minor. Stat enim optimè, aliquid eſſe verè debitum creaturæ, quin Deus ſit ei debitor. Unde licèt gloria ſuppoſita Dei promiſsione ſit debita ex juſtitia diſtributiva juſtis; non inde tamen ſequitur, quòd Deus efficiatur ſimpliciter debitor juſtis, ut loquitur D. Thomas. Et hoc apparet exemplis: homini enim debetur habere duas manus, & creaturæ rationali debentur perfectiones eam integrantes; ſimiliter pœna damnationis debita eſt peccatis; ettamen Deus propriè non eſt debitor, nec tenetur ea conferre. Et omnium ratio eſt; quia jus quocunque modo conveniens creaturæ, etſi ſit ad perfectionem neceſſariò connexam, ſubditur ſupremo Dei dominio; unde ratione illius juris nequaquam poteſt reddi Deus ſimpliciter debitor. Itaque gloria debita eſt meritis, ſed Deus non eſt debitor, juxta illud laudati Auguſtini pronuntiatum: *Reddis debita nulli debens.*

Non nobis, ſed ſibi debitor eſt Deus, præmia conferens.

280 Similiter ad tertium dicimus, Deum ex vi ſuę promiſsionis teneri ad conferendam gloriam electis; non autem ab extrinſeco, ſive ex jure ipſius creaturæ; Hæc autem obligatio, ex Dei beneplacito adæquate orta, ejus ſupremo dominio minimè obeſt. Hucuſque totum argumentum bene diſſolutum manet: Neque in adverſum aliquid invenire eſt, niſi quod Deus videtur præmium reddere juſtis per juſtitiam commutativam, quę, ut docuit nos D. Thomas, illum apud quem quis meretur, efficit ſibi debitorem. Deus etenim eſſet injuſtus, ſi non redderet præmium juſtis debitum, juxta illud Apoſtoli aliàs adducti: *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Quod expreſsiùs docet Auguſtinus inquiens: *Deus ipſe* (quod abſit) *non erit juſtus, ſi ad ejus regnum verus non admittitur juſtus*; ſed ille dumtaxat cenſetur injuſtus in non reddendo debito, quando ex juſtitia commutativa reddere tenetur: Deus igitur ex juſtitia commutativa juſtorum merita compenſat. Unde docet D. Thomas: quòd ſi Deus alicui minus conferret de bonis, quàm ei debetur, vel plus puniret quàm peccaſſet, hoc eſſet contra ordinem juſtitiæ. Accedit: ubi ſervatur æqualitas rei ad rem exercetur juſtitia commutativa; ſed hujuſmodi æqualitas ſervatur à Deo inter meritum, & pręmium colatum, juxta illud Apoſtoli: *Reddet unicuique ſecundùm opera ſua:* Ergo Deus merita juſtorum præmiat ex juſtitia commutativa.

Ad Hebræos 6. v.10.

281 Reſpondetur tamen (prout aliquando in Scholis tradidi) diſtinguo majorem: Deus eſſet injuſtus poſitivè, aut privativè, nego majorem: pure negativè, concedo majorem; & ſimiliter diſtincta minori nego conſequentiam. Quamvis enim Deus juſtis præmium non redderet, nullam eis injuriam irrogaret, ut dictum eſt; poſſet ſiquidem opera illa acceptare, ut ſibi aliis titulis debita. Unde in eo caſu non diceretur injuſtus; niſi ad ſummum negativè; id eſt non exerceret in eo tunc juſtitiam diſtributivam: quia tamen Deus ſummè amat juſtitiam, rectè monet Apoſtolus merita juſtorum debito præmio non eſſe fraudanda: cùm Deus nec adhuc negativè ſaltem juxta hanc providentiam dici poteſt injuſtus, vel non exercens in pręmiandis juſtis juſtitiam. In eodem ſenſu loquitur Auguſtinus, & ſimiliter D. Thomas, cujus ſenſus eſt, quod Deus in illa ſuppoſitione operaretur contra ordinem juſtitiæ diſtributivæ, ſi merenti non daret quantum ipſi debetur, debito inquam orto ex juſtitia diſtributiva, quam abſolute & ex terminis ſervare non tenetur. Quod ultimo loco accedit, nullo

Deus ſine injuria poteſt non reddere prœmia.

ne-

negotio diſſolvitur, ſi ad memoriam revocemus, quę circa ęqualitatem inter meritum & præmium condignum prælibavimus; eam ſcilicet præcisè non eſſe proportionalem, neque rei ad rem abſolutè, ſed ſolum virtualiter, qualiter ad commutativam juſtitiam non ſatis eſt.

282 Obiiciunt 4. Novatores ſpecialiter ad removendam condignitatem meriti juſtorum ad gloriam. Sed eorum argumenta ſicut angelicè diſſolvit, ita & pręoccupavit D. Thomas: ,, Dicit enim Apoſtolus (obiicit 1. Dr. Sanctus) ad Romanos 8. *Non ſunt condignæ paſsiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: ſed inter alia opera meritoria maximè videntur eſſe meritorię Sanctorum paſsiones: ergo nulla opera hominum ſunt meritoria vitæ ęternæ de condigno. Secundum à Novatoribus poſtea ponderatum argumentum, ſecundo loco ita proponit S. Dr. ſuper illud Roman. 6. ,, *Gratia Dei vita æterna*: dicit Gloſſa: *Poſſet rectè dicere: ſtipendium juſtitiæ vita æterna. Sed maluit dicere: Gratia Dei, vita æterna, ut intelligeremus, Deum ad æternam vitam pro ſua miſeratione nos perducere, non meritis noſtris*; ſed id quod ex condigno quis meretur, non ex miſeratione, ſed ex merito accipit: ergo videtur, quod homo non poſsit per gratiam mereri vitam æternam ex condigno. Duplex propoſitum argumentum breviùs indicat Sanctus Dr. Apoſtoli commentatorem, agens in Epiſtola ad Roman. & in ſecunda ad Timotheum. In primo enim loco cùm Apoſtolus dixiſſet, quòd merces datur juſtis *ſecundùm debitum*, ſubjungit D. Thomas: ,, Sed contra eſt, quod dicitur infra cap. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et infra cap. 8. *Non ſunt condignæ paſsiones hujus temporis ad futuram gloriam*: Sic igitur illa retributio non fit ſecundùm debitum, ſed ſecundùm gratiam. In ſecundo loco cùm Apoſtolus præmium gloriæ *coronam juſtitię* dixiſſet, quam Deus ex ſua juſtitiâ reddet, ſtatim opponit. ,, Sed contra: quia vita æterna ex gratia datur in cap. 6. & 8. citatis: Non ergo ex juſtitia.

D. Thomas 1. 2. q.114. a. 3.

Roman. 4. v.4. 2. ad Timoth. 4. v.8.

D. Thomas lect. 1. & lect. 2.

283 In eundem ſcopum collimant teſtimonia ſacra, quibus gloriæ præmium, divinæ tribuitur miſericordiæ, gratiſque dari dicitur, quorum difficiliora ſolum indicabimus. Nam prę ter verba jam ex Apoſtolo adducta, ſic habetur in Pſalmo: *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*: Inſuper Chriſtus Dominus ajebat: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et in Apocalypſi dicitur: quod vita æterna gratis datur: & qui ſitit, veniat: *Et qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* Pręluxerat etiam Iſaias: *Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Sed in duobus his ultimis teſtimoniis, nihil eſt quod immoremur: quia in aſſumpto non loquuntur, non enim de gloria ſed de gratia intelliguntur: ,, *Accipiat aquam vitæ* (expoſitio eſt D. Thomæ) id eſt gratiam vivificantem, accipiat inquam *gratìs*, hoc eſt abſque omnibus meritis. Similiter exponit verba Iſaiæ, quæ myſticè exponuntur (inquit) de aqua divinæ ſapientiæ, quæ gratis ſitientibus datur ſecundùm Gloſſam, conformiter ad illud Chriſti Domini: *Siquis ſitit, veniat ad me, & bibat:: Et de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

Pſal. 102. v.4.

Matthęi 5. v.7.

Apocalyp. ult. v.17.

Iſaię 55. v. 1.

D. Thomas in Comm. utriuſque loci.

Joann. 7. v.37. & 38.

284 Sacræ Scripturæ loquendi morem, pro more æmulantur SS. PP. Hilarius enim imprimis ita loquens adducitur: * Non enim illa juſtitiæ opera, ipſa ſufficerent ad perfectę beatitudinis meritum, niſi miſericordia Dei etiam in hac juſtitię voluntate humanarum demutationum, & motuum, non reputat vitia. Spes igitur, miſericordia Dei in ſæculum ſęculi. Deinde S. Auguſtinus: * Tua peccata ſunt; merita, Dei ſunt. Supplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, ſua dona coronabit, non merita tua; Item pro nihilo ſalvos facies illos, nihil invenis, unde ſalves, & multum invenis, unde damnes. Tandem: Maluit (inquit) dicere *Gratia Dei vita æterna*, ut intelligeremus, non pro meritis noſtris, Deum nos ad vitam ęternam, ſed pro ſua miſericordia perducere. Deinde Gregorius hæc habet: Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, ſed ex venia convaleſco. Tandem ut alios Patres omittamus, audiatur Mellifluus Bernardus, dum in Pſalmum, *qui habitat*, inquit: * Totum hominis meritum eſt, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit. Deindè: Proinde (ait) meritum meum miſeratio Domini: Denique addit: Fateor, non ſum dignus ego nec propriis poſſum meritis regnum obtinere Cœlorum. Cæterum Dominus meus duplici jure illud poſsidens, hæreditate patris, & merito paſsionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat.

S. Hilarius in Pſalm. 51.

S. Auguſtinus concione 2. in Pſalm.7.

Serm. 15. de verb. Apoſt.lib. de natura & gratia cap. 9.

S. Gregorius lib. 9. Moral.c.14.

S. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm.90.

Serm. 61. in Cantic.

285 Propoſitis à D. Thoma objectis, ab ipſo S. Doctore diſſoluta ea ſic damus, Ad primum dicimus: Paſsiones hujus temporis (adjungantur etiam opera quęcun que bona juſtorum) non ſunt condignæ ad futuram gloriam, ſi eorum præcisè naturam attendamus & ſubſtantiam: verum eſt. Secus autem, ſecundùm quod gratię informatę, divinum inhabitantem ſpiritum, ut principium recognoſcunt; qualiter duntaxat meritoria eſſe diximus vitę æternę. Ad ,, primum ergo dicendum (verba ſunt D. Thomę) quod Apoſtolus loquitur de paſſionibus Sanctorum ſecundùm eorum ſubſtantiam. Expreſsiùs adhuc loquitur in Comment. Apoſtoli, argumentum primò indicatum ita diſſolvens: ſed dicendum

D. Thomas q. 114. a. 3. ſolut. ad 1.

Lect. 1. in c.8. ad Rom.

,, eſt

Opera juſtorum ſecundùm ſuam naturâ non ſunt meritoria de condigno vitæ æternæ.

,, eſt, quòd opera humana poſſunt conſide-
,, rari dupliciter: uno modo ſecundùm ope-
,, rum ſubſtantiam; & ſic non habent ali-
,, quid condignum, ut eis merces æternæ
,, gloriæ reddatur: Alio modo poſſunt con-
,, ſiderari ſecundùm ſuum principium, prout
,, ſcilicet ex impulſu Dei aguntur, ſecun-
,, dùm propoſitum Dei prædeſtinantis: Et
,, ſecundùm hoc eis debetur merces prædi-
,, cta ſecundùm debitum: quia ut infra
,, cap. 8. dicitur: *Qui ſpiritu Dei agun-*
,, *tur, hi ſunt filii Dei: ſi autem filii, &*
,, *hæredes.* Inde diſſolutum manet tertium

Artic. citato. Solut. ad 3.

quod D. Thomas opponit argumentum ex
eo derivatum, quod meritum vitæ adæqua-
re non valeat præmium gloriæ. Jam enim
diximus quænam exigatur æqualitas ad me-
ritum in operibus elucens juſtorum, prout
docuit nos D. Thomas in ſolutione hujus
tertii argumenti, quam ſic concludit, prout
alibi diximus: ,, Et ſimiliter per gratiam
,, inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui
,, eſt ſufficiens cauſa vitæ æternæ, unde &
,, dicitur eſſe pignus hæreditatis noſtræ.

286 Ad ſecundum objectum ità metho-
dice reſpondetur, quòd ex gratia datur &
miſericordia ſolum in radice, non da-
tur tanquàm præmium, merces, & debita
juſtitię corona, nego majorem; ſi omnino
gratis datur, concedo majorem. Non au-
tem ſic gloria juſtis confertur. Ad ſecun-

Solut. ad 2.

dum dicendum (inquit D. Thomas) quòd
,,verbum illius gloſſæ intelligendum eſt,quan-
,, tum ad primam cauſam perveniendi ad
,, vitam æternam, quæ eſt miſeratio Dei,
,, meritum autem noſtrum eſt cauſa ſub-
,, ſequens. Breviùs loquitur in Comment.

Lect. 2. in cap. 4. Epiſt. 2. ad Timoth.

Epiſt. ſecundę ad Timoth. diſſolvens idem
argumentum: Dicendum eſt, quòd eſt ibi
,, gratia quantum ad radicem merendi, ju-
,, ſtitia, quantum ad actum qui procedit ex
voluntate. Itaque verba illa adducta Pau-
li, aliaque ſimilia teſtimonia non ſignifi-
cant gloriam de facto concedi ex gratia

Præmium ex juſtitia datum, ex gratia dari etiam dicitur.

Dei, ſeu omnino gratis. Sed gratia Dei
dicitur vita æterna, quatenus gratia eſt prin-
cipium & radix, tùm vitæ æternæ, tùm
meriti ipſius: quandoquidem opera juſto-
rum non ſunt meritoria vitæ ęternæ, qua-
tenus à libero arbitrio procedunt, ſed in-
quantum gratia habituali dignificantur. Un-
de gloria æterna dicitur corona data ex mi-
ſericordia: quia debet miſericordia pręce-
dere, ut impius juſtificetur, & poſtea il-

S. Auguſtinus lib. de correp. & grat. cap. 13.

lam juſtus mereatur, ut exponit Auguſti-
nus. Et ſimiliter Dr. Angelicus verba cita-
ta Pauli ita exponens: ,, Quia enim dixe-
,, rat juſtos homines habere vitam æternam,
,, quam certum eſt non poſſe haberi niſi
,, per gratiam; ideo hoc ipſum, quòd bo-
,, na operamur, & quòd opus noſtrum eſt
,, dignum vita æterna, eſt à gratia Dei:

D. Thomas lect. 4. in cap. 6. ad Rom. in fine.

,, Undè in Pſal. 83. dicitur: *Gratiam & glo-*
,, *riam dabit Dominus.* Sic igitur opera
,, noſtra ſi conſiderentur in ſui natura, &
,, ſecundùm quod procedunt ex libero ar-
,, bitrio hominis, non merentur ex condig-
,, no vitam ęternam; ſed ſolum ſecundùm
,, quod procedunt ex gratia Spiritus
,, Sancti: Undè Joannis 4. *Quod fiet in*
,, *eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam:*
,, Et hoc fit *in Chriſto Jeſu Domino no-*
,, *ſtro*: id eſt per Chriſtum: vel inquantum
,, in ipſo ſumus per fidem, & charitatem:
,, Joann. 6. *Omnis qui videt filium, &*
,, *credit in eum, habet vitam æternam.*

287 Inde jam ſupra laudatum Triden-
tinum proponendam eſſe ſtatuit vitam ęter-
nam, & tanquam gratiam miſericorditer

Concilium Tridentinum ſeſſione 6. cap. 16.

promiſſam; & tanquam mercedem meritis
& operibus juſtorum fideliter reddendam.
Hac etiam ratione diximus ex SS. PP.

S. Auguſtinus Epiſt. 105.

Deum hominibus dare unde meritum ha-
beant, ut ſic dona ſua ſint merita noſtra.
Hæc omnia in Auguſtino præluxerunt:
* Quod eſt meritum (inquit) hominis an-
* te gratiam, quo merito percipiat gra-
* tiam? Cùm omne bonum meritum no-
* ſtrum non in nobis faciat niſi gratia: Et
* cùm Deus coronat merita noſtra, nihil
* aliud coronat niſi munera ſua: ſicut enim
* ab initio fidem miſericorditer conſequuti
* ſumus, non quia fideles eramus, ſed ut
* eſſemus; ſic in fine, qui erit vita ęter-
* na, coronabit nos ſicut ſcriptum eſt
* (Pſal. 102.) *in miſeratione, & miſericor-*
* *dia*: Undè de ipſa vita æterna, quæ
* utique in fine ſine fine habebitur: &
* ideo meritis præcedentibus redditur. Ta-
* men quia eadem merita, quibus reddi-
* mur digni,non à nobis parata ſunt per no-
* ſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta
* per gratiam, etiam ipſa, gratia nuncu-
* pantur, non aliud niſi quia gratis datur;
* nec ideo gratia quia meritis non datur,
* ſed quia data ſunt ipſa merita, quibus
* dantur. Ex quibus ſatis conſtat, quo ſen-
ſu loquantur SS.PP. adducti. Primò, quia ſi-
ne gratia & miſericordia Dei, rationem
meriti condigni opera juſtorum non indue-
rent. Quinimo aliis titulis ſibi debita, cùm
poſſet Deus opera illa exigere; dignatus
fuit ex ſua miſericordia ea nobis dare, ut
habeat quid remuneret. Deindè docent
miſericordiam & gratiam præcedere ad co-
ronam juſtitiæ, quæ non datur niſi remiſ-
ſis peccatis venialibus; quia nihil coinqui-
natum poteſt intrare in regnum Cœlorum.
Imò addit Auguſt. loco citato de correp-
tione, & gratia: *Hanc miſericordam debi-*
tam eſſe bonis meritis Sanctorum, & ju-
dico, non tàm donari, quàm reddi, ut di-
ci poſſit juſta miſericordia, quoniam juſto
judicio redditur.

288 Quod verò attinet ad Auguſtinum in
contrarium adductum; nullus Auguſtino ip-
ſo melior ejus mentem explicabit. Non
deberi vitam æternam homini, ſed gratìs
donari: homini inquam ſuis ſolum viribus
operanti: ſed homini operanti ex gratia
debetur utique vita ęterna: cum ipſi ju-

S. Auguſtinus ubi ſupra.

ſtitiæ quam homo per gratiam operatur, di-
cat S. Pater, reddi tanquam ſtipendium vi-
tam æternam. * Cui (inquit) vita ęterna,

* ve-

* vera juſtitia eſt. Si autem vera juſtitia
* eſt, ex te non eſt, de ſurſum eſt, deſcen-
* dens à Patre luminum ut haberes eam,
* ſi tamen habes, profectò accepiſti. Quid
* enim habes quod non accepiſti? Qua-
* propter ò homo, ſi accepturus es vitam
* æternam, juſtitiæ quidem ſtipendium eſt,
* ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt ipſa ju-
* ſtitia. Atque ut alia omittamus teſtimo-
nia ex lib. 2. de gratia & libero arbitrio

Lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 8.

cap. 6. 7. & 8. hæc ſola verba audiantur:
Illa (nimirum gratia boni operis) cui datur,
tantummodo gratia eſt. Hæc autem (id eſt
vita æterna) quæ illi datur, quoniam præ-
mium eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam
merces pro juſtitia, ut verum ſit, quia
reddet unicuique Deus ſecundùm opera ejus.

S. Bernardus ſerm. 68. in Cantica.

Mellifluus Bernardus vera humilitate edo-
ctus, merita noſtra docet non eſſe ex no-
bis, ſed ex miſericordia Dei, ut explicat
ſerm. 68. in Cantica. Quinimo ex incerti-
tudine gratiæ quam ſæpe humillimè refor-
midabat, in ſola Dei miſericordia noſtram
confidentiam principaliter ponendam eſſe
prudenter docuit: licèt in fide, & operi-
bus confidentia illa debeat etiam fundari,
prout dicemus circa certitudinem ſtatûs gra-
tiæ. Volum. 2. Sic enim non in ſe ipſo, ſed in
Deo gloriari debet juſtus: *Quia cum ex*
Deo illi ſit, quod etiam bene operatur

S. Auguſtinus tract. 82. in Joannem.

(verba ſunt Auguſt.) *quoniam palmes non*
poteſt ferre fructum à ſemetipſo: Non hoc
igitur noſtræ glorię tribuamus, tanquam
hoc ex nobis ipſis habeamus. Ejus eſt enim
hæc gratia: Et ideò in hoc non noſtra ſed
ejus & gloria. Quinimo (addimus in fine)
in ipſa corona gloriæ, meritis jure quo-
dam reddenda, miſericordia, gratia, boni-
tas & liberalitas Dei ſplendent: quia jux-
ta commune Theologorum ex PP. pronun-

Deus præmiat ultra condignum.

tiatum: *Deus præmiat ultra condignum:*
Quia nimirum aliquid gloriæ, tùm eſſen-
tialis, tùm accidentalis ex innata ſua in-
finita magnificentia juſtis concedit, juxta

Luc. 6. v. 38.

illud Chriſti D. *Menſuram bonam, & con-*
fertam, & coagitatam, & ſuperfluentem
dabunt in ſinum veſtrum. Quibus verbis

S. Cyrillus, & Theophylactus ibi in Catena Aurea.

oſtendit D. (inquit Cyrillus in Catena Grę-
corum PP.) *quod ampliori manu recompen-*
ſationem accipimus à Deo, qui largifluè do-
nat diligentibus eum. Et Theophylactus ibi:
Quaſi dicat: Sicut ſi farinam ſine parcita-
te menſurare velles, confercires eam, coa-
gitares, & ſupereffunderes abundè; ſic Do-
minus menſuram magnam & ſupereffluen-
tem dabit in ſinum veſtrum. Unde admira-
re eſt quod etiam dum Deus coronat, in
miſericordia, & miſerationibus coronat.

289 Reliqua inter Theologos circa me-
ritum diſputata, jurè omittenda duximus,
memorantes ſolum quantum ad objectum
meriti condigni juſtorum: quod licèt aug-
mentum gratiæ (& conſequenter gloriæ)
ſub merito cadat: neutiquam verò prima
gratia cùm actualis, tùm habitualis, ut in
ſuperioribus indicatum eſt. Non inquam
prima gratia auxilians, ut pluribus oſten-
dit D. Thomas: Primùm enim auxilium

D. Thomas 3. contra gent. c. 149.

gratiæ, actùs dumtaxat pręſupponit ex na-
turali facultate procedentes ut certum eſt:
,, Inde ſic 4. loco arguit S. Dr. Merces
,, proporcionatur merito, cùm in retribu-
,, tione mercedis ęqualitas juſtitiæ obſerve-
,, tur: effectus autem divini auxilii, qui

Prima gratia auxilians ſub merito non cadit.

,, facultatem naturæ excedit non eſt pro-
,, porcionatus actibus, quos homo ex natu-
,, rali facultate producit: non igitur per
,, hujuſmodi actus poteſt homo prædictum
,, auxilium mereri. Quantum ad primam
gratiam habitualem ſic arguit D. Tho-

1. 2. q. 114. a. 5. in corp.

mas: ,, Reſpondeo dicendum, quòd do-
,, num gratiæ conſiderari poteſt dupliciter:
,, uno modo ſecundùm rationem gratuiti
,, doni, & ſic manifeſtum eſt, quòd omne
,, meritum repugnat gratiæ, quia, ut ad
,, Roman. 11. Apoſt. dixit: *Si autem gra-*
,, *tia jam non ex operibus.* Alio modo po-
,, teſt conſiderari ſecundum naturam ipſius
,, rei, quę donatur, & ſic etiam non po-
,, teſt cadere ſub merito, non habentis
,, gratiam, cùm excedat proportionem na-
,, turæ: tùm etiam, quia ante gratiam in
,, ſtatu peccati homo habet impedimentum

Neque prima gratia juſtificans: bene vero augmentum.

,, promerendi gratiam, ſcilicet ipſum pec-
,, catum. Poſtquam autem jam aliquis ha-
,, bet gratiam, non poteſt gratia jam ha-
,, bita ſub merito cadere, quia męrces eſt
,, terminus operis, gratia vero eſt princi-
,, pium cujuſlibet boni operis in nobis, ut
,, ſupra dictum eſt. Si verò, aliud donum
,, gratuitum aliquis mereatur virtute gra-
,, tiæ pręcedentis, jam non erit prima. Un-
,, dè manifeſtum eſt, quòd nullus poteſt
,, ſibi mereri primam gratiam.

290 Quod autem de condigno ſibi me-
reatur juſtus augmentum gratiæ & chari-
tatis, ibidèm oſtendit D. Thomas tùm ex

D. Thomas art. 8. in ſed cont. ex Auguſt. trac. 5. in Epiſt. Joan. in 2. diſt. 27. q. 1. a. 5. in corp.

Auguſtino dicente: *Charitas meretur auge-*
ri, ut aucta mereatur & perfici. Dein-
dè in corpore ejuſdem articuli, ratione,
quam in loco Sententiarum ampliùs ita ex-
pendit: ,, Reſpondeo dicendum, quòd ſi-
,, cut culpæ redditur duplex pœna. Una
,, quæ comitatur ipſam culpam, ut conſ-
,, cientiæ remorſus & hujuſmodi, ſecundum
,, quod Auguſtinus dicit in lib. Confeſſio-
,, num, quod inordinatus animus ſibi ip-
,, ſi eſt pœna. Alia quæ infligitur exteriùs
,, à judice, Deo vel homine, ita etiam du-
,, plex eſt præmium reſpondens merito.
,, Unum comitatur ipſum actum meri-
,, torium, ut ipſa delectatio boni operis,
,, & ſimilia. Aliud quod pro bono opere red-
,, ditur à Deo vel homine, ut vita æter-
,, na, & quidquid hoc modo redditur. Ad
,, hoc autem duplex præmium diverſimodè
,, actus meritorius ordinatur: quia ad pri-
,, mum præmium eſt proportionatus ſecun-
,, dùm formam ſuam v.g. ex hoc ipſo quod
,, eſt actus ab habitu perfecto procedens
,, delectabilis eſt, unde in principio actus
,, reducitur ſicut in cauſam: ſed ad pręe-
,, mium quod exteriùs redditur, ordinatur
,, ſecundùm proportionem dignitatis tan-

tum;

,, tum, ut qui tantùm meruit, tantùm remuneretur in quocunque bono, & qui tantùm peccavit, tantùm puniatur: ſecundùm hoc ergo dico, quòd per actum meritorium contingit mereri augmentum gratiæ, ſicut præmium concomitans naturam actus meritorii, cùm naturale ſit, ut omnis actus poſsit in acquiſitionem vel augmentum ſimilis habitûs, vel effectivè vel diſpoſitivè.

Opera juſtorum ex intrinſeco valore meritoria ſunt

291 Supereſt pro complemento indicare opera juſtorum ex proprio & intrinſeco valore meritoria eſſe de condigno vitæ æternæ, quin opus habeant nova, & extrinſeca Dei acceptione, ut propugnant aliqui Scholæ Theologi. Hoc enim indicant ſatis ſacra teſtimonia hucuſque adducta. Et quidèm cùm gratia ſanctificans ex proprio intrinſeco valore, & abſque novo extrinſeco favore, & acceptatione (ut plauſibilior ſententia tenet) conſtituat hominem filium Dei adoptivum, cùm jure connaturalitatis ad hęreditatem æternam, amicum Deo acceptum, & benevolè dilectum; inde non derivare non poſſunt illam cum gloria ęqualitatem opera juſtorum, qualem exigit meritum condignum. Indè D. Thomas ita diſcurrit: ,, Reſpondeo dicendum, quòd opus meritorium hominis dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo ſecundùm quòd procedit ex libero arbitrio. Alio modo ſecundùm quòd procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si conſideretur ſecundùm ſubſtantiam operis, & ſecundùm quòd procedit ex libero arbitrio, ſic non poteſt ibi eſſe condignitas propter maximam inæqualitatem, ſed eſt ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum; ut homini operanti ſecundùm ſuam virtutem, Deus recompenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, ſecundùm quòd procedit ex gratia Spiritus Sancti, ſic eſt meritorium vitæ æternæ ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur ſecundùm virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam æternam. Attenditur etiam pretium operis ſecundùm dignitatem gratiæ, per quam homo conſors factus divinæ naturę, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo jure adoptionis, ſecundùm illud Roman. 8. *Si filii & heredes.*

ARTICULUS VII.

Per ſummam injuriam peccato inquinata dicuntur juſtorum opera, vel ex ipſa concupiſcentia.

292 RELIQUUM eſt in hoc articulo duplicem explodere errorem Novatorum pro completa propoſitę diſſertationis, & meriti juſtorum elucidatione. Primus ille eſt, quo Proclum ſequuti, concupiſcentiam poſt baptiſmum remanentem peccatum appellant: & deinde per ſummam injuriam affirmantes cuncta juſtorum opera peccato inquinata eſſe, prout proleg. 1. n. 27. memoravimus. Indè erumpentes vidimus (num. 75.) in Michaele Bajo propoſitiones illas damnatas, & in hoc articulo rejiciendas, nimirum: 48. 49. 71. & 72. Ut igitur antiquus Procli renovatus error evellatur radicitùs, neceſſum erit ſignificare quid nomine concupiſcentiæ intelligatur. Concupiſcentiam igitur quadrupliciter accipi poſſe cum Scholæ Theologis adnotavimus: *Primò* inquàm pro ipſa potentia appetitiva boni ſenſibilis & delectabilis naturæ licèt convenientis, ſubordinatè tamen ad rationem rectam. *Deindè* concupiſcentia appellatur ipſamet prædicti boni appetitiva potentia pręciſivè à ratione, ſeu præter ordinem rationis. *Adhæc*, dicitur etiam concupiſcentia eadem appetitiva potentia ab ordine rationis ſuo impetu recedens aliqualiter, nullo tamen vel facili negotio à ratione moderanda. Cùm *tandem* vehementer contra rationem inſoleſcit appetitus, difficiliter proinde moderandus concupiſcentia, imò & *fomes peccati* dicitur. Concupiſcentiam in primo ſenſu naturæ humanæ integræ & innocenti: & in quarta acceptione, naturæ lapſæ convenire ſtatuimus in Schola: quemadmodum naturæ puræ (utique poſsibili) ſecundam & tertiam concupiſcentiæ acceptionem adſcripſimus, contra nonnullos etiam domeſticos Scholæ Theologos. De concupiſcentia ergo naturæ lapſæ veluti innata, ſtatuere habemus non eſſe formaliter peccatum; ac proinde opera juſtorum non inquinare, ſecluſo voluntatis deliberato conſenſu.

Quadruplex concupiſcentiæ acceptio.

§. I.

Concupiſcentiam non eſſe formaliter peccatum monſtrans.

293 ASSERENDUM eſt primò: concupiſcentiam naturæ lapſæ ex ſe & præciſè ſumptam non eſſe formaliter peccatum. Sic in terminis ſtatuit Sacrum Concilium Tridentinum; poſtquam enim definivit per gratiam Jeſu Chriſti, quæ in Baptiſmate confertur, tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſubjungit: * Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed utiliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet, quinimo, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium cenſerit, anathema ſit. Hujus concupiſcentiæ (ſicut & pœnalitatum) poſt Baptiſmum permanentis utilitatem, Deo adjuvante, ſupervenientem, pluribus expendit Doctor Angelicus verbis illis: ,, Reſpondeo dicendum quòd Baptiſmus habet virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ, non tamen eas aufert in præſenti vita; ſed ejus virtute auferentur à juſtis in reſurrectione quando *mortale hoc induet immortalitatem*. Et hoc rationabiliter: primò quidèm: quia per baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & efficitur membrum ejus, ut ſupra dictum eſt (q. 68. a. 5. ad 1. & a. præced.) & ideò conveniens eſt, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actum in capite. Chriſtus autem à principio ſuæ conceptionis fuit plenus gratiâ, & veritate: habuit tamen corpus paſsibile, quod poſt paſsionem & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum. Undè & Chriſtianus in Baptiſmo gratiam conſequitur, quantùm ad animam: habet tamen corpus paſsibile, in quo pro Chriſto poſsit pati, ſed tandèm reſuſcitabitur ad impaſsibilem vitam. Undè Apoſtolus dicit: Ad Rom. 8. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum à mortuis vivificabit, & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis.* Et infra eodem cap. *Hęredes quidèm Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Secundò hoc eſt conveniens, propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam & alias paſsibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Undè ſuper illud: Rom. 6. *Ut deſtruatur corpus peccati*, dicit gloſſa: *Si poſt Baptiſmum vixerit homo in carne, habet concupiſcentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet*: In cujus figuram dicitur: Judic. 3. *Hæ ſunt gentes, quas dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.* Tertiò hoc fuit conveniens, ne homines ad baptiſmum accederent propter impaſsibilitatem pręſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ ęternę. Undè & Apoſtolus dicit: 1. Corinth. 15. *Si in hac vita tantùm ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

Concilium Trident. ſeſſ. 5. can. 5.

D. Thom. 3. p. q. 69. a. 3. in corp.

1. Corinth. 15.

Pœnalitates & concupiſcentia, poſt baptiſmum utiliter permanentes.

294 Pręjactæ Tridentini definitioni obſiſtunt pro more Lutherani omnes poſt Lutherum aſſerentem inter alia: * *Verum quòd defectum ſic appellant, ut peccatum eſſe negent, & non culpam, ſed pœnam tantum peccati eſſe velint, admittere non poſſunt.* Et rurſus: *Interim favor Dei nos ſuſcipit & ſuſtinet, non imputans ad mortem, quod reliquum eſt peccati in nobis: licèt verè peccatum ſit, & imputari poſſit.* * Quibus verbis errorem errori accumulat de non imputatione peccatorum, licèt remiſſa non ſint. Verùm Lutheranos jam pędebellavit Beatus Jacobus verbis illis: *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Ubi D. Thomas: ,, Id eſt tentatur à fomite originaliter. Hæc eſt lex membrorum de qua Romanorum 7. Hæc autem appellatur caro concupiſcens adversùs ſpiritum. Galat. 5. (*Abſtractus*) à bono. Gloſſa *à recto itinere* (*Et illectus*) Gloſſa *ad malum.* Tangit duos terminos motûs: per defectum, qui eſt peccatum. Vel abſtractus à bono incommutabili: illectus ad bonum commutabile :: In verbis ſubjunctis, (ſubjungit:) Ponit gradus tentationis, ſcilicet in delectatione, qua homo allicitur: in conſenſu, quo peccatum concipitur: in opere, quo peragimus: in conſuetudine, qua conſummatur. (*Deindè concupiſcentia*) illecti ſcilicet per amorem boni commutabilis. (*Cùm conceperit*) per conſenſum operis, aut moroſę delectationis, quod eſt occulta formatio maligni fœtûs. Conceptio verò hujus eſt ex diabolo tanquam patre agente, & ſemen immittente: ex concupiſcentia tanquam matre conſentiente vel ſuſcipiente. Ideò dicitur Ezechielis 16. *Pater tuus Amorrhęus, & mater tua Cethea.* Joan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis.* (*Parit peccatum.*) Gloſſa, *perducit ad actum*, manifeſtus hic eſt partus, de quo in Pſalmo 7. *Concepit dolorem, & pe-*

Lutherus apud Belarminum lib. 5. de ſtatu peccati a. 5.

Jacob. 1. v. 14. & 15.

D. Thom. ibid. vel Auct. illius Commentarii.

Proceſſus concupiſcentiæ ad paccatum.

,, *perit iniquitatem.* (*Per peccatum verò*
,, *cùm conſummatum fuerit*) Gloſſa, id eſt
,, per actum in conſuetudine pravæ vitæ
,, perductum: ſicut officium mortui con-
,, ſummatur exhibitione ſepulturæ, ſicut La-
,, zari in Joan. 11. capite (*generat mortem*)
,, reatus & damnationis æternę: Romano-
,, rum 6. *Stipendia peccati*, *mors.* Gloſſa,
,, *Sicut qui tentatus ſuperat*, *præmia vitæ*
,, *adquirit. Ita qui concupiſcentiis illectus*
,, *ſuperatur*, *mortis ruinam incurrit.*

295 Angelico Doctori præluxit de mo-
re Auguſtinus in pręlaudatum teſtimonium
inquiens: * Sed cùm dicit Apoſtolus Jaco-

D. Auguſt. lib. 6. cont. Julianum cap. 5.

* bus, unuſquiſque tentatur à concupiſcen-
* tia ſua, abſtractus & illectus: Deindè
* concupiſcentia cùm conceperit, parit pec-
* catum: profectò in his verbis partus à pa-
* riente diſcernitur. Pariens namque eſt
* concupiſcentia, partus peccatum. Sed
* concupiſcentia non parit, niſi concepe-
* rit, non concipit, niſi illexerit, hoc eſt,
* ad malum perpetrandum obtinuerit vo-
* luntatis aſſenſum. * Præluxerat jam San-

S. Cyrillus lib. 4. in Joannem cap. 15.

ctus Cyrillus dùm habet: * Voluptas quæ-
* dam ante omne peccatum pręcurrit, &
* fervens cupiditas ad delicta ſolet allice-
* re, quę ante peccandi actum inſidet, &
* mentis conſenſum arripit, perſuadens
* facilè hac via veniendum eſſe quo gliſci-

In ſuggeſtionem, & delectationem, cōſenſumque, opus eſt cum PP. diſtinguere.

* mus. Quod verùm Chriſti Diſcipulus
* oſtendit dicens, nemo, qui tentatur,
* dicat à Deo ſe tentari, neminem enim
* Deus tentat, ſed unuſquiſque à ſua cu-
* piditate abſtractus, atque ſeductus ten-
* tatur. Cupiditas deindè poſtquam con-
* ceperit, parit peccatum, porrò conſum-
* matio mortem generat. Si enim ut vi-
des, concupiſcentiæ titillatio, quæ actus
quidam eſt, peccatum formale non eſt; quan-
tò minus pronitas ad malum, ſeu concu-
piſcentia ipſa ad bonum delectabile pro-
pendens, fomes peccati inde dicta, pecca-

V. Beda Comment. in locum S. Jacobi.

tum erit? Quinimò & V. Beda, ſuggeſtio-
nem à delectatione diſtinguens, & dele-
ctationem à conſenſu, affirmat: ſolam ſug-
geſtionem, niſi trahat ad delectationem,
non ſolum non parere peccatum, ſed è
contrario parere coronam vitæ, juxta ver-
bum ejuſdem Apoſtoli in eodem loco: *Bea-
tus vir*, *qui ſuffert tentationem*, *quoniam
cum probatus fuerit*, *accipiet coronam vitæ.*

296 Jacobo Apoſtolo conſentit Paulus,
Theologica qua ſolet diſputandi ratione,
præfocans futuros Lutheranos, priuſquam
ex abyſſo prodierint. Sic enim de concu-

Rom. 7. v. 17. & 18.

piſcentia ejuſque inſurgentibus motibus ad
malum loquitur: *Nunc autem jam non
ego operor illud*, *ſed quod habitat in me
peccatum. Scio enim quia non habitat in
me*, *hoc eſt in carne mea*, *bonum.* Quam-
vis enim hujuſmodi Pauli verba de moti-
bus concupiſcentiæ intelligi valeant: ,, Uno

D. Thom. ibid. lect. 3.

,, modo (exponit D. Thomas) de eo qui
,, eſt ſubjectus peccato, qui quidèm in uni-
,, verſali intelligit non eſſe operandum pec-
,, catum, tamen victus ſuggeſtionę dœmo-
,, nis, vel paſsionē, vel inclinatione per-
,, verſi habitus operatur illud: & ideò di-
,, citur operari quod intelligit non eſſe ope-
,, randum, contra conſcientiam faciens; ſi-
,, cut Luc. 12. *Servus ſciens voluntatem*

Suggeſtio ſine delectatione, aut conſenſu in peccatum non imputatur.

,, *Domini ſui & non faciens*, *dignè pla-*
,, *gis vapulabit multis.* Vel ſic verſ. 47.
*Servus qui cognovit voluntatem Domini
ſui*, *& non fecit ſecundùm voluntatem
ejus*, *vapulabit multis*: *Qui autem non
cognovit*, *& fecit digna plagis*, *vapula-
bit paucis.* Melius autem & conformius
Auguſtino intelliguntur de eo qui eſt in gra-
,, tia conſtitutus, qui quidem (inquit D.
,, Thomas) operatur malum, non quidem
,, exequendo in opere vel conſentiente men-
,, te, ſed ſolùm concupiſcendo ſecundùm
,, paſsionem ſenſibilis appetitûs: Et illa
,, concupiſcentia eſt præter rationem & in-
,, tellectum, quia prævenit ejus judicium,
,, quo adveniente talis operatio impeditur.
,, Et ideò ſignanter non dicit: *Intelligo*
,, *non eſſe faciendum*, ſed *non intelligo*;
quia ſcilicet intellectu nondùm deliberato,
,, aut percipiente, talis operatio concupiſ-
,, centiæ inſurgit. Galat. 5. *Caro concupiſ-*
,, *cit adversùs ſpiritum*, *& ſpiritus ad-*
,, *versùs carnem.* Melius inquam intelligi-
tur, ſicut ad verba adducta loquitur ita
D. Thomas: ,, Et hoc quidem rectè ac fa-
,, ciliter poteſt intelligi de homine ſub gra-
,, tia conſtituto, quòd enim concupiſcit
,, malum ſecundùm appetitum ſenſitivum
,, ad carnem pertinentem, non procedit
,, ex opere rationis, ſed ex inclinatione
,, fomitis. Illud autem homo dicitur ope-
,, rari, quod ratio operatur, quia homo
,, eſt id quod eſt ſecundùm rationem: Un-
,, dè motus concupiſcentiæ qui non ſunt à
,, ratione, ſed à fomite non operatur ho-
,, mo: ſed fomes peccati, qui hìc *peccatum*
,, nominatur. Jacob. 4. *Undè bella & li-*
,, *tes in vobis? Nonne ex concupiſcentiis ve-*
,, *ſtris*, *quę militant in membris veſtris*:
,, Sed de homine ſub peccato conſtituto, hoc
,, propriè intelligi non poteſt, quia ejus
,, ratio peccato conſentit. Et ideò ipſe-
,, met operatur: undè dicit Aug. & habe-
,, tur in Gloſſ. *Multum fallitur homo qui*

Gloſſ. ex Auguſt. lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 28.

,, *conſentiens concupiſcentiæ carnis ſuæ*:
,, *& quod illa deſiderat*, *decernens facere*
,, *& ſtatuens*, *putat ſibi adhuc eſſe dicen-*
,, *dum*, *non ego operor illud.* Poteſt ta-
,, men, (licèt extortè) exponi etiam de ho-
,, mine peccatore.

297 Apoſtoli explicato ſenſu & inten-
tione, convenit jam ejus ineluctabile ar-
gumentum adversùs Lutheranos intorquere
cum Angelico Doctore: Non enim pecca-

D. Thomas ubi ſupra & lect. 4. ſequenti.

tum propriè & formaliter tale invenire eſt
in homine, niſi voluntariè adverſetur divinæ
legi; nec aliter adverſabitur voluntariè,
niſi prælucente ratione, & voluntate con-
ſentiente; ſed homo juſtus, in cujus etiam

Arguit cum Apoſtolo D. Thomas.

perſona loquitur Paulus, etſi concupiſcen-
tiæ motibus agitatus, divinâque adjuvan-
te gratiâ roboratus, divinæ legi non adver-
ſa-

ſatur: non ergo propriè & formaliter de-
linquit; quantumvis primi & fortè ſubſe-
quentium peccatorum morbidos in carne
præſentiat effectus, juxta illud Auguſtini:

D. Auguſt. ubi ſupra cap. 31.

Carnem nunc appellamus, *ubi eſt morbidus
quidam carnis effectus*, *non ipſam corporis
conformationem cujus membra non adhiben-
da ſunt arma peccato*, *id eſt eidem ipſi
concupiſcentiæ*, *quæ hoc carnale noſtrum cap-
tivum tenet.* Major propoſitio adeò nota
Auguſtino apparuit ut dicere non dubita-

D. Auguſt. lib. 3. contra Julianum cap. 14.

verit: *Omnes judicant laſcivię non eſſe pec-
catum*, *niſi quia concupiſcentiæ conſentitur*:
*Nullum ne ergo malum eſt cui conſentien-
do peccatur? At hoc malum in carne con-
tra ſpiritum concupiſcente*, *etiamſi non ſit
in ſpiritu conſentiente*, *& contra etiam
concupiſcente.* Et meritò quidèm: nam quis
dubitet hominem peccare, niſi legi adver-
ſetur, contradicatque, cùm operatur ut
homo contradiſtinctè ad bruta; aliàs pec-
cati propriè dicti beſtias ipſas capaces di-
ci deberent: certum tamen eſt non aliter ho-
minem ut rationalem operare, niſi pręlu-
cente ratione, & voluntate conſentiente.
Jam proindè aſſumptam propoſitionem ſta-
biliamus: quia non voluntariè conſentit
exurgentibus concupiſcentiæ motibus ſeu
fomiti peccatorum, quæ ab Apoſtolo lex
in membris appellatur, repugnans legi men-
tis, & captivans in lege peccati; qui va-
lidè huic legi reſiſtit; Jeſu Chriſti aſpiran-
te gratia; ſed homo juſtus & ut talis ope-
rans divinæ legi conſentit & legi carnis va-
lidè reſiſtit: ergo contra mentem Apoſtoli
affirmatur quòd propriè peccet.

298 Hominem utique juſtum Dei gra-
tia ex meritis Jeſu Chriſti donatum divi-
næ legi conſentire, & legi membrorum re-
ſiſtere, Apoſtolus ipſe apertè monſtrat ver-
bis ilis: *Condelector enim legi Dei ſecun-
dùm interiorem hominem*: *video autem aliam
legem in membris meis repugnantem legi
mentis meæ*, *& captivantem me in lege
peccati*, *quæ eſt in membris meis. Infœ-
lix ego homo*, *quis me liberabit de corpore
mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chri-
ſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe
mente ſervio legi Dei*, *carne autem legi
peccati.* Qui enim inter concupiſcentię mo-
tus divinæ legi condelectatur ſecundùm in-
teriorem hominem, verè, gaudenter & de-
lectabiliter huic legi conſentit; contrariæ
per conſequens legi validè reſiſtit; at ſic
homini juſto Dei gratiâ adjuto contingit:
ergo à peccato propriè dicto immunis per-

S. Methodius, apud S. Epiphanium hęreſi 64.

ſiſtit quantumvis concupiſcat caro, quaſi
forinſecus inſtet juxta illud Sancti Metho-
dii: *Vides quòd cogitationes propter inha-
bitans in nobis peccatum*, *forinſecus nobis
inſtant*, *velut canes rabioſi*, *aut feri*, *aut
audentes latrones*, *contra nos ſemper inſti-
gati à tyranno*, *ac Principe iniquitatis*, *pro-
bantes nos*, *an reſiſtere ipſis poſsimus*, *&
aciem contra inſtruere? Agè igitur*, *ò ani-
ma*, *fortiter reſiſte*, *ne fortè remittens ca-
piaris.* Concludamus ergo propoſitam ar-

D. Thom. ibid. lect. 4.

gumentationem cum Angelico Doctore cu-
jus aliqua verba ad propoſitum, aliis omiſ-
ſis, damus: ,, *Condelector legi Dei ſecun-*
,, *dùm interiorem hominem*: Id eſt ſecun-
,, dùm rationem & mentem, quę *interior*
,, *homo* dicitur: quia id quod eſt princi-
,, paliùs in homine dicitur homo. *Video*

Ex Apoſtolo Theologicè urget D. Thomas.

,, *autem aliam legem &c.* Scilicet fomes
,, peccati ſeu lex peccati captivans homi-
,, nem dupliciter: Uno modo hominem pec-
,, catorem per conſenſum & operationem:
,, Alio modo hominem ſub gratia conſti-
,, tutum, quantum ad concupiſcentiæ mo-
,, tum: *Gratia Dei* quæ datur *per Jeſum*
,, *Chriſtum* liberat à corpore mortis hu-
,, jus dupliciter: Uno modo, ut corrup-
,, tio corporis menti non dominetur, tra-
,, hens eam ad peccandum. Alio modo,
,, ut corruptio corporalis totaliter tollatur.
,, Hoc ſecundum erit in reſurrectione. Pri-
,, mum autem eſt in homine juſto. *Igitur*
,, *ego*, *&c.* Infert concluſionem quantum
,, ad perſonam juſti: *Gratia Dei per Jeſum*
,, *Chriſtum*, liberavit me *de corpore mortis*
,, *hujus*: ita ſcilicet ut in me non ſit cor-
,, ruptio peccati.

299 Eandem conſequentiam pro ſe ip-
ſo & juſtis omnibus ſtatim infert Apoſto-
lus in principio capitis ſequentis inquiens:

Roman. 8. v. 1.

Nihil ergo nunc damnationis eſt his, *qui ſunt
in Chriſto Jeſu*, *qui non ſecundùm carnem
ambulant.* ,, Hanc conſequentiam ita elu-

D. Thom. ibid. lect. 1.

,, cidat D. Thomas: Proponit beneficium
,, quod gratia confert; concludens ex præ-
,, miſsis ita: Gratia Dei per Jeſum Chri-
,, ſtum liberavit me de corpore mortis hu-
,, jus in qua exiſtit noſtra redemptio: Er-
,, go nunc ex quo ſumus per gratiam libe-
,, rati, nihil damnationis eſt reſiduum; quia
,, & tollitur damnatio quantùm ad culpam
,, & quantùm ad pœnam. Et hoc quidèm

Ineluctabilis contra adverſarios Apoſtoli conſequentia.

,, *his qui ſunt in Chriſto Jeſu*, id eſt qui
,, ſunt ei incorporati per fidem & dilectio-
,, nem & fidei Sacramentum: Galat. 3.
,, *Omnes quotquot in Chriſto baptizati eſtis*,
,, *Chriſtum induiſtis. Qui non ſecundùm*
,, *carnem ambulant*, id eſt, concupiſcen-
,, tiam carnis non ſequuntur. Quinimò nec
in ipſis infidelibus tenendum eſt, motus
concupiſcentiæ, quibus ratio non conſen-
tit peccata eſſe ſaltem mortalia, prout vo-

D. Thomas ubi ſupra.

luere nonnulli ſuppreſſo nomine relati à D.
Thoma proximè laudato, ubi eorum opi-
nationem falſam eſſe oſtendit: ,, Primus
,, enim motus (inquit) habet quòd non ſit
,, peccatum mortale, ex eo quod rationem
,, non attingit, in qua completur ratio
,, peccati: Iſta autem cauſa etiam in infide-

Non ſolum in hominibus juſtis, ſed neque in infidelibus, peccata ſunt primi motus concupiſcentię.

,, libus manet: Undè in infidelibus primi
,, motus non poſſunt eſſe peccata mortalia.
,, Præterea in eadem ſpecie peccati graviùs
,, peccat fidelis, quàm infidelis: ſecundùm
,, illud Hebr. 10. *Quantò magis putatis*
,, *deteriora mereri ſupplicia qui filium*
,, *Dei conculcaverit.* Si ergo primi motus

D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 5. in corp.

,, in infidelibus eſſent peccata mortalia,
,, multò magis in fidelibus. Utrunque ar-
gu-

gumentum proponit etiam S. Doctor Scholæ Theologum agens. Reſpondeo (inquit) dicendum, quòd irrationabiliter dicitur, quòd primi motus infidelium ſint ,, peccata mortalia, ſi eis non conſentiant. ,, Et hoc patet dupliciter. Primò quidèm, ,, quia ipſa ſenſualitas non poteſt eſſe ſubjectum peccati mortalis, ut ſuprà eſt ,, habitum, eſt autem eadem natura ſenſualitatis in infidelibus & fidelibus: undè non poteſt eſſe, quòd ſolus motus ,, ſenſualitatis in infidelibus ſit peccatum ,, mortale. Alio modo ex ſtatu ipſius peccantis: nunquam enim dignitas perſonę ,, diminuit peccatum, ſed magis auget, ut ,, ex ſupra dictis patet: undè nec peccatum eſt minus in fideli, quàm in infideli, ſed multò majus. Nam & infidelium ,, peccata magis merentur veniam propter ,, ignorantiam, ſecundùm illud 1. ad Timoth. 1. *Miſericordiam Dei conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea*: & peccata fidelium aggravantur ,, propter gratię Sacramenta, ſecundùm illud Hæbr. 10. ut ſupra. Et certè non poſſumus non admirare imitandam Angelici Doctoris in Sanctos Patres obſervantiam; licèt namque Anſelmum, in oppoſitum adducat arguentem: nihilominus pro opinatione oppoſita eum non refert licèt argumenta diſſolvat. Cùm tamen Anſelmus expreſsè videatur oppoſitum tenere, ut obſervat Mag. Nicolai in Marginalibus laudati Comment. D. Thomę.

300 Poſt Apoſtolos Jacobum & Paulum, Sancti Patres audiendi veniunt Jacobo & Paulo conſentientes pro more: Imprimis Cyprianus de ablutione pedum baptiſmi prętigurativa, habet: *Sic abluit quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula poſt ablutionem illam ulla ſui veſtigia derelinquat.* Hilarius etiam ad verba illa: *Viam iniquitatis amove à me*, inter peccatum diſtinguens, & viam peccati inquit: * Promptum fuerat dicere, iniquitatem amove à me. Sed licèt * infirmitatis ſuæ conſcius, cùm meminerit in corpore ſuo viam ineſſe peccandi, tamen per timorem Dei à peractione peccati omnis alienus eſt. Viam igitur peccati, qua ad peccatum pergere * promptum eſt, amoveri à ſe deprecatur, * id eſt, omnia coporalium voluptatum * deſideria auferri, nec tentationem aliquam concupiſcentiæ, aut ignorantiæ, * qua tanquam per viam ad peccatum itur, * ingruere. Sed quid immoramur in producendis PP. antiquis? Si enim Auguſtinus tenet, totam tenere antiquitatem Calvinus ipſe fatetur: *Neque opus eſt* (aiebat lib. 3. inſtitutionum cap. 3. §. 10.) *multum inveſtigando laborare, quod hìc veteres ſentiant, quando unus Auguſtinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter magnaque diligentia omnium ſententias collegit. Ex illo igitur ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certè volunt. Porrò inter illum & nos hoc diſcrimen eſt, quòd ipſe quidem concupiſcentię morbum peccatum vocare non audet, ſed ad illum deſignandum infirmitatis nomine contentus, tùm demùm fieri peccatum docet, ubi vel opus, vel conſenſus accedit. Nos autem illud ipſum pro peccato habemus, quòd aliqua omninò cupiditate homo titillatur.* Auguſtinum verò aſſertæ veritati conſentire, & oppoſitum errorem profligaſſe, iterata ejus teſtimonia oſtendunt. Imprimis namque inquit: * Aliquando ratio viriliter etiam * commotam cupiditatem refrenat, atque * compeſcit. Quòd cùm fit, non labimur * in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione coronamur. Et rurſùs: Hoc peccatum, de quo ſic eſt loquutus Apoſtolus, ideò peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt.

S. Cyprianus, vel Auctor ſerm. de Ablutione pedum.

S. Hilarius in Pſalm. 110.

SS. Patres, Auguſtinus pręſertim, noſtrã tradiderunt aſſertionem.

S. Auguſt. lib. 2. de Geneſi cont. Manichęos cap. 14.

Lib. 1. Retract. cap. 15.

301 Prætereà ait: * Quamvis inſint, * dùm ſumus in corpore mortis hujus, deſideria peccati, ſi nulli eorum adhiberemus aſſenſum, non eſſet undè diceremus * Patri noſtro, qui eſt in Cœlis, Dimitte * nobis debita noſtra. Inſuper inquit: Illa * concupiſcentialis inobedientia quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis? Et alibi etiam ait: Quemadmodum aliud eſt carere febribus, * aliud ab infirmitate, quæ febribus facta * eſt revaleſcere: itemque aliud eſt infixum * telum de corpore demere, aliud vulnus, * quod eo factum eſt, ſecunda curatione * ſanare? Ita prima curatio eſt, cauſam removere languoris, quod per omnium * fit indulgentiam peccatorum, ſecunda * ipſum ſanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus * imaginis: Quæ duo demonſtrantur in * Pſalmo ubi legitur: *Qui propitius ſit* * *omnibus iniquitatibus tuis*, quòd fit in * Baptiſmo. Deindè ſequitur, *qui ſanat* * *omnes languores tuos*, quod fit quotidianis acceſsibus, cùm ſic imago renovatur. Et ne tandem multus ſim in producendis innumeris Auguſtini teſtimoniis, concludat Auguſtinus ipſe; ſicut concluſit Apoſtolus. *Nulla ergo damnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu. Non enim damnatur, niſi qui concupiſcentiæ carnis conſentit ad malum.*

Epiſt. 200. ad Aſcellicum.

Lib. 1. de Civit. Dei, cap. 25.

Lib. 14. de Trinit. cap. 17.

Lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagian. cap. 11.

302 Rationes tandem Theologicæ adversùs recenſitum errorem plurimæ ſunt, quibus & lumen ipſum rationis naturalis efficaciam in ſuo genere miniſtrat. Imprimis namque, non omnes concupiſcentiæ motus, nec proindè concupiſcentiam ipſam eſſe propriè & formaliter peccaminoſos, monſtrant argumenta D. Thomæ quibus Stoicorum rejicit aberrationem, qua paſsiones omnes malas eſſe opinarunt: per oppoſitum ſtatuens: Quòd ſi paſsiones ſecundùm ſe conſiderentur, qualiter hominibus communes ſunt & brutis, non eſt invenire in illis bonum vel malum morale: ſecundùm verò quòd ſunt à ratione ordinabiles, bonæ ſunt aut malæ moraliter, prout ratione recta moderantur, aut ab ipſa exorbitant. Hoc tamen argumenti genus miſsum damus in præſenti: quia de moralitate paſsionum appetitûs ſenſitivi data opera diſputaturi ſumus in Theologia Myſtica elementari; ſive in Elementis Theologiæ Myſticæ, Paſsionibus nimirùm virtutibus Donis Spiritûs S. & Gratiis gratis datis, in ultimo volumine elucidandis, & quidèm ſatis copioſè. Ea propter ſatis ſit in pręſenti audire D. Ang. paucis verbis in aſſumpto loquentem: ,, Reſpondeo ,, dicendum, quòd paſsiones animæ dupliciter poſſunt conſiderari. Uno modo ſecundùm ſe. Alio modo ſecundùm quòd ,, ſubjacent imperio rationis, & voluntatis. ,, Si igitur ſecundùm ſe conſiderentur, prout ,, ſcilicet ſunt motus quidam irrationalis ,, appetitûs, ſic non eſt in eis bonum, vel ,, malum morale, quòd dependet à ratione (ut ſupra dictum eſt q. 19. a. 3.) Si ,, autem conſiderentur ſecundùm quòd ſubjacent imperio rationis, & voluntatis, ,, ſic eſt in eis bonum vel malum morale. ,, Propinquior enim eſt appetitus ſenſitivus ,, ipſi rationi & voluntati, quàm membra ,, exteriora, quorum tamen motus & actus ,, ſunt boni vel mali moraliter, ſecundùm ,, quòd ſunt voluntarii: undè multò magis & ipſæ paſsiones, ſecundùm quòd ,, ſunt voluntarię, poſſunt dici bonæ vel ,, malę moraliter. Dicuntur autem voluntariæ vel ex eo, quòd à voluntate imperantur, vel ex eo, quòd à voluntate ,, non prohibentur.

Argumenta contra Stoicos adducenda, noſtros debellant adverſantes.

D. Th. 1. 2. q. 24. à 1. in corp.

303 Probatur autem catholica aſſertio: quia peccatum propriè & formaliter dictum invenire non eſt niſi rationem induat actûs voluntarii ſimpliciter, juxta illud Auguſtini: *Acutè ſibi videntur dicere, quaſi noſtrum hoc ullus ignoret, quod ſi nolumus non peccamus*: Si ergo concupiſcentiæ motus voluntarii non ſint, peccata dicere prohibemur. Hujus tamen generis eſſe concupiſcentiæ motus, quibus voluntas non conſentit, ita demonſtramus: Voluntarium eſt *quod provenit ab intrinſeco cum cognitione finis*, ut vel ipſe Philoſophus docuit; ſed motus concupiſcentię etſi ad malum propendentis, dùm voluntas non conſentit, à principio intrinſeco cum cognitione finis non ſunt: ergo neque voluntarii dicendi ſunt homini operanti ut homo, eſt contrapoſitivè ad beſtias. Aſſumpta propoſitio oſtenditur: quia vel motus illi rationem omninò præveniunt omnemque rationalem deliberationem; vel licèt rationem ſubſequantur; à voluntate nihilominùs repudiantur ad eos removendos, inquantum poteſt, conante, ut Apoſtolus nos docuit. Si enim rationem omninò præveniunt, quis niſi cæcutiens affirmet motus illos ex cognitione finis procedere? Cùm verò validè reſiſtit voluntas, ab intrinſeco voluntatis procedere affirmabit ſolùm, qui lumine ſynderеſis careat; cui propterea cum laudato Methodio iterùm obiicere poſſumus: *Vides quòd cognitiones propter inhabitans in nobis peccatum, forinſecus nobis inſtant.* Aliàs concupiſcentiam in pueris, amentibus, & dormientibus peccatum dici deberet, contra ſæpè ab Auguſtino decantatam ſententiam.

D. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 3.

Motus concupiſcentię, reſiſtente voluntate, & ratione præventos voluntarii non poſſunt eſſe.

304 Scio equidèm hæreticos Lutheranos, eoſque ex parte imitatos Bajum & Janſenium, præjacti argumenti vim ineluctabilem declinare conatos fuiſſe, motus illos ſive rationem prævenientes, vel etiam voluntati repugnantes, voluntarios quidem dicentes non eſſe voluntate propria: ſic tamen eſſe voluntate capitis ſeu primi parentis, in cujus voluntate voluntates poſterorum continebantur. Hæc tamen evaſio & effugium à Doctore Angelico præoccupata fuere: quia licèt memorata voluntarietas ſufficiens à PP. & Theologis prædicetur ad peccatum originale contrahendum: inſufficiens per oppoſitum ſtatuitur ad peccatum perſonale. Ut enim Theologicè arguit Theologiæ Princeps: ,, Oportet quòd ,, ſecundùm hoc, quòd aliquis rationem ,, culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur, ſicùt autem eſt ,, quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam: ita etiam eſt quædam culpa naturæ & quædam perſonæ. Undè ad culpam ,, perſonæ requiritur voluntas perſonæ: ſicut patet in culpa actuali, quę per actum ,, perſonę committitur. Ad culpam verò ,, naturæ non requiritur niſi voluntas in ,, natura illa. Sic igitur (rurſùs inquit) ,, inordinatio, quæ eſt in iſto homine ex ,, Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis ,, omnes, qui ex ejus origine derivantur, ,, ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum. Prætereà, inquit: Ad ,, quintum dicendum, quòd illud quod eſt ,, per originem, non eſt increpabile ſi conſideretur iſte, qui naſcitur ſecundùm ſe. ,, Sed ſi conſideretur prout refertur ad aliquod principium, ſic poteſt eſſe ei increpabile: ſicut aliquis qui naſcitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicujus progenitorum cauſatam.

Voluntarietas in capite, irrationabiliter proponitur ſufficiens ad peccatum perſonale.

D. Th. in 2. diſt. 30. q. 1. a. 2. in corp.

D. Thom. 1. 2. q. 81. a. 1. in corp.

Solut. ad 5.

305 Utriuſque voluntarii & culpæ differentiam mira perſpicuitate elucidat idem S. Dr. iterùm audiendus: Poſtquam enim ſtatuit quòd peccatum ſimpliciter traducitur per originem à primo parente in poſteros, ſtatim ſubjungit: ,, Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd aliquis homo ſingularis dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundùm quòd eſt quædam perſona ſingularis. Alio modo ſecundùm quòd eſt pars alicujus collegii: ,, & utroque modo ad eum poteſt aliquis ,, actus pertinere. Pertinet enim ad eum ,, inquantùm eſt ſingularis perſona, ille ,, actus, quem proprio arbitrio & per ſe ,, ipſum facit, ſed inquantùm eſt pars col-

D. Thom. q. 4. de malo. arct. 1. in corp.

,, legii, poteſt ad eum pertinere actus aliquis, quem per ſe ipſum non facit nec proprio arbitrio, ſed qui fit à toto collegio, vel à pluribus de collegio, vel à principe collegii, ſicut illud, quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, ut Philoſophus dicit. Hujuſmodi enim collegium hominum reputatur, quaſi unus homo, ità quòd diverſi homines in diverſis officiis conſtituti ſunt, quaſi diverſa membra unius corporis naturalis, ut Apoſtolus inducit de membris Eccleſiæ 1. ad Corinth. 12. Sic ergo tota multitudo hominum à primo parente humanam naturam accipientium, quaſi unum collegium, vel potiùs ſicut unum corpus unius hominis conſideranda eſt: in qua quidèm multitudine unuſquiſque hominum, etiam ipſe Adam poteſt conſiderari, vel quaſi ſingularis perſona, vel quaſi aliquod membrum hujus multitudinis, quæ per naturalem originem derivatur ab uno. Eſt autem conſiderandum, quòd primo homini in ſua inſtitutione, datum fuerat divinitùs quoddam ſupernaturale donum, ſcilicet originalis juſtitia, per quam ratio ſubdebatur Deo, & inferiores vires rationi & corpus animæ: hoc autem donum non fuerat datum primo homini, ut ſingulari perſonæ tantùm, ſed ut cuidam principio totius humanæ naturæ: ut ſcilicèt ab eo per originem derivaretur in poſteros. Hoc autem donum acceptum primus homo per liberum arbitrium peccans amiſit, eo tenore quo ſibi datum fuerat, ſcilicèt pro ſe, & pro tota ſua poſteritate. Defectus ergo hujus doni totam ejus poſteritatem conſequitur:: Si ergo conſideretur iſte defectus hoc modo per originem in iſtum hominem derivatus, ſecundùm illud, quod iſte homo eſt quædam perſona ſingularis: ſic hujuſmodi defectus non poteſt habere rationem culpæ, ad cujus rationem requiritur, quòd ſit voluntarius. Sed, ſi conſideretur iſte homo generatus, ſicut quoddam membrum totius humanæ naturæ à primo parente propagatæ, ac ſi omnes homines eſſent unus homo, ſic habet rationem culpę propter voluntarium ejus principium, quod eſt actuale peccatum primi parentis: ſicut ſi dicamus, quod motus manùs ad homicidium perpetrandum, ſecundùm quòd manus per ſe conſideratur non habet rationem culpæ, quia manus de neceſsitate movetur ab alio. Si autem conſideretur, ut eſt pars totius hominis, qui voluntate agit, ſic habet rationem culpę, quia ſic eſt voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manûs, ſed culpa totius hominis; ità hujuſmodi defectus non dicitur eſſe peccatum perſonale, ſed peccatum totius naturæ. Nec ad perſonam pertinet niſi inquantùm natura inficit perſonam.

§. II.

Proſcriptæ theſes ſigillatim exploduntur.

306 LUTHERANORUM ſequaciumque Novatorum exploſſo jam præindicato errore, ſua ſponte corruunt quatuor ex Michaele Bajo memoratę propoſitiones ab Eccleſia jure merito proſcriptæ, jamque à SS. PP. & SS. Patrum Angelico Diſcipulo præfocatæ, ut breviter indicare aſſumimus. Dùm enim primâ propoſitione aſſeruit Bajus: *Prava deſideria quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto*: Non concupiſces: è regione adverſatur Scripturæ Sacrę & SS. PP. Fatemur enim præcepto illo nono Decalogi prohiberi concupiſcentiam operis, aliàs in ſexto præcepto prohibitum: quia ut ſolidè & profundè loquitur D. Thomas: ,, Delectatio adulterii & utilitas divitiarum ſunt propter ſe ipſa appetibilia, inquantùm habent rationem boni delectabilis vel utilis: & propter hoc oportuit in eis prohiberi non ſolum opus, ſed etiam concupiſcentiam. Sed homicidium & falſitas ſunt ſecundùm ſe ipſa horribilia, quia proximus, & veritas naturaliter amantur, & non deſiderantur niſi propter aliud: & ideò non oportuit circa peccatum homicidii, & falſi teſtimonii, prohibere peccatum cordis, ſed ſolum operis. Hujuſmodi præceptum jam antiquitùs datum Judæis, pravè tamen ab aliquibus expoſitum, iteravit Chriſtus D. prout etiam in aliis pręceptis contigiſſe ſtatuemus in appendice ſubjiciendo: *Ego autem dico vobis*: (intimat de Cœlo deſcendens Legiſlator divinus) *Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Cùm enim Hebræorum plurimi ſolum adulterium & quidem reipſa patratum, prohibitum judicarent in præcepto illo: *Non mæchaberis*: Chriſtus D. qui legem non venit ſolvere, ſed adimplere & perficere, nedùm adulteria cæteraſque venereas operationes extra legitimum matrimonii uſum prohibitas ſignificavit. ,, *Ego autem dico vobis*, id eſt (exponit D. Thomas ex SS. PP.) ad hoc mandatum quod ſolum in actu putatis ſervandum: addo, & explano eſſe ſervandum in voluntate. *Qui viderit*: viſus inter alios ſenſus nominatur: quia viſus magis in proptu, vel in viſu omnem motum animi ad delectationem intelligit. Non dicit *mœchandum*, ſed ad *concupiſcendum*, ut det intelligere, quòd non ſolum operatio vel conſenſus ad operandum eſt damnabilis: ſed etiam intentio vel conſenſus ad delectandum, ut Auguſtinus docet.

Prima ex Bajo proſcripta theſis.

D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 5. ad 5.

In divitiis, & venere, opus non ſolum, ſed appetitum expreſsè prohibuit Deus.

Matth. 5. v. 28.

D. Thomas ibidèm in Comment.

307 Sed quęnam internæ delectationes, quinam concupiſcentiæ motus præcepto illo antiquitùs dato, & noviter illuſtrato cenſeri debent prohibiti? An quos homo invitus patitur ratione non conſentiente? Sic Bajus: non ſic Chriſtus D. exponente Auguſtino: & Hieronymo: *Qui viderit ad concupiſcendum*: id eſt ut eam eo fine videat, ut concupiſcat interiùs: ut faceret ſi facultas ſe offerret. Exponente Tertulliano cujus illa ſunt verba: *Sanè conſiderandum eſt quòd non dixit*: Omnis *qui concupierit mulierem*; *ſed* qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, *id eſt hoc fine & animo attenderit, ut eam concupiſcat: quod jam non eſt titillari delectatione carnis, ſed planè conſentire libidini, ita ut non refręnetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas data fuerit, ſatietur.* Explicatiùs adhuc Hieronymus apud D. Thomam loquitur: * Inter paſsionem autem & propaſsionem hoc intereſt, quòd paſsio reputatur pro vitio, propaſsio, etſi vitii culpam habet, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, & anima ejus fuerit titillata, hìc propaſsione percuſus eſt: Si verò conſenſerit, de propaſsione tranſivit ad paſsionem: Et huic non voluntas peccati eſt, ſed occaſio. Quicunque igitur viderit ad concupiſcendum (id eſt, ſi ſic aſpexerit ut concupiſcat, & facere diſponat) iſte rectè mœchatus dicitur in corde ſuo. Expreſsiùs adhuc loquitur aureo ſtylo Chryſoſtomus: * Non ſimpliciter, (inquit) dixit, qui concupiverit, ſed qui viderit mulierem ad concupiſcendum, id eſt, qui concupiſcentiam ſibi conſciverit, quique nullo omninò cogente quieſcenti cogitationum feram ſubitò immiſerit. Hoc enim non jam naturæ eſt, ſed propriæ deſidiæ. Et rursùs: Ipſæ paſſiones in ſe peccatum non ſunt, effrænata verò ipſarum immoderantia peccatum operata eſt. Et ut exempli gratia unam illarum tractem, concupiſcentia quidem peccatum non eſt, quando verò egreſſa modum foras eruperit, tunc demum adulterium fit, non à concupiſcentia, ſed à nimio, & illicito illius luxu.

S. Auguſt. & Hieronymus apud D. Thomam ubi ſupra.

Tertul. lib. de Pudicitia c. 4.

S. Hieron. in Catena Aurea.

Non concupiſcentia, ſed conſenſus in illam prohibetur à Chriſto D.

S. Chryſoſt. Hom. 17. in Matthæum.

Hom. 13. in Epiſt. ad Rom.

308 Sed quid Sanctos Patres audire opus eſt, cùm & ipſiſsima Jeſu Chriſti verba apertè ſignificent concupiſcentiæ motus, renitente voluntate, culpę labem non inducere? Quandoquidem non videt mulierem ad concupiſcendum eam, męchatus proindè in corde ſuo, qui corde ſeu voluntate concupiſcentiam repellit. Nec inſuper è corde exeunt pravæ illę cogitationes & motus in carne exurgentes, dùm à corde ſeu voluntate longè vagantur: non valentes proindè hominem inquinare, juxta expreſſam Jeſu Chriſti ſententiam verbis illis datam: *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malę; homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. Hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* In his verbis Chriſti Domini, inquit Auguſtinus apud Divum Thomam: ,, Duo quædam hominis ora Dominus complexus eſt: unum corporis, aliud cordis: Nam cùm dicit: *Omne quod in os intrat, &c.* apertiſsimè demonſtravit os corporis: At in eo quod ſequitur, os cordis oſtendit, dicens: *Quę autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Et Chryſoſtomus ibidèm; ,, Quæ enim cordis ſunt intùs, in homine manent, & exeuntia inquinant, non manentia ſolùm; imò tunc magis, cùm exierint: Undè ſubjungit: *De corde enim exeunt cogitationes malæ.* Rem totam dilucidè expendit lucidus Thomas: ,, Conſequenter (inquit) proponit altiſsimam doctrinam, quæ eſt perfectio moralis vitæ: undè notandum, quòd aliquid immutatur ex exteriori, ut aqua calefit ab igne: aliquid ab interiori, ut homo mutatur per peccatum. Quantumcunque enim moveatur exteriùs, non eſt peccatum niſi conſentiat homo interiùs: Jerem. 37. *Ab interioribus, pervenit tempeſtas.* Explicans deindè qualiter antiquitùs erant aliqui ſibi immundi, ſubjungit ad propoſitum noſtrum: ,, Hic videtur tangere ſolùm peccata, quæ ex ore procedunt, & hæc coinquinant, Luc. 19. *Ex ore tuo te judico, ſerve nequam.* Et ſuprà. *Ex ore tuo judicaberis.* Sed dicendum, quòd proprium officium oris eſt dicere. Eſt autem duplex dicere, exteriùs ore corporali, & interiùs ore mentis, de quo Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Sic ergo per os poteſt intelligi os cordis; ſcilicèt mens hominis, & ſic omne peccatum eſt ex ore, quia nunquam eſt peccatum niſi ex propoſito mentis. Sic ergo quod procedit ex ore, ſcilicet cordis, hoc coinquinat, quia peccatum adeò eſt voluntarium, quòd ſi non ſit voluntarium, non eſt peccatum.

Non coinquinant concupiſcentiæ motus, niſi ex corde exeant.

Matthęi 15. à verſ. 18.

S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 18. apud D. Thom. in Catena Aurea.

S. Chryſoſt. ibidèm.

D. Thom. Comment. in locum Matthæi.

309 Chriſto Domino datam doctrinam ſtatuenti præluxerat jam Eccleſiaſticus ita monens: *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* * Inquam per opus aut conſenſum: ſivè non ſequaris in fortitudine tua cordis tui concupiſcentias, exponit Hugo Cardinalis, adducens illam Gloſſam Auguſtini in caput 7. ad Romanos: Non concupiſcere omninò, perfecti eſt: non ire poſt concupiſcentias, luctatoris. Quidam præcedunt concupiſcentias, ut illi, qui provocant & procurant. Quidam comitantur, qui in cogitationibus illicitis commorantur, quidam ſequuntur, qui conſentiunt vel cooperantur. * Sequutus fuit Paulus à Chriſto Domino jam glorioſo electus Diſcipulus, Galatas ,, admonens, ut ſpiritu ambularent (id eſt men-

Ecclef. 18. v. 30. Hugo Cardin. ibidèm.

Ad Galat. 5. v. 16.

,, mente & ratione; divino Spiritu ducta) ut deſideria carnis non perficerent (id eſt delectationes, quas caro ſuggerit, exponit Divus Thomas.) Urgentiori adhuc ſtylo Lutheraniſmum, & Bajaniſmum antèa præfocans, quàm germinaverit, ad Romanos ita ſcripſit: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Ubi Angelicus interpres vividam Pauli argumentationem in apertum ponit: ,, Ergo peccatum de cætero, *Non regnet in veſtro mortali corpore.* Non autem dicit, *Non ſit peccatum in veſtro mortali corpore*; quia quandiù corpus noſtrum eſt mortale (id eſt, neceſſitati mortis addictum) non poteſt eſſe quin in corpore noſtro ſit peccatum, id eſt, fomes peccati: ſed ex quo à Deo liberati ſumus à regno peccati, debemus conari, quòd peccatum in corpore noſtro dominium jam amiſſum in nobis non recuperet: Et hoc eſt quod dicit: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Et hoc quidèm neceſſarium eſt cavere, dùm corpus mortale gerimus, quia ut dicitur Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Deindè cùm dicit, *ut obediatis, &c.* Exponit admonitionem præmiſſam. Circa quod conſiderandum eſt, quòd dupliciter peccatum regnat in homine: Uno modo per interiorem conſenſum mentis: Et hoc removendo, dicit: *Ut obediatis concupiſcentiis ejus*: Obedire enim per conſenſum mentis concupiſcentiis peccati, eſt peccatum regnare in nobis: Eccle. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas*: Secundo modo regnat in nobis peccatum per operis exequutionem: Et ad hoc excludendum, ſubdit: *Sed neque exhibeatis membra veſtra peccato* (id eſt fomiti peccati) *Arma iniquitatis*, id eſt, inſtrumenta ad iniquitatem exequendam: Homo enim cùm per membra ſua peccatum exequitur, ad iniquitatem exequitur: Et hoc ipſo pugnare videtur ad reſtituendum dominium peccati, quòd per conſuetudinem peccati in nobis convaleſcit: Ezech. 32. *Cum armis ſuis ad inferos deſcenderunt, & fuerunt iniquitates eorum in oſsibus eorum.* Angelico Pauli Diſcipulo de more præluxit Aquilinus Magiſter ea, qua ſolet perſpicaci elegantiâ ad verba Pauli inquiens: * Quandiù vivis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis: ſed ſaltem illi regnum auferatur: Non fiat quod jubet: Surgit ira; Noli dare irę manum aut pedem ad feriendum: Non ſurgeret ira iſta irrationabilis niſi peccatum eſſet in membris: Sed tolle illi regnum: Non habeat arma undè contra te pugnet: Diſcet etiam non ſurgere, cùm arma cęperit non invertere: Mens enim ſi teneat arma, membra non moventur in miniſterium furentis peccati.

D. Thom. ibidem lect. 4.

Rom. 6. v. 12. D. Thom. ibid. lect. 3.

Eccleſiaſtico prælucente, & Chriſto D. docente pręfocavit Paulus adverſarios nondùm exortos.

D. Auguſt. tract. 41. in Joannem.

310 Quis jam patenter non videat prædamnatam ab Eccleſiaſtico, à Chriſto D. ab Apoſtolis Jacobo & Paulo, Patribuſque univerſis, quam ſecundo loco ſubjecimus Baji propoſitionem? *Concupiſcentia, ſive lex membrorum & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Quęnam lex iſta? illa certè: *Non concupiſces.* Hoc autem præceptum omnem non prohibere concupiſcentiam, Apoſtolus, veluti exploratum reliquit, dùm Coloſſenſes admonet mortificare *malam concupiſcentiam* (id eſt concupiſcentiam pravam) datur ergo concupiſcentia bona, lege per conſequens non prohibita. Talis abſdubio illa qua: *Concupiſcere ſermones ſuos* docet ſapiens: Qua regius Propheta tactus intrinſecè eructavit: *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sola illa prohibetur concupiſcentia de qua Apoſtolus: *Non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiſcerunt*: Hebręi nimirùm in deſerto. Concupiſcentia delectabilium, quæ nullum rationis habet modum, neque finibus à Deo conſtitutis continetur. Igitur hujuſmodi rerum cupiditas nefaria, & grave peccatum eſt, cùm illius motibus animi præbetur aſſenſus; cùm animus illicitis rebus delectatur, cùm voluntas conſentit aut non repugnat cùm debet, juxta monitum ſupra ponderatum S. Jacobi. Non ſic quando *Spiritus* concupiſcit *adversùs carnem*: non quidèm adversùs naturam carnis, quæ mala non eſt, ut deliravit Manichæus; ſed adversùs ejus deſideria, quę ſcilicet ad ſuperfluitatem ſunt, exponit D. Thomas. Concludat ergo D. Aug. & occludat aditum indicatæ propoſitioni, inquiens: ,, Dicendum quòd concupiſcentia carnis contra ſpiritum quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis. Quòd autem ratio ei non reſiſtat, non eſt in poteſtate diaboli, & ideò non poteſt inducere neceſſitatem peccandi. Videas in his verbis novum argumentum contra rejectam propoſitionem: nam ſi motus concupiſcibilis appetitûs etiam inviti eſſent peccata, neceſſitaret diabolus homines ad peccatum propter facultatem qua pollent, ad immutandum appetitum ſenſitivum. Hoc autem quàm falſum ſit, Theologicè demonſtrat S. Dr. ita arguens: ,, Dicendum quòd diabolus propria virtute, niſi refręnetur à Deo, poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad faciendum aliquem actum, qui de ſuo genere peccatum eſt: non autem poteſt inducere neceſſitatem peccandi. Quod patet ex hoc, quòd homo motivo ad peccandum non reſiſtit, niſi per rationem, cujus uſum totaliter impedire poteſt movendo imaginationem & appetitum ſenſitivum, ſicut in arreptitiis patet: ſed tunc, ratione ſic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum: ſed, ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex ea parte, qua eſt libera, po-

,, teſt

Secunda ex Bajo rejicitur propoſitio.

Ad Coloſſenſ. 3. v. 5.

D. Thom. ibid. lect. 1.

Sapient. 6. v. 12. Pſalm. 83.

1. Corinth. 10. v. 6.

Quænam ſit mala concupiſcentia.

Ad Galat. 5. v. 17.

D. Thom. ibid. lect. 4.

D. Thom. 1. 2. q. 80. a. 3. ad 3. In corp. artic.

Diabolus non poteſt ad peccatum neceſſitare.

,, teſt reſiſtere peccato, ſicut ſupra dictum eſt quęſtione 77. art. 7. Undè manifeſtum eſt; quòd diabolus nullo modo poteſt neceſſitatem inducere homini ad peccandum.

311 In 3. propoſitione improbanda, non eſt quòd immoremur, cùm in terminis rejecta ſit. Multum tamen admirare habemus: Michaelem Bajum, hominem aliundè doctum, affirmaſſe, motus illos concupiſcentiæ, etſi pręceptum *Non concupiſces* tranſgredientes, in peccatum non deputari à Deo. Cùm enim hoc affirmat, renovare videtur errorem Lutheri, Zuingli & ſequacium plenis buccis concrepantium, motus concupiſcentiæ, etiam voluntate contradicente, peccata eſſe, nec imputari ad pœnam & damnationem; in hoc ipſo errorem alium indigitantium, quo veram peccatorum remiſsionem Baptiſmo & Pœnitentiæ denegarunt: quaſi non dixiſſet Apoſtolus ſupra laudatus: *Nihil ergo nunc damnationis eſt* (quantum ad culpam) *his qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Hæc verba ſi Michael Bajus attentè inſpexiſſet, cùm aliis quæ ſubjungit Apoſtolus, nec concupiſcentię motus invitos peccata diceret in prima & ſecunda propoſitione, ſicut in tertia: *Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro hoc ſtatu hominis vitiati, & probibiti pręcepto*: Non concupiſces, *undè homo eos ſentiens & non conſentiens, tranſgreditur præceptum*: Non concupiſces. Neque, prædictum errorem recoquens ſubjungeret: *Quamvis tranſgreſsio in peccatum non imputetur.* Sed potiùs Tridentino Concilio acquieſceret diffinienti: * Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quę in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quòd veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi aut non imputari; anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil eſt damnationis, iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti ſunt, hæredes quidèm Dei, cohæredes autem Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.

In 3. propoſitione errorem inovat, de non imputatione peccatorum.

Rom. 8. v. 1. D. Th. ibi lect. 1.

Concilium Trident. ſeſsione 5. can. 5.

312 Et certè hac malè conficta *non imputatione peccati* everſum eſſet opus illud maximum, præclarumque, divinæ bonitatis, miſericordiæ & omnipotentiæ commendabile ſignum, juſtificatio nimirum peccatoris, de qua Auguſtinus apud D. Thomam ſcripſit: *Majus quid eſt juſtificare impium, quàm creare cœlum & terram.* Si enim peccata in juſtificationis magno Dei miſerantis opere, quaſi tecta ſolum & velata, ſivè ad pœnam non imputata perſiſterent, ineptè prorſus juſtificatio appellaretur. Hęc enim, vel juxta nomen ipſum, *non eſt ſola peccatorum remiſsio* (ſtatuit Tridentinum) *ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum: undè homo ex injuſto ſit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hęres ſecundùm ſpem vitæ æternę.* Videas Tridentinum juſtificationi tribuere nedùm remiſsionem peccatorum, quàm Novatores exibilant, ſed ulteriùs renovationem in ſpiritu. Nec aliud de juſtificatione ſtatuere poterant Patres in unum congregati, & divino aſsiſtente Spiritu, niſi quòd jam eodem dictante ſcripſerat Paulus ad Epheſios loquens: *Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* ,, Sicut enim (exponit D. Thomas) uniuſcujuſque rei primum vetuſtatis principium fuit Adam, per quem peccatum in nobis intravit; ita principium primum novitatis, & renovationis Chriſtus eſt: Quæ autem ſit renovatio oſtendit cum dicit. *Qui ſecundùm Deum creatus eſt, &c.* Hoc autem poteſt intelligi tripliciter: uno modo ut ly *qui*, referatur ad ſpiritum; id eſt ſpiritus, qui eſt mens noſtra, creatus eſt à Deo in originali juſtitia, ſcilicèt in ſui novitate: vel recreatus nova creatione, ut eſſet juſtus. Vel poteſt intelligi de Chriſto D. ut proſequitur S. Dr. ſæpè hoc ipſum cum Apoſtolo expendens. Audiatur præſertim ad verba illa Pauli: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*, in hac ſubſtantia loquens: ,, Homo indigebat duobus in ſtatu perditionis, quæ conſequutus eſt per Chriſtum; ſcilicèt participatione divinę naturæ & depoſitione vetuſtatis. Primum conſequimur per Chriſtum, ſcilicèt, participationem divinæ naturæ per gratiam, qua homo regeneratur à Deo. Homo etiam per Chriſtum depoſuit veſtuſtatem peccati renovatus ad integritatem naturæ, & hoc vocatur *renovatio.*

D. Aug. tract. 72. in Joan. D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7.

Epheſ. 4. à v. 23

D. Thom. ibidèm lect. 7.

Renovatur homo per juſtificationem.

Ad Titum 3. v. 5.

D. Th. ibidèm lect. 1.

313 Satis me dixiſſe crederem pro diſſipanda *non imputatione peccati* à Michaele Bajo recocta; niſi eadem ſubterfugiendi via conati fuiſſent Lutherani declinare indeclinabilem efficaciam argumentationum quibus protrita eſt earum de concupiſcentia hęretica poſitio. Atque ut in uno plura includamus ex ſacris Litteris petita argumenta; Theologizemus ſic: peccatum præcipuè mortale in Scriptura Sacra pluribus ab effectu vocabulis exprimitur, dicitur namque: *Macula & inquinamentum ſeu iniquitas*: *Maculata es iniquitate tua.* *Sordes*; *qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhùc.* Vocatur prætereà, *vinculum & laqueus*: *iniquitates ſuę capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Tandèm appellatur: *Infirmitas & mors animę*: *Deſperata eſt plaga ejus*: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam.* Si ergo in Sa-

cra

Renovatio per juſtificationem Theologicè firmatur ulterius.

Jerem. 2. v. 22.

Apocalyp. 22. v. 11.

Proverb. 5. v. 22.

Michęæ 2. v. 9.

1. Joan. 3. v. 14.

cra Scriptura expreſſum foret, hominem gratiæ juſtificantis beneficio à *macula*, & *ſordibus* mundari & ablui; *à vinculis* liberari; ad ſanitatem & vitam reſtitui, actum eſſet de errore memorato. Sic autem expreſſum eſſe in ſacris Litteris obvium & frequentiſsimum apparet; ex plurimis autem hæc indicaſſe ſufficiat teſtimonia: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.-- Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.-- Sanguis Jeſu Chriſti:: emundat nos ab omni peccato.-- Dirupiſti vincula mea.-- Nunc vero liberati à peccato, ſervi autem facti Deo.--* De emundatione ſatis dictum eſt ſupra cum Apoſtolo: ſicut etiam de tranſlatione à morte ad vitam. Indè Magnus Gregorius ad rem noſtram ajebat: *Totus mundus dici non poteſt, cui de peccato aliquid remanſit: Sed nemo reſiſtit voci veritatis, quę ait, qui lotus eſt, mundus eſt totus: nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum, ipſe qui redemit.* Et Auguſtinus repellens falſam calumniam, quam Pelagiani Catholicis imponebant, quaſi iſti affirmarent peccata non deleri per Baptiſma, inquit: *Quis hoc niſi infidelis affirmat? Dicimus enim Baptiſmum omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque peccatorum radices in mala carne teneri quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata.*

Ezechiel 36. v. 25. Pſal. 50. v. 9. 1. Joan. 1. v. 16. Pſal. 115. v. 16. Rom. 6. v. 22.

S. Gregor. lib. 9. Epiſt. 39.

S. Auguſt. lib. contra duas Epiſt. Pelagian. c. 15.

314 Et quidem ſi impius poſt juſtificationem, impietatem retineret adhuc, odio reipſa haberetur à Deo, quantumcunque tectam, pœnęque non imputatam dicant Lutherani impietatem illam: *Odio* ſiquidem *ſunt Deo impius, & impietas ejus.* Et alibi: *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Non enim confictum illud tegumentum divinam perſpicaciam ab impietate revera manente avertere poſſet. Quis autem, niſi voluntariè inſaniat, dicat, Deum odio habere impium jam juſtificatum: cùm juſtificatio ſit ſanctificatio, & renovatio interioris hominis beneficio gratiæ reddentis hominem ex injuſto juſtum, ex inimico amicum, filium Dei adoptivum, hæredem vitæ æternæ, Jeſu Chriſti membrum vivum, objectum congruum divinæ complacentiæ? Quis Deum odio habere dicat homines juſtificatos, in quibus charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum S. qui datus eſt illis: & qui Templum Dei ſunt, in quibus Spiritus Dei inhabitat? Diligit, diligit Deus quos juſtificat dilectione affectiva nedum, ſed effectiva, prout ab effectu concludit D. Thomas:
,, Secundum hoc
,, nobis peccatum remiti dicitur quòd Deus
,, nobis pacatur. Quæ quidem pax conſiſtit
,, in dilectione, qua Deus diligit nos. Di-
,, lectio autem Dei quantum eſt ex parte
,, actus divini, eſt æterna & immutabilis::
,, ſed quantum ad effectum quem nobis
,, imprimit, quandoque interrumpitur, prout
,, ſcilicet ab ipſo quandoque deficimus, &
,, quandoque iterum recuperamus. Effectus
,, autem divinæ dilectionis in nobis, qui
,, per peccatum tollitur, eſt gratia, qua
,, homo fit dignus vitâ æternâ, à qua pec-
,, catum mortale excludit.

Sapient. 14. v. 9. Pſal. 5. v. 7.

Trident. Concil. ſeſſ. 6. cap. 7.

Rom. 3.

1. Corinth. 3.

D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 2. in corp.

315 Et tandem ipſa ſacra teſtimonia quibus muniuntur Lutherani, eorum errorem penitùs explodunt: fatemur enim cum Apoſtolorum Principe, quòd *charitas operit multitudinem peccatorum*: & cum Propheta: *Beati quorum remiſſę ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Sed inde remiſſa peccata benè derivant SS. Patres.
,, Charitas (inquit D. Thomas) di-
,, citur operire peccata Deo, qui omnia vi-
,, det, unde oportet quòd omnia deſtruat;
,, non quidem faciens ut actus non præ-
,, ceſſerint, ſed quòd vim impediendi gra-
,, tiam non habeant; ſed coram oculis ho-
,, minum aliquid poteſt operiri, quòd de ſe
,, manet, & de tali operimento objectio
,, procedebat.
Cum igitur peccata tecta dicuntur à Propheta, reſpectu etiam divinæ cognitionis, jam ea remiſſa oſtendit, & præſignificat prioribus verbis: ſubjungit quoque inquiens: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus.* Unde dicamus, idem eſſe peccatum à Deo non imputari aut tegi, ac peccatum reipſa non manere. Inde Martyr Juſtinus compendiò: *Beatus cui non imputavit dominus peccatum, hoc eſt, cui pœnitenti Deus peccata remittit.* Auguſtinus ſimiliter, ex eo quod Deus peccata non videat ad puniendum, aptè deducit revera non eſſe, inquiens: *Cooperta ſunt peccata & tecta ſunt, abolita ſunt. Si tegerit peccata Deus, noluit advertere; ſi noluit advertere, noluit animadvertere.* Et rurſus lepidè admonet: *Deus ergo tegat vulnera, non tu: nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit. Medicus enim tegat & curet, emplaſtro enim tegit.*

1. Petri 4. v. 8. Pſalm. 31. v. 1.

In 4. diſt. 22. q. 1. a. 1. ad 2.

Bajus ſuis ſe interimit armis.

S. Juſtin. Dialogo cum Triphone.

316 Loquuti ſunt hucuſque Prophetę & PP. loquatur nunc ex PP. cum Prophetis lucidus Dr. verba adducta ex Pſalmo
,, mirâ eruditione clarificans: In peccato
,, namque, primo eſt offenſa Dei. Secun-
,, dò macula. Tertiò reatus pœnæ. Con-
,, tra hæc tria ordinat tria. Quia Deus
,, remittit offenſam, maculam tegit, reatum
,, pœnæ tollit, non imputando peccatum.
,, Quantum ad primum dicit: *Beati quo-*
,, *rum remiſſæ ſunt*) ſed quia beatitudo eſt
,, duplex, ſcilicèt rei, & ſpei, iſti tales,
,, ſcilicèt quorum remiſſę ſunt iniquitates,
,, ſunt beati in ſpe; qui tandem erunt bea-
,, ti in re. Beatus enim ille eſt ſpe, in
,, quo præcedit cauſa beatitudinis, & via
,, quæ eſt virtus, & præcipuè perfecta: un-
,, de in quo virtus perfecta apparet, po-
,, teſt dici beatus in ſpe. Sicut arbor be-
,, nè florens, poteſt dici fructificans. Poſt
,, corruptionem namque primi hominis iſti
,, flores non erant, ſed ſpinę peccatorum.
,, Et ideò beatitudo peccatoris quæ eſt in
ſpe,

D. Th. Commen. in Pſal. 31. v. 1.

Quid in peccato remittitur, quid tegitur.

,, ſpe; non eſt hujuſmodi, ſed quòd Deus
,, remittat peccatum, & ſic fructificat. Je-
,, rem. 4. *Novate vobis novale, &c.* (*Re-*
,, *miſſę*) Iſai. 40. *Dimiſſa eſt iniquitas il-*
,, *lius.* Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur*
,, *vobis.* Quantùm ad ſecundum dicit. (*Et*
,, *quorum tecta ſunt peccata*) Peccata ſunt
,, macula animæ. Jer. 2. *Quàm vilis fa-*
,, *cta eſt, &c.* Quando quis habet in ſe tur-
,, pe, & illud tegitur, tunc oculis intuen-
,, tis turpitudo non offendit. Deus autem
,, tegit turpitudinem peccatorum. Sed quo-
,, modo? Totaliter ſcilicet abluendo animam.
,, In peccato enim duplex eſt deformitas.
,, Una ſcilicet ex privatione gratię qua pri-
,, vatur peccator: & hæc totaliter tollitur
,, & non tegitur: quia datur ei gratia. Alia
,, macula eſt ex actu peccati prętерito, &
,, hæc non deletur, quia non datur ei quod
,, non fecerit, ſed quod non imputetur ei
,, ad culpam: & hæc tegitur. Quantùm ad
,, tertium dicit. (*Beatus vir cui non impu-*
,, *tavit Dominus peccatum.*) De reatu pœnæ
,, intelligitur, quia pœna non ei reſerva-
,, tur pro peccato. Dan. 3. *Omnia induxi-*
,, *ſti ſuper nos, &c.* Secundùm Gloſſ. Tri-
,, plex peccatum hìc inſinuatur. Peccatum
,, originale, actuale mortale, & actuale
,, veniale. Primum ſignatur per iniquita-
,, tem, quæ eſt quædam inęqualitas: & hoc
,, eſt in originali inquantùm in ea vires
,, animæ recedunt ab inæqualitate innocen-
,, tiæ: & hoc dimittitur & diminuitur, quia
,, aufertur reatu, & remanet actu. Dicit au-
,, tem pluraliter *iniquitates*, quia in diverſis
,, diverſa originalia, & in uno unum. Se-
,, cundum ſignatur per peccatum actuale
,, mortale. Actualia enim peccata morta-
,, lia dicuntur tegi, quando non imputan-
,, tur peccatori jam ad culpam. Tertium
,, ſignatur per peccatum veniale, quod non
,, imputat Dominus. Peccatum enim ve-
,, niale non imputatur ad pœnam æternam.
,, Vel primum dicit propter peccatum quod
,, eſt ante Baptiſmum. Secundum propter
,, peccata quę ſunt poſt Baptiſmum. Ter-
,, tium verò poſt confeſsionem, quia non
,, imputabitur peccatum ad pœnam. Sed ex
,, parte hominis requiritur quod non fi-
,, ctus confiteatur, aliàs non conſequitur
,, gratiam. Sapien. 1. *Spiritus Sanctus diſ-*
,, *ciplinæ effugiet fictum.* Et ideò. (*Nec*
,, *eſt in ſpiritu ejus dolus*) ut aliud ha-
,, beat interiùs, & aliud prætendat exte-
,, riùs (*quoniam tacui.*)

317 Quartam tandem propoſitionem: *Quandiù aliquid concupiſcentię carnalis in diligente eſt, non facit pręceptum*: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: reputare debemus erroneam juxta & injurioſam juſtis omnibus viam agentibus, amore Dei flagrantibus, etſi concupiſcentiæ carnalibus invitè agitatis, & cum Apoſtolo continuè clamantibus: *Quis liberavit me de corpore mortis hujus?* Solus enim ſuperbiſsimus Molinos antiquos *Catharos* jactantiâ ſuperans, in ſuis ſequacibus immunitatem ponebat ab ſtimulis concupiſcentiæ, propoſitionibus 55. 56. aliiſque ſimilibus jam relatis in Apoſtolico damnationis decreto Tom. 3. extirpandis. Si igitur præceptum dilectionis Dei non facit, quicunque aliquid concupiſcentię retinet; nullus ferè inter juſtos viatores, ſanctitate etiam eximios inveniri eſſet, maximi illius pręcepti, in quo reliqua contineri ſtatuimus, cultor & obſervator. Sed apagè blaſphemiam pro ſe ipſo & aliis juſtis exibilatam, ab Apoſtolo! Nonne Paulus in dilectione Dei ita exarſit, ut divini amoris æſtu extra ſe ipſum raptus diceret: *Vivo ego jam non ego; vivit vero in me Chriſtus.* Et quidem eâ charitatis firmâ copulatione, ut ejus indicant verba: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſequutio? An gladius? (ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.) Sed in his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Quarta ex Bajo propoſitio rejicitur.

Rom. 8. à v. 35.

Apoſtolo injurius apparet Bajus in ea propoſitione.

318 Reſpondeat ad hęc Bajus, an Paulus maximi illius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, penè ad ſtuporem obſervator, aliquid carnalis concupiſcentiæ retinuerit, an non? Si retinuit, non obſervavit pręceptum dilectionis, ſtante Baji aſſerto; ſicque tenere convincitur mendacem fuiſſe Gentium Apoſtolum: horreſcens certè blaſphemia. Si non retinuit: ergo auditores fefellit ad Corinthios ſcribens: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet. Stimulus* (inquit) *carnis*, ut jam fideles præmunierit adversùs Michaëlem de Molinos in ſuis propoſitionibus impudicum ſemper architectum; blaſphemum deindè Apoſtoli detractorem, dùm ſpurciſsimis actionibus ex dęmonis violentia ipſum oblatravit maculatum, propoſitione 45. Nihil ſiquidem Paulus de violentiis dæmoniacis à Molinos confictis habens, plura de concupiſcentiæ motibus expertus ſcripſit cap. 7. & 8. Epiſtolæ ad Romanos, ut ſupra expendimus à n. 298. quodque verbis proximè recitatis gemebundus ſignificavit. Ea tamen verba utilitate plena, utiliter elucidata dedit nobis, qui poſt glorioſam de impudica muliere reportatam victoriam, *omnis poſtea libidinis ſenſu caruit.* Ejus verba etſi profuſiora audiamus, & diſcamus:
,, Sciendum eſt quòd plerumquè ſapiens me-
,, dicus procurat & permittit ſupervenire
,, infirmo minorem morbum, ut majorem
,, curet, vel vitet; ſicut ut curet ſpaſmum,
,, procurat febrem: Hoc evidenter in ſe

2. Corinth. 12. v. 7.

In Officio S. Thomæ.

D. Thom. lect. 3. in locum Pauli.

 bea-

,, beatus Apoſtolus à medico animarum Do-
,, mino noſtro Jeſu Chriſto factum oſten-
,, dit: Chriſtus enim velut medicus anima-
,, rum ſummus ad curandum graves animæ
,, morbos, permittit plurimos electos ſuos
,, & magnos, in morbis corporum graviter
,, affligi; & quod plus eſt, ad curandum
,, majora crimina permittit incidere in mi-
,, nora, etiam mortalia: Inter omnia ve-
,, rò peccata gravius peccatum eſt ſuperbia.

319 Deſcripta deindè ſuperbiæ gravi-
tate ſubjungit ad rem noſtram: ,, Quia igi-
,, tur Apoſtolus magnam habebat ſuperbien-
,, di materiam, & quantùm ad ſpecialem
,, electionem, quâ à Domino electus eſt
Stimulus carnis in Apoſtolo, utiliter à Deo datus.
,, Act. 9. *Vas electionis eſt*. Et quantùm
,, ad ſecretorum Dei cognitionem, quia
,, hìc dicit ſe raptum in tertium Cœlum
,, & in paradiſum, ubi *audivit arcana ver-*
2. Corinth. 12. v. 4.
,, *ba, quæ non licet homini loqui*; & quan-
,, tùm ad malorum perpeſsionem; quia ſu-
,, prà cap. 11. *In carceribus plurimis, in*
,, *infirmitatibus, ter virgis cæſus*. Et
,, quantùm ad virginalem integritatem; quia
,, *volo omnes eſſe, ſicut & ego*. Quantùm
,, ad bonorum operationem; quia ſupra,
,, *plus omnibus laboravi*; ſpecialiter quan-
,, tùm ad maximam ſcientiam, quâ emi-
,, cuit, quę ſpecialiter inflat; ideò Domi-
,, nus adhibuit ei remedium, ne in ſuper-
,, biam extolleretur: Et hoc eſt, quod di-
,, cit: *Et ne magnitudo, revelationis* (mi-
,, hi factæ) *Extollat me* (in ſuperbiam.)
Eccleſ. 6. v. 2.
,, *Non te extollas in cogitatione animę tuę,*
,, *velut taurus*. Et dicit, ut oſtendat ſibi
,, factas fuiſſe revelationes prædictas, *Datus*
,, *eſt mihi* (id eſt, ad meam utilitatem &
,, humiliationem.) *Elevaſti me, & quaſi*
Job. 30. v. 22.
,, *ſuper ventum ponens, eliſiſti me. Datus*
,, *eſt*, inquam, *mihi ſtimulus*; crucians
,, corpus meum per infirmitatem corporis,
,, ut anima ſanetur, quia ad litteram di-
,, citur, quòd fuit vehementer afflictus do-
,, lore iliaco: Vel *ſtimulus carnis meæ*;
,, id eſt, concupiſcentiæ ſurgentis ex car-
,, ne mea, à qua multum infeſtabatur: *Non*
,, *enim quod volo bonum, hoc facio: Igitur ego*
Rom. 7. v. 19.
,, *ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem*
,, *legi peccati*. Undè Auguſtinus dicit, quòd
,, inerant ei motus concupiſcentiæ, quos
,, tamen divinâ gratiâ refrænabat. Iſte, in-
,, quam ſtimulus eſt, *Angelus Satanæ*;
,, eſt Angelus malignus: Eſt autem Ange-
,, lus à Deo miſſus ſeu permiſſus, ſed Sa-
,, tanæ; quia Satanę intentio eſt, ut ſub-
,, vertat; Dei verò, ut humiliet & proba-
,, tum reddat. Timeat peccator ſi Apoſto-
,, lus & vas electionis ſecurus non erat.

OBJECTA DISSOLUTA.

320 Primum & præcipuè ab adverſariis
importunè decantatum objectum, jam à
Concilio Tridentino diſſolutum fuit, iterùm
à nobis diſſolvendum profuſiori ſermone:
pluriès (objiciunt Lutherani) Apoſtolus con-
Rom. 6. v. 12. c. 7. v. 7.
cupiſcentiam poſt Baptiſmum remanentem
peccatum appellat in cap. 6. 7. & 8. Epi-
ſtolæ ad Rom. ibi inter alia: *Non regnet*
peccatum in corpore veſtro mortali. -- Pec-
catum non cognovi niſi per legem. Nam
concupiſcentiam neſciebam niſi lex diceret,
non concupiſces – Scio enim quia lex ſpiri-
tualis eſt, ego autem carnalis ſum venunda-
tus ſub peccato. Vidit Lutherus hujus antiquæ
Concupiſcentia peccatum dicitur quia à peccato eſt, & in peccatum inclinat.
objectionis male ſtructam fabricam à Tri-
dentino Concilio dirutam, cùm declaravit
ex communi Eccleſiæ Catholicę ſenſu & tra-
ditione: concupiſcentiam non appellari pec-
catum propriè & verè, ſed figuratè, ſumendo
effectum pro cauſa: & viciſsim cauſam pro
effectu: *Quia ſcilicet à peccato eſt: & ad*
peccatum inclinat. Hac catholicâ doctrinâ
percuſſus Hæreſiarca, velut canis oblatrat:
Non licere ipſis Angelis, nedùm hominibus,
verba Dei pro arbitrio interpretare, ut quòd
illa peccatum appellat, nos defectum, &
non propriè peccatum eſſe dicamus. Hicci-
ne eſt ille ipſe qui aliquando ſuperbia fu-
rens ſcriptitaſſe diximus (Prolegom. 2. n. 5.)
Verbo Chriſti judicamus Apoſtolos, Eccle-
ſiam, atque adeò ipſos Angelos. Non igitur
pro arbitrio (ſicut hæreticis ſolemne eſt)
Paulum interpretati fuerunt Tridentini Con-
cilii venerandi Patres Auctoritate Apoſtoli-
câ congregati, & Divino Spiritu dirigen-
te loquuti, ſed conformiter ad SS. PP. &
Eccleſiæ Doctores ſacri depoſiti cuſtodes.
Quinimo & ipſo Apoſtolo prælucente, quem
nunquam ſcribentem invenimus: *Concupiſ-*
centiam abſolutè eſſe peccatum. Sed dum-
taxat: *Paſsiones peccatorum*: *Lex peccati*
in carne, & membris: *corpus mortis hu-*
jus, & alia hujuſmodi. *Paſsiones peccato-*
rum quatenus excitant & movent membra
ut peccato conſentiat voluntas: quia tunc
conſummatur, & generat mortem animæ
juxta monitum D. Jacobi. *Lex peccati* non
quidem in anima & ſpiritu, ſed in mem-
Jacob. 1. v. 15.
bris & carne: ſi autem eſſet propriè & ve-
rè peccatum, potiùs in ſpiritu quàm in cor-
pore eſſet. *Corpus mortis dicitur*, inquan-
tùm caro ſecundùm legem carnis movetur
ad concupiſcendum, ſed liberantur juſti per
gratiam, ut inter concupiſcentias carnis non
ſit corruptio peccati, ut benè exponit
D. Thomas.
D. Thom. in c. 7. Epiſt. ad Rom.

321 In laudatam Tridentini interpre-
tationem communi conſenſu ierant jam Pa-
tres & Doctores, quorum innumera pro-
Sancti PP. cum Auguſtino prælucentes.
ducere teſtimonia facilè eſſet. Audiatur ta-
men Auguſtinus, qui inter peccatum &
pœnas peccati diſtinguens inquit, (poſtquam
remiſsionem peccatorum per Baptiſmum
ſtatuerat.) *Sed de iſta concupiſcentia carnis*
falli eos credo, vel fallere, cum qua neceſ-
S. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 13.
ſe eſt ut baptizatus, & hoc ſi diligentiſsi-
me proficit, & Spiritu Dei agitur, piâ
mente confligat. Sed hæc etiam vocatur pec-
catum, non utique quia peccatum eſt, ſed
quia peccato facta eſt, ſic vocatur, ſicut
Scripturâ manus cujuſque dicitur, quòd ma-
nus eam fecerit. Concupiſcentiam inſuper
poſſe dici peccatum: quia in peccatum in-
Cap. 25.
clinat, aut eſt cauſa peccati, ibidèm do-
cuit

cuit etiam S. Parens, explicatque inquiens:
Sicut frigus dicitur pigrum, quia facit homi-
nes pigros. Et generaliùs de pœnis peccati
tolerandis loquens, hæc habet: * Quis
Lib. 10. Conf. c. 28.
* velit moleſtias & difficultates pati? To-
* lerare jubes eas, non amare. Nemo
* quòd tolerat, amat, etſi tolerare amat.
* Quamvis enim gaudeat ſe tolerare, ma-
* vult tamen non eſſe quòd toleret. Por-
* rò concupiſcentia eadem ratione expeti
* non debet, non quòd peccatum ſit, ſi
* non ei conſentiatur, ſed quòd ad peccan-
* dum inducat, & quòd moleſta ſit & gra-
* vis, & ideò non amanda, ſed toleran-
* da ſit, ſi debellari nequeat. Neque diſpli-
* cere debet judicium Dei, qui eam ad
* agonem, & exercitium virtutis remane-
* re voluit, & Apoſtolo ſuo dixit, *ſuffi-*
* *cit tibi gratia mea. Nam virtus in in-*
* *firmitate perficitur*, 2. cor. 12.

322 Inde jàm non eſt ut immoremur
in proponendis objectionibus, quas hęreti-
ci malè deducunt ex aliis Scripturæ & SS.PP.
teſtimoniis, vix lucubratione dignas & ple-
nè ab Erudito Belarmino protritas. Quini-
Concupiſcentia, ignorãtia, & hujuſmodi, pœnas peccati contra Pelagianos poſuit S. Auguſtinus.
mò ex illis extra propoſitum objectis, ca-
tholicam veritatem contra Pelagianos per
aliud extremum errantes firmatam vi-
demus. Si concupiſcentia carnis peccatum
ſuaptè natura non eſt, quin potiùs ad no-
ſtram quandoque vergens utilitatem, cùm
ſcilicet ei viriliter reſiſtitur, erit utique bo-
na, prout plenis buccis concrepabant con-
S. Auguſt. lib. 4. cont. Julian. c. 13.
tra Auguſtinum Pelagiani. Attendat tamen
Lector in hac objectione, hęreticorum ge-
nium à nobis ſæpè deſcribendum, quo ni-
mirùm ab uno erroneo ad aliud erroneum
extremum ſaltant, relicto medio ubi veri-
tas ſedem habet. *Hęc concupiſcentia* (Aqui-
linus Dr. contra Julianum urgebat) *quam*
laudas, non eſt à Patre. Duo enim bona,
quæ à Patre ſunt, inter ſe pugnare non
poſſunt; *pugnant autem inter ſe continen-*
tia, & concupiſcentia. Quid autem horum
à Patre magis eſſe velis? Reſponde. Video
quas patiaris anguſtias; *faves quidem con-*
cupiſcentię, ſed erubeſcis continentiæ. In-
vehitur ergo Magnus Auguſtinus contra
Pelagianos, qui dicebant, ignorantiam,
concupiſcentiam & difficultatem, cum qui-
bus naſcitur homo, non eſſe mala, & pec-
cati originalis pœnas, ſed naturales defe-
ctus, ſeu eſſe primordia non ſupplicia na-
turæ. Hinc Julianus Pelagianus (ut vide-
Lib. 3. cap. 19. & 20.
re eſt apud S. Auguſtinum) multis laudibus
exornabat concupiſcentiam, ac commen-
dabat ignorantiam. Hæc igitur Pelagiano-
rum deliria ut everteret S. Auguſtinus, con-
cupiſcentiam & ignorantiam eſſe mala &
peccati originalis confectaria pronuntiavit,
ita ut propriè ſint pœnæ peccati, impro-
priè verò tantummodò peccatum, quia tan-
quam ex virulento fonte ſcaturiunt è pec-
cato originali.

323 Ex laudato Auguſtino liceat ita
Theologicè diſputare: Si hæc concupiſcen-
tia, quæ importat pugnam carnis adverſùs
ſpiritum, eſſet bona, & naturæ hominis
conveniens, eſſet Deo, tanquàm auctori
naturæ, adſcribenda. Quid autem abſur-
dius, quàm dicere, Deum auctorem eſſe
illius effrænis concupiſcentiæ, qua ferun-
tur homines in ea, quæ tanto ſtudio ve-
tuit ipſemet Deus, videlicèt in adulteria,
furta, cędes, veneficia, & in omne ſcele-
rum genus, quæ rationem humanam tàm
graviter offendunt? Hęc certè concupiſcen-
tia, quæ contra hominis rationem collu-
ctatur, quatenùs inordinata eſt, & extra
limites rationis effunditur, ſicut eam expe-
riuntur homines in ſtatu naturæ lapſæ, non
poteſt eſſe bona, nec à Deo profecta, ſed
eſt vulnus relictum ex peccato primi Paren-
tis, qui à Deo fuerat factus rectus, ſed
ipſe vias ſuas malas fecit, nec ſibi dum-
taxàt inflixit pravę concupiſcentię vulnus, ſed
illud quoque ad poſteros tranſmiſit. Au-
guſtinum pro more ſequutus Doctor Ange-
D. Thom. 1. 2. q. 82. artic. 3. ad 1.
licus ad propoſitum ſic loquitur: ,, In ho-
,, mine appetitus concupiſcibilis naturali-
,, ter regitur ratione, & intantùm con-
,, cupiſcere eſt homini naturale, inquan-
,, tùm eſt ſecundùm rationis ordinem; con-
,, cupiſcentia autem, quę tranſcendit limi-
,, tes rationis, ineſt homini contra natu-
,, ram; & talis eſt concupiſcentia origina-
,, lis peccati.

324 De concupiſcentia diximus, quæ
importat pugnam carnis adverſus ſpiritum;
non autem de concupiſcentia, quæ ip-
ſum nominat appetitum, ſive affectionem
appetitûs rationi obtemperantem, qualiter
bonum naturale appellavit D. Thomas.
Jàm enim initio hujus articuli quadrupli-
cem deſignavimus concupiſcentiæ acceptio-
Concupiſcentia in natura pura defectum nominaret dumtaxat.
nem. Si igitur concupiſcentia præter or-
dinem rationis exurgat, nullo tamen vel
ferè nullo negotio à ratione regulanda,
qualem in natura pura locum haberet, neu-
tiquam dicenda eſt *malum* aut *peccatum*,
ſed dumtaxàt defectus, ex conditione na-
turæ humanę, corpore corruptibili & ſpi-
ritu conſtantis, ſequutus, neque ab aucto-
re naturæ intentus. Quod explicat D. Tho-
D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 6. in corp.
mas loquens de defectibus naturalibus ho-
minis, exemplo ferri inquiens: ,, Duplex
,, conditio poteſt attendi in aliqua materia,
,, una ſcilicèt, quam agens eligit, alia quę
,, non eſt ab agente electa, ſed eſt ſecun-
,, dùm conditionem naturalem materiæ, ſi-
,, cut faber ad faciendum cultellum eligit
,, materiam duram, & ductilem, quæ ſub-
,, tiliari poſsit, ut ſit apta inciſioni, &
,, ſecundùm hanc conditionem ferrum eſt
,, materia proportionata cultello: ſed hoc,
,, quod ferrum ſit frangibile, & rubiginem
,, contrahens, conſequitur ex naturali diſ-
,, poſitione ferri, nec hoc eligit artifex in
,, ferro, ſed magis repudiaret, ſi poſſet:
,, undè hæc diſpoſitio materiæ non eſt pro-
,, portionata intentioni artificis, nec in-
,, tentioni artis. Similiter corpus huma-
,, num eſt materia electa à natura quan-
,, tum ad hoc, quod eſt temperatæ com-

,, plexionis, ut poſsit eſſe convenientiſsimum organum tactûs, & aliarum virtutum ſenſitivarum, & motivarum, ſed quòd ſit corruptibile, hoc eſt ex conditione materiæ, nec eſt electum à natura: quin potiùs natura eligeret materiam incorruptibilem, ſi poſſet. Sed Deus, cui ſubjacet omnis natura, in ipſa inſtitutione hominis ſupplevit defectum naturę, & dono juſtitiæ originalis dedit corpori incorruptibilitatem quandam, ut in primo dictum eſt 1. p. q. 97. art. 1. & ſecundùm hoc dicitur, quòd Deus mortem non fecit, & quòd mors eſt pœna peccati.

325 Si autem concupiſcentia prout in natura lapſa ad malum vehementer inclinat, accipiatur; rationem mali habet quatenus eſt pœna peccati: ejuſque motus in peccatum tranſit conſentiente voluntate: ſecùs autem dùm voluntas viriliter reſiſtit, ut jam docuit nos ex Auguſtino D. Thomas. Diſtinguendum igitur eſt inter *defectum*, *malum*, ſeu pœnam peccati, etſi ad peccatum inclinantem, & *peccatum ipſum* propriè dictum; ut concupiſcentiam in natura pura defectum nominemus, in natura lapſa *pœnam peccati*, & conſentiente voluntate peccatum propriè dictum: prout diſtinxit Sacræ Scripturę & SS. PP. lucidus Explanator: ,, Sciendum eſt (inquit) quòd hæc tria, defectus, malum, & culpa ex ſuperadditione ſe habent; defectus enim ſimplicem negationem alicujus boni importat: ſed malum nomen privationis eſt, undè carentia alicujus etiamſi non ſit natum habere, defectus poteſt dici, ſed non poteſt dici malum, niſi ſit defectus ejus boni, quòd natum eſt haberi, undè carentia vitę in lapide poteſt dici defectus, ſed non malum. Homini verò mors eſt & defectus & malum. Culpa autem ſuper hoc addit rationem voluntarii, ex hoc enim aliquis culpatur quòd defecit in eo quod per ſuam voluntatem habere potuit: undè oportet, quòd ſecundùm hoc quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur. Loquitur hìc Dr. Angelicus nedùm de concupiſcentię vulnere relicto & inflicto per peccatum primi Parentis; ſed etiam de aliis vulneribus, ignorantia nimirùm in intellectu, & malitia in voluntate. Ignorantia namque invincibilis eò peccatum dicitur; quia ex peccato illo eſt: *Nam illud* (ajebat Auguſtinus) *quod ignorare quiſquis non rectè facit, & quod volens rectè facere non poteſt, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* Et quòd magis eſt, de ipſo malitiæ vulnere malum expreſsiùs ſignante, ſimilia tradit D. Thomas. Cùm enim quatuor vulnera ex peccato originali relicta dilucidâ profunditate explicaſſet; ſibique oppoſuiſſet, malitiam non debere inter effectus peccati reponi; cùm peccatum nominet, ita reſpondet: ,, Ad ſecundùm dicendum, quòd malitia non ſumitur hìc pro peccato, ſed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, ſecundùm quòd dicitur Gene. 6. *Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua.*

Concupiſcentia habere poteſt rationem *defectûs, mali, & culpæ.*

D. Thomas in 2. diſt. 30. q. 1. a. 2. in corp.

D. Auguſt. lib. 3. de Libero arbitrio cap. 19.

D. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3. Solut. ad 2.

326 Nec eſt quod urgeant aliundè adverſantes erubeſcentiam, qua ipſa natura afficitur propter exurgentes concupiſcentię motus, prǽſertim in materia venerea, ſimilive intemperantiæ deordinatione, veluti ſignum formalis malitiæ, etiam præciſim à conſenſu voluntatis. Hæc namque argumentandi ratio ad ſummum deſervire poteſt, ut à natura humana (ſi in puris naturalibus condita fuiſſet, ut reverà contingere potuit, quidquid in adverſum declament Janſeniani) rebellionem appetitûs relegare poſſimus, cujus oppoſitum pro aris (ut dicunt) & focis propugnavimus in Schola, tract. de Neceſsitate gratiæ. Pro ſtatu autem noſtro quid valeat objectum, non video. Erubeſcit utique homo de exurgentibus concupiſcentiæ motibus, fateor: ſed non quia peccata ſuaptè natura ſint: benè verò quia pœna peccati & rurſùm ad peccata propendentes. Quinimò etſi pœna non eſſent peccati, de illis natura erubeſceret (prout contingeret in natura pura) quia defectus eſſent conditionem naturæ (ut diximus cum D. Thoma) ſequuti. Nec indè injuria Deo Conditori naturę irrogaretur: ut Auguſtinus retorquebat in Julianum: quia ut benè & confòrmiter ad D. Thomam laudatum Theologizat Mag. Gonet * dupliciter poteſt aliquid à Deo eſſe in natura; vel ut defectus & imperfectio ſequuta ex conditione materiæ, vel ut perfectio & bonum naturale: erubeſcere autem de defectu naturali à Deo relicto in natura, non eſt injurioſum Deo, ſed ſolum erubeſcere de perfectione & dono à Deo collato. Undè quia Julianus ponebat libidinem eſſe bonam, & eatenùs bonam, ut eam Deus primis hominibus conceſſerit tanquam munus & beneficium fœlicitate paradiſi terreſtris dignum, idcirco Auguſtinus benè ratiocinatur, cùm ait, ipſum injuriam inferre Deo, erubeſcendo de Dei dono.

Mag. Gonet de ſtatu naturę puræ artic. 2. §. 3.

Erubeſcimus de concupiſcentia: etſi peccatum non ſit.

327 Addit (ille) quædam eſſe alia propter quæ agenda latebras quærimus, quæ tamen à peccato originali non fluxerunt, & in ſtatu naturę puræ homini conveniſſent, imò & fuiſſent neceſſaria: cujuſmodi eſt, verbi gratia, ventrem exonerare, quòd ſinè dubio naturale eſt homini, etiam non peccanti; neque propterea de illo actu erubeſcere, eſt erga Deum ingratum eſſe, aut eum, quaſi pudendum quidpiam fecerit, reprehendere, ſed ſolum vilitatem noſtræ naturæ agnoſcere, ejuſque defectus & imperfectiones ei connaturales, & nobis ac brutis communes, pudere: qui pudor plures parit utilitates humilitatis, demiſsionis noſtri nihili, noſtræque naturę vilitatis, &c. Idem cum proportione dicendum de pudore & erubeſcentia, quæ in ſtatu naturæ puræ

Erubeſcentia, plures parit utilitates.

oriretur in homine ex inobedientia partis ſenſitivæ, ſive ex motivus libidinoſis contra imperium rationis tumultuantibus: illi enim pariter eſſent defectus & imperfectiones homini connaturales, & ex conditione materię procedentes. Undè meritò Auguſtinus Pelagianos reprehendit, quòd concupiſcentiam ſeu libidinem, tanquam bonum naturale defenderent: eamque ubiquè malam appellat (non quod revera mala ſit, ſed quia eſt defectus & imperfectio naturę humanæ, vel ob nocumentum quod naturæ afferre poteſt cum conſenſu arbitrii in quem impellit) & ſubdit: *Rectiùs appellat nomen mali quàm boni, quod erubeſcunt & mali & boni.* *

D. Auguſt. lib. de Nuptiis & concupiſcentia. Et frequenter, in Libris cont. Julianum.

328 Tandem opponi poteſt in favorem rejectę opinationis, quòd ſaltem in infidelibus, lethalis peccati macula inquinatos, debemus agnoſcere motus concupiſcentiæ, cui voluntas non conſentit, licèt oppoſitum cum D. Thoma ſtabilitum relinquamus. Dicit enim Apoſtolus: *Nihil :: damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*, concupiſcentiæ ſcilicèt conſentiendo; quia ſunt in Chriſto Jeſu; ſed infideles (opponit ſibi D. Thomas) non ſunt in Chriſto Jeſu: igitur primi motus infidelium ſunt peccata mortalia. Sive ut arguit in locum Pauli: ,, Ex his verbis aliqui volunt accipere, quòd in infidelibus, qui non ſunt in Chriſto Jeſu, etiam primi motus ſint peccata mortalia, quamvis eis non conſentiant: quòd eſt ſecundùm carnem ambulare: Si enim illi qui non ſecundùm carnem ambulant, ex hoc non eis damnabile eſt quòd carne ſerviunt legi peccati ſecundùm primos concupiſcentię motus; quia ſunt in Chriſto Jeſu; ſequitur à contrario ſenſu quòd illis qui non ſunt in Chriſto Jeſu; hoc ſit damnabile. Ad hoc etiam rationem inducunt: Dicunt enim quòd neceſſe eſt actum damnabilem eſſe, qui procedit ex habitu damnabilis peccati: Peccatum autem originale eſt damnabile; quia privat hominem æternâ vitâ: Cujus habitus manet in infideli, cui non eſt originalis culpa dimiſſa: Quilibet ergo motus concupiſcentiæ ex originali peccato proveniens, eſt in eis peccatum damnabile.

Ad Rom. 8. v. 1.

D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 5.

Lect. 1. in locum Apoſtoli.

329 Cæterum D. Thomas reſpondet, tùm in loco Summæ, tùm explicatiùs in Commentario, ubi poſt ſtabilitam veritatem argumentis ſuprà datis, ſubjungit: ,, Secundò reſpondendum eſt ad eorum rationes: Nam primò quidèm ex littera Apoſtoli hoc habere non poſſunt: Non enim dicit Apoſtolus, quòd hoc non ſolum non ſit damnabile his qui ſunt in Chriſto Jeſu, quòd carne ſerviunt legi peccati ſecundùm concupiſcentiæ motus, ſed quòd omninò nihil eſt eis damnationis: Illis autem qui non ſunt in Chriſto Jeſu, eſt hoc ipſum damnabile. Prætereà ſi hoc ad primos motus referatur, his qui non ſunt in Chriſto Jeſu, ſunt damnabiles hujuſmodi motus ſecundùm damnationem originalis peccati, quæ adhuc in eis manet; à qua ſunt liberati hi qui ſunt in Chriſto Jeſu: Non autem ſic quòd per hujuſmodi motus nova addatur eis damnatio. Quòd etiam ſecundò obiiciunt, non ex neceſsitate concludit, quòd intendunt: Non enim verum eſt quòd actus quilibet procedens ex habitu peccati damnabilis, ſit etiam & ipſe damnabilis, ſed ſolùm quando eſt actus perfectus per conſenſum rationis: Si enim in aliquo ſit habitus adulterii, motus concupiſcentię adulterii, qui eſt actus imperfectus non eſt in eo peccatum mortale, ſed ſolum motus perfectus qui eſt per conſenſum rationis. Et prætereà actus ex tali habitu procedens, non habet aliam rationem damnationis ab ea quæ eſt ſecundùm rationem habitûs. Et ſecundùm hoc primi motus in infidelibus ex eo quòd procedunt à peccato originali, non afferunt damnationem peccati mortalis, ſed ſolum originalis. Non quòd ſolam damnationem originalis habeant illi qui tales motus patiuntur, cùm nunquam poſsit eſſe peccatum veniale ſoli originali junctum, ut ex profeſsò docet ac probat S. Doctor: Sed quia non præcisè propter hos motus damnationem habent mortalis peccati; quamvis peccata quoque venialia in eis puniantur æternâ pœnâ ſive damnatione, ſed per accidens, quia nunquam remitti poſſunt & mortalibus adjunguntur; minus graviter tamen quàm mortalia.

Primi motus concupiſcentię in infidelibus, cur non ſint peccata.

D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6.

§. III.

Peccato inquinata dici non valent Juſtorum opera.

330 DEINDE aſſerendum eſt: omnia juſtorum opera non eſſe peccata. Sic ſtatuit, & definit Tridentinum adversùs Lutheranos & ſequaces Novatores. Poſtquam enim totâ ferè ſeſsione 6. contra illos invehitur, ſic pronuntiavit: *Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltèm venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantùmque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema ſit.* Si autem huic Eccleſiæ in Concilio legitimo congregatæ decreto non acquieſcit Lutherus; catholicam veritatem agnoſcat in teſtimoniis ſacris Librorum utriuſque Teſtamenti. Audiat Regium Prophetam, etſi aliquando in crimina lapſum, dicentem poſtea: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Quinam autem niſi juſti in lege Dei ambulant? Si ergo iſti imma-

Concil. Trident. ſeſſ. 6. Can. 25.

Pro ſe ipſis, & juſtis omnibus aſſertionem firmant David, & Job.

Pſal. 118. v. 1.

maculati prędicantur à Divino veritatis Spi-
ritu, dùm conformiter ad legem Dei ope-
rantur, non poſſunt dici maculati in ope-
ribus illis, niſi à falſis Prophetis ab ipſo
deceptis Dœmone, qui eſt ſpiritus men-
dax in ore ſuorum Prophetarum. Macula-
tum dicamus impium, at non ſic juſtum,
*Quia in lege Domini voluntas ejus, & in
lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit
tanquam lignum, quod plantatum eſt ſe-
cùs decurſus aquarum, quod fructum ſuum
dabit in tempore ſuo. Et folium ejus non
deſluet: & omnia quæcunque faciet, proſ-
perabuntur.* Hujus Davidici pronuntiati
exemplum præluxit in Sancto Job, de quo
in textu habetur: *In omnibus his non pec-
cavit Job labiis ſuis, nec ſtultum aliquid
contra Deum loquutus eſt :: Nunquid con-
ſideraſti ſervum meum Job, quòd non ſit
ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus
& recedens à malo, & adhuc retinens in-
nocentiam?* Si enim Juſtorum opera eſſent
peccata, certè Spiritus Sanctus mendaciter
inſpiraret Scriptori libri S. Job ut ea ſcri-
beret, imò ut rectè arguit Magnus Gre-
gorius: *Si in ſermonibus ſuis Job deliquiſ-
ſe dicimus, quod ſentire nefas eſt, Deum
dicimus in ſua propoſitione victoriam per-
didiſſe.*

3. Reg. 22. Pſalm. 1. à v. 2.

Job 1. v. 22.

Cap. 2. v. 3.

15

S. Gregorius lib. 2. Moralium cap. 8.

331 Sed quid prohibet Regium audire
Prophetam de ſe ipſo & Juſtis aliis loquen-
tem, ſeque judicium & juſtitiam feciſſe Di-
vino Spiritu dictante? *Judica me Domine,
ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm
innocentiam meam ſuper me. -- Exaudi Do-
mine juſtitiam meam. De vultu tuo judi-
cium meum prodeat. Oculi tui videant æqui-
tatem. Probaſti cor meum, & viſitaſti no-
cte, igne me examinaſti, & non eſt inven-
ta in me iniquitas. -- Retribuet mihi Do-
minus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecun-
dùm puritatem manuum mearum retribuet
mihi, quia cuſtodivi vias Domini, nec im-
piè geſsi à Deo meo. -- Judica me Domine,
quoniam ego in innocentia mea ingreſſus
ſum. -- Feci judicium & juſtitiam :: non
calumnientur me ſuperbi.* Quì ergo fieri
poteſt: ut ſinè mendacio, Deo inſpiranti
tribuendo, ſe juſtitiam feciſſe dixerit, ſi ope-
ra ejus omnia, macula peccati fædata conſ-
piceret? * Neque verò (ſubjungit Belar-
minus) ſatifacit Philippi & Calvini reſpon-
ſio, qui dicunt Davidem non velle in his
locis affirmare, opera ſua fuiſſe abſolutè
juſta, ſed per comparationem ad opera ad-
verſariorum ſuorum, nec id etiam abſolu-
tè ſed in certa aliqua cauſa. Hæc, inquam,
reſponſio non ſatisfacit, quoniam verba
Davidis generalia ſunt, atque illa præſer-
tim: *Quia cuſtodivi vias Domini, nec im-
piè geſsi à Deo meo.* Item: *Ab omni via
mala probibui pedes meos.* Item: *Feci ju-
dicium & juſtitiam. Igne me examinaſti,
& non eſt inventa in me iniquitas.* *

Pſalm. 7. v. 10. Pſalm. 16. à v. 1.

Pſal. 17. v. 21.

Pſal. 25. v. 1.

Pſalm. 118. v. 122.

332 Eandem aſſertionem firmat ex Apo-
ſtolorum Principe in tota ſua Canonica
Epiſtola S. Clemens per hæç verba, digna
ut audiantur etſi profuſa: * Bonorum
* operum ſemina ſunt, quantum unuſquiſ-
* que ſapit, & poteſt, totis intimi cordis
* viſceribus Deum diligere, & proximum
* velut ſe ipſum. Abnegare ſe ipſum ſibi,
* ut Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum
* ſequatur, & nihil ejus amori prępoņere,
* veritatem corde & ore proferre debere, &
* totam ſpem Deo ſemper committere. In-
* ſtruebat actus ſuæ vitæ omni hora cuſto-
* dire, & in omni loco Deum reſpicere:
* firmiter ſcire, cogitationes malas cordi
* ſuo advenientes mox ad Chriſtum allide-
* re, & Sacerdotibus Domini manifeſtare.
* Os ſuum à multo, vel pravo colloquio
* cuſtodire, & verba vana aut mendacia
* non loqui, quia os, quod mentitur, oc-
* cidit animam. Verba Divina libenter au-
* dire, & Sacerdotibus libenter obtemperare,
* atque obedientes eſſe docebat. Prędicationi
* & orationi ac lectioni frequenter incumbe-
* re, & eleëmoſynas veras perficere. Deſi-
* deria carnis non perficere, ſed propriam
* frangere voluntatem: bonum aliquid in
* ſe cùm viderit Deo attribuere, non ſibi:
* & malum à ſe factum cognoſcat, & ſibi
* imputet. Multum loqui non amare, ſed
* cuſtodire labia ſua, ne dolum aut ma-
* lum loquantur. Diem judicii timere, ge-
* hennam expaveſcere, vitam æternam
* omni concupiſcentia deſiderare. Non oc-
* cidere, non adulterare, non furtum fa-
* cere, non rem proximi deſiderare: non
* falſum teſtimonium dicere: ſed omnes
* homines honorare, corpus cuſtodire, va-
* nas & caducas non amplecti delicias, je-
* junium & vigilias ſanctas amare, pau-
* peres recreare, nudos veſtire, infirmos
* viſitare, ſitientes potare, mortuos ſepe-
* lire, & diligenter eorum exequias perage-
* re, pro eiſque orare & eleëmoſynas da-
* re, dolentes conſolari & ſuis bonis re-
* fovere, & à malis actibus ſe alienum
* facere. Non eſſe ſuperbum, non vino-
* lentum, nec multum edacem, non ſom-
* nolentum, non pigrum, non murmura-
* torem, non detractorem: quia, qui
* detrahit, non ſe ſolum, ſed & multos
* alios occidit. Iram non perficere, nec
* iracundiæ tempus reſervare: dolum in
* corde non tenere, nec pacem falſam prę-
* tendere. Charitatem non derelinquere,
* nec jurare, ne fortè perjurium (quod
* abſit) fiat. Malum pro malo non red-
* dere, nec injuriam facere, ſed factam
* patienter ſufferre: Inimicos diligere, ma-
* ledicentibus ſe non maledicere, ſed ma-
* gis benedicere, & perſequutionem pro
* juſtitia ſuſtinere, caſtitatem habere. Nul-
* lum odio habere: quia, qui odit fra-
* trem ſuum, homicida eſt. Elationem fu-
* gere, zelum malum non habere, invi-
* diam non exercere, nec contentionem
* amare. Cum diſcordantibus, ante ſolis
* occaſum in pacem redire, & de Dei mi-
* ſericordia nunquam deſperare. Seniores
* venerari & juniores diligere, plebem &
* cun-

S. Clemens 1. Epiſt. 1. ad Jacob. Fratrem D. vel ad Simonem Fratrem Domini. Vel Auctor illius Epiſtolæ.

Monita, & exempla Principis Apoſtolorum.

* cunctos Eccleſiæ Miniſtros, Epiſcopos
* tota animi virtute diligere ut oculos
* ſuos, quia oculi ſunt illorum. Eorum
* præceptis in omnibus obedire, etiamſi
* ipſi aliter (quod abſit) agant, memores
* ſcilicet illius dominici præcepti: quæ di-
* cunt, facite, quæ autem faciunt, face-
* re nolite. Ipſi autem Epiſcopi, ſi exor-
* bitaverint, ab iſtis non ſunt reprehen-
* dendi, vel arguendi, ſed ſupportandi,
* niſi in fide erraverint. Nullus ſe extol-
* lat erga Doctores ac Magiſtos ſuos: quia
* diſcipulus ſuper Magiſtrum eſſe non de-
* bet, nec poteſt. Nullus velit dici San-
* ctus antequàm ſit: ſed prius ſit ut ve-
* riùs dicatur. Præcepta Domini, Docto-
* rumque ac Magiſtrorum factis quotidiè
* adimplere, & in Chriſti nomine pro ini-
* micis orare oportet. Obedientia enim &
* humiliatio, quæ Magiſtris agitur, Domi-
* no exhibetur. Vè diſſolutis corde, qui
* non credunt Deo, & reſiſtunt mandatis
* ejus, & inobedientes ac contumaces ſunt
* his, qui ejus legatione funguntur, & ideò
* non protegentur ab eo. Currite dùm lu-
* men vitę habetis :: Ne tenebræ mortis
* vos comprehendant. Venite filii audite
* me, timorem Domini docebo vos, om-
* nis, qui vult vitam, & cupit dies vide-
* re bonos, prohibeat linguam ſuam à ma-
* lo, & labia ſua, ne loquantur dolum,
* divertat à malo & faciat bonum, inqui-
* rat pacem, & ſequatur eam. Timenti
* Deum benè erit in extremiș, & in die
* defunctionis ſuæ benedicetur.

333 Innumera extant præterea in Scrip-
turis Sanctis argumenta aſſertæ veritatis
demonſtrativa, oppoſitique erroris everſiva,
eorum tamen plura ſtylo Scholaſtico bre-
viter intorquere adversùs Lutheranos ag-
gredimur. Primò: quia ſi neceſſum foret
juſtos in hac providentia in cunctis ope-
ribus peccare, utique in omnibus non per-
versè agere non poſſent; nec àb oppoſito
poſſent benè operare: incaſsùm ergo & fru-
ſtrà Deus homines generatim hortaretur ad
benè operandum, retraheretque ab opera-
tionibus pravis, prout videre eſt in Sacris
utriuſque Teſtamenti Libris: *Quieſcite age-
re perversè. Diſcite bene facere. -- Satagi-
te ut per bona opera certam veſtram vo-
cationem & electionem faciatis: hæc enim
facientes non peccabitis aliquando. Sic lu-
ceat lux veſtra coram hominibus, ut vi-
deant opera veſtra bona, & glorificent pa-
trem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* His nam-
que verbis ad opera undequaque bona diſ-
cipulos hortatur Chriſtus D. cùm rectam
intentionem in eis habendam deſignet.
* Si tantummodo diceret (loquitur Auguſti-
* nus apud D. Thomam) ut videant ope-
* ra veſtra bona, finem conſtituere vide-
* retur in laudibus hominum, quas quæ-
* runt hypocritę; ſed addidit: Et glori-
* ficent patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt;
* ut hoc ipſum quòd homo per bona ope-
* ra placet hominibus, non ibi finem con-
* ſtituat, ſed referat ad laudem Dei; &
* propterea placeat hominibus, ut in illo
* glorificetur Deus. Similiter Hilarius: Non
* quòd ab hominibus oporteat gloriam
* quęrere (quia omnia in honorem Dei
* ſunt agenda) ſed ut diſsimulantibus no-
* bis opus noſtrum, his inter quos vivimus,
* eluceat.

Ad opera undequaque bona Chriſtus D. hortatur.

Iſaiæ 1. v. 16 & 17.

2. Petri 1. v. 10.

Matth. 5. v. 16.

S. Auguſt. apud D. Thom. in Catena.

S. Hilarius, can. 4. in Matthæum, ibidèm.

334 Opera igitur ex objecto bona, re-
cta intentione ad Deum per charitatem à
juſtis ordinata, erunt undequaque bona,
repugnante Luthero, affirmante verò Chri-
ſto D. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.
Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum cor-
pus tuum lucidum eſt.* * Oculum (habet
* Auguſtin.) hìc accipere debemus inten-
* tionem noſtram, quæ ſi munda fuerit
* & recta, omnia opera noſtra quæ ſecun-
* dùm eam operamur, bona ſunt, quæ
* quidem omnia totum corpus appellavit;
* quia & Apoſtolus membra noſtra dicit
* quædam opera, ubi ait (ad Coloſſenſes 3.)
* Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſu-
* per terram; fornicationem, immundi-
* tiam, &c. Non ergo quid quiſque fa-
* ciat, ſed quo animo faciat conſideran-
* dum eſt: Hoc eſt enim lumen in nobis;
* quia hoc nobis manifeſtum eſt bono ani-
* mo nos facere, quod facimus: Omne
* enim quod manifeſtatur, lumen eſt (ad
* Epheſ. 5.) :: Si autem ſimplici intentione
* (id eſt fine charitatis) opera noſtra fiant,
* tunc munda ſunt, & placent in conſpe-
* ctu Dei. Bona inquam & Deo placentia
abſolutè & ex omni capite, dicente Chriſto
Domino: *Lucerna corporis tui eſt oculus
tuus* (recta ſcilicet intentio ut diximus) *Si
oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus
tuum lucidum erit :: Si ergo corpus tuum
totum lucidum fuerit, non habens aliquam
partem tenebrarum, erit lucidum totum:
& ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Si
ergo totum lucidum; nihil deforme in ope-
ribus bonis juſtorum invenire eſt: illæ ſi-
quidem in corpore illo lucido deſignantur,
juxta Gregorii expoſitionem apud D. Tho-
mam: * Appellatione corporis (inquit) una-
* quęque actio intelligitur, quæ intentio-
* nem ſuam quaſi intuentium oculum ſe-
* quitur. Unde dicitur, lucerna itaque
* corporis eſt oculus; qua per bonæ in-
* tentionis radium merita illuſtrantur actio-
* nis. *Si ergo oculus tuus ſimplex fuerit,
* totum corpus tuum lucidum erit* :: quia
* ſi rectè intendimus per ſimplicitatem co-
* gitationis, bonum opus efficitur; etiamſi
* minus bonum eſſe videatur. Similia ha-
* bet V. Beda inquiens: Cùm autem ſub-
* dit: *Si ergo corpus tuum, &c.* Totum
* corpus noſtrum omnia opera noſtra di-
* cit. Si igitur bonum bonâ intentione pa-
* traveris, non habens in tua conſcientia
* aliquam partem tenebroſæ cogitationis,
* etſi contingit aliquem proximum tuâ
* bonâ actione noceri, tu tamen pro tuo
* ſimplici corde, & hìc gratia, & in fu-
* turo lucis gloria donaberis: Quod ſig-
* ni-

Recta intentio lucida in totum bona reddit juſtorum opera.

Matthæi 6. v. 22.

S. Auguſt. apud D. Thom. ubi ſupra.

Lucæ 11. v. 34

D. Gregorius, V. Beda & Origenes, apud D. Thō. in Catena. Lucę 11.

* nificat ſubdens: *Et ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Id ipſum explicat Origenes exemplum deſumens à lumine ſenſibili verbis illis: * Id eſt, ſi corpus * tuum ſenſibile factum eſt luminoſum, il- * luſtrato corpore à lucerna, adeò ut non * ampliùs in te ſit membrum tenebroſum, * multò magis te non peccante, intan- * tùm fiet lucidum totum tuum corpus ſpi- * rituale, ut comparentur ſplendores ejus * illuſtranti lucernæ; dum lux, quæ erat * in corpore, quæ conſueverat eſſe caligo, * dirigitur quocunque præceperit intelle- * ctus.

Juſtorum opera, ex quo Deo placeant, bona undequaque agnoſci debent.

335 Secundum, nec diſsimile argumentum ità proponimus: quæ Deo placent, ipſique accepta ſunt, nihil deformitatis induunt; at juſtorum opera, aliàs ex ipſa gratia & charitate procedentia, debitoque proindè fine elucentia, ejus generis ſunt, ut paſsim S. Scriptura loquitur, tùm verbis jam adductis. Et prętereà dùm dicitur: *Placebit Deo ſacrificium Juda, & Jeruſalem, ſicut dies ſęculi, & ſicut anni antiqui.* -- *Sapientia cuſtodiet me in potentia ſua, & accepta erunt opera mea.* -- *Qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* -- *Offerens ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo.* -- *Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis hoſtiam acceptam, placentem Deo.* Eam in operibus juſtorum bonis complacentiam ſatis oſtendit Deus, cùm illa veluti de condigno meritoria beatitudinis æternæ acceptat; undè adęquatè bona prædicat, cùm hæc conditio ad meritum illud exacta ſit, ut jam oſtendimus, Diſſert. pręſenti n.244. Et quidèm cùm in operibus bonis adimpleant juſti divina mandata, Dei voluntati, quam dicunt beneplaciti, conformantur & legi æternæ, quę à Theologis cum D. Thoma prima conſtituitur bonitatis moralis regula. Nec eſt hæreticis invenire undè opera illa vitiata dicant: non ex parte concupiſcentiæ, cui validè reſiſtunt juſti: non ex defectu ordinationis ad Deum per charitatem (quam non requiri ad præciſam rationem operis boni Tom. 2. demonſtrandum eſt) eam ſiquidèm ordinationem vel actu habent juſti benè operantes, vel virtualiter ſaltèm aut habitualiter. Nec tandem ex peccatis venialibus, ſinè quibus vitam non valent ducere præſentem pro multo tempore: ea tamen ſicut gratiæ non repugnant aut charitati, neque hominis juſti ad Deum amicitiæ, ita nec valent impedire quominùs opera bona juſtorum accepta ſint Deo; ipſique juſti dicantur, jam immaculati, ut diximus, jam perfecti, prout dicitur de Noe quod *vir juſtus atque perfectus fuit.*

Malachiæ 3. *v.*4.
*Sapiēt.*9.*v.*11.
*Actor.*10.*v.*35.
1. *Petri* 2.*v.*5.
*Ad Philip.*4. *v.* 18.
*Gen.*6. *v.*9.

336 Tandem evertenda venit Lutheri aberratio ex abſurdis indè derivatis conſequutionibus. Primò: quia ſi cuncta juſtorum opera peccata eſſent, vel ex genere, aut ex circunſtantia vitiante, ut Lutherani obganiunt, non deberent ſperare pro ſuis operibus mercedem à Deo, contra illud quod dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me. Nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.* Neque Apoſtolus pronuntiare, Deo dictante, potuiſſet: *Nihil enim mihi conſcius ſum.* Et S. Job: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Quinimò ſi opera bona juſtorum peccata eſſent, Deo certè tribuenda eſſent, dicente Apoſtolo: *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et tandem quis non attendat in dogmate Lutherano immanem Chriſto D. injuriam irrogari, ejuſque ſuperabundanti redemptioni? Ille ſiquidèm, loquente Apoſtolo, *Dedit ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Recenſet namque Apoſtolus (exponente D. Thoma) fructum redemptionis Chriſti in ſuis, dùm ait: „ *Ut mundaret ſibi populum*, id eſt, ut ſanctificaret populum; ſic ſcilicèt ut eſſemus „ populus ejus, id eſt ei conſecratus: Qui „ aliquando non populus ejus, nunc autem populus Oſee 1. & Rom. 9. *Acceptabilem*, ſcilicèt Deo per rectam fidem & „ intentionem. Proverb. 14. *Acceptus eſt* „ *Regi miniſter intelligens: vel acceptabilem*; id eſt, peculiarem, Deuter. 7. *Te* „ *elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ejus* „ *populus peculiaris*: Sed oportet etiam quòd „ extra ſint opera bona. Undè dicit, *Sectatorem bonorum operum*: Rom. 13. *Bonum fac, & habebis laudem ex illo*: Galat. 6. *Bonum autem facientes, non deficiamus.* Si ergo juſti per ſanguinem „ Chriſti adeo in fide, operibus & recta „ intentione ſanctificantur, ut populus peculiaris Deoque conſecratus ab Apoſtolo appelletur, nihil profectò deformitatis in operibus illorum bonis invenire erit.

Matthæi 25. *à v.* 34.
Adverſantium aberratio Chriſto D. injuriam irrogat.
1. *Corinth.* 4. *v.* 4. *Job.* 27. *v.* 6.
Ad Philip. 2. *v.* 13.
Ad Titum 2. *v.* 14.
*D. Thom. ibid. lect.*3.

337 An non juſtorum populus ex quibus præcipuè coaleſcit Eccleſia Chriſti, veluti ex membris perfectis, vivis, Deoque acceptis, peculiari ratione & per antonomaſiam Eccleſia Chriſti meritò audit? Audit certè ab Apoſtolo illius immaculatam notionem verbis illis exprimentem: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibiglorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit Sancta & immaculata.* „ Finis namque ſanctificationis (exponit D. „ Thomas) eſt puritas Eccleſiæ: ideò dicit, „ *Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam*: Quaſi dicat Apoſtolus: Indecens eſt quòd immaculatus ſponſus ſponſam duceret maculatam: Et ideò ſibi exhibet eam immaculatam, hìc per gratiam, ſed in fu-

Ad Ephèſ. 5. *à v.* 25.
*D. Thom. ibidèm lect.*8.

„ turo per gloriam: Undè dicit, *Glorioſam*; ſcilicèt, per claritatem animæ & „ corporis: Philip. 3. *Reformabit corpus* „ *humilitatis noſtræ configuratum corpori* „ *claritatis ſuæ, &c.* Et ideò addit. *Non* „ *habentem maculam.* Pſalm. 100. *Ambulans in via immaculata, hìc mihi miniſtrabat, &c.* Neque *rugam*; id eſt, ſinè defectu paſsibilitatis; quia ut dicitur „ Apoc. 7. *Non eſurient neque ſitient ampliùs: Aut aliquid hujuſmodi*; *ſed ut ſit* „ *ſancta* (per confirmationem gratiæ) *&* „ *immaculata* (ab omni immunditia) Et hæc „ omnia intelligi poſſunt de exhibitione „ per fidem, tunc diceretur, ut exhiberet „ ſibi (ſcilicèt per fidem) Eccleſiam glorioſam (quia gloria magna eſt ſequi Dominum: ut dicitur Eccleſ. 23.) *Non habentem maculam* (ſcilicèt criminis mortalis; „ *Maculata eſt iniquitas tua*, Jerem. 2.) „ *Neque rugam*; id eſt duplicitatem intentionis, quam non habent qui rectè conjuncti ſunt Chriſto & Eccleſię: Job. 16. „ (juxta interpretationem Gregorii lib. 3. „ Moral. cap. 4.) *Rugæ meæ teſtimonium* „ *dicunt contra me, &c.* Sed magis *ſanctam* per intentionem; & *immaculatam* „ per omnimodam puritatem. Non ſolum ergo in futura gloria immaculati dicuntur juſti, ſed etiam in pręſenti: quia licèt maculas contrahant, ab illis mundantur, utique per opera bona à deformitate quacunque immunia, nec aliter pertinere poſſent aliquando ad civitatem illam glorioſam in quam: *Non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitę Agni.* Quæ omnia magis urgent ipſum Lutherum & ſequaces, Purgatorium inficiantes, ubi maculæ ſi quæ relinquuntur ex peccatis viæ mortalibus jam dimiſsis, aut venialibus poſt hanc vitam remittendis purgantur.

Juſti non ſolum in futuro, ſed hic à Chriſto D. immaculati conſtituuntur.
Apocalyp. 21. *v.* 27.

OBJECTA DISSOLUTA.

338 In oppoſitum ſtabilitæ catholicæ aſſertionis immeritò obiiciunt Lutherani Sacrę Scripturæ teſtimonia, quibus & homines in conſpectu Dei non juſtificari ſignificatur; eoſdemque omnes immundos eſſe & in peccata labi. Ea teſtimonia hæc præcipuè ſunt: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* -- *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* -- *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* -- *Facti ſumus ut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ, univerſæ juſtitiæ noſtræ.* -- *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Omittimus tamen teſtimonium ex oratione Dominica à Luthero depromptum, ubi ſic orare Chriſtus nos docuit: *Sanctificetur nomen tuum* :: *Fiat voluntas tua* :: *Et dimitte nobis debita noſtra.* Vel potiùs non omittamus: quia ipſo jugulantur Lutherani: cùm enim quæ à Deo rectè poſtulamus nobis evenire contingat, certè in hominibus juſtis nomen Dei ſanctificari & non pollui conſequens fit, juſtos à peccatis mundari, voluntatemque Dei facere. Igitur in illa prima petitione, & juſtitiam operum, qui non habent, petunt; cujus conſervationem & incrementum jam juſti efflagitant, juxta Auguſtini expoſitionem, & Cypriani etiam, cujus illa ſunt verba: *Id petimus, & rogamus, ut qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus, perſeveremus.*

Pſalm. 142. *v.* 2.
Eccleſiaſtes 7. *v.* 21.
*Pſalm.*13.*v.*3.
Iſaiæ 63. *v.* 6.
1. *Joannis* 1. *v.*8.
Matthęi 6.*v.*9. *& ſequentibus.*
S. Auguſt. lib. de dono Perſeverant. cap. 2.
S. Cyprian. ſer. de Orat. Dominica, apud D. Thom. in Catena Aurea.

339 Jam ergo ad primum teſtimonium cum Sanctis Patribus reſpondemus, quorum triplicem loci illius expoſitionem collegit Bellarminus, ſolita eruditione ita reſpondens. * Triplex hujus loci explicatio à Patribus indicatur. Prima eſt S. Auguſtini dicentis, hominem coram Deo juſtificari non poſſe, quoniam ex ſe juſtitiam nullam habet, ſed ſi quam habet, ex Deo habet: *Qui cum illo* (inquit Auguſtinus) *volunt intrare in judicium, niſi qui ignorantes Dei juſtitiam, ſuam volunt conſtituere?* Sententia igitur Davidis hęc eſt, *Non intres in judicium cum ſervo tuo*, id eſt, noli me judicare ex his, quæ ex me habeo. Sic enim *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, Et ideò paulò antè dixerat: *In veritate tua exaudi me in tua juſtitia*: id eſt, in juſtitia, quam ut haberem, tu dediſti. Altera expoſitio eſt ejuſdem Auguſtini, Hieronymi, & Gregorii qui referunt hunc locum ad peccata venialia, ſinè quibus in hac vita eſſe non poſſumus. Non autem ſequitur, ut omnia noſtra opera ſint peccata, etiamſi abſque peccato vivere non poſsimus. Miſcentur enim operibus bonis opera quædam mala, quæ tametſi levia & quotidiana ſint, tamen in judicio Dei non injuſtè puniuntur. Igitur ſententia Pſalmi hoc ſecundo modo accepti, hæc erit, *Non intres in judicium cum ſervo tuo*, id eſt, non cupio tecum contendere, confiteor me peccatorem, & veniam oro. Nam non ego ſolus, ſed etiam omnis homo aliquando peccat, nec eſt ullus ita juſtus, qui non aliquando labatur, & erret. Tertia expoſitio eſt Hilarii, Hieronymi, Arnobii, Euthimii & aliorum, cum S. Bernardo, qui dicunt, ſententiam Davidis eſſe, non poſſe hominem juſtificari, ſi comparetur ad Deum, non quòd non ſit in homine juſto vera juſtitia, ſi abſolutè conſideretur, ſed quia tanta eſt puritas, & ſublimitas juſtitiæ Dei, ut omnis hominum & Angelorum juſtitia, cum ea comparata, injuſtitia eſſe videatur. Sicut etiam ſtellæ clariſsimæ ſunt in ſe: tamen coram ſole continuò tenebreſcunt. Atque hoc eſt, quod in Job legimus: *Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur.* -- *Verè ſcio, quod ita ſit, & quòd non juſtificabitur homo compoſitus Deo.* Quem locum tractans Auguſtinus inquit: *In comparatione juſtitiæ Dei, ſi nec ſancti in cœ-*

B llarm. de juſtific. lib. 4. *cap.*20.
*S. Auguſt. in Pſalm.*142.
Homo comparatus Deo, non juſtificabitur nec à ſe habet juſtitiam.
S. Auguſt. lib. de Perfect. juſtitiæ.
S.Hieron.Epiſt. ad Cteſiph.
S.Greg.in Pſal. ſupra laudatum.
Juſti ſine veniali labe, vitam non ducunt prǫſentem.
SS. Hilarius, Hieron. Euthimius in prędictum Pſalm.
S. Bernard. ſerm. 5. *de verbis Iſaię.*
*Job.*4. *v.*17.*&* *cap.*9. *v.*2.
D. Auguſt. lib. ad Oroſium cap. 10.

lis Angeli, juſti eſſe dicantur, non mihi videtur importuna ſententia; non quia ut hoc eſſent, à juſtitia lapſi ſunt, ſed quia facti ſunt, & Deus non ſunt, tantumque ſpiritualis luminis habere non poſſunt, quantum habet ille, à quo facti ſunt. Ibi enim ſumma juſtitia, ubi ſumma ſapientia: & hoc Deus eſt, de quo dictum eſt, ſoli ſapienti Deo. Et infrà: *Cujus participatione juſti ſunt, ejus comparatione, nec juſti ſunt.* *

340 In teſtimoniis, quæ ſecundo & quinto loco recenſentur, nihil contra juſtitiam operum invenire poſſunt Lutherani; ſed dogma catholicum quo aſſeritur juſtos quandoque in peccata labi venialia, juxta illud: *Septies enim cadet juſtus.* Ubi notum eſt non dici juſtos continuò & ſemper cadere, ſed aliquoties cadere, aliquando reſurgere, ad differentiam impiorum, undè ſubjungitur in textu, *& reſurgent: impii autem corruent in malum.* Sic Maximus Hieronymus in Commentario Eccleſiaſtes, in Epiſtola ad Cteſiphontem & alibi, audiendus tamen contra Pelagianos ita diſputans: *Hoc eſt quod tibi in principio dixeram, in noſtra eſſe poſitum poteſtate, vel peccare vel non peccare: & vel ad bonum vel ad malum extendere manum; ut liberum ſervetur arbitrium: ſed hoc pro modo & tempore & conditione fragilitatis humanæ: perpetuitatem autem impeccantiæ ſoli reſervari Deo, & ei, qui verbum caro factus, carnis detrimenta & peccata non pertulit. Nec quia ad breve poſſum, coges me, ut poſſim jugiter. Poſſum jejunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire, nunquid in perpetuum?* Ad eundem ſenſum producta ex Pſalmo 13. verba exponit Doctor Angelicus nimirùm: *Quia non eſt juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet :: vel quia nec unus eſt qui perfectè faciat bonum*: ſcilicèt ab omni culpa etiam levi immunis.

Proverb. 24. v 16.

Hieron. lib. 3. cont. Pelagian.

D. Thom. in Pſalm. 13.

341 Ad teſtimonium quòd attinet ex Iſaia depromptum, mirum eſt quòd in illo ſibi triumphare videantur Lutherani, ut meritò proſequitur laudatus Bellarminus, oſtendens non loqui Iſaiam de hominibus juſtis, ſed de peccatoribus, qui ob ſua immania crimina digni fuerunt, ut populus ille Babilonycæ captivitati amandaretur, ut Propheta ipſe innuit ſatis verbis illis: *Ecce tu iratus es & peccavimus.* Quaſi dicat ideò tu iratus es, quia peccavimus. Et quidem ſi juſtorum proprium eſt Deum invocare, certè non de juſtis ſed de impiis verba facit Iſaias, dùm ſubjungit: *Non eſt qui invocet nomen tuum; qui conſurgat & teneat te.* Nec eſt quòd Lutherani vim faciant in eo, quod Propheta de omnibus tunc Judæis loqui videatur. Quia perſpectum eſſe ipſis debet, juxta Sacrę Scripturæ morem, ut de multis loquatur quaſi de omnibus; ut in ipſo Libro Geneſis apparet: *Omnis quippè caro corruperat viam ſuam*, habetur ibi, ubi & *Noe vir juſtus atque perfectus* dicitur. Ejuſdem Sacrę Scripturæ antiquum morem retinens Apoſtolus, generaliter pronuntiavit: *Omnes enim, que ſua ſunt, quærunt; non quæ Jeſu Chriſti*; poſtquam eoſdem Philippenſes vocaverat Sanctos, ſaltèm Sanctitate fidei; & aliàs conſtat cum Apoſtolo fuiſſe Lucam, alioſque non quærentes quæ ſua erant. Hinc D. Thomas verba Pauli expendens difficultatem notat, & diſſolvit inquiens: „ *Omnes :: quæ ſua ſunt, quærunt*: id eſt, non quæ ad ſalutem pro„ximorum ſunt & ad honorem Dei quæ„runt; ſed quæ ad lucrum & gloriam, & „quæ ſua ſunt. Sed nunquid Lucas & Epa„phroditus, & alii qui erant cum Apoſto„lo quærebant quę ſua ſunt? Reſpondeo „dicendum, quòd in ſocietate Apoſtoli „plures erant, qui hoc quærebant; qui & „deſeruerunt eum: 2. Timoth. 4. *Demas „enim me reliquit diligens hoc ſæculum, & „abiit Theſſalonicam: Creſcens in Galatiam: „Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſo„lus*: Sed conſuetudo eſt quòd aliquando „Scriptura loquitur de nonnullis, ſicut de „omnibus: Jerem. 6. *A minori quippè „uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtu„dent, & à propheta uſque ad Sacerdotem „cuncti faciunt dolum, &c.* Et ideò eſt „diſtributio accommoda. Et juxta eandem doctrinam idem Paulus cap. 1. vocat Corinthios omnes ſanctificatos in Chriſto Jeſu & Sanctos. Et nihilominùs cap. 3. eos vocat carnales: *Adbuc enim carnales eſtis*, ſcilicèt *vitâ & ſenſu, & ea, quæ carnis ſunt, ſapientes*, invidiam nimirùm, & contentionem, ut ibidèm exponit Divus Thomas. Apoſtolus igitur laudat omnes propter quoſdam, qui apud eos laudabiles erant, vituperat omnes propter quoſdam, qui apud eoſdem vituperatione digni erant. *More ſuo* (inquit Auguſtinus) *Scriptura loquitur, quę ſic arguit malos, tanquam omnes in eo Populo mali ſint, & ſic conſolatur bonos, tanquam omnes ibi tales ſint.*

Impiorum juſtitię immundę.

Iſaiæ 64. v. 5.

V. 7.

Geneſ. 6. v. 12.

V. 9.

Ad Philip. 2 v. 21.

Cap. 1. v. 1.

D. Thom. lect. 4 in cap. 2. citatum.

De nonnullis, quaſi de omnibus loquitur Sacra Scriptura.

1. Corinth. 1. v. 2.

D. Thomas ibidèm lect. 1.

D. Auguſt. cont. Donatiſtas c. 20.

342 Omiſsis tandem argumentis ex innata concupiſcentia, defectu dilectionis Dei, & admixtione venialium inutiliter ab hæreticis ſæpè decantatis. ſatis erit in præſenti objectas SS. PP. auctoritates ex doctrina pręcedenti diſſolvere. Illi enim vel indicant magnam naturæ lapſæ miſeriam, ratione cujus vix unam evadit homo tentationem, cùm in aliam incidit, juxta illud Cypriani: *Obſeſſa mens hominis, & undiquè Zabuli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exurgit libido, &c.* -- Vel ſignificant timorem ſanctum, quo ſua opera verebantur, ne aliquid mali in illis lateret; qua ratione judicium Dei reformidabant, exemplo Sancti Jobi aientis: *Verebar omnia opera mea*, quę verba ita expendit Gregorius: *Ipſa bona noſtra, quia inſidiantis culpę evadere gladium nequeunt, niſi ſollicito quotidiè timore muniantur, per Sanctum virum nunc rectè dicitur, verebar omnia opera mea.* Et meritò quidèm nam ut ipſe S. Job præmiſerat *etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Et hac ratione confeſſus fuerat: *Verè ſcio quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Quæ verba ita expendit laudatus Gregorius: * Homo Deo non compo* ſitus, juſtitiam percipit, compoſitus amit* tit, quiſquis ſe auctori bonorum com* parat, bono ſe, quod acceperat, pri* vat. Qui enim accepta bona ſibi arro* gat, ſuis contra Deum donis pugnat. * Sanctus autem vir, quia omne virtutis * noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit, ſi * ab interno arbitrio diſtrictè judicetur, * rectè ſubjungit, ſi voluerit contendere * cum eo, non poterit ei reſpondere unum * pro mille. Cum Deo autem contendere * eſt, non ei tribuere, ſed ſibi gloriam * ſuæ virtutis arrogare. Sed Sanctus vir * conſpiciat, quia & qui ſumma jam do* na percepit, ſi de acceptis extollitur, * cuncta quæ acceperat, amittit & dicat: Si voluerit contendere cum eo, non * poterit ei reſpondere unum pro mille.

Magna naturæ lapſę miſeria.

Job. 9. v. 28.

D. Gregor. lib. 9. Moral c. 26.

V. 2. & 3.

D. Gregorius cap. 1.

Vereamur opera noſtra.

§. IV.

Actus charitatis remiſsi defectuoſi non ſunt.

343 MAGIS tamen urgere videntur teſtimonia Auguſtini in quibus vitium videtur agnoſcere in ipſa charitate viatorum, eo quod nunquàm talis eſt, quantùm poteſt eſſe perfecta; ait enim: *Pleniſsima charitas, quæ jam non poſsit augeri, quandiù hic homo vivit, eſt in nomine, quandiù autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt, quàm debet, ex vitio eſt, ex quo vitio non eſt, qui faciat bonum, & non peccet.* Et rurſus: *Peccatum eſt cùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quàm debet.* Et alibi in ipſa virtute perfecta viatorum imperfectionem admittit S. Parens, quam Lutherani vitium & peccatum volunt dicere. In his tamen Auguſtini teſtimoniis nomine vitii & peccati defectum dumtaxat & imperfectionem deſignat S. Parens; cùm ipſemet doceat diſſertis verbis: non eſſe ad culpam deputandum, quòd charitas in hac vita non tanta ſit, quanta erit in patria. De juſtitia autem viatorum nihil aliud docet S. Parens, niſi juſtitiam in hac vita imperfectam eſſe, ſi comparetur ad juſtitiam vitæ beatæ; & hujus imperfectionis cognitionem & confeſsionem, hoc tempore non parum eſſe neceſſarium, ne quis exiſtimet ſe eſſe, quod verè non eſt, atque ita ſe ipſe ſeducat. Nuſquam autem in toto hoc libro imperfectionem iſtam peccatum eſſe, Auguſtinus dicit, ſed contra potiùs veram juſtitiam, & ſuo modo perfectam eſſe, confirmat. Sic enim ait in fine capitis. * Juſtitia, ſecundùm quam juſtus * ex fide vivit, quoniam per ſpiritum gra* tiæ homini ex Deo eſt, vera juſtitia eſt. * Quæ licèt non immeritò in aliquibus ju* ſtis pro hujus vitæ capacitate perfecta * dicitur; parva tamen eſt ad illam mag* nam, quam capit æqualitas Angelorum, * quam qui nondùm habebat, & propter * illam, quæ inerat, perfectum, & prop* ter iſtam, quę adhuc deerat, imperfectum * ſe eſſe dicebat. Sed planè minor iſta ju* ſtitia facit meritum, major illa fit prę* mium, undè qui iſtam non ſequitur, il* lam non aſſequitur.

S. Auguſt. Epiſt. 29. ad Hieron.

Lib. de perfectione juſtit. reſpon. 15.

Lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 7.

Lib. de Spiritu & littera cap. ultimo.

Charitatem remiſſam, nunquam vocabit Auguſtinus peccatum.

344 Apparet indè actum charitatis quantumvis remiſſum nulla peccati labe inquinari, nec inquinari poſſe; alioquin juſtus homo malè uteretur charitate, quod ita repugnat quàm quòd maximè. Si enim virtutibus reliquis eam tribuit Auguſtinus pręclaram notionem, ut eis nequeat homo malè uti, quis vel dubitet, charitatem virtutum omnium reginam, moderatricem & perfectivam ea prærogativa eminere? Et quomodo non undequaquè bonum dicamus actum pręmii eſſentialis, ut dicunt, augmenti ſcilicet gratiæ & gloriæ meritorium de condigno? At ſic meritò prædicatur, ſicut in cœteris virtutibus, actus quamvis remiſſus charitatis. Ea ſiquidem eſt Dei Remuneratoris benigna largitas, ut nec minima in ſuo nomine præſtita opera, ſuo præmio deſtitui patiatur, ipſo affirmante: *Et quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquę frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Quaſi dicat (exponit D. Thomas) „Non curo utrum magni vel „parvi ſint. Poſſet aliquis dicere. Pauper „ſum. Non habeo quid dare: ideò addit „*Calicem aquę frigidæ.*) Non dicit aquæ „calidæ propter inopiam lignorum, ne „poſſet ſe ſic excuſare. Undè venit dice„re. Quidquid minimum fecerit, habebit „mercedem ſuam, & hoc confirmat di„cens. (*Amen dico vobis non perdet mer„cedem ſuam.*) Iſai. 40. *Ecce Dominus ve„niet.* Et ſequitur. *Et merces ejus cum „illo, & opus illius coram illo.* Id ipſum ſignificavit Chriſtus Dominus cùm ita apud S. Lucam ſymbolicè promiſit: *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Et rurſus: *Et capillus de capite veſtro non peribit*: Ubi exponit Venerabilis Beda: „*Capillus de capite diſcipulorum Domini non „peribit, quia non ſolùm fortia facta vel „dicta Sanctorum, ſed & tenuiſsima co„gitatio dignâ mercede donabitur.* Et juxta hunc ſenſum ſcripſerat Apoſtolus de remuneratione bonis operibus à Deo juſtis reddenda: *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Et iterùm: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictio-*

Charitas etſi minima, remuneranda à Chriſto D. dicitur.

Matthæi 10. v. 42.

D. Thom. ibid. in Comment.

Lucæ cap. 12. v. 7. c. 21. v. 18.

Venerab. Beda, apud D. Thom. ibid. in Catena.

Rom. 2. v. 6.

2. Corinth. 9. v. 6.

D. Thom. ibid. lect. 1.

ctionibus, *de benedictionibus & metet.* ,, Id eſt, exponit à Paulo edoctus Thomas, qui parùm dat in mundo iſto, *parcè & metet*; id eſt, parùm recipiet in alio ſæculo: Et dicit. *Seminat*; quia ſemina noſtra ſunt quidquid boni fecerimus: Et iterum, quaſi parùm ſeminatur, non multum colligetur: Galat. 5. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet*; ſed multiplicata: *Et qui ſeminat in benedictionibus* id eſt, abundanter *metet de benedictionibus*, ſcilicet Dei largam retributionem. Sed nunquid non metent omnes abundanter? Dicendum eſt ſic: quantum ad quantitatem præmii;quia omnes affluent, & nullus ibi parcè metet. Sed dicit *abundanter* quaſi ad proportionem, & benè ſeminatum: 1. Corinth. 15. *Stella à ſtella differt.* Proportionalem illam pro diverſitate operum Divinarum remunerationem ex laudatis Scripturæ teſtimoniis, aliiſque ſimilibus Patres agnovere: *Quid mihi prodeſt* (habet Ambroſius) *ſi Deus ipſe omnes meos capillos novit? Illud mihi redundat & proficit, ſi bonorum operum pervigil teſtis remunerationem gloriæ donet æternam.* Et Auguſtinus ad parabolam laborantium in vinea, docet: *Denarium diurnum, ſcilicet, æternam beatitudinem eſſe ſubſtantialiter æqualem; pro diverſitate tamen meritorum eſſe intenſione inæqualem.*

S. Ambroſ. lib. 2. de Spirit. S.

S. Auguſt. ſer. 59. de Verbis Domini.

345 Indè Sacrum Tridentinum Concilium nulla exceptione propoſita ſtatuit; *Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita: aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quę ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam ęternam, & ipſius vitę æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* Eâdem univerſalitate loquitur D. Thomas, imprimis de quolibet actu bono juſtorum & hac ratione meritorio: ,, Dicendum (inquiens) quòd quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratię: ſicut & gratiæ conſummationem, quę eſt vita ęterna. Hoc ipſum determinate ſtatuit de actu charitatis etiam remiſſo, conformiter ad Auguſtinum aſſerentem: *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Nec facilè eſt aſsignare unde actui remiſſo charitatis deneganda ſit ratio meriti condigni: cùm potiùs in eo videamus cunctas elucere conditiones ad meritum illud exactas, & jam ſupra à n. 233. deſignatas. Quidquid Theologi diſputantes diſcurrant circa tempus quo augmentum debitum conferatur; an ſtatim, num quando eliciunt actum ferventiorem, vel ad Sacramenta (Euchariſtiam præcipuè) accedunt, ſivè ut aliis non immeritò placuit, in ipſo primo ingreſſu gloriæ, de quo plura dedimus in Scholis diſputantes cùm de *Charitate*, tùm de *Meritò juſti*: Nihil proindè in præſentiarum determinantes, niſi quod D. Thomas expreſſum ita reliquit: ,, Dicendum, quòd quilibet actus charitatis meretur vitam ęternam, non quidem ſtatim exhibendam, ſed ſuo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum, non tamen ſtatim augetur, ſed quando aliquis conatur ad hujuſmodi augmentum.

Concilium Trident. ſeſſ. 6. Can. 32.

D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 8. ad 3.

D. Thom. 2. 2. q. 24. a. 6.

D. Auguſt. tract. 5. ſuper Epiſt. Joan. apud D. Thomam primò laudatum.

Solut. ad 1.

346 Attendamus itaque in charitate dùm remiſſa eſt, granum Sinapis paulatim excreſcens in arborem; cœleſti namque efficaciâ virtus illa in ſui exordio jam pręditа, adversùs contrarias terrenas delectationes ſpirituali acrimoniâ ad inſtar ſynapis decertat, ut nutriatur, & ut nutrita perficiatur. Abeat ergo Janſenius in ſua conficta mechanica comparatione gratiam inter medicinalem, ſive etiam charitatem, & concupiſcentiam, per ſuos reſpectivè gradus; ut inde affirmet, & veluti ſuarum aberrationum capitale principium ſtatuat: *Victricem ſemper eſſe & ineluctabilem eam delectationem, quæ gradualiter major exurgit*; ſive cœleſtis ſit ſive terrena delectatio ut tract. de Auxiliis ſatis compertum & reprobatum dedimus. Et meritò quidèm: nam ut docet D. Thomas Janſeniſmi ante ſuum exortum præfocator: ,, Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam. Et rurſus de effectu Circumciſionis diſſerens, eandem doctrinam tradit quibuſdam opinionibus rejectis, inquiens: ,, Alii dixerunt, quòd in circumciſione conferebatur gratia, etiam quantùm ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vitâ ęternâ, ſed non quantùm ad omnes effectus: quia non ſufficiebat reprimere concupiſcentiam fomitis, nec adimplendum mandata legis, quod etiam aliquando mihi viſum eſt. Sed diligenter conſideranti apparet, hoc non eſſe verum, quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in trangreſsione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti. His verbis ex propria mente reſolvit Sanctus Doctor oppoſitum ejus quod docuerat ad mentem Magiſtri ejus commentatorem agens, & tanquam probabilius inter opiniones ibidem recenſitas, & rejectas, inquiens: ,, Et ideò alii dicunt probabilius, ut videtur, quòd dabat gratiam quantùm ad effectus privativos culpæ, & reatûs, & quantùm ad quoſdam effectus poſitivos, ſicut ordinare animam, & facere dignum vitâ æternâ: non tamen quantùm ad omnes quos habet gratia baptiſmalis, quia illa ſufficit ad totaliter concupiſcentiam reprimendam, & meritoriè agendum, ad quod gratia in circumciſione data ſufficere non valebat, & ſecundùm hoc intelligitur gloſſa inducta. Hęc indicavimus, ut appareat neutiquam Janſenio patrocinari poſſe

Matthæi 13. v. 32.

In grano Sinapis charitas figurata.

D. Thomas 3. q. 62. a. 6. ad 3.

Q. 70. a. 4. in corp.

In 4. diſt. 1. q. 2. a. 3. quæſt.

ſe, neque opinionem aliàs à D. Thoma aliquando indicatam, quia non de gratia per Circumciſionem, ſed per Baptiſmum collata loquitur Janſenius, à nobis ſic in Scholis in ſuo Syſtemate rejectus: Terrena delectatio totas quantas habet vires voluntatem flectendi, ex vulneribus per peccatum contractis, antiqui ſerpentis ſuaſionibus adjunctis, derivat, Janſenio ipſo ad nauſeam uſque inclamante: gratia è conversò medicinalis, nùm habitualis ſit, nùm actualis ex Divina Omnipotentia cujus eſt participatio, & ex meritis Chriſti ſuam accipit ſuavem enargiam; ſed Chriſtus Dominus plus boni nobis attulit, quàm mali promeritus fuit Adam: efficaciora enim ſunt merita Chriſti ad noſtram ſalutem conſequendam, quàm delictum Adę contulerit ad damnum: *Ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*: ergo ſine injuria Crucis Chriſti ſubſiſtere non poteſt mechanica illa Janſeniana comparatio inter *gratiam medicinalem & concupiſcentiam.*

Efficaciora ſunt merita Chriſti, quàm Adæ delictum.

Janſenius lib. 4. de Grat. Chriſti cap. 9. & 11.

347 Et tandem ut nihil omittamus eorum, quæ adversùs bonitatem totalem actûs remiſsi charitatis, alteriuſvè virtutis poſſet opponere Lutherus, niſi in Scholaſtica Theologia peregrinus omninò fuiſſet; hæc in Scholis propoſita objecta, diſſolvenda iteramus. Meritorius certè non videtur nec ſimpliciter undequaque bonus actus cum negligentia elicitus, Jeremia teſtante: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter*, ut habetur in Biblia antiqua: vel *fraudulenter*, ut habetur in Biblia correcta: Hujus autem generis cenſeri poteſt actus remiſſus etſi ex alio capite virtuoſus, conformiter ad illud: *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa: manus autem fortium divitias parat.* Inde forsàn reprehenſibilis memoratur Epiſcopus Epheſinus; *quia primam charitatem reliquerit*; id eſt fervorem, & intenſionem primæ charitatis. Et horum ratio poteſt eſſe, primò quia non valet augmentum promereri in bonis acceptis, qui eis non bene utitur, prout in parabola talentorum indicatum videtur verbis illis: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quiſquis autem remiſsè operatur, non benè utitur charitate, aliiſvè virtutibus. Secundò, nam quì fieri poterit, ut bonus undequaquè dicatur actus ad corruptionem, & diminutionem habitûs diſponens; at, actum remiſſum ad corruptionem diſponere & diminutionem habitûs reſolvit D. Thomas; ſatiſque exprimitur verbis illis ex Apocalypſi: *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

Lib. 8. cap. 2. lib. 7. cap. 5. & alibi frequẽter.

Jerem. 48. v. 10.

Proverb. 10. v. 4.

Apocalyp. 2. v. 4.

Matthæi 25. v. 29.

D. Thomas 1. 2. q. 53. a. 3.

Apocalyp. 3. v. 16.

348 Hæc tamen objecta nullo negotio extricantur: quamvis enim operatio etſi aliundè ex objecto bona cum ſtricta negligentia obvolvatur, defectuoſa re ipſa dicatur, eo quod negligentia manifeſtè habeat rationem peccati, ut ſtatuit D. Thomas. Nulla tamen vel ſolida ratione affirmari poteſt, actum charitatis remiſſum, ſive ex tota intenſione habitûs non procedentem, ſtricta culpabili negligentia circumvolvi; non enim defectus majoris intenſionis in actu vocanda eſt negligentia culpabilis. Negligentia etenim, quæ à Doctore Angelico ſpeciale ponitur peccatum, importat defectum debitæ ſolicitudinis, qua ratione peccatum eſt aliquando veniale, nonnunquam mortale: quia ut theologizat laudatus Scholæ Angelus: ,, Negligentia provenit ex quadam remiſsione voluntatis, per quam contingit, quòd ratio non ſolicitatur, & præcipiat ea, quæ debet, vel eo modo, quo debet. Poteſt ergo dupliciter contingere, quòd negligentia ſit peccatum mortale, uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam, quod quidem, ſi ſit de neceſsitate ſalutis, ſive ſit actus, ſive circunſtantia, erit peccatum mortale. Alio modo ex parte cauſæ. Si enim voluntas intantum ſit remiſſa circa ea, quæ ſunt Dei, ut totaliter à Dei charitate deficiat, talis negligentia eſt peccatum mortale: & hoc pręcipuè contingit, quandò negligentia ſequitur ex contemptu. Alioquin, ſi negligentia conſiſtat in prętermiſsione alicujus actûs, vel circunſtantiæ, quæ non ſit de neceſsitate ſalutis: nec hoc fiat ex contemptu, ſed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdùm per aliquod veniale peccatum, tunc negligentia non eſt mortale peccatum, ſed veniale. Certum tamen eſt cum qui benè etſi remiſsè operatur, defectum debitæ ſolicitudinis non importare: nullus ſiquidem tenetur operari ex tota intenſione habitûs præexiſtentis. Niſi dicamus hominem remiſsè operantem negligentia quadam latè accepta affici, & quaſi negativè quatenus non ea operatur cum intenſione qua poteſt: ſecùs autem negligentia poſitiva, ſeu privativa, quam ſtrictè diximus negligentiam, & de qua producta teſtimonia intelliguntur.

D. Thom. 2. 2. q. 54. a. 1. in corpore.

Defectus intenſionis culpabilis non eſt negligentia.

Art. 3. in corp.

349 Reprehenſibilis verò fuit Epiſcopus ille, de quo Joannes in priori teſtimonio loquitur: vel quia charitatem primam etiam quoad ſubſtantiam amiſerat per peccatum mortale: vel quia primum amiſerat charitatis fervorem per negligentiam venialem, quæ aliundè componitur cum charitate remiſſa, licèt eam neutiquàm vitiet: quemadmodum nec venialia peccata alterius generis: & juxta hanc duplicem expoſitionem Interpretes Sacri teſtimonium productum explicant. Minoris pręterea momenti eſt ratio primò ſubjuncta falsò aſſumens: non benè uti charitate & virtutibus, eum qui remiſsè operatur: poſſet utique melius uti pro ſuo libito, & Deo auxiliante, at cùm remiſsè operatur bene & virtuosè utitur; nec poteſt malè uti charitate & virtutibus. Neque ſervus ille de quo in Parabola memorata ſermo ſit, acriter fuit re-

Cur reprehenſus à S. Joanne Epiſcopus Epheſinus.

Qui remiſſe operatur, benè abſolutè operatur.

reprehenſus & bonis gratuitis expoliatus, non quia remiſsè uſus fuit & negotiatus in talentis; ſed quia accepta gratia prout debuit non fuit uſus. Inde Gregorius ad verba relata: *Quiſquis enim charitatem habet, alia etiam dona percipit: Quiſquis autem charitatem non habet, etiam dona quę percepiſſe videbatur, amittit.* Et Chryſoſtomus: *Qui etiam gloriam ſermonis & doctrinæ ad proficiendum habet, non utens ea, gratiam perdit: Qui autem ſtudium adhibet, amplius attrahit donum.* Nec minus à veritate alienum eſt, actum remiſſum charitatis ad corruptionem diſponere, ſeu diminutionem charitatis: ſicut enim hujus corruptio non fit niſi per peccatum mortale, ita diſpoſitio ad ejus corruptionem non contingit niſi per peccata venialia, quibus implicatus erat Epiſcopus ille de quo loquitur Joannes in ultimo teſtimonio. Nec D. Thomas oppoſitum indicat loco citato, ubi non loquitur de habitibus infuſis, ſed de acquiſitis, de quibus reſolvit corrumpi vel diminui per ceſſationem ab actu: ,, Dictum eſt enim, (inquit) quòd habitus ,, per ſe corrumpuntur, vel diminuuntur ,, ex contrario agente, undè, quorumcun- ,, que habituum contraria ſubcreſcunt per ,, temporis tractum, quæ oportet ſubtra- ,, hi per actum ab habitu procedentem, hu- ,, juſmodi habitus diminuuntur, vel etiam ,, tolluntur totaliter per diuturnam ceſſa- ,, tionem ab actu. Ut patet etiam in ſcien- ,, tia & in virtute. Manifeſtum eſt enim, ,, quòd habitus virtutis moralis facit ho- ,, minem promptum ad eligendum medium ,, in operationibus, & paſsionibus. Cùm ,, autem aliquis non utitur habitu virtutis ,, ad moderandas paſsiones, vel operatio- ,, nes proprias, neceſſe eſt, quòd prove- ,, niant multę paſsiones, & operationes ,, pręter modum virtutis ex inclinatione ap- ,, petitûs ſenſitivi & aliorum, quæ exte- ,, riùs movent. Undè corrumpitur virtus ,, vel diminuitur per ceſſationem ab actu. ,, Similiter etiam eſt ex parte habituum in- ,, tellectualium, ſecundùm quos eſt homo ,, promptus ad rectè judicandum de ima- ,, ginatis. Cùm igitur homo ceſſat ab uſu ,, intellectualis habitûs, inſurgunt imagina- ,, tiones extraneæ, & quandoque ad con- ,, trarium ducentes, ita, quòd niſi per ,, frequentem uſum intellectualis habitûs ,, quodammodò ſuccidantur vel compri- ,, mantur, redditur homo minus aptus ad ,, rectè judicandum, & quandoque totali- ,, ter diſponitur ad contrarium, & ſic per ,, ceſſationem ab actu diminuitur, vel etiam ,, corrumpitur intellectualis habitus.

D. Gregorius Homil. 9. in Evang.

S. Chryſoſt. Hom. 79. apud D. Thom. in Catena Aurea.

Actus remiſſus charitatis ad corruptionem, vel diminutionem habitûs non diſponit.

350 Fateamur igitur actus remiſſos diſponere aliquando ad corruptionem habitûs charitatis omninò per accidens & negative, quatenus qui non intensè operatur, permittit ſępè oriri paſsiones contrarias, quæ paulatim ſuccreſcentes diſponunt & trahunt in peccatum mortale charitatis deſtructivum. At remiſſos charitatis actus habitum diminuere nequaquam ſuſpicandum eſt; poſtquam Doctor Angelicus, neque per ipſa peccata venialia diminui habitum charitatis ſtatuat. Quamvis enim virtus acquiſita diminuatur & tandem totaliter corrumpatur ex ceſſatione actuum à quibus cauſatur. ,, Sed hoc (ſubjungit D. Thomas) in ,, charitate locum non habet: quia chari- ,, tas non cauſatur ab humanis actibus, ſed ,, ſolum à Deo:: Similiter etiam nec per ,, peccatum veniale charitas diminui poteſt, ,, neque effectivè neque meritoriè. Effecti- ,, vè quidem non, quia ad ipſam charita- ,, tem non attingit. Charitas enim eſt cir- ,, ca finem ultimum: veniale autem pecca- ,, tum eſt quædam inordinatio circa ea, quæ ,, ſunt ad finem. Non autem diminuitur ,, amor finis ex hoc, quod aliquis inordi- ,, nationem aliquam committat circa ea, ,, quæ ſunt ad finem, ſicut aliquando con- ,, tingit, quòd aliqui infirmi multum aman- ,, tes ſanitatem, inordinatè tamen ſe ha- ,, bent circa dietę obſervationem. Sicut ,, etiam in ſpeculativis ſcientiis falſæ opi- ,, niones circa ea, quæ deducuntur ex prin- ,, cipiis, non diminuunt certitudinem prin- ,, cipiorum. Similiter etiam veniale pecca- ,, tum non meretur diminutionem charita- ,, tis. Cùm enim aliquis delinquit in mi- ,, nori, non meretur detrimentum pati in ,, majori. Deus enim non plus ſe avertit ,, ab homine, quàm homo avertat ſe ab ,, ipſo. Undè, qui inordinatè ſe habet cir- ,, ca ea, quæ ſunt ad finem, non mere- ,, tur detrimentum pati in charitate, per ,, quam ordinatur ad ultimum finem. Un- ,, dè conſequens eſt, quòd charitas nullo ,, modo diminui poſsit, directè loquendo. ,, Poteſt tamen indirectè dici diminutio ,, charitatis diſpoſitio ad corruptionem ip- ,, ſius, quę fit vel per peccata venialia, vel ,, etiam per ceſſationem ab exercitio ope- ,, rum charitatis.

Actus remiſsi per accidens ſolum ad diminutionem habitus conducere poſſunt.

D. Thomas 2. 2. q. 24. a. 10. in corp.

ARTICULUS APPENDIX.

In commendationem Doctrinæ ex Scriptura & SS. PP. à Divo Thoma traditæ.

351 OMNIGENÆ perfectionis chriſtianæ ſummam in ſermone montis Chriſtus D. complexus fuit: ubi non legem antiquam correxiſſe, ſed falſum ejus intellectum per multos ex antiquis Judæis, conſentientibus poſtea Scribis & Phariſęis, proximè ante adventum Chriſti (affirmante Hieronymo) ortis; docuit nos divinę voluntatis Angelicus Interpres, à n. 178. loquens pro more ſuo, cum PP. ex Prophetis. Hęc cùm ita ſint; quis patienter ferat audire P. Joannem Maldonatum, nobilem aliàs Scripturæ Interpretem, nimiâ animoſitate ſcribentem: Chriſtum D. in verbis ex Matthæo adductis, non Scribarum traditiones, Phariſæorumque pravas legis interpretationes, ſed legem ipſam correxiſſe. Opinatur namque, plura præcepiſſe legem antiquam, eo in loco à Domino correcta: Inter alia verò, quod magis nobis diſplicet, ita loquitur de odio inimicorum: *Cùm autem de veris loquitur inimicis, non ſolum quodammodo odio habere, ſed etiam delere jubet*, Deuteron. 25. v. 19. Rursùs habet: *Docuimus enim, legem præcepiſſe quoſdam publicos non ſolum odiſſe hoſtes, ſed penitùs etiam abolere.* De aliis etiam, quę à Chriſto correcta dicit, infra indicabimus. De noſtra autem cum D. Thoma ex Patribus interpretatione, ſic loquitur Auctor ille.

Maldonatus in c. 5. Matthęi.

352 *Omnes hæreticorum Interpretes pro comperto habent: Chriſtum non legem, ſed Scribarum & Phariſæorum traditiones, interpretationeſque corrigere: eaque de re impudenter veteres Auctores, quòd aliter ſenſerint, reprehendunt. Idem ſcilicet olìm alii hæretici Pelagiani docuerunt, ut Hieronymus ſcribit; Catholicus, neſcio an quiſquam præter Strabum, & noſtro tempore nonnullos, qui minori, quàm Catholicos decet cautione, hæreticorum legerunt Commentarios.* Deindè propoſitis quibuſdam in favorem noſtrę interpretationis argumentis, ſubjungit ſtatim: *Viderant iſta, ut opinor, veteres Auctores, incredibili tamen omnes conſenſu docuerunt, Chriſtum legem ipſam veterem correxiſſe, adjunctis his, quę ad perfectionem Evangelicam deſiderabantur, non quòd lex in ſuo genere perfecta non fuerit, ſed quòd minus perfecta quàm Evangelium: Pedagogum enim fuiſſe Judæis tanquam pueris ruditer erudiendis adhibitum, donec melior Magiſter Chriſtus firmioribus jam ingeniis perfectiora proponeret. Atque ad hunc modum, præter alios de quibus diximus v. 18. Chriſtum legem impleſſe; quia addidit, quę in illa deſiderabantur. Sic Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Hilarius, Epiphanius, Baſilius, Chryſoſtomus, Auctor imperfecti, Ambroſius, Hieronymus, Chromaſius, Theophilactus, & Eutymius.* Sed quis non videat palpabilem, qua laborat equivocatione Maldonatus, ut aſtruat: Veteres auctores incredibili conſenſu docuiſſe: Chriſtum D. legem ipſam correxiſſe? Quaſi idem eſſet: legem corrigere, & legem perficere: hoc ſecundum pręſtaſſe Dominum, poſt Paulum & PP. omnes recenſitos penè ad miraculum elucidavit lucidus Thomas: De correxione ipſius legis nec verbum habent. Sit ergo.

*** *** *** *** ***

§. I.

Firmatur expoſitio D. Thomę:

353 ASSERENDUM eſt primò, Chriſtum D. non legem, ſed falſum ejus intellectum correxiſſe. In hoc ſenſu legem adimpleviſſe D. circa illa legis præcepta, in quibus Scribæ & Phariſæi non rectum intellectum habebant, nos docuit D. Thomas, n. 188. & ſequentibus. Propoſitam aſſertionem præter Gloſſam referentem (ut alibi diximus) verba illa: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum*, ad intellectum, Phariſæorum & Scribarum, non ad continentiam veteris Teſtamenti, tradere videtur Auguſtinus generaliter ſcribens: * Penè enim * omnia, quæ monuit vel præcepit Dominus, ubi adjungebat: *Ego autem dico* * *vobis*, inveniuntur in illis veteribus li- * bris; ſed quia non intelligebant homi- * cidium, niſi peremptionem corporis hu- * mani, aperuit D. omnem iniquum mo- * tum ad nocendum fratri, in homicidii * genere deputari. Gloſſa inſuper: Sed * ſciendum eſt, in toto corpore legis non * eſſe ſcriptum, odio habebis inimicum * tuum; ſed hoc dicitur quantum ad tra- * ditionem Scribarum, quibus viſum eſt * hoc addendum; quia Dominus præcepit * filiis Iſraël perſequi inimicos ſuos. Hujus pravæ traditionis accepta occaſio indè videtur orta, quòd Exodi 34. v. 11. & Deuter. 7. v. 1. prohibetur Judæis, ne jungant affinitatem, aut fœdus faciant cum ſeptem illis populis Amorrhæo, Chananæo, Hethæo, Pherezæo, Hevæo, & Jubuſæo: & cùm tradiderit illos Dominus in manus Iſraëlitarum, percutiant eos uſque ad internecionem, nec eorum miſereantur. Neque verò ea præcepta cum naturę lege pugnant, cui potiùs valdè conſentaneum eſt, ut ſontes debitâ pœnâ plectantur. Cum ergo gentium illarum idolatria, crudelitas, inceſta, libido, ad ſummum perveniſſent, ut conſtat ex Levit. 18. 24. & Sap. 12. & 13. juſtè Deus; poſt longiſsimi temporis patientiam, hanc pœnæ exequutionem, quam per ſe facere potuerat, Hebræo populo mandavit. De Amalecitis, quorum nomen deleri Deus juſsit, Deuteron. 26. 19. idem eſtò judicium.

Matthæi 5. v. 20.

S. Auguſtinus lib. 19. cont. Fauſtum c. 28. in Cat. Aurea.

Gloſſa ibidèm.

Prava Judæorum legis intelligentia.

354 Verùm Judęi hæc pravè intelligentes, & pluſquàm par eſſet, extendentes, alienigenas omnes Deorum cultu inquinatos, nullo diſcrimine pro hoſtibus habebant Chriſti tempore, neque eos aut ſpoliare aut necare nefas ducebant; quod fatetur ac defendit Joſephus Albo in diſputatione adversùs Chriſtianos. Imò ipſos Iſraëlitas Judaicarum Traditionum, ac Rituum Moſaicarum tranſgreſſores odio ferali

Lighfootus in cap. 5. Matth. v. 24.

li proſequebantur, ut conſtat ex ipſorum
Canonibus à Lighfooto relatis. *Hęretici Iſ-
raelitici, id eſt, qui idola colunt ex Iſ-
raele, aut qui tranſgrediuntur ut irritent;
itemquè Epicurei, id eſt, Iſraelitæ qui ne-
gant legem & Prophetas, ex pręcepto ſunt
occidendi, ſi poteſt quis eos, idque palàm;
ſi autem non apertè, clàm, & aſtutè ma-
chineris eis mortem..... Gentilibus verò,
quibuſcum nobiſcum non eſt bellum, item-
que paſtoribus pecorum minutiorum, aliiſ-
que iſtiuſmodi, non mortem quidem ità ma-
chinantur: at prohibitum tamen eſt eos à
morte liberare, ſi de morte periclitantur.
Exempli gratia, videt Judęus quemquam
eorum lapſum in mare, nullo modo eum
inde tollat: Nam ſcriptum eſt: Non inſur-
ges in ſanguinem proximi tui: At hic non
eſt proximus.* Homines rudes & feri in ho-
mines odio flagrabant, cum ſolum in iis
vitium odiſſe, illos verò propter naturæ
cognationem diligere deberent. Hos corri-
git Dominus legis mentem explicans. *Ego*

Matth 5. v. 44.

*autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros:
benefacite his, qui oderunt vos: & orate
pro perſequentibus, & calumniantibus vos.*
Præceptum diligendi inimicos nos per Evan-

S. Ambroſius lib. de Joſeph. c. 2.
Tertullianus in Apologia.

gelium didiciſſe, S. Ambroſius ait: * Chri-
* ſtianus nullius eſt hoſtis (inquit Tertul-
* lianus.) Si inimicos jubemur diligere,
* quem habemus odiſſe? Si læſi vicem re-
* ferre prohibemur, ne de facto pares ſi-
* mus, quem poſſumus lædere? *Benefaci-*
* *te his, qui oderunt vos.* Non enim affe-
* ctu ſolo, ſed & re ipſa, opere & ve-
* ritate inimicos diligere debemus. * *Be-
nefacite* (id eſt) parati ſtote ad beneficien-
tiam in illos exercendam, oportunitate da-
ta, cum opere noſtro indigent, illiſque ſuc-
currere poſſumus.

355 Hinc alia detegitur Judæorum ſini-
ſtra traditio: cum enim legerent in lege:
Diliges amicum tuum ſicut te ipſum. Ego

Levitici 19. v. 18.

Dominus. Hoc præceptum ita reſtringebant,
ut alienigenis benefaciendum non putarent,
& ne communia quidem humanitatis offi-
cia illis exhiberent. Qua de re Juvenalis.

*Non monſtrare vias eadem niſi ſacra
colenti.*
*Quęſitum ad fontem ſolos deducere
verpos.*

Et Tacitus: Apud ipſos fides obſtinata, mi-
ſericordia in promptu; adverſus alios om-
nes hoſtile odium: Omnes ſcilicet officio-
rum partes ſe impleviſſe credebant; ſi iis
pręceptis paruiſſent, quibus ipſorum civi-
lis ſocietas continebatur: cùm tamen lex
Judaica naturalem non tolleret, quæ om-
nem hominem omni homni facit eſſe pro-
ximum, id eſt, non alienum, ſed neceſ-
ſitudine quadam conjunctum; ac proptereà
neminem eſſe docet, cui non data occa-
ſione benefacere debeamus. Hoc ipſum
Chriſtus docuit parabolà Samaritani, Judęo à
Latronibus ſpoliato, & vulnerato ſuccur-
rentis. In lege certè ipſa proximi nomine
quemvis hominem aliquando ſignificari cer-

Exodi 20. v. 16.

tum eſt; ut Exod. 20. *Non loqueris contra
proximum tuum falſum teſtimonium.* Di-
cit Proximum (inquit R. Kimki in Pſal. 15.)
non quòd liceat falſum teſtari adversùs
alium, ſed mos eſt talis loquendi Scrip-
turæ, quo per proximum intelligit eum,
cum quo negotium eſt. Atque ita Chriſtum D.
proximi nomen in lege poſitum intellexiſ-
ſe, nemo dubitaverit, cùm præceptum de
proximi dilectione recenſuit: *Diliges proxi-
mum tuum, ſicut te ipſum.* Sic intellexit

Matth. 22. v. 39.
Rom. 13. v. 8.

S. Paulus, dicens: *Nemini quidquam debea-
tis, niſi ut invicem diligatis: Qui enim di-
ligit proximum, legem implevit.*

356 Secundum argumentum nobis ſub-
miniſtrat Auguſtinus: Quia ſi lex vetus
præcepiſſet odio habere inimicos, occaſio-
nem inde arripuiſſent antiquæ legis antiqui
oſſores, legem illam calumniare, malam-
que fuiſſe obganire. Et quidèm ità præſtaſ-
ſe Manichæos, Auguſtinus ipſe contra fau-

S. Auguſt. lib. 19 contra Fauſtum c. 24. in Catena Aurea, Matthæi 5.

ſtum aliàs adductus ità memorat, & con-
futat: * Quæro autèm à Manichæis, cur
* proprium velint eſſe legis Moyſi, quod di-
* ctum eſt antiquis: Oderis inimicum tuum:
* An & Paulus non dixit homines quoſdam
* Deo odibiles? Quærendum eſt ergo quo-

Vitium, non perſonam inimici, odio habendum.

* modo intelligatur exemplo Dei (cui di-
* xit Paulus quoſdam odibiles) odio haben-
* dos inimicos; & rurſus exemplo Dei,
* qui facit Solem ſuum oriri ſuper bonos
* & malos, diligendos inimicos. Hæc ita-
* que regula eſt, qua & oderimus inimi-
* cum propter id quod in eo malum eſt
* (id eſt iniquitatem) & diligamus amicum
* propter id quod in eo bonum eſt (id eſt
* rationalem creaturam.) Audito igitur &
* non intellecto quod antiquis dictum erat,
* oderis inimicum tuum, ferebantur ho-
* mines in hominis odium, cum non de-
* berent odiſſe niſi vitium. Hos ergo cor-
* rigit Dominus, cùm ſubdit, ego autem
* dico vobis, diligite inimicos veſtros, ut
* qui jam dixerat, Non veni ſolvere le-
* gem, ſed implere, præcipiendo utique ut
* diligamus inimicos, cogeret nos intelli-
* gere quomodo poſſemus unum eundem-
* que hominem, & odiſſe propter culpam,
* & diligere propter naturam.

357 Tertiò firmatur aſſertio ratione hac
peremptoria: omnia etenim pręcepta mo-
ralia ſervanda, verbo docuit & exemplo
Chriſtus Dominus; nec aliter decem man-
data Decalogi dixiſſet implenda; cum ad il-
la reduci moralia omnia præcepta, jam pluri-

In Decalogo jam antiquitùs continebatur præceptum de dilectione inimicorum.

bus oſtenſum eſt Diſſert. 3. à n. 174. ex Aug.
Doct. ſi ergo pręcepta omnia moralia antiqui-
tùs data præcepit Chriſtus obſervanda, nulla
utique correxit. Argumentum hoc ità bre-
viter ex Divo Thoma propoſitum latiori
calamo exaratum prælibarunt antea Sancti
Patres, quos ita tranſcripſit Cardinalis Bel-

S. Clemens lib. 6. Conſt. Apoſt. c. 19. vel earum Auctor.

larminus. Clemens Romanus: * Cognoſ-
* citis (inquit) Deum per Chriſtum, uni-
* verſamque ejus diſpenſationem à principio
* inſtitutam, quòd dedit nobis legem ſim-
* plicem ad auxilium naturalis legis, pu-
ram,

* ram, ſalutarem, ſanctam, in qua & pro-
* prium nomen repoſuit, perfectam, abſo-
* lutam, decem præcepta continentem, re-
* prehenſione carentem, convertentem ani-

S. Auguſt. in lib. de Spir. & littera cap. 14. Lib. 10. contra Fauſt. c. 2.

* mas? Auguſtinus: In illis (inquit) de-
* cem præceptis, excepta Sabbati obſerva-
* tione dicatur mihi, quid non ſit obſer-
* vandum à Chriſtiano? Et infrà: Quid
* horum quiſquam dixerit, non debere
* ſervare Chriſtianum? Judæo dicenti mi-
* hi, cur tenes vetus Teſtamentum, cujus
* pręcepta non ſervas? Reſpondeo, ſerva-
* ri à Chriſtianis etiam ex ipſis libris præ-
* cepta vitę agendæ, pręcepta autem vitæ
* ſignificandę tunc rectè obſervata, cùm

Tract. 3. in Joã.

* prænuntiabantur, quę nunc revelata ſunt.
* Itèm: Illa (inquit) omnia (moralia præ-
* cepta) nobis magis præcipiuntur, & ob-
* ſervanda ſunt.

In Pſalm. 73. non procul ab initio.

358 Inſuper: * Si diſcernimus (inquit)
* duo Teſtamenta vetus, & novum, non
* ſunt eadem Sacramenta, non eadem pro-
* miſſa, non eadem; tamen pleraque præ-
* cepta. *Nam non occides. Non mæchabe-
ris. Non furaberis. Honora Patrem, &
Matrem. Non falſum teſtimonium dixeris.
Non concupiſces res proximi tui. Non con-
cupiſces uxorem proximi tui*, * & nobis
* dictum eſt, & quiſquis ea non obſerva-
* verit, deviat, nec omnibus omninò dig-
* nus eſt, qui aſcendere mereatur montem
* Sanctum Dei. Et infrà: Diſcuſſa ergo
* præcepta aut eadem omnia inveniuntur,
* aut vox aliqua in Evangelio, quæ non
* dicta ſint à Prophetis, præcepta eadem;
* Sacramenta non eadem. Accedit S. Leo

S. Leo Papa ſerm. 6. de Jejunio decimi menſis.

* inquiens: Ex ipſa Eccleſiaſtica devotione
* demonſtratur, quod Dominus Jeſus Chri-
* ſtus non venit legem ſolvere, ſed adimplere.
* Ceſſantibus enim ſignificationibus, quibus
* Salvatoris noſtri nuntiabatur adventus, &
* peractis figuris, quas abſtulit ipſa prę-
* ſentia veritatis, ea quæ vel ad regulas
* morum, vel ad ſimplicem Dei cultum
* ratio pietatis inſtituit, in eadem apud
* nos forma, in qua ſunt condita perſeve-
* rant; & quę utrique Teſtamento erant
* congrua, nulla ſunt commutatione va-
* riata. Idem S. Leo inquit: Sicut nemo

Serm. 14. de Paſsione Domini.

* eſt credentium, cui dona neganda ſint
* gratiæ; ità nemo eſt qui non ſit Chri-
* ſtianæ debitor diſciplinæ. Quia etſi remo-
* ta ſit myſticę legis aſperitas, voluntariæ
* tamen obſervantię crevit utilitas. Subjun-
* git ibidèm S. Leo: In præceptis morali-
* bus nulla prioris Teſtamenti decreta re-
* probata, ſed Evangelico miniſterio mul-
* ta ſunt aucta, ut perfectiora & lucidio-
* ra eſſent dantia ſalutem, quàm promit-
* tentia Salvatorem.

359 Jàm verò patentèr oſtendamus,
quantùm à veritate recedat Maldonatus,
debitaque in Patres & Sacros Interpretes
veneratione, in ſuis ſuprà recenſitis pronun-
tiatis. Quomodo enim affirmare potuit nul-
lum ex Antiquis præter Strabum, alioſque
modernos in noſtram abiiſſe interpretatio-

nem, ex Hæreticorum officina depromptam?
An non Auguſtinus, Gloſſa, aliique Patres
palàm agnoverunt: Legem antiquam re ip-
ſa odium inimicorum non præcepiſſe? Op-
poſitum indicare videntur (fateor) Chroma-
tius Epiſcopus Aquileienſis: *Jam dudum*

Chromatius ſer. 1. in cap. 5. Matth.
S. Chryſoſtomus Homil. 3. in eund. locum.

quidèm (ajebat) *in lege præceptum eſt; di-
liges amicos, & odies & inimicos.* Similia
tradere videtur Chryſoſtomus: *Nam du-
dùm in lege præceptum eſt: Diliges amicos,
& odies inimicos.* Verumtamen ſi attentè
inſpiciantur, ſatis indicant in ipſa lege
Moſaica, pręceptum de diligendis inimicis
quodammodo formatum fuiſſe. Loquentes
enim de hujuſmodi præceptis Evangelicis
erga inimicos; ſic uterque loquitur: *Hæc
autem Evangelicæ legis pręcepta, quæ nunc
ad ſalutem hominum data ſunt invenimus
per mandata legis in animalibus formata;
cum dicitur Exod.* 23. Si videris Bovem
inimici tui ſub onere ruiſſe, non pertran-
ſibis, ſed elevabis eum. *Utinam tunc in
lege Moyſi unuſquiſque in animalibus diſ-
ceret, quodcunque ſecundùm Evangelium fa-
cturus eſſet in homine.* Quinimò ſi Patres
aliqui legem antiquam præcepiſſe aſſerant
odium inimicorum; dumtaxat de odio er-
ga vitium, non erga perſonam loquuntur;
ut ſupra nos docuit Auguſtinus. Exponit
etiam deinde S. Bruno Signienſis Epiſco-

S. Bruno Sign. Epiſc. Expoſcit. in idem Evang.

pus: * Oppoſita enim ſibi ſunt: odio ha-
* bebis inimicum tuum, & diligite inimi-
* cos veſtros. Quod ità conciliat: Homo
* inimicus eſt, quia peccator: Amicus,
* quia homo. In uno igitur eodemque ho-
* mine & Amicum diligimus & odio ini-
* micum habemus. Quod ergo lex dicit,
* Diliges proximum tuum, naturam homi-
* nis intellige: quæ ideo tibi proxima eſt,
* quia de eadem maſſa factus es: quod
* verò ſequitur: Et odio habebis inimi-
* cum tuum, vitium intellige, quod eſt
* cauſa omnium inimicitiarum. Nullæ enim
* inter homines inimicitiæ eſſent, ſi hoc
* ſolum de eis ſublatum fuiſſet.

D. Thomas ibidèm in Comm.

360 Ad ſacros verò Interpretes quod
attinet, mirum eſt, qua conſenſione in præ-
dictam ierint expoſitionem. Agmen ducat An-
gelicus Doctor, Interpres non minùs quàm
Theologus inſignis. Ad verba enim illa:
Et odio habebis inimicum tuum, ita ſub-
jungit: „Iſtud nunquam invenitur in le-
„ge, ſed eſt additio ex parte Judæorum:
„putabant namque hoc fortè addendum
„ex multis quę in lege dicta ſunt. Indicat-
que ibi motiva ſupra à nobis relata. An-
gelico Scripturarum Interpreti de more
conſentit Hugo Cardinalis: * In toto cor-

Hugo Cardinalis, in eundem locum.

pore legis (inquit) non eſt ſcriptum hoc.
Vide ergo quia nomine legis hìc intelligi-
tur traditio Scribarum, qui totam legem ex-
poſuerunt. In quorum traditionibus di-
ctum eſt: *Odio habebitis inimicum*, quod

Expoſitionem D. Thomę Sacri Interpretes tradunt.

ideo viſum eſt eis addendum: quia Domi-
nus pręcepit inimicos perſequi. * In eo-

Cardinalis Cajetanus.

dem ſenſu exponit Cardinalis Cajetanus
ibidem. Cornelius Janſenius Gandavenſis

Franciſcus Lucas.

Epiſcopus. Franciſcus Lucas Brugenſis verba Matthæi ſic litteraliter exponens: * Poſterior iſta adverſativa pars, nuſquam in lege extat: verùm à Scribis ex priori, per eam argumentandi rationem, quam Ariſtoteles vocat *in ipſo*, collecta, & populo tradita fuit. * Accedunt etiam alii Interpretes poſterioris temporis, uti ſunt Sebaſtianus Barradas ad verba Matthæi, ea explicans imprimis juxtà ſenſum ſupra adductum Magni Auguſtini. Subjungens deindè cum Gloſſa à nobis antea citata. * Alii verò verba hæc in lege nuſquam ſcripta eſſe ajunt. Et verè quidèm: nullo enim Scripturæ loco reperiuntur. Eſt ergo Judæorum hæc gloſſa aliqua, & interpretatio. Ex verbis enim Levit.19. *Diliges amicum tuum*: & aliis Scripturæ locis inferebant; *habebis ergo odio inimicum*: ſed malè inferebant. * Cornelius à Lapide in prædictum locum, qui, adducto in oppoſitum Maldonato, Chriſtum legem ipſam correxiſſe affirmante, oſtendit, verba illa, *odio habebis inimicum*, non à lege dicta eſſe, ſed à Scribis legem interpretantibus conformiter ad ſupra dicta à nobis. Similiter P. Silveyra: * In hac re tenendum eſt (inquit) quod odium inimicorum nullo modo erat traditum à lege, ſed tantùm à Scribis, falsò legem interpretantibus. Ita docet hìc D. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, Beda, Rupertus lib.5. in Matth. Gloſſa ordinaria, Albertus Magnus, S.Thomas, Euſebius Emiſſenus homil. in hoc Evangelio, & D.Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 24. etiam hanc ſententiam tradit. *

Sebaſtianus Barradas.

Cornel. à Lapide; omnes in locum Matthæi.

Silveyra lib. 4. c.14.

361 Nec mirùm poſteriores Interpretes unanimi conſenſu ita exponant Antiquiores ſequuti Commentatores ſupra recenſitos, quibus addere poſſumus Alphonſum Salmeronium, inter primos Sancti Ignatii ſocios ordine quintum, Hereticorumque indefeſſum hoſtem, in Concilio Tridentino benè irradiantem. Hic namque dignè commendabilis Interpres, ſupponit in veteri Teſtamento nullibi inveniri legem odio proſequendi inimicum, plura deinde in hoc aſſumpto utiliter expendit. Ac tandem ut in re omnibus nota ampliùs non immoremur, unum pro multis Interpretibus in medium adducere ſat erit Alphonſum Toſtatum Hiſpanum, Doctorem Salmanticenſem, Epiſcopum Abulenſem, virum inter Baſileenſis Concilii Patres clareſcentem, in Divinis Scripturis peritiſsimum, in Mundi admirationem datum, propter viginti quinque volumina brevi tempore in lucem data, cum obierit anno ætatis ſuæ 40. Dignus certè ut de tanto viro olim dictum fuerit:

Alphonſus Salmeronius in eũdem locum.

Abulenſ. in locum Matth. q.143.

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.

Hic enim dignè commendatus Interpres, poſtquam diſtinctionem ex Auguſtino à nobis datam expendit de malitia odio habenda, non de perſona inimici, addit. * Aliter poteſt dici quod Scriptura non dixit hoc, ſcilicèt *odio habebis inimicum*: ſed dicitur dictum eſſe; quia hoc Judæi putabant ex Scriptura colligi, & ſic illa interpretabantur. Nam cum Deus juſſerit amicum diligi, putabant ex oppoſito, inimicum eſſe odio habendum. * Citat etiam D.Thom. & Gloſſam.

362 Hæc omnia data opera elucidaverat jam Sanctus Albertus Magnus in locum Matthæi: * Odio habebis inimicum tuum, * quod cum nunquam ſcriptum ſit in lege, * in ſuis traditionibus hoc poſſuerunt Di- * vinum eſſe præceptum: dicebant enim * *Rab. Vaſſe*, & *Rab. Joſue*, & *Rab. Joan-* * *na*, & alii Scribæ, quod Deus dedit du- * plicem legem; unam ſcriptam in lapidi- * bus, & aliam ſcriptam in cordibus ſapien- * tum: & in illa quæ ſcripta erat in cordi- * bus ſapientum, unum mandatum argue- * batur ex alio: & ſecundùm illam, quan- * do Dominus dixit, *Diliges proximum ap-* * *propinquantem tibi per amicitiam*, ex * conſequenti dixit *odio habebis inimicum*: * recedentem à te & elongantem per inimi- * citiam. Undè approximantem diligere, * opponitur elongantem ſe & longinquum * odire: quia ſi unum contrariorum eſt cau- * ſa contrarii per ſe, alterum contrarium * erit cauſa alterius contrarii etiam per ſe: * ſicut ſi album eſt cauſa diſgregativa viſûs, * nigrum erit cauſa congregativa ejuſdem: * ſunt enim contraria album & nigrum; & * contraria ſunt ſimiliter congregare viſum, * & diſgregare. Et ſic in lege ſapientum * dicunt eſſe, & tenebant, ac ſi ſcriptum * eſſet: *odio habebis inimicum*) Cùm tamen * Lev. 19. ſcriptum ſit: *Non quæras ultio-* * *nem, nec memor eris injuriæ civium tuo-* * *rum*. Et conſtat quòd ultio non quæritur * niſi de illis, qui inimica nobis agunt: * & illi ſunt inimici: & illi ſunt, quos vo- * camus inimicos nobis: qui (alias quia) * injuriam nobis inferunt: & ſic patet, quòd * nuſquam lex continebat de odio inimici. * Exod. 23. *Si videris aſinum odientis te* * *jacere ſub onere, non pertranſibis; ſed* * *ſublevabis cum eo*. Ex hoc accipitur, quòd * lex præcipit, quòd etiam inimicis bene- * faciamus. Hucuſque Mag. Albertus.

D.Albert.Magnus in loc. Matthæi.

363 Et tandem, ut ad Div. Thomam, undè digreſsimus calamum convertamus, ipſum in aſſumpto iterum ita loquentem tranſcribamus: ,, In veteri Lege, etiam ho- ,, mines tenebantur ad dilectionem inimi- ,, corum, ſicut patet per auctoritatem Levi- ,, tici inductam (*non quæras ultionem, nec me-* ,, *mineris injuriæ civium tuorum*) undè quod ,, dicitur, *odio habebis inimicum tuum*, non ,, eſt ex lege ſumptum: quia nuſquam hoc ,, in littera invenitur; ſed eſt additum ex ,, prava interpretatione Judæorum, qui ex ,, eo quòd præcipiebatur dilectio proximi, ,, concludebant, quòd inimici erant odien- ,, di. Circa odium inimicorum (alibi loqui- ,, tur) removit Chriſtus falſum Phariſæorum ,, intellectum, nos monens, ut perſona non ,, odio habeatur ſed culpa. Nec ſolum circa odium inimicorum correxit Chriſtus D.

D. Thom. in 3. diſt. 30. q. 1. ar. 1. ad 2.

1. 2. q. 107. ar. 2. ad 2.

fal-

falſum Judæorum intellectum, ſed in pluribus aliis, prout cum D. Thoma oſtenſum eſt, benèque adducit Cardinalis Bellarminus, quinque recenſens corruptelas Judæorum circa intelligentiam legis, quibus & ſextam nos addimus ex Div.Thoma. Ad illa namque verba: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum*, ſic habet doctiſsimus Purpuratus: * Explicat enim Dom. quid ſit, juſtitiam noſtram abundare pluſquam Scribarum & Phariſæorum, cùm dicit: Phariſæorum & Scribarum juſtitiam fuiſſe diligere amicos; non occidere; non mœchari; non pejerare: noſtram autem eſſe debere, diligere etiam inimicos, non iraſci ſine cauſa, non videre uxorem alienam ad concupiſcendum, non jurare omninò abſque neceſsitate. Addit deindè cap. ſequenti quinque quas diximus corruptelas, quibus addenda eſt quam Div. Thomas ita recenſet verbis ſupra adductis, hìc quoad ſenſum iterandis: ,, Phariſæi errabant circa ,, uſuras, erga extraneos permiſſas duntaxat in lege, quas juſtas eſſe intellige- ,, bant: & ideò Dom. prohibuit uſurarum ,, acceptionem.

Bellarminus lib. 4. cap. 2.

Cap. 3.

D.Thom. 1. 2. q. 105. art. 3. ad 3.

364 Reliquas corruptelas ſic colligit laudatus Bellarminus: Primùm depravabant Scribæ & Phariſæi præcepta graviſsima de homicidio & adulterio, docentes in ejuſmodi præceptis, actum externum ſolum eſſe prohibitum, non autem internum, niſi ſignis exterioribus proderetur. In quo errore fuit etiam Joſephus lib. 12. Antiquitatum, cap. 13. & David Kimki in Comment. Pſal. 66. v.17. exponens illud: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*; ut ſignificet, *non imputabit Dominus*. Adverſus ejuſmodi corruptelas, declarat Dominus legem, *non occides*, non ſolum manum, ſed etiam linguam, & animum cohibere; & legem, *non mœchaberis*, extendi uſque ad concupiſcentiam in ipſa mente conceptam. Deinde, Phariſæi depravabant legem de repudio; quòd enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitum dimiſerat, ipſi ut rem abſolutè juſtam proponebant. Dominus autem docuit, non licere uxorem dimittere, niſi cauſa fornicationis, & legem de libello repudii penitùs abrogavit. Tertiò, Phariſæi docebant, non eſſe pejerandum, tamen frequentare juramenta, etiam levi de cauſa, nullum peccatum eſſe dicebant. Contra Dominus jubet, non eſſe jurandum omninò, niſi (videlicet) ſubſit jurandi neceſsitas.

Judæorũ circa legis intelligentiam ſex corruptelę.

365 Quartò, corrumpebant Phariſæi legem illam talionis, *oculum pro oculo, dentem pro dente*. Nam cùm non adverterent eam legem conſtitutam fuiſſe ad juſtitiam conſervandam, non ad appetitum vindictæ ſaturandum, docebant licitum eſſe vindictam appetere. Dominus igitur monet, non eſſe appetendam vindictam, nec malum pro malo reddendum; ſed potius paratum eſſe debere hominem probum, ſi opus ſit, percutienti maxillam unam, præbere etiam alteram. Quintò, pervertebant Phariſæi primarium dilectionis præceptum: quoniam enim lex juſſerat, ut *hoſtes ſuos occiderent*, non odii cauſa ſed zelo juſtitiæ, qua, juſta bella interdum etiam à piis Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant: diligendos eſſe amicos, odio habendos inimicos. Dominus ergo graviſsimè admonet, diligendos eſſe inimicos, benefaciendum iis qui nos oderunt, orandum pro perſequentibus, & calumniantibus nos.

§. II.

Odium inimicorum in antiqua Lege præceptum non fuit.

366 EX his corruptelis, nihil eſt quod immoremur in actibus interioribus circa homicidium & adulterium; eos namque evidentèr prohibet natura ipſa. Imò de vindicta quæ ad odium inimicorum reducitur, non eſt etiam cur ſpecialem difficultatem inſtituamus reſolvendam. Quantum verò attinet ad frequentiam jusjurandi à Chriſto Domino contra Judæos reprobatam; ſatis erit attendere cum Angelico Doctore, inordinatum eſſe ſacroſanctum Dei nomen frequentèr, & ſine neceſsitate, etiam in confirmationem veritatis, aſſumere. Quia ſcilicèt eo utendum eſt tanquam medicina non per ſe appetenda. Indè ajebat Auguſtinus: * Præ- * ceptum Domini de prohibitione juramen- * ti ad hoc poſitum eſt, ut quantùm in te * eſt, non affectes, ut quaſi pro bono cum * aliqua delectatione appetas jusjurandum. Meritò igitur addit Div. Thomas: ,, Sicut ,, medicina eſt utilis ad ſanandum, & ta- ,, men quantò magis eſt virtuoſior, tantò ,, majus nocumentum inducit, ſi non debi- ,, tè ſumatur: ita etiam juramentum utile ,, quidem eſt ad confirmationem, tamen ,, quantò eſt magis venerandum, tantò eſt ,, magis periculoſum, niſi debitè inducatur: ,, quia ut dicitur Eccleſ.23. *Si fruſtraverit*, ,, id eſt, deceperit fratrem, *delictum illius* ,, *ſuper ipſum erit. Et ſi diſsimulaverit*, ,, quaſi per ſimulationem jurando falſum, ,, *delinquit dupliciter*: quia ſcilicet, ſimu- ,, lata æquitas eſt duplex iniquitas. *Et ſi* ,, *in vacuum juraverit*, id eſt, ſine debita ,, cauſa, & neceſsitate, *non juſtificabitur*. Et omnium rationem aſsignat Div. Thomas in corpore articuli inquiens. ,, Reſpondeo ,, dicendum, quòd id quod non quæritur, ,, niſi ad ſubveniendum infirmitati vel de- ,, fectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt ,, per ſe appetenda, ſed inter ea quæ ſunt ,, neceſſaria: ſicut patet de medicina, quæ ,, quæritur ad ſubveniendum infirmitati. Ju- ,, ramentum autem quæritur ad ſubvenien- ,, dum alicui defectui, quo ſcilicet unus ho-

S.Auguſt.lib.de mendac.c.15.

D.Thom. 2. 2. q. 89. ar.5. ad 3.

Qualiter appetendum & ponendum ſit juramentum.

In corpor.art.

mo

,, mo alteri diſcredit. Et ideò juramentum
,, non eſt habendum inter ea quæ ſunt per
,, ſe appetenda, ſed inter ea quæ ſunt huic
,, vitæ neceſſaria, quibus indebitè utitur,
,, quicunque eis utitur ultra terminos ne-
,, ceſsitatis. Unde Auguſtinus dicit. in lib.
,, de ſerm. Dom. in monte : *Qui intelligit*
,, *non in bonis*, id eſt per ſe appetendis, *ſed*
,, *in neceſſariis jurationem habendam*; *re-*
,, *frenet ſe quantùm poteſt*, *ut non eâ uta-*
,, *tur, niſi neceſsitas cogat.* Jam igitur quan-
tùm ad difficultatem propoſitam ſit.

367 Aſſerendum eſt ſecundò : Ad diligendum inimicos omni lege tenentur homines : unde nunquam in præcepto fuit inimicorum odium. Hoc namque de neceſsitate inſpirat charitas, cujus natura pro temporum varietate non mutatur ; quamvis ſpecialia dilectionis ſigna erga inimicos non præcipiat, niſi in animi præparatione. Utrunque per ordinem mirificè ſtatuit Dr. Angelicus. Sic enim habet quantùm ad primum.

D.Thom. 2. 2. q. 25. ar. 8. in corp.

,, Reſpondeo dicendum, quòd dile-
,, ctio inimicorum tripliciter poteſt conſi-
,, derari : Uno modo, ut inimici diligantur,
,, inquantum ſunt inimici, & hoc eſt per-
,, verſum, & charitati repugnans, quia hoc
,, eſt diligere malum alterius. Alio modo po-
,, teſt accipi dilectio inimicorum, quantùm ad
,, naturam, ſcilicet in univerſali, & ſic dilectio
,, inimicorum eſt de neceſsitate charitatis,
,, ut ſcilicet aliquis diligens Deum & pro-
,, ximum, ab illa generalitate dilectionis
,, proximi inimicos ſuos non excludat. Ter-
,, tio modo poteſt conſiderari dilectio ini-
,, micorum in ſpeciali, ut ſcilicet aliquis in
,, ſpeciali moveatur motu dilectionis ad ini-
,, micum. Et iſtud non eſt de neceſsitate
,, charitatis abſolutè : quia nec etiam move-
,, ri motu dilectionis in ſpeciali ad quosli-
,, bet homines ſingulariter, eſt de neceſsita-
,, te charitatis, quia hoc eſſet impoſsibile.
,, Eſt tamen de neceſsitate charitatis ſecun-
,, dùm præparationem animi, ut ſcilicet ho-
,, mo habeat animum paratum, ad hoc,
,, quod in ſingulari inimicum diligeret, ſi
,, neceſsitas occurreret. Sed quòd abſque
,, articulo neceſsitatis homo etiam hoc actu
,, impleat, ut diligat inimicum propter
,, Deum, hoc pertinet ad perfectionem cha-
,, ritatis. Cum enim ex charitate diligatur
,, proximus propter Deum, quantò aliquis
,, magis diligit Deum, tantò etiam magis ad
,, proximum dilectionem oſtendit, nulla ini-
,, micitia impediente. Sicut ſi aliquis mul-
,, tùm diligeret aliquem hominem, amore
,, ipſius filios ejus amaret, etiam inimicos
,, ſibi.

Diligere inimicos, præcipit charitas.

368 Secundùm autem ita ſtatuit articulo ſequenti :

Ibid. art. 9. in corp.

,, Reſpondeo dicendum, quòd
,, effectus, & ſigna charitatis ex interiori di-
,, lectione procedunt, & ei proporcionan-
,, tur. Dilectio autem interior ad inimicum
,, in communi quidèm eſt de neceſsitate
,, præcepti abſolutè; in ſpeciali autem eſt
,, non abſolutè, ſed ſecundùm præparatio-
,, nem animi, ut ſupra dictum eſt. Sic ergo
,, dicendum eſt de effectu, & ſigno dilectio-
,, nis exterius exhibendo. Sunt enim quæ-
,, dam ſigna, vel beneficia dilectionis, quæ
,, exhibentur proximis in communi, puta,
,, cùm aliquis orat pro omnibus fidelibus,
,, vel pro toto populo; aut cùm aliquod
,, beneficium impendit aliquis toti commu-
,, nitati : & talia beneficia, vel dilectionis
,, ſigna inimicis exhibere eſt de neceſsitate
,, pręcepti. Si enim non exhiberentur ini-
,, micis, hoc pertineret ad livorem vindi-
,, dictæ, contra id quod dicitur Levit. 19.
,, *Non queres ultionem*, *& non eris memor*
,, *injuriæ civium tuorum.* Alia verò ſunt
,, beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis
,, exhibet particularitèr aliquibus perſonis.
,, Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna ini-
,, micis exhibere non eſt de neceſsitate ſalu-
,, tis, niſi ſecundùm præparationem animi,
,, ut ſcilicèt ſubveniatur eis in articulo ne-
,, ceſsitatis, ſecundùm illud Proverb. 25. *Si*
,, *eſurierit inimicus tuus*, *ciba illum* : *ſi ſi-*
,, *tit*, *da illi potum.* Sed quod præter ar-
,, ticulum neceſsitatis hujuſmodi beneficia
,, aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad per-
,, fectionem charitatis, per quam aliquis
,, non ſolùm cavet in bono vinci à malo,
,, quòd neceſsitatis eſt, ſed etiam vult in
,, bono vincere malum, quod eſt etiam per-
,, fectionis : dùm ſcilicèt non ſolùm cavet
,, propter injuriam ſibi illatam pertrahi ad
,, odium, ſed etiam propter ſua beneficia
,, intendit inimicum pertrahere ad ſuum
,, amorem.

Cõmunia dilectionis ſigna inimicis exhibenda in re; ſpecialia autem in animi præparatione.

369 Alias ſubjicit rationes Sanct. Doct. quibus ex ipſa charitatis natura præceptum derivatur inimicos diligendi : Charitas (inquit) attendit in homine imaginem Dei, ſecundùm quam poſsibiles ſunt ad communicandum nobiſcum in vita gratiæ. Sed hoc invenitur in inimicis : ergo tenemur diligere inimicos ex charitate. Præterea ſic ferè ad litteram arguit ibidem : Hominem diligere tenemur ſecundùm quod aliquam nobiſcum communicationem habet; ſed inimicus habet quandam nobiſcum communicationem in natura, ſecundùm quam eſt poſsibilis ad communicandum nobiſcum in divina vita : ergo eum debemus diligere, in his quæ pertinent ad naturam ſuam, & ad gratiam habendam. Addit tamen Sanct. Doct.

D. Thom. in 3. diſt. 30. q. 1. a. 1. in ſed cont.

In corp. artic.

,, Sed inimicitiam ſuam quam adver-
,, sùs nos habet, non debemus diligere, quia
,, ſecundùm eam nobiſcum non communi-
,, cat, nec etiam ſibi ipſi, ſed magis con-
,, trariatur : ſicut etiam de aliis peccatis di-
,, ctum eſt. Hæc omnia mirificè complecti-
tur, & expendit Sanct. Doct. hac diſſerendi ratione.

Quæſt. unic. de charit. art. 8. in corpor.

,, Reſpondeo dicendum : quòd
,, diligere inimicos aliquo modo cadit ſub
,, neceſsitate præcepti, & aliquo modo ſub
,, conſilii perfectione. Ad cujus evidentiam,
,, ſciendum eſt, quòd ſicut ſuprà dictum eſt,
,, proprium, & per ſe objectum charitatis
,, eſt Deus, & quidquid ex charitate diligi-
,, tur, ea ratione diligitur, qua ad Deum
,, pertinet. Sicut ſi diligimus aliquem homi-

Inimicos, non tamen contra nos inimicitiam diligere debemus.

nem,

,, nem, diligimus per conſequens omnes ei
,, attinentes, etiam ſi ſint nobis inimici.
,, Conſtat autem, quòd omnes homines ad
,, Deum pertinent, inquantùm ſunt ab ip-
,, ſo creati, & capaces beatitudinis, quæ in
,, fruitione ipſius conſiſtit. Manifeſtum eſt
,, ergo, quòd iſta ratio dilectionis, quam
,, reſpicit charitas, in omnibus hominibus
,, invenitur. Sic ergo in eo, qui contra nos
,, inimicitiam exercet, eſt duo invenire.
,, Unum, quod eſt ratio dilectionis, ſcilicet
,, quod ad Deum pertinet, & aliud, quod
,, eſt ratio odii, ſcilicèt, quod nobis adver-
,, ſatur. In quocunque autem invenitur ra-
,, tio dilectionis, & ratio odii, ſi prætermiſ-
,, ſa dilectione in odium convertamur : ma-
,, nifeſtum eſt, quòd id, quod eſt ratio odii
,, pręponderat in corde noſtro, eo quod eſt
,, ratio dilectionis, ſic ergo ſi aliquis inimi-
,, cum ſuum odio habeat, inimicitia illius
,, præponderat in corde ſuo amore divino.
,, Magis ergo odit amicitiam illius, quàm
,, diligat Deum. Tantùm autem odimus ali-
,, quid quantùm diligimus bonum quod no-
,, bis per inimicum ſubtrahitur. Relinqui-
,, tur ergo quòd quicunque inimicum odit,
,, aliquod bonum creatum diligit pluſquam
,, Deum, quod eſt contra pręceptum charita-
,, tis. Habere igitur odio inimicum, eſt
,, contrarium charitati. Undè neceſſe eſt
,, quòd ſi ex pręcepto charitatis tenemur,
,, quòd dilectio Dei pręponderet in nobis
,, dilectioni cujuslibet alterius rei : & per
,, conſequens odio contrarii. Sequitur ergo
,, quòd ex neceſsitate præcepti teneamur di-
,, ligere inimicos.

370 Subjungit deindè poſt pauca, circa ſpecialem dilectionem ad inimicos :
,, Ex
,, quo patet, quòd non tenemur ex charita-
,, tis præcepto, ut dilectionis affectu, vel ope-
,, ris effectu moveamur in ſpeciali ad eum,
,, qui nulla alia conſtrictione nobis conjun-
,, gitur : niſi fortè pro loco & tempore, ut-
,, potè ſi videremus eum in aliqua neceſsi-
,, tate, per quam ſine nobis ei ſuccurri non
,, poſſet, tenemur tamen affectu, & effectu
,, charitatis, quo omnes proximos diligi-
,, mus, & pro omnibus oramus : non exclu-
,, dere etiam illos, qui nulla nobis ſpeciali
,, conſtrictione conjuguntur, ut puta, illos
,, qui ſunt in India, vel Æthiopia. Cùm
,, etiam ad inimicum nulla alia unio nobis
,, remaneat, niſi ſola unio charitatis, ex
,, neceſsitate pręcepti tenemur diligere eos
,, in communi, & affectu, & effectu, & in
,, ſpeciali quando neceſsitatis articulus im-
,, mineret. Sed quod homo ſpecialem affe-
,, ctum, & effectum dilectionis, quem ad
,, alios ſibi conjunctos impedit, inimicis ex-
,, hibeat propter Deum, hoc perfectę cha-
,, ritatis eſt, & ſub conſilio cadit. Ex per-
,, fectione enim charitatis procedit quòd
,, ſola charitas ſic moveat ad inimicum, ſi-
,, cut ad amicum movet, & charitas, &
,, ſpecialis dilectio. Manifeſtum eſt autem,
,, quòd ex perfectione activæ virtutis pro-
,, cedit, quòd actio agentis ad remota pro-
,, cedat. Perfectior enim eſt ignis virtus,
,, per quam non ſolùm propinqua, ſed re-
,, mota caleſiunt. Ita & perfectior eſt chari-
,, tas, per quam non ſolum ad propinquos,
,, ſed etiam ad extraneos, & ulteriùs ad ini-
,, micos, non ſolùm generalitèr, ſed etiam
,, ſpecialiter, & diligendo, & benefaciendo
,, movemur. Eandem doctrinam expreſsiori adhuc ſtylo tradit Div. Thom. Commentario in Apoſtolum ad verba illa : *Benedicite perſequentibus vos.*

Rom. 12. v. 14.
D. Thom. ibid. lect. 3.

371 Angelico Doctori præluxerunt SS. PP. communiter, dilectionem illam natura præcipiente agnoſcentes. *Non aliud Chriſtus* (ajebat Tertullianus) *in omnes præcepit, quàm quòd creator in fratres : ita Creator, & ſecundùm naturæ ordinem, primùm in proximos docuit benignitatem emiſſuram, eam poſtea & in extraneos, & ſecundùm rationem diſpoſitionis ſuæ, primò in Judęos, poſtea in omne hominum genus.* Fratres namque inimicos homines, etſi perverſos, vocare debet & amore proſequi homo, juxta illud ejuſdem Tertulliani ad Gentiles & Paganos : *Fratres autem etiam veſtri ſumus jure naturæ matris unius, & ſi vos parum homines; quia mali fratres.* Hac de re ſubtilitèr Auguſtinus adnotavit; quod S. Joannes, dùm fraternam charitatem commendavit, etiam inimicorum dilectionem intimavit; ſic enim habet : *In eo etiam quod diligitis inimicos, fratres diligitis* : Quia non debemus fratres diligere, id eſt, optare temporalia bona, quæ fortè non congruunt; ſed ut ſint fratres habentes vitam æternam nobiſcum. Et ſubjungit S. Parens : *Si ergo hoc optas cùm diligis inimicum, ut ſit frater tuus : cum eum diligis, fratrem diligis; non enim amas in illo quod eſt, ſed quod vis ut ſit.* Hoc explicat S. Parens exemplo Fabri, qui lignum de ſylva non dolatum adamavit; non ad hoc ut ſemper ſic maneat, ſed adamavit, quod indè facturus eſt. Tandem cum homo rationalis ad imaginem Dei factus ſit ad illum pro poſſe imitandum, natura ipſa inclinat : ſicut ergo Pater Cęleſtis : *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos* : Ita rationalis homo communem ad bonos & malos amorem & beneficentiam, natura inſpirante, impendere debet. Meritò igitur concludere habemus cum S. Baſilio : *Odium inimicorum eſſe ab intrinſeco malum.*

Tertullian. lib. 4. contr. Marc. cap. 16.

Dilectionem inimicorũ, natura præcipiẽte agnoverunt SS.PP.

In Apologetic. cap. 39.

S. Auguſt. tract. 8. in Epiſt. S. Joann.

Matth. 5. v. 45.

S. Baſil. in regul. brevio. reſp. 176.

372 Hæc cum ita ſint, mirari ſubiit quomodo à viris alioquin doctis, odium inimicorum reipſa fuiſſe pręceptum potuerit opinari : cùm per oppoſitum iterata antiquæ Legis teſtimonia odium illud prohibuerint. Ea teſtimonia adducit D. Thomas diverſis locis, & à nobis ita expenduntur. Dicitur enim in Exodo : *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum : Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Quis credat Deum has exiguas officiorum minutias in favorem inimici pręcepiſſe, & ſimul odium perſonæ ſtatuiſſe? Pluriſnè eſt

D. Thom. quæſt. unica de charitat. ar. 8.

In 3. diſt. 30. q. 1. ar. 1.

apud

apud Deum bos errans, aut aſinus laſſus homine ſui imagine & creaturarum principe? Sed clariùs adhuc: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit da ei aquam bibere, prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Ex quibus deſumpſit Magnus Apoſtolus id, quod magnificè eiſdem ferè verbis prędicavit, Romanorum 12. v. 20. & 21. conformiter ad illud Eccleſiaſtici: *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam.* Cui conſonat illud Deuter. *Mea eſt ultio, & ego retribuam.* Denique omiſsis aliis locis, à S. Job dicitur: *Quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſsimum: ſi gaviſſus ſum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi, quòd inveniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Quibus verbis effugium Maldonati ajentis prohiberi ſolum Judæis inimicitias gerere cum confratribus legem Moyſis profitentibus; hoc, inquam effugium evaneſcit: adductis enim teſtimoniis indiſcriminatìm, & abſque ulla gentis diſtinctione inimicorum odium apertiſsimè prohibetur.

Exod. 23. v. 4. & 5.
Proverb. 24. & 25.
Eccleſiaſt. 28. v. 1.
Deuteron. 32. v. 35.
Job 31. à v. 28.

OBJECTA DISSOLUTA.

D. Thom. 2. 2. q. 25. ar. 8.

373 Unaquęque res (arguit in oppoſitum D. Thomas) etiam irrationalis, naturaliter odiit ſuum contrarium, ſicut ovis Lupum, & aqua ignem: ergo charitas non facit, (& multò minus præcipit) quod inimici diligantur. Idem argumentum proponit S. Dr. in Sententiariis ſub hac formaliori methodo: Natura non inclinat in aliquod contrarium charitati: ſed omnis natura inclinat in deteſtationem contrarii. Cum ergo inimicus inquantùm hujuſmodi ſit contrarius nobis, videtur quòd non teneamur ex charitate inimicos diligere. Reſpondetur tamen cum Sancto Doctore diſtinguendo conſequens: non facit quòd inimici inquantum inimici diligantur, verum eſt: inquantum homines, nego conſequentiam. ,, Natura enim (inquit D. Thomas loco Sent.) inclinat ad odiendum inimicum, ,, non inquantùm eſt ſimilis ſecundùm convenientiam in natura, aut in perceptibilitate gratiæ, ſed inquantùm eſt diſsimilis, id eſt inimicitias exercens, quod ,, ſummoopère diſplicere debet. Undè hæc ſuperaddita conditio, non debet tollere inclinationem naturę quam perficit charitas. Secus autem eſt de illis quæ habent contrarietatem ex ſua natura, ſicut ignis & aqua, lupus & ovis, ait Div. Thomas in qq. diſputatis. Sed audiatur S. Doctor in ſumma Theologica: ,, Ad ſecundum dicendum, ,, quod unaquęque res naturaliter odio habet id, quod eſt ſibi contrarium, inquantùm eſt ſibi contrarium: inimici autem ,, ſunt nobis contrarii, inquantùm ſunt ,, inimici. Undè hoc debemus in eis odio ,, habere. Debet enim nobis diſplicere, quòd ,, nobis inimici ſunt: non autem nobis ſunt ,, contrarii, inquantùm homines ſunt, & ,, & beatitudinis capaces, & ſecundùm hoc ,, debemus eos diligere. Indè diſſolvitur ,, tertium argumentum ita propoſitum: *Charitas non agit perperam:* ,, Sed hoc videtur perverſum, quòd aliquis diligat inimicos, ſicut & quòd aliquis odio habeat ,, amicos. Undè 2. Regum 19. exprobando dicit Joab. ad David: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te:* Ergo charitas non facit ut inimici diligantur. Reſpondet tamen ad tertium dicendum: Quod diligere inimicos, inquantùm ſunt inimici, hoc eſt vituperabile, ,, & hoc non facit charitas, ut dictum eſt ,, in corpore articuli.

In 3. diſt. 30. q. 1. ar. 1.
Quæſt. unica dè charitat. ar. 8. ad 7.
Solut. ad 2. ut ſupra.
Solut. ad 2. q. 25. ut ſupr.
Solut. ad 3.

374 Secundùm ità opponere poſſumus argumentum: ,, Charitas (arguit in adverſum D. Thomas) facit voluntatem hominis voluntati divinæ conformari: ſed ,, Deus odit aliquos, ſicut dicitur Malachiæ 1. *Eſau odio habui*: ergo licet inimicos odio habere. Hujus exemplum habetur in Propheta Regio de ſe ipſo affirmante, quòd *perfectò odio oderat inimicos*, inquàm Dei. Idem argumentum ,, ità proponit in quæſtionibus diſputatis: ,, Perfectio charitatis, & cujuſlibet virtutis ,, conſiſtit in aſsimilatione ad Deum. Sed ,, Deus amicos diligit, & inimicos odit ſecundum illud Malach. 1. *Jacob dilexi, Eſau odio habui*: ego non eſt de perfectione charitatis quòd aliquis diligat inimicos, ſed magis quòd eos odio habeat. Reſpondetur tamen imprimis diſtinguendo minorem: Deus odit aliquos volens illis malum culpę, quod ſolum permittit, nego minorem: volens malum pœnæ inquantum eſt juſtum, concedo. Vel aliter: odit aliquos inquantùm ſunt ei inimici per culpam concedo, conformiter ad ſolutionem præcedentis argumenti. Undè David *non odiebat in eis quos perfectò odio oderat, niſi peccatum.* Concludit D. Thomas. Hoc ipſum formaliùs explicat, dùm in qq. diſput. inquit: ,, Ad octavum dicendum, quòd Deus non odit in aliquo, ,, quod ſuum eſt, ſcilicet bonum naturale, ,, vel quodcunque aliud, ſed ſolum illud ,, quod ſuum non eſt, ſcilicet peccatum. ,, Et ſic etiam nos in hominibus debemus ,, diligere, quod Dei eſt, & odire quod ,, eſt alienum à Deo. Et ſecundum hoc dicitur in Pſal. *perfecto odio oderam illos.*

Loco Sentent.
Pſal. 138. v. 22. ubi ſupr. arg. 8.
Quæſt. citat. de charit. ſol. ad 8.

375 Tandem & quidem nervoſius opponit argumentum Doctor Angelicus art. citato ſentent. ſed præſertim in quęſt. illa de charitate, ex iteratis imprecationibus contra inimicos & adverſarios, ut in Scriptura frequenter apparet: ,, Imprecari ,, mala (verba ſunt D. Thomæ) præcipuè ,, damnationis ęternæ opponitur dilectioni, ,, & quantùm ad affectum, & quantum ad ,, effectum; ſed Prophetæ imprecati ſunt ,, mala ſuis adverſariis. Dicitur enim in ,, Pſalm. *Deleantur de libro viventium, &c.*

In art. 8. loco Sent.
In quæſt. de charit. art. 8. arg. 15.

,, Et

,, Et iterum: *Veniat mors ſuper illos, & ,, deſcendant in infernum viventes*: ergo ,, diligere inimicos non eſt de perfectione, ,, (imò nec de præcepto) charitatis. Sive ut in aſſumpto loquamur, odium inimicorum in antiqua lege videtur præceptum. Idem argumentum indicat S. Doctor tùm in opuſculo 7. circa dilectionem proximi cap. 3. ,, Inſuper Comment. in Paulum ,, poſtquam exponit verba illa: *Benedicite ,, perſequentibus vos: benedicite, & nolite ,, maledicere.* Undè aſſertionem noſtram ,, maximè firmat, ſubjungit: ſed contra ,, hoc videtur eſſe, quòd in Sacra Scriptura plures maledictiones inveniuntur, dicitur Deut. 27. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos ,, opere perficit.*

D. Thomas opuſculo 7. Lect. 3. in c. 12. ad Roman.

376 Argumentum hoc, poſtea cum Doctore Angelico diſſolvendum, pręluxit jam in Auguſtino ad verba ſępè laudata Matthęi 5. hæc habente: * Oritur hic ſanè * nullo modo diſsimulanda quæſtio, quòd * huic pręcepto D. quo nos hortamur diligere inimicos noſtros, & benefacere * his, qui nos oderunt, & orare pro his, * qui nos perſequuntur; multæ aliæ ſcripturarum partes minùs diligenter, & ſobriè conſiderantibus videntur adverſæ: * quia & in Prophetis inveniuntur multæ * imprecationes adversùs inimicos, quæ maledictiones putantur, ut eſt illud: Fiat * menſa eorum in laqueum: & cætera, quæ * ibi dicuntur: Et illud; fiant filii ejus * pupilli, & uxor ejus vidua. Et alia quæ * vel ſupra vel infra in eodem Pſalmo in * perſonam Judæ per Prophetam dicuntur. * Multa alia uſquequaque in ſcripturis reperiuntur, quæ videntur eſſe contraria, * & huic pręcepto Domini, & illi Apoſtolico, quo ait: Benedicite, & nolite maledicere: Cùm & de Domino ſcriptum * ſit quòd maledixerit civitatibus, quæ verbum ejus non acceperunt: Et memoratus Apoſtolus, de quodam ita dixerit: * Reddet illi Dominus ſecundùm opera * illius. Sed hæc facilè ſolvuntur, quia & * Propheta per imprecationem, quod eſſet * futurum cecinit, non optantis voto, ſed * ſpiritu prævidentis: ita & Dominus, ita * & Apoſtolus: quamquàm in horum etiam * verbis non hoc invenitur, quod optaverint, ſed quod prędixerint. Non enim * cùm ait Dominus: Væ tibi Capharnaum; * aliud ſonat, niſi aliquid ei malè eventurum merito infidelitatis: quod futurum * Dominus non malevolentia optabat, ſed * divinitate cernebat. Et Apoſtolus non * ait, reddat: ſed, reddet illi Dominus * juxta opera ejus: quod verbum prænuntiantis eſt, non imprecantis. Sicut & de * illa hypocriſi Judęorum, de qua jam dictum eſt, cui everſionem imminere cernebat, dixit: Percutiet te Deus, paries * dealbate. Prophetæ autem maximè ſolent * figura imprecantis futura prędicere, ſicut * figura præteriti temporis, ea quę ventura erant ſæpè cecinerunt: ſicut eſt illud: * Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Non enim dixit, quare frement gentes, & populi meditabuntur inania: cùm ea non quaſi jam tranſacta meminiſſet, ſed ventura proſpiceret. Tale etiam illud eſt, Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam * miſerunt ſortem: & hic enim non dixit, * divident ſibi veſtimenta mea, & ſuper * veſtem meam mittent ſortem. Nec tamen de iis verbis quiſquam calumniatur, * niſi qui non ſentit varietatem iſtam figurarum in loquendo, nihil veritati rerum minuere, & plurimum afferre affectibus animarum. Hucuſque Auguſtinus.

S. Auguſtinus lib. 1. ſermon. Dominic. in monte cap. 21. apud P. Combefis in feriam 6. poſt Cineres.

Antiquæ Prophetarum imprecationes, quo ſenſu intelligendæ.

Actor. 23. v. 3.
Pſal. 2. v. 1.
Pſal. 21. v. 19.

377 Conformiter igitur ad hanc Auguſtini doctrinam, argumento ſibi oppoſito reſpondet Doctor Angelicus: tùm in loco Sententiarum, & in Opuſculo citato. Inſuper quęſtione citata de charitate, ex cujus doctrina dicimus: quod imprecari mala inquantùm mala, opponitur charitati, non autem imprecari mala ut conducunt ad majus bonum; & hoc modo imprecationes illę inveniuntur in Scriptura Sacra. Quandoque etiam ut docuit nos Auguſtinus, imprecationes illæ ſunt quædam prænuntiationes, ut etiam notat hìc Divus Thomas. Primum magis explicat in laudato opuſculo inquiens: ,, Sciendum etiam, quod homo aliquando ſine peccato poteſt malum ,, facere, quando ſcilicet ſic facit malum; ,, ut velit bonum: quia & Deus ſic facit. ,, Sicut cùm homo infirmatur convertitur ad ,, bonum, qui in ſanitate erat malus:: Item ,, ſi deſideras malum Tyranni deſtruentis Eccleſiam, inquantùm deſideras bonum Eccleſię per deſtructionem Tyranni; undè 2. Machab. 1. *Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.* Sed audiatur tandem Doct. Sanctus loco citato ad Romanos ubi præjactam oppoſitionem dilucidè ſolvit, inquiens: ,, Ad quod dicendum eſt, quod maledicere, eſt malum dicere, ,, quod quidem tripliciter contingit, ſicut ,, & benedicere, ſcilicet enunciando, imperando, & optando: Et ſecundùm quodlibet horum modorum poteſt bene, & ,, malè fieri. Si enim id quod eſt materialiter malum, dicatur malum quodlibet ,, prædictorum modorum ſub ratione boni, ,, non eſt illicitum: quia hoc eſt magis benedicere quàm maledicere: unũquodque enim ,, magis indicatur ſecundùm ſuam formam, ,, quàm ſecundùm ſuam materiam. Si vero ,, aliquis dicat malum ſub ratione mali, formaliter maledicit: unde eſt omnino illicitum. Utrunque autem horum contingit ,, in hoc quod aliquis enunciando malum ,, profert: quandoque enim aliquis enunciat malum alicujus ad notificandum neceſſariam veritatem: & ſic dicit malum ,, ſub ratione veri neceſſarii quod eſt bonum: unde eſt licitum: & hoc modo ,, Job 3. *maledixit diei ſuę*, enuncians malitiam præſentis vitæ; ſicut Apoſtolus di-

2. Machab. 1. v. 17.
D. Thomas lect. 3. in locum Epiſt. ad Rom.

cit

,, cit Epheſior. 5. *Redimentes tempus, quo-*
,, *niam dies mali ſunt*: Quandoque autem
,, aliquis enunciat malum alterius ſub ratio-
,, ne mali, ſcilicet intentione detrahendi:
,, & hoc eſt illicitum: Dicitur enim 1. Co-
,, rinth.6. *Neque maledici, neque rapaces*
,, *Regnum Dei poſſidebunt*. Similiter etiam
,, in eo quod quis dicit malum imperando,
,, contingit quandoque, quòd aliquis dicit
,, id quod eſt materialitèr malum ſub ra-
,, tione boni, puta cum ex imperio alicu-
,, jus provenit alicui malum pœnę propter
,, juſtitiam, quod quidem eſt licitum: Et hoc
,, modo tranſgreſſores legis maledicuntur,
,, id eſt, pœnæ ſecundùm juſtitiam deputan-
,, tur: quandoque verò aliquis imperando
,, dicit malum alterius injuſtè, puta prop-
,, ter odium & vindictam: & talis maledi-
,, dictio eſt illicita, Exodi 21. *Qui maledi-*
,, *xerit patri vel matri morte moriatur*. Et
,, id eſt etiam circa id quod aliquis dixit
,, malum optando: ſi enim hoc optet ſub
,, ratione boni, puta, ut per adverſitatem
,, alicujus proveniat ad ſpiritualem profe-
,, ctum, hoc licitum eſt, Job 5. *Vidi ſtul-*
,, *tum firma radice, & maledixi pulchri-*
,, *tudini ejus ſtatim* (ſi vero hoc homo fa-
,, ciat) propter odium, vel vindictam, eſt
,, omninò illicitum 1. Regum 17. *Maledi-*
,, *xit Philiſtęus David in diis ſuis.*

378 Nec eſt, quod opponant adverſan-
tes teſtimonia antiqui fœderis, quibus prę-
cipiſſe Deus Judęis dicitur (ſed per ordi-
nem dumtaxat ad quaſdam gentes) delere
inimicos: explicata enim ſunt jam, quate-
nùs Judæi aſſumpti fuerunt à Deo ad pu-
niendas gentes illas propter ſua antiquo-
renovata ſcelera. Sicut etiam nunc temporis,
& in lege etiam Evangelica licet, imò &,
à Deo præceptum eſt, publica poteſtate ma-
lefactores interimere. Indè D. Thom. quæſt.
citata de charitate inquit pro ſua angelica
dexteritate. ,, Ad decimum dicendum, quòd
,, licitè poteſt ille, ad quem ex officio per-
,, tinet, malefactores punire, vel etiam oc-
,, cidere, eos ex charitate diligendo. Dicit
,, enim Gregorius in quadam homilia, quòd
,, *juſti perſequutionem cōmovent, ſed aman-*
,, *tes, quia ſi foris increpationes per diſcipli-*
,, *nam exaggerant, intùs tamen dulcedinem*
,, *per charitatem ſervant*. Poſſumus enim
,, illis, quos ex charitate diligimus, velle
,, aut inferre aliquod malum temporale prop-
,, ter tria. Primò quidem propter eorum
,, correctionem. Secundò inquantùm eorum
,, proſperitas eſt in detrimentum alicujus
,, multitudinis, vel etiam totius Eccleſię.
,, Undè dicit Gregorius lib. 22. Moralium:
,, *Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa*
,, *charitate inimici nos ruina lætificet, &*
,, *rurſùs ejus gloria, ſine invidiæ culpa con-*
,, *triſtet, dùm corruente eo, quoſdam benè*
,, *eregi, credimus, & proficiente illo, ple-*
,, *roſque injuſtè opprimi formidamus*. Ter-
,, tiò ad ſervandum ordinem Divinæ juſtitiæ
,, ſecundùm illud Pſalm. *Lætabitur juſtus*
,, *cùm viderit vindictam.*

Quæſt. de charit. ar. 8. ad 10.

§. III.

Circa uſuras & libellum repudii.

379 QUID correxerit Chriſtus
Dom. brevitèr damus.
Præmittimus tamen:
uſuram ex mutuo ac-
cipere, nedum jure Di-
vino, Civili, & Cano-
nico prohibitum eſſe, ſed etiam jure natu-
rali, eodem 7. Decalogi præcepto, quo fur-
tum prohibetur, ut ex Div. Ambroſio habet
jus Canonicum: *Si quis uſuram accipit, ra-*
pinam facit, & alibi frequenter. Datam ve-
ritatem ab ipſo Philoſopho agnitam Calvi-
nus ignorare affectavit, dum uſuram dicit à
divitibus exigi poſſe; ejuſque antiquam pro-
hibitionem: *Non fœnerabis fratri ad uſuram*
pecuniam, ad præcepta non moralia, ſed ju-
dicialia pertinuiſſe effutiens. Calvinum ſequu-
tus Molineus fuit; additque Salmaſius, uſu-
ram per ſe honeſtam, & juſtam eſſe. Repug-
nant tamen communiſsimè SS. PP. quorum
ſententiam, Canonicam reddit, poſt alios
Pontifices, Clemens V. in Concilio Vien-
nenſi inquiens: *Si quis in illum errorem in-*
ciderit, ut pertinacitèr affirmare præſumat,
exercere uſuras non eſſe peccatum: decerni-
mus velut hæreticum puniendum. Locorum
nihilominus Ordinariis, & hæreticę pravita-
tis Inquiſitoribus diſtrictiùs injungentes, ut
contra eos, quos de errore hujuſmodi diffa-
matos invenerint, aut ſuſpectos, tanquam
contra diffamatos vel ſuſpectos de hæreſi
procedere non omittant. Videas hinc anathe-
matizatos Calviniſtas antequam exortos.
Similiter Græcos quoſdam dicentes, quòd
dare ad uſuram non eſt peccatum: & Al-
banenſes, qui uſuram non eſſe prohibitam
affirmarunt. Poſt Concilia, & Sanctos Pa-
tres.

Uſura omni jure prohibita.

Cap. Si quis, 14.

Deuteron. 23. v. 19.

In Concil. Vienenſ. Clement. tit. de uſuris, cap. Ex gravi.

380 Audiatur Doctor Angelicus multi-
plicem rationem in aſſertæ veritatis confir-
mationem, variis in locis adducens. Eam
tamen ſolummodo proponimus, quam in
Summa Theologica ita expendit. ,, Reſpon-
,, deo dicendum, quod accipere uſuram
,, pro pecunia mutuata eſt ſecundùm ſe in-
,, juſtum, quia venditur id quod non eſt,
,, per quod manifeſtè inæqualitas conſtitui-
,, tur, quæ juſtitiæ contrariatur. Ad cujus
,, evidentiam ſciendum eſt, quod quædam
,, res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum
,, conſumptio, ſicut vinum conſumimus, eo
,, utendo ad potum, & triticum conſumi-
,, mus, eo utendo ad cibum. Unde in tali-
,, bus non debet ſeorsùm computari uſus
,, rei à re ipſa, ſed cuicunque conceditur
,, uſus, ex hoc ipſo conceditur res, & prop-
,, ter hoc in talibus per mutuum transfer-
,, tur dominium. Si quis ergo ſeorſum vel-
,, let vendere vinum, & vellet ſeorsùm ven-
,, dere uſum vini, venderet eandem rem
,, bis, vel venderet id quod non eſt: unde
,, manifeſtè per injuſtitiam peccaret. Et ſi-
mili

D. Thom. in 3. diſt. 37. ar. 6. Quolibeto 3. quæſt. 7. art. 2. Quæſt. 13. de malo art. 4. 2. 2. q. 78. ar. 1.

Theologica D. Thomæ argumenta.

,, mili ratione injuſtitiam committit, qui
,, mutuat vinum aut triticum, petens ſibi
,, dari duas recompenſationes, unam qui-
,, dèm reſtitutionem æqualis rei, aliam verò
,, pretium uſus, quod uſura dicitur. Quæ-
,, dam verò ſunt, quorum uſus non eſt ip-
,, ſa rei conſumptio: ſicut uſus domùs eſt
,, inhabitatio, non autem diſsipatio. Et
,, ideò in talibus ſeorsùm poteſt utrunque
,, concedi, puta cùm aliquis tradit alteri
,, dominium domùs, reſervato ſibi uſu ad
,, aliquod tempus; vel è converſo, cùm quis
,, concedit alicui uſum domùs reſervato ſibi
,, ejus dominio. Et propter hoc licitè poteſt
,, homo accipere pretium pro uſu domùs, &
,, prętèr hoc petere domum accōmodatā; ſicut
,, patet in conductione, & locatione domùs.
,, Pecunia autem ſecundùm Philoſ. in 5. Ethi-
,, cor. & in 1. Politic. principalitèr eſt inven-
,, ta ad commutationes faciendas: & ita
,, proprius, & principalis pecuniæ uſus eſt
,, ipſius conſumptio, ſive diſtractio, ſecun-
,, dùm quod in commutationes expenditur.
,, Et propter hoc ſecundùm ſe eſt illicitum
,, pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pre-
,, tium, quod dicitur uſura. Et ſicut alia
,, injuſtè acquiſita tenetur homo reſtituere,
,, ita pecuniam, quam per uſuram accipit.

381 Hæc licèt certa ſint: tamen permiſ-
ſum fuiſſe Judæis uſuram accipere ab ex-
traneis, convenit inter PP. indè deducen-
tes quòd illis prohibitum dumtaxàt inve-
nitur in loco Deuteron. à fratribus uſuras
exigere. Sed qualiter hoc permiſſum fuerit,
ut reſolvamus præmittere congruit cum
D. Thoma in Sentent. & in cap. 19. Matth.
Dari quatuor modos permiſsionis: Primò
per privationem præceptionis, ut quando
majus bonum non præcipitur, minus bo-
num permitti dicitur, ſicut Apoſtolus non
præcipiendo virginitatem, matrimonium per-
miſit 1. Corinth. 7. Secundò per privatio-
nem prohibitionis, ſicut venialia dicuntur
permiſſa, quia non ſunt prohibita (nempè
graviter.) Tertiò per privationem cohibi-
tionis, & ſic communia peccata dicuntur
permitti à Deo, inquantùm non impedit,
cùm impedire poſſet. Quartò per privatio-
nem punitionis. Et hoc quarto modo indi-
cat ibi Sanct. Doct. permiſſum fuiſſe Judæis
fœnerari extraneis, ut ſtatim dicemus. His
præhabitis. Aliquorum fuit opinio Judæis
permiſſum fuiſſe uſuras exigere ab extraneis;
eo modo quo ipſis permiſſus fuit libellus
repudii; quod quidem repudium licitum ip-
ſis fuiſſe, probabiliùs eſſe ſtatuemus poſtea.
Verùm quarto ſolum permiſsionis modo
uſuras excipere ab extraneis ſaltèm univer-
ſaliter; adeò ut illicitum eſſet, etſi impunè,
docuit nos Div. Thomas: ,, Ad ſecundum,
,, inquiens, dicendum quod Judæis prohi-
,, bitum fuit accipere uſuram à fratribus
,, ſuis, ſcilicet Judæis, per quod datur in-
,, telligi, quod accipere uſuram à quocun-
,, que homine, eſt ſimpliciter malum. De-
,, bemus enim omnem hominem habere
,, quaſi proximum & fratrem, præcipuè in

D. Thom. Comment. in cap. 19 Matthæi.

Uſuram ab extraneis accipere, etſi illicitam, impunè permiſſam Judæis fuiſſe, veroſimilius eſt.

D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 2.

,, ſtatu Evangelii ad quod omnes vocantur.
,, Undè in Pſalm. 14. abſolutè dicitur. *Qui*
,, *pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*. Et
,, Ezechiel. 18. *Qui uſurā non accepit*. Quod
,, autem ab extraneis uſuram acciperent,
,, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed
,, permiſſum ad majus malum vitandum, ne
,, ſcilicet à Judæis Deum colentibus uſuras
,, acciperent propter avaritiam, cui dediti
,, erant, ut habetur Iſai. 56. quòd autem in
,, prēmium promittitur: *Fœneraberis genti-*
,, *bus multis, &c.* Fœnus ibi largè accipitur
,, pro mutuo, ſicut Eccleſiaſtici 29. dicitur:
,, *Multi non cauſa nequitiæ non fœnerati*
,, *ſunt*, id eſt non mutuaverunt. Promitti-
,, tur ergo in præmium Judæis abundantia
,, divitiarum, ex qua contingit, quòd aliis
,, mutuare poſsint.

382 Diximus reſpectivè ad extraneos
univerſaliter: quia Judæos potuiſſe abſque
culpa uſuras accipere à gentibus illis, quæ
terram promiſsionis detinebant, & cum qui-
bus jus erat belli, admittit D. Thomas in-
quiens: ,, Ad primum ergo dicendum,
,, quod lex Deuteron. loquitur de Judæis
,, reſpectu aliarum nationum, quæ terram
,, promiſsionis Judæis divinitùs conceſſam
,, detinebant: & ideò permiſſum fuit eis uſu-
,, ris, & quibuſcunque exactionibus extor-
,, quere ab injuſtè poſsidentibus quod eis
,, juſtè debebatur: ſicut etiam dicitur de
,, ſpoliatione Ægyptiorum, qui Judęis mer-
,, cedem laboris, quo eis ſervierant, ſub-
traxerant. Huic ſententię præluxit Ambro-
ſius ad verba illa: *Fratri tuo non fœnerabis*
ad uſuram, ſed alieno, inquiens: * Quis erat
* tunc alienigena, niſi Amalech, niſi Amor-
* rhæus, niſi hoſtes? Ibi, inquit, uſuram exi-
* ge, cui meritò nocere deſideras, cui jure
* inferuntur arma, huic legitimè inducun-
* tur uſuræ. Quem bello non potes facilè
* vincere, de hoc citò potes centeſimùm
* vindicare te. Ab hoc uſuram exige, quem
* non ſit crimen occidere. Sine ferro dimi-
* cat, qui uſuram flagitat: ſine gladio ſe de
* hoſte ulciſcitur, qui fuerit uſurarius exa-
* ctor inimici: ergo ubi jus belli, ibi etiam
* jus uſuræ. Indè jam apparet Chriſtum
Dominum verbis illis Matthæi: *Qui petit à*
te, da ei: & volenti mutuari à te, ne aver-
taris. Et Lucæ: *Mutuum date nihil indè*
ſperantes, totaliter excludere permiſsionem
illam Judęis datam de uſuris erga extraneos,
& quam ipſi pręceptam falsò judicabant. Et
inſuper inducere nos gratis dare mutuum;
id eſt non ſolùm ſine uſura, quod eſt præ-
cepti, ſed inſuper ut non intendamus ſimi-
le beneficium præſtari nobis ab homine, cui
mutuum damus, quod eſt conſilii. Juxta illud
D. Thom. ,, Dare mutuū non ſemper tenetur
,, homo, & ideò quantū ad hoc ponitur inter
,, conſilia; ſed quòd homo mutuum de lucro
,, nō quærat, hoc cadit ſub ratione præcepti.

383 Circa libellum repudii, ab antiquò
tempore dubitatum ſemper fuit: An licitus
eſſet Deo diſpenſante in matrimonii indiſ-
ſolubilitate (non obſtante quod jure naturæ
in-

D. Thom. in 3. diſt. 37. q. 1. ar. 6. ad 1.

Ab aliquibus gentibus licitū fuit Judęis, uſuram accipere.

S. Ambroſ. lib. de Tobia cap. 15.

Matth. 5. v. 42.

Lucæ 6. v. 35.

D. Thom. q. 78. ar. 1. ſolut. ad 4

indiſſolubile ſit, non ſolùm dum eſt conſummatum, & maximè poſtquam ad rationem Sacramenti elevatum eſt, ſed etiam quando ratum dumtaxàt eſt (ut probabilior mihi ſententia tenet) quòd juxta hanc ſententiam per repudium diſſolvebatur. An verò illicitus eſſet ſed permiſſus impunè à Deo tanquam minus malum ad vitandum majora mala, nimirùm uxoricidia ad quæ Judæi nimis proni erant: ſicut de uſuris erga extraneos probabiliùs judicavimus. Utraque hæc ſententia adeò inſignes habuit ſemper antiquos in Patribus, & Theologis Patronos, ut Doctor Angelicus utranque opinionem ſuſtineri poſſe in Sententiariis affirmet, ad rationes pro utraque parte reſpondens. Indè conſequenter juxta primam opinionem, matrimonium diſſolutum iri affirmat Sanct. Doct. Deo diſpenſante in matrimonii indiſſolubilitate. Juxta ſecundam verò, matrimonium per libellum repudii non erat ſolutum.

In 4. diſt. 33. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2.

384 Verumtamen in Commentario Matthæi magis inclinat D. Thomas in primam ſententiam, de ſecunda opinione ibidem relata inquiens: „Et ideò dicunt alii, quòd „malè proviſum eſſet populo illi: ſi quod „eſſet peccatum ignoraret: cùm tamen „ſcriptum ſit: *Anuntia populo meo peccata eorum.* Ideò dicit Chryſoſtomus, quòd „à peccato abſtulit peccati culpam. Et licèt inordinatum quid eſſet; noluit tamen, „quod eis imputaretur ad culpam, ut Dominus Oſee præcepit ut faceret filios fornicationis. Undè permiſsio non fuit ex „præcepto, ſed ad vitandum majus malum. Et quidem ſi repudium apud Judæos fuiſſet peccaminoſum, aliquando objurgati fuiſſent antiqui Judæi: ſicut reprehenſi fuerunt frequenter nempè Ezechiel. 18. & Pſalm. 14. de uſuris, quę populo illi impunè permittebantur circa alienigenas. Nec obſtat quòd mulier repudiata alterique viro nuptui tradita, diceretur polluta & abominabilis Deuteron. 84. Dicitur namque polluta, non ratione culpę moralis, ſed legalis: *Illo modo, quo immundus dicebatur, qui mortuum tangebat, vel leproſum*, inquit D. Thomas in loco Sententiarum. Nec etiam finis hujus diſpenſationis reipſa fuit duritia cordis Judæorum, ut ſignificari videtur Matthæi 19. Duritia namque fuit dumtaxàt occaſio diſpenſandi; finis vero, Dei bonitas, vi cujus voluit eis tanquam infirmis indulgere in lege difficili. Et propterea, ea licentia uſos fuiſſe non conſtat illius legis viros ſanctiſsimos. Ad quartum, inquit D. Thomas, „dicendum, quòd quamvis duritia cordis „non excuſaret à peccato, tamen permiſſio ex duritia facta excuſat: quædam enim „prohibentur ſanis, quæ non prohibentur „infirmis corporaliter, nec tamen infirmi „peccant permiſsione ſibi facta utentes.

D. Thom. Comment. in cap. 19 Matthęi.

Libellum repudii antiquis Judæis permiſſum, culpa vacaſſe, veroſimiliùs apparuit D. Thom.

D. Thom. in loco Sentent. ſolut. ad 5.

Duritia cordis Judæorum nō fuit finis, ſed occaſio permittendi.

Solut. ad 4.

385 His prælibatis, aſsignare jam eſt, quid Chriſtus D. correxit in Phariſæis, novam perfectionem à fidelibus Evangelicæ Legis exigens in matrimonio. Judæi enim imprimis errabant, judicantes abſolutè præceptum fuiſſe uxorem dimittere per repudium. Undè dicebant: *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Et tamen non ita pręceptum fuit, ſed conditionatè: ſi dimittenda erat uxor ut lex permittebat, darent libellum repudii, juxta illud Chriſti Domini: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det illi libellum repudii.* Quę verba ita expendit Auguſtinus & Chryſoſtomus: *Non enim* (inquit ille) *qui pręcepit dari libellum repudii, hoc præcepit, ut uxor dimittatur: ſed qui dimiſerit*, inquit, *det illi libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæſivit, ſignificavit quantum potuit, duris hominibus ſe nolle diſsidium.* Hæc namque fuit ratio cur ſcriptus libellus daretur; & ſignificat D. Thomas in Summa Theologica. Sed præcipuè in Sententiariis inquiens: „Cauſę repudii in ſpeciali non „ſcribebantur in libello, ſed in generali, ut „oſtenderetur juſtum repudium, ſed ſecundùm Joſephum, ut mulier habens libellum conſcriptum de repudio, alteri poſſet nubere, aliàs enim ei traditum non fuiſſet: undè ſecundum eum erat ſcriptura „talis, Promitto tibi quòd nunquam tecum conveniam. Sed ſecundùm Auguſtinum, ideò libellus ſcribebatur, ut mora „interveniente, & conſilio Scribarum diſſuadente, vir à propoſito repudiandi deſiſteret.

Circa libellū repudii Phariſęi correcti.

Matth. 19. v.

Cap. 5. v. 31.

S. Auguſtin. 19. cont. Fa. S. Chryſoſt. ... mil. 17. in Matthæ. & ſer. 19. de lib. repudii.

D. Thom. 1. 2. q. 107. art. ad 2.

Diſt. 33. ut ſ. art. 3.

Cur libellus repudii in ſcriptis daretur.

386 Secundò errabant Judæi judicantes pro qualibet cauſa etſi levi uxorem dimitti poſſe. Atque erat queſtio inter illos tunc temporis controverſa, indeque ad Chriſtum pleni dolo & falacia accederunt dicentes: *Si licèt homini uxorem ſuam dimittere, quacunque ex cauſa.* „Apparet in iſtis (inquit „ex PP. Div. Thomas) malitioſa aſtutia, „qua venerunt ad Chriſtum, ut Chriſto calumniam inferrent. Quia aut diceret quòd „eſſet dimittenda, aut non? Si diceret, quòd „ſic, videretur ſibi contrarius; quia ipſe „erat prædicator caſtitatis. Si diceret quòd „non, accuſabimus eum, quia hic eſt contra Moyſen legiſlatorem. Sic dicit Chryſoſtomus. Similia habet S. Hieronymus inquiens: *Eo conſilio interrogant ut quodcunque reſponderit, captioni pateat. Si dixerit dimittendas eſſe uxores qualibet ex cauſa, & ducendas alias, pudicitię prædicator ſibi videbitur docere contraria. Si autem reſponderit, non omnem ob cauſam debere dimitti, quaſi ſacrilegii reus tenebitur, & adversùs doctrinam Moyſi, imò Dei, facere judicabitur.* Meritò igitur, ſubjungit ibidem D. Thomas: „Sed iſti non ſolùm ex hac cauſa (ſcilicèt „turpitudine) petebant fieri repudium, ſed „utrùm ex quacunque cauſa, virum volebant habere poteſtatem liberam dimittendi uxorem.

D. Thom. Comment. in loco Matthæi.

Doloſa Phariſęorum interrogatio.

S. Hieronym. in locū Matthæi.

387 Utrunque igitur Judæorum pravum ſenſum correxit Chriſtus Dominus docens imprimis: Repudium non pręceptum, ſed

ſed permiſſum fuiſſe in lege: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores.* Deinde cùm ait Chriſtus Dominus: *Ab initio autem non fuit ſic*, reſtituit Matrimonium ad indiſſolubilitatem, quam habet attento jure naturæ, removens diſpenſationem circa ejus indiſſolubilitatem, quam etiam ex novo capite, ratione ſcilicèt Sacramenti, induit matrimonium in lege Evangelica. Deinde multiplicem cauſam unde Judæi libellum repudii dare, jure poterant aut ſe poſſe exiſtimabant, reſtrinxit Chriſtus Dominus ad cauſam fornicationis, ob quam fieri poteſt conjugum ſeparatio quantùm ad Thorum & cohabitationem, manente tamen indiſſolubili vinculo matrimonii, ut fides Catholica tenet. Et quidem in hoc jure ad divortium ęquales ſunt vir & mulier in lege Evangelica, ad differentiam legis Moſaicæ, quæ viro ſolum jus libelli repudii concedebat: ſicut enim de viro, ita & de muliere loquitur Chriſtus Dominus Marci 10. v. 11. & 12. Nec obſtat plures alias cauſas etiam pro divortio aſsignari communiter à Theologis: cur ergo Chriſtus Dominus ſolum cauſam, aſsignat fornicationis: *Excepta*, inquiens *fornicationis cauſa.* Vel *niſi ob fornicationem?* Reſpondetur tamen, quod licèt ſint aliæ cauſæ; ſola tamen fornicatio eſt propria cauſa dimittendi uxorem etiam in perpetuum, & per ſe oppoſita matrimonio, cujus fidem conjugalem frangit. De quo plura habent Theologi moralia tractantes.

Repudium nō præceptum, ſed permiſſum in lege.

RemovitChriſtus D. multiplices Judæorum prætenſas cauſas.

Matth. 5. v. 32. c. 19. v. 9.

DIGRESSIO THEOLOGICA Scholaſtico-Dogmatica de gratia ſufficienti comparativè ad ſtatum antiquæ legis.

388 AD perfectionem legis Evangelicę ultra ſobrietatem & in pravo ſenſu extollentes, accedere vidimus bonorū operum exterminatores hæreticos: quaſi ſolis Judæis intimata fuiſſet, in illiſque finem accepiſſet neceſsitas bonorum operum: excluſo jam per Evangelicum ſuave jugum, antiquo legis onere, *Quod nec nos* (ajebat Apoſtolorum Princeps) *nec Patres noſtri portare potuimus.* Quis non inde perſuasùm ſibi haberet: hæreticos illos legem antiquam commendare debuiſſe, tanquam bonam, Deoque Auctore condi-

Actor. 15. v. 10.

tam contra impios Manichæos?. Bona ſiquidem opera, antiqua lege vigente, neceſſaria, nonne talia dicuntur per conformitatem ad legem bonam, divinam proinde, æternam, & legem omnium fontem & originem, ſapientia ſumma teſtante: *Per me reges regnant, & legum conditores juſta deſcernunt?* Quid ergo, quòd iidem Novatores in circuitu perversè ambulantes, legem antiquam malam, & inutilem appellent? Et quod pejùs eſt: Antiquos Sanctiſſimos Patriarchas, ſummis laudibus ab Ecleſiaſtico commendatos, libidinis, fraudis & ſuperſtitionis traducant impudentiſsimè? Cum Calvino, ſi non expreſsè loquitur Queſnellus, quodammodo convenire videtur in calumnianda lege veteri, ejuſque Sanctiſsimis cultoribus, dùm propoſitiones illas diſſeminavit, in Conſtitutione *Unigenitus* eo ordine expreſſas.

Prov. 8. v. 15.

63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat aut adimpleat ex ſolo timore.*

64. *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud, non niſi ob timorem evitando.*

65 *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem.*

388 In hujuſmodi antiquorū errorū quiſquiliis, videre imprimis eſt redivivum conatum adversùs timorem ſervilem, contra Calviniſtas, Lutheranos, à nobis in ſecundo volumine commendabilem: quapropter in pręſentiarum, Queſnellum in animo eſt rejicere, quatenus per propoſitiones datas adversùs antiquam legem, ejuſque Sanctos cultores debaccatur. Neque opus eſſe judicamus legem antiquam bonam ſtabilire, & pro illo tempore utilem, quamvis imperfectam: ſicut plenè oſtendimus in prioribus primę diſſertationis articulis: & rurſus in diſſertatione 3. pro ſtabilienda neceſsitate bonorum operum ex ipſo diſcrimine, novam inter & antiquam legem. Neque de bonitate legis antiquæ dubitaſſent antiqui Manichæi, eorumque infandi ſequaces; ſi Dr. Ang. cum Doctore Gentium audiiſſent, loquentem: *Itaque lex quidem ſancta eſt, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Sed potiùs deduxiſſent cum Theologorum Principe: „Dicendum, quòd „abſque omni dubio lex vetus bona fuit. „Sicut enim doctrina oſtenditur eſſe vera „ex hoc, quod conſonat rationi rectæ; „ita etiam lex antiqua oſtenditur eſſe bona, ex hoc quod inſinuat rationi. Lex „autem vetus rationi conſonabat; quia „concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi „adverſatur, ut patet in illo mandato: *Non* „*concupiſces rem proximi tui*, quod ponitur Exod. 20. Ipſa etiam, omnia peccata prohibebat, quæ ſunt contra rationem: Unde manifeſtum eſt, quòd bona „erat: Et hęc eſt ratio Apoſtoli Rom. 7. „*Condelector* (inquit) *legi Dei ſecundùm*

Queſnellus contra antiquam legem ejuſque cultores debaccatur, in propoſitionibus ſubjectis.

Rom. 7. v. 12.

D. Thom. 1. 2. q. 98. a. 1. in ſed cont. in corp.

„*in-*

,, *interiorem hominem* : Et iterum : *Conſen-*
,, *tio legi , quoniam bona eſt.*

390 Imperfectionem deindè illius legis
oſtendit Angelicus Theologus ſubjungens
ibidèm. Sed notandum eſt, quòd bonum
diverſos gradus habet , ut Dionyſius dicit.
,, Eſt enim aliquod bonum perfectum , &
,, aliquod bonum imperfectum. Perfecta
,, quidem bonitas eſt in his , quæ ad finem
,, ordinantur, quando aliquid eſt tale, quod
,, per ſe eſt ſufficiens inducere ad finem.
,, Imperfectum autem bonum eſt, quod
,, operatur aliquid ad hoc , quod perve-
,, niatur ad finem; non tamen ſufficit ad
,, hoc quod ad finem perducat; ſicut me-
,, dicina perfectè bona eſt , quæ hominem
,, ſanat : imperfecta autem eſt, quæ homi-
,, nem adjuvat, ſed tamen ſanare non po-
,, teſt. Eſt autem ſciendum, quòd eſt alius
,, finis legis humanæ , & alius legis divinæ.
,, Legis enim humanæ finis eſt temporalis
,, tranquillitas, ad quem finem pervenit lex
,, cohibendo exteriores actus , quantum ad
,, illa mala , quæ poſſunt perturbare paci-
,, ficum ſtatum civitatis. Finis autem legis
,, divinæ eſt perducere hominem ad finem
,, fælicitatis ęternę , qui quidem finis im-
,, peditur per quodcunque peccatum , &
,, non ſolum per actus exteriores, ſed etiam
,, per interiores : & ideò illud quod ſufficit
,, ad perfectionem legis humanæ , ut ſcili-
,, cet peccata prohibeat , & pœnam appo-
,, nat , non ſufficit ad perfectionem legis
,, divinæ , ſed oportet quòd hominem to-
,, taliter faciat idoneum ad participatio-
,, nem fęlicitatis æternæ; quod quidem fie-
,, ri non poteſt niſi per gratiam Spiritûs
,, Sancti , per quam *diffunditur charitas in*
,, *cordibus noſtris* , quæ legem adimplet.
,, *Gratia autem Dei , vita æterna* : Hanc
,, autem gratiam lex vetus conferre non
,, potuit ; reſervabatur enim hoc Chriſto:
,, quia ut dicitur ; *Lex per Moyſem data*
,, *eſt : gratia , & veritas per Jeſum Chri-*
,, *ſtum facta eſt.* Et inde eſt quòd lex ve-
,, tus bona quidem eſt , ſed imperfecta ſe-
,, cundùm illud : *Nihil ad perfectum ad-*
,, *duxit lex.*

S. Dionyſius lib. de Divin. Nom. c. 4.
D. Thom. ibid. lect. 22.
Lex antiqua meritò imperfecta dicitur.
Rom. 6. v. 23.
Joan. 1. v. 17.
Hebęor. 7. v. 19.

ARTICULUS I.

Antiquam legem , ejuſque pro tunc cultores in tuto collocans contra noviſsimos calumniatores.

391 IN lege veteri improbanda, ejuſque cultoribus durè tractandis Luthero & Calvino conſentit Janſenius, dùm concludit, lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 5. & ſequentibus , Judęos gratiam non habuiſſe ſufficientem ad
obſervanda præcepta : in eo ſolum diſſen-
tiens , quod ab iſta regula exceptos dedit
Patriarchas , alioſque viros Sanctos illius
temporis , contra quos debaccatos fuiſſe
Calvinum & Lutherum memoravimus ſu-
prà Proleg. 1. n. 28. Hinc videas in Queſ-
nello Diſcipulum Magiſtro peiorem in tri-
bus prioribus propoſitionibus , in quarum
ultima nec pepercit Prophetis, Sacerdotibus,
& Doctoribus. Et ne quis judicaret Queſ-
nellum antiquæ legi adverſantem , ex eo
ſolum quod timorem incuteret : ſuam ape-
ruit mentem , dùm abſolutè removit ab il-
la gratiam quamcunque etiam ſufficientem,
propoſitionibus illis:

6. *Diſcrimen inter fœdus Judaicum & chri-*
ſtianum eſt , quod in illo Deus exigit
fugam peccati & implementum legis à
peccatore , relinquendo illum in ſua im-
potentia : in iſto verò Deus peccatori dat
quod jubet , illum ſuâ gratiâ purifi-
cando.

7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœde-*
re , in quo Deus illum relinquit , ejus
propriæ infirmitati imponendo ipſi ſuam
legem. Quę verò fęlicitas non eſt , admit-
ti ad fœdus , in quo Deus nobis donat,
quod petit à nobis?

Propoſitiones Queſnelli de gratia antiquis denegata.

In hujuſmodi namque propoſitionibus re-
novatum quantum ad Judæos videmus er-
rorem proſcriptum ab Alexandro VIII. pro-
poſitione illa , ordine 5. *Pagani , Judæi,*
Hæretici , aliique hujus generis , nullum
omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum,
adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe vo-
luntatem nudam , & inermem ſine omni
gratia ſufficienti.

Propoſitio 5. ab Alexandro VIII. proſcripta.

392 Has igitur propoſitiones ea rejicie-
mus methodo , ut primùm , quaſi in gene-
re oſtendamus ; antiquæ legis cultores gra-
tia adminùs ſufficienti deſtitutos non fuiſ-
ſe: quinimò eorum plurimos adjuvante gra-
tiâ , opera pręſtaſſe pietatis eximię: ut in-
de poſtea, ſubjectas propoſitiones , vel bre-
viter diſsipemus , præeunte , & loquente
cum Patribus ex Prophetis Angelico Tho-
ma , Auguſtini ſemper Diſcipulo; ſed in
aſſumpto præſenti ad miraculum penè ad-
hærente. Et certè nullius eſt SS. PP. quem
magis ęmulaverit Janſenius , quàm Augu-
ſtinum in ſuis operibus diffuſum,in Angelico
Thoma contractum, (ut alibi ſignificavimus.
Prol. 3. n. 53. Fertur namque:omnia Auguſtini
opera ferè decies legiſſe; libros autem de
Gratia , & libero arbitrio , pluſquam tri-
geſies. Quinimò ejus diſcipuli plus æquò
auctoritatem Auguſtini (qua abutebantur)
extollentes , in eam devenerunt proſcrip-
tam ab Alexandro VIII. propoſitionem 30.
Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino
clarè fundatam , illam abſolutè poteſt tene-
re , & docere , non reſpiciendo ad ullam
Pontificis Bullam.

Libertus Fromondus apud Mag. Cantuar. in ſynopſi vitę Janſenii.

393 Sed utinam audiiſſent Auctores da-
tę propoſitionis , Auguſtinum ipſos reji-
cientem , dùm ad Summum Pontificem Bo-
nifacium ſcripſit : *Hæc quæ duabus Epiſto-*
lis Pelagianorum iſta diſputatione reſpon-
deo , ad tuam potiſsimmùm dirigere San-
ctitatem non tàm diſcenda , quàm exami-
nanda , & ubi forſitan aliquid diſplicuerit
emendanda conſtitui. Utinam audiiſſent An-
gelicum Thomam ita ſcribentem : ,, Ipſa
,, doctrina Catholicorum Doctorum ab Ec-
,, cleſia auctoritatem habet : undè magis
,, ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ , quàm
,, auctoritati , vel Auguſtini , vel Hierony-
,, mi , vel cujuſcunque Doctoris. Sit ergo.

Propoſitio 30. ab Alexandro VIII. damnata.
S. Auguſtinus in Epiſt. ad Bonifacium.
D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 12.

§. I.

Stabilita Angelorum cuſtodia , auxilia ſufficientia antiquis Judæis diſpenſata fuiſſe deducitur.

394 ASSERENDUM eſt primò Judęos ſub veteri Teſtamento,gratiâ ſufficienti generaliter inſtructos fuiſſe. Aſſertionem iſtam urgen-
tiori efficaciâ oſtendunt gravіſsima argumen-
ta , quibus firmatur Sententia illa Theolo-
gorum (mihi ſemper magis arridens) qua
propugnatur : Deum generaliter non ſolum
offerre , ſed conferre auxilia quædam ſuffi-
cientia univerſis hominibus viam agenti-
bus , fideles ſint aut infideles , Judæi , vel
pagani , juſti ſive peccatores , etiam obſe-
cati : ut ita verum ſit eos omnes aliquem
influxum accipere à Chriſto D. conformi-
ter maximè ad Decretum Alexandri VIII.
proximè memoratum. Ea igitur argumen-
ta ad noſtrum trahere aſſumptum prope-
ramus. Principiò enim ita arguimus : Ju-
dæis ſub veteri lege militantibus , nunquam
negata fuit Angelorum cuſtodia , ſed inde
proculdubio concluditur , eos gratiâ ſuffi-
cienti ad legem illam obſervandam , gene-
raliter inſtructos fuiſſe ; Angelico Thoma
docente , auxilia ſufficientia frequenter diſ-
penſari hominibus , medio Angeli cuſtodis
miniſterio : ,, Homo (inquit) poteſt per ſe
,, ipſum ruere in peccatum, ſed ad meritum
,, proficere non poteſt niſi auxilio divino,
,, quod homini exhibetur mediante Mini-
,, ſterio Angelorum. Ut inde deducat ibi-
,, dem : Ad omnia bona noſtra cooperan-
,, tur Angeli; non tamen omnia noſtra pec-
,, cata procedunt ex dœmonum ſuggeſtio-
,, ne. Non ergo negabile videtur antiquos
Judæos gratiâ ſaltem ſufficienti inſtructos
fuiſſe.

Cuſtodia Angelorum antiquis Judæis non denegata, inde nec auxilia ſufficientia.
D. Thom. 1. p. q. 114. a. 3. ad 3.

395 Propoſitio autem major veritatis
convincitur, ſi conſtans fuerit, cuſtodiam il-
lam nulli hominum generi, ſubſtrahi à Deo;
at ita eſſe , concludit D. Thomas ex illis
verbis : *Angelis ſuis mandavit de te , ut*
cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Dedu-
cit etiam Hieronymus ex verbis illis : *An-*
geli eorum in Cœlis ſemper vident faciem
Patris mei ita concludens ; apud D. Tho-
mam : *Magna eſt dignitas animarum , ut*
unaquæque habeat ab ortu nativitatis, in cu-
ſtodiam ſui Angelum delegatum. In iis enim
teſtimoniis nullus homo excluditur à cuſto-
dia Angelorum , etiam dùm per peccatum
hujuſmodi beneficii indignus redditur : di-
cente Domino : *Ecce ego mittam Angelum*
meum, qui pręcedat te , & cuſtodiat in
via , & introducat in locum quem paravi.
Obſerva eum , & audi vocem ejus , nec con-
temnendum , putes : quia non dimittet, cùm
peccaveris , & eſt nomen meum in illo. Et
quidem ſi de bonis paſtoribus & pręedicato-
ribus reſpectu peccantium dicitur: *Super mu-*
ros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes, tota die
& tota nocte in perpetuum non tacebunt:ſcili-
cet,non tacebunt unquã à vocandis illis:mul-
tò magis de Sanctis Angelis , majori cha-
ritate homines viatores proſequentibus, af-
firmare debemus. Meritò igitur affirmatur
communiter à SS. PP. videndis apud no-
bilem Pſalmorum Commentatorem Lorinum;
nulli hominũ denegari Angelorum cuſtodiam.
Et ſignanter de peccatoribus pronuntiat S.
Vincentius Ferrarius : *Peccatores Angelus*
cuſtos nunquam deſerit. Et quis inter ſce-
leratos peccatores ſceleratior Antichriſto de
progenie Judæorum naſcituro. Ille tamen
iniquus , venturus in omni ſedutione ini-
quitatis , non deſtituetur omninò cuſtodiâ
Angelorum. ,, Sicut enim præſciti , & infi-
,, deles (inquit D. Thomas) & etiam Anti-
,, chriſtus non privantur interiori auxilio
,, naturalis rationis ; ita etiam non privan-
,, tur exteriori auxilio toti naturæ huma-
,, næ divinitùs conceſſo, ſcilicet cuſtodiâ
,, Angelorum , per quam etſi non juventur
,, quantùm ad hoc, quod vitam æternam
,, bonis operibus mereantur ; juvantur ta-
,, men quantùm ad hoc quod ab aliquibus
,, malis retrahuntur , quibus & ſibiipſis, &
,, aliis nocere poſſunt. Nam & ipſi Dœmo-
,, nes arcentur per bonos Angelos, ne no-
,, ceant quantùm volunt. Similiter Anti-
,, chriſtus non tantùm nocebit, quantùm
,, vellet. Id ipſum docuerat jam in Sen-
tentiariis , ita expreſſe loquens : ,, Dicen-
,, dum quòd Antichriſtus etiam habebit An-
,, gelum cuſtodem: quia lex communis prop-
,, ter unum mutari non debet : & in hoc
,, ejus pœna juſtior apparebit ; quia bene-
,, ficia toti naturæ humanæ proviſa, ſibi non
,, ſubſtrahuntur : nec tamen eſt omnino fru-
,, ſtra cuſtodia : quia etſi ad bonum non
,, convertatur à multis tamen malis ceſ-
,, ſabit , retractus ab Angelo cuſtode : hunc
,, enim effectum ad minus ſemper conſe-
,, quitur Angelus per cuſtodiam in quocun-
,, que obſtinato. Et conformiter ad hanc
doctrinam ſubjungit : ,, Nullus in ſtatu viæ
,, eſt adeò obſtinatus , qui non poſsit per
,, pœnitentiam converti ; unde non eſt de
,, eo deſperandum ; etſi Angelus ſciret eum
,, pręſcitum : poſſet tamen multa mala in
,, eo impedire , ſicut de Anti-chriſto dictum
,, eſt.

D. Thom. q. 113. a. 1. in ſed cont.
Pſal. 90. v. 11.
Matthęi 18. v. 10.
D. Thom. art. 2. in ſed cont.
Exodi 23. à v. 20.
Iſaiæ 62. v. 6.
Nulli hominum viatorum generi cuſtodia denegatur Angelica.
S. Vincentius ſerm. de Sancto Michaele.
2. ad Theſſal. 2. à v. 8.
D. Thom. art. 4. ad 3.
Neque Anti-Chriſtus cuſtodia Angeli deſtituendus.
D. Thom. in 2. diſt. 11. q. 1. a. 3. ad 5.
A. 4. ad 6.

Au-

In ſed contra.

396 Audiatur præterea Doct. S. generalem illam cuſtodiam ſtabiliens, primò quidē: „ Nam boni Angeli ſunt magis proni ad „ juvandum , quàm mali ab infeſtandum; „ ſed mali nunquam ceſſant ab infeſtatio- „ ne : (eſt namque Dęmon , *Leo rugiens, circuit quęrens quem devoret*) ergo nec boni „ à cuſtodia. Secundò, de nemine eſt deſpe- „ randum, quandiù eſt in ſtatu viæ, ſicut „ infirmus non relinquitur à Medico , niſi „ propter deſperationem: ergo videtur, quòd „ Angelus non dimittat hominem, quantum- „ cunque peccatorem. Reliqua D.Thom. argumenta in utroque laudato loco ad hujuſmodi Scholæ methodum in Schola reduximus : Beneficium angelicæ cuſtodiæ non confertur homini, quia perfecto & virtutibus ornato , aliàs imperfecti in via virtutis Angelorum præſidio deſtituerentur; nec conceditur homini , quia juſto ; aliàs quolibet peccato gravi prohiberetur Angeli cuſtodia: neque tribuitur homini , quia Chriſtianus, aliàs cuilibet infideli negaretur : ergo beneficium eſt generale hominibus , quatenùs naturâ vigent rationali ad imaginem Dei conditâ , ſubſidioque cęleſti ad evadenda vitæ pericula indigente: ſed homines cuncti etiam infideles, obſtinati & excęcati naturâ conſtant rationali ad imaginem Dei conditâ, indigentque angelico ſubſidio ad evadenda vitæ pericula: nullus ergo erit angelica cuſtodia deſtitutus. Accedit, quòd cuſtodia Angelorum ad generalem Dei providētiam ſpectare videtur, quemadmodum alia cōmunia beneficia, nulli viatorum denegata juxta illud Matthæi: *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos , & peccatores* : ſicut ergo Solis influxum , & pluviæ irrigationem non denegat Deus ; ita nec patrocinium angelicum , quòd omnibus hominibus commune eſt propter fragilitatem naturæ, frequenteſque Dœmonum inſidias ; qua ratione uti videtur Eccleſia in Hymno ad Veſperas pro feſto Tutelarium Angelorum.

Rationes D. Thomæ pro generali Angelorum cuſtodia.

Matth.5.v.45.

Cuſtodes hominum pſallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit,
Cęleſtis còmites , inſidiantibus
Ne ſuccumberet hoſtibus.

Apud Fevardentium Minoritam.

397 Obmuteſcat ergo impius Calvinus, dubitans primò , an cuilibet fideli deſignatus ſit à Deo Angelus in cuſtodiam ; deindè oppugnans , impudentiſsima blaſphemia traducens datam à nobis ſententiam , quaſi inter paganos communem. Imò addit (Comment. in cap. 33. Geneſis) quòd hoc ipſum affirmantes gratiam Dei extenuant: & ſe non dubitare fingit , quin diabolus hoc aſtu , fiduciam noſtram in Deum aliqua ex parte minuere conatus ſit. Hinc Comment. in locum Matthæi, & Pſalm. adductum : noſtram ſententiam vocat falſum profanumque Commentum ; & cum tota Scriptura pugnans , ut loquitur Comment. in cap.18. Matthæi. Errantem Calvinum , errantes pro more ſequuti fuerunt Bezza , Marlotanus, aliique ejuſdem farinę homunciones. Sed quàm perversè diſcurrat Calvinus , jam prędixit Meliſluus Bernardus ex cuſtodia angelica majorem in Deo fiduciam nobis commendans : *Quantam* (inquit) *tibi hoc verbum* (Angelis ſuis , &c.) *debet inferre reverentiam , afferre devotionem, conferre fiduciam.* Quis enim ad noſtram cuſtodiam Angelos deſtinavit? Cujus voluntati obediunt? In cujus virtute , & nomine clientulos protegunt ? Reſpondeat Calvinus : ſi autem pudore ſuffuſus iniqua loqui non audet ; adeat Bernardum ſic inter alia loquentem : *Angelis ſuis mandavit de te :: quis enim mandavit ? Cujus ſunt Angeli ? Cujus mandatis obtemperant ? Cujus obediunt voluntati ? :: Summa ergo majeſtas mandavit Angelis , & Angelis ſuis mandavit.* An cum tota Scriptura pugnat, quod Scriptura docente SS.PP. didiſcerunt ? Dignum propterea ut inter fidei dogmata reponatur à Doctore Meliſluo concludente : *Si fidem conſulas , ea tibi angelicam probat præſentiam non deeſſe.* Concludamus & nos, propoſitum argumentum compendio urgentes : A cuſtodia Angelorum , nec obſtinati peccatores , infideles & ſcelerati excluduntur ; neque ipſi Judæi poſt Chriſtum prædicatum , perfidi errorumque velamine obcęcati. Quis ergo, niſi inſaniat, beneficium iſtud denegabit antiquo Judæorum populo , quem Deus benedixit ; ex omnibus gentibus ſibi elegit ; cui judicia ſua, leges & ſacrificia manifeſtavit ; quem ab uberibus ſuæ pietatis lactavit ; ſacrorum librorum capſarium fecit & cuſtodem ; & quod omnia ſuperat , ex cujus progenie Dei Filius carnem ſumere dignatus fuit ? Si igitur auxilia ſufficientia , mediis Angelis cuſtodibus diſpenſare ſolet Deus; æqualis erit dementiæ ab illo populo auxilia removere ſufficientia.

Calvini blaſphemiæ deteſtatæ.

S.Bernard. Sermo.in Pſal.Qui habitat.

§. II.

Antiqui Judæi à voluntate ſalvandi omnes non fuerunt excluſi.

398 SEcundum argumentum pro generali diſpenſatione gratiæ ſufficientis, efficaciter in Scholis contra Janſeniſtas , & nonnullos etiam Theologos directum , ad propoſitum aſſumptum ita contrahimus. In Deo agnoſcenda eſt ſincera generalis voluntas ſalvandi omnes homines , eoſque ad pœnitentiam , ſi lapſi fuerint , revocandi , Apoſtolo teſtante : *Deus vult omnes homines ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire.* Subjungente etiam Apoſtolorum Principe: *Non tardat Dominus promiſsionem ſuam: ſicut quidam exiſtimant : ſed patienter agit propter vos , nolens aliquos perire , ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Indè quis dubitet , cunctis peccatoribus inſtare pręceptum

1.ad Timoth.2. v.4.

2.Petri 3.v.9.

Rom.2.v.4.

pœnitentiæ ? Inſtat quidèm ſuppoſita Dei benignitate , juxta illud Pauli : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Sive ut loquitur Concilium Colonienſe : *Statuendum eſt, quòd Deus tàm eſt benignus ac miſericors , ut non tantùm voluerit hominem non peccare ; ſed & velit, hominem lapſum , atque adeò quantùm criminoſum reſurgere , ac recipiſcere.* Et hoc conformiter ad illud Ezechielis : *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii :: & non ut convertatur à viis ſuis & vivat.* Vult inquam Deus , & ſub comminatione pœnæ æternæ intimat, ut nullus de tali præcepto generaliter dato dubitet. Sic enim loquutus fuit Chriſtus Dominus : *Si pœnitentiam non egeritis , omnes ſimiliter peribitis.*

Concilium Colonienſ.titul. de Sacram. Pœnitentiæ.

Ezechiel.18.v.23.

Lucæ 13.v.5.

399 Ab illa autem Dei benignitate indeque derivato pręcepto pœnitendi antiquos excludere Judæos , ita perverſum eſt , quàm quod maximè. Cum illis ſiquidem loquebantur Prophetæ (futuros licèt homines non excluderent) ad pœnitentiam crebrò hortantes, miniſque terrentes legis illius tranſgreſſores. In Iſaia namque hujus generis comminationes & exortationes frequentes ſunt: *Lavamini, mundi eſtote : quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere.* Et rursùs: *Derelinquat impius vias ſuas :: & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ei :: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Apud Ezechielem ſimiliter legitur toto cap.18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris , & non erit in ruinam iniquitas.* A Joele etiam dicitur : *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Hæc & alia ſimilia Prophetarum monita meditans Eccleſiaſticus ita exortabat : *Ne tardes converti ad Dominum , & ne differas de die in diem.* Ea omnia Prophetarum graviſsima pronuntiata , ſuo exemplo firmiora (ſi ita licet loqui) reddidere ; Regius ipſe Propheta toto Pſalmo 50. & rursùs cum ajebat : *Laboravi in gemitu meo , lavabo per ſingulas noctes lectum meum* ; & alia hujuſmodi. Ezechias etiam Rex , dum pœnitens clamabat : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animę meæ.* Inſuper ſi in Lege antiqua præceptum non vigeret pœnitendi de peccatis , ut quid Deus ex triplici ſacrificiorum genere , alia ordinavit ad expiationem peccati ? ſivè ut loquitur D. Thomas : „ Aliud „ erat ſacrificium pro peccato , quod offe- „ rebatur Deo ex neceſsitate remiſsionis „ peccati : & conveniebat ſtatui pœniten- „ tium in ſatisfactione peccatorum. Ad quid etiam Sacramenta illa quæ ad remiſsionem ordinabantur peccatorum , uti circumciſio, cui correſpondet in nova Lege Baptiſmus: & omnes purificationes veteris Legis , quibus correſpondet Sacramentum Pœnitentiæ, prout ibidem adnotat D.Thomas.

Antiquis Judæis pręceptū pœnitētiæ inſtabat.

Iſaiæ 1.v.16.

Cap.55.v.7.

Ezechiel.18.v.30.

Joelis 2.v.12.

Eccleſiaſt.5.v.5.

Pſalm.6.v.7.

Iſaiæ 38.v.15.

D.Thom. 1.2. q.102. ar.3.ad 8.

Aart.5.ad 3.

400 Tandem dubitari non poteſt , antiquos Judæos præceptis naturalibus adſtrictos fuiſſe ; ſed pœnitere de peccatis inter naturalia pręcepta reponendum eſt : ergo huic pręcepto obligati fuerunt. Aſſumptam propoſitionem docuit & demonſtravit Auguſtinus inquiens : *Vox eſt etiam naturæ, neminem ſtultum rei hujus notitia deſeri , hoc nobis niſi etiam penitùs inſitum eſſet , periremus : poteſt aliquis dicere non ſe peccare; non autem ſibi eſſe , ſi peccaverit pœnitendum ; nulla barbaries dicere audebit.* Auguſtinum pro more ſequutus Thomas Angelicus reſolvit : „ De jure naturæ eſt , quòd „ aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quan- „ tùm ad hoc quod doleat ſe feciſſe, & do- „ loris remedium quærat per aliquem mo- „ dum , & quòd etiam aliqua doloris ſigna „ oſtendat , ſicut & Ninivitæ fecerunt. Nec mirùm natura ipſa pręceptum intimet pœnitendi; cùm aliundè doceat nos, ut injuriam alteri irrogatam reſarcire curemus; quemadmodum deſideramus nobis ſatisfactionem fieri pro acceptis injuriis, juxta generaliſsimum naturæ principium : *Quod vis tibi per alium fieri ; etiam facias ei.* Pędictum præceptum deducit aliundè D. Thomas ex triplici capite: primò quidem ex lege juſtitiæ, ut ſatisfaciamus quantùm in nobis ſit , pro injuria Deo illata. Secundò ex lege charitatis , erga Deum , qua tenemur illum amare ſuper omnia , ac deteſtari quidquid illi diſplicet , ut ipſi reconciliemur. Tertiò ex lege amoris boni proprii , qua ſaluti noſtræ conſulere debemus. His ita conſtitutis, arma Scholę ad deſtruenda Queſnelli errata ex utroque capite vertimus.

S.Auguſt. lib.de Duab. animal. cap.14.

D. Thom. 3. p. q.84.ar.7.ad 1

Jonæ 3.

Præceptū pœnitendi naturale eſt.

D.Thom. ar. 5. ad 2.

401 Ex primo inquam capite ſic diſputamus : Deus ſincero voluit affectu antiquos Judæos ſalvari , eos in peccatum lapſos præcepto conſtrinxit pœnitendi; ſed neutrum ex his ſubſiſteret , niſi Deus illis conferret auxilia adminus ſufficientia : ſic ergo tenendum eſt incunctantèr. Aſſumptam propoſitionem quantùm ad primum demonſtramus primò : Quandoquidèm ſincera voluntas homines promovendi ad finem vitæ æternæ, non poteſt non velle illis diſpenſare media pro fine illo conſequendo apta & requiſita: illuſoria ſiquidèm videtur intentio finis, quæ mediorum electionem non inducit; quis autem ambigat , inter media ad ſalutem æternam conſequendam , non infimum habere locum auxilia gratiæ ſupernaturalis , ſaltem ſufficientia. „ Hujus voluntatis effectus (in- „ quit Div.Thom.) eſt ipſe ordo naturę in „ finem ſalutis , & promoventia in finem „ omnibus communitèr propoſita , tàm na- „ turalia, quàm gratuita , ſicut potentię na- „ turales , & præcepta legis , & hujuſmodi. Nec ita intelligas propoſita , ut Deus offerat dumtaxàt. Quia evaſsionem hujuſmodi præluxerat jam idem Doct. Angelicus. Cùm enim ſibi oppoſuiſſet , quòd Lex vetus non ſufficiebat ad ſalutem , ſicque non pertinebat ad Deum , *Qui vult omnes homines ſalvos fieri* , ita reſpondet. „ Ad quartum di- „ cendum , quòd quamvis Lex vetus non „ ſufficeret ad ſalvandum homines, tamèn „ adderat aliud auxilium à Deo hominibus „ ſimul cum lege , per quod ſalvari pote- „ rant , ſcilicèt fides Mediatoris , per quam „ ju-

Ex voluntate ſalvādi homines , auxilia derivātur ſufficientia, & nō ponentibus obicem efficacia.

In 1. diſt. 46. q.1 ar.1.in corpor.ad mediū.

1.2.q.98.ar. 2. ad 4.

,, juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam ,, nos juſtificamur: & ſic Deus non deficie- ,, bat hominibus, quin daret eis ſalutis au- ,, xilia.

402 Fateamur itaque antiquis Judæis (ſicut generaliter hominibus viatoribus) Deum auxilia offerre ſuæ gratiæ, nedùm ſufficientia, ſed etiam non ponentibus obicem efficacia; ita tamen offert, ut petentibus reipſa conferat, ut autem petant ſufficienter excitat. Indè Auguſtinus: *Ut videlicet intelligamus, docentibus vobis, ideò non omnes ſalvos fieri; quia ipſi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quęrere, cùm Deus velit oſtendere; nolunt pulſare, cùm Deus velit aperire.* Et ne quis antiquos excluderet Judęos, Div. Proſper ſubjungit: *Elaboratum eſt quantum Dominus adjuvit, ut non ſolùm in noviſsimis diebus, ſed etiam in cunctis retrò ſæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere diverſaque menſura.* Videat nunc Queſnellus, an Auguſtinus in ſe ipſo, & in diſcipulis manifeſtus, auxilia Divinæ gratiæ excluſerit ab antiquæ Legis cultoribus? Ita (per calumniam certè) ei imponebant Pelagiani, quos proindè ita Auguſtinus increpavit: *Quis Catholicorum dicat, quòd nos dicere jactitant, Spiritum nempè Sanctum, adjutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſè?* Et alibi: *Lux data eſt ut Medicus*, id eſt, *Gratia adjuvans.* Et tandem: ſi gratiam omnem Auguſtinus ſubſtraxiſſet ab antiquis Judæis, quomodo de illis pronuntiaſſet: *Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant?*

S. Auguſt. lib. 4. contra Julianũ cap. 8.

S. Proſper. lib. 2 de vocatione gent. cap. 31.

Petentibus auxilia Deus diſpenſat.

S. Auguſtinus lib. 5. ad Bonifac. cap. 4.

Ser. 13. de verb. Apoſt.

Lib. de grat. & lib. arb. cap. 12.

403 Ad monſtrandam propoſitionem ſupra aſſumptam, pro ſecunda parte deſcendimus. Ex intimato pœnitendi præcepto veram in antiquis Judæis potentiam pœnitendi derivare debent omnes Catholici, ſed hæc pœnitendi poteſtas non alitèr lapſis advenire poteſt, niſi per auxilia gratiæ ſufficientia: ea igitur non denegata fuere antiquis Judæis, aliàs deſperandum fuiſſet de illis contra illud Auguſtini: De nullo enim deſperandum eſt, quandiù patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Propoſitio minor ipſa eſt Catholica veritas contra Pelagianos quàm ſæpè diffinita: Propoſitio autem major adeò certa Angelico Doctori apparuit, ut non timuerit affirmare; Deum fore crudelem, ſi hominem obligaret, ad obſervanda præcepta, quæ non poſſet. Sicut homini imputaretur ad crudelitatem, ſi obligaret aliquem per præceptum ad id quod implere non poſſet. Et rursùs: Undè dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſsit, erroneum eſt. Quinimò, & de ipſis in peccato obſtinatis, ita loquitur. In ſtatu viæ nullus eſt qui mentis obſtinationem non poſsit deponere, & ſic Divinæ voluntati conformari. Hujus veritatis rationem aſsignat inquiens: ,, Sapientia Dei & miſericordia vincit humanam malitiam; ſed ,, homo poteſt uſque ad extremum vitæ ,, peccare: ergo poteſt uſque tunc de peccatis per Divinam miſericordiam veniam ,, conſequi. Hieronymus etiam præluxerat Angelico Doctori apud ipſum ſcribens: Qui dicit Deum præcipere impoſsibilia anathema ſit. Probavit deinde Tridentinum graviſsimis illis verbis: *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei pręcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſsibilia. Nam Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adjuvat ut poſsis.*

Ex præcepto pęnitendi auxilia monſtrãtur diſpenſata.

D. Thom. in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 3. in ſed contr.

3. part. q. 86. ar. 3. in corp.

In 1. diſt. 48. q. 1. ar. 3. ad 2.

In 4. diſt. 20. q. 1. art. 1. in ſed contra.

Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11.

404 Accedit quòd ſi antiquis Judæis ſubſtracta fuiſſent auxilia ſufficientia, indeque pœnitere non potuiſſent, non eis impœnitentia ad culpam imputaretur: *Nemo ſiquidem peccat in eo quod vitare non poteſt.* Hoc autem quàm falſum ſit, oſtendunt frequentiſsimę antiquorum Prophetarum adverſus Judæos increpationes, ob pœnitentiam de peccatis non præſtitam, iterata Dei ſupplicia contra impœnitentes Judæos. Indè Magnus Auguſtinus: *Facile eſt* (inquit) *ut infidelitatem accuſemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud ſe tàm magnis virtutibus credere noluerunt.* Deindè dicit: *Cęcitas cordis ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur, arguitur autem juſtè ubi dicitur Phariſæe cęce, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis.* Tandem ut alia omittamus: *Iſta cæcitas fuit Judæis grande incredulitatis malum, & grandis cauſa peccati, ut occiderent Chriſtum.* Et quid aliud ſignificavit Chriſtus Dominus ad impios Phariſæos loquens: *In peccato veſtro moriemini:: Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris.* In peccato veſtro permanentes (exponit D. Thomas) moriemini. ,, Quod po- ,, teſt intelligi: uno modo de morte corpo- ,, rali, & ſic in peccatis ſuis moritur, qui ,, uſque ad mortem perſeverat in eis. Et ſic ,, per hoc quod dicit (*in peccato veſtro, &c.*) ,, exaggerat eorum obſtinatam pertinaciam ,, Jerem. 8. *Non eſt qui pœnitentiam agat* ,, *de peccato ſuo.* Ezechiel. 32. *Deſcenderunt* ,, *ad infernum cum armis ſuis.* Alio modo ,, de morte peccati, de qua dicitur in Pſalm. *Mors peccatorum peſsima.* Quod diximus de præcepto pœnitendi, de aliis etiam antiquæ legis mandatis intelligendum eſſe, Deus ipſe ſignificavit. Poſtquam enim in Deuteronomio omnigena illius temporis pręcepta per Moyſen Dominus intimavit, quaſi compendio concludit: *Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta ejus & cæremonias, quæ in hac lege conſcripta ſunt; & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua; mandatum hoc, quod ego præcepio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in Cęlo ſitum ut poſsis dicere: quis noſtrum valet ad Cęlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum: ut cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit tranſ-*

Denegatis auxiliis, non imputaretur ad culpam impœnitentia.

S. Auguſtin. lib. de prædeſtinat. Sanct. cap. 9.

Lib. 1. oper. imperf. p. 41.

Tract. 53. in Joann.

Joann. 8. v. 21. & 24.

D. Thom. ibid. lect. 3.

Deuteron. 30. v. 10.

fre-

fretare mare, & illud ad nos uſque deferre: ut poſsimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.

405 Expreſsâ verbis iſtis, antiquæ legis obſervandę poteſtate divinitùs datâ Judæis; ſtatim, prœmii promiſsione benedictionibus pleni, ad legem obſervandam hortati fuerunt: à tranſgreſsione deterriti, comminatione pœnarum maledictionibus plena; & ubi ſupra ſummatim concluditur: *Conſidera quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum. Ut diligas Dominum Deum tuum & ambules in viis ejus, & cuſtodias mandata illius ac cœremonias atque judicia: & vivas:: ſin autem averſum fuerit cor tuum, & audire nolueris:: prædico tibi hodie, quod pereas.* Poſt tàm expreſſa verba, quis vel dubitare poteſt: Judæis antiquis ad culpam fuiſſe imputatam legis illius traſgreſsionem? Ad culpam inquam, & quidem graviſsimam, ut data opera oſtendere aſſumit Apoſtolus, à Divo Thoma quoad nos elucidatus. Poſtquam enim, eos in lege gloriantes inducit quaſi aliorum effectos Magiſtros, eorum defectum urget ſecundùm tranſgreſsionem legis. ,, Et primò quidem (loquitur Divus Tho- ,, mas) hominis ad ſe ipſum, cum dicit, ,, *qui ergo alium doces*, oſtendit defectum ,, eorum ſecundùm tranſgreſsionem legis: ,, Et primò hominis ad ſe ipſum cum di- ,, cit: *Qui ergo alium doces*, dirigendum ,, ipſum ad bonum, *te ipſum non doces*, ,, dirigendo. Et poteſt legi, vel interroga- ,, tivè, quaſi cum quadam indignatione, ,, vel remiſsè, quaſi aſſerendo eorum ma- ,, litiam: & ſimile eſt in ſequentibus: Job ,, 40. *Ecce docuiſti plurimos*: Et infra: *Nunc* ,, *tetigit plaga, & defeciſti*: Secundò tan- ,, git defectum quantùm ad proximum: Pri- ,, mò quidem quantùm ad res, quę fur- ,, to ſubtrahuntur, cùm dicit, *qui prędi-* ,, *cas non furandum, furaris?* Iſa. 1. *Prin-* ,, *cipes tui infideles, ſocii furum*: Secun- ,, dò quantum ad perſonam conjunctam, ,, quæ per adulterium polluitur: Et quan- ,, tùm ad hoc dicit, *qui doces non mæchan-* ,, *dum, mæcharis?* Oſee 7. *Omnes adulte-* ,, *rantes quaſi clibanus*: Jerem. 5. *Unuſ-* ,, *quiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat*: ,, Tertiò autem oſtendit eorum defectum ,, per comparationem eorum ad Deum: & ,, primò quidem quantùm ad hoc quod ,, peccabant contra ipſius cultum: Et quan- ,, tùm ad hoc dicit, *qui abominaris idola*, ,, cognoſcens ſcilicet ex præcepto legis ea ,, non eſſe colenda, *ſacrilegium facis*; abu- ,, tendo ſcilicet his, quæ pertinent ad di- ,, vinum cultum: quod quidem primò fe- ,, cerunt in ſtatu legis: Malach. 1. *Dicitis,* ,, *menſa Domini contaminata eſt*: Et poſt- ,, modum blaſphemando Chriſtum: Matth. ,, 12. *In Beælzebub principe dæmoniorum* ,, *ejicit dæmonia*, & cętera. Secundò quan- ,, tùm ad ipſam Gloriam, cùm dicit: *Qui* ,, *in lege gloriaris, per prævaricationem le-* ,, *gis Deum inhonoras*: Sicut enim legis ,, obſervantia in bonis operibus eſt occa- ,, ſio videntibus, ut honorent Deum, ita ,, etiam tranſgreſsio legis per mala opera ,, occaſio eſt videntibus, blaſphemandi: 1. ,, Pet. 2. *Converſationem veſtram inter gen-* ,, *tes habentes bonam, ut ex bonis operibus* ,, *vos conſiderantes glorificent Deum.* E con- ,, tra autem dicitur 1. Tim. 6. *Quicunque* ,, *ſunt ſub jugo ſervitutis, dominos ſuos* ,, *omni honore dignos arbitrentur, ne nomen* ,, *Domini, & doctrina (fidei) blaſphemetur*: ,, Et ideò in Pſalm. 118. dicitur: *Vidi prę-* ,, *varicantes, & tabeſcebam*: Et ad hoc ,, inducit auctoritatem ſubdens: *Nomen* ,, *enim Dei per vos blaſphematur inter gen-* ,, *tes*: Quia ſcilicet Gentes videntes Ju- ,, dæorum malam converſationem, reputa- ,, bant hoc provenire ex mala inſtructione ,, legis à Deo traditæ: Dicit autem, *ſicut* ,, *ſcriptum eſt*, ſcilicet, Iſai. 52. *Domina-* ,, *tores ejus iniquè agunt, & jugiter tota* ,, *die nomen meum blaſphematur*: Et Ezech. ,, 36. Secundum aliam litteram, ubi no- ,, ſtra ſic habet: *Non propter vos faciam* ,, *domus Iſrael, ſed propter nomen Sanctum* ,, *meum, quod polluiſtis in gentibus.*

Deuteron. c. 27.

Cap. 30. v. 15.

Ad legem ſervandam inducti fuere antiqui Judæi, ejus tranſgreſsione in culpam deputata.

Romanor. 2. verſu 21.

D. Thom. ibid. lect. 4.

406 Prętereà probatur noſtra aſſertio, & quidem directè, iteratis teſtimoniis Prophetarum antiquæ legis, quibus auxilia Divinæ gratiæ Judęorum populo monſtratur eſſe data. Iſaias imprimis nomine Dei ſic loquitur: *Quid eſt quod ultra debui facere vineę meę, & non feci? An quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Ezechiel item Propheta conqueritur, quòd incasùm recepiſſent Judæi gratias, eiſque reſtitiſſent; cumque Deus eos voluerit mundare, non ſunt mundati. Oſeas deindè: *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* Et certè quid aliud indicat Deus ita ſuaviter loquutus: *Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas cuſtodiant.* Et rursùs dùm in eodem libro per Salomonem conqueritur: *Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Sed omnem dubitandi locum Proto-Martyr Stephanus pręcluſit ad Scribas & Phariſæos loquens: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſempèr Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos.* Quid autem eſt reſiſtere Spiritui Sancto, niſi auxiliis Divinæ gratię non obtemperare; vèl *Spiritum extinguere* ut loquitur Apoſtolus: ,, Cùm enim ,, aliquid boni (exponit D. Thomas) ex fer- ,, vore Spiritus Sancti vult (aliquis) facere, ,, vel etiam cùm aliquis bonus motus ſur- ,, git, & ipſe impedit, extinguit Spiritum ,, Sanctum (interiùs nempè ſpirantem.) Quis tandem in animum inducat Deum auxilia ſuæ gratię ſubſtrahere voluiſſe populo illi,

Iſai. 5. v. 4.

Ezech. 24.

Oſee 13. v. 9.

Prov. 23. v. 26.

Cap. 1. v. 23.

Act. 7. v. 51.

1. ad Theſſal. 5. v. 19.

D. Thom. ibid. lect. 2.

Teſtimonia Prophetarum & SS. Patrum.

etſi ſæpè rebelli, quem magna proſequutus fuerat benevolentia; cujus amoris magnitudinem ſub ſimilitudine Gallinæ ſignificavit Chriſtus Dominus: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*: & notat Auguſtinus, quatenus ſcilicèt protegit infirmitatem noſtram, ut reſiſtat Diabolo?

Matth. 23. v. 37.
S. Auguſtinus apud D. Thom. in Catena.
S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 19.

407 Antiquis Prophetis, & ſummo veritatis Magiſtro de more accedunt Sancti Patres: Auguſtinus imprimis ſupra laudatus de antiquis Judæis affirmans, quòd gratiam repellebant. Deindè univerſaliter affirmans: * Nulli hominum ablatum eſt ſcire utiliter quærere quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe ſummam imbecillitatem, ut quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dùm ſubvenit, nec laborat. Et de impiò Eſau determinatè loquens ait: Noluit Eſau, & non cucurrit: ſed etſi voluiſſet, cucurriſſet Dei adjutorio.... qui etiam velle, & currere vocando prꝑſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret. Chryſoſtomus etiam (ut alios Patres omittamus) ad verba illa Joannis: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*, ſic loquitur: Illuminat profectò quantùm in ipſo eſt.... Gratia in omnes diffuſa eſt, non Judæum, non Grꝑcum, non Scytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem effugit, aut dedignatur.... Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem æquo librent examine. Cùm enim omnibus aditus pateat, & à nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propiâ dumtaxat malitiâ ingredi recuſant.

Lib. 1. ad ſimplic. q. 2.
S. Chryſoſtomus hom. 7. in Joan.

408 Tandem probatur noſtra aſſertio argumento, quod dicitur à ſigno, vel ab effectibus: Auxilia ſiquidem Divinæ gratiæ à Deo procedunt per amorem quodammodò in homines diffuſum: Si ergo antiquos Judæos, dilectos fuiſſe à Deo oſtendimus, eos Divinæ gratiæ auxiliis inſtructos fuiſſe inficias ire nullus poterit. Ut autem primum oſtendatur ſat erit cum Apoſtolo (exponente Angelico Thoma) nonnulla recenſere beneficia, quibus populum illum ſibi devinxit Deus; quapropter Populi illius tranſgreſsiones meritò graviſsimè Paulum increpaſſe ſupra ſtatuimus, indicat etiam Apoſtolus ipſe, qui poſtquam inquit: *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum*, ſubjungit: *Judæi primùm*: Quia Judꝑis major pœna debebatur, tanquam cognoſcentibus Dei voluntatem per legem, exponit D. Thomas. Ea inquam beneficia tàm ingentia fuere, ut meritò Populus ille dictus ſit: *Pars Domini Populus ejus: Jacob, funiculus hæreditatis ejus.* Et rursùs in eodem libro populus ille ſupra Gentiles extollitur: *Nec eſt alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias juſtaque judicia; & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Inde fortè Apoſtolus inter Judꝑos & Gentiles illud poſuit diſcrimen; quòd iſti non ſolum non dicebántur filii; ſed nec etiam digni erant, ut Populi Dei dicerentur, ut notat D. Thomas ad verba illa Pauli: *Et erit in loco ubi dictum eſt eis, non plebs mea vos.* Dictus etiam fuit Judꝑorum populus Oliva fructifera in domo Dei: ad differentiam Populi Gentilium, qui tunc temporis oleaſter erat: *Tu autem* (inquit Apoſtolus ad Gentilitatem) *cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis Olivꝑ factus es.* Ubi Divus Thomas inter alia inquit: Gentilis in ſtatu Gentilitatis oleaſter, id eſt arbor infructuoſa erat. Oliva quidem dicitur ipſa gens Judæorum propter uberes fructus ſpirituales quos attulit: *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocavit Deus nomen tuum. Ego autem ſicut Oliva fructifera in domo Dei.* Judꝑos etiam ramos ibidem vocat Paulus, ex radice Sancta erumpentes; ſi autem ex radice Sancta; non illis defuit gratia cæleſtis ad fructus Deo reddendos.

Ex benevolentia Dei erga Populum Judaicum, firmatur aſſertio.

Rom. 2. v. 9.
D. Thom. ibid. lect. 2.
Deut. 32. v. 9. cap. 4. v. 7.
Rom. 9. v. 2[illegible] lect. 5.
Rom. 11. v. 1[illegible]
D. Thom. lect. [illegible]
Jeremiæ 11. [illegible] 16.
Pſal. 51. v. 10

409 Iterùm etiam Populi Judaici excellentiam recenſet Gentium Apoſtolus, jam ad Romanos, jam ad Epheſios ſcribens: Poſtquam enim magnam, qua premebatur triſtitiam, & continuum dolorem de perditione Judꝑorum ſignificat, eorum excellentiam ita memorat: *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & Teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: Quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem.* Ad Epheſios autem antiquos Judæos vocat: *Gentes cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſsionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium.* Quibus verbis, triplicem prærogativam Judꝑorum ſupra Gentiles indicat Apoſtolus, & ibidèm expendit D. Thomas. Hoc ipſum in teſtimonio prius adducto ſignificaverat Apoſtolus, ab eodem Sancto Doctore copioſè elucidatus. „ Oſtendit autem (inquit) eorum dignitatem tripliciter. Primò quidem quantùm ad ſuam gentem cùm dicit: *Qui ſunt Iſraelitꝑ.* Id eſt à genere Jacob deſcendentes, qui eſt dictus Iſrael, Gen. 32. Et Corinth. 11. *Iſraelitæ ſunt & ego*; et hoc ad dignitatem pertinet: Dicitur enim Deut. 4. *Non eſt alia natio tàm grandis, &c.* Secundò oſtendit dignitatem illius gentis ex Dei beneficiis: Inter quæ primò ponit ſpiritualia beneficia: Quorum unum reſpicit præſens: Et quantùm ad hoc dicit: *Quorum eſt adoptio filiorum Dei*: Unde dicitur Exodi 4. *Primogenitus meus Iſrael.* Et hoc quidèm dicitur quantùm ad ſpirituales viros, qui fuerunt in illo populo: Quantùm ad carnales verò ſupra cap. 8. innuit quòd acceperunt ſpiritum ſervitutis in timore: Aliud verò beneficium ponit, quod reſpicit futurum, cùm dicit: *Et gloria* (ſcilicet filiorum Dei eis repromiſſa) in cujus ſignum legitur Exod. ult. quòd *gloria Domini implevit tabernaculum.* Deinde ponit alia beneficia figuralia: Quorum tria ſunt figura præſentis ſpiritualis beneficii: Et horum primum eſt Teſtamentum; id eſt, pactum circumciſionis Abrahꝑ datum; ut dicitur Gen. 17. Quamvis hoc poſsit referri ad Teſtamentum novum, quod primò Judꝑis eſt prædicatum: Unde & Dominus dicebat Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quꝑ perierunt domûs Iſrael.* Et Jerem. 31. dicitur: *Feriam domui Iſrael fœdus novum.* Secundum eſt lex Moyſi data: Unde, & ſubdit, *Legiſlatio*: Eccl. 24. *Legem mandavit nobis Moyſes.* Tertium eſt cultus divinus, cùm dicit: *Et obſequium* quo ſcilicet Deo ſerviebant omnibus aliis gentibus ſervientibus idolis: Iſai. 44. *Et nunc audi ſerve meus Jacob, & Iſrael quem elegi.* Deinde ponit id quod pertinet ad futuram gloriam, cùm dicit: *Et promiſſa*: Promiſsiones enim factæ in veteri Teſtamento impletꝑ per Chriſtum, Judæis prꝑcipuè factæ videntur: Unde dicitur infrà cap. 15. *Dico Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis ad confirmandas promiſsiones Patrum, &c.* Fuerunt autem eis multæ promiſsiones factæ de bonis terrenis: ut patet Levit. 26. & Deut. 18. Sed per illa temporalia bona, ſpiritualia figurabantur: Tertiò autem deſcribit dignitatem Judæorum, & ex origine, cùm dicit: *Quorum Patres*: Quia ſcilicet ſecundùm carnem ſunt progeniti ab illis patribus, qui fuerunt maximè Deo accepti: Deut. 4. *Dilexi Patres tuos, & elegi ſemen eorum*: Oſee 9. *Quaſi prima poma ficulneꝑ ejus vidi Patres eorum.* Quartò oſtendit dignitatem eorum ex prole, cùm dicit: *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem*: Sicut ipſe dicit Joann. 4. *Salus ex Judæis eſt.* Poſtquam ita beneficiis inſignitum, Populum Judaicum memoravit Apoſtolus; quid nos memoremus reliqua, quibus Scriptura veteris Teſtamenti abundat? Libertatem nimirum ab Ægyptiaca ſervitute tot prodigiis vallatam; tranſitum maris Rubri mirabilibus plenum; Panem Cœli Judæis in deſerto datum; & volatilia pennata in alimentum ſimul, & ſuavem delectationem; Serpentem æneum in medicinam contra ignitos Serpentes: Duriſsimam Petram aquas largitèr in potum præbentem, iteratas contra inimicos potentiſsimos completas victorias; terram fluentem lacte, & melle ad poſsidendum, à captivitate Babylonica ſolutionem mirabilem; Et (ut alia omittamus) Divinum ſubſidium, ſimùl & præſidium toto Machabꝑorum tempore mirabiliter elucens: ſi ergo (ad caput redeat argumentum) Divinæ gratiæ auxilia à Deo procedunt per amorem quodammodo in homines diffuſo; quis ambigat de ſpeciali Dei erga antiquos Judæos amore?

Rom. 9. v. 4.
Ad Epheſ. 3. v. 6.
D. Thom. ibid. lect. 1.

Triplex Populi Judaici prærrogativa.

§. III.

Antiquos juſtos fructibus fœcundos monſtrans.

410 ASSERENDUM eſt ſecundò, plures inter legis antiquæ cultores, etiam gratia efficaci adjutos, ſuaves fructus ſalutis Deo dediſſe. Plura in hujus aſſertionis ſtabilimentum indicare poſſumus ex proximè dictis pro præcedenti aſſertione. Cùm enim Apoſtolus Iſraëlitarum dixit fuiſſe adoptionem filiorum; benè adnotavit laudatus D. Thomas: *Hoc quidem dicitur quantùm ad ſpirituales viros qui fuerunt in illo Populo.* Quis deindè copioſam meſſem ſpiritualem denegare poteſt, Moyſi, Prophetis, Patriarchis, & antiquæ legis Doctoribus, ad excolendam vineam illam à Deo adjuvante miſsis; poſtquam Chriſtus Dominus ad Apoſtolos dixit: *Ego miſi vos metere, quòd vos non laboraſtis?* „ Ad labores autem Prophetarum, (ex Origene inquit D. Thomas) & Moyſi advenerunt Apoſtoli, inſtruente Jeſu, metentes, ac in horrea colligentes animæ ſuꝑ intellectum, in ſcripturis illorum reconditum: Et ſempèr qui debitè capiunt diſciplinam priorem, labores ad majorem evidentiam trahunt; non tantùm laborantes ſunt hi qui ſemina condiderunt. Et Auguſtinus ad verba illa Chriſti Domini inquit: *Ubi jam laboratum erat, utique ſeminatum erat: Quò ergo erant meſſores mittendi? Ubi jam Prophetꝑ prædicaverunt*: Et inferius: *Quoniam laboraverunt ipſi Abraham, Iſaac, & Jacob: In omnibus laboribus eorum prophetia Chriſti; & ideo ſeminatores, Moyſes, & Prophetꝑ quanta pertulerunt quando ſeminabant? Ergo jam in Judꝑa meſsis parata erat.* Parata inquam Meſsis ad novos, & uberiores fructus legi gratiæ proportionatos. At quis dubitet in ipſis Patriarchis, & Prophetis uberes fructus præceſiſſe? Non dubitavit utique Paulus Gentem Judæorum Olivam appellans, propter uberes fructus ſpirituales quos attulit (exponebat anteà D. Thomas;) cùm hujus Olivꝑ radicem, & fructuoſos ramos, Patriarchas & Prophetas fuiſſe ſignificavit (eodem D. Thoma exponente.) Qui jam num. 142. laudatus ajebat: „ Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritûs Sancti, qui principalitèr expectabant promiſsiones ſpirituales, & æternas: & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam.

Joan. 4. v. 38.
Origenes in Cat. Aur. D. Thom.
S. Auguſt. ibid.

Antiqui Patres ad ſeminandū miſsi, uberes fructus collegerunt.

411 Probatur ſecunda aſſertio: quia ubi gratia ſanctificans viget & charitas, fructus exur-

exurgunt ſalutis; charitas ſiquidem otii impatiens neſcit vivere ſi fructus ſpirituales non elicit; *magna etenim operatur, ſi eſt, ſi autem non operatur non eſt*, juxta vulgatum Magni Gregorii pronuntiatum, pulchra allegoria in Rachele, à noſtro Saleſio explicatum, dùm Rachelem loquentem inducit: *Da mihi liberos alioquin moriar.* Gratia deindè: *Fons dicitur aquæ ſalientis in vitam æternam.* Si ergo in antiquis Patriarchis & Prophetis, gratiam & charitatem irradiaſſe oſtenderimus, concluſum erit contra Queſnellum; illos, quam plures Deo dediſſe fructus, quaſi filios. Jam verò ita contigiſſe breviter demonſtramus; ſive demonſtrat D. Thomas, cùm miſsionem inviſibilem Divinarum Perſonarum antiquis Patriarchis factam fuiſſe oſtendit; licèt non in ea plenitudine, qua ad Apoſtolos in novo Teſtamento. Certum namque eſt apud Theologos, miſsionem illam fieri ratione gratiæ gratum facientis. Imò addit Doct. Sanct. ,, Sed verum eſt quòd quaſi ad aliquas ſpeciales perſonas eſt in veteri Teſtamento, ,, pleniſsima facta miſsio, ſecundùm perfectionem virtutis, & ipſi tamen de plenitudine Chriſti acceperunt, inquantùm in ,, fide Mediatoris ſalvati ſunt, ſecundùm ,, Auguſtinum. In Summa deindè Theologica cùm ſibi oppoſuiſſet Sanct. Doctor: ad Patres veteris Teſtamenti factam non fuiſſe miſsionem inviſibilem, juxta illud Joannis: *Nondùm erat Spiritus datus, quia nondum erat Jeſus glorificatus.* Ita reſpondet: ,, Ad ,, primum dicendum, quòd miſsio inviſibilis eſt facta ad Patres veteris Teſtamenti. ,, Unde dicit Auguſtinus 4. de Trinitate cap. ,, 20. quòd ſecundùm quod Filius mittitur ,, inviſibilitèr, fit in hominibus, aut cum ,, hominibus. Hoc autem antea factum eſt ,, in Patribus & Prophetis. Cùm ergo dicitur, nondùm erat datus Spiritus, intelligimus de illa datione cum ſigno viſsibili, ,, quæ facta eſt in die Pentecoſtes.

S. Franciſcus Saleſius in Praxi divini amoris lib. 11. c. 5.

D. Thomas in 1. diſt. 15. q. 5. a. 2.

Antiqui PP. miſsione inviſibili Divinarum perſonarum donati, gratiæ & charitatis fructus dedere.

Joan. 7. v. 39.
D. Thom. 1. p. q. 43. a. 6. ad 1.

412 Gratiam ſufficientem antiquis Judæis non denegatam, in apertò collocarunt eximię populo illi prærogativæ divinitùs conceſſæ; reliquum tandem eſt, ut eodem proportionalitèr argumento, antiquis Patriarchis & Prophetis gratiam elargitam monſtremus plenè ſufficientem, & fœcundè efficacem. Deus ſpeciali amore populum Judaicum præ Gentili proſequutus fuit, ut multis docuit nos Gentium Apoſtolus; ſed inter Gentiles nonnulli fructûs germinarunt ſalutis æternæ, ſivè ut loquitur apud Div. Thomam magnus Dionyſius: *Multi gentium per Angelos reducti ſunt in Deum*: quis ergo ſimiles aliquibus ſaltèm ex antiquis Judæis deneget fructus, imò uberiores, & lege illa dirigente ſecuriores; eodem Angelico Doctore affirmante (ut aliàs diximus) ,, Quòd Gentiles perfectiùs & ſecuriùs ſalutem conſequebantur ſub obſervantiis le- ,, gis, quàm ſub ſola lege naturali: & ideò ,, ad eas admittebantur. Sicut etiam nunc ,, laici tranſeunt ad Clericatum, & ſæcula- ,, res ad Religionem, quamvis abſque hoc ,, poſſent ſalvari. O utinam Queſnellus Patriarcharum, & Prophetarum antiqui fœderis voluntarius inhonorator, evolviſſet antiquitatis monumenta, ut cerneret in Gentilitate viros aliquos ſanctitate, conſpicuos, uti beatum Job, alioſque ante adventum Chriſti Domini extra populum Judæorum ſobriè, juſtè & piè viventes. Ut nihil dicamus de antiquis Sibyllis, ne fortè Queſnellus criticæ diſciplinę ad immoderantiam deditus, earum & oracula, & geſta ad fabulas mittat; prout ſimilibus criticis ſolemne faciliter eſt. Sed agè, argumentum breviter inſtauremus: Illi, qui in Gentilitate fructus ſalutis æternæ dederunt, non niſi per Chriſtum Dominum ipſis quadantenùs prænuntiatum, & in ejus fide, ut plurimum implicita, ſalutem æternam conſequuti fuere. Cùm ergo nobilioribus inter antiquos Judæos, Patriarchis, Prophetis, Doctoribus expreſsiùs fuiſſet Chriſtus Dominus prænuntiatus tanquàm totius juſtitiæ conſummator, uberiores ſalutis æternæ fructus debemus ipſis conſignare. Sed de hoc plura diximus circa utriuſque legis differentias.

S. Dionyſius lib. 9. de celeſt. Hierarch. c. 9.
D. Thom. 1. 2. q. 98. a. 5. in ſed contr.

Solut. ad 3.

Plures in Populo Judaico, quàm in Gentilitate fructus ſalutis numerandi.

§. IV.

Queſnellanæ propoſitiones rejectæ.

413 EX prima aſſertionē ſtabilita, ſua ſponte licèt corruant propoſitiones 6. 7. 63. & 64. ſupra notatæ: eas nihilominus ſigillatim rejiciendas aſſumimus pro majori Catholicæ doctrinæ abundantia. Prima enim & ſecunda, nihil aliud enuntiant niſi quod Deus gratiam ſubtraxit populo illi, in ſua infirmitate relicto, & naturali impotentia ad opera ſalutis. Ut non immoremur circa ſecundam partem ſecundæ propoſitionis, in qua errorem errori accumulat Queſnellus, dùm ſubjungit, quòd in novo Teſtamento: *Deus donat quod petit à nobis.* Erravit inquam in deſcribenda novi teſtamenti, & gratiæ Chriſti notione. Deus ſiquidèm à nobis petit in lege Evangelica perfectiora ſalutis æternę opera, virtutumque omnium honeſtas operationes, prout multis demonſtratum eſt contra bonorum operum oſſores: ſi ergo Deus nobis donat quod petit à nobis, donat utique ad legem Evangelicam exacta opera, virtuoſas operationes: ſi Deus donat, quid nobis reſtat niſi recipere, nec poſſe reſiſtere Deo auxilianti? Et tamen utrunque ex duobus contra Lutheranos & Calviniſtas, ante exortum Queſnellum damnaverat jam Tridentinum circa præparationem ad juſtificationē: * Ut * qui, per peccata à Deo averſi erant, per * ejus excitantem, atque adjuvantem gra- * tiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſo- * rum

Tridentinum Concilium ſeſsione 6. cap. 5

* rum juſtificationem, eidem gratiæ liberè * aſſentiendo, & cooperando diſponantur; * ita ut tangente Deo cor hominis per Spi- * ritus Sancti illuminationem, neque homo * ipſe nihil omninò agat, inſpirationem il- * lam recipiens, quippè qui, illam & abji- * cere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei * movere ſe ad juſtitiam coram illo liberè * ſua voluntate poſsit. Et inſuper: Si quis * dixerit liberum hominis arbitrium à Deo * motum & excitatum nihil cooperari aſ- * ſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, * quoad obtinendam juſtificationis gratiam * ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſ- * ſentire, ſi velit, ſed veluti inanime quod- * dam nihil omninò agere, merèque paſsi- * vè ſe habere, anathema ſit. Utinam Queſnellus æmulatus fuiſſet Doctorem Angelicum profunda qua pollebat catholica perſpicuitate, propoſitum aſſumptum elucidantem. Sic enim tertiam petitionem orationis Dominicæ exponens, prudentèr loquitur: ,, Notandum autem quòd ex modo loquendi ,, datur nobis doctrina. Non enim dicit *fac*, ,, nec *faciamus*, ſed dicit *fiat voluntas tua*, ,, quia ad vitam æternam duo ſunt neceſſaria, ſcilicèt gratia Dei, & voluntas hominis. Et licèt Deus fecerit hominem ſine ,, homine, non tamen juſticat eum, ſine eo. ,, Auguſtinus ſuper Joann. *Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te*, quia ,, vult quòd homo cooperetur: Zachar. 1. ,, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Apoſtolus 1. Corinth. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Non ergo præſumas de ,, te, ſed confidas de gratia Dei. Nec negligas, ſed adhibeas ſtudium tuum. Et ,, ideò non dicit *faciamus*, ne videretur ,, quod nihil faceret gratia Dei, nec dicit ,, *fac*, ne videretur quòd nihil faceret voluntas, & conatus noſter, ſed dicit *fiat* ,, per gratiam Dei adhibito ſtudio, & conatu noſtro. Addimus quòd multa Deus exigit & petit ab homine, quæ non donat: ab omnibus utique antiquis Judæis, fugam exigebat peccati, & legis præcipiebat implementum; hoc ipſum, à nobis in lege Evangelica exigit; & tamen non omnes Chriſtiani peccata fugiunt, & mandata implent: multa igitur his jubet quòd non dat. Si enim omnia daret, quæ jubet in lege nova, gratiâ dumtaxàt efficaci, & nunquam purè ſufficienti eos inſtrueret, ad quos mandata dirigit; ſicque devoranda eſt à Queſnello Janſeniana illa propoſitio: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, nec mirùm poſtquam propoſitionem 8. ſcripſit: *Quod in lege gratiæ, Deus operatur in nobis id quod nobis præcepit.*

Canone 4.

D. Thomas Opuſc. 3.

Non omnia Deus donat, quæ jubet, etiam in lege Evangelica.

Janſenii propoſitio.

414 Utriuſque igitur propoſitionis falſitas, eò ſolum appareret, quòd Judæi inſtructi fuerunt, ut ſtatuimus gratiâ ſufficienti. Fateamur ergo cum Div. Thoma ſupra laudato: ,, Quòd antiqua lex ex ſe non ſufficiebat ad ſalvandos homines: tamen ,, aderat aliud auxilium à Deo hominibus, ,, ſimul cum legè, per quod ſalvari poterant: ſcilicet fides mediatoris, per quam ,, juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam ,, nos juſtificamur. Et ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis ,, auxilia. Imò hujus generis legem illam convenientèr fuiſſe, oſtendit ibidem Doctor Angelicus; ut ſcilicet per legem ſe agnoſcentes peccatores juxta illud: *Per legem cognitio peccati*, recurrerent ad auxilium gratiæ: ,, Sicut enim (inquit D. Thomas) Deus aliquando permittit, aliquos ,, cadere in peccatum, ut exindè humilientur (ut ex Auguſtino alibi oſtenderat ,, Doctor Angelicus) ita etiam voluit talem ,, legem dare, quam ſuis viribus homines ,, implere non poſſent: ut ſic dùm homines præſumentes de ſe, peccatores ſe invenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ. Angelico Doctori, Queſnellanas propoſitiones prædamnanti de more præluxit Auguſtinus. Deus (inquit Queſnellus) in antiqua lege exigebat fugam peccati, & implementum legis; & ex alio capite relinquebat antiquos Judæos propriæ infirmitati, & impotentię. Sed quę major ſtultitia? * Quis non clamet (clamabat * Auguſtinus) ſtultum eſſe; pręcepta dare * ei, cui liberum non eſt, quod præcipi- * tur facere: & iniquum eſſe, eum damna- * re, cui non fuit poteſtas juſſa complere? * Quis peccet (dicebat alibi) in eo, quod * nullo modo caveri poteſt? Peccatur au- * tem; caveri igitur poteſt. Concludamus ergo cum Aquilino Doctore: * Lex æter- * na jubet; dator verò legis miſeretur: & * adjuvat in eo, quod lex jubet. Conantes * homines implere viribus ſuis præcepta le- * gis, ipſa ſua temeritate & pręſumptione * ceciderunt, & non fuerunt cum lege; ſed * ſub lege facti ſunt rei. Quia ut benè aliàs adnotavit: * Eò ipſo quo firmiſsimè * creditur, Deum Juſtum & Bonum impoſ- * ſibilia non potuiſſe pręcipere; hinc ad- * monemur, & in facilibus quid agamus, * & in difficilioribus quid petamus.

D. Thom 1. 2. q. 98. a. 2. ad 4.

Deus non reliquit antiquos Judæos in ſua impotentia.

Ad Rom. 3. v. 20.
D. Thom. ſolut. ad 3. 1. 2. q. 79. a. 4. in corp.

S. Auguſtinus lib. de Fide cont. Manich. c. 9.

Lib. 3. de liber. arbit. c. 18.

Tract 3. in Joā.
Lib. de nat. & grat. c. 69.

415 Et tandem non video qualitèr ſubſiſtere poſsint, iteratæ Prophetarum expreſſiones, quibus multæ miſericordiæ & verax Deus benignam & ſinceram voluntatem ſignificavit de optata pœnitentia, & ſalute Judæorum antiqui Teſtamenti; ſi ſemel eos reliquiſſet in ſua infirmitate, & impotentia converſionis. Expreſsiones illas ſupra datas hìc reticemus. Non ita tamen prętermittere poſſumus Auguſtinum (non ſolum de Eſau ut ſupra memoravimus) ſed de Caino, & Pharaone, relictos non fuiſſe à Deo in impotentia ſe ſe convertendi, dilucidè pronuntiantem: *Cùm ergo talia* (inquit) *ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt, voluiſſe eum, & quantùm ad illum medendi modum ſufficiebat, egiſſe, ut Cain ab illo iniquitatis furore recipiſceret? Sed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, unde debuiſſet eſſe correptior?* Sic Auguſtinus, vel Auctor libri 2. de vo- ca-

Neque Eſau Pharaonem, & ſimiles omninò dereliquit Deus in ſua impotentia.

S. Auguſt. lib. de Prędeſt. & grat. c. 15. & habetur c. Nabucodonoſor 23. q. 4.

catione Gentium cap. 13. Similia profert de Pharaone, Nabucodonoſori comparato. Omiſsis tandem exemplis de ſanctitate cultorum legis antiquę, contra reliquas propoſitiones ſtatìm adducendis, Queſnellum illis adjungamus Auctoribus, quorum eſt propoſitio ab Alexandro VIII. damnata ut ſupra indicavimus: *Judęi .... nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficienti.*

416 Adverùss ſexageſimam tertiam ſupra memoratam Queſnelli propoſitionem pauca dicturi ſumus; quatenus ſupponere videtur nullum Judæum antiquam legem obſervaſſe; cujus rei falſitas patentèr conſtabit. Falſum etiam eſt, quòd baptizatus adhuc eſt ſub lege antiqua, inquam ſi legem obſervet ex ſolo timore. Quia etiam fideles novi Teſtamenti legem obſervantes ex timore, in multis differunt ab antiquis Judæis: illi enim vel metu pœnarum æternarum, vel perdendæ fęlicitatis æternæ legem quandoque obſervant, etſi ad perfectionem legis non accedant.

D. Thom. 1. 2. q. 107. a. 1.

„In novo Teſtamento ſunt aliqui carnales nondum „pertingentes ad perfectionem novæ legis, „quos oportuit etiam in novo Teſtamento induci ad virtutis opera per timorem „pœnarum, & per aliqua temporalia pro„miſſa, inquit D. Thomas.

Rejicitur propoſitio 63.

Hoc autem non ex perfectione legis præſtant; ſed ex eorum imbecillitate. Per oppoſitum verò contingebat ut in plurimum Populo Judæorum: quia ſcilicet: „Lex vetus, quæ da„batur imperfectis, id eſt non conſequu„tis gratiam ſpiritualem (ſcilicet abundan„tiorem) dicebatur lex timoris, inquan„tùm inducebat ad obſervationem præcep„torum per comminationem quarundam „pœnarum, & dicitur habere temporalia „quædam promiſſa. Præterea rejicitur propoſitio illa: Nam baptizatus legem Chriſti obſervans ob timorem, vel eſt ſub lege antiqua adhuc, vel ſub nova? Si primum affirmet Queſnellus, affirmare cogetur; hujuſmodi Chriſtianos benè multos, teneri adhuc eiſdem legibus etiam cæremonialibus, quibus adſtricti erant veteres Judæi, quod fidei Catholicæ adverſari, oſtendit ceſſatio legalium tot momentis ſtabilita contra Millenarios. Si autem dicat ſub lege nova, id eſt, Evangelica; verum diceret, verba ſi expenderet & intelligeret ad mentem Pauli, & D. Thomæ elucidantis, prout data opera expendimus tractantes de libertate per Chriſtum nobis data, art. 4. § 1. unde repetere dumtaxat judicavimus verba aliqua Sanct. Doct. ad teſtimonium Apoſtoli, quo abutitur Queſnellus: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.*

Ad Galat. 5. v. 18.
D. Thom. ibid. lect. 5.

„Si hæc verba re„ferantur ad pręcepta moralia (exponit „D. Thomas) *ſic eſſe ſub lege* poteſt intel„ligi duplicitèr: vel quantùm ad obliga„tionem: & ſic omnes fideles ſunt ſub le„ge; quia omnibus data eſt: Undè dici„tur Matthęi 5. *Non veni ſolvere legem,* „*ſed adimplere, &c.* Vel quantùm ad coa„ctionem: Et ſic juſti non ſunt ſub lege; „quia motus & inſtinctus Spiritûs Sancti, „qui eſt in eis, eſt proprius eorum inſtin„ctus: Nam charitas inclinat ad illud idem „quod lex præcipit: Quia ergo juſti habent „legem interiorem, ſpontè faciunt quod „lex mandat ab ipſa non coacti: Qui ve„rò voluntatem malefaciendi habent, com„primuntur tamen pudore; vèl timore le„gis, iſti coguntur: Et ſic juſti ſunt ſub „lege obligante tantùm, non cogente, ſub „qua ſunt ſolum injuſti; 2. Cor. 3. *Ubi* „*ſpiritus Domini, ibi libertas*; 1. Tim. 1. „*Juſto non eſt lex poſita*; ſcilicet cogens.

Rejicitur propoſitio 64.

417 Ad ſexageſsimam quartam propoſitionem rejiciendam deſcendentes, exponere imprimis convenit qualitèr intelligendum ſit: *Maledictum legis*, quod dilucidè pro more ita expendit Div. Thomas:

Ad Galat. 3. v. 13.
D. Thom. ibid. lect. 5.

„Notandum quòd maledictum eſt quod di„citur malum. Et ſecundùm duplex ma„lum poteſt dici duplex maledictum; ſci„licet maledictum culpæ, & maledictum „pœnæ. Et utroque modo poteſt in„telligi quod de Chriſto Domino di„cit Apoſtolus (*Factus pro nobis maledi„ctum.*) Et primò quidèm de malo culpæ: „Nam Chriſtus redemit nos de malo cul„pæ: Unde ſicut redemit nos de morte „mortuos, ita redemit nos de maledicto „culpæ factus maledictum (ſcilicet culpæ) „non quidèm, quòd in eo peccatum eſſet „aliquod, *qui peccatum non fecit, nec do„lus inventus eſt in ore ejus*, ut dicitur „1. Petr. 2.

Qualiter Chriſtus D. dicitur: *Factus pro nobis maledictum.*

Sed ſecundùm opinionem ho„minum, & præcipuè Judęorum, qui re„putabant eum peccatorem: Joan. 18. *Si* „*non eſſet hic malefactor, non tibi tradi„diſſemus eum*; & ideò de hoc dicitur „2. Corinth. 5. *Eum qui non noverat pec„catum, fecit pro nobis peccatum*: : Secun„dò exponitur de malo pœnæ: Nam Chri„ſtus liberavit nos à pœna ſuſtinendo pœ„nam & mortem noſtram: quæ quidèm in „nos provenit ex ipſa maledictione pecca„ti: inquantùm ergo hanc maledictionem „peccati ſuſcepit, pro nobis moriendo, „dicitur eſſe factus pro nobis maledictum: „& eſt ſimile ei, quod dicitur Roman. „8. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimili„tudinem carnis peccati*; id eſt mortalis: „2. Corinth. 5. *Eum, qui non noverat* „*peccatum* (ſcilicet Chriſtum, qui pecca„tum non fecit, Deus, ſcilicet, Pater) *pro* „*nobis fecit peccatum*; id eſt, fecit pati „peccati pœnam, quando, ſcilicet, obla„tus eſt propter peccata noſtra.

418 Jam igitur adversùs malè conſarcinatam propoſitionem præpugnaverat Doctor Angelicus, dùm ſtatuerat:

D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 5. in corp. ad fin.

„Ad le„gem pertinet inducere homines ad obſer„vantiam mandatorum. Et hoc quidèm lex „vetus faciebat timore pœnarum: Si igitur lex vetus inducebat hominem *ad obſervantiam mandatorum timore pœnarum;*

er-

Queſnellus in Manichæiſmũ declinare arguitur.

erroneum eſt quòd nunquàm in illa fieret bonum, erroneũ quod fieret malũ, illud non niſi *ob timorem evitando.* Miſerrimi profectò, & inextricabili peccandi neceſsitate irretiti Judęi cenſendi ſunt à Queſnello: Affirmare ergo debebit antiquam legem fuiſſe obſervatu impoſsibilem, contra expreſſum Dei verbum in

Deut. 30. v. 10.

Deuteronomio. Ergo peccabant Judæi quocunque ſe verterent, ſivè legem adimplerent ſivè non: ergo cum Manichæis affirmare debet Queſnellus ſibi conſequens, quòd lex antiqua mala erat: Nam quomodo mala non eſſet lex, quę ſine peccato adimpleri non poſſet? Et ut nihil dicamus in præſenti de hac theſi, quatenus improbat omnem timorem ſervilem, de hoc aſſumpto plura contra Lutheranos, & ipſum Queſnellũ dicturi tom. 2. Diſſert. 3. ſat erit in ejus confuſionem, Deum ipſum adducere, per Salomonem ita

Prov. 14. v. 27.

loquentem: *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Et ne Queſnellus de timore filiali verba iſta intelligenda eſſe dumtaxat judicaverit: jam Deus ipſe per Moyſen ad populum in deſerto intimaverat: *Ut enim probaret vos, venit Deus,*

Exod. 20. v. 20.

& ut terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.

419 Argumento inſuper peremptorio propoſita theſis perimitur; quatenus ſcilicet innumeri extiterunt in veteri Teſtamento Judæi (pręter Prophetas, Patriarchas, eximięque Sanctitatis viros, de quibus circa theſim ſequentem,) bona operati, de quibus cum Apoſtolo iteratò dicere poſſu-

Ad Rom. 9. v. 4.

mus: *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria.* Et certè ſi non ita bonum feciſſent antiqui Judęi, falſum in ſua Apocalypſi

Apoc. 7. v. 9.

ſcripſiſſet Joannes: *Et audivi numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael*: Et infrà: *Poſt hęc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Signati dicuntur ſigno Crucis, intùs per fidem & amorem & memoriam & affectum imitandi, exponit ibi-

Ibidèm D. Thõ. Hugo Cardinalis ibidèm.

dèm Divus Thomas. Addit etiam Hugo Cardinalis, quòd in primo verſu ponit numerum ſignatorum de Judæis, & ſecundùm hoc intelligitur ſpecialiter ad litteram de ipſis. Et quia pauciores electi fuerunt de Judęis, propter hoc ponitur numerus certus, & finitus. Non ita de Gentilibus per numerum determinatum: *Sed quam dinumerare nemo poterat, niſi qui numerat multitudinem ſtellarum.* Sed percurramus antiquorum temporum ſingulas ætates, in quibus Populum Judaicum pro aliqua ſaltem parte, bona in obſequium Dei feciſſe videtur. Et imprimis cùm in Ægypto ſub Pharaone oppreſſus gemeret populus ille, ad Dominum clamans, exauditus eſt: ergo ſaltèm pro aliqua parte Deo acceptus erat: nam ſi totus in maligno poſitus fuiſſet, non

Exodi 3. v. 8.

creditu facilè eſt à Domino exauditum fore: teſtante Iſaia de pèccatoribus: *Cùm clamaverint ad eum, non audiet.*

Iſaiæ 46. v. 7.

420 Simile quid apparet de Judæis peregrinantibus in deſertum, graviter quidem delinquentibus in adoratione vituli, aliiſque criminibus; ſed illos Deum miſericorditer adjuvaſſe credimus, tùm terroribus, tùm blanditiis; aliiſque innumeris beneficiis, quibus deliniti Hebræi non videtur dubitandum, quòd eorum plures ſua agnoverint ſcelera pœnitentiâ ducti; cujus ſignum eſt, quod Deo mirabiliter opitulante, Cananæas gentes contriverint, earum urbes & terras occupaverint.

Plures ex antiquis Judæis, per ſingulas ętates bona operaſſe, Oracula ſacra memorant.

Nec eſt quod memorem tempora ipſa in quibus Judæi in pœnam idololatriæ & aliorum criminum, afflicti fuerunt ab adverſariis populi illius: quia etiam ſub illis perſequutionibus mirè affulſit divina erga populum ſuum benignitas. Tempore ſiquidem Judicum Idololatræ multi fuerunt, & ideò in captivitatem ſæpius dati; ſæpè etiam pœnitentes, patrię reſtituebantur, bella per ſtrenuos illos Duces gerente Domino: nec aliter in libertatem dati fuiſſent; quia non niſi pœnitentiâ & bonis operibus flectitur Deus. Eum placaverunt Judæi tempore Eſther, quæ (adjuvante Domino) cor Regis convertit in miſericordiam pro populo, qui proximus morti gemens, & ſuſpirans clamabat tota fortitudine ad Dominum. Placaverunt tempore Judith, quæ confortata deſuper abſtulit opprobrium Iſraël. Placaverunt, clavum regni tenente David, tenente Ezechia, tenente Joſaphat, qui omnes pietate floruerunt. Hoc ipſum, victorię innumeræ de hoſtibus reportatæ anuntiant. Placaverunt Judæi Dominum vel ipſo captivitatis Babylonicæ tempore; elapſis ſiquidem ſeptuaginta annis, à Cyro liberati, iterum & Templum, & Jeruſalem reędificaverunt lætantes. Igitur omni tempore fuerunt Judæi cultui divino addicti. Nec ſolum Judicum, & Regum libri, ſed & Machabęorum hiſtoria plures memorat Judæos tanta devotione antiquam legem obſervatos, ut eam ſub omni periculo defenderint. Eorum etiam in Deum obſequentiſsimum famulatum iteratæ victoriæ contra Antiochum, & crudeles ſucceſſores (Deo mirabiliter adjuvante) reportatę, ſignificant. Et ut alia omittamus, pietatem fortiſsimi Judæ Machabęi erga fratres defunctos memoremus, ut indè dubitare de pietate plurium ex antiquis Judæis nullus jure poſsit, niſi impius Lutherus, qui libros Machabęorum è Sacro Canone abſtulit. Judas igitur *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè, & religioſè de reſurrectione cogitans ... Et quia conſiderabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.*

2. Machab. 12. v. 43.

421 Ad ſexageſimam quintam propoſitionem quod attinet, ſat eſſet iterùm affirmare cum D. Thoma: „Aliquos fuiſſe in

D. Thom. 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2.

ſta-

„ ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritûs Sancti, qui principaliter ſpectabant promiſsiones ſpirituales & æternas, & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam. Si ergo Queſnellus antiquę legis Patriarchis & Prophetis opera charitatis denegaſſet, quantùm erat ex virtute legis illius, à veritate non recederet; cùm tamen in aſſerta propoſitione in erroris barathrum decidat. Hoc enim patenter oſtendunt eximia ſanctitatis opera antiquis Prophetis in libris ſacris aſſerta. Et quidem ſi verba illa propoſitionis: *Mortui ſunt abſque eo quod ullum Deo dederint filium*; juxta corticem litteræ nobis permiſſum ſit inſpicere: Eleazarum ſtatim memoraremus, qui ſeptem illos martyres Machabæos, veluti filios Deo dedit. Sic enim Antiocho liberè profeſsi ſunt apud Gregorium Nazianzenum: *Eleazari diſcipuli ſumus; pater prius decertavit, filii poſtea decertabunt.* Et apud Ambroſium: *Sequimur patrem filii, diſcipuli doctorem.* Si hæc de Eleazaro, quid dicendum de eorum matre? Nunquid mortua fuit, abſque eo quod ullum Deo dederit filium? *Noviſsimè autem poſt filios, & mater conſumpta eſt.* Conſumpta utique, poſtquam ſeptem illos, quos generandos & alendos ſuſceperat filios, Deo dedit lætabunda & gaudens. *Spectabat læta* (loquitur Ambroſius) *filiorum quot funera, tot trophęa; & morientium vocibus, pluſquam pſallentium cantibus delectabatur. Pulcherrimam ventris ſui cytharam (ſeptem quaſi fidibus inſtructam) in filiis ſuis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem.* Antea jam ſimile quid in Eleazaro commendans: *Septem inſuper filios offerens inſtitutionis ſuæ fructum, hoſtiam viventem, Deo placentem, omni ſacrificio clariorem & puriorem.* Dicat nunc Queſnellus, an Eleazarus, an Heroina illa mulier aliquem filium Deo dederint, an mancipia fuerunt per timorem?

Rejicitur propoſitio 65. — *2. Machab. 6. v.41.* — *S. Ambroſius lib. 1. Offic. c.4.* — *Lib. 2. de Jacob c.12.*

422 Sed agè rem profundiùs diſcutiamus. Illi ſiquidem Dei cultores Deo filios donant, qui in ejus obſequium opera præſtant, non timore pœnarum, veluti mancipia coacti, ſed liberè, delectabilitèr amore Dei ſuavitèr tracti: Nam ubi ſpiritus charitatis, ibi libertas; ubi amor, non labor eſt, ſed ſapor, ſivè ut loquitur cum Chryſologo Auguſtinus: *Amoris ſoror dulcedo, nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale computat amor verus*, ſed plures antiquæ legis cultores heroica virtutum opera in Dei obſequium liberè, & delectabilitèr præſtiterunt: non igitur abſque immani injuria pronuntiare potuit Queſnellus: *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis, mortui ſunt abſque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem.* Aſſumptam propoſitionem tota quanta eſt antiqui fœderis Sacra hiſtoria patentèr oſtendit: & ne ab inſtituto proximè laudato recedamus, initium ab Eleazaro & ſeptem fortiſsimis Machabæis (etſi eorum hiſtoria ad finem memoretur) ſumimus. Eleazarus ſiquidem omni pœnarum genere & morte crudeliſsima, legem Dei comminatus deſerere, fortitèr uſque ad mortem decertavit, & prompto animo pro graviſsimis & ſanctiſsimis legibus, relictus fuit in exēplum adoleſcentibus ipſis. *In Eleazaro cernimus* (ſcripſit Joſephus filius Gorionis) *ſcribam* (ſivè legis peritum, atque Doctorem) *Sacerdotem voluntariè procedentem, imò præeuntem alacritèr ad ſupplicium, libentèr patientem cùm poſſet à morte liberari; denique volentem præmitti in infernum potiùs, quàm ſanctæ, & à Deo conditæ legis conſtituta, quæ à puero optimæ converſationis actibus religiosè ſervaverat, diſſimulare, eorumque ſe fingere tranſgreſſorem. Ita legis Doctor, ita Sacerdos, propter graviſsimas, & ſanctiſsimas leges, honeſtâ morte perfunctus, adoleſcentibus exemplum forte reliquit, prompto animo ac fortitèr pro ſanctis, & conditis à Deo legibus moriendi.*

Erga antiquos Patriarchas injurius oſtenditur Queſnellus. — *Præclara Eleazari charitatis opera.* — *Joſephus lib. 3. c.2. & 4.*

423 De animi promptitudine, qua ſeptem recenſiti Machabæi ad mortem crudeliſsimam pro eadem lege Dei ſuſtinenda libentèr ſeſe accinxerunt, dubitare ſolùm poteſt qui eorum Sacram hiſtoriam è canone expungit. Non ita tamen Sancti Patres miris eloquentiæ modis illorum conſtantiam, alacritatem & libentiſsimum animum extollentes. *Quàm dulce eſt mori pro Religione! Quàm ſuavis omnis acerbitas mortis pro pietate!* Ajebat apud Ambroſium ſecundus ex illis fratribus, ubi ſupra. Et rursùs: *Nos enim tua verbera non timemus.* Concludens: *Satis enim Deum ſermone laudari: nunc paſſione gaudemus.* Quintum fratrem ita commendat laudatus Ambroſius: *At ille inter flammarum crepitus audiebatur dicens: Gratias tibi Domine, quod dediſti nobis dicere: tranſivimus per ignem.* Quinimò & ſextum fratrem, & ipſi Antiocho dicentem adducit: *Gratias autem & tibi, quòd tam durus, & immitis es, ut talibus noſtris ſuppliciis, Dominus in quem peccavimus, genti noſtræ propitius fiat. Nos quoque ablevamus ærumnam, dum fidei paſsionibus delectamur.* Concludat tandem in agone ultimus apud Joſephum inter alia plura inquiens: *Frigidus eſt nobis ignis tuus, & nullius doloris efficientis catapultæ.* Et ut in uno Ambroſio omnes illi fratres commendentur, ejus accipe verba: *Nemo timuit, nemo trepidavit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit, ſed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba ſupplicia cucurrerunt.* Reſpondeat nunc Queſnellus, an hujuſmodi antiquæ legis obſequentiſsimi cultores, fuerint mancipia per timorem, an filii per amorem? An mancipium, cui dulce fuit acerbè mori pro Religione, pro pietate? Verbera non timere? Deum paſsione laudare? Gratias Deo agere inter flammas? Gratias tyranno agere, dùm fidei paſsionibus delectabantur? Quibus frigidus apparebat ignis exurens? Qui

Septem victimę charitatis in ſeptem Machabæis Deo oblatę. — *S. Ambroſius ubi ſupr. c.11.* — *Joſephus lib. 2. de Machab. cap.11.* — *S. Ambroſius ut ſupr.* — *Ubi ſupr. c.12.*

ſine timore ad mortem cucurrerunt acerbiſsimam? Quid ad hæc dicas, ò Queſnelle, non video. Scio tamen nobis dicendum congruere de antiquis Moſaicæ legis defenſoribus illis; quod de primis novæ legis promulgatoribus ſcriptum video: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Quinimò in illis quaſi in præludio effulſit memorabile noſtri Laurentii pronuntiatum inter acerbiſsimas pœnas: *Segnior fuit ignis, qui foris uſit, quàm qui intus accendit.*

424 Aliqua dicamus de pluribus aliis ejuſdem populi tunc temporis legem Dei ſtrenuiſsimè cuſtodientibus: *Et multi de populo Iſrael definierunt apud ſe, ut non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis. Et noluerunt infringere legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt; & facta eſt ira magna ſuper populum valdè.* Quæ verba ita contra Queſnellum urgemus, ſi majorem nemo habet charitatem, quàm qui animam ſuam ponit pro amicis ſuis, quomodo in illis Judæis non vigeret charitas, & erga Deum amor, qui pro lege Dei ſervanda admiſerunt mori & trucidari? Si autem hujuſmodi amorem erga divinam legem non invenit Queſnellus in teſtimonio dato expreſſum, audiat Joſephum in hoc aſſumpto ita loquentem: *Quamobrem quotidiè necabantur excruciati tormentis crudeliſsimis: flagris etiam cęci, & lacerata corpora, vivi adhuc, & ſpirantes ſubfigebantur crucibus. Uxores autem eorum, & circumciſos liberos ſtrangulabant juxta mandatum Regium, & ſuſpendebant à crucifixorum parentum cervicibus. Hæc omnia Judæorum maſculi, & fœminæ patiebantur fortiter, Divinæ legis amore & reverentiâ.* Eundem in Deum amorem ejuſque legis reverentiam ſignificarunt ſatis Iſraelitæ, nolentes ſe ab hoſtibus defendere pugnantes in die Sabbato, ne ipſum polluerent, ſicuti ipſi exiſtimabant: *Moriamur omnes*, ajebant, *in ſimplicitate noſtra.* Quid dicamus de Mathathia gloriosè vitæ curſum conſummante, ad filios zelo legis pleno his verbis loquente? *Nunc ergo ò filii, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum: & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis.* Videat nunc Queſnellus, ſi magnus hic Sacerdos mortuus ſit, *abſque eo, quòd ullum Deo dederit filium, & non effecerit, niſi mancipia per timorem.* Nec degener patri ſucceſſit filius Judas Machabæus, ad bellum illud ſanctum exhortans Machabæos ut pugnarent adversùs nationes: *Quoniam melius eſt* (ajebat) *nos mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & Sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in Cœlo, ita fiat.* Heroica certè ſuæ voluntatis ad Divinam conformitas, quæ utique non potuit non eſſe perfectiſsimæ charitatis actus eximius. Ejuſdem affectus ſigna fuerunt expreſſa, doloris ſigna ad conſpectum Sanctuarii profanati, prout refertur ibidem, in Juda & aliis plurimis de populo Iſraelitico. Et præterea, cum *elegit Sacerdotes ſine macula voluntatem habentes in lege Dei, & mundaverunt Sancta.*

1. Machab. 1. v.65. — *Joſephus lib. 12 c. 7.* — Mathathias, Judas, aliique Machabæorū plures zelo legis, & charitate flagrarunt.

425 Percurramus deindè aliqua ſaltem ex pluribus antiquorum Patrum exemplis ad majorem Queſnellanæ theſis confutationem. Tobias imprimis, qui etiam in captivitate poſitus viam veritatis non deſeruit, bona omnia concaptivis fratribus impertiebat; & veluti Apoſtolus, legem ſervare monitis & exemplo docebat; charitatis & miſericordiæ opera deſpecto vitæ periculo iterabat, mala patienter ſuſtinebat, quibus aliiſque benè multis eloquiis in ejus hiſtoria recenſitis Queſnellum in ſua propoſitione falſitatis convincit. Tobiæ patri adjungere poſſumus Tobiam filium; imò & univerſam utriuſque familiam, de qua ſcriptum legimus ad calcem libri: *Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in ſancta converſatione permanſit, ita ut accepti eſſent tàm Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Quid etiam non poſſemus adducere in laudem celeberrimi Sacerdotis Eſdræ divini cultûs poſt ſolutam captivitatem Babylonicam reſtauratoris, & Sacrorum librorum veluti inſtauratoris, cujus tot ſunt ferè eloquia, quot oracula in ejus libro ſecundo. Ut taceam hìc de ſanctiſsimis fœminis Juditha, & Eſthere, quarum in Deum acceptis precibus, jejuniis, aliiſque pietatis operibus, gens Judaica ab imminentibus cladibus per Nabucodonoſorem, & Aſſuerum liberata refertur. Dignè propterea ut illi exclamatum fuiſſet: *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri; quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eò quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum alterum neſcieris: ideò, & manus Domini confortavit te, & ideò eris benedicta in æternum.* Per hanc verò ſcilicet Eſtherem: *Judæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.*

Tobiæ 14. v.1. — *Judith. 15. v. 10.* — *Eſther. 8. v.16.*

426 Præterea non eſt cur aliquis noſtram ſperet diligentiam in recenſendis fœcundiſsimis heroicarum virtutum fructibus in antiquæ legis Prophetis, Patriarchis, Doctoribus; abundè ſiquidem lectorum deſiderio fecit ſatis, Deo dictante, Eccleſiaſticus. Recenſet imprimis in lege naturæ floreſcentes Patriarchas, Henoch, ſcilicèt Deo placentem. Noe perfectum adeò & juſtum, ut in tempore iracundiæ factus ſit reconciliatio. Accedit Abraham, cui non eſt inventus ſimilis in gloria, legem excelſi conſervans, in tentatione inventus fidelis: Iſaac cui omnium gentium benedictionem dedit Dominus, eum in benedictionibus ſuis agnoſcens, ſicut Jacob. Recenſitis Patriarchis & Sacerdotibus; non audebit negare Queſnellus, quòd aliquem filium Deo dederint? Et tamen negabit Patriarchis, Prophetis, Sacerdotibus poſt legem divinitùs datam? Poſt electum ſibi populum Hebraicum? Certè

Eccleſiaſt. c.44. uſque ad 50. compendio à nobis datus. — Poſt utrunque Tobiam, Eſdram, Eſther, Judith, Queſnellanam calumniam præfocarunt antiqui Heroes ab Eccleſiaſtico commendati.

fateri teneretur, Deum non beneficum voluiſſe ſe oſtendere erga populum lege ſpeciali ſibi devictum, & beneficiis cummulatum: ſi ante legem bona agnovit in Patriarchis, quæ ipſis poſt legem denegat. Sed iterum audiat Eccleſiaſticum, Moyſis, Prophetarum, Sacerdotum, & Doctorum legis ſcriptæ encomia ſubnectentem. Dilectus Deo & hominibus Moyſes, cujus memoria in benedictione eſt, in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum. Aaron frater ejus excelſus factus eſt, & ſibi ſimilis; & beatificavit illum Dominus in gloria, & coronavit eum in vaſis virtutis. Phinees filius Eleazari tertius in gloria eſt, imitando eum in timore Domini: in bonitate & alacritate animæ ſuæ, placuit Deo pro Iſraël. Joſue ſucceſſor Moyſi in Prophetis, qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei. Ipſi, & Caleb datum eſt prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ. Ut viderent omnes filii Iſraël, quia bonum eſt obſequi ſancto Deo. Qui non fuerunt averſi à Domino, & ideò illorum memoria in benedictione eſt. Samuel dilectus à Domino Deo ſuo fuit, & in fide ſua probatus eſt Propheta.

427 De Davide etiam, viro aliàs juxta cor Domini, inter alia laudat Eccleſiaſticus, quòd in omni opere dedit confeſsionem Sancto, & excelſo in verbo gloriæ. Quòd de omni corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum; & dedit illi contra inimicos potentiam. Quòd Dominus purgavit peccata ipſius, & exaltavit in æternum cornu ejus. Elias ſurrexit Propheta Domini quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, qui ſcriptus eſt in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Jacob. Eliæ ſucceſsit Eliſeus, in quo completus eſt ſpiritus ejus; & mortuum prophetavit corpus ejus. In laudem Ezechiæ ſatis ſit indicare, quòd exercitus Sennacherib contritus fuerit per Angelum Domini ad illius Regis preces. Nam fecit Ezechias quòd placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris ſui, quam mandavit illi Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei. Memoria Joſiæ facta dicitur in compoſitionem odoris opus pigmentarii. Ipſe gubernavit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Ezechiel laudatur, quia vidit conſpectum gloriæ, benefaciens illis, qui oſtenderunt vias rectas. De aliis Prophetis memoratur, quòd corrobaverunt Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis. Laudantur pręterea Zorobabel dignè amplificandus: Jeſus filius Joſedech, qui in diebus ſuis ædificaverunt, & exaltaverunt Templum ſanctum Domino. Fuſiori deindè calamo recenſet Eccleſiaſticus præconia Simonis filii Oniæ, Sacerdotis magni, qui in vita ſua ſuffulſit domum, qui curavit gentem ſuam, & liberavit eam à perditione; effulgens ut ignis, & ardens ut thus in igne, quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, quaſi oliva pullulans, & veſtitus in conſummationem virtutis. Deindè de ſe ipſo loquens Eccleſiaſticus ità encomiaſticam orationem concludit: *Doctrinam ſapientiæ, & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirach Jeroſolymita, qui renovavit ſapientiam de corde ſuo. Beatus qui in iſtis verſatur bonis: qui ponit illa in corde ſuo, ſapiens erit ſemper. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit, quia lux Dei, veſtigium ejus eſt.* Concludamus igitur, & nos, ex adverſo Queſnelli, ab ipſo tamen Eccleſiaſtico inſtructi: *Beatos fuiſſe Moyſen, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores legis, qui mundo mortui, vivunt Deo, cui tot filios dederunt, quot præſtantiſsimæ charitatis opera obtulerunt.*

§. V.

Queſnelli machinæ dirutæ, undè conſtrui prætenſæ.

428 SICUT argumentum prælibavimus de Angelorũ cuſtodia cunctis hominibus; Judæiſque univerſis divinitùs, miſericorditer conceſſa, ut poſtea ad diſsipanda errata Queſnelli deſcenderemus. Ita diſſolvere præmittimus contra illam cuſtodiam objectum fieri ſolitum. Primò ex Sacra Scriptura, ubi non ſemel ſignificari videtur peccatoribus nonnullis, imò & genti perverſæ ſubſtractam fuiſſe Angelorum cuſtodiam. Dicitur enim (objicit ſibi D.Thomas) à Jeremia ex perſona Angelorum: *Curavimus Babylonem, & non eſt curata: derelinquamus ergo eam.* Et ab Iſaia (etiam nomine Angelorum juxta Gloſſam) *Auferam ſepem ejus, & erit in conculcationem.* Videtur igitur, quòd Angelus cuſtos, quandoque deſerat hominem, cujus cuſtodiæ deputatur. Secundò opponit D. Thomas: Principaliùs cuſtodit Deus, quàm Angelus, ſed Deus aliquando hominem derelinquit, ſecundùm illud: *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Ergo multò magis Angelus cuſtos hominem derelinquit. Tertiò, quia ſicut dicit Damaſcenus, Angeli, cùm ſunt hìc nobiſcum, non ſunt in Cœlo; ſed aliquando ſunt in Cœlo: ergo aliquando nos derelinquunt. Tandem (ut alia levioris momenti omittamus) objicit Div. Thomas: ,, Medicus ſapiens infirmum deſperatum relinquit: ſed Angeli Cuſtodes, poſſunt ſcire aliquem eſſe præſcitum per revelationem, & videre aliquem obſtinatum in peccatis, talis autem eſt, ſicut infirmus deſperatus: Ergo videtur quòd etiam Angelus, qui eſt quaſi Medicus ſpiritualis talem relinquat. Sed de hac ultima objectione pauca ſunt dicenda, poſtquam de

D. Thom. 1. p. q. 113. a. 6.

Jerem. 51. v. 9.

Iſaiæ 5. v. 5.

Pſalm. 21. v. 2.

D. Thom. in 2. diſt. 11. q. 1. a. 4.

An-

Anti-chriſto, docuit nos Divus Thomas cuſtodiâ Angeli non eſſe privandum. Undè ſimiliter etſi Angelus ſciret ſuum clientulum eſſe præſcitum, non eum omninò deſereret: quia poſſet multa mala in eo impedire, ut loquitur Divus Thomas in ſolutione hujus ultimi argumenti.

D.Thom. in loco ſent. ſolut. ad 1. & in corp. art.

429 ,, Ad primum objectum reſpondet imprimis Divus Thomas, quòd verba illa intelliguntur eſſe Angelorum diſcedentium ab homine peccatore in hora mortis; quia tunc primò deſperatur de ejus ſalute. Vel aliter, quòd Angeli derelinquunt hominem ſecundùm quid: ſicut etiam & Deus; prout ibidem explicat in corpore articuli. Et ex hac doctrina reſpondet Sanctus Doctor ad ſecundùm objectum. Ad tertium inquit in Summa Theologica ubi ſupra, quòd Angelus, etſi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantum ad effectum cuſtodię: quia etiam cùm eſt in Cœlo, cognoſcit, quid circa hominem agatur: nec indiget mora temporis ad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe. Nequè obſtare poteſt, quòd Divus Baſilius ſcripſerit: *In Chriſtum credentibus Angelus aſsiſtit, niſi illum à vobis per improbas actiones profligaveritis.* Hęc ſiquidem verba derelictionem Angelorum ſignificant non ſimpliciter, & totaliter, ſed quantum ad aliquid; ſicut ſupra cum Divo Thoma diximus. Neque etiam perditio hominum Angelis tribui valet. Quia ut loquitur Divus Thomas ubi ſupra: ,, Sicut homines à naturali inſtinctu boni diſcedunt propter paſsionem peccati: ita etiam diſcedunt ab inſtigatione bonorum Angelorum, quæ fit inviſibiliter per hoc, quòd homines illuminant ad benè agendum. Undè, quod homines pereunt, non eſt imputandum negligentiæ Angelorum, ſed malitiæ hominum. Quòd autem aliquando præter legem communem hominibus viſibiliter apparent, ex ſpeciali Dei gratia eſt: ſicut etiam præter ordinem naturę miracula fiunt.

Solut. ad 3.

S. Baſilius in Pſalm. 33.

D. Thom. a. 1. ad 3.

Diſſolutis objectis à D. Thoma, firmior redditur Angelorũ cuſtodia.

430 Ad Paulum, Auguſtinum, & Thomam appellat poſt Janſenium Queſnellus; ad Paulum igitur Auguſtinum, & Thomam libentèr ibimus, ut in ipſis doloſæ, ruinoſæque machinæ, quibus ſuperſtruere Queſnellus nititur rejectas propoſitiones, funditùs everſæ conſpiciantur. Omnem igitur gratiam à veteribus Judæis ſubſtrahendam, inde imprimis conatur; quòd Gentium Apoſtolus, antiquam legem litteram vocat occidentem; contrapoſitivè ad legem Evangelicam: *Littera enim occidit* (inquit Paulus) *ſpiritus autem vivificat.* Quinimò ibidèm affirmat quòd lex vetus dicta eſt: *Miniſtratio mortis, Miniſtratio damnationis*; lex autem nova *miniſtratio ſpiritus*, & juſtitiæ. Hoc ipſum confirmare nititur ex Apoſtolo ad Romanos ſcribente: *Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebàtur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Conformitèr ad hujuſmodi verba loquitur idem Apoſtolus ad Galatas ſcribens, ubi deſcripta concupiſcentia carnis adverſus Spiritum, hortatur eos in Chriſto ambulare, ſubjungens: *Quòd ſi ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege.* In eundem ſcopum reluctantem trahere nititur Apoſtolum, de vocatione Gentium, & adventu Meſsiæ ejuſque nomine juxta Iſaiæ vaticinium loquentem: *Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Jacob. Et hoc illis à me Teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum.* Inſupèr & ad Hebræos ſcribentem de antiquo fœdere in tabernaculo per Moyſen conſtructo, umbratim ſignificato, contrapoſitivè ad novum fœdus: *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium* (ſcilicet Chriſtus Dominus) *quantò, & melioris Teſtamenti mediator eſt, quòd in melioribus repromiſsionibus ſanxitum eſt. Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Tandem (ut alia ejuſdem generis omittamus) eundem memorat Apoſtolum fideles novi Teſtamenti exhortantem: *Peccatum enim vobis non dominabitur: Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.*

2. Cor. 3. v. 7.

Ad Rom. 7. v. 5. & 6.

Ad Galat. 5. v. 18.

Rom. 11. à v. 26

Ad Heb. 8. à v. 6

Rom. 6. à v. 14.

431 Hæc ſunt pręcipua Apoſtoli teſtimonia, quibus permotus fuit poſt Janſenium Queſnellus; ut in cultoribus antiquæ legis nihil niſi peccata inveniret, nùm obſervarent vel legem illam non obſervarent: quia ſuæ infirmitati & impotentiæ relicti, nihil boni poterant operari; nec ipſi quidem Prophetæ, & præcipua ſanctitate effulgentes Juſti. Suas deinde falſas machinationes obolvere conatus fuit auctoritate Auguſtini, ea jactanctia ut Collator in favorem Queſnelli effutierit: *Non ovum ovo ſimile magis reperitur, quàm teſtimonium adducendum propoſitionibus Queſnelli.* Auguſtinus igitur quatuor gradus aſsignans, vel quatuor hominum ſtatus, uniuſcujuſque conditionem, quantùm ad præſens attinet aſſumptum, ita deſcribit: * Cum in altiſsimis (inquit) ignorantiæ tenebris nullâ reſiſtente ratione ſecundùm carnem vivitur, hæc ſunt prima hominis. Deindè cùm per legem cognitio fuerit facta peccati, ſi nondùm divinus adjuvat Spiritus, ſecundum legem volens vivere, vincitur & ſciens peccat, peccatoque ſubditus ſervit. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.: : hæc ſunt ſecunda hominis. Si autem reſpexit Deus, ut ad implenda, quę mandat, ipſe adjuvare credatur, & agi homo cęperit Dei Spiritu, concupiſcitur adversùs carnem fortiori robore charitatis; ut quamvis adhuc ſit quòd homini repugnet ex homine, nondùm totâ infirmitate ſanatâ, ex fide tamen juſtus vivat, juſtèque vivat, inquantùm non cedit malæ concu-

S. Auguſtinus in Enchrid. c. 118. n. 31.

* piſ-

* piſcentiæ, vincente delectatione juſtitiæ.
* Hęc ſunt tertia bonæ ſpei hominis; in
* quibus ſi pia perſeverantiâ quiſque pro-
* ficiat, poſtrema pax reſtat, quę poſt hanc
* vitam in requie Spiritus, deinde in re-
* ſurrectione etiam carnis implebitur. Ha-
* rum quatuor differentiarum prima eſt an-
* te legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub
* gratia, quarta in pace plena atque per-
* fecta.

432 Expreſsiùs adhuc alibi loqui vide-
tur inquiens: * Quatuor iſtos gradus ho-
* minis diſtinguamus, ante legem, ſub le-
* ge, ſub gratia, in pace. Ante legem ſe-
* quimur concupiſcentiam carnis: ſub le-
* ge trahimur ab ea: ſub gratia nec ſe-
* quimur eam, nec trahimur ab ea. In pa-
* ce nulla eſt concupiſcentia carnis. Ante
* legem ergo non pugnamus, & peccamus;
* ſed etiam approbamus peccata; ſub le-
* ge pugnamus, ſed vincimur; fatemur
* enim mala eſſe quæ facimus, & fatendo
* mala eſſe, utique nolumus facere; ſed
* quia nondùm eſt gratia, ſuperamur. In
* iſto gradu oſtenditur nobis quomodo ja-
* ceamus, & dùm ſurgere volumus, &
* cadimus, graviùs affligimur. Inde hìc
* dicitur lex ſubintravit ut abundaret de-
* lictum. :: Sic ergo jacens cùm ſe quiſ-
* que cognoverit, per ſe ipſum ſurgere non
* valere, imploret liberatoris auxilium. Ve-
* nit ergo gratia, quę donet peccata præ-
* terita, ut conantem adjuvet, & tribuat
* charitatem juſtitiæ, & auferat metum:
* quòd cum fit, tametſi deſideria quædam
* carnis, dùm in hac vita ſumus, adver-
* ſus Spiritum noſtrum pugnent, ut eum
* ducant in peccatum; non tamen his de-
* ſideriis conſentiens ſpiritus, quoniam eſt
* fixus in gratia & charitate Dei, deſinit
* peccare. Non enim in ipſo deſiderio pra-
* vo; ſed in noſtra conſentione peccamus.

In Expoſit. prop. in c. 13. ad Rom.

433 Prætereà idem Auguſtinus ad verba illa Joannis: *Lex per Moyſen data eſt*, ſubjungit: *Per Servum lex data eſt: reos fecit. Per Imperatorem indulgentia data eſt: reos liberavit. Non ſibi aliquid ſervus aſſignet, quàm quòd per illum factum eſt.* In ſui etiam patrocinium adducit Queſnellus Magiſtrum Sententiarum ex Auguſtino pro ſuo more ſcribentem: *Lex ergo bona eſt, & tamen occidit ſine gratia, cum ſit virtus peccati, quę jubet quòd ſine gratia impleri non poteſt. Gratia autem deerat.* Similia tradere videtur Mellifluus Bernardus ſub Typo reſurrectionis pueri per Prophetam Eliſeum, introducens hominem in veteri Teſtamento ita loquentem: *Probet veridicos nuntios ſuos Deus, & ſequatur eos ipſe ut ſepius promiſerunt: quia ſine ipſo poſſunt facere nihil: miſit puerum, tulit baculum, & necdum eſt vox, neque vita. Non ſurgo, non ſuſcitor, non excutior de pulvere: non reſpiro in ſpem; ſi non Propheta ipſe deſcendat, & oſculetur me, oſculo oris ſui.* Quinimò & Sacrum Concilium Tridentinum in ſui favorem Queſnellani adducunt:

S. Auguſt. tract. 3. in Joan.

Magiſter Sententiarum in 3. diſt. 40.

S. Bernardus ſerm. 2. in Cant.

* Uſque adeò ſervi erant
* peccati, & ſub poteſtate Diaboli ac mor-
* tis, ut non modò gentes per vim natu-
* rę; ſed nè Judæi quidem per ipſam etiam
* litteram legis Moyſi indè liberari, aut
* ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum
* arbitrium minimè extinctum eſſet, viri-
* bus licèt attenuatum & inclinatum. Se-
* quitur ſtatim: Quo factum eſt, ut cœle-
* ſtis Pater, pater miſericordiarum, & Deus
* totius conſolationis, Chriſtum Jeſum Fi-
* lium ſuum, & ante legem & legis tem-
* pore, multis Sanctis Patribus declaratum,
* ac promiſſum, cùm venit beata illa ple-
* nitudo temporis, ad homines miſerit, ut
* & Judæos, qui ſub lege erant redimeret,
* & gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam,
* juſtitiam apprehenderent, atque omnes
* adoptionem filiorum reciperent. Hunc
* propoſuit Deus propitiatorem per fidem
* in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non
* ſolum autem pro noſtris; ſed etiam pro
* totius mundi. Concludi poteſt objectionis intentum cum Apoſtolo de veteri lege ad Romanos ſcribente: *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Concilium Trident. ſeſ. 6. c. 1.

Cap. 2.

Rom. 5. v. 20. & 21.

434 Vidimus Queſnellum ſuas aberrationes ſtabilire molientem Apoſtoli, & Sanctorum Patrum teſtimoniis illis, in quibus ſignificari videtur legem veterem eſſe litteram occidentem, miniſtrationem mortis per peccatum, legem peccati, & alia ſimilia. Audiamus deindè ipſum ex alio capite objicientem; ex defectu nimirùm gratiæ, quem pro toto tempore antiquæ legis pretendere nititur. Principium deſumit ex differentia quam Sanctus Joannes Evangeliſta inter utramque legem ponit verbis illis: *Lex per Moyſen data eſt: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Ex quibus deducere voluit Queſnellus, neque ipſos antiquos Prophetas aliquem Deo dediſſe filium in ſenſu propoſitionis 65. Sicut etiam quòd nullum bonum factum fuit in illa lege, ut habet propoſitio 64. Similem conſequutionem ex Apoſtolo ducit ad Romanos ſcribente: *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater.* Quaſi à gratia, & charitate, quæ per Spiritum Sanctum nobis datur, ut adoptionem filiorum recipiamus, totaliter fuiſſent excluſi Judęi omnes antiqui, etiam ſanctitate conſpicui. Tandem, quia antiqua lex Pædagogus apellatur ab Apoſtolo, poſtquam enim docet propter tranſgreſsionem poſitam fuiſſe, donec veniret ſemen & mediator Chriſtus Jeſus, ſubjungit: *Itaque lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides jam non ſumus ſub Pędagogo.* Si ergo lex antiqua Pędagogus fuit in Chriſto, nulla pro illo tem-

Joan. 1. v. 17.

Ad Galat. 3. v. 24.

pore gratia fuit; ſed unicè diſponebat ad gratiam per adventum Chriſti, juxta illud Auguſtini: * Lex data eſt Judæis, ut
* illis fieret Pædagogus à quo perduceren-
* tur ad gratiam. Eandem differentiam agnovit Fulgentius Auguſtini diſcipulus, in-
* quiens: Hæc igitur inter litteram juben-
* tem, & Spiritum vivificantem, id eſt in-
* ter legem, gratiamque diſtantia eſt; quia
* lex convenit, gratia convertit hominis
* voluntatem, ut bonum velimus. Illa cla-
* mat; hæc donat. Illic voluntati hominis
* incutit juſtitia divina terrorem: hìc in-
* fundit miſericordia charitatem. Per illam
* accepit voluntas Spiritum ſervitutis in ti-
* more: Per iſtam accepit Spiritum adop-
* tionis filiorum, in quo clamamus: *Abba Pater.* Ex Auguſtino Magiſtro ad Thomam diſcipulum appellant Queſnellani in ſua explicatione Apologetica, & nullo citato articulo, verba illius adducunt: „ Lex nova eſt
„ lex gratiæ: & ideò primò oportuit, quòd
„ homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris
„ legis, ut in peccatum cadendo, ſuam in-
„ firmitatem cognoſcens, recognoſceret ſe
„ gratiâ indigere. Ut indè diſtortè concludant: antiquos Judæos generaliter relictos fuiſſe in ſua naturali infirmitate, & impotentia per peccatum contracta.

S. Auguſt. q. 55. ſuper exod.
S. Fulgent. lib. 2. de verit. prædeſt. c. 7.

D. Thom. 1. 2. q. 106. a. 3. in corp.

435 Et tandem (ut omnia præcludamus Queſnellanorum præcipuà objecta) ad Scholę methodum obiicere poſſumus: illi non habent gratiam etiam ſufficientem, qui tenentur petere gratiam, ut poſsint bonum quod oſtenditur & pręcipitur; atqui ex Sancto Auguſtino, lex & oſtendebat & præcipiebat bonum Judæis, ipſi verò tenebantur poſtulare, ut poſſent operari bonum: Igitur non habebant gratiam ſufficientem. Minor conſtare videtur ex Sancto Auguſtino ſic de Deo loquente: *Jubet ideò, ut facere juſſa conati, & noſtrâ infirmitate ſub lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus... Qui enim Deo dicit adjutor meus eſto, confitetur ſe velle implere quod juſsit, adjutorium poſcere, ut poſsit.* Et quidem eò Judæis conceſſam aſſerimus gratiam ſaltem ſufficientem; quia pręceptis obſervandis tenebantur aſtricti; hæc autem ratio omninò videtur inſufficiens: quia licèt omni gratiâ deſtitutos dicamus, nihilominùs, jurè ipſis poſſet ad peccatum imputari mandatorum tranſgreſsio. Nihil ſiquidem apud Auguſtinum frequentiùs, quàm quòd homines per peccatum primi parentis jus amiſerint ad gratiam omnem. Sed in hac ultima objectione, non eſt ut immoremur. Fatemur utique hominem per peccatum jus amiſiſſe ad divinæ gratiæ auxilia, quæ abſque injuria aliqua denegare valet Deus: nihilominùs ex ſuppoſitione, quod obſtrinxerit homines ad obſervanda mandata, miſericorditer auxilia confert, ut poſsit: quia ut alias ex Auguſtino diximus: *Deus impoſſibilia non jubet.* Quinimò auxilia illa quodammodo debita ſunt ex ſuppoſitione redemptionis per Chriſtum. Quia ut alias in Scholis diſputavimus: ex eo ſiquidem, quòd Chriſtus Dominus omnium Salvator conſtitutus ſit, ipſius debita meritis ſunt media, quibus univerſi homines ſalutem conſequantur, vel ſaltèm conſequi poſsint: cui enim debitus eſt finis, debita ſunt quodammodo media ad finem; ſed auxilia ſufficientia, non pręcisè oblata & præparata, ſed reverà colata, ſunt medium ut homo poſsit conſequi ſalutem: ergo ex ſuppoſitione redemptionis Chriſti, debita quodammodo ſunt hominibus; vel potiùs ipſi Chriſto Domino auxilia ſufficientia hominibus conferenda. Et quidem titulo juſtitiæ, & fidelitatis, ut oſtendit doctus Theologus Mag. Ludovicus Bancel. Neque primum objectum urget, nititur namque falſa propoſitione, quia ipſa petitio gratiæ, auxilium requirit ſufficiens, nam qui petit, habet gratiam orationis, quâ voluntas præparatur à Domino & incipit bonum velle; ideoque non à natura procedit, ſed à gratia, ut ſæpiſsimè contra Pelagianos & Semipelagianos urget Auguſtinus. Ejus igitur ſenſus eſt, quòd per gratiam ſaltem ſufficientem, & cognitionem præcepti, movetur homo ad ulteriorem & uberiorem gratiam, quâ præcepta implentur. Hac igitur ultima objectione breviter abſoluta.

Homini per peccatum gratia indigno, propter Chriſtum D. gratia quodammodo debetur.

Mag. Bancel. q. 4. de volunt. ar. 3. §. 1. 2.

Ad uberiorem gratiam, non ſine gratia homo diſponitur.

436 Ad principale objectum ex duplici ut vidimus capite derivatum, opus non eſſet occurrere; ſi attenderemus hucuſque dicta tùm circa differentias utriuſque legis, ſatis dilucidè & abundanter ſtabilitas: tùm etiam inter firmandas præcedentes proximè aſſertiones: & rejiciendas Queſnelli propoſitiones. Verùm licet opus non ſit ea omnia memorare; non poſſumus tamen non iterare nonnulla ad diſsipandas propoſitas objectiones. Ex primo etenim capite corruet utique: ſi explicemus quo ſenſu lex antiqua occidere dicta ſit: ſicut miniſtratio mortis: & quòd per eam paſsiones peccatorum operabantur in membris, & alia hujuſmodi ſupra adducta. Sed meliùs explicavit pro nobis Doctor Angelicus: „ *Littera enim occidit*, occaſionalitèr (habet
„ D. Thomas:) Nàm littera legis dat ſolam
„ cognitionem peccati: Rom. 3. *Per legem*
„ *autem cognitio peccati.* Ex hoc autem quòd
„ cognoſco peccatum ſolùm, duo ſequun-
„ tur: Nam lex dùm per eam cognoſcitur,
„ non reprimit concupiſcentiam, ſed ma-
„ gis occaſionalitèr auget, inquantùm con-
„ cupiſcentia ferventiùs fertur in rem pro-
„ hibitam; undè hujuſmodi cognitio non-
„ dùm deſtructâ cauſâ concupiſcentię occi-
„ dit; hinc verò addit *prævaricationem*: Nam
„ graviùs eſt peccare contra legem ſcrip-
„ tam & naturalem ſimùl, quàm contra le-
„ gem naturalem ſolùm: Rom. 7. *Occaſio-*
„ *ne acceptâ* (non data) *peccatum per man-*
„ *datum operatum eſt in me omnem concu-*
„ *piſcentiam.* Licèt autem occaſionalitèr oc-
„ cidat, inquantùm ſcilicèt auget concupiſ-
„ centiam, & addit prævaricationem, non
„ tamen eſt mala lex vetus, quia adminùs
pro-

2. Cor. 3. v. 7.
D. Thom. lect. 2.

Qualiter lex antiqua occidere dicta ſit.

,, prohibet mala, eſt tamen imperfecta, in- ,, quantùm non removet cauſam. Angelico Diſcipulo Seraphicus præivit Magiſter Auguſtinus, utranque rationem ita breviter complectens in expoſitione illius: *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*: Inquiens. *Sic abundavit peccatum, cùm & concupiſcentia, ex prohibitione ardentior facta eſt, & peccantibus contra legem prævaricationis crimen acceſsit.* Præjerat Hieronymus ad Algaſiam ſcribens: *Videtur lex cauſa eſſe peccati, quæ dùm prohibet concupiſcentiam quodammodo eam inflamare cognoſcitur. Sæcularis apud Græcos ſententia eſt: quidquid licet, minùs deſideratur: Ergo è contrario: quidquid non licet, fomentum accipit deſiderii.* Præluxerunt Sancti Patres communitèr, non ſolum antiqui, ſed etiam poſteriores, ex quibus audire ſufficiat Beatum Albertum Magnum, & Seraphicum Bonamventuram. Siç ille ſcripſit: ,, *Littera occidens, Decalo-* * *gus eſt*; littera legis, auditus ſinè gratia * impletionis: & eſt littera occidens non * per ſe, ſed per occaſionem; ſicut quan- * do febricitanti aqua oſtenditur, magis * excitatur in eo ſitis quàm prius: & ita * etiam, æſtuanti homini in concupiſcentia, * Decalogus eo ipſo quod prohibet, oſten- * dit peccatum: & cùm non dat gratiam, * eſt occaſio provocationis concupiſcentiæ, * & hic eſt unus modus occidendi. Alius * autem modus eſt: quia omnis appetitus * de natura ſui, tantò magis fervet in id * quod appetit, quantò illud creditur al- * tius. Sed præceptum per hoc, quod pro- * hibet, rem appetitibilem à concupiſcen- * tia exaltat, & ſic magis concupiſcentia * provocatur in illud. Unde?

S. Auguſt. in locum Apoſtoli.

S. Hieronymus Epiſt. 151.

S. Albert. Mag. in diſt. 40. lib. 3. Sent.

Occidere dicitur quatenùs auget concupiſcentiam & addit prçvaricationē, occaſionaliter.

Nititur in vetitum, cupimus ſemperque negata.

S. Bonavent. in diſt. cit.

Deindè S. Bonaventura ſic ait: *Et quia erat ibi oſtenſio culpę, & non erat adjutorium gratiæ, dabatur per conſequens occaſio ipſi concupiſcentiæ, ut traberet ad mortem: & ideò lex Moſaica ſecundùm litteralem ſenſum dicitur lex occidens per occaſionem.*

437 Sic enim in hac materia apparet qualitèr lex Evangelica ſpiritus dicitur vivificans, ut jam in nobis non dominetur peccatum, ſicut cum Apoſtolo pravè intellecto concludunt objicientes. Lex ſiquidèm nova non ſolum jubet, ſed ex ſui virtute & meritis gratiam confert, & quidem abundantiſsimam, ut abundè dictum eſt, & iterum indicabimus circa ſecundum objectionis caput. Indè genuinam haurire debuiſſent objicientes explicationem Auguſtini circa illos quatuor hominum ſtatus, vel gradus quos diſtinxit. Ante legem ſcilicet ſcriptam, ubi minor ſicut cognitio, ita & prævaricatio; nec tam ardens concupiſcentia. Status legis Scriptæ ubi majori vigente præceptorum cognitione, major ſequuta eſt prævaricatio, occaſione accepta, magiſque indè carnalibus concupiſcentiis ſubjicere ſe viſus eſt homo. (Et ut nihil dicamus de ultimo gradu cujus locus factus eſt in patria.) Eluxit tandèm lucidę veritatis, & copioſæ gratiæ tempus, quo lex Evangelica (in ipſa gratia, & Divini Spiritus donorum abundantia principaliter conſiſtente, ut diximus Diſſert. præſedent. n. 140. & 150.) præterita remittens peccata, futura præcavens; & adverſus carnis concupiſcentias amore potiùs quàm timore, Juſtos galeatos, & armatos conſtituens. Quid ergo mirùm adderet Auguſtinus, quod *per Moyſen Servum lex data, reos* (occaſionalitèr) *fecit, per Imperatorem autem Jeſum Chriſtum indulgentia data ſit*, pro omni quidem gente & ſtatu, (ut aliquando pluribus demonſtratum eſt) quàm nec lex ipſa, nec Servus dare poterant. Quid mirùm ſtatueret Tridentinum, omnes qui peccati erant ſervi, & ſub poteſtate diaboli ac mortis conſtituti, in quocunque ſtatu & tempore per Jeſum Chriſtum redemptos fuiſſe, quem propitiatorem poſuit Deus pro peccatis totius mundi.

Quatuor hominis ſtatùs ab Auguſtino deſcripti, elucidantur.

438 Sed non poſſumus non mirari oſcitantiam Queſnelli, dùm Magiſtrum objicit Sententiarum, quem truncavit ut ſuum faceret. Undè contra ipſum Queſnellum, integrè proponimus Magiſtrum loquentem: *Si verò quæritur, quam dicat Apoſtolus litteram occidentem. Ea certè eſt Decalogus, qui non dicitur littera occidens, eò quod mala ſit lex, ſed quia prohibens peccatum, auget concupiſcentiam, & addit prevaricationem, niſi liberet gratia, quę gratia non ſic abundat in lege, ut in Evangelio. Vel ſecundùm eorum carnalem intelligentiam. Lex ergo bona eſt, & tamen occidit ſine gratia, cùm ſit virtus peccati, quæ jubet quòd ſine gratia impleri non poteſt. Gratia autem deerat, & ideò littera occidens erat.* Vides in Magiſtro eandem doctrinam quam, poſt Paulum & Auguſtinum elucidavit utriuſque Angelicus Diſcipulus. Et juxta eundem ſenſum poſt Auguſtinum, eadem diſtinctione ſtatuit Magiſter, quòd lex vetus manum, non animum cohibebat: quia timore pœnarum, gratia non data, à peccato retrahebat: lex autem Evangelica animum cohibebat, ut expendit ibidèm D. Thomas. Et expreſsiùs, alibi inquiens: ,, Et propter hoc etiam lex ,, vetus dicitur cohibere manum, non ani- ,, mum; quia, qui timore pœnę ab aliquo ,, peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus vo- ,, luntas à peccato recedit, ſicut recedit ,, voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet ,, à peccato, & propter hoc lex nova, quæ ,, eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.

Queſnellus Magiſtrū trūcat, ut ſuum faciat.

Lex vetus, manū, nova animum cohibet.

Mag. & D. Thō. in 3. diſt. 40. q. 1. art. 1. & 1. 2. q. 107. ar. 1. ad 1.

439 Concludamus ſolutionem objecti ex primo capite, elucidatione verborum Apoſtoli, quibus objectum concludimus ex Queſnello: *Lex ſubintravit, ut ſuperabundaret delictum.* Sic enim videtur (exponit Div. Thomas doctrinam hucuſque datam ,, firmans) quòd abundantia delicti ſit fi- ,, nis legis; & ita ſequitur, quòd lex ſit ,, mala, quia cujus finis malus eſt, ipſum quo- ,, que malum eſt, & hoc eſt contra illud 1. Ti- ,, moth. 1. *Scimus quidem, quod lex bona eſt.*

Rom. 5. v. 20. D. Thom. ibid. lect. 6. ſuprà dicta complectens.

,, de-

,, Ad hoc autem reſpondetur in Gloſſa tripli- ,, citer. Primò quidem, ut dicamus, quòd ly, *ut* ,, non ponitur cauſaliter, ſed conſequativè: ,, non enim ad hoc fuit data lex, ut peccatum ,, abundaret; quin potiùs lex quantùm in ſe ,, fuit, peccatum prohibuit, ſecundùm illud ,, Pſalm. 118. *In corde meo abſcondi eloquia* ,, *tua, ut non peccem tibi*: Sed lege data, ,, conſequuta eſt abundantia delictorum du- ,, pliciter: uno quidèm modo, quantùm ad ,, peccatorum multitudinem, lex enim licèt ,, peccatum demonſtraret, peccati tamen ,, concupiſcentiam non auferebat: cùm au- ,, tem alicui prohibetur id quod concupiſ- ,, cit, vehementiùs in concupiſcentiam illius ,, exardeſcit, ſicut fluvius appoſito obice, ,, fortiùs fluit, & obicem frangit; cujus ra- ,, tio poteſt eſſe triplex: Una quidèm, quia ,, illud quod ſubjacet hominis poteſtati, ,, non reputat aliquis pro magno, ſed illud ,, quod eſt extra hominis poteſtatem, appre- ,, henditur ab homine quaſi magnum: pro- ,, hibitio autem ejus quod concupiſcitur, ,, ponit illud quod prohibetur quaſi extra ,, hominis poteſtatem: & ideò concupiſcen- ,, tia magis exardeſcit in rem concupitam, ,, dùm prohibetur. Secunda ratio eſt, quia ,, interiores affectiones, quando interiùs re- ,, tinentur, ita quòd exteriùs non deriven- ,, tur, ex hoc ipſo magis interiùs incen- ,, duntur, ſicut patet in dolore & ira, quæ ,, dùm interiùs clauſa tenentur, magis au- ,, gentur: ſi autem exteriùs quoquo modo ,, prodeant eorum virtus diminuitur, pro- ,, hibitio autem propter timorem pœnæ ,, cogit hominem ut concupiſcentiam ſuam ,, ad exteriora non perducat: & ideò ipſa ,, concupiſcentia interiùs retenta magis in- ,, flammatur. Tertia ratio eſt, quia illud ,, quod non eſt nobis prohibitum, appre- ,, hendimus quaſi poſsibile fieri quando- ,, cunque nobis placuerit, & ideò multo- ,, ties opportunitate exiſtente illud vitamus: ,, ſed quando aliquid eſt prohibitum, appre- ,, henditur à nobis ut non ſemper à nobis ha- ,, beri poſsit; & ideò quando oppρrtunitas ,, datur, ſine timore pœnæ illud conſequendi ,, promptiores ad hoc ſumus: & indè eſt, quod ,, data lege, quæ concupiſcentiæ uſum prohi- ,, bebat, & tamen ipſam concupiſcentiam non ,, mitigabat, concupiſcentia ipſa magis fer- ,, venter homines ad peccata ducebat: undè ,, dicitur: *Iſta eſt Jeruſalem, in medio* ,, *Gentium poſui eam, & in circuitu ejus* ,, *terras: & contempſit judicia mea, ut plus* ,, *eſſet impia, quàm gentes.*

Pſalm. 118. v. 11.

Ezech. 5. à v. 5.

440 Verba autem Gloſſæ (quam laudat D. Thomas, & quæ Ambroſio ab aliquibus tribuitur, conſpirantibus Theodoreto, & Chryſoſtomo) ea ſunt: * Lex ſubintravit * ut abundaret delictum, id eſt lege data * delictum abundavit: dicit enim hìc Apoſto- * lus quid provenerit lege data, non quid * fecerit lex: data quippè lex erat in ad- * jutorium humanæ naturæ, ut quia ipſi * naturæ quodammodo ſunt inſerta (ſivè in- * ſita) juſtitiæ ſemina, eis adderetur lex, * cujus auctoritatē atquē magiſterio inge- * nium naturale proficeret ad juſtitiæ fru- * ctum faciendum, ut enim nativitas inte- * rit, niſi habeat nutrimenta quibus fota * deindè adoleſcat; ita & naturale inge- * nium juſtitiæ, niſi habeat quod reſpiciat * & veneretur, non facilè proficit, ſed ægro- * tat, & ſupervenientibus cedit peccatis: * conſuetudine enim peccandi premitur, ne * creſcat in fructum, & per hoc extingui- * tur. Ad bonum ergo data eſt lex & pro- * videntèr; ſed populus veterem uſum ſe- * quens multiplicavit peccata: ipſo enim * uſu cępit plùs peccare, quàm peccaverat * priùs, & ſic factum eſt, ut data lege non * minuerentur peccata, ſed abundarent, * diabolo vertente legem bonam in ma- * lum.

441 Ad diſsipandum ex ſecundo capite objectum paucis dicere ſat eſt, poſtquam plurima in aſſumpto propoſito diximus circa differentias, ſecundam præcipuè, tertiam & quartam utriuſque legis. Non enim Evangelium lex dicitur gratiæ ad differentiam legis Moſaicæ, quia nulla tunc temporis gratia concederetur. Sed imprimis, quia non ita abundè, neque ex meritis illius legis diſpenſata fuit. Cujus oppoſitum de lege Evangelica pronuntiat Sanctus Joannes: *Gratia* ſiquidem *per Jeſum Chriſtum facta* dicitur in quadruplici ſenſu aliàs cum Div. Thoma elucidato Diſſert. 3. n. 140. nempè facta eſt gratia ſubſtantialis: Empta eſt, & pretio ſoluta; perfecta & abundans, & ex meritis novæ legis. Deindè lex illa dicta eſt timoris, & ſervitutis, quia ut in plurimum timore pœnarum manum cohibebat. Non defuerunt tamen, qui etiam amore Deum proſequebantur dicente Auguſtino: *Qui rectè Deum colit, & utriuſque Teſtamenti unum invenit Deum, in utroque diligit ejus bonitatem, in utroque metuit ejus ſeveritatem.* In hoc ſenſu loquitur adductus Auguſtini diſcipulus Sanctus Fulgentius. Et ex hoc principio poſt Auguſtinum docuit nos Div. Thomas imprimis, quòd antiqui Patres meruerunt introitum Paradiſi, quantùm ad id quod perſonæ eſt, ſicut & nos; licèt removendum eſſet impedimentum ex parte naturæ per Chriſtum. Deindè, quòd plures ex antiquis in ſpiritu pertinebant ad novum Teſtamentum; ſicut per oppoſitum in novo Teſtamento ſunt aliqui carnales, nondùm pertingentes ad perfectionem novæ legis. Indè cum Euſebio deduximus Diſſertat. præced. num. 142. antiquos illos juſtos poſſe utcunque Chriſtianos appellari. Deduxit etiam Doctor Angelicus antiquam Synagogam non debere dici concubinam Chriſti, ut aliqui rejecti à D. Thoma perperàm loquuntur.

S. Auguſt. lib. 1. cont. adverſ. legis, c. 17.

D. Thom. in 3. diſt. 18. q. 1. a. 6. q. 2. ad 2.

442 Nec eſt, quòd lex antiqua Pædagogus appelletur à Divo Paulo. In eo ſiquidem ſenſu ſic dicta eſt, ut dirigeret & præpararet homines ad Chriſtum, & ita devenirent ad perfectionem gratiæ, & cognitionis, quam antiqua lex ex ſuis meritis da-

Qualiter lex ad Chriſtum ducebat & gratiam, ut Pædagogus diceretur.

re

re non poterat. Nec tandem vim facere poſſunt Queſnellani in ultimis verbis D. Thomæ ad calcem objectionis adductis; illis ſiquidem pravè abutuntur, conveniebat igitur, quòd homo pro aliquo tempore relictus fuiſſet poſt peccatum primi Parentis, in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadens humilitèr ſuam recognoſcens infirmitatem, gratiæ indigentiam agnoſceret. Ex his autem verbis deducere, quòd homo in eo ſtatu relictus fuerit in ſua infirmitate, & impotentia naturali per peccatum contracta, alienum omninò eſt à ſolida Dialectica. Meliùs utique philoſophaſſet, ſi cum eodem Angelico Doctore concluderet, quòd non ita abundantèr gratiam ſuam elargitus fuit Deus pro tempore legis Moſaicę, ſicut in lege Evangelica, de qua Doctor Angelicus eâdem quæſtione ſcripſerat: quòd lex nova principaliter eſt ipſa gratia Spiritus Sancti interiùs data: & quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati tolleretur conſummata redemptione per Chriſtum. Et hac eâdem ratione ſupra ſtatuimus, quòd lex nova ſcripta eſt in corde filiorum per Spiritum Sanctum. Lex autem vetus ſcripta fuit in tabulis lapideis, quia unaquęque res illud videtur eſſe, quod in ea eſt potiſsimum, ut ibidèm arguit Div. Thomas.

In ſua infirmitate relinqui hominė congruit, ſed non abſque omni gratia.

D. Thom. 1. p. q. 106. art. 1. & 2.

443 Huic tandem noſtro licèt tenuiſsimo labori in obſequium antiquorum Patriarcharum aſſumpto, coronidem imponat Div. Ambroſius elegantèr, & piè monſtrans heroicos illius temporis viros, cardinalibus virtutibus (de theologicis alibi dicens) inſigniter irradiaſſe, inquiens: * Quod his vi-
* ris principalium virtutum officium defuit?
* Quarum primo loco conſtituerunt pruden-
* tiam,, quæ in veri inveſtigatione verſa-
* tur, & ſcientię plenioris infundit cupidi-
* tatem. Secundo juſtitiam, quæ ſuum cui-
* que tribuit, alienum non vindicat, utili-
* tatem propriam negligit, ut communem
* æquitatem cuſtodiat. Tertio fortitudi-
* nem, quæ & in rebus bellicis excelſi animi
* magnitudine, & domi eminet, corporiſ-
* que præſtat viribus. Quarto temperan-
* tiam, quæ modum ordinemque ſervat
* omnium, quæ vel agenda, vel dicenda
* arbitramur.... Fuit igitur in ſancto Abra-
* ham primo loco prudentia, de quo dicit
* Scriptura: *Credidit Abraham Deo, &*
* *reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Nemo
* enim prudens qui Deum neſcit.... Vide
* quàm juſtus Abraham. In ſenectute ſua
* ſuſceperat filium per repromiſsionem, re-
* poſcenti Domino, negandum ad ſacrifi-
* cium, quamvis unicum, non putavit.
* Adverte hìc omnes virtutes quatuor in
* uno facto. Fuit ſapientiæ Deo credere, nec
* filii gratiam anteferre Auctoris præcepto.
* Fuit juſtitiæ acceptum reddere: fuit for-
* titudinis appetitum ratione cohibere. Du-
* cebat hoſtiam pater, interrogabat filius,
* tentabatur affectus paternus, ſed non vin-
* cebatur: repetebat filius appellationem
* paternam, compungebat paterna viſcera,
* ſed non minuebat devotionem. Accedit
* quarta virtus, temperantia: tenebat ju-
* ſtus & pietatis modum & exequutionis
* ordinem. Denique dùm ſacrificio neceſ-
* ſaria vehit, dùm ignem adolet, dùm fi-
* lium ligat, dùm gladium educit, hoc im-
* molandi ordine meruit, ut filium reſerva-
* ret. Quid ſapientius ſancto Jacob, qui
* Deum vidit facie ad faciem, & meruit
* benedictionem. Quid juſtius, qui ea quæ
* adquiſierat, oblatis muneribus cum fratre
* diviſit? Quid fortius, qui cum Deo lu-
* ctatus eſt? Quid modeſtius eo, qui mo-
* deſtiam, ita & locis & temporibus defe-
* rebat, ut filiæ injuriam mallet pretexere
* conjugio, quàm vindicare; eo quod in-
* ter alienos poſitus, amori potiùs conſu-
* lendum, quàm odia colligenda cenſebat?
* Noe quàm ſapiens, qui tantam fabricavit
* Arcam? Quam juſtus, qui ad ſemen om-
* nium reſervatus, ſolus ex omnibus, &
* præteritæ generationis ſuperſtes eſt factus,
* & auctor futuræ, Mundo potiùs, & univer-
* ſis, magis quàm ſibi natus? Quàm fortis,
* ut diluvium vinceret? Quàm temperans,
* ut diluvium toleraret?

S. Ambroſ. lib. 1 de Offic. cap. 24 & 25.

S. Ambroſius, antiquos Heroes commendans.

ARTICULUS II.

Quid dicendum ſit de gratia ſufficienti comparative ad legem, juxta mentem Magni Auguſtini.

444 AD ea quæ circa legem antiquam cōparativè ad legem gratiæ diximus, magis elucidāda, congruere judicamus, ſi legem illam comparemus gratiæ ſufficienti. Ea propter in hac ſcholaſtica Digreſsione in examen vocare placuit: Utrùm, ſcilicet de gratia ſufficienti jurè affirmari poſsit; quod de antiquâ lege aliquando pronuntiavit Auguſtinus: *Uſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolùm nihil proſit, verumetiam plurimum obſit; niſi adjuvet gratia.* Video equidèm in hoc puncto magnos Theologos non levitèr altercantes, dùm eorum aliqui propoſitionem illam Auguſtini duriuſculam reputantes, eam proindè per exaggerationem dictam credunt, nec veram in rigore theologico. Per oppoſitum autem Auguſtino addictiores Theologi, in theologico rigore Auguſtinum intelligunt. In hoc tamen digladiantur ad invicèm, quòd Illuſtriſsimus Palanco in theologica Scholaſtica profunditate & ſubtilitate orbi litterario commendabilis, poſt relatam Auguſtini propoſitionem ſubjungit: *Ita ſimilitèr poſſet dici de gratia conſtituente poſſe, quod*

S. Auguſt. lib. 1. de Grat. Chriſti c. 8.

Lex obeſt niſi adjuvet gratia.

Ill. Palanco Tract. de Provid. q. 13. à n. 23.

non

non ſolùm non prodeſt, verùm & etiam obeſt, ni adjuvetur aliâ gratiâ. Docuit etiam illuſtriſsimus Theologus: *Quòd omnis gratia conſtituens poſſe, includitur in gratia legis, & doctrinæ, illamque non excedit.* Sed hæc doctrina quia abſolutè prolata aſpera videtur; eam explicat affirmando, quòd licèt gratia dans poſſe, excedat, & abſolutè diſtinguatur à lege, tamen theologicè non eſt diſtincta à lege ut obligante; quia gratia dans poſſe, eſt inſeparabilitèr debita legi ut obliganti: ergo ſuppoſita lege ut obligante, gratia ſufficiens non eſt nova gratia in ratione gratiæ & beneficii.

In Appendice ad tractat. de Conſcientia, & ad tract. de Provid. adjuncta tract. de impeccat. Chriſti.

445 Nihilominùs inſiſtunt aliqui Theologi quos adducit, & ſequitur Illuſtriſsimus Caſtell in tractatu de Lege & Gratia ſufficienti, quod aſſerta & explicata doctrina coincidere videatur cum proſcripta illa adversùs Sinichium propoſitione: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proindè meritò poſsimus petere: A gratia ſufficienti libera nos Domine* Nos autem (quibus aliundè diſplicet ſtatim rejicienda doctrina illa) ab omni cenſura & nota abſtinendum duximus, quia cenſoriam virgam Eccleſiæ & Summo Pontifici dumtaxàt reſervandam credimus; pro comperto habentes, nihil in ſuis præcitatis opinionibus voluiſſe propugnare à ſenſu catholico alienum, doctum illum, & juxta modeſtum, & pium Theologum multis de cauſis mihi venerandum. Et præſertìm quia ut ipſemet advertit; non abſolutè affirmavit, ſed dumtaxàt, quòd *id poſſet dici, ſeu poterit dici, ad quod non exigitur, quòd in rigore litteræ verum teneat, ſed ſat eſt ſi aliquali ſenſu cum veritate proferri poſsit.* Hæc dicta ſint in commendationem aliàs commendabilis Theologi; etſi aliundè diſputare aggrediamur contra ipſum, ejus argumenta diſſolventes, & opinionem rejicientes, conformitèr ad ea quæ toto præcedenti articulo ex Apoſtolo, Auguſtino & Thoma dicta ſunt de lege veteri.

Propoſitio 6. ab Alexandro VIII.

446 Ut ergo rem à fundamentis diſcutiamus, præmittendum eſt quòd Manichęi & legem & liberum arbitrium ore execrabantur blaſphemo; ſicut per extremum oppoſitum, Pelagiani in legis & liberi arbitrii laude vocem extollentes, neceſsitatem ulterioris gratiæ inficiari fuerunt. Ea propter Auguſtinus utrunque erroneum extremum debellare aſſumens; legem veterem cum Apoſtolo ſanctam, juſtam & bonam prædicavit; at contra Pelagianos demonſtravit, liberum arbitrium, legem atque doctrinam homini ad ſalutem ſatis non eſſe, niſi gratiâ interiori à lege & doctrina quoad rei veritatem diſtincta, arbitrium adjuvetur humanum. Et concludit: *Utroſque igitur* (Manichæos ſcilicet, & Pelagianos) *fides, ſicut & cęteros hæreticos adverſarios invenit, utroſque divinorum teſtimoniorum auctoritate & luce veritatis convincit.* Ut igitur Auguſtinus Pelagianiſmum debellaret, totus fuit ut oſtenderet gratiam Chriſti non ad legem & doctrinam reducendam eſſe; cùm potiùs lex non ſolùm diſtinguatur à gratia, ſed etiam ſine gratia nihil proſit, quamvis illa in ſe bona ſit. Indè jam deducere eſt, propoſitionem ſupra ex Auguſtino datam, etſi primo aſpectu difficilem, in rigore theologico veram eſſe; quidquid in oppoſitum ita loquatur Moraines apud Caſtell. * Auguſtinum pluribus locis duriùs loqui de lege veteri, ſed ſicut ipſemet ait lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 10. ſcripturæ verba, quando aliquid abſonum videntur præſeferre, ſunt in benignum & commodum ſenſum interpretanda: quidni etiam verba ipſius Auguſtini, quotieſcunque, vel nativo impetu animi, vel æſtu diſputationis abreptus videtur ad extrema declinare. * Et P. Ramirez affirmans: Auguſtinum quaſi per exaggerationem fuiſſe loquutum, ſignificando, tantùm diſtare legem à gratia, quantùm diſtat nocivum ab utili & proficuo. Quis namque de diſcipulatu Auguſtini gloriabundus, ſibi perſuadeat Aquilinum Doctorem, non in rigore theologico, ſed per quandam exaggerationem ſæpè tradidiſſe propoſitionem ad debellandos Pelagianos aſſumptam quamque ex Apoſtolo oſtendit?

Ad Galat. 3.

S. Auguſt. lib. 3. ad Bonif. c. 9.

Moraines apud Illuſt. Caſtell ſect. 1. n. 1.

Propoſitio S. Auguſtini in rigore theológico inteligenda.

Ramirez apud eundem Caſtell.

447 Subjungamus etiam, quod propoſitio illa intelligenda eſt de lege veteri, non præcisè quantum ad legalia, & cæremonialia præcepta, quæ vim obligandi per mortem Chriſti penitùs amiſerunt; ſed prout continebat etiam præcepta moralia & Decalogi, quatenùs ad vetus Teſtamentum ſpectabant. De hoc jam convenire videtur inter Theologos, & meritò; quia Auguſtinus de lege quantùm ad illa præcepta loquitur, quæ adhuc vigent in novo Teſtamento; cujuſmodi non ſunt legalia & cæremonialia ut ſatis abundè in Diſſertatione 1. contra Millenarios demonſtratum eſt. Deindè quia Sanctus Parens de illa loquitur lege & doctrina, in qua Pelagius gratiam reponebat; at Pelagius non in pręceptis cæremonialibus & legalibus antiquæ legis gratiam conſtituebat; niſi dicatur illum ſacrificia & judaicas cæremonias extollere dumtaxàt voluiſſe, non autem legem bona præcipientem, mala prohibentem, ut ſatis notum eſt: reliquum ergo eſt de lege antiqua loquutum fuiſſe Auguſtinum, quantùm ad ſui moralia præcepta. Et certè propoſitionem illam, indè derivavit Aquilinus Doctor, quod lex præcipiens & gratiam ex ſuis meritis non impertiens, prævaricationem in delinquentibus augebat, ſicut etiam concupiſcentiæ ardorem ut plurimis contra Queſnellum artic. præcedenti dictum eſt n. 436. quis autem dubitet ea verificari præcipuè de antiquis præceptis Decalogi, quibus expreſsè prohibita fuerunt mala, dicente Apoſtolo apud ipſum Auguſtinum: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret non concupiſces.* Reliqua etiam Apoſtoli teſtimonia ab Auguſtino adducta, de lege veteri præſertìm intelliguntur quantùm ad præcepta Decalogi, quibus introducta eſt cognitio peccati

juxta

juxta illud: *Per legem enim cognitio peccati.* Conſultò tamen diximus pręcepta Decalogi prout ſpectabant ad vetus Teſtamentum: quia eam inter alias poſuimus differentiam inter utrunque Teſtamentum, quòd antiquam gratiam ex ſe ipſo minimè conferebat, neminemque proindè juſtificabat: Secùs autem lex nova in cordibus hominum digito Dei conſcripta, meritòque proindè *Spiritus vivificans* ab Apoſtolo dicta; cùm per oppoſitum *litteram occidentem* appellet legem antiquam. His prælibatis ad aſſumptum deſcendimus.

Gratia ſuffiCiens Theologicè diſtincta eſt à lege, ut obligante.

448 Aſſerendum eſt primò: gratia ſufficiens, ſeu dans poſſe ad ſalutariter operandum, nedùm abſolutè ſed etiam Theologicè diſtincta eſt à lege ut obligante. Hæc aſſertio quantùm ad illud quod abſolutè affirmat, certa debet eſſe, poſtquam Eccleſia contra Pelagianos diffinivit: præter legem atque doctrinam forinſecùs ſonantem, neceſſariò adſtruendam eſſe gratiam interiorem per ſubminiſtrationem ſpiritûs derivatam, ut ſæpè contra Pelagianos urget Auguſtinus. Jam ergo ſecundam aſſertionis partem, juxta ſenſum ex Illuſtriſsimo Palanco prælibatum oſtendimus primò: Eatenus ſiquidem gratia ſufficiens non eſſet Theologicè diſtincta à lege, quia nimirum legi ut obliganti debita eſt; neque denegari valet ſuppoſita lege; ſed hoc veritatem non habere apparet primò; quia cum dictum eſt: *Lex per Moyſen data eſt*; ſi gratia legi debita eſſet, nec novum ab illa eſſet beneficium; poſſet utique ex conſequenti affirmari: per Moyſen datam fuiſſe gratiam, contra ſubjuncta Joannis verba: *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; & contra Auguſtini ſupra laudata verba: *Per Moyſen ſervum lex data, reos fecit: per Imperatorem autem Jeſum Chriſtum indulgentia data eſt.* Hæc omnia confirmari videntur ex Concilio Tridentino diffiniente: *Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanę naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia, poſſe juſtificari coram Deo; anathema ſit*: ergo quemadmodum gratia per Jeſum Chriſtum à viribus humanæ naturæ diſtinguitur, neque ipſis debita eſt; ſimiliter à lege & doctrina, nedùm diſtinguitur, ſed illi indebita eſt. Sed audiatur alibi, ubi Calviniſtas impietatis arguens, quòd legem ad impoſsibilia obligare effutiebant; & Pelagianos quòd dicerent, per legem fieri poſsibilia opera ſupernaturalia, contra utroſque, inquit; *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adjuvat ut poſsis*: ergo legi jubenti non eſt debitum auxilium tribuens poſſe, cùm debeamus illud à Deo petere miſericorditer elargiendum.

Joan. 1. v. 17.

Concil. Trident. ſeſ. 6. can. 1.

Cap. 11.

449 Probatur deindè aſſertio: nam ſi gratia ſufficiens debita utique eſſet ex vi legis ut obligantis, quemadmodum obligatio legis per peccatum Adæ non fuit extincta (in quocunque enim ſtatu lex naturalis obligat) ita, neque extinctum fuiſſet jus ad auxilia ex vi legis obligantis; hoc autem quis affirmabit? Cùm certum ſit, Deum poſſe abſque injuria homini auxilia ſubſtrahere ſufficientia in pœnam peccati vel originalis vel perſonalis. Quinimò aliquando ſubſtrahi obduratis quibuſdam peccatoribus, Theologi ſunt qui affirmant. Indè Eminent. Bellarminus pro concluſione ſtatuens: *Nulla eſſet in Deo iniquitas, ſi non ſolum aliquibus, ſed etiam omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret*, ſubjungit: *Hæc concluſio certiſsima eſt apud eos, qui ex divinis litteris peccatum originale noverunt.* Argumentum iſtud validè confirmemus: Lex ſiquidem naturalis ad omnia obligat præcepta, ſaltem diviſivè ſumpta, homini etiam lapſo; ſicut & ad vincendas graves tentationes; gratiam verò ad hujuſmodi implenda præcepta, graveſque tentationes vincendas, debitam non eſſe legi ut obliganti; indè conſtare videtur, quòd homo ad illud præſtandum auxilio indiget ſpeciali, quod proindè indebitum meritò in Scholis diximus tractantes de neceſsitate gratiæ. Præterea, quia auxilium divinæ gratiæ ut graves vincere valeamus tentationes, non ex debito legis, ſed ex Dei benigna fidelitate deducit Apoſtolus dùm inquit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione proventum ut poſsitis ſuſtinere.* Et tandem ſi legi etiam ut obliganti, præſertim prout continet Decalogi præcepta ad vetus Teſtamentum pertinentia, debita eſſet gratia ſufficiens; potuiſſent homines juſtificari per legem illam; vel ſaltèm in vi legis, quatenùs ipſi debita eſſet gratia, undè cum Apoſtolo concludere poſſemus adverſus oppoſitæ opinionis Auctores: *Si enim per legem juſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*; Ut aliquandò urgebat Eminentiſsimus Cardinalis de Noris in vindiciis Auguſtinianis.

Homini ſi[...] tem poſt p[...] catum, ſi[...] injuria ſubt[...] here pote[...] Deus auxili[...]

Ballarmin. li[...] 2. de Gratia c[...]

1. Corinth. 1[...] v. 13.

Cardinalis No[...] riſius in vindi[...] ciis fol. 88.

450 Ad extremum firmari poteſt aſſertio noſtra, detecta ęquivocatione, qua forte laborat Illuſtriſsimus Palanco, ejuſque deſtructo fundamento in oppoſitum: valdè ſiquidem diſcriminantur diverſaque ſunt ad invicem: ſimul cum lege obligante diſpenſari à Deo ex ſua fidelitate & miſericordia auxilium ſaltèm remotè ſufficiens ad legem implendam: & conferri tale auxilium ab ipſa lege, vel ex vi ipſius tanquam illi debitum. Primum judicamus verum; imò & cum Auguſtino & Angelico Thoma articulo præcedenti pluribus ſtabilitum: quandoquidem Deus impoſsibilia non jubet: Secundum autem aſſertum falſitatis evincunt teſtimonia iterata Div. Thomę, quibus contra Queſnellanos demonſtratum eſt, quòd licèt lex antiqua gratiam non conferebat; ſimul tamen cum illa Deus miſericorditer, & intuitu meritorum Chriſti, auxilia ſuæ gratiæ diſpenſabat, ut Judæi poſſent illius legis præcepta obſervare. Ex quibus ſatis notum ſit diſcrimen in eo quod auxilium ipſi legi

Aliud eſt auxi[...] lium cum le[...] dari: & d[...] ex vi legis.

D. Thom. 3. [...] q. 70. a. 4. [...] corp.

gi debitùm ſit: Vel quòd ſimul cum lege à Deo miſericorditer diſpenſetur. Nec opus eſt teſtimonia iterare Sancti Doctoris: ſatis namque erit ipſum audire de circumciſione ita loquentem: „ In circũciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſsionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio: ita ſcilicèt, quòd homo, qui accipiebat circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Undè & Apoſtolus dicit Rom. 4. quòd *Abraham accepit ſignum circũciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei*: quia ſcilicet juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circumciſione ſignificante. His accedat, quòd lex ſeu præceptum ſolùm eſt voluntas ſigni, ſive ſignum divinæ voluntatis, ut explicat Div. Thomas: Gratia autem ſufficiens effectus eſt divinæ voluntatis beneplaciti (ut dicitur) & antecedentis, quæ vera voluntas eſt, undè auxilia derivantur ſufficientia, ut cum melioris notæ Theologis ſtatuimus tractantes de voluntate Dei in Scholis.

D. Thom 3. par. q. 70. ar. 4.

1. p. q. 19. a. 12.

451 Aſſerendum eſt ſecundò: De auxilio ſufficienti non poſſe abſolutè affirmari, quòd de lege veteri affirmavit Auguſtinus. Aſſertionem iſtam ſtatuimus contra Illuſtriſsimum Palanco, ea ſolum ratione, quòd in favorem ſuæ opinionis argumenta proponit: quamvis eam abſolutè non propugnet, affirmans ſolum: *Quòd poſſet dici*, ut notavimus initio: Imò ſuam ingenuam humilitatem prodens, ſcripſit: *Quòd nec ad oculos, nec ad aures pervenerat propoſitio illa damnata circa gratiam ſufficientem. Quòd ſi perveniſſet* (ſubjungit humilis Præſul) *forsàn me, & Auguſtinum dilucidiùs expoſuiſſem.* Quapropter non poſſum ego aſſentiri Illuſtriſsimo Caſtell, aliiſque Complutenſibus apud ipſum, exiſtimantibus, opinionem Illuſtriſsimi Palanco recto tramite labi in damnationem, ut jam ſupra notavimus. Et multo magis, poſtquam illuſtris ille Theologus ſuam mentem ibidèm explicat dicens: *Mea ſolutio eſt: Quòd gratia ſufficiens requiſita ad poſſe, plus obeſt per accidens, & ex culpa recipientis, quàm prodeſt, niſi adjuvetur gratia efficaci*; quæ quidem propoſitio verum poteſt habere ſenſum: licèt nobis magis probatum ſit, quòd abuſus gratiæ ſufficientis homini pernicioſus ſit ſuâ culpâ dumtaxat: nullatenus verò dicendum eſſe quòd ipſum auxilium gratię purè ſufficientis pernicioſum ſit adhuc per accidens; cùm nullatenus influat in pernicioſum humanæ malitiæ abuſum; de quo nonnulla dicenda ſunt poſtea.

Palanco in appẽdice ad tract. de Providentia.

Immeritò traducitur Palanco.

452 Probatur primò aſſertio: quia gratia etiam purè ſufficiens medicina eſt ex meritis Chriſti, ejuſque ſanguinis fonte ſcaturiens ad pellendos morbos naturæ lapſæ; beneficuſque influxus divinæ antecedentis voluntatis ſalvandi omnes homines: Qualiter ergo obeſſe, magis quàm prodeſſe dicenda erit homini infirmo? Nam quod infirmo obeſt medela non eſt, nec medicamen morbum levans, quinimo ejus applicatio imperitum manifeſtat medicum & doloſum juxta illud Auguſtini: *Doloſi autem, vel imperiti medici eſt, etiam utile medicamentum ſic alligare, ut, aut non proſit, aut obſit.* Quis autem niſi blaſphemans dicat, Chriſtum Dominum imperitum & doloſum medicum ſpiritualem, dùm confert auxilium purè ſufficiens? non igitur de auxilio ſufficienti, etiam dùm non confertur efficax, affirmare poſſumus, quòd non ſolum non prodeſt, ſed quòd plurimum obeſt; aliàs ſola gratia efficax dicenda eſſet medicinalis Chriſti gratia, ut perperàm propugnavit Janſenius. Abuſus igitur dumtaxat gratiæ ſufficientis obeſt homini ob ſuam malitiam pravamque, quam non removet diſpoſitionem, minimè tamen auxilium ipſum. Quod explicari valet aptiſsimo quo utitur Auguſtinus exemplo, dùm auxilium ſufficiens conſiderat inſtar dulcis pluvię bonis & malis agris, ſcilicet fœcundis & ſterilibus, quæ accuſari non poteſt dùm fructum non affert: *Quod pluit*, (inquit) *in agrum ſpinoſum dulce eſt; nunquid pluviam accuſas, quòd ſpinas genuerit? Non nè erit pluvia illa teſtis in judicio Dei, & dicet: Ego dulcis ſuper omnia veni? Tu ergo quid proferas vide; & quid tibi paretur attendas. Profers frumentum, borreum ſpera: profers ſpinas, ignem ſpera.*

Auxilium purè ſufficiens obeſſe non eſt affirmandum, cut de lege.

S. Auguſt. lib. de dono perſev. c. 2.

Auxilium ſufficiens medicina, & pluvia ſalutaris.

S. Auguſt. in Pſalm. 63.

453 Deindè ut rem breviter abſolvamus, ita præcipuè arguimus: Nam argumenta, quibus Magnus Auguſtinus legem obeſſe firmavit, niſi ulteriori gratiâ adjuvetur, detorqueri ad gratiam etiam purè ſufficientem non poſſunt; indeque de hujuſmodi gratia voluntariè affirmari poteſt, quòd Auguſtinus de lege ſcripſerat. Præcipua etenim Auguſtini argumenta, ea ſunt, quibus Sanctus Parens Apoſtolum explicavit de lege antiqua affirmantem quòd erat *littera occidens*; quæque *ſubintravit ut abundaret delictum*: Quia ſcilicet per legem, addita cognitione peccati augebatur prævaricatio, poſitaque prohibitione, vehementiùs exarſebat inolitæ concupiſcentię morbus; prout ſatis abundè in ſuperiori articulo oſtenſum eſt, nova luce mutuata ex Aquinatis Sole. Hæc autem argumenta quam maximè à gratia etiam purè ſufficienti remota ſunt. Nam imprimis lex illa peccatum ſua prohibitione magis cognitum reddens, nihil adjumenti, roboris atque virtutis (ex ſuis meritis) tribuebat. Per oppoſitum autèm gratia ſufficiens quocunque modo exponatur, procedit. Si etenim de gratia ſufficienti ad partem intellectivam ſpectante verba facimus; ſivè in ſanctis illuſtrationibus, actibuſque intellectûs indeliberatis, (ſupernaturalibus tamen) reponatur, cum aliquibus Theologis, præſertìm extra Scholam D. Thomæ. Sivè in vivida qualitate, actuoſaque motione ſupernaturali intellectum effectivè illuſtrante, (prout mihi aliiſque nobiliſsimis Theologis, menti D. Thomæ addictionibus, magis ſempèr arriſit:) fatendum utique eſt,

ArguṁetaAuguſt. pro lege, ad gratiã ſufficientem detorqueri non poſſunt.

gra-

gravitatem culpę non ſemèl oſtendere gratiam illam; at dum oſtendit ad propulſandam juvat, allicit, roborat; ut inde notum appareat diſcrimen; gratiam inter ſufficientem, & antiquam legem. Nec eſt ut aliquid dicamus de gratia ſufficienti, ad partem ſpectante appetitivam; in ſanctis affectionibus reſpectivè conſtituta; cujus proprium munus eſt voluntatem ad fugiendum malum roborare, eamque ita potentem conſtituere.

454 Quantum attinet ad ſecundum argumentum; paucis eſt demonſtrare: gratiam ſufficientem non augere morbum inolitæ concupiſcentiæ. Quis enim ſibi perſuadeat medicinalem Chriſti gratiam augere concupiſcentiæ morbum? Nonne gratia ſufficiens effectus eſt Divini Spiritus, cui proinde reſiſtunt, qui gratiæ ſufficienti reſiſtunt, juxta illud Stephani ad Scribas & Phariſęos: *Vos*

Act. 7. v. 51.

ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Dicere autem: Spiritum Sanctum augere inolitę concupiſcentiæ morbum, quis ambigat eſſe abſurdiſsimum? Cùm potiùs contra ipſam concupiſcentiam pugnet, juxta illud Auguſtini:

S. Auguſt. ſerm. 43. de verb. Domini.

Spiritus Dei eſt, qui pugnat in te adversùs te, adversùs illud quod eſt in te contra te. Scio Illuſtriſsimum Palanco ſubtilitate quadam Philoſophica innixum, etiam gratię ſufficienti tribuere quòd augeat inolitæ concupiſcentiæ morbum: ideò enim, inquit, de

Gratia ſufficiens non auget inolitæ concupiſcentię ardorem.

lege hoc affirmat Auguſtinus; quia comprimit ſuâ prohibitione, & continet curſum mali appetitùs, quem non ſanat, deficiente gratia; ſed etiam gratia ſufficiens fręnat & continet, non autem ſanat curſum concupiſcentię: ergo quemadmodum de lege, quid prohibet, ut affirmemus de gratia ſufficienti per quandam antypariſtaſim augere morbum concupiſcentiæ? Sicut calor æſtatis auget intenſivè frigus, dùm illum comprimit intra puteos: & frigus hiemis auget intenſivè calorem in cavernis, ipſius diffuſionem & extenſionem comprimendo; & obſtaculum contra impetum aquæ, illum vehementiorem reddit. Sed hæc doctrina maximè diſplicet, tùm propter dicta, quę graviora ſunt ut ratiunculis Philoſophicis enerventur. Quinimò ſi in hac materia locum haberent, ſicut de gratia ſufficienti augere dicit concupiſcentiam: quoque affirmare debet modicam concupiſcentiam augere delectationem & gratiam; quod inauditum eſt. Advertere etiam potuiſſet Illuſtris ille Theologus: Auguſtinum non inde deduxiſſe legem obeſſe; quia præcisè reprimit, ſed etiam quia non juvat ad fręnandum rebellis concupiſcentiæ impetum; gratia autem ſufficiens velut cæleſte medicamen (ut diximus) juvat. Et quidèm ſi carnalis voluptas cum cęleſti delectatione pugnat, licèt eam non ſuperet, minuit tamen, ut contra Julianum oſtendit Auguſtinus iquiens:

S. Auguſt. lib. 4. contra Julian. c. 2.
Ad Roman. 7. v. 22.

Inquantùm ineſt, nocet, & ſi non ad perdendum de ſorte Sanctorum, ſi non ei conſentiatur, tamen ad minuendam ſpiritualem delectationem ſanctarum mentium, de qua dicit Apoſtolus: Condelector enim legi Dei, ſecundùm interiorem hominem: *Hæc delectatio profectò minuitur, quando, etſi non ad explendam, certè ad oppugnandam carnalis concupiſcentiam voluptatis, bellantis animus occupatur, & ita exercet glorioſa certamina, ut à delectatione intelligibilis pulchritudinis, ipſis certaminibus evocetur.* Quid mirum quòd delectatio cæleſtis, etiam quando totalitèr non vincit, minuat tamen malam concupiſcentiam? Ut inde corruant exempla pro ſua illa antypariſtaſi adducta per Illuſtriſsimum Palanco.

OBJECTA DISSOLUTA.

455 In oppoſitum primæ aſſertionis, ita argumentatur Illuſtriſsimus Palanco: Licèt gratia ſufficiens abſolutè & formalitèr diſtinguatur à lege, non tamen dicenda eſt novum beneficium ſupra legem, ab ea Theologicè diſtinctum. Etenim gratia illa non videtur legem excedere, nec novum apparet beneficium, quæ ex ſuppoſitione legis ſaltem ut obligantis debita eſt legi, adeò ut illam non poſsit Deus denegare. Hujus autem generis eſſe gratiam ſufficientem, oſtendere nititur Theologus ille, quòd cùm Deus impoſsibilia non jubeat (ut cum Tridentino, Auguſtino & Thoma contra Queſnellanos firmavimus ſupra) ſuppoſita lege, gratiam non poterit negare ſufficientem, quâ poſsibilia fiunt præcepta ad obſervandum. Hęc tamen objectio nullius roboris eſt, diſsipata ęquivocatione quâ videtur laborare opponens, ut in poſteriori primę aſſertionis argumento adnotavimus n. 450. Gratia enim legi ut obliganti nequaquam valet dici debita: quantumvis ex pura Dei miſericordia & fidelitate decreviſſet Deus conferre auxilia aliquo ſaltem modo ſufficientia (quæ utique potuiſſet denegare in pœnam originalis & perſonalis culpæ) ad obſervantiam pręceptorum. Indè licèt homini ad legem obſtricto auxilia conferat ſufficientia, neutiquàm verò tanquàm debita ex vi legis, ſed ex ſua miſericordia, ſicque verum ſubſiſtit, Deum impoſsibilia non præcipere. Quod autem ſubjungi poteſt ab adverſariis, quòd nempè gratia hominibus impertita, vigente lege Moſaica, non erat gratia excedens legem & doctrinam. Ita

Gratia ſufficiens antiqui legem excedebat.

falſum eſt, quàm quod maximè: ſatis namque demonſtratum eſt, plures antiquæ legis cultores legem illam obſervaſſe, omneſque potuiſſe eam obſervare; non tamen ſine gratia ſimul cum lege ipſis diſpenſata ex meritis Chriſti prævisis, cui obſervationi ſufficiens non erat lex illa.

456 Secundò opponitur: nam lex eò dicitur ab Auguſtino plurimum obeſſe, niſi adjuvet gratia: quia tollit excuſationem impotentiæ; quatenus ſublata lege, homini ad culpam tranſgreſsio non imputaretur, quandoquidem Sanctus Parens ſuam firmavit propoſitionem ex illis Apoſtoli verbis: *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio:: Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: non con-*

contupiſces; at etiam gratia ſufficiens impotentiæ tollit excuſationem; illâ etenim ſublatâ non poſſet homo præceptum implere, ejuſque proindè tranſgreſsio ipſi in culpam non verteretur: eadem igitur ratione, de gratia ſufficiente poſſumus affirmare plurimum obeſſe, niſi ulterior gratia adjuvet, quemadmodum de antiqua lege pronuntiavit Auguſtinus. Hoc tamen objectum, ſi alicujus eſſet momenti, evinceret utique gratiam ſufficientem ad perſeverandum Adamo impertitam plurimum ipſi obfuiſſe, & non profuiſſe, quod ſatis abſurdum indicari debet, illius ſtatus attenta fęlicitate. Etenim ut in Auguſtino legimus: *Si Adamo*

Lib. de correc. & grat. c. 11.

datum non fuiſſet adjutorium ſine quo ad perſeverandum, non utique ſua culpa cecidiſſet. Reſpondetur igitur argumentum iſtud in majori propoſitione claudicare; quatenùs veluti præcipuam aſsignans cauſam contra mentem Auguſtini. Non enim ex aſsignato motivo ſuam firmavit Sanctus Parens propoſitionem; ſed quia lex jubet, non juvat; oſtendit, non cavet peccata; & ſuâ prohibitione auget concupiſcentiæ morbum; cujus oppoſitum gratiæ ſufficienti convenire demonſtratum eſt, nec aliud innuunt verba Apoſtoli. Si autem objectio aliqualem dumtaxàt adſtruere nitatur paritatem inter legem & gratiam: Reſpondetur aſsignando diſparitatem, quâ & diſſolvitur argumentum, & detegitur Janſenii æquivocatio. Ete-

Gratia ſufficiens conditio eſt, non occaſio peccati, ſicut lex.

nim diſtingui opus eſt cum graviſsimis Thèologis, inter *conditionem* exactam ad peccatum, & *occaſionem* peccati. Conditio ex ſe non debet eſſe nociva, ſed quandoque proficua, ſi præſertìm juvat ad vitandum peccatum: *occaſio* autem peccati plurimùm obeſt niſi novo ſubſidio peccatum vitetur. Igitur gratia ſufficiens conditio eſt, ſine qua tranſgreſsio præcepti non eſſet omiſsio libera actûs præcepti, ratione impotentiæ ex ſubſtractione cujuslibet auxilii ſufficientis conſequutę. Lex verò antiqua ſine gratia nedum conditio erat, ſed occaſio peccati, augens concupiſcentiam, juxta aliàs decantatum ex Apoſtolo pronuntiatum: *Occaſio-*

Rom. 7. v. 8.

ne autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.

457 Diſſoluta objecta ſatis oſtendunt, nihil eſt undè contra auxilium purè ſufficiens, prout à diſcipulis Div. Thomę admittitur & propugnatur, aliquid inutilitatis prætendi poſsit, ut Sinichius in proſcripta propoſitione initio memorata aberravit. Nihilominùs data in præſentiarum occaſione, Janſenium contra gratiam illam ſufficientem pluribus debaccantem, eamque inutilem, monſtruoſam, pernicioſam & ſolis peccatis fovendis aptam pronuntiantem &

Janſenius adverſus gratiã Thomiſticè ſufficientẽ obloquens.

arguentem, ut debelletur, audiamus. Ille enim, licèt alicubi ſimulet ſe non repugnare gratiæ ſufficienti, prout à Thomiſtis explicata eſt, ſed tamen contra eam toto conatu armatus procedit libro tertio de Gratia Chriſti cap. 3. ubi inutilem atque otioſam probare nititur gratiam purè ſufficientem, quâ ſolâ nunquam operatio ſalutaris fit. Ejus tamen clamoſas argumentationes ad lydium lapidem ſcholæ; ſic in Schola propoſuimus, & diſſolvimus; per gratiam ſufficientem in ſenſu thomiſtico explicatam accipit homo poſſe benè velle & operari: per gratiam efficacem accipit benè velle & operari, ſed nihil prodeſt poſſe benè velle & operari, niſi homo velit & actu operetur: ergo ſufficiens gratia ex ſe, & independenter à gratia efficaci, inutilis eſt & otioſa. Etenim non poteſt non eſſe otioſa & inutilis virtus illa vel facultas, quà unquam homo benè uſus eſt, aut nunquam ſit uſurus.

458 Quòd autem gratia ſufficiens ſit pernicioſa probari ſolet à Janſeniſtis argumento multipliciter efformato: nos autem ſub illa forma proponemus, quæ urgentior

Janſenii objecta.

ſit, & ad quam cæteræ formæ arguendi nullo negotio reducuntur. Primò, principium illud homini eſt pernicioſum, quod majorem illi damnationẽ affert, ſoliſque peccatis perpetrandis deſervit. Sed hujus generis eſt auxilium ſufficiens, in eo qui auxilio caret efficaci: erit igitur illi pernicioſum. Aſſumpta propoſitio probatur, homo ſiquidem auxilio ſufficientis gratiæ totaliter deſtitutus (præſcindamus nunc à denegatione gratiæ ſufficientis, ob eorum graviſsimas culpas in obſtinatis & obcęcatis, aliàs inter Theologos graviter agitata) non obſervans præceptum, non peccaret defectu potentiæ ad obſervationem; è converſò autem, ſi auxilio inſtructus ſit ſufficienti, & careat efficaci, ad culpam certè imputabitur tranſgreſſio præcepti: ergo in illo eventu auxilium ſufficiens majorem affert damnationem, ſolis peccatis perpetrandis deſerviens. Secundò, nequit non eſſe pernicioſum auxilium illud, quo meliùs homini eſſet carere, quàm habere; adeò ut prudentèr operans magis eligeret denegationem, quàm collationem illius auxilii; ſed tale eſt auxilium ſufficiens ſine efficaci: ergo erit pernicioſum. Probatur minor, quia per ſubſtractionem auxilii ſufficientis; etſi boni operis merito privetur homo, tamen non peccat, imò peccati incapax pro illo ſtatu manet; ſed per collationem auxilii purè ſufficientis, licèt meriti capax ſit, nunquam tamen merebitur, & aliundè peccati reus efficitur: ergo carere auxilio purè ſufficienti meliùs & eligibiliùs homini eſſet; magiſque benevolum fore Deum erga hominem, ſi abſque illius culpa totaliter ſubſtraheret auxilia ſufficientia, quàm auxilium conferens purè ſufficiens. Tandem urgent: homo juſtus cui confert Deus auxilium ſufficiens, in periculum devenit amittendi gratiam ſanctificantem per tranſgreſsionem præcepti, quod periculum removetur per ſubſtractionem cujuſcunque auxilii purè ſufficientis: ergo ſaltem reſpectu hominis juſti, pernicioſum erit auxilium purè ſufficiens.

459 Hoc argumentum mirùm eſt in quot

Abſurda ex Janſenii objectis pullulantia.

quot ducat abſurda: ſi enim auxilium purè ſufficiens, eo quòd ſolum voluntati tribuat poſſe ſalutaritèr operari, nocivum & perniciofum prædicatur; id ipſum de ipſa gratia ſanctificante, virtutibus infuſis, atque Spiritus Sancti donis dicendum eſt, non enim homo hujuſmodi chariſmatum donis inſtructus in actus ſalutares prorumpit, niſi ulteriùs per gratiam actualem adjuvetur, ut ſæpè oſtenſum eſt ex Auguſtino. Hæc autem affirmare, horrida erit blaſphemia. Inſuper ipſi Janſeniani gratiam ſufficientem inutilem & pernicioſam in ſtatu innocentiæ contra fas & nefas pronuntiare debent: ſi enim Angelis & Adamo innocenti adjutorium *ſine quo non*, diſpenſatum non fuiſſet; ipſo Auguſtino teſtante, in peccati barathrum non incidiſſent. Nec eſt quòd alia memorem, ſcilicèt libertatem arbitrii, creationem naturę rationalis ad imaginem Dei, conſervationem reproborum uſque ad ætatem adultam, aliaque id generis, quæ omnia non Dei dona appellanda eſſent, ſed pernicioſa data, quia illis ſublatis, homo incapax eſſet peccandi. Undè garrulandum eſſet cum Calvino: Deum eo fine & intentione reprobos creaſſe, illiſque bona tùm naturalia, tùm ſupernaturalia tribuere, ut eos æternis cruciatibus ſubjiciat contra illud Proſperi: *Nemo à Deo creatus eſt, ut pereat. Ut naſcantur homines, conditoris eſt beneficium, ut autem pereant, pręvaricatoris eſt meritum.*

S. Proſper ad 3. objectionem Vicentianam.

460 Omittere tamen non poſſumus urgentiorem aliam contra Janſeniſtas inſtantiam: Auxilium purè ſufficiens, eo dicitur ab illis pernicioſum, quia ſi illud Deus homini non conferret, non peccaret tranſgrediendo præcepta: ergo adventus Chriſti in carne mortali, ejuſque prædicatio apud Judęos, & tot mirabilium patratio, etiam dicenda eſſet pernicioſa: *Si non veniſſem* (inquit Chriſtus) & *loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Igitur Janſeniani in hujuſmodi barathrum incidunt; quia nolunt diſtinguere inter ipſum auxilium purè ſufficiens, & abuſum illius, hic pernicioſus homini & ex ſua culpa; auxilium autem utile, proficuum & ex ſincera Dei voluntate ſalvandi homines derivatum, nec ullatenus influit in abuſum ex ſola malitia hominis evenientem, nec pro illo abuſu datur à Deo, ut blaſphemavit Calvinus inquiens apud P. Beccanum: *Deum offerre reprobis ſuam gratiam, ut obſit illis, & adhibere medicinam, ut moriantur.* Mancat ergo, ſolum abuſum auxilii ſufficientis eſſe homini pernicioſum ex ſua culpa; nullatenùs verò ipſum auxilium purè ſufficiens, adhuc per accidens, quia nullomodo influit in ipſum perverſum humanæ malitiæ abuſum, ut paulò ante indicavimus.

Urgens adverſus Janſeniſtas inſtantia.

Joan. 15. v. 22.

P. Beccanus tõ. 1. opuſc. 8. c. 1.

461 Indè ad Auguſtini verba reſpondetur, quòd poſſe bene velle & operari, niſi homo de facto velit & operetur non prodeſt homini, quia non conſequitur effectum & finem intentum à Deo, ſcilicèt ipſam obſervantiam præcepti & conſequutionem vitæ æternæ: at non prodeſſe, non oritur niſi ex eo quod homo non vult operari: undè impertinentèr deducitur ipſum auxilium dans poſſe eſſe pernicioſum. Sed in forma reſpondetur ad primum argumentum, conceſſa majori diſtinguo minorem: Nihil prodeſt poſſe benè velle & operari, niſi homo operetur, ratione gratiæ ſufficientis, nego minorem, ex propria malitia voluntatis nolentis benè operari, concedo minorem & nego conſequentiam. Gratia enim ſufficiens beneficium eſt, ratione cujus homo redditur potens ad opera ſupernaturalia; & quantum eſt ex ſe in illa prorumperet niſi obſiſteret malitia voluntatis. Undè gratia ſufficiens non eſt inutilis & otioſa. Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo majorem: illud principium eſt homini pernicioſum, quòd illi majorem affert damnationem ex ſe & ex natura ſua, uti ſunt habitus vitioſi, concedo majorem; ex ſola malitia & abuſu voluntatis, nego majorem: aliàs paſsio Chriſti, Sacramenta, atque beneficia omnia dicenda eſſent reprobis pernicioſa, quod ſine blaſphemia dici nequit. Et ſimilitèr diſtincta minori, nego conſequentiam, quæ & falax eſt, & nullatenus infert horrendum illud abſurdum, quòd ſcilicèt auxilium ſufficiens ſolis peccatis perpetrandis deſerviat.

Auxilium ſufficiens ſi non prodeſt, ex malitia voluntatis eſt.

Auxilium ſufficiens immerito dicitur pernicioſum.

462 Indè ad probationem minoris conceſſo antecedenti in ſenſu diſtinctionis, negatur conſequentia: quia tranſgreſsio præcepti, malitię dumtaxàt voluntatis tribuitur, non verò auxilio ſufficienti, ex ſe enim inclinans eſt, & conferens expeditam potentiam pręceptum obſervandi, quamobrèm nullo ex capite pernicioſum dici poteſt. Ad tertium conceſſa majori diſtinguo minorem: melior & eligibilior eſt carentia auxilii purè ſufficientis, quàm auxilium purè ſufficiens abſolutè loquendo, nego minorem, auxilium ſufficiens ut à voluntate rejectum, concedo minorem & nego conſequentiam. Itaque melius eſt habere libertatem ſupernaturalem & proximam potentiam obtinendi ſalutem æternam, quàm tali potentiâ carere. Sed tamen ſi quis ex ſua malitia, tali abutitur potentia, melius illi eſſet carere abſque culpa auxilio ſufficienti, non proptèr auxilium, ſed unicè propter abuſum. Hoc modo exponit Div. Thomas verba illa Chriſti Domini: *Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Ubi concilians oppoſitas Auguſtini & Hieronymi ſententias, inquit: „ Dicendum quòd non eſſe, „ dupliciter poteſt accipi, vel ſecundùm ſe, „ vel per comparationem ad aliud: ſecundùm ſe dico, quòd non eſt eligibile, ut „ dicit Auguſtinus; ſed per comparationem ad aliud eſt eligibile, ut dicit Hie„ronymus. Ad probationem minoris reſpondetur, quòd per auxilium ſufficiens homo peccati reus efficitur ex propria malitia

Eligibilior eſt carentia auxilii ſufficientis, quàm auxiliũ à voluntate rejectum.

Matth. 26. v. 24.

D. Thom. ibid.

tia

tia & abuſu, non verò ex meritis gratiæ ſufficientis.

463 Similiter dicimus meliorem eſſe potentiam proximam ad ſalutaritèr operandum, etſi ſit cum potentia & periculo peccandi, quàm incapacitatem peccandi per ſubſtractionem cujuſcunque principii ſupernaturalis: aliàs melioris eſſet conditionis lapis, quàm creatura rationalis ad ſupernaturalem finem elevata cum libertate tamen arbitrii ad delinquendum. Incapacitas enim peccandi tunc præſtantior eſt, quandò provenit ex magna perfectione libertatis, ut in Deo & Chriſto Jeſu apparet: ſecùs verò quando oritur ex ſubſtractione principii tribuentis poſſe ad conſequendam ſalutem æternam. Indè ad ultimum reſpondetur, beneficium eſſe homini juſto auxilium ſufficiens, quo poteſt, & gratiam conſervare & augere; quòd autem juſtus tali auxilio abutatur, ſuæ malitiæ debet imputari, non autem auxilio ſufficienti, natura ſua ad bonum tendenti. Itaque gratia Thomiſticè ſufficiens eſt principium, & incohatio boni operis, ac veluti ſemen illud evangelicum cordi noſtro inſitum, virtute continens boni operis fructum, ad quem producendum re ipſa tendit; & à cujus productione impeditur culpa hominis, qui curſum gratiæ ſufficientis impedit, non ſecùs ac terræ ariditas, vel ſpinæ in ea germinantes impediunt virtutem producendi fructus, quam habent ſemina terræ mandata, & impediunt ne virtus illorum ſeminum perveniat ad producendum fructum, ad quem ex ſe ipſa ulteriùs tendit. Deus enim dùm gratiam ſufficientem homini impertitur, non ſubtrahit gratiam ſe ipſa efficacem, ſeu præmotionẽ phyſicam abſolutè neceſſariã ad perfectam operationem eliciendam, ad quam natura ſua propendit gratia ſufficiens, ſed potiùs Deus cum largitur gratiam ſufficientem offert homini gratiã efficacem, eamque ei dare paratus eſt, niſi homo liberè impedimentũ poneret.

Qualiter melior ſit capacitas, quàm incapacitas peccandi.

Auxilium ſufficiens juſtis non obeſt.

Auxilium ſufficiens Deus cùm tribuit, auxiliũ offert efficax.

464 Sic cenſent Scholæ Thomiſticæ celebriores Theologi; Thomas de Lemos, & Didacus Alvarez, quorum prior hæc habet: * Auxilium ſufficiens, ita ſufficientiam tribuit ad operandum, quod defectus operationis nullo modo provenit ex inſufficientia talis auxilii, ſed tantùm ex defectu liberi arbitrii, quòd ei reſiſtit, & impedimentum ponit. Et cap. 6. Deus (inquit) tribuens auxilium ſufficiens, in eo offert efficax; ſed quia homo reſiſtit ſufficienti, privatur efficaci, quod ſibi offerebatur. * Idem docet Alvarez: * Deus (inquit) quandiù obligat præceptum, tribuit de facto auxilium ſufficiens, paratus homini dare auxilium efficax, niſi eidem auxilio impedimentum præſtaret. Et rursùs: Homo (inquit) reſiſtendo auxilio ſufficienti, impedimentum ponit, ne Deus ſuâ gratiâ ulterius progrediatur. * Ubi vides, Deum cum impertitur homini gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, ſimul offerre præmotionem phyſicam, ſeu gratiam ſe ipſa efficacem neceſſariam ad producendum actum perfectum, ad quem tendit gratia *Thomiſticè* ſufficiens. Quarè noſtratum doctrina conſentanea omninò videtur menti Patrum Concilii Tridentini, ſic decernentium: *Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

Mag. Lemos tom. 4. lib. 4. p. 2. tract. 2. c. 2.

Cap. 6.

Mag. Alvarez lib. 10. diſp. 113. & diſp. 8. a. 4.

Concilium Trident. ſeſ. 6. c. 13

465 Hęc quantumvis ſufficiant ad comprimendos Janſeniſtarum inſultûs adversùs gratiam *Thomiſticè* ſufficientem. Non tamen non poſſumus, data occaſione, objectiones nonnullas proponere & diſſolvere, quas non levi conatu Theologi nonnulli extra ſcholam Div. Thomæ contra gratiam illam à nobis explicatam & propugnatam, urgent. Quarè hìc ſubjungere convenit quæ aliàs in Scholis ita propoſuimus. Sic enim ex Honorato Tournely objicitur: gratia ſe ipſa efficax ut de facto ponatur actus præceptus neceſſaria non eſt: ergo minùs rectè explicatur à Thomiſtis auxilium ſufficiens, dans quidem poſſe, ſed ultra quod aliud exigitur, ut de facto homo in actum ſalutarem exeat. Probatur antecedens: ut homo præſertìm juſtus violando præceptum reus culpæ credatur, opus eſt aliqualiter habere in ſua poteſtate auxilium illud prædeterminans, ſi ſemel dicitur neceſſarium ad impletionem actualem præcepti; ſi enim innoxiè illo privatur, non apparet, quomodo culpæ & pœnæ reus credatur; ſed nullatenus eſt in poteſtate hominis auxilium efficax, aut prædeterminans adquirere: ergo gratia efficax ut de facto ponatur actus præceptus neceſſaria non eſt. Probatur minor: quia auxilium efficax certè non eſt in poteſtate hominis tanquam in cauſa; cum fiat à Deo in nobis ſine nobis; deindè, quia non habet in ſua poteſtate ſe diſponere ad illud certò impetrandum: ergo nullatenus eſt in poteſtate hominis, auxilium efficax aut prędeterminans adquirere. Minor videtur certa, quia ut homo ſe diſponat ad gratiam illam efficacem, opus habet etiam auxilio efficaci. Sic enim loquitur Div. Thomas: „ Reſpondeo dicendum, quod hoc ipſum „ quòd homo non ponit obſtaculum, ex gra„tia procedit: unde ſi aliquis ponat, & ta„men moveatur cor ejus, ad removendum „ illud; hoc eſt ex dono Dei vocantis per „ miſericordiam ſuam. Confirmatur ex laudato Auctore: ideò juxta Thomiſtas homo juſtus privatur gratia efficaci ad implendum præceptum, quia non benè utitur gratiâ ſufficienti, ſed potiùs reſiſtit & impedit, ne ulterius progrediatur auxilium ſufficiens, ſed hæc doctrina non coheret cum ſuis principiis: ergo neque eorum ſententia ſubſiſtere poteſt. Probatur minor: quia ut homo benè utatur gratia ſufficienti, eique non reſiſtat, indiget gratia efficaci in principiis Thomiſtarum: ergo inconſequenter dicunt, hominem juſtum privari gratia efficaci.

Innovata contra gratiã thomiſticè ſufficientem objecta.

466 Reſpondetur ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem diſtinguo majorem: debet habere in ſua poteſtate propriè loquendo, tanquàm in cauſa, vel in

ſui

ſui diſpoſitione, quam propriis viribus obtineat, nego majorem; lato modo, quatenus Deus paratus eſt auxilium prædeterminans conferre, niſi homo impedimentum ponat peccando, concedo majorem; & ſimiliter diſtincta minori, nego conſequentiam. Et ſimiliter ad probationẽ minoris reſpondetur. Itaque, neque homo in ſui virtute propria producere poteſt auxilium efficax, nec poteſt ſe diſponere ad illud; poteſt tamen impedire per peccatum (cujus voluntas eſt cauſa prima) receptionem divinę gratię, efficacis, quam ſi non impediret, Deus certè pro ſua miſericordia conferret: undè in hoc ſolum ſenſu dici valet: hominem gratia ſufficienti inſtructum habere aliqualiter in ſui facultate adquirere auxilium efficax; licèt non poſsit ſe diſponere, nec tollere impedimentum, niſi per gratiam, ut Divus Auguſtinus laudatis verbis ſtatuit: * Licèt ergo (inquit Alvarez) motio Dei prævia non ſit in poteſtate creatæ voluntatis tanquam in cauſa, eſt tamen in facultate noſtræ voluntatis, ſe ipſam impedire, ne habeat illam motionem. Undè ſi non operetur actum qui eſt in præcepto, imputabitur illi ad culpam, eò quod ſua culpa ſe impedivit, ne daretur auxilium efficax, quod neceſſarium erat, ut actualiter operaretur actum virtutis, qui eſt in præcepto. *

Alvarez lib. 3. diſp. 18.

467 Proſequitur laudatus Theologus; * ſicut ſi Deus imponeret homini præceptum volandi, & quantùm eſt ex parte ſua offerret illi alas, & adjutorium neceſſarium ut volaret, ipſe autem libertate ſua reſponderet: Domine nec volo alas recipere, nec volare; meritò reputaretur reus, & tranſgreſſor præcepti, etiam ſi non poſſet abſque alis volare: quia ſuâ culpâ ſe impedivit, ne illi donarentur à Deo. * Sed quid immoramur Diſcipulos audiendo, cùm ipſe Magiſter doceat Angelicus? Propoſito etenim hoc titulo: *Quòd rationabilitèr homini imputatur, ſi ad Deum non convertatur, quamvis hoc ſine gratia non poſsit*, ſtatìm ſubjungit dubitationem ſatis affinem ei quam verſamus. *Poteſt alicui videri* (inquit inter alia) *quòd non ſit homini imputandum ſi prędictis careat*: (nempe fide, ſpe, dilectione & perſeverantia) *præcipuè cùm auxilium Divinæ gratiæ mereri non poſsit, nec ad Deum converti, niſi Deus eum convertat: Nulli enim imputatur, quod ab alio dependet.* Dubitationem ſtatìm ita diſſolvit: „Ad hujus dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, ne acquirere poſsit: poteſt tamen ſe ipſum impedire ne eam recipiat, „dicitur enim de quibuſdam Job 21. *dixerunt „Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Job 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*, & cùm hoc ſit in „poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ „gratiæ receptionem, vel non impedire: „non immeritò in culpam imputatur ei, „qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni; Deus enim quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim „omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire: ut dicitur 1. „ad Timotheum 2. Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur: licèt videre non poſsit, niſi lumine ſolis præveniatur.

D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 159.

Poteſt voluntas ſe impedire, ne gratiam efficacem recipiat.

468 Ad confirmationem, nego cauſalem majoris quoad primam partem, non enim homo privatur gratiâ efficaci, quia non benè utitur auxilio ſufficienti: bonus enim uſus gratiæ ſufficientis conſiſtens in ipſa actuali poſitione operis ad quod tendit, non eſt cauſa gratiæ efficacis, ſed è contra gratia efficax eſt cauſa ſivè applicatio ad illud: unde meliùs dicitur: *Quia homo privatur gratiâ efficaci ob ſuam culpam, non benè utitur auxilio ſufficienti*, quàm è contra: *privatur, quia non benè utitur.* Solum ergo ſecunda pars cauſalis eſt vera: Et ideò homo ſuâ culpâ privatur gratiâ efficaci: quia per propriam malitiam (cujus eſt cauſa prima deficiens) obicem & impedimentum ponit receptioni gratię efficacis, quam Deus ipſe offert. In hoc igitur ſenſu conceſſa majori, nego minorem, ad probationem conceſſo antecedenti, negatur conſequentia. Fatentur enim Thomiſtæ, conſequentèr ad ſua principia: hominem non benè uti gratiâ ſufficienti, neque ei poſitivè non reſiſtere ſine gratia efficaci; ſed ex propria defectibilitate habere, poſſe, & quandoque actu ponere impedimentum, & obicem receptioni gratiæ efficacis, quàm certè alias haberet ad bonum uſum auxilii ſufficientis. Itaque aliud eſt bonus uſus auxilii ſufficientis, qui ſecum affert non reſiſtentiam illi auxilio: & aliud eſt obex ſivè impedimentum recipiendi ulterius auxilium ad operandum ſeu benè utendum auxilio ſufficienti. Hoc ſecundum ex malitia creaturę rationalis poſitivè ſolum provenit: primum autem ex gratia efficaci: quia licèt homo ad bonum indigeat gratiâ Dei: ad malum autem ut tale ſibi ſufficit ipſe. Inde habetur rectè concipi juſtam negationem gratiæ efficacis, etſi nullum antèa præcedat peccatum in homine juſto: eò ſolùm quòd inſtante præcepto ex propria libertate determinetur ad tranſgreſsionem, impediendo hac ſuâ culpâ receptionem gratiæ efficacis, quidquid in contrarium urgeat Honoratus Tournely, cujus univerſa ferè argumenta evaneſcunt juxta hanc noſtram ſolutionem, in qua non deſideramus aliquam diſpoſitionem præviam in homine inſtructo gratiâ ſufficienti, ut recipiat efficacem; ipſa enim gratia ſufficiens diſpoſitio congruentiſsima eſt, ut Deus qui cæpit opus per gratiam ſufficientem, ipſum perficiat per efficacem, niſi homo illi gratiæ defuerit ut loquitur Tridentinum, id eſt niſi impedimentum ponat. Videatur Magiſter Le-

Ad bonum indiget homo gratiâ: ad malum ſufficit ipſe.

mos

mos de hoc puncto datâ opera tractans. Hæc ſolutio ſatis diluit hanc difficultatem, quantùm ejus permittit inſcrutabilitas, quin oporteat recurrere ad diverſos modos exponendi uſum gratiæ ſufficientis ſubtilitèr excogitatos à Theologis, quos hìc omittimus: quia longa reſtat via; & videri poſſunt apud Magiſtrum Aliaga, & Magiſtrum Manſo, ubi poſt relatos modos dicendi Thomiſtarum, ſuam ſententiam ſtatuit de uſu quodam negativo, quem rectè refellit laudatus Aliaga, & militant etiam argumenta Tournely de gratia Chriſti quæſtione 7. articulo 4.

Mag. Lemos tom. 4. p. 2. tract. 3. à c. 4.

Mag. Aliaga tom. 4. ad calcem.

Mag. Manſo in ſuo Aug. grat. vindice q. 8.

469 Sed nihilominus ut pręſentis difficultatis profunditas magis appareat, replicabis: Quia ut homo inſtructus gratia ſufficienti obicem opponat peccando receptioni ulterioris gratiæ, opus eſt quòd Deus permiſsivè concurrat ad formalem malitiam, ſivè permittat peccatum, & ulterius quod poſitivè concurrat ad materiale, ſivè ad actiones cum formali malitia connexas, ſed hujus permiſsionis non eſt facile cauſam aſſignare: ergo noſtra ſolutio ſuſtineri non poteſt. Probatur minor: quia licet aliquando obvia ſit cauſa negationis auxilii efficacis & permiſsionis peccati, nimirùm quando præcedit peccatum vel perſonale vel originale, in cujus pœnam juſtè denegatur gratia efficax & permittitur peccatum, juxta illud D. Thomæ: „Quod quidem auxilium „(ſcilicet efficax) quibuſcunque divinitùs datur, miſericorditèr datur, quibus autem „non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, aut ſaltem originalis peccati, ut ait Sanctus Auguſtinus in libro de correptione, & gratia. Tamen dùm homini juſto nullius peccati nec originalis nec actualis labe infecto urget pręceptum, verbi gratia: dùm in infantia baptizatus pervenit ad uſum rationis, & inſtructus eſt auxilio ſufficienti, dùm illi inquam permittitur peccatum, & non datur auxilium quo actum illum impediretur, arduiſsimum videtur aſsignare cauſam hujus permiſsionis & concurſus Dei ad actionem cum malitia connexam: ergo dicendum erit pręter auxilium ſufficiens ſubditum libero arbitrio, ut volunt adverſantes Theologi, non eſt cur aliud auxilium ſe ipſo efficax neceſſario adſtruamus. Confirmatur hoc ipſum & urgetur in Adamo & Angelis cadentibus, quibus etſi inſtructis auxilio ſufficienti ad perſeverandum, ſicut Angeli boni, nullo præcedente peccato, permiſit primum peccatum; quo, juxta noſtram ſolutionem, obicem poſuerunt receptioni gratiæ efficacis, quam Deus paratus erat dare, & qua opus habuerunt ad non peccandum & perſeverandum, in Schola Auguſtino-Thomiſtica: ergo ſaltèm in his & ſimilibus caſibus deſerenda eſt Thomiſtarum ſententia.

D. Thom. 2. 2. q. 2. a. 5.

470 Ante ſolutionem hujus argumenti, memorare quàm brevitèr placet, ea quę circa concurſum ad peccatum explorata ſunt in Schola Divi Thomæ, in peccato ſcilicet & formalem malitiam, & materiale ſivè entitatem actionis peccaminoſæ diſtinguendum eſſe, ex quibus primum tribuitur creaturæ tanquam primæ cauſæ deficienti, Deo ſolum permittente: malitia enim formalis ut talis, non eſt aliquod ens pertinens ad genus phyſicum, ſed merus defectus: undè non habet primam cauſam efficientem ſed deficientem: *Nemo* (inquit Auguſtinus) *quærat cauſam efficientem malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens.* Et paucis interjectis proſequitur: *Cauſas porrò defectionum iſtarum, cum efficientes non ſint ut dixi, ſed deficientes, velle invenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium.* Concinit de more Divus Thomas inquiens: „Malum inquantùm hujuſmodi non habet „eſſe, nec eſt res aliqua, ſed magis eſt privatio alicujus perfectionis in re, inde „non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, & hujuſmodi ſunt cauſæ mediæ, „proptèr hoc quod ſunt ex nihilo.

Creata Voluntas prima cauſa deficiens ſtatuitur malitię, non autem entem entitatis actionis malæ ad quam Deus concurrit.

S. Auguſt. lib. 12. de Civ. Dei c. 7. & 8.

D. Thom. lib. 2. ad Annibald. q. 1. a. 2.

471 Vides creaturam rationalem, quia ex nihilo factam, ex ſuis propriis defectibilem eſſe; nec Deum eſſe cauſam earum defectibilitatis: cum enim radix primordialis hujus defectibilitatis ſit ipſum nihilum, quod non eſt à Deo, ſed proprium creaturę pæculium, ipſa creatura debet eſſe prima cauſa deficiens: ſicut Deus eſt prima cauſa univerſalis efficiens cujuſcunque entis, qua ratione concurrere debet ad ſecundum quod eſt in peccato, ſcilicet entitas actionis, quæ eſt ens quoddam particulare bonum bonitate entis & tranſcendentali. Undè Fulgentius ajebat: *Ideo naturæ à Deo factæ proficere poſſunt; quia eſſe cęperunt; ideò deficere; quia ex nihilo factę ſunt. Ad defectum eas ducit certitudo originis; ad profectum verò operatio Creatoris.* Quod autem malitia non Deo, ſed cauſis ſecundis tribui debeat, explicat Div. Thomas exemplo claudicationis; qui defectus non in animam, ſed in tibiam curvam, quæ eſt cauſa media deficiens tribuitur. Sicut etiam defectus quibus ſubjicitur calamus, & defectus in quos labitur diſcipulus, non perito ſcriptori, qui aptat calamum ad ſcribendum, & manum diſcipuli regit, tribuendi ſunt: ſed calamo ipſi defectuoſo & diſcipulo, qui cùm ſcribit à directione Magiſtri ſe ſubtrahit. Hac igitur doctrina ſuppoſita.

S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 3.

D. Thom. 1. 2. p. q. 79. a. 2.

472 Reſpondetur ad replicam conceſſa majori, nego minorem; ad probationem, nego antecedens pro utraque parte. Fatemur enim, quòd ſi Deus denegat auxilium efficax, permittitque peccatum in pœnam præcedentis delicti perſonalis aut originalis, apparet magis motivum & cauſa juſtiſſima hujus negationis: quandoquidem, etiam auxilia ſufficientia negare aliquando Deum in pœnam magnis peccatoribus, Theologi nonnulli propugnant; vel ſaltem poſſe illa denegare. Sed nihilominus nullo præcedente peccato, ut apparet in Adamo & An-

gelis, aut ſaltem remiſsis peccatis præcedentibus; permittit Deus aliquando primum peccatum, & denegat gratiam quâ vitaretur; ut in ipſis exemplis ſit notum. At in hoc eventu Deum juſtiſsimè operari dogma catholicum eſt: licèt non ſit facilè aſſignare motivum hujus permiſsionis: quapropter Auguſtinus, dùm hujus rei cauſas inquirit, non habet quò recurrat, niſi ad judicia Dei inſcrutabilia: *Juſto Dei judicio* (inquit) *aliquando manifeſto* (quando ſcilicet apparet fieri in pœnam peccati) *aliquando occulto, ſemper tamen juſto.*

Cauſę permiſſionis peccati, non ſunt curiosè ſcrutãdæ

473 Igitur denegatæ gratię efficacis & permiſsionis primi (vel abſolutè, ut in Angelis & Adamo, vel poſt juſtificationem) peccati motivum ex parte Dei juſtiſsimum eſſe fateamur, neceſſe eſt; ſed illud curiosè ſcrutari non licet: *Altiora te ne quęſieris, ne opprimamur à majeſtate judiciorum Dei, eorumque profundo abyſſu mergamur.* Sat eſt ſi cum Apoſtolo fateamur: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? O altitudo divitiarum ſapientię & ſcientię Dei!* Huic baculo hęret Auguſtinus quàm frequentèr, nedùm pro denegato Angelis malis adjutorio ampliori, quo boni perſeverarunt, ſed etiam lapſis hominibus: *Si quis* (inquit) *me interrogat, cur ille ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; ille autem non; duo ſolum occurunt, quæ reſpondere placeat: O altitudo divitiarum? Et nunquid iniquitas apud Deum? Cui hæc reſponſio non placet, quærat Auguſtino doctiorem, ſed caveat, ne inveniat præſumptionem.* Ad eandem anchoram ſacram recurrere tandem debent Scholæ Thomiſticę Adverſarii; dùm eadem difficultate præmuntur in aſsignanda cauſa, cur gratiam congruam, ſine qua nullus convertitur & ſalutem conſequitur æternam, denegat Deus quandoque juſtis hominibus, quam impertitur flagitioſis peccatòribus, ut oſtendit Graveſon.

S. Auguſt. c. 33. de ſpir. & litt.

Mag. Graveſon tom. 1. Epiſt. 4. à fol. 126.

Peccatũ conformiter ad ſuavem Dei Providentiam permititur.

474 Nihilominus conformitèr ad ea quę in Scripturis Sanctis continentur, quęque à Patribus, Auguſtino præfertìm & Thoma, didicimus, aſsignare pro noſtra imbecillitate & ignorantia tentabimus cauſam permiſsionis, etiam primi peccati in hominibus & Angelis, atque divini concurſus ad actiones aliunde cum malitia connexas, ſequuti Magiſtrum Graveſon. Deus enim cum ſit omnium cauſa univerſaliſsima, conformitèr ad cujuſcunque cauſæ naturam eas movet, nimirum cauſas neceſſarias, modo neceſſario, & liberas, modo libero: Cum itaque liberum hominis arbitrium ex primo peccato magnam traxerit ad malum pronitatem; divinę providentiæ ſuavis ordo exigere videtur, ut dùm rationalis creatura pro ſua defectibilitate vult peccare, ſeſeque determinat ad malum formale, cujus eſt prima cauſa deficiens, Deus qui nullam humanæ libertati vim infert, tanquam proviſor univerſalis permittendo malitiam, phyſicè concurrat ad actionem peccati, quæ in ſe bonum eſt pertinens ad genus phyſicum, habenſque rationem entis.

475 Poteſt equidem Deus (ut cuidam objectioni reſpondeam) illam defectibilitatem continere, movendo ſolum ad actiones bonas, neutiquam verò ad actiones cum malitia connexas. Fateor ita potuiſſe contingere; ſed alitèr evenit juxta ſuavem modum divinę univerſalis providentiæ: quia ſi Deus non concurreret niſi ad actiones bonas moraliter; voluntas creata malè nunquam, ſed ſemper benè operaretur; quia nulla entitas creata poteſt produci, niſi Deus tanquam prima cauſa efficiens phyſicè ad illam concurrat: undè ſequeretur ut quòd voluntas creata nunquam oſtenderet ſuam defectibilitatem, nunquam uteretur libertate quam ad peccandum habet: nunquam operaretur conformiter ad inclinationem, & pronitatem ad malum, quam ex peccato contraxit, quæque in renatis poſt baptiſmum viget ſatis: hęc autem omnia quis non videat, quam aliena ſunt à ſuaviſsimo ordine divinæ providentiæ, regulariter dirigente creaturas conformiter ad earum naturam & propenſionem? Unde dùm Deus, cum creatura ſe determinante ad malum, influit phyſicè, tanquam proviſor univerſalis in illas actiones, verè dicere poteſt: *Servire me feciſtis iniquitatibus veſtris.* Congruere etiam permiſsionem peccati ad oſtenſionem Divinæ Omnipotentiæ, facilè eſt deducere, ſi attendamus eam permiſſionem, ipſam eſſe denegationem gratiæ, qua vitandum eſſet peccatum: Deus autem quia omnipotens, ſuorumque donorum ſupremus Dominus, benè talis oſtenditur; cum ea negat; dùm vult, nulla creatura impedire valente.

476 Sed maximè oportet animadvertere ad diſsipandam calumniam Patris Daniel (ut loquitur Graſonius) non ideò peccare voluntatem creatã; quia Deus velut cauſa univerſalis, in ejus actionem, cui annexa eſt malitia, prę̨viè phyſicè influit: ſed contra, ideò peccare; quia cùm ſit prima cauſa defectibilis ſe determinat ad peccandum, & hâc ſuâ malâ determinatione Deum inducit, ut tanquam univerſalis cauſa efficiens phyſicè influat in entitatem actionis, permittatque ut peccata fiant: Primò, ut detur locus libertati humanę defectibili, ad malum pronę ex propriæ concupiſcentię illecebris & dæmonum ſuaſsionibus. Secundò, ut Deus ex his malis quæ permittit, aliqua extrahat bona, ut tractatu de providentia diximus cum Auguſtino, cujus ſunt illa verba: *Deus non ſineret aliquod malum eſſe in ſuis operibus, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, ut etiam benè faceret de malo.* Quæ verba non ſolum de malis pœnę, ſed etiam culpæ, vera ſunt, ut ibidem oſtendimus, & ſubjicienda declarat exempla: Deus permittit perſequutiones Tyranorum, ut magis, & magis eluceſcat Martyrum conſtantia. Sic etiam permiſit ſemel imprecari Davidem, ut ipſe peccatorum ageret pœnitentiam, perſequutionem illam patienter ferens; ſicque ad ſer-

D. Auguſt. in Enchit. c. 4.

vos ſuos impium illud trucidare volentes, inquiens: *Dimitte eum ut maledicat juxta pręceptum Domini* (id eſt permiſsionem) *ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam: & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Sic tandem (ut alia omittamus) permittit Deus ut prædeſtinati in peccata venialia, & quandoque lethalia ruant; ut indè propriam agnoſcentes infirmitatem, humiliores reddantur atque cautiores, prout cum Magno Auguſtino adnotavit jam Doctor Angelicus ad verba illa: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum:* De quo plura diximus in Scholis in citato tractatu de Providentia.

2. Reg. 16. à v. 11.

Rom. 8. v. 28.

D. Thom. ibid. lect. 6.

DISSERTATIO IV.

ELEEMOSYNÆ, ET JEJUNII NECESSITATEM adverſus Chriſtianiſmi apertos hoſtes firmans.

1 THOMA prælucente, non ſatis publicæ utilitati conſultum eſſet, ſi neceſsitatem bonorum operum generatim dũtaxàt firmatam daremus: Quandoquidem veritatis & Crucis Chriſti tenebricoſi hoſtes, malitiæ & ignorantiæ arma adversùs bona opera in particulari apertè vertunt. Quapropter divinus veritatis Magiſter (benignè ſemper providus) fideles ſuos contra præviſos errorum inſultus præmunivit, bona opera ſpeciatìm commendans, & qualiter nobis ad ſalutem utilia eſſe divinitùs monſtrans; ſi nempè in illis fugata jactantia Deum glorificandum intendamus. Atque ut omnia compendiet, ad tria præcipuè capita opera cuncta bona reducit, ſecundùm quod in veteri Teſtamento ſignificaverat Raphaël Archangelus ad Tobiam loquens: *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere.* Sic igitur Chriſtus Dominus pravam Judæorum intelligentiam corrigens, quâ opera bona præſtanda judicabant ob honorem, gloriam & divitias, ea omnia reduxit, ſivè ut loquitur Div. Thomas: *Ponit tria opera ad quæ omnia alia reducuntur.* Jejunium nempè cùm inquit: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava. Ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito: & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Eodem etiam modo eleemoſynam commendat: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: Ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* De oratione autem ſic loquitur: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Hucuſque indicatam doctrinam expendit angelicè Scholarum Angelus: cùm enim aliquando objiciſſet, non ſatis legem novam circa interiores actus hominem ordinare, inquiens: „Multa etiam ſunt alia „bona opera, quàm jejunium, eleemoſy„na, & oratio: ergo inconveniens fuit, „quòd Dominus docuit ſolùm circa hæc „tria opera gloriam favoris humani vita„ri; & nihil aliud terrenorum bonorum.

Tobiæ 12. v. 8.

Cuncta bona opera ad tria capita reducuntur.

D. Thom. 1. 2. q. 108. art. 3. ad 4.

Matth. 6. v. 17. & 18.

Verſ. 3. & 4.

Verſ. 6.

D. Thom. 1. 2. q. 108. ar. 3. argum. 4.

„2 Reſpondet, quòd omnes res mun„danæ ad tria reducuntur, ſcilicet ad ho„nores, divitias & delicias ſecundùm illud „1. Joann. 2. *Omne, quod eſt in mundo, „concupiſcentia carnis eſt*, quod pertinet „ad delicias carnis; *& concupiſcentia ocu„lorum*, quod pertinet ad divitias: *& ſu„perbia vitæ*, quod pertinet ad ambitum „gloriæ & honoris. Superfluas autem car„nis delicias lex non promiſit, ſed magis „prohibuit, repromiſit autem celſitudinem „honoris & abundantiam divitiarum. Di„citur enim Deuteronom. 28. *Si audieris „vocem Domini Dei tui, faciet te excel„ſiorem cunctis gentibus*, quantùm ad pri„mum, & poſt pauca ſubdit: *Abundare fa„ciet te omnibus bonis*, quantùm ad ſe„cundum. Quæ quidem promiſſa ſic pravè „intelligebant Judæi, ut propterea eſſet „Deo ſerviendum, ſicut propter finem, & „ideò Dominus hoc removit oſtendẽs primò „quod opera virtutum non ſunt facienda „propter humanam gloriam, & ponit tria „opera, ad quæ omnia alia reducuntur. „Nam omnia, quæ aliquis facit ad refrę„nandum ſe ipſum in ſuis concupiſcentiis, „reducuntur ad jejunium, quæcunque verò „fiunt propter dilectionem proximi, redu„cuntur ad eleemoſynam: quæcunque ve„rò propter cultum Dei fiunt, reducuntur „ad orationem. Ponit autem hęc tria ſpe„cialiter quaſi præcipua, & per quæ homi„nes maximè ſolent gloriam venari. Tria igitur bonorum operum recenſita genera eodem quo à Chriſto Domino reponuntur ordine adverſùs chriſtianæ vitæ apertos hoſtes ſtabilienda proponimus; ut deindè in poſterioribus hujuſce operis libris, ea oſtendamus neceſſaria non ſolùm, ſed & quâm maximè utilia his, qui chriſtia-

Solut. ad 4.

nam

nam perfectionem excolunt: quidquid in
oppoſitum garrulent Evangelicę perfectionis
ſubdoli deturpatores & pſeudomyſtici, fun-
ditùs evertendi.

3 Ex triplici tamen bonorum operum
deſignato genere, ad volumen ſecundum reſer-
tam dare congruit tractationem de oratio-
ne; quia majori diſcutienda eſt examine
contra ſubdolos chriſtianæ perfectionis ho-
ſtes, in antiquis Maſſalianis originem de-
ſumentes, & novis deinde machinationibus
in fanaticis aberrationibus ſuccreſcentes. Eos
tamen in diſſertatione præſenti veluti aper-
tos chriſtianę vitæ adverſarios, unâ cum
Lutheranis & Calviniſtis, quibus præluxe-
runt, deturbare aggredimus, in eo ſolum
quòd jejunium ignorantes, ut ſupra memo-
ravimus. Proleg. 1. n. 17. ipſis Novatori-
bus pejores extiterunt, cùm poſt everſa Ec-
cleſiæ præcipua dogmata & myſteria, cru-
S. Damaſcen. hæreſ. 80.
deles in pauperes referuntur à S. Damaſce-
no verbis illis: *Inhumanitatem in mendi-
cos inducunt: negant enim iis dandum, qui
publicè ea, quæ ad victum pertinent, quę-
runt; aut iis quorum manus opere labefa-
ctatæ ſint: aut iis qui adverſa fortuna utan-
tur, vel corporum debilitate, vel morbis,
vel acerbitate creditorum vexentur, vel
furum injuriis; vel aliis, qui hujuſmo-
di caſus experti fuerint, ſubvenire opor-
tere eos, qui ab illis diſcreti ſunt, &
aliquid boni agere inſtituunt; ſed ſibi om-
nia eſſe ſuppeditanda, eo quod ipſi ſoli
ſint pauperes ſpiritu.*

ARTICULUS I.

Naturam exponens Eleemoſynæ ejuſque genera.

D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 1. in corp. ad finem.

4 E*LEEMOSYNA* nomen gręcum eſt ſignificans munus
quod inopi datur, & de-
rivatur à verbo græco,
quod latinè eſt *miſeratio*,
ſeu *miſericordia*, quæ mi-
In 4. diſt. 15. q. 2. ar. 1. q. 1. in corp.
ſeriam alienam ſuam facit. Inde S. Doct. in
loco Sententiarum adducit, & elucidat elee-
moſynæ antiquam illam definitionem, quam
Eleëmoſynæ etymologia, & deſcriptio.
in Summa Theologica recenſet etiam, ni-
mirùm: *Opus quo aliquid datur indigenti
ex compaſsione propter Deum.* ,, Unde ſi-
,, cut homo (loquitur in ſecundo loco Divus
,, Thomas) miſeriam à ſe expellit quantum
,, poteſt, ita miſericors miſeriam alienam
,, expellit, ei ſubveniendo, quæ quidem ſub-
,, ventio fit per hoc quòd ei ſua bona com-
,, municat, unde ipſa communicatio bono-
,, rum propriorum ad miſerum nomen eleë-
,, moſynæ accepit. Hæc autem communica-
,, tio non poteſt eſſe meritoria & virtuoſa,
,, niſi quando propter Deum fit: & ideò
,, in diffinitione prædicta, tanguntur omnia,
,, quæ ad perfectionem eleemoſynę concur-
,, runt ſecundùm quod eſt meritoria. Ipſa
,, enim miſeria aliena, quæ eſt miſericor-
,, diæ principium, tangitur in hoc, quod
,, dicit *indigenti*: miſericordia autem, quæ
,, ex miſeria aliena naſcitur in nobis, tangi-
,, tur in hoc, quod dicitur, *ex compaſsio-
,, ne*, ſed miſericordiæ effectus in relevan-
,, do alienam miſeriam quaſi ſuam, tangi-
,, tur in hoc, quod dicitur, *opus in quo ali-
,, quid datur*: hoc enim eſt eſſentiale ipſi elee-
,, moſynæ, ſed intentio directa in Deum,
,, quæ dat ei rationem merendi, tangitur
,, in hoc, quod dicitur, *propter Deum.* De
eleemoſyna igitur per hanc diffinitionem
deſcripta.

5 Aſſerendum eſt primò: eleëmoſynam
eſſe actum honeſtum elicitum à virtute mi-
ſericordiæ, imperatum tamen ſive ordina-
tum à charitate, aliiſque etiam virtutibus.
Suppoſit aſſertio, deſcriptam eleemoſynam
actum eſſe virtutis: quia ut argumentatur
In loco Sentent. q. 3. in corp.
D. Thomas: ,, Cùm virtus ſit habitus quo
,, dirigimur ad bene operandum, oportet
,, quòd omnis actus, qui de ſe rectitudinem
,, importat, ad aliquam virtutem reduca-
,, tur, quamvis etiam in ſui ratione non
,, exprimat omne illud, quod ad peſectio-
Eleëmoſyna actus virtutis eſt.
,, nem virtutis requiritur: ſicut dare, quan-
,, tùm dandum eſt, dicitur eſſe actus libe-
,, ralitatis, quamvis in hoc non exprima-
,, tur omnis debita circunſtantia, quæ ad
,, actum liberalitatis exigitur. Cùm ergo
,, eleëmoſyna ſecundùm quod dictum eſt,
,, importet quandam rectitudinem, quia
,, ſignificat dationem ordinatam ad ſubven-
,, tionem miſeriæ, quod ipſum nomen de-
,, clarat: cùm eleëmoſyna ab *eleos*, quod
,, eſt miſeratio ſeu miſericordia, dicatur,
,, patet, quòd eleemoſyna de ſe dicit vir-
,, tutis actum, quamvis non exprimat om-
,, nes conditiones, quæ ad actum virtutis
,, requiruntur. Subjungit ibidem S. Doctor:
Eleemoſynam quam deſcripſerat, actum eſ-
ſe liberalitatis: ut jam non miremur in
eleëmoſyna chriſtiana eas commendaſſe Apo-
ſtolum conditiones, quæ in liberalitate ma-
ximè elucent. In liberalitate enim præcipuè
laudantur, & voluntas dandi, & quantitas
Commendatur ab Apoſtolo eleemoſyna, ex abundãtia dati, promptitudine, & hilaritate.
dati; undè chriſtiana eleemoſyna commen-
datur ab Apoſtolo ex abundantia dati jux-
ta facultatem uniuſcujuſque, ex promptitu-
dine & hilaritate. Cuncta pateant ex Apo-
ſtolo, & Apoſtoli Angelico interprete. Hor-
tatur ille Corinthios exemplo Macedonum
ad eleemoſynas dandas ſanctis, qui erant
in Jeruſalem, illorumque eleemoſynas com-
mendans imprimis, quantum ad quantita-
tem dati & voluntatem dandi: *Quia ſecun-
2. Corinth. 8. à v. 3.
dùm virtutem (teſtimonium illis reddo) &
ſupra virtutem voluntarii fuerunt, cum mul-
ta exhortatione obſecrantes nos, gratiam &
communicationē miniſterii, quod ſit in Sanctos.*
,, Commendat (exponit D. Thom.) ipſorum li-
D. Thom. ibid. lect. 1.
,, beralitatē quantùm ad tria, ſcilicet quantùm
,, ad quantitatem dati, quantùm ad volunta-
,, tem

,, tem dandi, & quantùm ad ordinem da-
,, tionis. Quantùm ad quantitatem dati;
,, quia dederunt ſupra virtutem: Et ideò
,, dicit: *Verè abundavit in divitias, quia
ego reddo illis teſtimonium, quòd fuerunt
,, voluntarii* (ad dandum) *ſecundum virtu-
,, tem* (rerum ſuarum) *& ſupra virtutem*;
,, quia intantum dederunt, quod poſt ege-
,, runt:: Commendat autem eam quantùm
,, ad voluntatem dandi, cùm dicit: *Quia
,, voluntarii fuerunt*: Exod. 25. *Ab omni
,, qui ultroneus offert, &c.* In hoc autem
,, fuerunt voluntarii, quia *rogaverunt nos
,, cum multa exhortatione obſecrantes*; id eſt
,, rogantes; quaſi dicat: Non ſolum roga-
,, verunt, ſed etiam per rationes nos in-
,, duxerunt ut habeant gratiam & commu-
,, nicationem miniſterii, &c. id eſt, ut li-
,, ceret eis dare ſua pauperibus Sanctis, qui
,, ſunt in Jeruſalem.

6 Hortatur deinde ut prompte, &
tandem ut hilariter eleemoſynas tribuant:
primum ſignificavit verbis illis: *Ut (quemad-
Cap. 9. à v. 3.
modum dixi) parati ſitis; ne cùm venerint
Macedones mecum, & invenerint vos im-
paratos erubeſcamus nos (ut non dicam vos)
in hac ſubſtantia.* Quaſi dicat (exponit Di-
D. Thom. ibid. lect. 1.
vus Thomas) ideo miſi miniſtros, ut ſitis
parati ad dandum, quemadmodum dixi;
ſcilicet exemplo Macedonum. Ne ſcilicet
erubeſcamus nos. Vobis ſcilicet erit confu-
ſio, ſi promiſiſtis, & non ſolviſtis. Sed
eſtò quòd ſuſtineatis, & non curetis de con-
fuſione veſtra, minus (id eſt adminus) ca-
veatis erubeſcentiæ noſtræ, qui dicimus vos
eſſe paratos. Dum verò ſubjungit Apoſto-
Verſ. 7.
lus: *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde
ſuo; non ex triſtitia aut ex neceſsitate: Hi-
larem enim datorem diligit Deus*, hortatur
eos (inquit ibidèm Divus Thomas) ut dent
hilariter & gaudenter. Apoſtoli morem de
more gerentes SS. Patres, & quantitatem da-
ti ſive abundantiam proportione ad dantem
requirunt, & bonam præcipue voluntatem
S. Auguſtin. in Pſalm. 146.
etiam in minimis datis. Inde Auguſtinus
monet ut quiſque pro modo ſuarum facul-
tatum aliquid ſeponat quaſi fiſco dandum:
Sicut enim *habet rempublicam ſuam Chriſtus*,
ſic *habet* fiſcū ſuum. * Pręcidite ergo aliquid
* & deputate aliquid fixum, vel ex annuis
* fructibus, vel ex quotidianis quæſtibus
* veſtris. Decimas vis? Decimas exime,
* quanquàm parum ſit: Phariſæus ſuper
* quem debet abundare juſtitia tua, deci-
* mas dat: Tu autem nec milleſimam das.
Matth. 5.
* Quomodo ſuperabis eum, cui non æqua-
* ris? Vel quomodo Chriſtum Dominum
* imperantem attendes? Niſi abundaverit
* juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, &
* Phariſæorum, non intrabitis in Regnum
Voluntas datum ſuppleat.
* Cælorum. Nec eſt, quòd timeant pau-
peres meritum eleemoſynæ perdere: quia
parum aut nihil erogant, parum aut nihil
S. Auguſt. ſerm. 1. in Pſal. 103.
habentes: nam ut Auguſtinus ajebat: * Si
* potes dare, da; ſi non potes, affabilem
* te præſta. Coronat Deus intùs volunta-
* tem, ubi non invenit facultatem. Et ra-
* tionem aſsignat dicens: Unde procedit
Enarrat. in Pſal. 125.
* eleemoſyna? De corde. Si enim manum
* porrigas, nec in corde miſerearis, nihil
* feciſti: Si autem in corde miſerearis, etiam-
* ſi non habeas quod porrigas manu, ac-
* ceptat Deus eleemoſynam tuam. Et hoc
conformiter ad Sanctum Tobiam ita filium
Tobias cap. 4. à v. 8.
admonentem: *Quomodo potueris, ita eſto
miſericors. Si multum tibi fuerit, abundan-
ter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam
exiguum libenter impertiri ſtude.*

7 Sed non gravabitur Lector eundem
Auguſtinum in aſſumpto paulo fuſiùs loquen-
tem audire, verbis tamen ſolatio plenis:
* Quare deſideratis latos fundos, ubi mul-
* ta ſemina ſeminetis? Latior vobis non eſt
* ubi ſeminetis, quàm Chriſtus, qui in ſe
* voluit ſeminari. Terra veſtra Eccleſia eſt;
* ſeminate quantùm poteſtis. Sed parum
* habes unde facias. Habes voluntatem?
* quomodo nihil eſſet, quod habes, ſi non
* adeſſet bona voluntas: ſic eſt, quia non
* habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi bona
* voluntas. Quid enim ſeminas? miſericor-
* diam. Et quid metes? pacem. Nunquid
* autem dixerunt Angeli: Pax in terra di-
* vitibus hominibus? Sed: Pax in terra ho-
* minibus bonæ voluntatis. In Zachęo mag-
* na voluntas, in Zachæo charitas mag-
* na. Suſcepit, & dimidium patrimonii
* ſui pauperibus promiſit ſe daturum, &
* ſi cui aliquid abſtulerat, quadruplum red-
* diturum: Ut intelligas propterea ſibi eum
* tenuiſſe dimidium, non ut haberet quòd
* poſsideret, ſed ut haberet unde debita
* redderet. Magna voluntas multum de-
Lucæ 21.
* dit, multum ſeminavit. Ergo vidua illa,
* quę duo minuta miſit, parum ſeminavit?
* Imò tantùm quantùm Zachæus. Mino-
* res enim facultates ferebat, ſed parem
* voluntatem habebat. Miſit duo minuta
* de tanta voluntate, de quanta Zachæus
* dimidium patrimonii ſui. Si attendas quid
* dederunt, diverſa invenies: Si attendas
* undè dederunt, paria invenies: Quidquid
* habuit, dedit illa; & quod habuit, de-
* dit ille. Fac aliquem non habere, vel
* duos nummos: Eſt aliquid viliùs quòd ſe-
* minemus, ut metamus illam meſſem? Eſt:
Matth. 10.
* Calicem aquæ frigidę, qui dederit diſci-
* pulo, non perdet mercedem ſuam. Calix
* aquæ frigidæ non duobus nummis, ſed
Marci 9.
* gratis conſtat: Tamen aliquando ſic gra-
* tis conſtat, ut habeat illum alius, & alius
* non habeat: Si ergo ille, qui illum ha-
* bet, dederit illi, qui non habet, tantùm
* dedit, ſi de plena charitate dedit, quod
* dedit, quantùm illa in duobus minutis,
* quantùm Zachęus in dimidio rerum ſua-
* rum. Non enim ſine cauſa addidit, fri-
* gidę, ut pauperem oſtenderet. Ideò di-
* xit Calicem aquę frigidę, ne quis, vel
* inde cauſaretur, quod lignum non ha-
* buerit undè calefaceret aquam. Calicem
* aquę frigidæ qui dederit uni ex minimis,
* non perdet mercedem ſuam. Quid ſi nec
* hoc habeat? Securus ſit, pax in terra ho-
* mi-

* minibus bonę voluntatis. Tantùm illud
* timeat, ne habeat, & non faciat. Si enim
* habet, & non facit, intùs gelavit. Non-
* dùm ſoluta ſunt peccata ejus ſicut tor-
* rens in auſtro, quia voluntas frigida eſt.
* Quid valent tanta bona, quæ poſsidemus?
* Accedit voluntas fervens, jam ſoluta ca-
* lore Auſtri; & ſi nihil habeat, totum illi
* computatur. Quanta ſibi præſtant mendi-
* ci? Non illos deſeruit Deus, undè proben-
* tur, quia faciunt eleemoſynas. Iſte non
* poteſt ambulare; qui poteſt ambulare,
* pedes ſuos accomodat, vel ſeni, vel ægro-
* to, portat illum: Ille indiget, ille di-
* ves eſt. Aliquando, & dives invenitur
* pauper, & à paupere præſtatur illi ali-
* quid. Venit neſcio quis ad flumen, tan-
* tò delicatior, quantò ditior; tranſire non
* poteſt: Si nudatis membris tranſiret, fri-
* geſceret, ægrotaret, moreretur: Accedit
* pauper exercitatior corpore; trajicit di-
* vitem, eleemoſynam facit in divitem. Er-
* go nolite eos tantùm putare pauperes,
* qui non habent pecuniam. In quo quiſ-
* que pauper eſt, ibi illum vide: Quia for-
* tè tu in eo dives es, in quo ille pauper
* eſt, & habes unde accomodes. Fortè mem-
* bra tua accomodas, & plùs eſt quàm ſi
* pecuniam accomodares. Conſilio indiget,
* tu plenus es conſilio: In conſilio ille pau-
* per, tu dives es. Ecce nec laboras, nec
* aliquid perdis: Das conſilium, & pręſti-
* tiſti eleemoſynam.

8 Nec ſolam dati abundantiam poſt Apo-
ſtolum commendant PP. ſed promptitudinem
Prover. 3. v. 28
etiam, juxta illud pronuntiatum: *Ne di-
cas amico tuo: vade & revertere, cras
dabo tibi: cùm ſtatim poſsis dare.* Ea prop-
Job 31. v. 16.
ter S. Job ajebat: *Si negavi, quod vole-
bant, pauperibus, & oculos viduæ expecta-*
S. Gregor. lib. 21 Moral. cap. 11.
re feci; ubi S. Gregorius: *Petentem ſe vi-
duam expectare noluit, ut non ſolum ex mu-
nere, ſed etiam ex celeritate muneris, bo-
norum operum merita augeret.* Hilaritatem
etiam, ante Apoſtolum, generaliùs docuit
ſapiens: *In omni dato* (inquiens) *hilarem
fac vultum tuum, & in exultatione ſan-*
S. Auguſt. enarrat. in Pſal. 42.
ctifica decimas tuas. Inde Auguſtinus aje-
bat: *Si panem dederis triſtis, & panem &*
S. Chryſoſt. homil. 16. in Epiſt. 2. ad Corinth.
meritum perdidiſti. Chryſoſtomus etiam
(ut alios PP. omittamus) eleemoſynam mag-
nificans, copiam & hilaritatem æquè com-
mendat inquiens: * Magna res eſt magni
* pretii vir eleemoſynę ſtudioſus. Major
* hæc gratia eſt, quàm mortuos ad vitam
* revocare. Chriſtum enim fame laboran-
* tem alere, multò majùs ac præſtantiùs
* eſt, quàm in Nomine Jeſu à morte ad
Copiam & hilaritatem in eleemoſyna cõmẽdat S. Chryſoſtomus.
* vitam homines excitare. Illic enim Deo
* beneficium das: Hìc ille tibi. Porro non
* iis, qui beneficium accipiunt, ſed qui
* dant, merces eſt conſtituta. Etenim in
* Miraculorum editione debitorem te Deus
* habet: In eleemoſyna autem tu Deum ti-
* bi obſtrictum habes. Eleemoſyna verò
* tùm demùm eſt, cùm tu prompto atque
* alacri animo, cùm largè, & copioſè tri-
* buis; cùm te ipſum non dare, ſed acci-
* pere exiſtimas; cùm perinde ac benefi-
* cium accipiens, & quæſtum faciens, ac
* non tanquam perdens largiris. Nam hoc
* alioqui ne beneficium quidem cenſendum
* fuerit. Qui enim miſericordiâ ductus, ino-
* piam alterius ſublevat, is utique læto ani-
* mo, non gravi ac moleſto eſſe debet. An
* non enim abſurdum fuerit, ſi, cum alte-
* rius mœrorem diſcutias, mœreas ipſe ac
diſcrucieris? Si autem animo adeò gauden-
te & prona voluntate operam dare conve-
nit eleemoſynę, quid mirum laudatus Chry-
ſoſtomus toto zelo invehatur in eos, qui
pauperibus eleemoſynam petentibus inſul-
tant, illoſque duris, & acerbis ſæpè verbis
repellunt. * Quomodo (inquit) ad Deum di-
* cis Miſereri mei? Quomodo peccatorum
* tuorum veniam petis, qui eum convi-
Pauperes non inſultandi.
* ciaris, qui tibi nihil peccaverit, pœnam-
* que pro fame tantâque neceſsitate exi-
* gis, quaſvis beſtias crudelitate ſuperans:
* illæ ſiquidem cogente ventre deputatum
* ſibi cibum attingunt: Tu verò nemine
* impellente fratrem tuum devoras, mordes,
* laceras, licèt non dentibus, verbis tamen,
* morſibus quibuſvis gravioribus. Quomodo
* ergo Sacram oblationem ſumes, qui linguã
* humano ſanguine rubefeciſti? Quomodo pa-
* cem das, ore bellis adeò referto? Quomodo
* ſenſibili etiam cibo frueris, cum tantam
* rubiginem tibi concilies? Non ſuccurris
* pauperi, quid & conteris? Non erigis
* jacentem, ut quid & dejicis? Non tollis
* pauperis triſtitiam, quid & auges? Non
* das pecuniam, cur verbis etiam convicia-
* ris? Non audiſti quantam daturi ſint pœ-
* nam iis, qui pauperes non paſcunt? Qui-
* bus ſuppliciis condemnandi ſint? *Ite* (in-
* quit) *in ignem præparatum Diabolo &
* Angelis illius.* Si ergo non paſcentes ita
* condemnabuntur, quam putas pœnam
* dabunt iis, qui non ſolùm non paſcunt,
* ſed & conviciantur. Eandem regulam
confirmat Sanctus Auguſtinus: *Ita* (inquit)
jejuna, ut alio manducante, prandiſſe te
S. Auguſt. ubi ſupra.
*gaudeas, propter orationes ut exaudiaris.
Ibi enim ait*, adhùc loquente te dicam,
ecce adſum: *Si fregeris ex animo eſurien-
ti panem. Quia plerumque fit à triſtibus,
& à murmurantibus, ut careant tædio in-
terpellantis, non ut rejiciant viſcera indi-
gentis.* Hilarem autem datorem diligit
Deus.

9 Maneat igitur certum, eleemoſynam
ſumptam pro datione eſſe actum virtuoſum;
& eſſe virtutem ſi accipiatur pro habitu in-
clinante, quamvis aliquando ſignificet ip-
ſam rem datam. ,, Dicendum (inquit Div.
D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 1. ar. q. ad 2.
,, Thomas) quòd, quia habitus diſtingun-
,, tur ex actibus, & actus ex objectis, ideò
,, quandoque nomina æquivocantur ad ha-
,, bitus, actus & objecta; ſicut patet de fi-
,, de, quæ poteſt ſignificare vel habitum fi-
,, dei, vel actum ejus, aut ipſam rei cre-
,, ditam. Et ſimilitèr eleemoſynæ nomen
,, aliquando ſignificat ipſam rem, & ſic
,, non

,, non definitur hìc, aliquando ipſam da-
,, tionem, & ſic accipitur prædicta defini-
tio. His pręmiſsis.

10 Demonſtratur propoſita aſſertio à
D. Thoma, imprimis ex illis verbis: ,, *Qui*
2. 2. q. 32. ar. 1. in ſed contr.
,, *habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & vide-*
,, *rit fratrem ſuum neceſsitatem patientem,*
1. Joann. 3. v. 17.
,, *& clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò*
,, *charitas Dei manet in illo?* Deindè in cor-
pore articuli ſic diſcurrit: ,, Reſpondeo di-
,, cendum, quòd exteriores actus ad illam
,, virtutem referuntur, ad quam pertinet
,, id, quod eſt motivum ad agendum hu-
,, juſmodi actus. Motivum autem ad dan-
,, dum eleemoſynas eſt, ut ſubveniatur ne-
In corp. artic.
,, ceſsitatem patienti. Undè quidam defi-
,, nientes eleemoſynam dicunt, quòd *elee-*
Eleëmoſyna eſt actus virtutis miſericordiæ elicitus; & ab aliis virtutibus imperatus.
,, *moſyna eſt opus, quo datur aliquid indi-*
,, *genti ex compaſsione propter Deum*: quod
,, quidèm motivum pertinet ad miſericor-
,, diam, ut ſupra dictum eſt. Undè manife-
,, ſtum eſt, quòd dare eleemoſynam pro-
,, priè eſt actus miſericordiæ: & hoc appa-
,, ret ex ipſo nomine. Nam in Græco elee-
,, moſyna à miſericordia derivatur, ſicut in
,, Latino miſeratio. Et quia miſericordia
,, eſt effectus charitatis, ut ſupra oſtenſum
,, eſt, ex conſequenti dare eleemoſynam
,, eſt actus charitatis, miſericordia me-
,, diante.

11 Diximus à charitate aliiſque etiam
virtutibus; quia ut benè habet D. Thomas:
,, Nihil prohibet, actum, qui eſt propriè
Solut. ad 2.
,, unius virtutis elicitivè, attribui alteri vir-
,, tuti ſicut ordinanti & imperanti ad ſuum
,, finem. Et hoc modo dare eleemoſynam
,, ponitur inter opera ſatisfactoria, inquan-
,, tùm miſeratio in defectum patientis or-
,, dinatur ad ſatisfaciendum pro culpa. Ex
hoc capite, dare eleemoſynam ad virtutem
juſtitiæ etiam pertinet, quatenùs ſatisfactio
pro peccatis poteſt dici actus juſtitiæ ſaltem
reductivè. Qualiter autem dare eleemoſy-
nam ad ſatisfactionem pertineat, explicat
Sanctus Doctor in loco Sententiarum in-
quiens: ,, Quòd à peccato deſiſtere non
In 4. diſt. 15. q. 2. a. 1. q. 2. in corp.
,, eſt de eſſentia ſatisfactionis, ut ex prædi-
,, ctis patet, ſed eſt ad ſatisfactionem præ-
,, ambulum, ſicut fundamentum ipſius. Un-
,, dè cum aliquis peccet, hoc ipſo quòd
,, non facit hoc, quod facere tenetur, con-
,, ſtat, quòd id quod quis aliàs facere te-
,, netur, non eſt de eſſentia ſatisfactionis,
,, ſed præambulum ad ipſam: undè cum ad
,, eleemoſynarum largitionem quãdoque ali-
,, quis tenetur, quandoque non, ut poſteà
,, patebit; conſtat quòd illarum eleemoſyna-
,, rum largitio ad quam quis tenetur, non
,, eſt pars ſatisfactionis, ſed præambulum
,, ad ipſam. Illæ verò eleemoſynæ, ad quas
,, quis aliàs non tenetur, poſſunt ſatisfa-
,, ctoriæ eſſe, cùm ſint opera bona & pœna-
,, lia, quod exigebatur ad opus ſatisfacto-
,, rium: punitur enim quis non ſolùm ex
,, afflictione corporis facta, ſed ex ſubtra-
,, ctione rerum: quidam tamen dicunt,
,, quòd etiam primæ ſatisfactoriæ ſunt ex
,, largitione Divinæ miſericordiæ. Nec in
oppoſitum eſſe poteſt, quod non omnes poſ-
ſint ad eleemoſynas, ſicque non debent poni
ſatisfactoriæ. Quia ut D. Thomas conformi-
ter ad Auguſtinum n. 6. præcedenti lauda-
tum, loquitur: ,, Eleemoſyna non tantùm
,, conſiſtit in collatione pecuniæ, ſed etiam
Ubi ſupra ſolut. ad 4.
,, in aliis obſequiis propter Deum proximis
,, factis, ut dictum eſt: undè etſi alicui pe-
,, cunia deſit, non tamen facultas dandi
,, eleemoſynam deeſt; etſi deeſſet omninò
Nulli ſubtractum eſt, aliquo modo eleemoſynam facere.
,, facultas reſpectu eleemoſynarum corpo-
,, ralium propter penuriam rerum, & cor-
,, poris debilitatem, non tamen deeſſet fa-
,, cultas reſpectu eleemoſynarum ſpiritua-
,, lium, quia poſſet aliter, vel conſulere,
,, vel orare ſaltèm: etſi etiam facultas om-
,, ninò deeſſet, voluntas completa ſuffi-
,, ceret.

12 Reducitur quoque ad virtutem re-
ligionis: ,, Eleemoſyna ſiquidem, ſecundum
,, quod ordinatur ad placandum Deum, ha-
,, bet rationem ſacrificii, & ſic imperatur
,, à latria, inquit Div. Thomas in Summa
Solut. ad 2. ad finem.
Theologica. Deindè veluti pars potentialis
ad virtutem accedit liberalitatis & proindè
ad juſtitiam, cujus pars potentialis eſt li-
Solut. ad 4.
beralitas. Ad quartum reſpondet Div. Tho-
mas: ,, Quòd dare eleemoſynam pertinet
,, ad liberalitatem, inquantùm liberalitas
Eleemoſyna ad Religionem, liberalitatem & juſtitiam pertinet etiam.
,, aufert impedimentum hujus actus, quod
,, eſſe poteſt ex ſuperfluo amore divitia-
,, rum, propter quem aliquis efficitur ni-
,, mis retentivus earum. Similiter reſpon-
,, det in loco Sententiarum dicens: ,, Quòd
,, ut patet eleemoſyna reducitur ad aliquam
Q. 3. ſolut. ad 5.
,, virtutem etiam à Philoſophis aſsignatam,
,, quia ad miſericordiam immediatè, & ad
,, liberalitatem mediatè. Quamvis enim li-
,, beralitas communiter non attendat indi-
,, gentiam, nihil tamen prohibet aliquam
,, liberalitatis ſpeciem indigentiam atten-
dere. Quod pertinet ad genera eleemoſyna-
rum copioſiùs elucidabimus, de virtutibus
in gradu heroico diſputaturi, circa chari-
tatem erga proximos: quamobrem ſatis eſ-
ſe in præſentiarum judicamus, brevitèr in-
dicare duo eſſe elemoſynarum genera, cor-
poralium ſcilicet & ſpiritualium: Primi ge-
neris ſunt paſcere eſurientem, potare ſitien-
tem, veſtire nudum, recolligere hoſpitem,
viſitare infirmum, redimere captivum, &
ſepelire mortuum; quæ in hoc verſu conti-
nentur.

*Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo,
condo.*

Eleemoſynæ autem ſpirituales ſunt, docere
ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari
triſtem, corrigere peccantem, remittere of-
fendenti, portare oneroſos & graves, &
pro omnibus orare; quæ etiam in hoc ver-
ſu continentur addito ly *doce*, ex contex-
tu D. Thomæ aſſerentis: quòd ſub eodem
intelligitur conſilium & doctrina.

*Conſule, doce, caſtiga, ſolare remitte,
fer, ora.*

OB-

OBJECTA DISSOLUTA.

S. Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 30.

2. ad Corinth. c. 8. v. 13.

13 Inter virtuoſæ eleemoſynæ præcipuas notiones, abundantiam dati ex Apoſtolo, & cum Patribus loquente D. Thoma, deſignavimus. Nihilominus ad ſobriam menſuram reduci oportere abundantiam illam, ſolutione objectionis hìc proponendæ firmabimus: *Non debent ſimul effundi opes ſed diſpenſari*, ajebat aliquando Ambroſius; ſed abundantia eleemoſynarum ad effuſionem pertinet: ergo eleemoſyna non debet fieri abundanter, objiciebat D. Thomas. Sicut etiam, Apoſtolus dicit: *Non ut aliis ſit remiſsio*, id eſt, ut alii de veſtris otiosè vivant, *vobis autem ſit tribulatio*, id eſt paupertas; ſed hoc contingeret, ſi eleemoſyna daretur abundanter: ergo non eſt abundanter eleemoſyna largienda. Reſpondetur tamen ad primum objectum, aſſumptam propoſitionem verum habere de effuſione divitiarum, ubi ſtatus dantis aliter exigit: ſecùs autem ſi ſecùs: undè Div. Thomas ait, ,, Quòd auctoritas Ambroſii loquitur de abundantia eleemoſynę ex parte dantis, ſed intelligendum eſt, quòd Deus non vult ſimul effundi omnes opes, niſi in mutatione ſtatus, undè ſubdit ibidem: niſi forte ut Eliſæus boves ſuos occidit, & pavit pauperes ex èo quod habuit, ut nullà curà domeſtica teneretur. Quod hìc de eleemoſyna, alibi adnotat de liberalitate Sanctus Doctor inquiens: ,, Quòd ad liberalem non pertinet ſic divitias emittere; ut non ſibi remaneat, undè ſuſtentetur, & undè virtutis opera exequatur, quibus ad fęlicitatem pervenitur. Undè Philoſophus dicit in 4. Ethicorum, quod liberalis non negliget propria, volens per hoc quibuſdam ſufficere; quod confirmat ex verbis Ambroſii proximè adducti s.

Abundantia dati ſtatui debet proportionari dantis.

Ubi ſupra artic. 10. ad 2.

D. Thom. 2. 2. q. 117. art. 1. ad 2.

14 Ad ſecundùm objectum, diſtinguenda eſt propoſitio minor: contingeret illud quod Apoſtolus cavendum dicit: Si abundantia ſuperexcederet neceſsitatem recipientis in ipſius ruinam; vel ſimiliter conditionem dantis, concedo: aliter, nego minorem, & deductam propoſitionem. ,, Dicendum (loquitur Div. Thomas) quod auctoritas inducta, quantùm ad hoc, quod dicit: *Non ut aliis ſit remiſsio, vel refrigerium*: loquitur de abundantia eleemoſynæ, quæ ſuperexcedit neceſsitatem recipientis, cui non eſt danda eleemoſyna, ut indè luxurietur, ſed, ut indè ſuſtentetur: circa quod tamen eſt diſcretio adhibenda propter diverſas conditiones hominum, quorum quidam delicatiùs nutriti indigent magis delicatis cibis, aut veſtibus. Undè Ambroſius dicit: *Conſideranda eſt in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, aut ſi quis ex divitiis in egeſtatem cecidit ſine vitio ſuo.* Quantùm verò ad id, quod ſubditur. *Vobis autem tribulatio*, loquitur de abundantia ex parte dantis. Sed ſicut Gloſſ. ibidem dicit: *Non hoc ideò dicit, quin melius eſſet, ſcilicet abundanter dare, ſed de infirmis timet, quos ſic dare monet, ut egeſtatem non patiantur.* Sed cuncta perlucidè pateant, elucidante clariſsimo Thoma. ,, Dicendum (inquit) quod abundantia eleemoſynæ poteſt conſiderari & ex parte dantis, & ex parte recipientis. Ex parte quidèm dantis, cùm ſcilicet aliquis aliquid dat, quod eſt multum ſecundùm proportionem proprię facultatis; & ſic laudabile eſt abundanter dare. Unde & Dominus Lucæ 21. laudavit viduam, quæ ex eo, quòd deerat illi, omnem victum, quem habuit, miſit; obſervatis tamen his, quæ ſupra dicta ſunt de eleemoſyna facienda de neceſſariis. Ex parte verò ejus, cui datur, eſt abundans eleemoſyna dupliciter. Uno modò, quòd ſuppleat ſufficienter ejus indigentiam: & ſic laudabile eſt abundanter eleemoſynam tribuere. Alio modo, ut ſuperabundet ad ſuperfluitatem: & hoc non eſt laudabile, ſed meliùs eſt pluribus indigentibus elargiri. Undè & Apoſtolus dicit: *Si diſtribuero in cibos pauperum.* Ubi Gloſſa dicit: *Per hoc cautela eleemoſynæ docetur, ut non uni, ſed multis detur, ut pluribus proſit.*

2. 2. q. 32. a. 10. ad 3.

Eleemoſyna non eſt abundãter uni danda ad ſuperfluitatem.

In corp. artic.

1. ad Cor. 13. v. 13. Gloſſ. interlinearis ibid.

15 Secundum objectum ita contra aſſertionem proponitur à D. Thoma: ,, Actus charitatis non poteſt eſſe ſine charitate, ſed largitio eleemoſynarum poteſt eſſe ſine charitate ſecundùm illud: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ergo dare eleemoſynam non eſt actus charitatis. Et quidem non ſolùm elicitus, ſed neque imperatus; contra aſſertum illud D. Thom. *Dare eleemoſynam eſt actus charitatis, miſericordia mediante.* Reſpondetur tamen, largitionem eleemoſynæ quaſi materialiter & ex terminis poſſe inveniri ſine charitate: ſecùs autem ſi fiat propter Deum, qualiter ſignificat Div. Thomas, ita propoſitam objectionem diſſolvens: ,, Ad primum dicendum, quòd aliquid dicitur eſſe actus virtutis dupliciter. Uno modo materialiter, ſicut actus juſtitiæ eſt facere juſta; & talis actus virtutis poteſt eſſe ſine virtute. Multi enim non habentes habitum juſtitiæ, juſta operantur ex naturali ratione, vel ex timore, ſivè ex ſpe aliquid adipiſcendi. Alio modo dicitur eſſe aliquid actus virtutis formaliter: ſicut actus juſtitiæ eſt actio juſta, eo modo, quo juſtus facit, ſcilicet promptè & delectabiliter. Et hoc modo actus virtutis non eſt ſine virtute. Secundùm hoc ergo dare eleemoſynas materialiter poteſt eſſe ſine charitate. Formaliter autem eleemoſynas dare, id eſt propter Deum delectabiliter & promptè, & omni eo modo, quo debet, non eſt ſine charitate. Hanc doctrinam breviùs complectitur Sanctus Doctor: Dicens ,, quòd quamvis eſſe propter Deum non det ſpeciem eleemoſynæ quantum ad eſſe ſuum primum, tamen dat ſibi ultimum complementum, ſecundùm quod eſt meritoria, & ideò ultimò in definitione ipſius ponitur.

1. ad Cor. 13. ubi ſupra.

Art. 1. ad 1.

Qualiter eleemoſyna fieri poſsit abſque charitate.

In 4. diſt. 15. q. 2. a. 1. q. 1. ad 5.

16 Tertiò opponi poteſt: quia eleemoſyna talis dicitur ex compaſsione ſeu ex miſericordia unde procedit, quæ paſsio quædam eſt; ſed juxta Philoſophum 2. Ethicorum cap. 3. nulla paſsio eſt virtus: ergo talis non eſt eleemoſyna ſeu miſericordia unde procedit. Subjungimus etiam argumentum contra definitionem eleemoſynæ, inter alia objectum: in eleemoſynis aliquid quandoque datur clericis prębendatis, qui tamen non indigent, ſed divites ſunt: ergo non eſt de ratione eleemoſynæ, quòd indigenti detur. Reſpondetur tamen eleemoſynam ex compaſsione oriri, ſive illam regulariter præſupponere, non tamen in ipſa compaſsione formaliter conſiſtere. Unde ajebat Div. Thomas: ,, Quòd miſericordia ſecundùm quod importat compaſsionem, tanquam ad miſeriam alterius, non eſt virtus, ſed paſsio: ſecundùm autem quod importat electionem compatientis, ſecundùm hoc virtus eſt. Audiatur etiam S. Doctor de tali compaſsione ita loquens: ,, Nomina paſsionum ſenſibilium aliquando per quandam ſimilitudinem transferuntur ad actus voluntatis, qui ſine paſsione ſunt: & ſic compaſsio, quæ propriè importat paſsionem triſtitiæ de aliena miſeria, dicitur quandoque de ipſo actu volũtatis, quo alicui diſplicet aliena miſeria, & ſinè tali cõpaſsione nunquã eleemoſyna danda eſt: quia non ſubveniret aliquis miſeriæ alienæ, niſi vellet eum non eſſe miſerum, & talis compaſsio etiam in Deo eſt, quia ei mala noſtra ex voluntate antecedente diſplicent, & quandoque etiam ex conſequente; ſed in nobis etiam quandoque adjungitur compaſsio propriè dicta, quia appetitus ſuperior natus eſt appetitum inferiorem movere: unde ſi ſit fortis impreſsio in ſuperiori, erit etiam in inferiori, niſi aliquid repugnet, & ſecundùm hoc miſericordia & verecundia & quædam aliæ paſsiones laudabiles ſunt, inquantùm ex debita electione boni procedunt. Ultimum objectum ſic diſſolvit S. Doctor: Dicendum, quòd clericis etiam ſi ipſi non indigeant, eleemoſynę dantur, ut miniſtris pauperum & diſpenſatoribus eleemoſynarum & ideo quod eis in eleemoſynam datur, per eos pauperibus tranſmittitur.

Compaſsio ad eleemoſynam pręſupponitur

Quęſt. 3. ad 2.

Quæſt. 1. ad 4.

Quęſt. 1. ad 3.

Clerici ſunt diſpenſatores eleemoſynarũ.

ARTICULUS II.

Eleemoſynam ſub præcepto cadere demonſtrans.

17 DICENDUM eſt, præceptum dari naturale & divinum eleemoſynam elargiendi de ſuperfluo. Naturale inquam, quod reducitur ad aliquod ex præceptis Decalogi: & quamvis S. Albertus Magnus reduci dicat ad pręceptum illud: *Non furaberis*, quoniam genus furti eſſe videtur, non tribuere pauperibus quod debemus. Meliùs tamen D. Thomas reduci affirmat ad quartum præceptum: *Honora parentes*: quia honor ille ſecundùm Auguſtinum ad reverentiam & ſubventionem in neceſſariis pertinet, & nomine parentum omnis proximus intelligitur, ut habet S. Doctor in Sententiariis. In Summa autem Theologica ita habet: ,, Dicendum, quòd omnis ſubventio proximi reducitur ad præceptum de honoratione parentum. Sic enim & Apoſtolus interpretatur, dicens: ,, *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſsionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* Quod dicit, quia in præcepto de honoratione parentum additur promiſſio. *Ut ſis longævus ſuper terram.* Aſſertionem oſtendit imprimis Doctor Angelicus: quia nullus punitur pœnâ æternâ pro omiſsione alicujus, quod non cadit ſub præcepto; ſed aliqui puniuntur pœnâ æternâ pro omiſsione eleemoſynarum, ut patet per Matthæum: ergo dare eleemoſynam eſt in præcepto. Verba Matthæi hæc ſunt: *Diſcedite maledicti in ignem ęternum* :: *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.* Ubi per ly *enim* reddit rationem maledictionis in ignem æternum. Conſtat namque quod nullus tali igni adjudicatur, niſi propter peccatum mortale, & conſequenter quod illud *non dare manducare Chriſto in minimis ſuis eſurienti, fuit peccatum mortale.* Adducimus etiam quod dicit Lucas: *Dives epulabatur quotidiè ſplendidè, & mendicus Lazarus jacebat ad januam ejus cupiens ſaturari de micis, quę cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat; & dives mortuus, & ſepultus eſt in inferno.* En ſuperfluitatem in divite, per ly *epulabatur quotidiè ſplendidè.* En neceſsitatem in Lazaro per ly *mendicus*, per ly *cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa divitis.* Et negatio eleemoſynæ per ly *nemo illi dabat.* En retributionem negationis prædictæ per ly *dives ſepultus eſt in inferno.* Patet autem quòd nullus in inferno damnatorum ſepelitur niſi propter peccatum mortale: & conſequenter-

B. Albert. in 4. diſt. 15. a. 16.

Eleemoſyna ad quartum præceptũ Decalogi reducitur.

S. Auguſt. vel Auct. ſerm. 64. ad fratres in Eremo.

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 2. a. 1. q. 4. in corp.

2. 2. q. 32. a. 5. ad 4.

1. ad Timoth. 4. v. 8.

In arg. ſed cont.

Matth. 25. v. 41.

Ex pœna oſtẽditur culpa immiſericordiæ.

Lucæ 16. à v. 19. quibuſdam verbis omiſsis.

ter, quòd illud non dare eleemoſynam in tali caſu fuit peccatum mortale.

D.Thom. in corp a.5.

1. Joannis 3.v. 18.

Ex præcepto dilectionis proximi, præceptū ſtatuit eleemoſynę Div. Thomas.

18 Rationem autem à priori, unde corolaria derivanda ſunt, dilucidè tradit S. Doct. articulo 5. citato in Corp. inquiens: ,, Reſpondeo dicendum, quòd cùm dilectio proximi ſit in pręcepto, neceſſe eſt, ,, omnia illa cadere ſub præcepto, ſine quibus dilectio proximi non conſervatur. Ad ,, dilectionem autem proximi pertinet, ut ,, proximo non ſolùm velimus bonum, ſed ,, etiam operemur, ſecundùm illud Joannis: ,, *Non diligamus verbo, neque lingua; ſed* ,, *opere, & veritate.* Ad hoc autem, quod ,, velimus & operemur bonum alicujus, requiritur quòd ejus neceſsitati ſubveniamus, quod fit per eleemoſynarum largitionem: & ideò eleemoſynarum largitio eſt in pręcepto. Sed quia præcepta ,, dantur de actibus virtutum, neceſſe eſt, ,, quòd hoc modo donum eleemoſynæ cadat ſub præcepto, ſecundùm quòd actus ,, eſt de neceſsitate virtutis, ſcilicet, ſecundùm quòd recta ratio requirit, ſecundùm quam eſt aliquid conſiderandum ex ,, parte dantis, & aliquid ex parte ejus cui ,, eſt eleemoſyna danda. Ex parte quidem ,, dantis conſiderandum eſt, ut id quod eſt ,, in eleemoſynas erogandum, ſit ei ſuperfluum, ſecundùm illud Lucæ: *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.* Et dico ſuperfluum non ſolum reſpectu ſui ipſius, ,, quod eſt ſupra id, quod eſt neceſſarium ,, individuo, ſed etiam reſpectu aliorum, ,, quorum cura ſibi incumbit, reſpectu quorum dicitur neceſſarium perſonæ, ſecundùm quòd perſona dignitatem importat: ,, quia prius oportet, quòd unuſquiſque ſibi provideat, & his, quorum cura ei incumbit, & poſteà de reſiduo, aliorum ,, neceſsitatibus ſubveniat. Sicut & natura ,, primò accipit ſibi ad ſuſtentationem proprii corporis, quod eſt neceſſarium miniſterio virtutis nutritivę: ſuperfluum autem erogat ad generationem alterius per ,, virtutem generativam. Ex parte autem ,, recipientis requiritur, quòd neceſsitatem ,, habeat, alioquin non eſſet ratio, quare ,, eleemoſyna ei daretur. Sed cùm non poſſit ab aliquo uno omnibus neceſsitatem ,, habentibus ſubveniri, non omnis neceſſitas obligat ad præceptum, ſed illa ſola, ,, ſine qua is, qui neceſsitatem patitur, ſuſtentari non poteſt. In illo enim caſu locum habet, quod Ambroſius dicit: *Paſce fame morientem, ſi non paveris, occidiſti.* Sic ergo dare eleemoſynam de ,, ſuperfluo, eſt in præcepto, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſsitate (ſub qua comprehendit S. Doct. communem, ,, ut ex contextu apparet.) Alias autem eleemoſynas dare eſt in conſilio, ſicut & de ,, quolibet meliori bono dantur conſilia.

Lucæ 11.v.41.

Eleemoſynæ de ſuperfluo erogandę.

Præceptū eleemoſynæ naturale & divinū.

19 Videas præceptum eleemoſynæ natura dictante datum, charitate imperante firmatum, & verbis Chriſti D. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*, expreſſum. Ubi Gregorius: *Omne quod ſupereſt neceſsitatibus, in cauſis piis ac religioſis erogandum eſt, Domino ac Magiſtro omnibus dicente*: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Dictat natura docens: *Quod tibi vis fieri, alteri facito.* Firmat charitas: Nam *qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Inde laudatus Gregorius ad verba illa S. Joannis Baptiſtę: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat*: ait: * Per hoc quòd tunica * plus eſt neceſſaria uſui noſtro quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut non ſolùm exteriora quæque & * minùs neceſſaria, ſed ipſa valde nobis * neceſſaria dividere cum proximis debeamus, ſcilicet vel eſcam, qua carnaliter * vivimus, vel tunicam, qua veſtimur. Quia * enim in lege ſcriptum eſt, diliges proximum tuum ſicut te ipſum, minùs proximum amare convincitur, qui non cum * eo in neceſsitate illius, etiam ea quæ ſibi * ſunt neceſſaria partitur. Expreſsit Chriſtus Dom. ſæpiſsimè: imò ſuam exordiens prædicationem, omnigenam eleemoſynam, plena Dei miſericordia cumulandam promiſit: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: Sicut per oppoſitum immiſericordibus æterna cōminatur ſupplicia, ut vidimus in 1. argumento.

S. Gregor. Epiſt. 30. ad Auguſt. Epiſcop.

1. Joan. 3.v.17

S. Greg. Homil. 20. in Evangelia.

Matth. 5.v.13.

20 Neque novum credet aliquis hoc præceptum, eò ſequentius in veteri Teſtamento intimatum, quo magis antiqui Judæi avaritiæ dediti, illo opus habebant. Apud Iſaiam legitur: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Sanctus Tobias ajebat: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Et certè quid aliud indicant iteratæ leges cæremoniales de racemis & ſpicis aliiſque hujuſmodi in ſubſidium pauperum relinquendis, ut in lege Moyſi frequenter occurrit, quàm beneficam Dei Providentiam, qua antiquos conſtringebat Judæos de ſublevandis pauperibus? Illorum prætereà miſericordiam exigebat, jam ſupplicii comminatione, tùm bonorum policitatione. De primo habetur: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Deindè (ut alia hujus generis omittamus) apud Ezechielem legitur: *Ecce hec fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Promiſſa ex alio capite præmia ubique ferè oſtendunt Sacræ paginæ: ſic enim Tobias poſt indicata verba ſubjungit: *Ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri*

Iſaię 58.v.7.

Tobiæ 4. v.7.

Supplicia, & præmia divinitus intimata.

Prov. 21. v.13.

Ezech. 16.v.49

Tobię 4. à v.7.

tiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſsitatis. Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna, omnibus facientibus eam. Et in eodem Libro: *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere: Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam.* In Proverbiis habetur: *Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ.* Deindè in Libro Eccleſiaſtici: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Et Deus proſpector eſt ejus qui reddit gratiam: meminit ejus in poſterum, & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum.* Et rurſus: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Denique Danielis 4. *Peccata tua eleemoſynis redime.*

Cap. 12. v. 8. & 9.

Prov. 13. v.8.

Eccleſ. 3. v.33. & 34.

Cap. 29. v. 15.

Daniel 4.v.24.

Eleemoſynæ præceptum ſępè intimatum in commendationem divinæ Providentiæ.

Theodoret. ſer. 6. de Providentia.

21 Ignoſcat Lector, ſi novo argumento aſſertionem ſtabilire placuerit, oſtendendo pariter cur in Sacra Scriptura adeò frequenter intimatum audiamus pręceptum de eleemoſyna pauperibus elargienda. Niſi enim mea me fallat opinio, pręceptum eleemoſynæ conducit quammaximè in commendationem divinæ providentiæ, obturandaque ora iniquè canentium gentilium, ſuaviſsimo illi attributo Dei bellum moventes. Iſti enim (referente Theodoreto) videntes quàm in bonis fortunæ inęquales ſint homines, abundantes aliqui aliunde improbi: Egentes quàm plurimi, aliundè probi, quibus non ſemel deficere contingit alimentum quo veſcantur, & veſtimentum quo operiantur, per ſummum nefas divinam providentiam inficias ire auſi fuerunt. Quid enim (obganiunt) paternæ providentię magis congruere poteſt, quàm eos alere, quos fecit eſſe? An non Deus, in ſuæ univerſalis providentiæ pateſcens argumentum, dat eſcam eſurientibus, & pullis corvorum invocantibus eum? An non præparat corvo eſcam ſuam, quandò pulli ejus clamant ad Deum, vagientes, eo quòd non habeant cibos? An non Pater cæleſtis paſcit volatilia Cœli, quæ non ſerunt, neque metunt? Sic gentiles obloquuntur: ſed heù: quia Chriſtiani in pauperes crudeles, Gentilium pernicioſo errori anſam præbere videntur, juxta illud Apoſtoli: *Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt.* Per oppoſitum autem qui ſubveniendis miſeris, juxta Divinam admonitionem & iterata præcepta, toti incumbunt, Divinam Providentiam magis commendant, extollunt, cæcoſque Gentiles inaniſsimè aberrare demonſtrant; adeò ut in Proverbiis Salomonis meritò ſcriptum ſit: *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.*

Pſal. 146. v.9.

Job. 34.v.41.

Matth. 6.v.26. & alibi frequenter.

Rom. 2.v.24.

Iſaiæ 52. v.5.

Ezech. 36.v.20

Prov. 14.v.31.

22 Homines cunctos condidit Deus, iiſque omnibus bona paravit temporalia ad ſuſtentationem: ſi pauperes ſint, apud divites ſuperabundantiam repoſuit, ut tanquam proprium aſpiciant quod illis ſupereſt. * Cur non miſeri intelligunt (ad di- * vites immiſericordes ajebat Auguſtinus) * quod apud Aggęum loquens Dominus, * propterea dixerit, meum eſt aurum, & * meum eſt argentum, ut & ille qui non * vult cum indigentibus communicare quod * habet, cùm audit præcepta faciendæ mi- * ſericordiæ, intelligat Deum non de re il- * lius, cui jubet, ſed de re ſua jubere do- * nari, & ille qui aliquid porrigit paupe- * ri, non ſe arbitretur de ſuo facere, ne * fortè non tàm confirmetur miſericordiæ * nomine, quàm infletur ſuperbiæ vanita- * te? Meum eſt, inquit, aurum & meum * eſt argentum, non veſtrum ò divites ter- * ræ; quid ergo dubitatis pauperi dare de * meo, aut quid extollimini cùm datis de * meo? Ea propter benè Divus Thomas concludebat. ,, Res quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur ,, pauperum ſuſtentationi, adducitque Ambroſium dicentem. *Eſurientium panis eſt quem tu detines; nudorum indumentum eſt quod tu recludis, miſerorum redemptio & abſolutio eſt pecunia, quam tu in terram defodis.* Et conformiter ad hanc doctrinam pronuntiavit etiam Baſilius: *Si fateris, ea tibi divinitùs proveniſſe*, ſcilicet temporalia bona *an injuſtus eſt Deus inęqualiter res nobis diſtribuens? Cur tu abundas, ille verò mendicat? Niſi ut tu bonę diſpenſationis merita conſequaris, ille verò patientiæ braviis decoretur?* His verbis obturat ſatis ora Gentilium iniqua loquentium; & aliunde in divinæ providentiæ commendationem vertit, quòd divites ſimul & pauperes in mundo eſſe fecerit: quia dum divites corporaliter ſublevant pauperes; ab ipſis pauperibus divites ſpiritualiter ſublevantur, ut ſignificari videtur verbis illis: *Dives & pauper obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus*: & notum poſteà dabimus, eleemoſynæ utilitates indicaturi.

S. Auguſt. ſer. 50. alias 15. de diverſis.

Deus de ſuo donare pauperibus jubet.

D.Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. in corp.

S. Ambroſ. ſer. 81. & habetur diſt. 47. c. Sicut hi.

S. Baſilius ſer. ad divites, apud D.Thom. q.32. a.5. ad 2.

Prov. 22. v.2.

23 Satis in præſentiarum eſſe judicantes verba tranſcribere, quibus S. Gregorius ſtatuit, quàm iteratum in Sacra Scriptura præceptum eleemoſynæ appareat, inquit enim: * Cæterorum omnium maximè Divino * mandato & exemplo moveamur. Quod- * nam porrò hoc mandatum eſt? Videre * quàm conſtans ſit atque ſincerum. Ne- * que enim hominibus Spiritu Sancto affla- * tis ſat fuit ſemel atque iterum de paupe- * ribus ſermonem habuiſſe, nec quidam * dumtaxat de his rebus verba fecerunt, * reliqui minimè; aut alii parciùs velut de * re non ita magnâ, nec admodum neceſ- * ſariâ: Verùm & omnes in univerſum, & * ſedulo quiſque, vel primùm, vel impri- * mis ad eam rem nos cohortantur, nunc * admonentes, nunc comminantes, nunc * exprobantes, nonnunquam etiam eos, * qui virtutis hujuſce munere funguntur * laudibus efferentes: Nimirum ut per ad-

S. Greg. Nazianz. orat. 6. de Pauperum amore.

 * mo-

* monitionis aſsiduitatem eò nos adducant,
* ut hoc mandatum exequamur. Et infra:
* An tu benignitatem non neceſſariam, ſed
* tibi liberam eſſe putas , ac non legem,
* ſed conſilium ? Hoc quoque magnoperè
* vellem & exiſtimarem : ſed me ſiniſtra
* illa manus terret, & hædi, & probra , quæ
* ab eo , à quo illic collocati ſunt , conji-
* ciuntur , non quia manus alienis bonis
* attulerunt , nec quia Templa diripuerunt,
* aut adulterium perpetrarunt , aut aliud
* quiddam ex aliis,quæ interdicta ſunt, ad-
* miſerunt , hoc ordine multati , ſed quia
* Chriſtum in pauperibus minimè cura-
* runt. Quocirca , ſi quid mihi auſcultan-
* dum putatis , ſervi Chriſti & fratres &
* cohæredes , Chriſtum quandiù licet , viſi-
* temus , Chriſtum curemus , Chriſtum ala-
* mus , Chriſtum induamus , Chriſtum col-
* ligamus , Chriſtum honoremus, non men-
* ſa ſolum , ut quidam , nec unguentis , ut
* Maria , nec ſepulchro dumtaxàt , ut Jo-
* ſeph Arimathæus; nec rebus ad ſepultu-
* ram accomodatis , ut ille dimidia tantùm
* ex parte Chriſtum amans Nicodemus , nec
* denique auro , thure, & myrrha, ut Magi;
* ſed quoniam omnium Dominus miſeri-
* cordiam vult , non ſacrificium , ac pin-
* guium agnorum myriades commiſeratio
* ſuperat , hanc in pauperibus humi pro-
* volutis ipſi conferamus ; ut cùm hinc
* exceſſerimus , in æterna tabernacula nos
* accipiant.

24 Stabilitum eleemoſynæ præceptum, cùm ſit affirmativum , non obligat ſemper & pro ſemper , ea proptèr ut pleniùs appareat , quibus & quando obliget , conſiderare nos docet Div. Thomas laudatus aliquid ex parte dantis , quòd ipſi nimirùm aliquo modo ſuperfluum eſt : & aliquid ex parte ejus , cui eſt eleemoſyna danda , nempè quod neceſsitatem habeat; alioquin non eſſet ratio quare eleemoſyna ei daretur. Quantùm ad primum prælucente Doctore Angelico adnotant communiter Theologi, quòd ſuperfluum in bonis ex miſericordia erogandis, primò dicitur ſuperfluum naturæ, ſeu quod ſupereſt mediis ad ſuam , & ſibi commiſſorum vitam neceſſariis. Secundò ſuperfluum ſtatus eſt , quod ſupereſt mediis neceſſariis ad vitam , & ſtatus ſui decentiam , conſiderando ſimul caſus , qui probabiliter occurrere poſſunt , in quibus ſumptûs faciendi ſunt prout recta ratio judicaverit , quæ ſtatus decentia comprehendit etiam ea , quæ ſpectant ad ſuſtentationem filiorum , famulorum , decentes donationes, hoſpitum tractationes & alia hujuſmodi. Sicut etiam per oppoſitum aliquid neceſſarium dicitur dupliciter , nimirùm vitę & ſtatui. Quantùm ad ſecundum ſimiliter ſupponunt Theologi triplicem eſſe neceſsitatem in temporalibus : aliam extremam , aliam gravem , & aliam communem. Extrema eſt, quando proximus eſt in probabili, aut moraliter certò periculo vitæ , vel ut ait Div. Thomas : ,, Quando apparent ſigna probabilia extremæ nėceſsitatis futuræ, niſi ei ,, ſubveniatur : non enim expectanda eſt ,, ultima neceſsitas , quia tunc fortè non ,, poſſet juvari , natura jam fame vel ſiti ,, conſumpta. Ad hanc reducunt communiter Doctores periculum carceris perpetui, mutilationis & infirmitatis incurabilis. Gravis neceſsitas eſt , quæ hominem conſtituit non in certo , ſed in gravi periculo ſubeundi damnum notabile in corpore, honore , vita , ſtatu , vel re familiari. Communis eſt quam communiter pauperes patiuntur , cui occurri per ſe ipſos valent cum aliquali & morali ſolicitudine. His prænotatis.

Quid ſit ſuperfluum naturæ, & ſtatus.

Triplex neceſſitas.

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 2. 1. q. 4. ad 4.

25 Aſſerendum eſt ſecundò , præceptum elargiendi eleemoſynam obligare in extrema vel quaſi extrema neceſsitate. De hac aſſertione nullus dubitandi locus relinquitur , poſtquam apud Eccleſiaſticum legitur: *Panis egentium vita pauperum eſt : qui defraudat illum , homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panem , quaſi qui occidit proximum ſuum* : quibus verbis Divinus Spiritus homicidio deputat eleemoſynæ largitionem denegatam. Atque pro illo caſu dixit à D.Thoma laudatus Ambroſius : *Si non paveris, occidiſti.* Indè S. Petrus Chryſologus latiſsimè expendens parabolam vel hiſtoriam Epulonis, de gutta aquæ quam in locum tormentorum petebat , inter alia, inquit : *Iſta gutta eſt , dives quæ te facit crudelem.* Ea propter Lactantius ajebat : *Largire cæcis , debilibus , claudis , deſtitutis, quibus niſi largiare , moriendum eſt : inutiles ſunt hominibus , ſed utiles Deo qui eos vita , qui ſpiritu donat , qui luce dignatur. Fove quantùm in te eſt , & animas hominum , ne extinguantur , humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere perituro poteſt , ſi non ſuccurrerit , occidit.* Hinc de S. Gregorio refertur in ejus vita , quòd dum quemdam pauperem in auguſtiis andronarum receſsibus à veſpillionibus inveniri mortuum contigiſſet , æſtimans eum ſtipis inopia periiſſe, ita per aliquot dies, à Miſſarum celebratione vacando , triſtatus eſt , tanquam ſi eum propriis manibus, quod dictu nefas eſt, peremiſſet.

Eccleſiaſt. 34. à v. 25.

Præceptū eleemoſynæ in extrema neceſſitate.

S. Chryſol. ſerm. 1. v. 1.

Lactant. lib. 6. c. 11.

Joannes Diac. in ejus vita lib. 2. c. 29.

26 Rationem ſubjectæ aſſertionis paucis illis verbis tradidit Doct. Angelicus in loco Sentent. ,, Quando alius eſt in ſtatu extre- ,, mæ neceſsitatis , efficiuntur ſibi bona cō- ,, munia , undè etſi per violentiam vel fur- ,, tum acciperet non peccaret. Quamvis ,, enim bona temporalia , quæ divinitùs ho- ,, mini conferuntur , ejus quidem ſint quan- ,, tùm ad proprietatem ; ſed quantùm ad ,, uſum non ſolùm debent eſſe ejus , ſed ,, etiam aliorum , qui ex eis ſuſtentari poſſunt : habet idem Sanct. Doct. in Summa Theologica conformiter ad illud Baſilii : *Eſt panis famelici , quem tu tenes , nudi tunica , quam in conclavi conſervas , diſcalceati calceus , qui penes te marceſcit , indigentis argentum , quod poſsides inhumatum. Quo circa tot injuriaris , quot dare valens es.* In caſu igitur extremæ neceſsitatis , etiam de bonis neceſſariis ad ſtatum , ſed non ad vitam , eleemoſynam elargiri tenemur , prout reſolvit & elucidat D. Thom. ubi ſupra inquiens : ,, Reſpondeo dicendum , quòd ne- ,, ceſſarium dupliciter dicitur: Uno modo, ſi- ,, ne quo aliquid eſſe non poteſt , & de tali ,, neceſſario omninò eleemoſyna dari non ,, debet , puta , ſi aliquis in articulo neceſ- ,, ſitatis conſtitutus haberet ſolùm , undè ,, poſsit ſuſtentari , & filii ſui , vel alii ad ,, eum pertinentes : de hoc enim neceſſario ,, eleemoſynam dare eſt ſibi , & ſuis vitam ,, ſubtrahere : ſed hoc dico , niſi fortè ta- ,, lis caſus immineret , ubi ſubtrahendo ſibi ,, daret alicui magnæ perſonæ , per quam ,, Eccleſia,vel Reſpublica ſuſtentaretur : quia ,, pro talis perſonæ liberatione ſeipſum , & ,, ſua laudabiliter periculo mortis expone- ,, ret , cùm bonum commune ſit proprio ,, præferendum. Alio modo dicitur aliquid ,, eſſe neceſſarium, ſine quo non poteſt con- ,, venienter vita tranſigi ſecundùm condi- ,, tionem, & ſtatum propriæ perſonę, & alia- ,, rum perſonarum , quarum cura ei incum- ,, bit. Hujuſmodi neceſſarii terminus non ,, eſt in indiviſibili conſtitutus ; ſed multis ,, additis , non poteſt dijudicari eſſe ultra ,, tale neceſſarium, & multis ſubtractis , ad- ,, huc remanet , undè poſsit convenienter ,, aliquis vitam tranſigere ſecundùm pro- ,, prium ſtatum. De hujuſmodi ergo elee- ,, moſynam dare eſt bonum , & non cadit ,, ſub præcepto , ſed ſub conſilio. Inordi- ,, natum eſſet autem ſi aliquis tantum ſibi ,, de bonis propriis ſubtraheret , ut aliis ,, largiretur , quod de reſiduo non poſſet ,, vitam tranſigere convenienter ſecundùm ,, proprium ſtatum , & negocia occurren- ,, tia. Nullus enim inconvenienter vivere ,, debet. Sed ad hoc tria ſunt excipienda, ,, quorum primum eſt , quando aliquis ſta- ,, tum mutat , puta , per religionis ingreſ- ,, ſum : tunc enim omnia ſua propter Chri- ,, ſtum largiens , opus perfectionis facit , ſe ,, in alio ſtatu ponendo. Secundò , quando ,, ea, quæ ſibi ſubtrahit , etſi ſint neceſſaria ,, ad convenientiam vitæ , tamen de facili ,, reſarciri poſſunt , ut non ſequatur maxi- ,, mum inconveniens. Tertiò,quando occur- ,, reret extrema neceſsitas alicujus privatæ ,, perſonæ, vel etiam aliqua magna neceſ- ,, ſitas reipublicæ. In his enim caſibus lau- ,, dabiliter prætermitteret aliquis id , quod ,, ad decentiam ſui ſtatus pertinere vide- ,, retur , ut majori neceſsitati ſubveniret.

Q. 4. ad 2.

Theologica D. Thomæ ratio.

Q. 32. a. 5. ad 2

S. Baſilius ſer. ad divites.

Artic. 6.

In extrema neceſsitate de bonis etiam ſtatui neceſſariis, facienda eſt eleemoſyna.

27 Scio quidèm à Theologis moralia tractantibus in dubium verti , an in tali caſu nedum ex charitate , quod nullus negat : an ex juſtitia elargiri debeat eleemoſyna ? Et quamvis plures magni nominis Theologi obligationem dumtaxàt ex charitate agnoſcant , quos in ſua probilitate relinquimus : verumtamen propendimus in ſententiam oppoſitam , veluti Doctori Angelico conſonam magis ; nam aliorum bona quantùm ad uſum etiam ſunt eorum, qui illis in extrema ſaltèm neceſsitate ſuſtentari debent, ut ait Sanct. Doctor conformiter ad teſtimonium S. Baſilii , laudatum num. 22. Nec aliter videtur poſſe ſubſiſtere qualiter eleemoſynæ denegata largitio homicidio deputari poſſet, ut prælucente Scriptura Sacra n. 25. præcedenti docuerunt nos Sancti Patres. Neque indè tranſacta neceſſitate (præciſsim à damno ſequuto) teneretur homo reſtituere , quod aliàs dare conſtringebatur ; quia hoc debitum perſiſtit dumtaxàt neceſsitate perſiſtente. Inde vi conſequentiæ deducitur , non fieri ſatis præcepto eleemoſynæ in extrema abſoluta neceſsitate , per mutuum , venditionem dilatata ſolutione , aut donationem ſub conditione reddendi , pinguiori fortuna in poſterum deveniente ; aliàs nunquam urgeret ſtrictum elargiendæ eleemoſynæ præceptum. Indè meritò Suarez , & Azor apud Patres Salmanticenſes tenent , quòd aſſerere præceptum eleemoſynæ non obligare ad abſolutam & liberalem donationem , ſed ad conditionatam , parùm pium eſt & practicè improbabile. Diximus *neceſsitate abſoluta*: nam ſi reſpectiva , ut ajunt , foret , ſatis probabiliter cum aliis pluribus affirmant laudati Patres conformiter ad D. Thomam aſſerentem : ,, Unuſquiſque tenetur ad li- ,, berandum proximum à morte ſecundùm ,, ſuam conditionem & modum. Et hoc ,, quidèm convenienter implevit ille , qui ,, pecuniam mutuavit ; non autem tenebi- ,, tur condonare in caſu , quo ille poterat ,, per mutuum liberari.

In extrema neceſsitate eleemoſyna elargiēda eſt ex juſtitia.

PP. Salmantic. tract. 21. cap. 7. punct. 1. n. 8.

D. Thom. quodlibet. 5. art. 17.

28 Aſſerendum eſt tertiò, teneri omnes ex ſuperfluis ad ſtatum eleemoſynam facere non ſolùm in extrema, verùm & in gravi neceſsitate : imò in communibus pauperum neceſsitatibus teneri divites ex ſuperfluis eleemoſynas facere. Utrunque enim ſatis indicant argumenta hucuſque indicata ex Scriptura Sacra & Sanctis Patribus, ex quibus concludit D. Thomas ſupra laudatus in loco Sententiarum : *Et ideò dicitur communiter , quòd dare eleemoſynam de ſuperfluo cadit in præcepto* : & deindè adjungit præceptum de extrema neceſsitate. Id ipſum indicant ſatis expreſsè verba illa Chriſti Domini : *Quod ſupereſt , date eleemoſynam* , quæ ſine ullo rationabili fundamento ad neceſsitatem extremam vel quaſi extremam determinantur. Nec aliter charitati fiet ſatis , qua tenemur dùm commodè poſſumus proximorum neceſsitatibus ſuccurrere , nihil autem incommoditatis aut damni eveniet nobis, ſi ſuperflua ſtatûs in ſubſidium vertamus pauperum : aliàs cum S. Joanne iterari poſſet : *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi , & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere , & claus erit viſcera ſua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo ?* Sed de his videantur Theologi moralia tractantes.

Eleemoſyna de ſuperfluis ſtatui, in gravi neceſsitate elargienda.

In loco Sentent. quæſtiunc. 4.

1. Joann. 3. v. 17.

29 Reſtat tamen exponere , quænam bona jurè dicantur ſuperflua vitæ & ſtatui , quia indè attendi debet obligatio ſtabi-

biliti præcepti. Et quantùm ad primum in-
dicavimus jam, ſuperfluum naturæ ſeu vi-
tæ dicitur, quod ſupereſt mediis ad ſuam,
& ſibi commiſſorum vitam neceſſariis: ſicut
ſuperfluum ſtatui dicitur, quod ſupereſt
mediis neceſſariis ad conſervandam ſtatûs
decentiam, prout n.24. præcedenti ſignifica-
vimus. Addunt etiam laudati PP. Salman-
ticenſes, dicenda eſſe ſuperflua ſtatui, bona
quæ quis reſervat ad altiorem ſtatum fu
turum, quem procurare poteſt: & multò
magis ſuperflua dici debent bona illa, quæ
magis ad luxum, vanamque oſtentationem
ultra proprii ſtatûs decentiam expenduntur.
Indè Div. Thom. ,, Præceptum eleemoſynæ
Q.34.a.5.ad 2 ,, inſtare dicit ex parte dantis, cùm habet ſu-
,, perflua, quæ ſecundùm ſtatum præſentem
,, non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter
Superflua ſtatui. ,, æſtimari poteſt. Nec oportet, quòd conſi-
,, deret omnes caſus, qui poſſunt contingere
,, in futurum: hoc enim eſſet de craſtino co-
,, gitare, quod Dominus prohibet Matth. *6.*
,, ſed debent dijudicari ſuperfluum, & neceſ-
,, ſarium ſecundùm ea, quæ probabiliter,
,, & ut in pluribus occurrunt. Angelico Do-
ctori præluxerat jam Auguſtinus inquiens:
S.Auguſt.Enarrat. in Pſalm. 147. * Nos conſolatur Scriptura, quę hortatur
* ad miſericordiam faciendam, ut omninò
* crebreſcamus in erogando, quod amplius
* habemus. Multa autem ſuperflua habe-
* mus, ſi non niſi neceſſaria teneamus:
* nam ſi inania quæramus, nihil ſufficit.
* Fratres, quærite quod ſufficit operi Dei,
* non quod ſufficit cupiditati veſtræ. Cu-
Plura eſſét ſuperflua: ſi tolleretur ſuperfluus luxus. * piditas veſtra non eſt opuş Dei. Forma
* veſtra, corpus veſtrum, anima veſtra, hoc
* totum opus Dei. Quære, quæ ſufficiant,
* & videbis quàm pauca ſint:. Videte, quia
* non ſolùm pauca ſunt, quæ votis ſuffi-
* ciant; ſed nec ipſe Deus multa à vobis
* quærit. Quære quantùm tibi dederit, &
* ex eo tolle quod ſufficit, cętera quæ
* ſuperflua jacent, aliorum ſunt neceſſaria.
* Superflua divitum neceſſaria ſunt paupe-
* rum. Res alienæ poſsidentur, cùm ſuper-
* flua poſsidentur.

30 Deindè Sanctus Gregorius Niſſenus
S.Greg. Niſſen. orat.1. de Pauperibus amandis. adversùs chriſtianæ moderationis exuperan-
tes ſumptûs ſic acritèr invehitur: * Uſui vi-
* tæ modum imponite, nec omnia veſtra
* exiſtimate, ſit pars etiam pauperum &
* amicorum Dei. Illius enim verè ſunt om-
* nia, quem habemus patrem, nos autem
* fratres ſumus. Quapropter ut genere con-
* junctos ac fratres meliùs quidèm & ju-
* ſtiùs erat, æquis partibus cernere hæredi-
* tatem. Verùm quando id factum non eſt,
* ſed unus aut alter plus intervertit, reli-
* qui partem unam ſaltem accipiant. Quòd
* ſi quis omnium prorſùs eſſet dominus, &
* univerſam vult hæreditatem avertere, &
* ſexta, aut quinta parte fratres excludere,
* ille frater non eſt, ſed acerbus tyrannus,
* immitis, barbarus, imò verò inexplebilis
* fera, quæ hianti ore ſola ſuaves devoret
* dapes, vel potiùs ipſis etiam feris ſævior
* & agreſtior. Siquidèm & lupus ad devo-
* randum prædam lupum ſibi ſociùm ad-
* jungit, & canes multi nonnunquam ſimul
* idem dilaniant corpus. At iſte divitiarum
* ſuarum nullum ejuſdem generis hominem
* participem facit. Moderata menſa ſuffi-
* cit tibi. Ne te in illud luxuriæ pelagus
* dimittas, ut convivia omni genere cibo-
* rum inſtructa velis:: Utere igitur, ne a-
* butaris. Sic enim Paulus etiam edocuit:
* *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non*
* *utantur*. Et infrà: Quí mollitèr & deli-
* catè vivere inſtituerunt, neceſſariò ad ex-
* cogitandos magnificorum apparatus alli-
* ciuntur. In his conſtruendis & exornan-
* dis maxima vis pecuniarum profunditur.
* Ad hæc cętus hominum libenter convo-
* cant & invitant, ſplendidam & variam
* ſupellectilem ſtudiosè comparant, innu-
* merabilia poculorum genera, ſcurras, mi-
* mos, cythariſtas, cantores, cantatrices,
* ſaltatores, ſaltatrices, totum denique pe-
* tulantię ludum. Atque dùm hæc intùs ge-
* runtur, aſsident ad veſtibuli fores innu-
* merabiles Lazari, partim gravibus ulce-
* ribus pleni, partim oculis orbati, partim
* pedibus mutili. Conclamant, nec tamen
* exaudiuntur. Si Deus hæc aſpicit, ut pro-
* fectò aſpicit, quam vitæ commutatio-
* nem, quem exitum fore cogitatis, ò pau-
* perum inimici! An neſcitis horum causâ
* in ſacro Evangelio poni, & commemo-
* rari exempla omnia horrenda & terribi-
* lia? Nonne graves illius cruciatus & ge-
* mitus recenſentur, qui in abyſſo fuerat
* enutritus? An non in malorum abyſſo
* deſcribitur, coerceri? Quid huic alter ſi-
* milis, nonne cùm veſpere de matutinis
* deliciis cogitaret, tàm inexpectata & re-
* pentina damnatus eſt morte, ut ne orien-
* tis quidèm Solis radium potuerit intueri?
* Proindè cùm mortales ſimus, fidem ne
* abjiciamus, nevè fruamur voluptatibus
* ut immortales.

31 Adversùs divites illos, quibus nihil
ſuperfluum videtur, cùm in luxum ac vo-
luptatem profundant quidquid præter ne-
ceſſaria naturæ ac ſtatui ſupereſt, terribilis
maledictio exarata eſt: *Væ qui opulenti eſtis*
Sion, & conſiditis in monte Samariæ: opti- *Amos 6. à v.1. & ſequent.*
mates capita populorum ingredientes pompa-
ticè domum Iſrael.:: Qui dormitis in lectis
eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris: qui
comeditis agnum de grege, & vitulos de me-
dio armenti: qui canitis ad vocem pſalterii::
Bibentes vinum in phialis, & optimo un-
guento delibuti, & nihil patiebantur ſuper Vę divitibus, ſuperfluè, & vanè ſuperflua expendentibus
contritione Joſeph. Id eſt, calamitati & ino-
piæ fratris nullatenùs compatiebantur, nec
illi ſuccurrebant. Utinam maledictionem
iſtam effugere ſatagant plures ſæculi divi-
tes, qui non ad decentiam chriſtianam ſta-
tûs ingentes profundunt ſummas, ſed vel
aliorum æmulatione, quibus longè in bo-
nis fortunæ impares ſunt; vel vana oſten-
tatione cum creditorum non parvo detri-
mento: vel ut ventri indulgeant, aut ſen-
ſuum blandimenta capiant copiosè: ſivè ut
ad

ad ſtatum ſublimiorèm pèr fas, vel nefas
aſcendant. Si enim juxta humanæ pru-
dentiæ & mundi in maligno poſiti recenſi-
tas diſtortas regulas ſuperfluum naturæ &
ſtatûs dimentiendum eſſet, verè ſcripſiſſet
P. Vazquez apud laudatos Salmanticenſes:
Vix in ſæcularibus, etiam Regibus, invenies
ſuperfluum ſtatui: Cùm tamen meritò reji-
ciatur à Theologis in hoc aſſerto. Vera
quoque eſſet propoſitio illa: *Superfluum non*
eſt, quod homines ſervant pro ſtatûs ſui
vel parentum qualitate habita vel adipiſ-
cenda; ideòque vix poterunt inter ſæculares
inveniri, qui ſuperfluum habeant; ab Aca-
demia Lovanienſi & ſacra Facultate Pari-
ſienſi damnata anno 1657. Tandem vera
eſſet propoſitio illa ordine 12. quam Inno-
centius XI. ut minimum tanquàm ſcandalo-
ſam & in praxi pernicioſam damnavit: *Vix*
in ſæcularibus invenies etiam in Regibus,
ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tene-
tur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum
ex ſuperfluo ſtatui.

32 O utinam divites ſęculi & Cleri præſ-
criptas ex S.Scriptura, & PP. regulas attende-
Regulæ ad dimetiendũ ſuperfluum naturæ & ſtatus. rent? Utinam Auguſtinum audirent admo-
nentem: *Defert tibi Deus honorem, & qua-*
ſi dicit tibi, prior de communi tolle, quod
ſufficit neceſſitatibus domus tuæ (non di-
S.Auguſt. Hom. 18. inter 50. cit, deliciis, hiſtrionum ſuſtentationibus,
vanis ſupellectilibus, equorum & canum
abundantię, quadrigarum vanis oſtentatio-
nibus, Palatiorum, ut ſimilitudo templi
circumornatorum, ſtructuris, oſtentoſis ve-
ſtibus ad humanum, vel potius mundanum
morem, & ſuperbum fauſtum, exquiſitis
curis & ſumptibus comparatis, aliiſque ſi-
milibus humanis inventionibus, in quibus
aurum proprium & alienum quam ſæpe,
Tract. 50. in Joan. profunditur.) *Quod reliquum eſt, da Chri-*
ſto. Tibi enim (alibi ajebat) ſuperflua ſunt,
ſed Domini pedibus (id eſt pauperibus) *ne-*
ceſſaria ſunt. Aliàs poſſent cum Bernar-
S. Bernardus Ep. 41. do pauperes clamare: *Noſtrum eſt quod ef-*
funditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod
inaniter expenditis. Attendant igitur divi-
tes quicunque ſint: quia ad omnes loquitur
S. Auguſt. ſerm. 61. de verbis D. cap.7. Auguſtinus: * Mendici Dei ſumus: ut ag-
* noſcat ille mendicos ſuos, agnoſcamus
* & nos noſtros. Sed & ibi etiam cogite-
* mus, Quando petitur à nobis, qui pe-
* tunt, à quibus petunt, quid petunt. Qui
* petunt? Homines. A quibus petunt? Ab
* hominibus. Qui petunt? Mortales. A qui-
* bus petunt? A mortalibus. Qui petunt?
* Fragiles. A quibus petunt? A fragilibus.
* Qui petunt? Miſeri. A quibus petunt?
* A miſeris. Excepta ſubſtantiâ facultatum,
* tales ſunt qui petunt, quales ſunt à
* quibus petunt. Quam frontem habes pe-
* tendo ad Dominum tuum, qui non ag-
Meditãda Auguſtini Sententia. * noſcis parem tuum? Non ſum, inquit, ta-
* lis, abſit à me, ut talis ſim. Inflatus
* obſericatus iſta loquitur de pannoſo, ſed
* ego nudos interrogo. Non interrogo in
* veſtibus, quales ſitis, ſed quales nati fue-
* ritis. Ambo nudi, ambo infirmi, miſe-
* ram vitam inchoantes, ideò ambo plo-
* rantes. Recole dives primordia tua, vi-
* de utrum huc aliquid attuleris. Jam ve-
* niſti, & tanta inveniſti. Dic quid attule-
* ris, aut ſi dicere erubeſcis, Apoſtolum
* audi: Nihil (inquit) intulimus in hunc
* mundum, ſed nec auferre aliquid poſſu-
* mus. Quid ergo ſequitur? Victum & te-
* gumentum habentes, his contenti ſimus.
* Nihil dives habet de divitiis ſuis, niſi
* quod ab illo poſtulat pauper, victum &
* tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex
* omnibus, quę habes? Accepiſti victum, acce-
* piſti neceſſarium tegumentum. Neceſſarium
* dico, non inane, non ſuperfluum. Quid plus
* de divitiis tuis capis? Certè omnia tua
* ſuperflua erunt. Quæ ſunt tua ſuperflua,
* ſint pauperibus neceſſaria. Et infra: Non
* cogam (inquit) divites cibis pauperum
* vilibus, & inconditis veſci. Utantur di-
* vites conſuetudine infirmitatis ſuæ: ſed
* doleant aliter ſe non poſſe. Meliùs enim
* poſſent, ſi aliter poſſent. Si ergo non ex-
* tollitur pauper de mendicitate, tu quare
* extolleris de infirmitate? Conceditur ti-
* bi, utere ſuperfluis, da pauperibus ne-
* ceſſaria. Utere pretioſis, da pauperibus
* vilia. Expectat à te, expectas à Deo:
* Expectat ille manum, quæ facta eſt ſecum,
* expectas tu manum, quæ fecit te. Sed
* non ſolùm te fecit, ſed & pauperem te-
* cum. Dedit vobis unam viam iſtam vi-
* tam: Inveniſtis vos comites, unam viam
* ambulatis: Ille nihil portat, tu nimiùm
* oneratus es: Ille nihil ſecum portat, tu
* tecum plus portas quàm opus eſt. One-
* ratus es: Da illi de eo, quod habes; &
* illum paſcis, & onus minuis.

OBJECTA DISSOLUTA.

33 Contra eleemoſynæ promulgatum *D.Thom. 2.2. q.322. a.5.*
præceptum nihil, quod alicujus ſit momen-
ti, opponi poteſt: nam quod ſibi D. Tho-
mas obiicit ex verbis Danielis ad Nabuco-
donoſorem: ,, *Conſilium meum placeat ti-* *Daniel 4.v.24.*
,, *bi, & peccata tua eleemoſynis redime.*
,, Quibus eleemoſyna non in præcepto ſed
,, in conſilio ſignificari videtur. Deinde
,, quia ſi cadit eleemoſyna ſub præcepto,
,, non cadit niſi ſub pręcepto negativo, quia
,, Ambroſius dicit: *Paſce fame morientem:* *In 4. diſt.15.q.2.a.1.q.4.ad 4.*
,, *ſi non paviſti, occidiſti*: non occidere au-
,, tem eſt præceptum negativum, ſed non
,, cadit ſub præcepto negativo, alioquin ho-
,, mo teneretur ſemper eleemoſynam dare,
,, quia pręcepta negativa obligant ſemper,
,, & ad ſemper: ergo dare eleemoſynam
,, non cadit ſub aliquo præcepto. Reſpon-
det tamen S. Doctor: ,, Ad primum dicen-
,, dum, quòd Daniel loquebatur regi, qui
,, non erat legi Dei ſubjectus: & ideò ea
,, etiam, quæ pertinent ad præceptum le-
,, gis, quam non profitebatur, erant ei
,, proponenda per modum conſilii. Vel po-
,, teſt dici, quòd loquebatur in caſu illo,
,, in quo dare eleemoſynam non eſt in præ-
,, cepto. Ad ſecundum reſpondet D. Tho-
mas

,, mas: Dicendum, quòd ſicut dictum eſt, reducitur ad præceptum affirmativum, quod eſt: *Honora parentes*: ſed cùm omne præceptum affirmativum pro tempore, ad quod obligat, peccatum dimiſsionis inducat, omne autem peccatum ſub prohibitione cadat, præcepta autem affirmativa habent prohibitiones ſicut præcepta negativa annexa pro illo tempore, ad quòd obligant, ſicut etiam quælibet affirmatio habet negationem conjunctam, & ſecundùm quod illud peccatum omiſſionis poteſt eſſe cauſa, vel occaſio alterius peccati, ſecundùm hoc intelligitur quòd Ambroſius dicit: *Paſce, ſi non paveris occidiſti.*

Præceptum eleemoſynæ eſt affirmativum.

34 Præterea ſi quę ſunt objecta, non adverſus præceptum eleemoſynæ militant; ſed circa tempus aut perſonas, aliaſque circunſtantias. Unde in præſentiarum, obiicientes & diſsipandos memoramus dumtaxàt hæreticos illos, qui in lege Evangelica divitias ac rerum proprietatem Chriſtianis interdictas eſſe contendebant: uti fuere Julianus Apoſtata apud S. Gregorium Nazianzenum. Hæritici illi, qui Apoſtolici nominari volebant, referentibus Epiphanio & Auguſtino. Manichæi etiam apud Auguſtinum. Et tandem Pelagiani ab eodem Auguſtino relati. In ſui etenim favorem poſſunt adduci teſtimonia ſacra, quibus ex uno capite divitiæ appellantur mammona iniquitatis apud S. Lucam dicentem in perſona Chriſti D. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Mammonam* (inquit Hieronymus) *vocabulum eſſe ſyriacum, & in eo ſignificari divitias, quod ex iniquitate collectę ſint.* Et ex alio capite divitiarum uſus & retentio ſatis reprobatur, cùm divitibus pręcluſa videatur via ſalutis æternæ, affirmante Domino: *Quia dives difficilè intrabit in regnum Cœlorum.* Imò: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum.* Tandem ſi divitiarum poſſeſsio licita eſſet, cur Dominus ita conſtanter divitias renuntiandas proferret dicens: *Qui non renuntiat omnibus quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Unde adoleſcenti, qui omnia mandata ſervaverat, dictum fuit à Chriſto Domino: *Unum tibi deeſt: vade quęcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo: & veni, ſequere me.* Monitum Chriſti fideliter attendentes Chriſtiani in primitiva Eccleſia, ſolemne illis fuit poſſeſsiones vendere, pretiumque ante pedes Apoſtolorum ponere pro communi fidelium ſuſtentatione. Imò cùm Ananias venditi agri partem pretii reſervaſſet ſibi, graviter punitus fuit, quaſi fraudaverit de pretio agri.

Hęreſes de interdicta Chriſtianis rerum proprietate.

S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Julian.

S. Epiphan. hæreſi 61. & S. Auguſt. hæreſi 40. idem, lib. de morib. Eccleſiæ, c. ult.

Et in Epiſt. 89. ad Hilarium, & 106. ad Paulinum.

Lucæ 16. v. 9.

S. Hieron. Ep. ad Algaſiam.

Matthęi 19. v. 23. & 24.

Lucæ 14. v. 33.

Marci 10. v. 21

Act. 4. à v. 34.

Cap. 5. à v. 1.

35 Verumtamen hæretici prædicta teſtimonia objicientes, pro ſuo more confundunt, quæ ſeparanda ſunt, nempè præciſam divitiarum poſſeſsionem: cum abuſu, earum occaſione ex malitia hominum non ſemel ſequuto. Igitur divitiæ ab iniquitate nomen accipiunt, non quia juſtè non valeant poſsideri: ſed quia incitamenta ſolent eſſe ad iniquitates, ſivè ut loquitur Ambroſius: *Quia variis divitiarum illecebris noſtros avaritia tentat affectus, ut velimus ſervire divitiis.* Sivè ut exponit Auguſtinus: *Mammona iniquitatis divitiæ ſæculi ſunt omnes, undecunque ſint: Si enim veras divitias quæris, aliæ ſunt quibus Job nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat. Iſtæ enim ab iniquitate appellantur divitiæ, quia veræ non ſunt; paupertate enim plenæ ſunt, & ſemper obnoxiæ caſibus. Si enim veræ divitiæ eſſent, ſecuritatem tibi darent.* Et rursùs: *Vel divitiæ iniquitatis dicuntur; quia non ſunt iſtæ divitiæ niſi iniquis, & qui in eis conſtituunt ſpem atque copiam ſuę beatitudinis. A juſtis verò cùm hæc poſsidentur, eſt quidèm iſta pecunia, ſed non ſunt illis divitiæ niſi cęleſtes & ſpirituales.* Videas indè divitias iniquas appellari, quia ardentèr, ut in plurimum poſſeſſæ, in vitia plurima ſuos ruere faciunt poſſeſſores. Indè Apoſtolus ad Timotheum ſcribebat: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

S. Ambroſius apud D. Thom. in Catena Aur.

S. Auguſt. ibid.

Cur divitiæ ab iniquitate nomen accipiant

Ad Timoth. 6. à v. 9.

36 In his verbis Apoſtoli breviter complectuntur pericula imminentia divitibus, qui divitias quęrunt, illiſque alliciuntur, pręſertìm affirmante Div. Thoma: *Difficile & quaſi impoſsibile eſſe, quod aliquis poſſideat divitias, quin eis alliciatur*: Audiatur tamen verba Apoſtoli ita exponens: ,, Inquit enim (quibuſdam verbis omiſsis) *Quia qui volunt divites fieri*, (non ad neceſsitatem, ſed ad abundantiam divitiarum) *incidunt*, &c. Eccleſiaſt. 10. *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.* Et ponit duo; ſcilicèt tentationes, & laqueum: Quia primò tentant, inquantum divitiæ alliciunt & inducunt ad aliqua peccata:: *Et laqueo* involvunt; quia divitiæ ſunt non habentibus ad tentationem, habentibus in laqueum: quia non libenter reddunt eas, quas auferunt:: Ex parte interiori ponit tria mala: Primò quòd *incidunt in deſideria multa*: Perfectio enim hominis eſt, quòd cor ejus congregetur in unum; quia quantò aliquid eſt magis unum, tantò eſt Deo ſimiliùs, qui verè unus eſt: Pſal. 26. *Unam petii à Domino*, &c. Sed contra hoc patitur, quærens divitias, quia cor ejus trahitur ad diverſa. Oſee 10. *Diviſum eſt cor eorum nunc interibunt.* Et hoc ideò, quia *ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum*, &c. Matthæi 6. Item ſunt *inutilia* hujuſmodi deſideria. Primò quia *inutilia* ſunt ſpiritualitèr, quia divitiæ non ducunt ad beatitudinem. Sapientiæ 5. *Quid nobis profuit ſuperbia? Aut quid divitiarum*

D. Thom. in cap. 19. Matthęi. Lec. 2. in locum Pauli.

Mala ex divitiis occaſionari ſolita.

rum jactantia contulit nobis? &c. Eccleſ. 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis*: Item temporaliter; quia non dant quod promittunt: Eccleſiaſtæ 6. *Eſt alìud malum, quod vidi ſub Sole, & quidem frequens apud homines; vir cui dedit Deus divitias & ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat; nec tribuit ei poteſtatem Deus ut comedat ex eo, ſed extraneus homo devorabit illud*, &c. Tertiò ſunt *nociva*: Eccleſ. 5. *Divitiæ conſervatę in malum domini ſui.* Et oſtendit quomodo ſunt nocivę; quia *mergunt in interitum*: Scilicet in præſenti: Nam propter divitias multi perierunt. Item in futuro: Unde dicit: *Et perditionem*: Actuum 7. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*: Vel utrunque refertur ad ſpirituale damnum. Qualiter autem cupiditas ſit radix omnium malorum ut loquitur ibidem Apoſtolus, oſtendit D. Thomas ex ipſa natura cupiditatis, ſeu inordinati amoris pecuniarum, deinde ex ipſa experientia, quam indicat etiam Paulus: *Quam quidam appetentes*, &c. ,, Cujus ratio eſt (inquit D. Thomas) ,, quia per ſanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, à quibus deſiſtere nolunt; & inveniunt ſibi aliam doctrinam, ubi eis ſit ſpes ſalutis: Et hoc ſpecialiter faciunt uſurarii: ſecundò, quia *inſeruerunt ſe doloribus multis*, etiam in præſenti; quia eſt ſolicitudo in acquirendo, timor in poſsidendo, dolor in amittendo:: Et multò magis in futuro dolebunt.

37 Deinde cùm ex ſecundo capite objecto illicitam oſtendere geſtiunt hæretici poſſeſsionem & uſum divitiarum, ab ipſo recedunt ſenſu verborum Chriſti D. qui non divitias præciſè, non uſum damnat, ſed affectum inordinatum, & pravum uſum. *Quod quidem dixit* (ſcilicet Chriſtus D. in teſtimoniis adductis) *non pecuniis quidem detrahens, ſed eis, qui detinentur ab ipſis*, inquit Chryſoſtom. Igitur propoſito argumento ſub diſtinctione occuramus: via ſalutis difficilis, imò & ferè impoſſibilis proponitur divitibus ultra ſobrietatem divitiis inhiantibus, in ipſiſque confidentibus, fatemur utique: at non ita, ſi divitiæ poſsideantur, ſed non amentur. In hoc ſiquidem eventu, licèt obſtaculo ſint quodammodo, Deo tamen adjuvante ad bonum deſervire contingit aliquando. Subjectam ſolutionem Jeſuſ-Chriſtus ipſe dignatus fuit prælibare, ut obſtupeſcentes diſcipulos in caſu argumenti quietaret: *Diſcipuli autem* (habetur apud S. Marcum) *obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens, ait illis: Filioli, quàm difficile eſt, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire: Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſalvus fieri! Et intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum. Omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.* Datam ſolutionem ad verba Matthęi tradit Div. Thomas ita exponens: ,, *Quia difficile eſt*, non dicit impoſsibile. Et dicit *dives*, non qui habet divitias: quia quidam habent & non amant eas: quidam autem habent, & amant, & confidunt in eis. Hi qui habent & non amant, poſſunt ingredi in Regnum Cœlorum. Si namque hoc non eſſet, non diceret Paulus divitibus hujus ſæculi *non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum ſuarum.* Sed qui habent & amant difficile eſt intrare in Regnum Cœlorum: quia ut ſupra dictum eſt: *Solicitudo ſæculi hujus & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Et in Proverbiis: *Qui autem feſtinat ditari, non erit innocens*:: *Facilius eſt camelum*, &c. Supra dixerat Dominus, quòd divitem erat difficile intrare in Regnum Cœlorum, hic quod impoſſibile: ſicut impoſsibile eſt quòd camelus per foramen acus tranſeat. Unde accipite: divitem, qui habet divitias & non amat, difficile eſt: illum autem qui amat, & in eis confidit, impoſsibile eſt intrare in Regnum Cœlorum. Quòd enim camelus non poſsit intrare per foramen acus; hoc eſt ex natura. Quòd autem dives, qui amat divitias non poſsit intrare in Regnum Cœlorũ; hoc eſt ex divina juſtitia: ſed prius poſſent omnia ſubverti, quàm divina Juſtitia immutari. Alii ſicut Hieronymus docent, quod non deſignatur impoſsibilitas, ſed difficultas. Ait namque: Quid verò divitiæ habitæ difficilè contemnuntur, non dixit, quòd *impoſſibile eſt divitem intrare in Regnum Cœlorum; ſed difficile*: Ubi *difficile* ponitur, non impoſsibilitas prętenditur, ſed raritas demonſtratur.

S. Chryſoſtom. Homil. 64. apud D. Thom. in Catena.

Matth. 10.

Marci 10. v. 24

Qui habent, & amant divitias, difficilè ſalvantur.

D. Thom. in c. 19. Matthæi.

1. ad Timoth. 6. v. 17.

Matth. 13. v. 22.

Prov. 28. v. 20.

Sed præcipuè ſi confidunt in divitiis.

S. Hieron. in Cat. Aur.

38 Subjectæ expoſitioni præluxerunt PP. in Catena aurea adducti: *Inter pecunias habere, & pecunias amare* (inquit Rabbanus) *nonnulla diſtantia eſt: Tutius autem eſt, nec habere, nec amare divitias.* * Undè Dominus (ſubjungit Remigius) in Marco exponens hujus loci ſenſum, dixit Marc. 10. Difficile eſt confidentibus in divitiis intrare in Regnum Cœlorum: Illi enim in divitiis confidunt, qui omnem ſuam ſpem in divitiis collocant. Similia habet Venerabilis Beda inquiens: * Sed quia inter pecunias habere & amare, multa diſtantia eſt; undè & Salomon (Eccl. 5. v. 9.) non ait, qui habet, ſed qui amat divitias, fructum non capit ex eis; ideò Dominus obſtupeſcentibus diſcipulis verba præmiſſæ ſententiæ exponit: Unde ſequitur: At Jeſus rurſus reſpondens, ait illis: Filioli, quàm difficile eſt confidentes in pecuniis regnum Dei introire: Ubi notandum eſt, quòd non ait, quàm impoſsibile eſt! ſed quàm difficile eſt! Quod enim impoſsibile eſt, omninò fieri non poteſt; quod difficile, cum

Angelico Doctori Apoſtolum exponenti, pręluxerunt SS.PP.

S. Remigius.

V. Beda.

S. Chryſoſt.

* laborare poteſt. Poſsibile inquàm eſt
Dei aſpirante gratia. Undè Chryſoſtomus:
* Ideo autem hoc opus Dei eſſe dixit, ut
* oſtenderet, quòd multâ opus eſt illi gra-
* tiâ, qui ad hoc à Deo dirigitur. Unde
* monſtratur quòd non parva merces eſt di-
* vitibus volentibus Chriſti Philoſophiam
* ſequi. Qualiter autem divites ſalvari poſ-

Gloſſa.

ſint in ipſis verbis Chriſti Domini ad ſen-
ſum moralem intellectis ſignificavit Gloſſa
quædam apud D. Thomam: * Aliter di-
* citur: Quia Jeroſolymis quædam porta
* erat, quæ foramen acûs dicebatur, per
* quam camelus (niſi depoſito onere, &
* flexis genibus) tranſire non poterat, per

Moralis expoſitio Verborũ Chriſti D.

* quod ſignificatur divites non poſſe tran-
* ſire viam arctam, quæ ducit ad vitam,
* niſi ſordibus peccatorum & divitiis de-
* poſitis, ſaltem non amando. Huic Gloſ-

S. Hieronymus omnes apud D. Thom. in Cat. Aur. Matth. 19. & Marc. 10.

* ſæ conſonat Hieronymus, qui dùm ex
* verbis Chriſti quaſi opponat: Secundùm
* hoc nullus dives ſalvus erit, ita occurrit:
* Sed ſi legamus Iſaiam, (cap. 30.) quomo-
* do cameli Madiam, & Epha veniant ad
* Jeroſolymam cum donis atque muneri-
* bus, & qui quondàm curvi erant, & vi-
* tiorum gravitate diſtorti, ingrediantur
* portas Jeruſalem, videbimus quomodo
* & iſti cameli, quibus divites comparan-
* tur, cùm depoſuerint gravem ſarcinam
* peccatorum, & totius corporis pravita-
* tem, intrare poſſunt per anguſtam & ar-
* ctam viam, quæ ducit ad vitam. Prælu-

1. ad Timoth. 6.

xerat etiam Apoſtolus Timotheum admo-
nens, divitibus præcipere inter alia, ut faci-
le tribuant, eleemoſynas nempe, ſine gra-

D. Thom. ibid. lect. 4.

vitate cordis & tarditate ut exponit Di-
vus Thomas.

39 Inde jam apparet motivum cur Chri-
ſtus Dominus, viam perfectionis arripien-
tibus renunciandas conſuluerit divitias, non
quia per ſe illicitas, ſed veluti viam per-
fectionis difficilem reddentes. „ Salubriter

D. Thom. Opuſc. 18. de Perfectione vitæ ſpiritualis, cap. 7.

„ ergo (infert D. Thomas) conſuluit Do-
„ minus tanquam utiliùs, ut divitiæ relin-
„ querentur: : poteſt enim contingere, quòd
„ aliquis divitias poſsidens, perfectionem

Divitiæ, perfectionis viam difficilem reddunt.

„ habeat, charitate perfecta Deo inhærens,
„ & hoc modo Abraham divitias poſsidens,
„ perfectus fuit, non quidem habens ani-
„ mum divitiis irretitum, ſed totaliter Deo
„ conjunctum: : Si quis verò ex hoc ar-
„ guere velit, inutile eſſe conſilium Domi-
„ ni de divitiis dimittendis, quia Abraham
„ divitias poſsidens, fuit perfectus: ad hoc
„ patet jam reſponſio ex prædictis. Non
„ enim Dominus ea ratione hoc dedit con-
„ ſilium: quaſi divites perfecti eſſe non poſ-
„ ſint, aut intrare in Regnum Cœlorum:
„ Sed quia non de facili poſſunt. Magna
„ ergò fuit virtus Abrahæ: quia etiam di-
„ vitias poſsidens, à divitiis liberum ani-
„ mum habuit: ſicut & magna virtus fuit
„ Sampſon, qui abſque armis cum ſola man-
„ dibula aſinæ multos hoſtes proſtravit. Nec
„ tamen conſilium inutiliter datur militi,
„ ut ad bellum accedens aſſumat arma ad
„ hoſtes vincendos, nec ergo inutiliter da-
„ tur conſilium perfectionem deſiderantibus,
„ ut dimittant divitias, quia in divitiis
„ Abraham potuit eſſe perfectus. Facta enim
„ mirabilia non ſunt ad conſequentiam tra-
„ henda, quia infirmi ea magis mirari &
„ laudare poſſunt quàm imitari: undè &
„ in Eccleſiaſtico dicitur cap. 31. *Beatus*
„ *dives qui inventus eſt ſine macula, &*
„ *qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit*
„ *in pecunia & theſauris.* Magnæ virtutis
„ dives eſſe oſtenditur, & perfecta chari-
„ tate fixus in Deo, qui ex affectu divi-
„ tiarum maculam peccati non contrahit,
„ qui *poſt aurum* concupiſcendo non vadit,
„ nec de divitiis confidendo, per ſuperbiam
„ ſuper alios ſe extollit: undè Apoſtolus 1.
„ ad Timoth. ult. cap. dicit: *Divitibus hu-*
„ *jus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, nec*
„ *ſperare in incerto divitiarum.* Sed quan-
„ tò divitis taliter inſtituti major eſt bea-
„ titudo & virtus, tantò talium divitum
„ minor eſt numerus: undè ſequitur: *Quis*
„ *eſt hic & laudabimus eum? Fecit enim*

Mirabile & rarum, divitiis affluere, & eis cor non apponere.

„ *mirabilia in vita ſua.* Verè enim mira-
„ bilia facit, qui in divitiis vivens, divi-
„ tiis affluentibus cor non apponit. Et ſi
„ quis talis eſt abſque dubio probatur per-
„ fectus: undè ſequitur. *Qui probatus eſt*
„ *in illo*, id eſt, in hoc quòd abſque ma-
„ cula divitias habeat, & perfectus inven-
„ tus eſt: quaſi dicat: *Rarus.* Et hoc *erit*
illi in gloriam æternam.

40 Conformiter ad ſubjectam hucuſque
doctrinam loquutus fuit Chriſtus Dominus
adoleſcenti, ut habetur apud S. Marcum;
non inquàm pro vita æterna præcisè con-
ſequenda, ſed pro perfectione Evangelica
adipiſcenda. Sic enim expreſsiùs habetur
apud S. Matthæum, ubi poſtquam Chriſtus

Matthæi. 19. v. 16.

Dominus interroganti, *quid boni faciam,*
ut habeam vitam æternam, repoſuit ſtatim:
Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva man-
data. Deindè ſubjunxit Jeſus: *Si vis*
perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ
habes & da pauperibus. Quod autem in

Ananias ob fraudem punitus.

objectione ſubjungitur de Anania, ni-
hil ad rem facit: quia non ille fuit puni-
tus niſi propter fraudulentum mendacium.
Quinimò ſatis indicatur in eodem loco, li-
citè Ananiam potuiſſe agrum vel pretium
abſolutè retinere. Et certè ſi bonorum tem-
poralium & divitiarum abſoluta poſſeſsio
illicita eſſet atque peccaminoſa, qualiter
Deus obſervantibus antiquam legem tem-
poralium bonorum abundantiam promiſiſſet,
ut jam aliquando adnotavimus circa anti-

Divitiæ in bonum pluribus obvenere.

quæ & novæ legis diſcrimina Diſſert. 3. præ-
cedenti num. 148. An non multi fuere Juſti
divitiis opulenti, non ſolum inter antiquos
Patriarchas, quorum exempla ponit S. Chry-

S. Chryſoſt. Homil. 12. in 1. Epiſt. ad ad Timoth.

ſoſtomus: ſed etiam in novo Teſtamento,
prout in Hiſtoria Eccleſiaſtica obvium eſt?
Meritò igitur S. Hilarius ajebat: *Habere*

S. Hilarius apud D. Thom. in Cat. Aur.

divitias crimen non eſt, ſed modus in haben-
do retinendus eſt: Nam quomodo communi-
candum eſt neceſsitatibus Sanctorum, ſi com-

mu-

municandi materia non relinquitur? Simi-

Theophylact. ibidem.

lia habet Theophylactus: *Non hoc dicit,*
quòd divitiæ malæ ſint, ſed habentes ipſas
ut cuſtodiant: Decet enim non ipſas habe-
re, id eſt, retinere & cuſtodire, ſed eis in
neceſſariis uti, & in ſervitio hominis eſſe.

Rom. 12. v. 13.

Et hoc conformiter ad illud Apoſtoli: *Ne-*
ceſsitatibus Sanctorum communicantes, qui-

D. Thom. ibid. lect. 2. ad finem.

bus verbis hortatur Apoſtolus ad eleemoſy-
nas faciendas, ut ibidèm exponit Divus
Thomas.

41 Omittimus obiicere teſtimonia qui-
bus SS. PP. Auguſtinus præſertim & Chry-
ſoſtomus, communitatem bonorum extol-
lunt, maximè prout in primitiva Eccleſia:
Sicut quòd communitas illa ſit de jure na-
turæ. His enim benè occurrit Cardinalis Bel-

Bellarm. de bon. oper. lib. 3. c. 11.

larminus ad primum reſpondens: * Sæpè
accidere, ut unum ex ſe præſtet aliis, &
tamen ratione alicujus circunſtantiæ eligi
non debeat. Exempli cauſa, dare operam
litteris per ſe melius eſt, quàm artem ali-
quam mechanicam exercere; tamen non pauci
ſunt, quibus vel ob ingentem inopiam, vel
ob ingenii tarditatem magis expediat artem
ſutoriam, quàm bonas litteras diſcere. Sic
igitur communio rerum externarum per ſe
melior eſt, quàm diviſio :] & tamen ob cor-

Communitas rerum per ſe melior, non omnibus congruit in naturæ lapſæ ſtatu.

ruptionem generis humani pernicioſa eſſet,
ſi omnibus hominibus imponeretur. Nam ſi
homines paucis indigerent, ut animantia
cætera, vel terra ubique ſpontè produce-
ret omnia neceſſaria, vel nulli eſſent cupi-
di, nulli avari, nulli pigri ac deſides, op-
tima eſſet vita communis, qualis erat in ſta-
tu innocentiæ: ſed quoniam nunc propter
peccatum originis omnia ſunt contraria, non
expedit vitæ communio, niſi paucis illis,
qui ſeriò animum abſtrahunt à rebus tem-
poralibus, & paucis contenti Deo ſoli ſer-
vire ſtudent, quales ſunt Cœnobitæ, quos
Auguſtinus & Chryſoſtomus laudant. * Ad
ſecundum ita habet: * Reſpondeo, jure
naturæ ſunt omnia communia, ſed aliter
quoad uſum neceſſarium, aliter quoad do-
minium & proprietatem. Nam quoad uſum
neceſſarium, ſunt omnia communia poſiti-
vè; ita ut per nullum aliud jus poſsit qui-
cunque homo prohiberi, quominùs vivat
de rebus à Deo creatis. Atque hinc eſt, quòd
in articulo neceſsitatis non dicitur, neque
eſt fur, qui ex quocunque loco accipit, un-
dè vivat. At quoad proprietatem & domi-
nium jure naturæ ſunt omnia communia ne-
gativè, id eſt, non ſunt diviſa jure naturæ;
ſed tamen permiſſum eſt, ut dividerentur,
ſi id ipſi generi humano videretur expediens.
Quemadmodum cùm paterfamilias moritur,
& filios in communi relinquit hæredes: hæ-
reditas quidèm eſt eis ex Teſtamento com-
munis, ſed negativè, non poſitivè, & ideò
nihil prohibet, quominùs eam inter ſe di-
vidant, & una pars unius, altera alterius
efficiatur propria. Itaque diviſio rerum ju-
re gentium introducta, juri naturæ nullo
modo repugnat. *

42 Tandem obiici poteſt adverſus ter-
tiam aſſertionem pro ſecunda parte: quia
ſi in communibus pauperum neceſsitatibus
eleemoſyna foret elargienda, mendicis quo-
que ſubveniendum eſſet; ſed non ita vide-
tur verum: quia alias licitum eſſet mendi-
care. Ettamen mendicitas prohibita appa-
ret in veteri Teſtamento, verbis illis: *Om-*
ninò indigens & mendicus non erit inter vos.

Deuteron. 15. v. 4.

In lege etiam civili pœna ſtatuitur contra
validos mendicantes, lib. 11. titulo 25. *Co-*
dice de validis mendicantibus. Hoc male

Mendicitas ex ſe, non fuit in antiqua lege nec in jure civili prohibita.

confarcinato argumento uſi fuerunt Ordi-
num Mendicantium hoſtes ſuo loco debel-
landi. Sed quantùm ad præſens pertinere
poteſt, ſatis erit cum Div. Thoma pronun-

D. Thom. 2. 2. q. 187. art. 5., ad 3.

tiare, in adductis verbis non eſſe prohibi-
tum mendicare ex terminis: quin potius
prohibetur divitibus, ne tam tenaces ſint,
ut propter hoc aliqui egeſtate mendicare co-
gantur. In lege autem civili (ſubjungit S.
Doctor) imponitur pœna contra validos
mendicantes, qui non propter utilitatem,
vel neceſsitatem mendicant. Itaque ex cu-
piditate mendicare, vel abſque omni uti-
litate, imò ad otium fovendum reprobat
D. Thomas laudatus ex Apoſtolo, Augu-
ſtino, & Gloſsis adductis. Undè hujus ge-

Solut. ad 1. & 2.

neris mendicis non convenit eleemoſynas
elargiri, ne videamur eorum cupiditatem
& torpens otium fovere. Sicut per oppo-

Lect. 1. in c. 8. 2. ad Corinth.

ſitum ex Apoſtolo monet D. Thomas: Quòd
non ſunt recipiendæ à peccatoribus eleemo-
ſynæ, quando dant ea intentione ut fo-

Eleemoſynæ ad malum trahentes, non ſunt recipiẽdæ.

veantur in peccatis. Hanc doctrinam ma-
ximè velim attendere incautas virgines, &
conjugatas paupertate preſſas; ne quando-
que ſub prætextu reccipiendæ eleemoſynæ,
ad impudicitiam trahantur. Veruntamen

Mendicitas exemplo Chriſti commendata.

quis reprobet abſolute mendicitatem, poſt-
quam in perſona Chriſti D. legitur in Pſalm.
Ego autem mendicus ſum & pauper: quia
ut habet Gloſſa: *Hoc dixit Chriſtus de ſe,*
ex forma ſervi. Et rurſus: *Ego egenus &*

Pſal. 39. v. 18.

pauper ſum, ubi Gloſſa ejuſdem: *Egenus,*

Gloſſa Caſiodori.

id eſt petens, & pauper, id eſt inſufficiens
mihi, quia mundanas copias non habeo. Ut

Pſalm. 69. v. 6. apud D. Thom. in argum. ſed contr.

jam non miremur piam & non minus veram
exiſtimationem illorum, qui affirmarunt,
Chriſtum D. in triduo ſuæ abſentiæ à Pa-
rentibus reipſa mendicaſſe: ſicut in aliis
occaſionibus, ut tradit in Commentario Ca-
jetanus ex adductis Gloſsis, & Hieronymo
ibidem dicente: *Cave ne Domino tuo men-*
dicante, alienas divitias congeras.

43 Audiatur tamen D. Thomas totum

In corp. art. cit.

elucidans, ea qua ſolet prudenti perſpicui-
tate: „ Dicendum, quòd circa mendicatio-
„ nem duo poſſunt conſiderari. Unum qui-
„ dèm ex parte ipſius actus mendicationis,
„ qui habet ſibi quandam abjectionem con-
„ junctam. Illi enim videntur abjectiſsimi
„ inter homines eſſe, qui non ſolùm ſunt
„ pauperes, ſed intantùm ſunt egentes,
„ quòd neceſſe habent ab aliis victum ac-
„ cipere. Et ſecundùm hoc cauſâ humilita-
„ tis aliqui laudabiliter mendicant, ſicut
„ & alia aſſumunt, quæ ad abjectionem

Mendicatio, tanquam ſuperbiæ everſiva, laudabiliter à ſanctis aſſumpta.

„ quandam pertinent, quaſi efficaciſsimam medicinam contra ſuperbiam, quam vel in ſe ipſis, vel etiam in aliis per exemplum extinguere volunt. Sicut enim infirmitas, quæ eſt ex ſuperexceſſu caloris, efficaciſsimè ſanatur per ea, quæ in frigiditate excedunt: ita etiam pronitas ad ſuperbiam efficaciſsimè curatur per ea, quæ multùm abjecta videntur. Et ideò dicitur in Decretis: *Exercitia humilitatis ſunt, ſi quis ſe vilioribus officiis ſubdat, & miniſteriis indignioribus tradat: ita namque arrogantiæ, & humanæ gloriæ vitium curari poterit.* Undè Hieronymus in epiſt. ad Oceanum, commendat Fabiolam de hoc, quod optabat, *ut ſuis divitiis pariter effuſis pro Chriſto, ſtipem acciperet.* Quod etiam Beatus Alexius perfecit, qui omnibus ſuis propter Chriſtum dimiſsis, gaudebat, ſe etiam à ſervis ſuis eleemoſynas accepiſſe. Et de Beato Arſenio legitur in Vitis Patrum, quod gratias egit de hoc, quod neceſsitate cogente, oportuit eum eleemoſynam petere. Unde & in pœnitentiam pro gravibus culpis injungitur aliquibus, ut peregrinentur mendicantes. Sed quia humilitas, ſicut & cęteræ virtutes, abſque diſcretione eſſe non debet: ideò oportet diſcretè mendicitatem ad humiliationem aſſumere, ut ex hoc homo notam cupiditatis non incurrat, vel cujuſcunque alterius indecentis. Alio modo poteſt conſiderari mendicitas ex parte ejus, quòd quis mendicando acquirit. Et ſic ad mendicandum poteſt homo ex duobus induci. Uno modo ex cupiditate habendi divitias, vel victum otiosè; & talis mendicitas eſt illicita. (& in hoc ſenſu Auguſtin. docet: *Subtrahendum eſſe panem eſurienti, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat.*) Alio modo ex neceſsitate, vel utilitate. Ex neceſsitate quidèm, ſicut cùm aliquis non poteſt aliundè habere, unde vivat, niſi mendicet. Ex utilitate autem, ſicut cùm aliquis intendit ad aliquid utile perficiendum, quod ſine eleemoſynis fidelium facere non poteſt; ſicut petuntur eleemoſynæ pro conſtructione pontis, vel Eccleſiæ, vel quibuſcunque aliis operibus, quæ vergunt in utilitatem communem, ſicut ſcholares ut poſsint vacare ſtudio ſapientiæ. Et hoc modo mendicitas eſt licita, ſicut ſęcularibus, ita religioſis.

In Decret. de Pœnit. diſt. 2. c. Si quis ſemel.

Ex cupiditate, & otio mendicare non licet: bene autem ex neceſsitate.

44 Videas quàm ſolida diſcurrendi ratione procedat in aſſumpto Div. Thomas, innuens, ſatis prudenti cautela procedendum eſſe in ſublevandis mendicis, ut ſcilicet fraude non extorqueant à nobis, quæ aliis debentur; neque ex alio capite nimis curioſos ſcrutatores velimus eſſe; quia melius eſt decipi à pauperibus paupertatem ſimulantibus, quàm veros pauperes ſub prætextu ſimulatæ paupertatis non ſublevare. Utranque regulam nobis tradidere SS. PP. quantùm ad primum enim ſic loquitur Ambroſius: * Liquet (inquit) debere eſſe liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas. Sobrietas retinenda eſt, maximè Sacerdotibus, ut non pro jactantia, ſed pro juſtitia diſpenſent. Nuſquam enim major aviditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam cauſam niſi vagandi habentes, & volunt ſubſidia evacuare pauperum, exinanire ſumptum: nec exiguo contenti, majora quærunt, ambitu veſtium captantes petitionis ſuffragium, & natalium ſimulatione licitantes incrementa quæſtuum. His ſi quis facilè deferat fidem, citò exhaurit pauperum alimoniis profutura compendia. Modus largiendi adſit, ut nec illi inanes recedant, neque tranſcribatur vita pauperum in ſpolia fraudulentorum. Ea ergo menſura ſit, ut neque humanitas deſeratur, nec deſtituatur neceſsitas. Plerique ſimulant debita. Sit veri examen. Exutos ſe per latrocinia deplorant: aut injuria fidem faciat, aut cognitio perſonæ, quo propenſius juventur. Ab Eccleſia relegatis ſumptus impartiendus, ſi deſit eis alendi copia. Itaque qui modum ſervat, avarus nulli, ſed largus omnibus eſt; non enim ſolas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, ſed etiam oculos conſiderandis neceſsitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis. Neque verò fieri poteſt, ut non extorqueat amplius importunitas vociferantium; ſed non ſemper imprudentiæ locus ſit. Videndus eſt ille, qui te non videt: requirendus ille, qui erubeſcit videri. Ille etiam clauſus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam perſonet, qui aures non poteſt.

S. Ambroſ. lib. 2. de Officiis c. 16.

Cautela, ne fraude extorqueatur eleemoſyna.

45 Quantùm ad ſecundùm ſic monet S. Chryſoſtomus: * Protinus accedentem accuſas, cur (inquis) non operatur? Cur otioſus alitur? Dic mihi, tu operans ne habes, quæ habes, non autem accepta hæreditate paterna? Quòd ſi etiam operaris, propterea alii exprobras? Non audis Paulum, poſtquam dixit: *Qui non operatur, nec manducet*, dicentem: *Vos autem bonum facientes, non deficiatis.* Sed quid dicis? Eſt impoſtor. Propter unum panem & veſtem, eum appellas impoſtorem? At ſtatìm id vendit (inquis) Tu autem omnia tua rectè adminiſtras? Quid verò? Omneſne ſunt pauperes propter otium? Nemo propter naufragium, nemo propter judicium, nemo propter furtum, nemo propter pericula, nemo propter morbos, nemo propter alium caſum? Sed habet (inquis) & ſimulat. Hæc eſt tui, non illius accuſatio. Scit ſibi rem eſſe cum crudelibus, cum belluis magis quàm cum hominibus, & quod etiamſi verbum eloquatur miſerabile, neminem poterit attrahere: & ideò neceſſe habet ſe miſerabiliori habitu induere, ut tuum frangat animum. Cur membra aperiunt mutilata? Propter

S. Chryſoſt. Homil. 11. in Ep. ad Hebręos.

Non tamen nimia ſcrutatione procedendum.

* te.

* te. Si eſſemus miſericordes, non eſſet eis opus his artibus:: Benignitatis & clementiæ eſt tempus non accuratæ & exactæ examinationis; miſericordiæ, non ratiocinationis. Vult nutriri: ſi vis quidem da: ſin minùs, amanda nihil hæſitans, & diſceptans, cur ſit miſer? Cur nec ipſe miſereris & eos qui volunt, avertis? Simus miſericordes, ut Pater noſter Cæleſtis. Ipſe nutrit adulteros, & ſcortatores, & præſtigiatores, & qui laborant omni genere vitii. Ita ſimus miſericordes, & ſi egeat, ei fert opem. Si omnibus demus indiſcriminatim, ſemper miſeribimur. Si autē cœperimus eſſe curioſi, nunquā miſerebimur. Ceſſemus ab hac importuna, ſatanica & pernicioſa curioſitate. Nàm ſi ſe in Clerum quis dicat eſſe relatum, aut ſi ſe nominet Sacerdotem, diligenter inquire. Non eſt enim expers periculi, quæ citra examen illic fit communio. De rebus enim magnis eſt periculum. Non enim das, ſed accipis. Sin autem egeat alimento, nihil ſcruteris. Exquire quomodo Abraham ſe exhiberet hoſpitalem in omnes, qui accedebant. Si de iis, qui ad ipſum confugiebant, curiosè eſſet ſcrutatus, hoſpitio non excepiſſet Angelos. Fortaſſe enim non exiſtimans eos eſſe Angelos, cum Angelis alios quoque expuliſſet. Sed quoniam omnes excipiebat, excepit etiam Angelos. Et rursùs: Neque tu pauperes curiosè inquiras. Propter Chriſtum enim illos ſuſcipis. Quòd ſi perpetuò curiosè ſcrutaturus es pauperes, fiet ut ſæpè numero probatum coram Deo virum prætergrediare, mercedemque, quam ex eo habiturus eras perdas, Concinit etiā S. Auguſtinus: Fortè (inquit) de illo paupere, quem ſuſcepiſti in domum tuam, dubitat aliquantum & hęſitat animus tuus, utrum verax homo ſit, an fortè fallax ſimulator hypocrita? Titubat animus in facienda miſericordia, quoniam cor inſpicere non potes. Fac & cum malo, ut pervenias & ad bonum. Qui timet ne bona ſua ſemina in vias, in ſpinas, in lapides caderent, piger ſeminare hyeme, ſeminavit æſtate. Si ergo pauperes non ſunt nimis curiosè examinandi, liceat nobis inferre, quantùm à regulis miſericordiæ deviant, qui pauperes exaſperant, inhumaniter & aſperis verbis repellentes. Si enim aſperitas verborum gravis ſit & exceſsiva, à peccato lethali non videtur excuſanda: ſint autem, venialiter ſolùm delinquetur: quia *afflicto non eſt addenda afflictio.* Imò interdum (inquit Magiſter Uvigant) nec venialiter, ſi mendicus eſſet nimis importunus.

Homil. 20. in Epiſt. ad Rom.

S. Auguſt. ſer. 41.

ARTICULUS III.

Quibus & quo ordine eleemoſyna elargienda ſit.

46 UT in omnes pauperes elargienda ſit pro poſſe eleemoſyna, ſatis apparet ex dictis, conformiter ad monita illa ſacra: *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Omni petenti te tribue. Operemur bonum ad omnes*: Neque enim ipſi pauperes peccatores ab eleemoſyna accipienda repellendi ſunt, dummodo in illa peccatum non foveatur, ut benè D. Thom. n. 43. pręcedenti nos docuit, prælucentibus tamen Ambroſio, & Auguſtino pia ſubtilitate rem abſolventibus: * Pulchrum eſt (inquit ille) benè velle, & eo largiri conſilio, ut proſis, non ut noceas. Nam ſi luxurioſo ad luxuriæ effuſionem, adultero ad mercedem adulterii largiendum putes; non eſt beneficentia iſta, ubi nulla eſt benevolentia. Officere enim iſtud eſt, non prodeſſe alteri, ſi largiaris ei, qui conſpiret adversùs patriam, qui congregare cupiat tuo ſumptu perditos, qui impugnent Eccleſiam. Non eſt hæc probabilis liberalitas, ſi adjuves eum, qui adversùs viduam & pupillos gravi decernit jurgio, aut vi aliquid poſſeſsionis eorum eripere conatur. Auguſtinus autem ſic habet: Cum eſurierit neſcio quis, ſi habes unde des, da; ſi vides dandum eſſe ad ſubveniendum, da. Ne pigreſcant in hoc viſcera miſericordiæ, quia tibi peccator occurrit. Cùm dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi: Hæc duo nomina non ſuperflua ſunt: aliud quod homo, aliud quod peccator: Quod homo, opus eſt Dei; quod peccator, opus hominis eſt: da operi Dei, noli operi hominis: Et quomodo (inquis) me prohibes dare operi hominis? Quid eſt dare operi hominis? Peccatori dare propter pęccatum, placenti tibi propter peccatum:: Quare donat venatori? Hoc in illo amat, in quo nequiſsimus eſt, hoc in illo paſcit, hoc in illo veſtit, ipſam nequitiam publicam ſpectaculis omnium. Qui donat hiſtrionibus, qui donat aurigis, qui donat meretricibus, quare donat? Nunquid non, & ipſi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, ſed nequitiam operis humani. Vis videre quid honores in venatore, quando illum veſtis? Dicatur tibi, ſis talis: Amas illum, gaudes ad illum, vis quodammodo expoliare te, & illum veſtire: noli cum injuria accipere, ſi tibi dicatur, tales ſint filii tui. Injuria eſt,

Tobiæ 4. v. 7. Lucæ 6. v. 30. Ad Galat. 6. v. 10.

S. Ambroſ. lib. 1. de Officiis c. 29.

Non ſunt ſublevandi pauperes, ut in peccato foveātur.

S. Auguſt. in Pſalm. 102.

Non des pauperi, qua peccator eſt.

in-

* inquis. Quarè injuria eſt, niſi quia illa * iniquitas? Quare injuria, niſi quia illa * turpitudo? Non ergo donas, cùm donas, * fortitudini, ſed turpitudini. Quomodo * ergo, qui venatori donat, non homini * donat, ſed arti nequiſsimæ? (Nam ſi ho- * mo tantùm eſſet, & venator non eſſet, * non donares, honoras in eo vitium, non * naturam:) Sic contrà, ſi des juſto, ſi * des prophetæ, ſi des diſcipulo Chriſti * aliquid cujus indiget, & non ibi cogi- * tes, quia diſcipulus Chriſti eſt, quia Mi- * niſter eſt Dei, quia diſpenſator eſt Dei; * ſed cogites ibi aliquod commodum tem- * porale, ut fortaſſe cauſæ tuę neceſſarius * quando fuerit, venalis tibi ſit, quia ei * aliquid porrexiſti, tàm tu non dediſti * juſto, ſi ſic dederis, quàm ille non de- * dit homini, quando dedit venatori. Totam Auguſtini argumentationem ſic breviter complexus eſt D.Thomas. ,, Dicendum, ,, quòd peccatori non eſt ſubveniendum in- ,, quantùm eſt peccator, id eſt, ut per hoc ,, in peccato foveatur, ſed inquantùm ho- ,, mo eſt, id eſt, ut natura ſuſtentetur.

D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 9.

47 Adeò igitur extendendam credimus eleemoſynam, ut pauperes nedum expectandi, ſed quærendi ſint, ut Apoſtolus ſignificat verbis illis: *Hoſpitalitatem ſectantes*, ad mentem Chryſoſtomi obſervantis nos docere Paulum: * Ut non expectemus * egenos, donec ad nos veniant, ſed ad * ipſos curramus, & ſectemur. Sic Loth * fecit, ſic Abraham. Totum namque diem * in hoc conſummebat, bonam expectans * venationem, & ſi quando quempiam vi- * debat, inſiliebat, occurrebat, ad terram * ſupplicando procidebat, dicens: *Si gra-* * *tiam inveni in conſpectu tuo, ne tran-* * *ſeas ſervum tuum.* Auguſtinus ſimiliter * ajebat: *Beatus qui intelligit ſuper ege-* * *num & pauperem*, qui præoccupat vo- * cem petituri. Curioſus eſto, & intellige * ſuper egenum & pauperem. Alius ad te * venit ut petat, alium præveni, ne petat. * Sicut enim de illo qui te quærit dictum * eſt: *Omni petenti te da.* Sic de illo quem * tu debes quærere dictum eſt: *Sudet elee-* * *moſyna in manu tua, donec invenias ju-* * *ſtum, cui eam tradas.* In prædicta Pſalmi verba adnotat S. Leo eleemoſynam pauperibus erubeſcentibus ſpecialiter elargiendam. * Ad quem intelligendum (in- * quit) dilectiſsimi ſolicitâ benignitate vi- * gilandum eſt, ut quem modeſtia tegit, * & verecundia prępedit invenire poſsimus. * Sunt enim, qui palàm poſcere ea, qui- * bus indigent, erubeſcunt; & malunt mi- * ſeriâ tacitæ egeſtatis affligi, quàm pu- * blicâ petitione confundi. Intelligendi er- * go iſti ſunt, & ab occulta neceſsitate * ſublevandi, ut hoc ipſo ampliùs gaudeant, * cùm & paupertati eorum conſultum fue- * rit & pudori.

S. Chryſoſt. Homil. 21. in Ep. ad Rom.

S. Auguſt. Enar. in Pſal. 103.

Pauperes præveniendi, & quærendi erubeſcentes.

S. Leo in verba Pſal.

48 Accedat deindè Ambroſius regulam deſignans, quam obſervemus in ſublevandis pauperibus nedum erubeſcentibus; ſed aliis, ſpeciali quaquē notâ dignis: * Per- * fecta liberalitas (inquit) fide, cauſa, loco, * tempore commendatur, ut primùm ope- * reris circa domeſticos fidei. Grandis cul- * pa, ſi ſciente te fidelis egeat. Si ſcias * cum ſine ſumptu eſſe, famem tolerare, * ærumnam perpeti, qui præſertìm egere * erubeſcat, & non adjuves, &c. Conſide- * randa etiam in largiendo, ætas atque * debilitas, nonnunquam etiam verecundia * quæ ingenuos prodit natales; ut ſenibus * plus largiaris, qui ſine labore jam non * queunt victum quærere. Similiter & de- * bilitas corporis, & hæc juvanda promp- * tiùs. Tum ſi quis ex divitiis cedidit in * ægeſtatem: & maximè ſi non vitio ſuo, * ſed aut latrocinio, aut proſcriptione, * aut calumniis, quę habebat, amiſit. Ambroſii regulam adamuſim ſequutus Seraphicus noſter Patriarcha Philippus in omnes pauperes charitate effuſus, mirùm eſt, qua beneficentia pauperes virgines fovebat; qua liberalitate pauperes pudore ſuffuſos ſublevabat; qua affectûs teneritudine labori invalidos nutriebat; ſacras virgines & religioſos paupertate laborantes ſubſidiis adjuvabat. Et tandem, ut alia omittamus ſpeciali proſequebatur benigno affectu & effectu juvenes ſtudioſos, ingenio & virtute pollentes, ut à propoſito non deſiſterent, ſicut refertur in ejus vita. Similia de Sancto Thoma à Villanova ita memorat Eccleſia: *Puellis egenis, pauperum pater Thomas dotem liberaliſsimè ſuppeditavit. Captivis ex Maurorum jugo redimendis ingens litrum profudit. Infantibus expoſititiis affectum impendit, curamque verè paternam. Tria denique inſtituit & dotavit Collegia; ex quibus tùm probitate, tùm doctrinâ præſtantes plurimi prodiere.* Eorum exempla ſequamur, & juxta monitum Auguſtini propria manu eleemoſynam pauperibus erogare quantùm expediat curemus. Ait namque. * Eum duplam miſericordiam facere, * qui pauperibus dat ſic aliquid, ut ipſe * eroget. Non enim debet eſſe ſola benignitas * largientis, ſed & humilitas miniſtrantis. * Neſcio quomodo, fratres mei animus * ejus, qui porrigit pauperi, velut com- * muni humanitati, atque infirmitati com- * patitur, quando ponitur manus habentis * in manum indigentis. Quamvis ille det, * ille accipiat, conjunguntur miniſter, & * cui miniſtratur. Non enim jungit nos * calamitas, ſed humilitas ::: Bonum eſt, * fratres, etiam manu veſtra diſpenſetis: * valdè gratum eſt Deo. Ipſe accipit, & * dabit tibi, qui antequam tibi deberet, * quòd dares, dedit: debet erogationis of- * ficio conjungi miniſtrationis officium. * Cùm tibi liceat duas mercedes habere, * quare perdis unam? Indicavimus hucuſque quantùm eleemoſyna extendi debeat, congruit tamen & ordinem monſtrare in erogendis eleemoſynis, pro ut ex ſacris libris Sancti Patres docuerunt, & cum Patribus Div. Thomas.

S. Ambroſ. lib. 1. de Offic. Miniſt. c. 30.

Pauperes ſpeciali ratione ſublevandi.

In Vita S. Philippi lib. 2. c. 11

In Officio S. Thomę a Villanova.

S. Auguſt. ſer. 259. aliis 19.

Eleemoſyna propria manu elargiatur.

Aſſe-

49 Aſſerendum eſt 1. eleemoſynam largiùs erogandam eſſe (per ſe loquendo, & cæteris paribus) magis conjunctis, melioribus, & magis indigentibus. Ut enim docet Div. Thom. Ordo gradualis in eleemoſynis erogandis attendi debet, ſecundùm *boneſtum & neceſſarium & debitum*, unde infert: ,, Et ideo parentibus & propinquis & ,, benefactoribus & eis, à quibus ſpiritua- ,, lia accipit homo, magis debet eleemoſy- ,, nam facere, ſi indigeant; & cæteris pari- ,, bus, melioribus magis, & magis etiam ,, indigentibus magis. Aſſertionem autem firmat S. Doctor imprimis ex Apoſtolo dicente: *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Deindè ex Auguſtino verbis illis: *Illi qui ſunt nobis magis conjuncti, quaſi quadam ſorte nobis obvenit; ut eis magis providere debeamus.* Tandem ex Ambroſio, cujus ea refert verba: *Eſt illa probanda liberalitas, ut proximos ſanguinis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim, ut ipſe ſubvenias tuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere.* Pro eadem aſſertione quantùm ſcilicet, ad magis conjunctos adduxerat jam Divus Thomas laudatum Auguſtinum ita loquentem: *Cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſsimùm conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictiùs tibi, quaſi quadam ſorte, junguntur.* Rationem autem à priori pro eleemoſyna & aliis beneficiis, mira perſpicuitate tradiderat ibidem S. Doctor inquiens: ,, Dicendum, quòd ,, gratia & virtus imitantur naturæ ordi- ,, nem, quia eſt ex divina ſapientia inſtitu- ,, tus: Eſt autem talis ordo naturæ, ut ,, unumquodque agens naturale per priùs, ,, & magis diffundat ſuam actionem ad ea, ,, quę ſunt ſibi magis propinqua, ſicut ig- ,, nis magis calefacit rem ſibi magis pro- ,, pinquam. Et ſimiliter Deus in ſubſtantias ,, ſibi propinquiores per prius, & copio- ,, ſius dona ſuæ bonitatis diffundit, ut pa- ,, tet per Dionyſ. 7. cap. cæl. hier. Exhibi- ,, tio autem beneficiorum eſt quædam actio ,, charitatis in alios, & ideò oportet, quòd ,, ad magis propinquos ſimus magis bene- ,, fici. Sed propinquitas unius hominis ad ,, alium poteſt attendi ſecundùm diverſa, in ,, quibus ſibi adinvicem homines commu- ,, nicant, ut conſanguinei in naturali com- ,, municatione, concives in civili, fideles ,, in ſpirituali, & ſic de aliis. Et ſecundùm ,, diverſas conjunctiones, ſunt diverſimo- ,, dè diverſa beneficia diſpenſanda: nam ,, unicuique eſt magis exhibendum benefi- ,, cium pertinens ad illam rem, ſecundùm ,, quam eſt magis nobis conjunctus, ſim- ,, pliciter loquendo.

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 3. a. 6. q. 3. in corp.

Magis conjũcti, magis per ſe, ſublevandi.

2. 2. q. 32. a. 9. in ſed contr.

1. ad Timoth. 5. v. 8.

S. Auguſt. lib. 1. de Doctrina Chriſt. c. 28. in corp. artic.

Solut. ad 2. ibi S. Ambroſ. lib. 1 de Officiis c. 30

S. Auguſt. ubi ſupra apud D. Thom. q. 31. a. 3

D. Thom. ubi proximè in corpor. artic.

Ratio Theologica D. Th.

50 Aſſertionem quantùm ad ſecundam partem, prælucente Apoſtolo oſtendit Div. Thomas: cùm enim Paulus Romanos hortatus fuiſſet: ut neceſsitatibus Sanctorum communicaſſent, ſubjungit & exponit Doctor Angelicus: ,, Hìc notandum eſt, quòd ,, potiùs eſt ſubveniendum Juſtis & Sanctis ,, quàm aliis. Undè dicit: *Neceſsitatibus* ,, *Sanctorum*: Eccleſ. 12. *Da juſto, & non* ,, *recipias peccatorem*: Quod quidem non ,, ſic eſt intelligendum, quin etiam in ne- ,, ceſsitatibus ſit peccatoribus ſubvenien- ,, dum, ſed quia non eſt ſubveniendum ad ,, fomentum peccati: Utiliùs tamen eſt ſub- ,, venire juſtis; quia talis eleemoſyna fru- ,, ctuoſa eſt, non ſolùm ex parte dantis, ,, ſed etiam ex ſuffragio recipientis Luc. 16. ,, *Facite vobis amicos de mammona iniqui-* ,, *tatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in* ,, *æterna tabernacula*; ſcilicet ſuis ſuffra- ,, giis. Copioſiùs autem diſſerit Divus Thomas (plura indicans ex his quæ ſtabilita ſunt) ad verba illa: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maximè autem ad domeſticos fidei.* ,, Dum in- ,, quàm tempus habemus (exponit Divus ,, Thomas) *operemur bonum*: Et hoc *ad om-* ,, *nes*, ſcilicet homines qui juncti ſunt no- ,, bis in Divina ſimilitudine, inquantùm ,, omnes ad imaginem Dei facti ſumus. Sed ,, contra Eccleſiaſt. 12. dicitur: *Da juſto,* ,, *& ne recipias peccatorem.* Non ergo de- ,, bemus operari bonum ad omnes. Reſpon- ,, deo dicendum quòd in peccatore duo ,, ſunt: natura ſcilicet & culpa: Natura qui- ,, dem eſt in eo amanda & ſuſtentanda etiam ,, inimici: Matth. 5. *Diligite inimicos ve-* ,, *ſtros, &c.* Culpa verò in eo eſt expel- ,, lenda: Sic ergo dictum eſt: *Da juſto, &* ,, *non recipias peccatorem*; ut ſcilicet pec- ,, catori non ideo benefacias, quia pecca- ,, tor eſt, ſed quia homo: Undè Auguſti- ,, nus: *Non ſis ad vindicandum remiſſus,* ,, *nec ad ſubveniendum inhumanus. Perſe-* ,, *quamur ergo in malis propriam iniqui-* ,, *tatem, miſereamur in eiſdem communem* ,, *conditionem.* Sed quia non poſſumus om- ,, nibus benefacere, ordinem benefaciendi ,, ſubdit: *Maximè autem ad domeſticos fi-* ,, *dei*; qui ſcilicet non ſolùm naturâ nobis ,, ſunt ſimiles, ſed etiam ſunt uniti fide & ,, gratiâ: Epheſ. 2. *Non eſtis hoſpites &* ,, *advenæ, ſed eſtis cives Sanctorum & do-* ,, *meſtici Dei, &c.* Ergo omnibus impen- ,, denda eſt miſericordia, ſed præponendi ,, ſunt juſti, qui ſunt ex fide. Utranque aſſertionis partem jam in antiquo Teſtamento expreſſam nobis dedit piiſsimus & miſericordiſsimus Tobias. Circa primum enim ajebat: *Ita ut omnia, quę habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret.* Quantùm ad ſecundum: *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Et utrunque complexus fuit verbis illis: *Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra timentes Deum, ut epulentur nobiſcum.*

Rom. 12. v. 13. D. Thom. ibid. lect. 2.

Potiùs, ſubveniendum juſtis, quàm peccatoribus: fidelibus quàm infidelibus.

Ad Gal. 6. v. 10

D. Thom. ibid. lect. 2.

Tobię 1. v. 3.

Cap. 4. v. 18.

Cap. 2. v. 2.

51 Tertia pars ex ipſa natura eleemoſynæ deſcendit, quę indigenti ſubvenire inclinat, ut jam conſtet magis indigenti, magis elargiendam eleemoſynam. Inde Divus

Tho-

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 3. a. 6. quæſtione 3. ad 1.

Thomas cùm ſibi oppoſuiſſet: ,, Videtur
,, quòd meliori ſit magis ſubveniendum ſem-
,, per, quia eleemoſyna datur propter Deum,
,, ut ex ipſius diffinitione patet; ſed bonus
,, eſt Deo propinquior, quàm malus: ergo
,, meliori ſemper magis eleemoſyna eſt dan-
,, da. Sic reſpondet: Ad primum dicendum,
,, quòd quamvis Deo propinquior ſit ſem-
,, per melior, non tamen ſemper debet ei
,, magis dari, quia eleemoſynarum largitio
,, ad neceſsitatem proximi ſublevandam di-
,, vinitùs inſtituta eſt: undè ſi indigentia ex
,, parte altera nimis excedat, magis ſerva-
,, bitur intentio inſtituentis eleemoſynam,
,, quàm ſi meliori daretur. Et cùm deindè
,, oppoſuiſſet: Eleemoſyna habet efficaciam
,, ex parte etiam recipientis, qui obliga-
,, tur ad orandum pro eleemoſynam dante;
,, ſed opus boni eſt efficax ad merendum
,, magis: ergo magis ſemper debet dari elee-
,, moſyna magis bono. Ita reſpondet: Ad
,, ſecundum dicendum quòd principaliùs
,, conſideratur efficacia eleemoſynæ ex par-
,, te dantis, quàm ex parte recipientis, &
,, ideò ex parte dantis debet eſſe ordinata
,, datio, quæ eleemoſynę efficaciam auget.

Magis indigenti, magis per ſe, eſt elargiendum.

Solut. ad 2.

52 Conſultò diximus *per ſe loquendo & cęteris paribus*, prout adnotavit etiam Di-
vus Thomas, qui poſtquam firmaverat prio-
rem aſſertionis partem, prudenter ſubjun-
git: ,, Tamen hoc poteſt variari ſecundùm
,, diverſitatem locorum & temporum & ne-
,, gotiorum. Nam in aliquo caſu eſt magis
,, ſubveniendum extraneo, puta ſi ſit in
,, extrema neceſsitate, quàm etiam patri,
,, non tantam neceſsitatem patienti. Qua-
propter artic. 9. poſtquam ſtatuit (ut vi-
dimus) propinquioribus magis eſſe ſub-
veniendum, prudentiſsimè addit: ,, Eſt
,, tamen circa hoc diſcretionis ratio ad-
,, hibenda ſecundùm differentiam con-
,, junctionis, & ſanctitatis & utilitatis.
,, Nam multò ſanctiori magis indigen-
,, tiam patienti, & magis utili ad commu-
,, ne bonum, eſt magis eleemoſyna dan-
,, da, quàm perſonæ propinquiori, maxi-
,, mè ſi non ſit multùm conjuncta, cujus cu-
,, ra ſpecialis nobis non immineat, etſi mag-
,, nam neceſsitatem non patiatur. Meritò
igitur in loco Sentent. concludit Doctor
Sanctus: ,, Aſsignare autem in ſingulis quan-
,, tùm unum, alteri eorum præferatur (in
,, tribus nempè gradibus ſupra conſtitutis)
,, eſt impoſsibile; quia ſingulares eorum con-
,, ditiones, quæ attendendæ ſunt, ſunt in-
,, finitæ, & non cadunt ſub arte: de his
,, autem ratio docet, & prudentiæ conſi-
,, lium.

2. 2. q. 31. a. 3.

Q. 32. a. 9. in corp.

Diſcretio circa ordinē prędictum obſervanda.

OBJECTA DISSOLUTA.

Luca 14. v. 12.

53 Adverſùs priorem aſſertionis partem,
obſtare videntur verba illa Chriſti Domini:
Cùm facis prandium aut cęnam, noli voca-
,, *re amicos tuos, neque fratres, neque cog-*
,, *natos*; ſed iſti (ſubdit obiiciens D.Thom.)
,, ſunt magis conjuncti: ergo non eſt ma-
,, gis benefaciendum conjunctis, ſed potiùs
,, extraneis, & indigentibus. Sequitur enim:
,, *Sed cùm facis convivium; voca pauperes,*
,, *& debiles, &c.* Deindè obiicit Divus
,, Thomas: Magis ſunt diligendi parentes,
,, quàm filii, ut ſupra dictum eſt; ſed ma-
,, gis eſt benefaciendum filiis, quia non de-
,, bent filii theſaurizare parentibus, ſed è
,, converſò, ut dicitur 2. ad Corinth. 12.
,, non eſt ergo magis benefaciendum magis
,, conjunctis. Prætereà obiicit S. Doctor:
,, Maximè homo eſt ſibi propinquus; ſed
,, ſibi non poteſt homo eleemoſynam face-
,, re: ergo videtur, quòd non ſit magis
,, facienda eleemoſyna perſonę magis con-
,, junctæ. Propoſitionem aſſumptam ſic etiam
in loco Sententiarum oſtendere videtur Do-
ctor Angelicus ita loquens: ,, Eleemoſyna
,, eſt actus liberalitatis vel juſtitię; ſed hæ
,, virtutes, propter hoc quod in commu-
,, nione conſiſtunt, non ſunt niſi ad alte-
,, rum, ut de juſtitia dicitur in 5. Ethico-
,, rum: ergo eleemoſyna non poteſt eſſe ad
,, ſe ipſum. Secundo: Nullus dat, niſi quod
,, habet, nec aliquis recipit, niſi id quod
,, non habet; ſed nullus poteſt aliquid ſi-
,, mul habere, & non habere: ergo non po-
,, teſt ſibi dare eleemoſynam. Tandem ad-
verſùs ſecundam aſſertionis partem op-
ponit Div. Thomas: ,, Eleemoſyna, cùm
,, ſit actus miſericordiæ, miſeriam intuetur;
,, ſed malus eſt magis miſer, quàm bonus:
,, ergo magis eſt eleemoſyna malis danda,
,, quàm bonis.

D. Thom. ubi ſupr. q. 31. a. 3. ad 1.

Non ſunt vocandi amici ad convivium, ut reinvitent.

54 Ad primum objectum ſic reſpondet
S. Doctor: ,, Dicendum quòd Dominus non
,, prohibet ſimpliciter vocare amicos, aut
,, conſanguineos ad convivium: ſed voca-
,, re eos ea intentione, quòd te ipſi rein-
,, vitent. Hoc enim non erit charitatis, ſed
,, cupiditatis. Poteſt tamen contingere, quòd
,, extranei ſint magis invitandi in aliquo
,, caſu propter majorem indigentiam. In-
,, telligendum eſt enim, quòd magis con-
,, junctis magis eſt cæteris paribus benefa-
,, ciendum. Si autem duorum unus eſt ma-
,, gis conjunctus, & alter magis indigens,
,, non poteſt univerſali regula determinari,
,, cui ſit magis ſubveniendum: quia ſunt
,, diverſi gradus & indigentiæ & propinqui-
,, tatis, ſed hoc requirit prudentis judicium.
Ad ſecundum objectum ita reſpondet S.
Doctor: ,, Dicendum, quòd parentes ſunt,
,, ſicut ſuperiores: Et ideò amor parentum
,, eſt ad benefaciendum, amor autem filio-
,, rum ad honorandum parentes, & tamen
,, in neceſsitatis extremæ articulo magis li-
,, ceret deſerere filios, quàm parentes, quos
,, nullo modo deſerere licet, propter obli-
,, gationem beneficiorum ſuſceptorum, ut
,, patet per Philoſophum in 8. Ethicor. cap.
ultimo. Ad tertium objectum ſic reſpondet
Divus Thomas: ,, Dicendum, quòd cùm
,, eleemoſyna ſit opus miſericordię, ſicut
,, miſericordia non eſt propriè ad ſe ipſum,
,, ſed per quandam ſimilitudinem, ut ſu-
,, prà dictum eſt: ita etiam propriè lo-
,, quendo, nullus ſibi eleemoſynam facit,
,, niſi fortè ex perſona alterius, puta, cùm

Solut. ad 4.

In extrema neceſsitate magis liceret deſerere filios, quàm parentes.

Q. 32. a. 9. ad 3.

Nullus ſibi, niſi ex alterius perſona, ſubvenit.

,, ali-

,, aliquis diſtributor ponitur eleemoſyna-
,, rum, poteſt & ipſe ſibi accipere, ſi in-
,, digeat, eo tenore, quo & aliis miniſtrat.
,, Ad ultimum objectum pro ſecunda par-
te, in eodem loco Sententiarum reſpondet,
illud diſſolvens Sanctus Doctor: ,, Dicen-
,, dum, quòd quamvis peccator ſit magis
,, miſer in ſpiritualibus, non tamen in cor-
,, poralibus, & ideò non eſt ſibi ſemper
,, magis providendum per corporales elee-
,, moſynas.

Peccator in corporalibus eſt aliquando miſerabilior.

In loco Sentent. Solut. ad 3.

ARTICULUS IV.

Bona deſignans unde facienda ſit Eleemoſyna.

55 QUINAM pauperes ſuble-
vandi ſint, & quo ordi-
ne, docuit nos Divus
Thomas cum Patribus ex
Prophetis loquens. Jam
ipſum audiamus eos in-
ſtruentem, qui eleemoſynas dare poſſunt,
indicatis & breviter diſſolutis quibuſdam
apud Theologos moralia tractantes excita-
tis difficultatibus. Et imprimis exploratum
eſt apud omnes, eleemoſynam non ex bonis
alienis, ſed ex propriis fieri oportere, con-
formiter ad illa Sacra Oracula: *Honora Do-*
minum de tua ſubſtantiâ. -- Ex ſubſtantiâ
tuâ fac eleemoſynam. -- Ego Dominus dili-
gens judicium, & odio habens rapinam in
holocauſto. -- Dona iniquorum non probat
Altiſsimus, nec reſpicit in oblationes iniquo-
rum: Nec in multitudine Sacrificiorum eo-
rum propitiabitur peccatis: Qui offert Sa-
crificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui
victimat filium in conſpectu patris ſui. Ut
autem dilucidè appareat quænam ſint bona
aliena, ſeu injuſtè & illicitè acquiſita, audi-
re congruit Div. Thomam adnotantem:
,, Quod tripliciter poteſt aliquid eſſe illici-
,, tè acquiſitum. Uno enim modo, id quod
,, illicitè ab aliquo acquiritur, debetur ei
,, à quo eſt acquiſitum, nec poteſt ab eo
,, retineri, qui acquiſivit, ſicut contingit
,, in rapina, & furto, & uſuris: Alio ve-
,, rò modo eſt aliquid illicitè acquiſitum,
,, quia ille quidem, qui acquiſivit, retine-
,, re non poteſt, nec tamen debetur ei, à quo
,, acquiſivit, quia ſcilicet contra juſtitiam
,, accepit, & alter contra juſtitiam dedit. Si-
,, cut contingit in ſimonia, in qua dans &
,, accipiens contra juſtitiam legis divinę agit.
,, Unde non debet fieri reſtitutio ei, qui de-
,, dit, ſed debet in eleemoſynas erogari.
,, Et eadem ratio eſt in ſimilibus, in qui-
,, bus ſcilicet & datio, & acceptio eſt con-
,, tra legem. Tertio modo eſt aliquid illi-
,, citè acquiſitum, non quidem, quia ipſa
,, acquiſitio ſit illicita; ſed quia id, ex quo
,, acquiritur, eſt illicitum, ſicut patet de
,, eo quod mulier acquirit per meretritium,
,, & hoc propriè vocatur turpe lucrum. Quod
,, enim mulier meretricium exerceat, tur-
,, piter agit, & contra legem Dei: ſed in
,, eo quod accipit, non injuſtè agit, nec
,, contra legem. Undè quod ſic illicitè ac-
,, quiſitum eſt, retineri poteſt, & de eo
,, eleemoſyna fieri.

Eleemoſyna non eſt facienda de bonis alienis.

Prov. 3. v. 9.
Tobiæ 4. v. 7.
Iſaiæ 61. v. 8.
Eccleſ. 34. v. 23

D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7.

Triplex modus illicitè acquirendi.

56 Si ergò primò modo bona ſint illi-
citè acquiſita, de illis docet Divus Tho-
mas non poſſe fieri eleemoſynam. Et meritò:
quia, ut loquitur Ambroſius: *Non proba-*
tur largitas, ſi quod alteri largitur, alte-
ri quis extorqueat: Si injuſtè quęrat & ju-
ſtè diſpenſandum putet; niſi fortè ut ille
Zacchęus, reddas prius quadruplum ei, quàm
fraudaveris: & Gentilitatis vitia fidei ſtu-
dio, & credentis operatione compenſes. Ner-
vioſiùs adhuc loquitur Auguſtinus, pravas
quorundam interpretationes rejiciens ad ver-
ba Chriſti D. ſupra laudata: *Dicunt* (dicit
S. Parens,) *rapere res alienas, mammona eſt*
iniquitatis; erogare indè aliquid, maximè
egentibus ſanctis, hoc eſt facere amicos de
mammona iniquitatis. Intellectus iſte cor-
rigendus eſt, imò de tabulis cordis veſtri
omninò delendus eſt. Pravam iſtam inter-
pretationem ab Auguſtino reprobatam, cum
eodem Auguſtino, reprobat Divus Thomas.
Item cum Ambroſ. aliiſque PP. ex quibus
deducit, quibus modis, & quarè appellen-
tur divitiæ *Mammona iniquitatis* prout ar-
tic. 2. præcedenti vidimus à n. 35. Addit
etiam in præſenti cum S. Baſilio, divitias
appellari Mammona iniquitatis: ,, *Quia in*
,, *pluribus prædeceſſoribus, quibus patrimo-*
,, *nio ſuccedis, aliquis reperitur, qui inju-*
,, *ſtè uſurpavit aliena, quamvis tu neſcias.*
,, Vel omnes divitię (ſubjungit S. Doctor)
,, dicuntur iniquitatis, id eſt, inæqualitatis,
,, quia non æqualiter ſunt omnibus diſtribu-
,, ta, uno egente, & altero ſuperabundante.

S. Ambroſ. lib. 1. de Officiis c. 30.

Qualiter de illicitè, acquiſitis fieri poſsit eleemoſyna.

S. Auguſt. ſerm. 113. aliàs 35.

D. Thom. ubi ſupr. ſolut. ad 1.

S. Baſilius apud D. Thom.

57 Igitur (cum Auguſtino ſubjungamus:)
* De juſtis laboribus facite eleemoſynas:
* ex eo quod rectè habetis, date. Non
* enim corrupturi eſtis judicem Chriſtum,
* ut non vos audiat cum pauperibus, qui-
* bus tollitis. Si enim deprædareris aliquem
* invalidum, tu validior & potentior, & ve-
* niret tecum ad judicem hominem quem-
* libet in hac terra, habentem judicandi
* aliquam poteſtatem, velletque tecum cau-
* ſam dicere, ſi tu de pręda, & ſpolia-
* tione illa inopis dares aliquid judici, ut
* pro te judicaret; Judex ille, vel tibi pla-
* ceret? Nempè pro te judicavit, & tamen
* tanta vis eſt juſtitiæ, ut & tibi diſpli-
* ceat. Noli tibi talem pingere Deum, no-
* li collocare in templo cordis tui tale ido-
* lum:: Nolite velle eleemoſynas facere de
* fœnore & uſuris. Et rursùs: Sed ait
* mihi raptor rerum alienarum, ego ſimi-
* lis illius divitis non ſum. Agapes facio,
* vinctis in carcere victum mitto, nudos
* veſtio, peregrinos ſuſcipio. Dare te pu-
* tas? Tollere noli, & dediſti. Cui dede-
* ris, gaudet; cui abſtuleris, plorat: Quem

S. Auguſt. ſerm. 178. aliàs 19. de verbis Apoſt. c. 4.

* duo

* duorum iſtorum exauditurus eſt Dominus? Dicis ei cui dederis, gratias age, quia accepiſti. Sed alter tibi ex alia parte dicit, ego gemo cui abſtuliſti. Et pœnæ totum tenuiſti, & exiguum illi dediſti. Si ergò quod alteri abſtuliſti, egentibus dediſſes, nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus: Stulte, juſsit ut dares, ſed non de alieno. Si habes, da de tuo: Si non habes, quod des de tuo, melius nulli dabis, quâm altero ſpoliabis. Audiatur etiam S. Gregorius: Violenter (inquit) exquirunt, quę miſericorditer largiuntur. Sed aliud eſt pro peccatis miſericordiam facere, aliud pro miſericordia facienda peccare: Quæ jam nequaquam miſericordia nuncupari poteſt: Quia ad dulcem fructum non proficit, quę per virus peſtiferę radicis amareſcit.

S. Gregor. Pap. 3. Paſtor. Admonit. 22.

58 Quę diximus hucuſque certa ſunt: difficultatem tamen præſeferre videtur, ſi in dubium vertitur cum Div. Thoma: an & qualiter eleemoſynas pręſtare poſsint, illi qui ſub aliena degunt poteſtate, uti ſunt Religioſi, Filii-familias, uxores, famuli & ſervi. Nam ut in argumento ſed contra arguit Div. Thomas: „ Eleemoſynæ non ſunt faciendæ de alieno: ſed de juſtis laboribus propriis unuſquiſque eleemoſynam facere debet, ut Auguſt. dicit lib. de Verbis Domini ſerm. 15. ſed, ſi ſubjecti aliis eleemoſynam facerent, hoc eſſet de alieno: ergo illi qui ſunt ſub poteſtate conſtituti aliorum, non poſſunt eleemoſynam facere. Sed prçlucente S. Doctore nullo ferè negotio abſolutas dabimus emergentes difficultates, attenta ſcilicet generali regula quam verbis illis tradit: „ Reſpondeo dicendum, quòd ille, qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus, inquantùm hujuſmodi, ſecundùm ſuperioris poteſtatem regulari debet. Hic eſt enim ordo naturalis, ut inferiora ſecundùm ſuperiora regulentur. Et ideò oportet, quòd ea, in quibus inferior ſuperiori ſubjicitur, diſpenſet non aliter, quàm ei ſit à ſuperiore permiſſum. Sic ergo ille, qui eſt ſub poteſtate conſtitutus de re, ſecundùm quam ſuperiori ſubjicitur, eleemoſynam facere non debet, niſi quatenùs ei à ſuperiore fuerit commiſſum. Si quis verò habeat aliquid, ſecundùm quod poteſtati ſuperioris non ſubſiſtit, jam ſecundũ hoc non eſt poteſtati ſubjectus, quantùm ad hoc proprii juris exiſtens, & de hoc poteſt eleemoſynam facere. Ad ſingula igitur deſcendendo, quantũ ad Religioſos nēpè attinet.

D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. in ſed contr.

In corp. artic.

59 „ Dicendum (inquit Div. Thomas) quòd monachus, ſi habet diſpenſationem à prælato commiſſam, poteſt eleemoſynas facere de rebus Monaſterii, ſecundùm quod ſibi eſt commiſſum. Si verò non habet diſpenſationem, quia nihil proprium habet, tunc non poteſt facere eleemoſynam ſine licentia Abbatis vel expreſsè habita, vel probabiliter præſumpta, niſi fortè in articulo extremæ neceſsitatis, in quo licitum eſſet ei furari, ut eleemoſynam daret. Nec propter hoc efficitur pejoris conditionis; quia ſicut dicitur in lib. de Eccleſ. dogma. cap. 71. *Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare, ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum in ſimul omnia donare, & abſolutum ſolicitudine, egere cum Chriſto.* (Sivè ut diſcurrit in loco Sententiarum) Dicendum quòd monachus, ſi habet diſpenſationem rerum monaſterii, poteſt & debet facere eleemoſynam de ſuperfluis nomine capituli. Si autem non habet diſpenſationem, tunc in monaſterio exiſtens, non debet dare ſine licentia, niſi in extrema neceſsitate, vel abſente Abbate aliquid modicum ſub ſpe ratihabitionis: extra monaſterium verò exiſtens, puta in ſtudio, poteſt eleemoſynam facere, quia cum dantur ei expenſæ, committitur ei earum diſpenſatio. Ex quibus deducitur, quòd Religioſus Parochus, aut alio Beneficio Eccleſiaſtico auctus, ex fructibus ſui Beneficii eleemoſynas dare, & in alias pias cauſas erogare poteſt. Quamvis enim illorum non ſit Dominus, voto paupertatis repugnante, jure tamen eorum adminiſtrator eſt ac diſpenſator. Addunt tamen Patres Salmanticenſes Religioſum illum opus habere licentiâ (inquam tacita aut expreſſa) Prælati, eò quia verum non habeat dominium fructuum Beneficii: ſivè perpetuum ſit, vel ad nutum amovibile.

Solut. ad 1.

Qualiter Religioſi eleemoſynas facere poſſunt.

In 4. diſt. 15. q. 2. a. 5. q. 4. in corp.

60 Quantùm ad Filios familias ita reſolvit S. Doctor: „ Dicendum, quòd ea, quæ ſunt filii-familias, ſunt & patris, & ideò non poteſt eleemoſynam facere, niſi fortè aliquam modicam, de qua poteſt præſumere quòd Patri placeat; niſi alicujus rei eſſet ſibi à Patre diſpenſatio commiſſa. Si tamen de conſenſu Patris iter agat, ſi ſtudiorum cauſa abſit, ſi negotia parentum gerat abſens; eas eleemoſynas erogare tutâ conſcientiâ poteſt, quas alii paris conditionis filii-familias erogare ſolent, & generatim omnes illas, quas patri non ingratas fore bona fide exiſtimat. Si etiam aliquid ſibi ſubſtrahit de his, quę ad victum, vel ad honeſtos uſus conceſsit pater, laudibilis parſimoniæ fructum pauperibus dare poteſt. Ex peculio etiam caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi, cujus dominium & liberam adminiſtrationem habet, filius eleemoſynam erogare poteſt etiam invito patre. Non autem ex peculio adventitio, cujus proprietatem quidem habet, non adminiſtrationem, quandiù eſt ſub poteſtate Patris. Multò minus ex peculio profectitio cujus proprietas eſt penès Patrem. *Peculium caſtrenſe* eſt, quod filius-familias militando acquirit. *Peculium quaſi caſtrenſe* eſt, quod acquirit ex Officio publico, vel Beneficio: *Peculium adventitium* eſt, quod vel induſtriâ, vel dono ita acquirit, ut nullum ex bonis paternis ducat originem. *Peculium profectitium* eſt, quod provenit a pa-

Art. 8. ut ſupr. ſolut. ad 3.

Qualiter, & de quibus bonis eleemoſynas erogare valeăt filii familias.

patre, vel quod ejus causâ donatum eſt.

61 Quia tamen D. Thomas ad calcem addit: & idem dicendum eſt de ſervis; placet ipſum audire in loco Sententiarum, ubi reſolvit; famulos & ancillas ex rebus dominorum ſuorum eleemoſynam dare non poſſe abſque eorum conſenſu, niſi fortè fragmenta quædam panis, aut quid ſimile. „ Dicendum (inquit) de ſervis & ancillis, & etiam de famulis, quamvis ſint liberæ conditionis, quod non poſſunt eleemoſynas dare de rebus dominorum ſine eorum conſenſu, niſi panem & hujuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile nocumentum; quia etſi ſit diſpenſator rerum, non tamen ponitur diſpenſator quaſi poteſtatem aliquam in re domini habens, ſed quaſi tractans eam ad utilitatem domini. De pretio autem ſervitii conſtat, quòd poſſet elemoſynam dare. Nec oportet, quòd famulus præſumat Domino placitum ſemper eſſe, ut eleemoſynas elargiatur, cùm hoc ſit bonum; & de quolibet præſumendum eſt bonum, niſi probetur contrarium. Quia ut reſpondet ibidem D. Thomas: Non „ oportet, quòd præſumamus de quolibet quodlibet bonum, ſed illud ad quod tenetur, quo prætermiſſo peccat, quia nullum debemus credere malum, niſi conſtet nobis de malitia ejus: & ideò non oportet, quòd famulus credat, quòd domino placeat, niſi in illa neceſsitate pauperis, in qua dominus de neceſsitate tenetur.

Quid dicendũ de ſervis.

In loco ſent. q. 3. in corp.

Solut. ad 1.

62 Ad uxores tandem, quod ſpectat, ita reſolvit D. Thomas: „ Dicendum, quòd ſi uxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad ſuſtentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio modo, poteſt dare eleemoſynas etiam irrequiſito aſſenſu viri, moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri, vel expreſſo vel præſumpto, niſi in articulo neceſsitatis, ſicut de Monacho dictum eſt. Quamvis enim mulier ſit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, vir caput eſt mulieris, ſecundùm Apoſtolum 1. ad Corinth. 11. Ex hac D. Thomæ doctrina inferunt PP. Salmanticenſes cum pluribus Theologis. * Quòd quia uxor habet dominium & adminiſtrationem bonorum paraphernalium, poteſt ex illis eleemoſynas facere. Imò & de aliis bonis ſecundùm conſuetudinem mulierum ſuæ conditionis, ex tacita mariti licentia. Idem dicendum eſt de aliis bonis, quæ præter dotem ſibi aſſervavit ad ſuos uſus, quorum in regnis Caſtellæ adminiſtrationem habet: & de aliis, quæ à marito conceduntur pro ſumptibus extraordinariis, & voluntariis, vel de his quæ propria arte, aut induſtria lucratur, ſi ſufficientem dotem ſecum detulit. Sic Div. Thomas cum aliis, cum quibus addere oportet alios caſus, in quibus de bonis quorum adminiſtratio, imò & dominium eſt apud maritum, poteſt uxor eleemoſynas facere. Primò, ad avertendum malum ſibi, & marito imminens (ut fecit Abigail cum Rege David) impetrandamque à Deo ſui, ſuorumque converſionem. Secundò, ad alendos parentes, & filios ex priori matrimonio habitos. Sic Diana & Palaus ex Leſſio, Navarro & Bonacina. Qui cum eiſdem extendit hanc doctrinam ad fratres, quia ad proprium ſtatum pertinet, nè fratres ſuos permittat egere. Sed optimè advertit, quòd mortuo viro, debet mulier quæ ſic dedit conſanguineis, cùm ad partitionem venerit cum viri hæredibus, in ſua parte computare. *

Artic. 8. ut ſup. ſolut. ad 2.

Qualiter uxori competat eleemoſynas erogare.

63 Audiatur tamen S. Raymundus, præjactam regulam ita ex jure Canonico firmans, & elucidans: * Si uxor (inquit) habet res paraphernales, id eſt, proprias præter dotem, poteſt de illis etiam invito viro facere eleemoſynam. De rebus autem viri, ut de pane, vino, & aliis quæ bono & approbato more ſolent ad diſpenſationem uxorum pertinere, poteſt & debet facere eleemoſynam, moderatè tamen ſecundùm facultatem viri, & majorem vel minorem multitudinem, vel neceſsitatem pauperum. Et debet ſemper ſibi conformare conſcientiam, quòd non diſpliceat marito in corde, licèt fortè aliquando prohibuerit ore. Solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus abſolutè, ut ſic temperent eas, non à toto ſed ab exceſſu quem ſuſpicantur. Poteſt etiam formare ſibi conſcientiam ex qualitate & miſeria pauperis, cogitans quòd ſi maritus illum videret, omnibus modis placeret ei, quòd ſibi faceret eleemoſynam. Si autem omninò, & præcisè dictat uxori conſcientia, quod viro diſplicet, & ſcandalizatur indè, deponat conſcientiam illam ſi poteſt: ſin autem, non debet; & doleat quia non poteſt dare. Et ſic intelligitur, quòd dicitur in jure Canonico: Hoc autem ultimum dico, niſi videret pauperem indigere ad mortem: tunc enim deberet dare intrepidè, aliàs peccaret.

S. Raymundus lib. 2. tit. De furtis §. *9. c. de Pactis conventis 50. Hæc lege.*

Cauſa 3. q. 3. Can. Quod Deo.

64 Thomæ & Raymundo præluxerat Mag. Auguſtinus, ad mulierem quandam uxoratam, quæ inconſulto marito largiter duobus tranſeuntibus Monachis tanquam pauperibus, erogaverat; ita ſcribens: * Etiamſi ad ipſas eleemoſynas largiùs faciendas fortè pigrius movebatur, poſſet & iſta condiſcere, ſi tuis inopinatis non feriretur expenſis, ſed expectatis invitaretur obſequiis; ut etiam hoc quòd temerè ſola feciſti, multò conſultiùs dilectione concordi, multòque ordinatiùs, & honeſtiùs ambo faceretis; nec blaſphemarentur ſervi Dei, ſi tamen hoc fuerunt, qui marito abſente atque neſciente, ab ignota muliere, & ab aliena uxore tanta ſumpſerunt; & laudaretur Deus in operibus veſtris, quorum eſſet tàm fida ſocietas, ut

S. Auguſt. Ep. 262. aliàs 199. ad Ecdiciam.

Uxores inſtructæ pro eleemoſynis.

* à vobis communiter teneretur, non ſo-
* lùm ſumma caſtitas, verumetiam glorio-
* rioſa paupertas. Et paulò poſt: Nonne
* ſi ampliorem miſericordiam cogitans, ideò
* pauperibus res tuas erogare differres, ne
* ſcandalizatus maritus tuus Deo periret,
* uberiores tibi Deus eleemoſynas imputa-
* ret? :: Neque hoc ita dicimus, ut ſi quiſ-
* quam ſcandalizatus fuerit de bonis ope-
* ribus noſtris, ab eis deſiſtendum pute-
* mus; ſed alia cauſa eſt alienarum, alia
* neceſſariarum in ſocietate aliqua perſona-
* rum; alia fidelis, alia infidelis; alia pa-
* rentum erga filios, alia filiorum erga pa-
* rentes: alia poſtremò ea, quæ in his re-
* bus vel maximè intuenda eſt viri, & uxo-
* ris, ubi mulierem conjugatam non licet
* dicere, Facio quòd volo de meo; cùm
* & ipſa non ſit ſua, ſed capitis ſui, hoc
* eſt, viri ſui :: Pariter ergo conſilium de
* omnibus haberetis, pariter moderaremi-
* ni quid theſaurizandum eſſet in Cœlo,
* quid ad vitæ hujus ſufficientiam vobis,
* & veſtris, veſtroque filio relinquendum,
* ne aliis eſſet refectio, vobis autem an-
* guſtia. Et in his diſponendis atque fa-
* ciendis, ſi quid tibi fortè meliùs videre-
* tur, ſuggereres viro reverenter, ejuſdem-
* que auctoritatem tanquam tui capitis ſe-
* quereris obedienter; ut omnes qui ſanum
* ſapiunt, ad quos poſſit hoc bonum ve-
* ſtrum fama perferre, de domûs veſtræ
* fructu ac pace gauderent, & adverſarius
* revereretur nihil habens de vobis dicere
* pravi :: Indue itaque humilitatem men-
* tis, & ut te Deus conſervet perſeveran-
* tem, noli maritum contemnere pereun-
* tem. Funde pro illo pias, & aſſiduas
* orationes, ſacrifica, lachrymas, tanquam
* vulnerati ſanguinem cordis. Et ſcribe ad
* eum ſatisfactionem, petens veniam, quia
* in eum peccaſti, quod præter ejus conſi-
* lium, & voluntatem de rebus tuis feciſti,
* quod faciendum putaſti, non ut te pœ-
* niteat tribuiſſe pauperibus, ſed eum tui
* boni operis participem, & moderatorem
* habere noluiſſe.

OBJECTA DISSOLUTA.

65 Tanquam certum dedimus, de inju-
ſtè & illicitè acquiſitis fieri non poſſe elee-
moſynam: in hoc tamen aliqua poteſt eſſe
D. Thom. 2. 2. difficultas, quam elucidabimus hoc objecto
q. 32. a. 7. propoſito: ,, Omne quod turpè lucrum eſt,
,, videtur eſſe illicitè acquiſitum: ſed turpe
,, lucrum eſt quod de meretritio acquiritur.
,, Undè & hujuſmodi ſacrificium, vel obla-
,, tio Deo offerri non debet, ſecundùm illud
,, Deuteron. 23. *Non offeres mercedem pro-*
,, *ſtibuli in domo Dei tui.* Similiter etiam
,, turpiter acquiritur, quòd acquiritur per
,, aleas, quia ut Philoſ. dicit in 3. Ethic.
,, Tales ab amicis lucrantur, quibus opor-
,, tet dare. Turpiſſimè etiam acquiritur ali-
,, quid per ſimoniam per quam aliquis Spi-
,, ritui Sancto injuriam facit, & tamen de
,, hujuſmodi, eleemoſyna fieri poteſt: ergo de
,, malè acquiſitis poteſt aliquis eleemoſynam
facere. Hanc objectionem dùm S. Doct. diſſol-
vit, plenè elucidat quidquid difficultatis in
aſſumpto occurrere poteſt. ,, Ad ſecundum
,, (inquit) dicendum, quod de acquiſito per *Solutione ad 2.*
,, meretricium jam dictum eſt, qualiter
,, eleemoſyna fieri poſſit: non autem fit
,, de eo ſacrificium, vel oblatio ad altare, De malè ac-
,, tùm propter ſcandalum, tùm propter ſa- quiſitis elee-
,, crorum reverentiam. De eo etiam, quod moſynam fieri
,, eſt per ſimoniam acquiſitum, poteſt fieri poſſe, ſub di-
,, eleemoſyna; quia non eſt debitum ei, ſtinctione re-
,, qui dedit, ſed meretur illud amittere. ſolvitur.
,, Circa illa verò, quæ per aleas acquirun-
,, tur, videtur eſſe aliquid illicitum ex di-
,, vino jure, ſcilicèt quòd aliquis lucretur
,, ab his, qui rem ſuam alienare non poſ-
,, ſunt, ſicut minores & furioſi, & hujuſ-
,, modi, & quòd aliquis trahat alium ex
,, cupiditate lucrandi ad ludum, & quòd
,, fraudulenter ab eo lucretur. Et in his
,, caſibus tenetur ad reſtitutionem, & ſic
,, de eo non poteſt eleemoſynam facere.
,, Aliquid autem videtur eſſe ulteriùs illi-
,, citum ex jure poſitivo civili, quod pro-
,, hibet univerſalitèr tale lucrum: ſed quia
,, jus civile non obligat omnes, ſed eos
,, ſolos qui ſunt his legibus ſubjecti, &
,, iterùm per diſſuetudinem abrogari poteſt:
,, ideò apud illos, qui ſunt hujuſmodi le-
,, gibus obſtricti, tenentur univerſaliter ad
,, reſtitutionem, qui lucrantur; niſi fortè
,, contraria conſuetudo prævaleat, aut niſi
,, aliquis lucratus ſit ab eo, qui traxit eum
,, ad ludum, in quo caſu non tenetur re-
,, ſtituere; quia ille qui amiſit, non eſt
,, dignus recipere, nec poteſt licitè retine-
,, nere tali jure poſitivo durante. Undè
,, debet de hoc eleemoſynam facere in hoc
,, caſu.

66 Subjungamus deindè aliqua ex his
quæ Div. Thomas proponit objecta, ut eis
diſſolutis nova ſplendeant luce aſſertiones
ſubjectæ. ,, Videtur (opponit Div. Thomas
,, in loco Sententiarum) quod uxor poſſit
,, de rebus mariti facere eleemoſynam: quia *Diſt. 15. ut ſup.*
,, ſicut dicit Auguſtin. Uxor in ſocietatem *a. 5.*
,, matrimonii aſſumitur, propter quod non
,, de capite, neque de pedibus fœmina for-
,, mata eſt, ſed de latere: ſi ergo vir poteſt Ex ſolutione
,, facere eleemoſynas de rebus domûs, quæ objectorū cla-
,, ſunt ei communes ratione prædictæ ſo- reſcit ſtabilita
,, cietatis, & uxor poterit facere. Prætereà. veritas.
,, De Lucia legitur, quod dabat eleemoſy-
,, nas ignorante ſponſo, nec ex hoc repre-
,, henditur, ſed laudatur: ergo uxor poteſt
,, ſine conſilio mariti eleemoſynas dare. Ex
,, alio etiam capite: Videtur quod filius
,, familias, poſſit etiam dare, quia quilibet
,, quod ſuum eſt poteſt alteri dare; ſed res
,, paternæ ſunt filii familias, quia ipſe eſt
,, hæres: ergo poteſt de eis eleemoſynam
,, facere. Prætereà uſus divitiarum laudabi-
,, lior eſt, ſi ad bonum ſpirituale, quam-
,, vis magis eis utatur, quàm ad bonum
,, corporale; ſed ad uſum corporis ſui po-
,, teſt filius familias rebus patrimonii ſui
,, uti: ergo multò fortiùs ad bonum ſpiri-
tuale

,, tuale quod eſt per eleemoſynas. Ex aliis
,, etiam capitibus: Eleemoſynæ etiam à fa-
,, mulis factæ valere ad ſalutem domino-
,, rum poſſunt, ſicut patet in mortuorum
,, ſuffragiis; ſed ſervus debet procurare bo-
,, num domini ſui non ſolum corporale, ſed
,, ſpirituale magis: ergo poteſt de rebus Do-
,, mini eleemoſynam facere. Prætereà: Elee-
,, moſynæ maximè in Scriptura commendan-
,, tur: ſi ergo Monachi non poſſunt elee-
,, moſynas dare, tunc ſunt pejoris condi-
,, tionis, quàm alii.

67 Ad primum autem reſpondet S. Do-
ctor: ,, Dicendum, quòd quamvis uxor ad
Q. 1. ad 1. ,, ſocietatem aſſumatur, & in ipſo actu ma-
,, trimonii ſit æqualis: tamen in his quæ ad
,, diſpoſitionem domûs pertinent, vir ca-
,, put eſt mulieris, & ideo non eſt ſimilis
,, ratio de utroque. Ad ſecundum verò ob-
Solut. ad 2. jectum ita occurrit D. Thomas: ,, Dicen-
,, dum, quòd Beata Lucia erat adhuc ſpon-
,, ſa tantùm, nec erat matrimonium con-
,, ſummatum, aut ratificatum: & ideò de
,, conſenſu matris, ſub cujus cura erat, po-
,, terat eleemoſynam facere. Ad primum
deindè objectum ſecundo loco recenſitum
Q. 2. ad 1. ſic reſpondet Angelicus Doctor: ,, Dicen-
,, dum, quòd quamvis filius familias ſit
,, hæres, non tamen adhuc eſt Dominus re-
,, rum, & ideò dare non poteſt. Ad ſe-
Solut. ad 2. cundùm autem ita loquitur Divus Thomas:
,, Dicendum quòd ad victum corporalem
,, tenentur ei parentes, niſi ex culpa ſua
,, remaneat: & ideò poteſt uti rebus paren-
,, tum ad neceſſitatem ſuam, non autem
,, aliis dare. Ad primum denique objectum
Q. 3. ad 2. ultimo loco appoſitum: ,, Dicendum (in-
,, quit Div. Thomas) quòd ſuffragia non
,, proſunt mortuis per alios facta, niſi in-
,, quantùm meruerunt ut eis prodeſſent,
,, dum adhuc viverent, ut Auguſtin. dicit:
,, & ideò ſunt aliquo modo eorum, illæ
,, eleemoſynæ quæ pro eis fiunt, & ſimili-
,, ter oportet, quòd eleemoſynæ quæ pro
,, viventibus fiunt, ſi debeant eis pro-
,, deſſe, debent eſſe eorum, quod non
,, poteſt eſſe, ſi eis diſpliceat: & ideò
,, non debet facere eleemoſynam pro Do-
Q. 4. ad 2. ,, mino famulus de rebus Domini, niſi con-
,, ſtet ſibi, quòd ei placeat. Ad ultimum
tandem ait S. Doctor: ,, Dicendum, quòd
,, Monachus non eſt factus ex hoc pejoris
,, conditionis: quia multò magis eſt accep-
,, ta Deo univerſalis rerum abdicatio, quàm
,, particularis deſtributio, quæ fit per elee-
,, moſynas.

ARTICULUS V.

Ingentes monſtrans ex eleemoſyna reportandos ſpirituales fructus.

68 HUCUSQUE tàm abundè
compenſata divinitùs le-
gitur eleemoſyna, ut non
dubitemus in favorem
vertere elargientiū elee-
moſynas verba illa Chri-
ſti D. *Date & dabitur vobis: menſuram*
bonam, & confertam, & coagitatam, & *Lucæ 6. v. 38.*
ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.
Eadem quippè menſurâ, quâ menſi fueri-
tis, remetietur vobis. His enim verbis jux-
ta Cyrilli expoſitionem ſignificatur ampliori *S. Cyrillus & Theophyl. apud*
manu recompenſationem accipiendam à Deo, *D. Thom. in Catena Aurea.*
qui largifluè donat diligentibus eum. * Qua-
* ſi dicat: (inquit Teophylactus) Sicut ſi fa-
* rinam ſinè parcitate menſurare velles, con-
* farcires eam, coagitares & ſupereffunde- Super effluens
* res abundè; ſic Dominus menſuram mag- eleemoſynę
* nam & ſupereffluentem dabit in ſinum ve- prǽmium.
* ſtrum. Interrogabit autem fortaſſis aliquis
* ſubtiliùs: Si enim ſupereffluenter reddi-
* tur, quomodo eadem eſt menſura? Ad
* quod dicimus, quòd non dixit, in tanta
* menſura remetietur vobis; ſed in eadem:
* Qui enim benefecit, benefiet ei; quod
* eſt remetiri eâdem menſurâ: Sed ſuperef-
* fluentem menſuram dicit, quia millies
* benefiet ei. Et benè quidem millies quia
præter mercedem temporalem, æterna bo-
na promittit Deus juxta illud: *Centuplum*
accipiet & vitam æternam poſſidebit. Con- *Matth. 19. v. 29.*
formiter ad expoſitionem Auguſtini de præ- *S. Auguſt. ſerm.*
mio eleemoſynæ ſic loquentis: * Nemo ſu- *139. aliàs 146.*
* perbiat, quia dat pauperi, Chriſtus pau-
* per fuit. Nemo ſuperbiat: quia hoſpi-
* tem ſuſcipit; Chriſtus hoſpes fuit. Melior Plus fortè in-
* eſt ſuſceptus, quàm ſuſcipiens; ditior ac- diget dans, quà
* cipiens, quàm tradens. Qui accipiebat, recipiens.
* cuncta poſſidebat: Qui dabat, ab illo
* cui dabat, acceperat quod dabat. Nemo
* ergo ſuperbiat, quando dat pauperi: Non
* dicat in animo ſuo, ego do, ille acci-
* pit: Ego ſuſcipio, ille indiget tecto. For-
* tè, quo tu indiges, plus eſt. Fortè quem
* ſuſcipis, juſtus eſt: Ille indiget pane, tu
* veritate; ille indiget tecto, tu cœlo; ille
* indiget pecuniâ, tu juſtitiâ. Fœnerator
* eſto, eroga quod recipias: Quid eſt fœ-
* nerare? Minùs dare, & plus accipere.
* Ecce mihi da, dicit tibi Deus: Ego ac-
* cipio minùs, & do plus. Quid? Centu-
* plicia, & vitam æternam. Sed jam om-
nia ſequenti complectamur aſſertione.

69 Aſſerendum eſt: eleemoſynam bonis
nedùm corporalibus ſed ſpiritualibus præ-
ſertim remunerandam eſſe. Pro hac aſſer-
tio-

tione PP. teſtimoniis firmanda, audiatur Div. Thomas inquiens: „Reſpondeo dicendum, quòd eleemoſyna corporalis tripliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & ſecundùm hoc non habet niſi corporalem effectum, inquantùm ſcilicet ſupplet corporales defectus proximorum. Alio modo poteſt conſiderari ex parte cauſæ ejus, inquantùm ſcilicet aliquis eleemoſynam corporalem dat propter dilectionem Dei & proximi: & quantùm ad hoc affert fructum ſpiritualem ſecundùm illud Eccleſiaſtici 29. *Perde pecuniam propter fratrem, pone theſaurum in præceptis Altiſsimi, & proderit tibi magis, quàm aurum.* Tertio modo ex parte effectus, & ſic etiam habet ſpiritualem fructum, inquantùm ſcilicet proximus, cui per corporalem eleemoſynam ſubvenitur, movetur ad orandum pro benefactore. Undè & ibidèm ſubditur: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Illorum ſiquidem meritis (ajebat Auguſtinus) quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli dederunt, mercedem cœleſtem recipere merebuntur: ideò in teſtimonio Lucæ dicitur: *Menſuram dabunt.*

Eleemoſyna in bonis corporis & animæ largam promeretur retributionem.

S. Auguſt. apud D. Thom. in Cat. Aurea.

70 Quis autem quantùm ad primum dubitet? Si enim corporales defectus removet eleemoſyna, malaque corporis propter Deum: æquum profectò eſt, ut in bonis corporis à Deo remuneretur, dicente D. *Eadem menſurâ qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Mortem à proximis jam imminentem fugat non ſemel eleemoſyna: quid mirum, eleemoſynarios quandoque à morte ad vitam corporalem revocet? Ita ſanè contingit aliquando, ut manifeſtè apparet in Actibus Apoſtolorum de Tabitha ad vitam, merito eleemoſynæ, revocata: Cùm enim Tabitha, quę interpretata dicitur Dorcas plena operibus bonis & eleemoſynis quas faciebat, mortua fuiſſet, requiſito Apoſtolorum Principe: *Cùm adveniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circunſteterunt illum omnes viduę flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes quas faciebat illis Dorcas. Ejectis autem omnibus foràs, Petrus ponens genua oravit: & converſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocaſſet Sanctos, & viduas, aſsignavit eam vivam.* Verba iſta expendens Sanctus Cyprianus ajebat: * Nec pro defuncta ſuis vocibus, ſed ipſius operibus deprecantes. Senſit Petrus impetrari poſſe quod ſic petebatur, nec defuturum Chriſti auxilium viduis deprecantibus, quando eſſet in viduis ipſe veſtitus. Cùm itaque genibus nixus oraſſet, viduarum ac pauperum idoneus Advocatus legatas ſibi preces ad Dominum pertuliſſet; tantùm potuerunt miſericordiæ merita, tantùm opera juſta valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari. Quid inſuper juſtum Loth ab incendio liberavit niſi eleemoſyna: * Loth (ajebat Origenes) in Sodomis habitabat, alia ejus benè geſta non legimus. Hoſpitalitas in eo ſola ex uſu veniens memoratur. Evadit ignes, evadit incendia, ob hoc ſolùm, quòd domum ſuam patefecit hoſpitibus. Hoſpitalem domum Angeli ingreſsi ſunt, clauſas hoſpitibus domos ignis ingreſſus eſt.

Eleemoſyna à morte ad vitam revocat.

Actor. 9. à v. 36.

S. Cyprian. lib. de Opere & Eleemoſyna.

Origenes hom. 5. in c. 19. Geneſ.

71 Largiſsimam Dei remunerationem quantùm ad bona etiam temporalia indicat Apoſtolus rationem aſsignans, cur promptè & abundantèr elargienda ſit eleemoſyna, verbis illis: *Potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Ratio Apoſtoli hæc eſt ut loquitur Divus Thomas: „Quicunque dat aliquid, quod multiplicatur ſibi, debet promptè, abundantèr & hilariter dare; ſicut videmus, quòd homines abundantèr & promptè & cum gaudio ſeminant ſemen; quia multiplicatum illud recolligunt. Cùm ergo eleemoſynæ multiplicentur dantibus, debetis illas promptè, gaudentèr, & abundantèr facere. Meritò igitur ſcripſerat S. Leo Papa: *Subſtantia tua, cùm benè erogatur, augetur. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potiùs Sanctum fœnus exerceat, & hac uſurarum arte diteſcat.* Et Auguſtinus ad verba illa: *Collegerunt & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum,* ita loquitur: *Saturati ſunt tot millia, & nihil minoratum eſt, creſcit, dùm impenditur victus: Sic eleemoſyna ſi indigentibus erogetur. Magnum opus eſt eleemoſyna fratres, ut faciat homo, quod facit Deus.* Nec mirum: quia ut ex Ambroſio & Clemente Alexandrino diſcurrit Paciuchellus. * Quemadmodum enim putei ſcaturiunt, & exhauſti in priſtinam menſuram revertuntur, & quo magis hauriuntur, eò citius replentur, & aqua puriore: elargitio quæ eſt bonus fons benignitatis, potum ſitientibus communicans, rurſus augetur & repletur. Vites niſi putentur, in ſylvam degenerant, & ſterileſcunt: ſi putentur, fructificant. Et Clemens Alexandrinus. Quemadmodum ad ubera quæ ſuguntur lac ſolet accedere; contra verò quæ non lactant corrumpuntur: ita quandoque ex lactis coagulatione læduntur, ut mortem inducant: ſic divitiæ non elargitæ, ad noſtram condemnationem & mortem aliquando corrumpuntur. Hinc optimus morum Pœdagogus Salomon: Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſubſtinebit præmium. Ubi Cyprianus. Oſtendens miſericordes, atque operantes egere non poſſe: magis parcos atque ſteriles ad inopiam poſtmodum devenire. *

Eleemoſyna diteſcere facit

2. Corinth. 9. v. 8.

D. Thom. ibid. lect. 2.

S. Leo ſerm de Jejunio decimi menſis.

Joan. 6. v. 13.

S. Auguſt. hom. 139.

Paciuchellus in Jonam lect. 59. n. 49.

72 Hæc certè bonorum temporalium eleemoſynæ promiſſa abundantia, eſt centuplum illud quod diximus num. 68. à Chriſto promiſſum, & pluribus exemplis con-

firmatum. Audiamus unum ex multis, quod ita recenſet laudatus Paciuchellus: * Narrat optimâ fide Leontius in vita Joannis Alexandrini Pontificis: Civem fuiſſe, qui domo ſuâ furtis expilatâ, ad incitas redactus, ſubſidium à Joanne Epiſcopo petiit. Joannes virum miſeratus, famulo quem eleemoſynis præfecerat, præcepit dare ei quindecim auri libras. Famulus plus æquo ſapiens, & ſuggeſtu Diaboli perſuaſus, ſufficere cenſuit, ſi pro quindecim auri libris, exhiberet quinque. Eodem die opulenta vidua Joanni donat, ſubmiſſo chirographo, quinque auri centum pondia. Admiſit, ſed unà famulum accerſens quæſiit; quot auri libras depauperato civi dediſtis? At illi fronte perfricta: Quindecim, ait, prout juſſeras. Mòx & civem vocari juſsit, qui libras quinque ſibi datas ſanctiſsimè affirmavit. Hic Joannes viduæ chirographum proferens: Inſigniter, inquit, in meum & veſtrum caput mentiti eſtis. Exquiret à vobis Deus, & illa alia decem centenaria. Quoniam ſi dediſſetis quindecim auri libras, ut juſſeram, qui attulit quinque centenaria, quindecim daret, quòd ut certiſsimum haberent viduam accerſens: Dic mea mater, inquit, dic candidè, nùm hoc ipſum, an plura Chriſto largiri voluiſti? Mulier trepida: ſanctiſsimè affirmo, inquit, me ſcripſiſſe quindecim centum pondia. Cùm verò ſcriptum hoc relegerem, decem delecta reperi. Ita divinæ voluntatis eſſe arbitrabar, non ultra quinque mittere. Fœmina dimiſſa, famulus jam apertiſsimè reus ad Patriarchæ pedes provolutus, veniam gemini delicti, fraudis, & mendacii ſubmiſsimè rogatam impetravit. Et nunc nònne verum eſt, Deum pro uno accepto centuplum reddere? *

Centuplũ præmii in hac vita, exemplo comprobatũ.

73 Vides abundantiam, attende fructuum ſterilitatem ex oppoſito irruentem, vel potiùs audi Magnum Baſilium, apud Illuſtriſsimum Lopez in Epithome, verbo *Eleemoſyna*, ita loquentem in occaſione validè famis ex ſiccitate imminentem in Cæſarea: * Hyems ſolitum humorem (ajebat) cum ſicco non retinuit, ſed in glaciem tota abiit nivis, & imbris pœnitùs expers. Vernum tempus alteram quidem ſui officii partem oſtendit, caliditatem dico, humiditatem verò nullam illi conjunxit. Æſtus verò immenſus, & frigora naturæ leges prætereuntia, ac in nos, damnumque noſtrum conjurata, mortales ad victus, vitæque ſimul trahunt diſcrimina. Quæ igitur fratres hujus tantæ confuſionis contrarietatiſque cauſa? Undè talis rerum temporumque novatio. Illæ ſunt cauſæ, cur nobis conſueta gubernatio ſublata ſit, quod cùm ex Deo accipiamus, aliis non damus, conſervos non miſeramur, egentibus deſumus. Eſurientes non nutrimus, inopis alimenta negamus. Cùm indeficientem theſaurarium Deum habeamus, erga pauperes tenaces ſumus. Ovium gregem fœtura implet, ovibus verò nudos plures eſſe ſinimus. Graves rerum apothecas, & cellas habemus, his autem carentes nequaquam reſpicimus. Hac de cauſa, & Deus omnipotens manum non aperit, quoniam fraternitatis charitatem occluſimus. Ob hoc & campi ſteriles, quoniam charitas friguit. Supplicantium vox fruſtrà clamat, & in aëra evaneſcit, ac diſsipatur, nam & nos rogantes minimè audimus. *

Sterilitas ubi non eſt eleemoſyna.

S. Baſilius apud Lopez in Epitome verbo Eleemoſyna.

74 Multus eſſem, ſi bona omnia temporalia eleemoſynariis divinitùs elargita memorare vellem; at præterire non poſſum vel indicare ſolùm qualiter eleemoſynis victoriæ in bello reportantur. Refert enim Baronius de Roberto Francorum Rege devotiſsimo, quòd multas fundarit Eccleſias, eaſque auro & argento venuſtarit. *Dabat eleemoſynas manu propria, ore proprio figens eorum manibus oſcula.* Et talia pietatis opera, quales fuerunt conſequuta effectum? *Quamobrem tribuit ei omnipotens pacem, ita ut nemo eſſet, qui eum inquietare auderet.* Victoriam etiam de inimicis reportaſſe Childebertum Galliarum Regem propter eleemoſynam, refert Gregorius Turonenſis. Et tandem de Henrico Tertio ea refert Odoricus Rainaldus. Multos eoſque potentes habuit inimicos Henricus III. Angliæ Rex. Arma ſæpè capeſcere debebat, ſed ſummè in pauperes manſuetus erat & liberalis, undè Deus eum ſemper protexit, victoriamque contulit. De ipſo abjuratus illius hoſtis Leolinus Normelliæ Princeps palàm iſtud pronuntiavit: *Plus timeo eleemoſynas Regis, quàm totam militiam.* Indè Doctor Angelicus Magnatum, Principum, belli Ducum, aliarumque illuſtrium perſonarum, & militum uxores erudiens: Quando, ait, viri cum hoſtibus ſuis pugnant, uxores debent pugnare cum eis, elemoſynis. Nam ut Siracides explicatiſsimè docet: Snper ſcutum potentis, & ſuper lanceam adversùs inimicum tuum pro te pugnabit. Meritò ergo concludamus cum Eccleſia:

Baron. anno 1033.

Eleemoſynis victoriæ aſſequutæ.

Rainald. anno 1234.

D. Thom. apud Paciuchellum. n. 51.

Cuncta quæ donat, redeunt datori
Fœnus ò Cœli! Duplicatur aurum
Dexteræ dantis: duplicata farris
Horrea creſcunt.

In Offic. S. Thomę à Villanova pro Diœceſi Valentina.

Sed quæ ſunt hæc bona comparatione bonorum ſpiritualium, quibus abundè cumulantur eleemoſynarii? In hoc bonorum genere uſuram intendere, pium eſt, & bonis terrenis cęleſtia emere. Validos in Cœlo patronos præmittere monuit Chriſtus Dom. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Ipſam ſiquidèm eleemoſynam veluti peccatorum quodammodo purgatricem; mortis deindè & pœnæ æternæ liberatricem ſacra oracula artic. 2. præcedenti num. 20. recenſita, prædicant, commendant: ſicut & bonorum omnium ſpiritualium diſpenſatricem. Nec mirùm cùm & Deum ipſum veluti debitorem reddat, cœleſtęque præmium ęmat, juxta Sanctorum

Lucæ 16. v. 9.

Pa-

S. Ambroſ. lib. de Tobia c. 16.

Patrum loquendi conſuetum morem. Hinc
ajebat Ambroſius: * Fœneratorum vox de-
* lectat, & uſuratum vocabulum. Id non
* invideo. Docebo quomodo boni fœnera-
* tores eſſe poſitis, quomodo bonas quæ-
* ratis uſuras. Dicit Salomon: *Fœnerat*
* *Domino qui miſeretur pauperi: ſecun-*
* *dùm datum autem ejus, retribuet ei.*
* Ecce bonum fœnus de malo factum eſt:
* Ecce irreprehenſibilis fœnerator, ecce
* uſura laudabilis. Putatis quòd hominem
* ſubtraham vobis debitorem? Deum pro-
* video, Chriſtum ſubrogo, illum demon-
* tro, qui vos fraudare non poſsit. Fœ-
* nerate ergo Domino pecuniam veſtram
* in manu pauperis. Ille adſtringitur, &
* tenetur: ille ſcribit quidquid egenus ac-
* ceperit. Evangelium ejus cautio eſt: ille
* promittit pro omnibus indigentibus, ille
* dicit fidem, qui dubitatis dare? Si quis
* vobis dives hujus ſæculi offeratur, qui
* fide promittat ſua pro aliquo debitore,
* ſtatim numeratis pecuniam: Pauper eſt
* vobis Dominus Cœli, & Conditor Mun-
* di hujus, & adhuc deliberatis, quem di-
* tiorem quæratis fidejuſſorem?

Eleemoſyna, cœleſtis uſura eſt, & ſpiritualis.

75 Idem confirmat S. Leo: * Miſerean-
* tur (inquit) pauperum, qui ſibi volunt
* parcere Chriſtum. Faciles ſint in alimen-
* ta miſerorum, qui cupiunt ad ſocieta-
* tem pervenire fidelium. Non ſit vilis
* homini homo, nec in quoquam deſpicia-
* tur illa natura, quam rerum Conditor
* ſuam fecit. Cui enim laborantium licet
* negare, quod Chriſtus ſibi profitetur im-
* pendi? Juvatur conſervus, & gratiam re-
* fert Dominus. Cibus egeni, Regni cœ-
* leſtis eſt pretium: & largitor tempora-
* lium; hæres efficitur æternorum. Undè
* autem exigua iſta impendia tantâ æſti-
* mari taxatione meruerunt? Niſi quia
* pondera operum charitatis lance penſan-
* tur, & cùm amatur ab homine, quod
* Deus diligit, meritò in ejus aſcenditur
* regnum, in cujus tranſitur affectum. Am-
broſio ſupra relato concinit ab ipſo edo-
ctus Auguſtinus, Deo per eleemoſynas fœ-
nerari affirmans verbis illis: * Inveni-
* mus quem fœneremus. Demus in uſuram,
* ſed Deo, non homini. Ei damus, qui
* abundat, ei damus, qui dedit quod
* demus. Et pro modicis rebus, pro fri-
* volis, pro mortalibus, pro puerilibus,
* pro terrenis: æterna, incorruptibilia, ſi-
* ne fine manentia: Quid multa dicturus
* ſum? Se promittit, qui promittit. Si
* amas illum, eme illum ab illo. Et ut
* noveris te ipſi dare, audi illum dicen-
* tem: *Eſurivi, & dediſtis mihi mandu-*
* *care, &c. Quod uni ex minimis meis fe-*
* *ciſtis, mihi feciſtis.* Dat de Cœlo, acci-
* pit in terra. Ipſe dat, ipſe accipit. Qua-
* ſi fœnus trajectitium facis. Hìc das, ibi
* recipis. Hìc das res perituras, ibi reci-
* pis res ſine fine manſuras.

S. Leo ſerm. 8. de Collectis.

S. Auguſt. ſer. 61. aliàs 5. de Verbis Dom.

Serm. 42. aliàs 29. ex Homil. quinquaginta.

76 Deo inquam fœneratur, qui ſibi
datam æſtimat eleemoſynam pauperi elargi-
tam, juxta proximè data verba: *Quod uni*
ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Hinc
S. Cyprianus ait: * Præclara & Divina res
* ſalutaris operatio, ſolatium grande cre-
* dentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præ-
* ſidium, munimentum ſpei, tutela fidei,
* medela peccati, res poſita in poteſtate
* facientis, res grandis & facilis: ſine pe-
* riculo perſequutionis corona pacis, verum
* Dei munus & maximum, infirmis neceſ-
* ſarium, fortibus glorioſum, quo Chri-
* ſtianus adjutus perfert gratiam ſpirituale͂,
* promeretur Chriſtum Judicem, Deum
* computat debitorem. Nec mirum Chri-
ſtus Dominus ſibi reputet acceptam elee-
moſynam elargitam pauperibus, in quibus
& ipſe egere dignatus eſt, non juxta omni-
potentiam, ſed juxta miſericordiam, ut piè
admodum pro ſuo more Salvianus Maſsi-
lienſis Presbyter adnotavit. Et deindè ſub-
jungit: * Chriſtus tantummodo ſolus eſt,
* cui nihil eſt quod in omni humano ge-
* nere non deſit. Nullus ſervorum ſuorum
* exulat, nullus frigore ac nuditate tor-
* quetur, cum quo ille non algeat. Solus
* cum eſurientibus eſurit, ſolus cum ſitienti-
* bus ſitit. Et ideò quantùm ad illius pie-
* tatem pertinet, pluſquàm cæteri eget:
* Solus tantummodo Chriſtus eſt, qui in
* omnium pauperum univerſitate mendicet.
Nec minus piè loquitur Chryſologus in-
quiens: * Manus pauperis, Abrahæ ſinus eſt:
* Ubi quidquid pauper acceperit, mox re-
* ponit. Theſaurus cœli eſt manus paupe-
* ris; quod ſuſcipit, ne in terra pereat, re-
* ponit in Cœlum. *Theſaurizate* (inquit)
* *vobis theſauros in Cœlo.* Manus paupe-
* ris eſt gazophilacium Chriſti: Quia quid-
* quid pauper accipit, Chriſtus acceptat.
* Da ergo homo pauperi terram, ut acci-
* pias Cœlum. Da nummum, ut accipias
* Regnum. Da micam, ut accipias totum.
* Da pauperi, ut des tibi: Quia quidquid
* pauperi dederis, tu habebis: Quod pau-
* peri non dederis, habebit alter. Clamat
* Deus, *Miſericordiam volo*: Qui quod vult
* Deus, Deo negat, à Deo ſibi quod deſi-
* derat, vult negari. Homo, petit Deus:
* Sed tibi, non ſibi. Humanam miſericor-
* diam petit, ut largiatur divinam. Eſt in
* Cœlis miſericordia, ad quam per terre-
* nas miſericordias pervenitur. Domine
* (inquit) in Cœlo miſericordia tua. Dictu-
* rus cauſam in judicio Dei, patronam ti-
* bi miſericordiam, per quam liberari poſ-
* ſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericor-
* diæ certus eſt, de venia ſit ſecurus, de
* abſolutione non dubitet.

S. Cyprian. lib. de opere & eleemoſyna.

Chriſtum D. qui pluſquam cæteri eget, debitorem ſibi facit eleemoſyna.

Salvianus lib. 4 ad Eccleſiam Catholicam.

S. Chryſologus ſerm. 8.

Accipit regnum, qui dat nummum.

77 Et quomodo de venia dubitabit, qui
verè miſericors eſt & in pauperes poſuſus?
An non Cyprianus ajebat: * Sicut lavacro
* aquæ ſalutaris, gehennæ ignis extingui-
* tur, ita eleemoſynis atque operibus ju-
* ſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſe-
* mel in baptiſmo remiſsio peccatorum da-
* tur, aſsidua & jugis operatio, baptiſmi
* inſtar imitata, Dei rurſus indulgentiam
* lar-

S. Cyprianus ubi ſuprà.

* largitur: Remedia propitiando Deo ip-
* ſius Dei verbis data ſunt: Quid deberent
* facere peccantes, magiſteria divina do-
* cuerunt; operationibus juſtis Deo ſatiſ-
* fieri, miſericordiæ meritis peccata pur-
* gari. Hinc ſapiens ait: Qui obturat au-
* res, ne audiat imbecillum, & ipſe invo-
* cabit Deum, & non erit qui exaudiat
* eum. Et rurſus: Neque enim promere-
* ri miſericordiam Domini poterit, qui
* miſericors ipſe non fuerit, aut impetrabit
* de divina pietate aliquid in precibus, qui
* ad precem pauperis non fuerit humanus.
Similia habet Ambroſius ad verba illa: *Ig-*
nem ardentem extinguit aqua, & eleemoſy-
na reſiſtit peccatis. Sujungens deindè: * Ni-
* ſi quòd ſalva fide dixerim indulgentior
* eſt eleemoſyna, quàm lavacrum; lava-
* crum enim ſemel datur, & ſemel veniam
* pollicetur: Eleemoſynam autem quoties
* feceris, toties veniam promereris. Indè
ad divites ajebat Auguſtinus: * Quantumcun-
* que habeas, quicunque dives es, Dei men-
* dicus es. Venitur ad horam orationis,
* & ibi te probo. Petis. Quomodo non
* pauper es, qui petis? Plus addo, Panem
* petis. An non es dicturus, Panem no-
* ſtrum quotidianum da nobis? Qui panem
* quotidianum petis, pauper es, an dives?
* Et tamen Chriſtus dicit tibi, da mihi ex
* eo quod dedi tibi. Quid enim attuliſti,
* quando huc veniſti? Omnia quæ creavi,
* creatus hìc inveniſti: Nihil attuliſti, ni-
* hil hinc tolles. De meo quare mihi non
* donas? De meo quæro, da, & reddo.
* Habuiſti me largitorem, fac citò debi-
* torem. Parum eſt quòd dixi, habeam te
* fœneratorem. Pauca mihi das, plura red-
* dam. Terrena mihi das, cœleſtia red-
* dam. Temporalia mihi das, æterna re-
* ſtituam. Te ipſum tibi reddam, quan-
* do te mihi reddidero. Et rursùs: Vide
* quid emas, quando emas, quanti emas.
* Emis enim Regnum Cœlorum: & non
* eſt emendi tempus, niſi in hac vitâ. Et
* quàm vili emas, attende. Tanti tibi va-
* let, quantùm habere potueris.

Eleemoſyna quodammodo efficacior baptiſmo.

Eccleſiaſtici 3. v. 33.

S. Ambroſius ſerm. 30.

S. Auguſt. ſer. 123. aliàs 41. de Verbis Domini, c. 5.

Cuncta compendio tradita ab Auguſtino.

Enarrat. in Pſalm. 102.

78 Hucuſque indicata emolumenta (plu-
ribus aliis omiſsis) eleemoſynę divinitùs ob-
venientia validè firmant, quæ num. 21. præ-
cedenti diximus in commendationem divi-
næ providentiæ elucentis quàm maximè in
diſtributione temporalium bonorum, undè
quidam divites, plurimi pauperes exiſtunt,
cum mutuo tamen emolumento, adeò ut
Auguſtino dicere licuerit: *Dives & pauper*
duo ſunt ſibi contraria, ſed iterum duo ſunt
ſibi neceſſaria. Dives propter pauperem fa-
ctus eſt, & pauper propter divitem, pau-
peris eſt rogare, & divitis erogare. Ita ſi-
quidem pauper à divite recipiens tempora-
lia, dum rogat & pacificè ſuſtinet, in pa-
tientia ſua poſsidet animam ſuam: dives
autem dùm temporalia erogat, ſpiritualia
ſibi comparat. Indè S. Leo: *O providentia*
& bonitas Creatoris, ut uno facto duobus
eſſet ſuccurſum! pauperibus poſſet Deus eas,
quas vobis contulit tribuere facultates, ni-
ſi pro ineffabili miſericordia ſua, & illos
juſtificare vellet de patientia laboris, & hos
de opere charitatis. Et Ambroſius: *Cur er-*
go tu dives es, & ille pauper? Profectò
non ob aliam cauſam, niſi ut benignitatis,
& fidelis adminiſtrationis mercedem perci-
pias; ille verò patientiæ præmiis honoretur.

Dives & pauper mutuò ſibi proſunt.

Serm. 25. de Verbis Domini.

S. Leo ſerm. 1. de collect.

S. Ambroſ ſerm. 81.

79 Et hæc quidem conformiter ad Apo-
ſtolum ſcribentem: *Sed ex æqualitate in*
præſenti tempore veſtra abundantia illorum
inopiam ſuppleat; ut & illorum abundan-
tia veſtræ inopię ſit ſupplementum, ut fiat
æqualitas: ſicut ſcriptum eſt. Qui multùm
habuit, non abundavit; & qui modicùm,
non minoravit. * Quaſi dicat (exponit Atha-
* naſius in hunc locum:) Vos pecuniis abun-
* datis, illi verò plurimâ in Deum con-
* fidentiâ. Date quibus affluitis bona, cùm
* illi his careant, ut ſitis eorum fiduciæ
* non expertes, quæ illis uberior ineſt, &
* cujus vos eſtis immunes. Similia habet
Magnus Gregorius inquiens: * Dilectio
* namque noſtra ſemper exhibenda eſt & ve-
* neratione ſermonis, & miniſterio largi-
* tatis. Multum verò ad edomandam dan-
* tis ſuperbiam valet, ſi cùm terrena tri-
* buit, verba ſolicitè Magiſtri Cœleſtis pen-
* ſet, qui ait: Facite vobis amicos de
* Mammona iniquitatis, ut cùm defeceri-
* tis, recipiant vos in æterna tabernacula.
* Si enim eorum amicitiis æterna taberna-
* cula acquirimus, dantes proculdubiò pen-
* ſare debemus, quia patronis potiùs mu-
* nera offerimus, quàm egenis dona lar-
* gimur. Hinc per Paulum dicitur: Ve-
* ſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat,
* & ut illorum abundantia veſtræ inopiæ
* ſit ſupplementum. Ut videlicet ſolicitè
* perpendamus, quia & eos quos nunc ino-
* pes cernimus, abundantes quandoque vi-
* debimus: & qui abundantes aſpicimur,
* ſi largiri negligimus, quandoque inopes
* erimus. Qui itaque nunc temporale ſub-
* ſidium pauperi tribuit, ab eo poſtmo-
* dum perpetua recepturus, ut ita dicam,
* quaſi ad frugem terram excolit, quæ,
* quod acceperit, uberiùs reddit. Reſtat
* ergo ut nunquàm elatio ſurgat ex mu-
* nere, quando videlicet dives ex eo quod
* pauperi tribuit, agit ut in perpetuum
* pauper non ſit.

2. Corinth. 8. à v. 13.

Meliora à paupere dives, quàm à divite pauper accipit.

S. Gregor. lib. 21. moralium c. 14.

80 Prælucentibus autem de more SS. PP.
producta Apoſtoli verba Doctor Angelicus
ita expendit: „Quaſi dicat: non intendo
„ tribulationem veſtram, ſed quandam æqua-
„ litatem, ut ſcilicet *veſtra abundantia il-*
„ *lorum inopiam ſuppleat, &c.* Quod po-
„ teſt exponi tripliciter: Primò de æquali-
„ tate quantitatis: Secundò de æqualitate
„ proportionis: Tertiò de æqualitate volun-
„ tatis: De æqualitate quantitatis, quia iſti
„ (ſcilicet Corinthii) abundabant in tempo-
„ ralibus, & deficiebant in ſpiritualibus;
„ ſancti verò qui erant in Jeruſalem, abun-
„ dabant in ſpiritualibus, & deficiebant
„ in temporalibus: Vult ergò ut fiat inter
„ eos

D. Thom. lect. 2. in locum Pauli.

,, eos æqualitas quantitatis; ut ſcilicet illi qui abundant in temporalibus, dent medietatem omnium illis qui deficiunt in eis; & iſti dent medietatem ſpiritualium eis; ut ſic ſint æqualiter divites: Et ideò hoc potiùs dicit, ut ſcilicet, *ex æqualitate quantitatis* (id eſt, dimidia parte bonorum veſtrorum in præſenti tempore quod breve eſt) *veſtra abundantia* (terrenorum) *ſuppleat illorum inopiam*, qui deſeruerunt omnia mundi; ut *illorum abundantia* (ſcilicet in ſpiritualibus) *ſit ſupplementum veſtrę inopię* in ſpiritualibus: id eſt, ut ſitis participes vitæ æternæ. Lucæ 16. *Facite vobis amicos de iniqua Mammona, ut cùm defeceritis, recipiant vos, &c.* Eccleſ. 14. *In diviſione ſortis da, & accipe*; da temporalia, & accipe ſpiritualia. De æqualitate autem proportionis exponitur ſic, & melius: Vos Corinthii habetis abundantiam temporalium: Sancti qui ſunt in Jeruſalem, abundantiam ſpiritualium: Volo ergo ex quadam æqualitate (non quæ ſit ſecundùm quantitatem, ſed ſecundùm proportionem) ut ſcilicet, ſicut illi ſuſtentantur eleemoſynis veſtris, ita vos ditemini precibus illorum apud Deum: Sicut enim illi non ita ditantur de bonis veſtris temporalibus, ſicut vos qui eſtis divites, ita nec vos bonis illorum ſpiritualibus ditemini ſicut illi: Et ideò dicit: *Sed ex æqualitate, &c.* Prædicta veſtra abundantia terrenorum, *illorum* (ſcilicet Sanctorum) *inopiam* (in temporalibus) *ſuppleat*; ut & illorum abundantia in ſpiritualibus, &c. 1. Corinth. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus: magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* De ęqualitate autem voluntatis exponitur ſic: *Sed ex æqualitate, &c.* Id eſt: Volo quòd ſit in vobis æqualitas voluntatis; ut ſcilicet ſicut illi habent voluntatem communicandi vobis ea in quibus abundant, ita vos habeatis voluntatem communicandi illis ea in quibus abundatis. Conſequenter confirmat hoc per auctoritatem: Unde dicit: *Sicut ſcriptum eſt* (ſcilicet Exod. 16.) *Qui multum* (ſcilicet collegerat de manna, id eſt, qui amplius habuit quàm Gomor) *Non abundavit* (id eſt non habuit ultra ſufficientiam ſuam) *Et qui modicum, non minoravit* (id eſt, non defecit ei) quia omnes æqualiter abundabant, ut dicitur Exod. 16. Et ſic nec qui plus collegerat, plus habuit; nec qui minus paraverat, reperit minus.

81 Quàm Deo eleemoſyna grata ſit, quibuſque benedictionibus pios repleat eleemoſynarios, conſtare poteſt ex dictis. Nec minus notum fiet, ſi per oppoſitum Deo & hominibus maledictus oſtendatur, qui avaritia preſus pauperum non ſublevat miſeriam, juxta illud: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*. Sed de hoc aſſumpto audiamus ſæpè laudatum Paciuchellum num. 57. ex Ambroſio ita diſcurrentem:

Prov. 11. v. 26.

S. Ambroſ. lib. 3. Offic. c. 6.

* De vobis (inquit Ambroſius) ſermo eſt, qui charitatem invehitis, quæ à cordium veſtrorum perfida potius tenacitate, quàm à terræ ſterilitate aut elementorum ſubnaſcitur injuria. De vobis, qui frumentorum veſtrorum occulitis acervos & congeries, ut pretium aggravetur, atque granario obturata tenetis, quoad homines fame pereant. De vobis, quorum in gelu obdurati animi tanta eſt crudelitas, ut millenos potius mendiculos fame enectos conſpicari malletis, quàm vel unico obolo infra ſtatutum pretium veſtra venundare frumenta. Cur invides uſibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Ah miſeri, quàm horrendæ in vos exonerabuntur maledictiones! Verùm protervior forſan quis dixerit; pauperum inſuper habeo in me detonatas maledictiones. Sed hæc certè craſsiſsima mentis ignorantia eſt & cæcitas. A pauperibus enim fulminatę maledictiones, dum ſe ope deſtitutos humana vident, ad Cœlum amandantur, & infinitarum ſunt calamitatum ſcaturigines, claves ſunt armamentarii divini, indèque innumerata fulminum jacula extracta mundo imittuntur. Audite, & totis artubus contremiſcite. *Ab inope non avertas oculos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.*

Ve immiſeri. cordibus, & in pauperes duris

82 Si roges, quo pacto hujuſcemodi fuerint exauditæ devotiones, & imprecationes, ſi imprecari, maledicere, & devovere noxa ſit & peccatum? Occurro cum Hugone. Hic appellatur maledictio ipſa pauperis amaritudo cordis, quæ clamat ad Dominum contra divites. Miſeria, calamitas, cordis amaritudo, quam pauperes perpetiuntur, maledictio eſt, quæ ad Dominum altiſsimo contra divites vociferatur clamore, qui illis ſubſidio eſſe, cùm potuiſſent, detrectarunt. Sic ſanguis Abelis juſti contra Cainum fratricidam clamavit. Abel interpretatur nihil hoc, & ſignificat pauperem. Cain poſſeſsio, & ſignificat divitem, inquit Hugo. Lamenta pauperum voces ſunt & exclamationes, ſunt Dei calamo ſubſcriptæ maledictiones, quæ avaros tangunt eoſque exterminant. Narrat Baronius, in magna fame, pauperem unum aliquam à nautis eleemoſynam petiiſſe; negarunt illam, cum addito aliud præter ſaxa illis nihil ſupereſſe. Omnia ergo vertantur in lapides replicavit pauper. Ac dicto citius quidquid ibi comeſtibile reperiebatur, in ſaxa tranſmutatum fuit, manente dumtaxàt figura, & colore. An non ergo pauperum eſt cavenda maledictio? Ab omni maledictione divina & humana, temporali & ęterna immunitatis litteras, qui in pauperes pii ſunt; miſericordiam verò à Deo, in hoc & in altero orbe conſequuntur. *

Pauperum amari clamores adverſus immiſericordes, maledictiones ſunt exaudiri ſolitę.

83 Hæc certè (concludamus cum Natali Alexandro) * Chriſtianos ad eleemoſynarum largitionem incitare debent: Quod præſtabunt uberius, ſi cogitent diabolum cum ſervis ſuis, id eſt cum populo perditionis & mortis, plebem Chriſti, præſente ac judicante ipſo, provocare, illique inſultare comparationis examine, his penè verbis: Ego pro iſtis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſsionis, & cruoris redemi; ſed nec Regnum cœleſte promitto, nec ad Paradiſum reſtitutâ immortalitate denuò revoco; & munera mihi quàm grandia, quàm nimio & longo pretioſa, quàm labore quæſita ſumptuoſiſsimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis; ac niſi editio honeſta ſucceſſerit, conviciis ac ſibilis ejiciuntur, & furore populàri nonnunquam penè lapidantur. Tuos tales munerarios, Chriſte, demonſtra præceptis tuis monitos, & pro terrenis cœleſtia recepturos, illos divites, illos copioſis opibus affluentes; an in Eccleſia præſidente, & ſpectante te, ejuſmodi munus edant, opignoratis vel diſtractis rebus ſuis, imò ad cœleſtes theſauros mutatâ in melius poſſeſsione translatis? In iſtis muneribus meis caducis atque terrenis nemo paſcitur, nemo veſtitur, & nemo cibi alicujus aut potus ſolatio ſuſtinetur: contra inter furorem edentis, & ſpectantes errorem, prodigâ, & ſtultâ voluptatum fruſtrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu veſtiris, & paſceris, tu æternam vitam operantibus polliceris; & vix tui meis pereuntibus adæquantur, qui à te divinis mercedibus & præmiis cœleſtibus honorantur. Quid ad hæc reſpondemus, fratres chariſsimi? Sacrilega ſterilitate, & quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes, qua ratione defendimus? Qua excuſatione purgamus? Qui Diaboli ſervis minores ſumus, ut Chriſto pro pretio Paſsionis, & Sanguinis, vicem nec in modicis rependamus. Præcepta ille nobis dedit, quid facere ſervos ſuos oporteret, inſtruxit, operantibus præmium pollicitus, & ſupplicium ſterilibus comminatus, ſententiam ſuam protulit, quid judicaturus ſit, ante prædixit. Quæ poteſt excuſatio eſſe ceſſanti? Quæ defenſio ſterili? Niſi quòd non faciente ſervo quod præcipitur, Dominus faciet quod minatur? *

Natal. Alexãd. lib. 4. in Decalog. a. 11. reg. 23

ARTICULUS VI.

Eleemoſynam, etſi aliàs utiliſsimam, impœnitentes non liberare ſtatuens ab incurrenda vel incurſa jam pœna æterna.

84 PERVERSA adeò fuit ſemper tartarei hoſtis aſtutia, ut in malum vertere ſuadeat, quod aliàs bonum eſſet: in hoc ſicut in aliis pluribus Deo adverſatus. Solemne ſiquidèm, Deoque beniguiſsimo proviſori conſuetum dixit ex Auguſtino Thomas noſter Diſſert. 1. num. 37. ex ipſo, quod permittit malo, bonum eruere: ex oppoſito autem Diabolus aſtutus ſerpens, bonum ſæpè vertere docet in malum. Sic in aſſumpto hujuſce diſſertationis, ut jam vidimus, injuſtam inſpirat boni alieni acceptionem, ſub prætextu eleemoſynæ tribuendæ. Inde Mag. Greg. admonebat: *Omninò metuenda eſt, & cavenda eſt hoſtis aſtutia; ne quos aperta nequit tentatione ſubvertere, latente telo ſæviùs valeat trucidare. Neque enim eleemoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, ut quaſi benè diſpenſet, gravatur potiùs, quàm juvatur.* Sed tamèn noviſsimum errorem pejorem priori invexit Diabolus ita per ſuos miniſtros eleemoſynam inordinatè extollens, ut: ,, Quidam poſſuerit (loquitur ex Auguſtino Angelus Thomas) non omnes qui Catholicam fidem tenent, à pœna æterna eſſe liberandos, ſed ſolùm illos, qui operibus miſericordiæ inſiſtunt, quamvis etiam aliis criminibus ſint ſubjecti. Eundem errorem refert & rejicit in Sententiariis. Suſtinuerunt itaque hæretici illi, ſupplicium æternum eleemoſynam dumtaxàt non facientibus deſtinatum eſſe. In eodem cœno volutati fuere hæretici, quos ita obloquentes recenſet etiam Auguſtinus: *Elemoſynæ ſunt tantæ virtutis, ut qui eas exercuerit, quantumlibet criminosè & nefariè vivat, æternum tamen ſupplicium non eſt habiturus.* Refert etiam Alfonſus à Caſtro ſcandaloſam (dicam & hæreticam) illam propoſitionem quorundam dicentium: *Quòd eleemoſynam pauperibus elargiri eſt majoris meriti, quàm eleemoſynam pro Miſſæ ſacrificio offerre.*

Aſtutia Diaboli, ſub prætextu boni errores diſſeminans.

S. Gregor. Epiſt. 110.

D. Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei cap. ultim. apud D. Thom. in Supplem. q. 99. a. 5.

In 4. diſt. 15. q. 2. a. 2.

S. Auguſt. lib. 21. de Civ. Dei c. 22.

85 Aſſerendum eſt primò: Eleemoſynam non liberare ab incurrenda vel incurſa jam pœna æterna peccatores impœnitentes. Catholicam iſtam veritatem oſtendit imprimis Div. Thomas tùm in loco Sententiarum in argumento ſed contra inquiens: ,, Nullus li-

,, liberatur à pœna inferni niſi per gratiam ,, Dei. _Gratia enim Dei vita æterna eſt._ ,, Roman.6. Sed ille qui decedit in peccato ,, mortali, caret gratiâ: ergo nec per elee- ,, moſynas à pœna inferni liberari poteſt. Tùm etiam in loco Summæ ubi hęc habet: ,, Sed contra eſt, quòd dicitur 1.Corinth.6. ,, _Neque fornicarii, neque adulteri, &c._ ,, _regnum Dei poſſidebunt_; ſed multi qui ,, ſe exercent in operibus miſericordiæ, ſunt ,, tales: ergo non omnes miſericordes ad ,, regnum æternum pervenient, & ita ali- ,, qui eorum æternaliter punientur. Præte- ,, rea. Jacob 12. _Quicunque totam legem_ ,, _ſervaverit, offendat autem in uno, factus_ ,, _eſt omnium reus._ Ergo quicunque ſervat ,, legem, quoad opera miſericordiæ, & ne- ,, gligit alia opera, reatum de tranſgreſsio- ,, ne legis incurret, & ita æternaliter pu- nietur. In corp. autem articuli poſt recenſitum ex Auguſtino primum errorem, ita arguit: ,, Sed iſtud non poteſt ſtare, quia ,, ſine charitate non poteſt aliquid Deo eſſe ,, acceptum, nec ſine ea prodeſt aliquid ad ,, vitam æternam. Contingit autem aliquos ,, operibus miſericordiæ inſiſtere, qui cha- ,, ritatem non habent: unde his nihil pro- ,, deſt ad vitam æternam promerendam, vel ,, ad immunitatem æternæ pœnæ, ut patet ,, 1. Corinth. 13. & præcipuè hoc apparet ,, abſurdum in raptoribus, qui multa ra- ,, piunt, & tamen aliqua miſericorditer ,, largiuntur. Et ideò dicendum, quòd qui- ,, cunque cum peccato mortali decedunt, ,, nec fides, nec opera miſericordiæ eos li- ,, berabunt à pœna æterna, etiam poſt quan- ,, tumcunque ſpatium temporis. Sivè ut diſcurrit in loco Sententiarum etiam in corpore artic. ,, Quòd cauſa pœnæ inferna- ,, lis eſt culpa mortalis; manente autem ,, cauſâ manet effectus. Undè cùm ab eo, ,, qui in peccato mortali moritur, non poſ- ,, ſit ulteriùs culpa mortalis tolli, ſicut nec ,, à dœmonibus, quia ut dicit Damaſcenus: ,, _Quod eſt hominibus mors, eſt dæmonibus_ ,, _caſus_, patet quòd neque eleemoſyna ab ,, eo prius facta, neque poſt mortem ejus ,, facta ab alio, poteſt eum, qui in pecca- ,, to mortali decedit, à pœna inferni libe- ,, rare.

Catholica aſſertio, præeunte Auguſtino, firmatur à D. Thoma.

S. Auguſt. ſerm. 39. aliàs 13. ex Hom. 50.

86 Angelico diſcipulo præivit Seraphicus Magiſter, inquiens: * Eleemoſynæ illis * proſunt, qui vitam mutaverunt. Das enim * Chriſto egenti, ut peccata tua redimas * præterita. Nàm ſi ideò das, ut liceat * tibi ſemper impunè peccare; non Chri- * ſtum paſcis, ſed Judicem corrumpere co- * naris. Et rursùs loquens Auguſtinus de hæreticis & ſchiſmaticis, qui ſpem ſalutis in eleemoſynis reponebant, ſic imprimis habet: * Firmiſsimè tene, & nullatenùs du- * bites; omnem extra Catholicam Eccleſiam * baptizatum participem fieri non poſſe vi- * tæ æternæ, ſi ante finem vitæ hujus, Ca- * tholicæ non fuerit redditus, atque incor- * poratus Eccleſiæ. Quia, _ſi habeam_ (inquit * Apoſtolus) _omnem fidem, & noverim om-_ * _nia Sacramenta, charitatem autem non_ * _habeam, nihil ſum._ Nam & in diebus di- * luvii neminem legimus extra arcam po- * tuiſſe ſalvari. Præterea habet: Firmiſsimè * tene, & nullatenùs dubites, quemlibet * hæreticum, ſivè ſchiſmaticum in nomine * Patris, & Filii & Spiritus Sancti baptiza- * tum, ſi Eccleſię Catholicę non fuerit ag- * gregatus, quantaſcunque eleemoſynas fe- * cerit, etſi pro Chriſti nomine etiam ſan- * guinem fuderit, nullatenùs poſſe ſalvari. * Omni enim homini, qui Catholicæ Ec- * cleſię non tenet unitatem, neque baptiſ- * mus, neque eleemoſyna quantumlibet * copioſa, neque mors pro nomine Chriſti * ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, * quandiù in eo hæretica vel ſchiſma- * tica gravitas perſeverat, quæ ducit ad * mortem.

Lib. de fide ad Petrum c. 37.

Cap. 39.

87 Et ne ad ſolos hæreticos, & ſchiſmaticos contrahendam aliquis ſententiam Auguſtini exiſtimet, audiat eum generaliter ſtatuentem: * Firmiſsimè tene, & nullate- * nùs dubites, non omnes qui intra Eccle- * ſiam Catholicam baptizantur, accepturos * eſſe vitam æternam, ſed eos qui percepto * baptiſmate rectè vivunt, id eſt, qui abſti- * nuerunt ſe à vitiis & concupiſcentiis. * Regnum enim Cœlorum, ſicut infideles, * hæretici, atque ſchiſmatici non habebunt: * ſic Catholici criminoſi poſsidere non poterunt. Prædictum quoque errorem damnavit Concilium Cabilonenſe verbis illis: * Sed nec hoc prætereundum putavimus, * quòd quidam ex induſtria peccantes, * propter eleemoſynarum largitionem, quan- * dam ſibi promittunt impunitatem. Elee- * moſyna extinguit peccata, juxta illud: * _Ignem ardentem extinguit aqua, & elee-_ * _moſyna extinguit peccata_; ſed ea quæ aut * neceſsitate, aut caſu, aut qualibet fiunt * fragilitate. Ea verò, quæ ex induſtria, * aut cujuslibet libidinis explendæ cauſa * idcircò fiunt, ut eleemoſynis rediman- * tur, nequaquam eis redimi poſſunt: quia * qui hoc perpetrarunt, videntur Deum * mercede conducere, ut eis impunè pec- * care liceat. Non ergo quis idcircò pec- * care debet, ut eleemoſynam faciat, ſed * ideò eleemoſynam facere debet, quia pec- * cavit. Mentem enim, & corpus, quæ li- * bido traxit ad culpam, afflictio, & con- * tritio debet reducere ad veniam. Nec mirùm eſt cùm Apoſtolus generaliter affirmet: _Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum :: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt._

Cap. 40.

Conc. Cabilon. II. c. 36.

1. Corinth. 13. v. 3.

88 Aſſerendum eſt ſecundò eleemoſynam elargiri non eſſe majoris meriti, quàm eleemoſynam pro Miſſæ Sacrificio offerre. Oppoſita enim Novatorum ſcandaloſa propoſitio à Sacrificio Miſſæ reverentiaque ejus, avertit. Si enim populus credat, minoris meriti eſſe Miſſæ Sacrificium, quàm eleemoſynam, tunc populus reverebitur minus, quàm oportet, illud ſacrificium, & conſequenter non tàm frequenter, ut nunc facit,

Sacrificiũ Miſſæ, quo nihil ſanctius, eleemoſynę præferendum.

cit, illud celebrare faciet, ſed unam Miſſam, ut evomuit _Lutherus_, uni populo affirmabat eſſe ſatis. Redarguit etiam atque damnat Concilium Tridentinum his verbis: _Quòd ſi neceſſario fatemur, nullum aliud opus adeò ſanctum, ac Divinum à Chriſti fidelibus tractari poſſe, quàm hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa Hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidiè immolatur, ſatis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima poteſt interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur._ Hæc ibi ad ſignificandum nihil ſanctiùs, nihil diviniùs, nihil tanta interiori, exteriorique devotione tractandum. Hujuſmodi geminam devotionem in audienda Miſſa & tractandis in Eccleſia rebus ſacris quammaximè zelans Patriarcha Philippus, etſi aliundè tenerrimo pauperes complectèretur affectu, non patiebatur eos intra Eccleſiam mendicare, ne indè divinus cultus minus devotè fieret. Quinimò & antiquitùs jam ita cautum fuiſſe ex SS. PP. refert Baronius, addens quòd pauperes ad fores Eccleſiæ conſiſtebant, ut inde fideles per eleemoſynam eis tributam digni fierent in ſuis orationibus exaudiri, exemplaque humilitatis attenderent.

Concil. Trident. ſeſsione 22. decreto de obſervand. & evit. in celeb. Miſſę.

In Vita S. Philippi Nerii lib. 2. c. 11.

Pauperes ad templi fores mendicent, ut divites humiliẽtur, & exaudiantur.

89 Sed ad hæc etiam ſpectat (loquitur Baronius) * quòd ſicut olim in Templo pauperes ſtipem mendicantes pro foribus ſtabant (ut & ex his quæ ſcribit Lucas de claudo qui exponebatur à ſuis ad Templi portam ſpecioſam, eſt manifeſtum) ita etiam in Eccleſiam ad ſtipem captandam nefas illis ingredi, ſed in exteriori porticu, quæ poſt atrium januis inhæret Eccleſiæ, eos ſolitos commorari, certum eſt: Undè Chryſoſtomus: _Propterea_ (inquit) _& ante Eccleſias, & Martyrum monumenta pro foribus pauperes ſedent, ut nos ex ejuſmodi ſpectaculo multum capiamus utilitatis. Conſidera namque, quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil hujuſmodi cernere licet, ſed viri honeſti & ſplendidi, & divites & prudentes paſsim diſcurrunt: ad veras autem regias, ad Eccleſiam dico, & oratorias ædes, & Martyrum Templa, dæmonibus preſſi, truncati, pauperes, cæci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tandem? Ut tu docearis._ Ad hæc reſpiciunt quæ Gregorius Nazianzenus in ea celebri oratione, quam habuit de amore pauperum, ait: _Ita petitionum clamor internis Templi cantibus ex adverſo reſpondet, atque è regione myſticarum vocum miſerabilis luctus excitatur._ Sed non eò quidem is locus pauperibus mendicantibus attributus erat, quod haberentur contemptui; ſed ne obſtrepentes, ſacra agentibus in Eccleſia, ac ibi orantibus eſſent moleſti: verum eis æquè, ac cæteris patebat Eccleſia, precum cauſa; ſimul cum principibus, nullo habito delectu, & perſonarum acceptione, ad ſacram menſam admittebantur. Hinc Chryſoſtomus eadem homilia ad populum Antiochenum hæc habet: _Ad ſuam ſpiritualem menſam eos vocare, & illud communicare convivium non dedignatur; ſed claudus, & mutilus, ſenex & pannoſus, ſordidus & mucoſus, cum juvene pariter ſpecioſo, & ipſo purpuram induto & in capite diadema geſtante, futurus menſæ particeps venit, & ſpirituale petit convivium, & iiſdem ambo fruuntur, nec ulla eſt differentia, & Chriſtus quidem eos ad menſam cum Rege ſimul vocare non dedignatur, pariter enim ambo vocantur._ Hæc Chryſoſtomus. *

Baron. anno 57. n. 126. vel 128. in editione noviſſ.

Act. 3.

S. Chryſoſt. Homilia 28. ad Populum Ant.

S. Greg. Nazianz. [illegible] de Amore Pauperum.

Chryſoſt. ubi ſupra.

OBJECTA DISSOLUTA.

90 Ad ſuſtinendum primum & principaliter rejectum erratum, ea proponebant ſacra teſtimonia, quibus benè cum SS.PP. commendavimus eleemoſynam ejuſque ingentes prædicavimus utilitates. Inter alia enim de eleemoſyna dicitur: _Quoniam ab omni peccato & à morte liberat :: Quod purgat peccata, & facit invenire miſericordiam & vitam æternam :: Et non patietur animam ire in tenebras, &c._ prout retulimus num. 20. præcedenti. Indè ſic objicit Div. Thomas: ,, Videtur quòd eleemoſyna ,, decedentem in peccato mortali à pœna ,, infernali liberet, Tobiæ 4. dicitur: _Elee-_ ,, _moſyna ab omni peccato & à morte libe-_ ,, _rat, & non patitur animas ire in tene-_ ,, _bras_; ſed in hoc nulla eſſet eleemoſynæ ,, commendatio, ſi illos à tenebris eriperet, ,, qui tenebrarum debitores non erant: er- ,, go & decedentes in peccato mortali, qui ,, tenebrarum debitores ſunt, à tenebris ,, inferni liberat. Præterea opponit ibidem & in Summa Theologica: 1. Timoth. 4. ,, ſuper illud: _Pietas ad omnia utilis eſt_, ,, dicit Gloſſa Ambroſii: _Omnis ſumma diſ-_ ,, _ciplinæ Chriſtianæ in miſericordia, & pie-_ ,, _tate eſt, quam aliquis ſequens, ſi lubri-_ ,, _cum carnes patiatur, ſine dubio vapula-_ ,, _bit, ſed non peribit, ſi quis autem ſolum_ ,, _exercitium corporis habuerit perennes pœ-_ ,, _nas patietur_: Ergo illi qui inſiſtunt ope- ,, ribus miſericordiæ, & peccatis carnalibus ,, detinentur, non in æternum punientur, ,, & ſic idem, quod prius. Alia etiam objecta proponit ibidem Sanct. Doct. & imprimis: ,, Videtur quod illi omnes, qui ope- ,, ra miſericordiæ faciunt, non punientur ,, æternaliter, ſed ſolùm illi qui opera mi- ,, ſericordiæ negligunt. Dicitur enim Jaco- ,, bi 2. _Judicium ſine miſericordia fiet ei_ ,, _qui non fecit miſericordiam._ Et Matth. 5. ,, _Beati miſericordes, quoniam ipſi miſeri-_ ,, _cordiam conſequentur._ Præterea Matth. 25. ,, ponitur diſceptatio Domini cum reprobis ,, & electis, ſed illa diſceptatio non eſt, ,, niſi de operibus miſericordiæ: ergo ſo- ,, lùm pro operibus miſericordiæ omiſsis ,, aliqui æternaliter punientur, & ſic idem ,, quod prius. Pręterea. Matth. 6. _Dimitte_ ,, _nobis debita noſtra, ſicut & nos dimitti-_ ,, _mus debitoribus noſtris, &c._ Et ſequitur: ,, _Si enim dimiſeritis hominibus, &c._ Ergo

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 2. a. 2.

In ſupplem. q. 99. a. 5.

Vi-

,, videtur quòd miſericordes, qui aliis peccata dimittunt, ipſi veniam peccatorum conſequentur, & ſic non æternaliter punientur.

In loco Sent. ſolut. ad. 1.

Miſericordia in pauperes, diſpoſitivè cõcurrit ad effugiẽdum gehennam.

Solut. ad 2.

91 Hæc tamen objecta ab eodem Doctore Angelico ita diſſolvitur: ,, Ad primum dicendum (inquit in loco Sententiarum) quòd eo modo, quo aliquis liberatur à peccato mortali per eleemoſynam, liberatur ab infernalibus tenebris. Liberat autem eleemoſyna à peccato mortali hominem adhuc in ſtatu viæ exiſtentem dupliciter, vel impediendo futurum peccatum, ſicut & alia opera meritoria, quæ hominem in gratiam confirmant; vel a præterito liberando, inquantum diſponit eum, qui jam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandam, ſicut & alia opera de genere bonorum recta intentione facta. Ad ſecundum (reſpondet ibidem Sanct. Doct.) dicendum, quòd intelligitur de lubrico mortali. Quod autem dicitur, non peribit, non eſt ſecundùm neceſsitatem intelligendum, ſed ſecundùm quandam diſpoſitionem: quia per hoc quod operibus pietatis aliquis vacat in peccato mortali exiſtens, diſponit ſe ad gratiam, ut non facile permittatur in perditionem ire. Vel ſi intelligatur de veniali, efficacia eleemoſynæ in hoc oſtenditur, quòd pœna vapulationis diminuitur per eam, vel per ipſam veniale impeditur, ne in mortale retrahere poſsit. Eodem ferè modo argumentum iſtud diſſolvit Sanct. Doct. in Summa Theologica: ,, Ad quartum (inquiens) dicendum quòd Gloſſa Ambroſii loquitur de lubrico venialis peccati, à quo aliquis poſt purgatorias pœnas, quas vapulationem dicit, per opera miſericordiæ abſolvetur. Vel ſi loquatur de lubrico mortalis peccati, eſt intelligendum quantum ad hoc, quod adhuc in vita iſta exiſtentes illi, qui ex fragilitate, in carnalia peccata incidunt, per opera miſericordiæ ad pœnitentiam diſponuntur. Unde talis non peribit, id eſt diſponetur per talia opera ad non pereundum, gratia introducta à Domino.

In locum Summę ſolut. ad 4.

Cajetanus ad art. 5. D. Thom.

Miſericordes mitius punientur.

92 Et Cajetanus ibidem adnotat: * Poſito ergo, quòd tales, pœnitentiam ad quam diſponuntur ex vi elemoſynarum, nolint aprehendere: hoc ſaltem ut plurimùm, apprehendere videntur, quod minùs afficiantur ad peccata, quæ poſteà committuntur. Et cùm minus afficiantur ad illa, mitiores etiam pœnas, quamvis æternas, habebunt: quoniam ſecundum affectum peccandi menſuratur acerbitas pœnarum, artic. 1. in corp. Miſericordiam ergo tales conſequuntur de pœnis debitis, id eſt, quæ aliàs ſibi debitę fuiſſent, aliquid relaxantem. Et hoc eſt intentum textus. * Pręmiſerat antea: Hæc dici à D. Thoma ſolutione ad primum. * Non ſolùm ad oſtendendum illud commune, quod datur omnibus damnatis, videlicet puniri citra condignum, ſed etiam ad ſignificandum aliquod particulare datum eleemoſynariis peccatoribus. Ipſi namque per eleemoſynas de ſua ſubſtantia elargitas diſponuntur ad pœnitentiam ſuorum peccatorum, ut tangitur in ad quartum, & conſequenter diſponuntur ad minus peccandum, quàm ante faciebant, vel quàm feciſſent, ſi eleemoſynas elargiti non eſſent. *

Solut ad 1.

Miſericordiã conſequuntur, qui miſericordiam ordinatè impendunt.

Solut. ad 2.

93 Reliqua argumenta ſic per ordinem diſſolvit Divus Thomas in Summa Theologica. ,, Ad primum ergo dicendum, quòd illi miſericordiam conſequentur, qui miſericordiam ordinatè impendunt, non autem ordinatè impendunt, qui ſe ipſos in miſerendo negligunt, ſed magis ſe impugnant malè agendo, & ideò tales miſericordiam pœnitùs abſolventem non conſequentur, etſi conſequentur miſericordiam de pœnis debitis aliquid relaxantem. Ad ſecundum dicendum, quòd non propter hoc ponitur diſceptatio de operibus miſericordiæ ſolùm, quia pro eorum negligentia tantummodo aliqui punientur æternaliter, ſed quia illi ab æterna pœna liberabuntur poſt peccata, qui per opera miſericordiæ ſibi veniam impetraverunt, facientes amicos ſibi de Mammona iniquitatis. Et ibi Cajetanus: * Ex reſponſo igitur infer, quòd miſericordiæ opera exercentes tunc ſolùm liberantur à pœna æterna, quando ipſi, dum vivunt, in charitate hæc opera exercuerunt, & in ipſa charitate finaliter deceſſerunt. Quod oſtenditur in Matth. ibi, cùm Dominus eleemoſynariis illis dicit, *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Ubi oſtendit, eleemoſynarios illos voluiſſe placere Chriſto. Ideò enim dicit ly *mihi*, & conſequenter denotat, eos in charitate eleemoſynas feciſſe. Qui enim propter Chriſtum operatur, ſi verè propter ipſum faciat, in charitate operatur; juxta illud Apoſtoli: *Nemo dicit, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Et quis Dominum Jeſum, niſi qui eum diligit, dicit: ſi eo modo dicit, quo Apoſtolus intelligi voluit? In charitate ergo operatos illos eleemoſynarios inſinuat, & ex quo eleemoſynariis ipſis nihil aliud in contrarium obiicit, in charitate eos deceſsiſſe ſubindicat. * ,, Ad tertium dicendum, quòd illud à Domino dicitur illis, qui petunt ſibi debitum relaxari, non autem illis, qui in peccato perſiſtunt, & ideò ſoli pœnitentes per opera miſericordiæ conſequuntur veniam pœnitùs liberantem.

Et qui in ipſa charitate decedunt.

Solut. ad 3.

ARTICULUS VII.

Naturam præmittens & ſpecies jejunii contra ipſius hoſtes.

Antiqui, & poſteriores circa ciborum uſum, & jejunium, indicantur errores.

Ad Philipp. 3. à v. 18.

Bellarm. de bonis operib. in partic. lib. 2. cap. 1. & 3.

94 MASSALIANOS chriſtianæ vitæ benè apertos dicamus hoſtes, dum jejuniũ pœnitus ignorãtes, ſatis eſſe dicebant (in Prolegomeno 1. num. 17. ad finem) orationem, ad mentem expurgandam. Hęreticis Maſſalianis præluxerunt antiquiores quidam hæretici; & ſequuti fuerunt à Lutheranis & Calviniſtis, aliiſque ſimilis furfuris Nebulonibus, de quibus ajebat Apoſtolus: *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens) dico inimicos crucis Chriſti. Quorum finis interitùs: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.* Ad jejunium enim tria pertinere notum eſt; ut habeatur imprimis ciborum delectus cum abſtinentia, præſertim à carnibus. Deindè ut ſemel in die cibus ſumatur; atque una illa refectio cœna ſit non prandium, inquit Bellarminus. Quantum ad primum ſpectat, duas per oppoſitum hæreſes vexaſſe, vexare etiam ex parte Eccleſiam, refert laudatus Bellarminus. * Una inquit fuit hæreſis, cibos quoſdam naturâ ſuâ eſſe immundos, ac per hoc illicitos atque prohibitos. Et alii quidem omnium animantium carnes immundas eſſe dicebant, ut Ebionitæ apud Epiphanium hæreſi 30. Encratitę apud Auguſtinum hæreſi 25. Euſtatiani apud Socratem lib. 2. cap. 33. Priſcillianiſtæ apud Auguſtinum hæreſi 70. Apoſtolici apud Bernardum ſerm. 66. in Cantica. Alii non ſolùm carnes, ſed etiam vinum immundum dixerunt, atque omninò vitandum, ut Manichæi apud Auguſtinum hæreſi 46. quam hæreſim, quod attinet ad vinum, ſequutus eſt etiam Mahometus in Alcorano cap. 3. qui rurſus cap. 12. prohibet quoque ſuis ſanguinem, & ſuffocatum, & à lupo tactum. Altera hæreſis priori contraria, fuit aliorum, qui nullos omninò cibos neque imperpetuum, neque ad tempus, neque omnibus, neque quibuſdam, neque abſolutè, neque certa de cauſa interdici patiuntur. Ad hanc hæreticorum claſſem pertinent imprimis Nicolaitæ & Valentiniani, qui cibos etiam Idolis immolatos audactèr edebant, ut Iræneus refert lib. 1. cap. 1. & 27. Ad eandem claſſem pertinet Jovinianus, qui teſte S. Hieronymo in 2. lib. adverſus eundem Jovinianum, & S. Auguſtino in lib. de hæreſ. cap. 82. docebat, jejunia, & à cibis quibuſdam abſtinentiam nihil prodeſſe.

95 Ad eandem pertinent omnes hujus temporis hæretici, & eorum præcurſor Eraſmus. Nam in Epiſtola ad Epiſcopum Baſilcenſem, *Paulatim*, inquit, *irrepſit conſuetudo, quę diem veneris piſculentum nobis reddidit. Deindè ubi hoc ſucceſsit, adjuncta eſt & Sabbati dies: nunc etiam Mercurii periclitatur. Ob idque genus obſervatiunculas, videmus homines affligi, & denique mori, ſibique Chriſtianos videri, cum ſint Judæi.* Hæc ille, qui librum etiam integrum ſcripſit de interdicto eſu carnium; quem (ut verum fatear) nunquam vidi. Porrò ciborum delectum, qui in Eccleſia Catholica certis diebus ab omnibus, & omnibus diebus à quibuſdam religiosè ſervatur, paſsim reprehendunt Lutherus in lib. de libertate Chriſtiana, Philippus in confeſsione Auguſtana, & Apologia art. 15. & 26. Joannes Brentius in confeſsione Uvitembergenſi, cap. de Jejunio. Centuriatores lib. 2. cent. 1. cap. 4. col. 395. Joannes Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 12. Martinus Kemnitius in 3. p. Examinis Concilii Tridentini, & alii multi, quos longum eſſet recenſere. * Indè jejunium nullius eſſe meriti apud Deum, erroris conſequentiâ proclamant Lutherani. Pro eodem errore refertur Jacobus Prępoſitus, apud Zeraphinum à Porrecta, affirmans: *Quod unica comeſtio tempore jejunii pręcipitur contra rationem & Scripturam.* Et rurſus: *Quòd abſtinentia à certis cibis tempore jejunii pręcipitur contra rationem & Scripturam.* Ad indicatos errores repellendos, naturam convenit oſtendere & multiplicem jejunii acceptionem.

Zeraphinus à Porrecta Appen. ad a. 6. & 8. D. Thom. q. 14. 7. ex 2. 2.

96 Aſſerendum eſt primò: Jejunium Eccleſiaſticum convenienter explicari ſeu definiri: *Parcimonia victus, abſtinentiaque ciborum, ſecundum Eccleſiæ regulam aſſumpta.* Sic quoad ſubſtantiam habet Iſidorus apud D. Thomam; congruitque vocabulo *parcimonia*: ,, Quod venit à *parci*, præteriti hujus verbi *parco*. Etenim *parcere*, inter alia quę habet ſignificata, idem quod abſtinere, inquit D. Thomas. Conformiter ad hanc doctrinam inquit Bellarminus: Nomen jejunii abſtinentiam à cibo videtur ſignificare; Gręcè enim *jejunare* dicitur à voce, quæ idem eſt ac *non edere*; undè venit nomen latinum *inedia*. Diximus jejunium Eccleſiaſticum, de quo in præſentiarum adverſus hæreticos diſputamus. Multiplex ſiquidem diſtinguitur jejunium, ſeu quadrupliciter accipitur, *ſpirituale* nimirùm, *morale, naturale, Eccleſiaſticum.* Jejunium ſpirituale dicitur abſtinentia à vitiis, juxta illud: *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi, diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, &c. Jejunium magnum*, (inquit S. Auguſtinus) *& generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſæculi.* Et rurſus: *Scriptura* (inquit) *docet generale jejunium, non à concupiſcentia ciborum tantùm, ſed ab omni lętitia temporalium delectationum.* Cæterum hæc abſtinentia metaphoricè jejunium ap-

S. Iſidorus lib. 2. de Summo bono cap. 48. & ultimo.

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 3. a. 1

Ethimologia, deſcriptio, & multiplex jejunii acceptio.

Iſaiæ 58. v. 6.

S. Auguſt. tract. 17. in Joannem.

pellatur, ſicut ipſa delectatio vitioſa cibus non eſt, niſi metaphoricè. Sic Bellarminus, & ante ipſum Divus Thomas, qui ſibi opponens ad probandum, jejunium non eſſe actum abſtinentię, illud Hieronymi: *Jejunium non ſolùm eſt ab eſcis; ſed à cunctis illecebris abſtinere.* Ita reſpondet: ,, Dicendum, quòd eadem eſt materia habitùs, & actùs. Undè omnis actus virtuoſus, qui eſt circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet, quæ medium in illa materia conſtituit. Jejunium autem attenditur in cibis, in quibus medium adinvenit abſtinentia. Undè manifeſtum eſt, quòd jejunium eſt abſtinentiæ actus. Teſtimonium autem Hieroymi ita exponit; ,, Dicendum, quòd jejunium propriè dictum conſiſtit in abſtinendo à cibis. Sed metaphoricè dictum conſiſtit in abſtinendo à quibuſlibet nocivis, quæ maximè ſunt peccata. Idem argumentum oppoſuit in Sententiariis contra diffinitionem Iſidori: Et reſpondet: ,, Quòd diffinitio illa Hieronymi intelligitur de jejunio ſpirituali, & non de jejunio corporali.

D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 2.
In corp. art.
Solut. ad 1.
In 4 diſt. 15. q. 3. a. 1. quęſt. 1. ad 2.

97 Jejunium morale, eſt (proſequitur Bellarminus) parſimonia illa, & temperantia cibi & potûs, quam Philoſophi quoque, duce natura & ratione, approbaverunt, & quam eorum aliqui tenuerunt. De qua vide S. Hieronymum in lib. ſecundo adverſus Jovinianum. De hoc etiam jejunio nos hoc loco minimè diſputamus. Jejunium naturale vocant Theologi abſtinentiam ab omni prorſus cibo, vel potu, quacunque ratione ſumpto. Dicitur autem ſumptus cibûs vel potûs, quando jam ad ſtomachum eſt tranſmiſſus. Si quis enim cibum aliquem deguſtatum continuò expueret, non ſolveret naturale jejunium. De hoc jejunio ſatis eſt adnotare in præſenti, ipſum exigi ad ſumptionem Euchariſtiæ (niſi in caſu ab Eccleſia præſcripto.) Quamvis enim Apoſtoli poſt Cœnam, Euchariſticum panem de manu Domini acceperint, congruentiſsimè nihilominus decrevit Eccleſia, ut non niſi ab omnimodè jejunis ſumatur Euchariſtia. Sic enim ſcribit Auguſtinus: * Liquidò apparet quando primùm acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos: Nunquid tamen propterea univerſæ calumniandum eſt Eccleſiæ, quòd à jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi: Nam ideò per univerſum orbem mos iſte ſervatur: Neque quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere: Nam Salvator, quò vehementiùs commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Diſcipulorum, à quibus ad paſsionem digreſſurus erat: Quod & refertur in Decretis.

Jejunium naturale, pro ſumenda Euchariſtia, congruentiſsimè imperatum ab Eccleſia.
S. Auguſt. Ep. 118. ad Januarium cap. 6.
In Decret. diſt. 2. de conſecrat. cap. Liquidò.

98 Nec Auguſtinus ſolùm & alii Patres communiter; ſed & Paulus ipſe jam tradiderat juxta D. Thomæ expoſitionem. *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt dominicam cœnam manducare.* Hæc enim verba licèt poſsint referri contra abusùs Corinthiorum, quos reprobat Apoſtolus à v. 19. præcedenti. ,, Melius tamen (inquit D. Thomas) poteſt referri ad ea quæ ſequuntur: Ut ſit ſenſus: Non ſolùm convenientibus vobis ſciſſuræ ſunt inter vos; ſed vobis convenientibus, jam (id eſt, in præſenti) hoc detrimentum ſive damnum habetis, quod non eſt (id eſt, non licet vobis) dominicam cœnam manducare, ad quam pranſi acceditis. Quia enim Dominus diſcipulis ſuis poſt cœnam hoc Sacramentum tradidit, ut legitur Matth. 26. volebant etiam Corinthii poſt communem cœnam ſumere Corpus Chriſti: Sed Dominus hoc rationabiliter fecit propter tria. Primò quidem, quia ordine congruo figura præcedit veritatem: Agnus autem paſchalis erat figura ſive umbra hujus Sacramenti: Et ideo poſt cœnam agni paſchalis Chriſtus hoc Sacramentum dedit. Dicitur enim Coloſſ. 2. de omnibus legalibus quòd ſunt *umbra futurorum, Corpus autem Chriſti*: Secundò ut ex hoc Sacramento ſtatim ad paſsionem tranſiret, cujus hoc Sacramentum eſt memoriale: Et ideò dixit Diſcipulis: *Surgite, eamus hinc*; ſcilicet ad paſsionem: Tertiò ut arctiùs imprimeretur hoc Sacramentum cordibus diſcipulorum, quibus ipſum tradidit in ultimo ſuo receſſu: Sed in reverentiam tanti Sacramenti poſtmodùm Eccleſia inſtituit, quòd non niſi à jejunis ſumatur: quo excipiuntur infirmi, qui in neceſsitate (quæ legem non habet,) poſſunt non jejuni ſumere Corpus Chriſti. Quia verò aqua non ſolvit jejunium, æſtimaverunt quidam, quòd poſt potum aquæ poſſet aliquis ſumere hoc Sacramentum; prȩſertim quia (ut dicunt) aqua non nutrit, ſicut nec aliquod aliud ſimplex elementum. Quamvis autem aqua ſecundùm ſe non nutriat, & de hoc non ſolvat jejunium Eccleſiæ, ſecundùm quod dicuntur aliqui jejunantes, nutrit tamen aliis admixta; & ideò ſolvit jejunium naturæ: Secundùm hoc dicuntur aliqui jejuni, qui ſcilicet eâdem die nihil ſumpſerunt, nec cibi, nec potûs: Et quia reliquiæ cibi, quæ in ore remanent, ſumuntur per modum ſalivæ, hoc non impedit aliquos eſſe jejunos: Similiter etiam non impedit aliquos eſſe jejunos ſi tota nocte nihil dormierint, vel ſi etiam non ſint plenè digeſti; dummodo eâdem die omninò cibi vel potûs nihil ſumpſerint: Undè quia principium diei eſt ſumendum ſecundùm uſum Eccleſiæ à media nocte, ideò quicunque poſt mediam noctem aliquid ſumpſerit quantumcunque modicum cibi, vel potûs, non poteſt eâdem

1. Corinth. 11 v. 20.
D. Thom. ibid. lect. 4.
Apoſtolus etiã ſignificat.

dem

die ſumere hoc Sacramentum. Similia tradit S. Doctor in Summa Theologica.

2. 2. q. 147. a. 2. ad 2.

99 Ad definitionem quam ſubjecimus jejunii Eccleſiaſtici quòd attinet, ſatis firmam eſſe ſignificabimus, ſi jejunium ad abſtinentiam formaliter pertinere ſtatuamus cum Div. Thoma oſtendente, non ſolum ex laudato Iſidoro, ſed ratione jam ſupra indicata. Diximus formaliter: nam directivè aut imperativè ad alias virtutes pertinere tradit Div. Thomas ad 2. inquiens: ,, Quòd nihil prohibet actum unius virtutis pertinere ad aliam virtutem, ſecundùm quòd ad ejus finem ordinatur, ut ex ſupradictis q. præc. a. 2. & 1. 2. q. 18. a. 7. patet. Et ſecundùm hoc nihil prohibet jejunium pertinere ad religionem, vel ad caſtitatem, vel ad quamcunque aliam virtutem. Similia tradit in loco Sententiarum, inquiens: ,, Quòd quamvis aliquis actus à pluribus virtutibus poſsit procedere, ſicut ab imperantibus ipſum, vel dirigentibus ad eum, vel quocunque modo ad ipſum juvantibus, tamen illius virtutis propriè actus dicitur, quæ elicit ipſum à qua ſcilicet procedit formaliter quaſi in ſimilitudinem ſpeciei, ſicut calefactio à calore: ſed tàm virtutes quàm actus virtutum penès objecta diſtinguuntur, & ideò actus ab illa virtute elicitur, qui ſecum convenit in propria ratione objecti. Et quia jejunium in objecto cum temperantia convenit quantùm ad illam temperantiæ partem, quæ abſtinentia dicitur, ideò ejus actus propriè jejunium eſt, quamvis ab aliis virtutibus procedere per dictos modos etiam poſsit. Angelico Doctori præluxerunt de more Sancti Patres jejunium reponentes inter abſtinentiæ actus: *Ego*, ajebat Bernardus, *interdùm abſtineo, ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt pro peccato, non ſuperſtitio pro impietate.* Et rurſus: *Pro eo quod ipſis quoque licitis abſtinemus, ea nobis, quæ prius commiſimus, illicita condonantur.*

Jejunium à temperantia elicitur, ab aliis virtutibus imperari ſolet.
In loco Sentent. quæſt. 3.
S. Bernardus ſerm. 66. in Cãtic. ſerm. 4. de Quadrageſima.

100 Quænam autem Eccleſiæ regulæ ſint circa horam comeſtionis aliaſque circunſtantias jejunii, juxta diverſitatem temporis quodammodo diverſas, poſtea explicabitur. Nunc autem oſtendere eſt quàm convenienter à carnibus præcipiat abſtinendum, & in aliquibus jejuniis ab ovis & lacticiniis. ,, Reſpondeo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, jejunium ab Eccleſia eſt inſtitutum ad reprimendas concupiſcentias carnis, quæ quidem ſunt delectabilium ſecundùm tactum, quæ conſiſtunt in cibis & venereis: & ideò illos cibos Eccleſia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo maximè habent delectationem, & iterùm maximè hominem ad venerea provocant. Hujuſmodi autem ſunt carnes animalium in terra naſcentium & reſpirantium, & quæ ab eis procedunt: ſicut lacticinia ex greſsibilibus, & ova ex avibus. Quia enim hujuſmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum: & ſic ex eorum comeſtione plus ſuperfluit, ut vertatur in materiam ſeminis, cujus multiplicatio eſt maximum incitamentum luxuriæ. Et ideò ab his cibis præcipuè, jejunantibus Eccleſia ſtatuit eſſe abſtinendum. Breviùs autem de eſu carnium loquitur in loco Sententiarum dicens, quòd ille dicitur jejunium ,, Eccleſiæ ſolvere, qui ſtatutum modum abſtinendi ab Eccleſia non ſervat. Cùm autem jejunium Eccleſia inſtituerit ad ſatisfaciendum & concupiſcentiam reprimendum, ſicut determinavit abſtinentiam jejunii quantùm ad numerum, ut ſcilicet ſemel tantùm jejunans comederet ad afflictionem carnis propter ſatisfactionem: ita taxavit ut à carnibus abſtineretur, quia hoc genere cibi, præcipuè concupiſcentia fovetur & roboratur: undè comeſtio carnium jejunium ſolvit ab Eccleſia inſtitutum.

D. Thom. q. 147 ut ſuprà a. 7. in corp.
Eſum carnium pro jejunio, convenientiſſimè prohibuit Eccleſia: ſicut ova, & lacticinia in aliquibus jejuniis.
In loco Sentent. art. 4. q. 2. in corp.

101 Ex eodem motivo abſtinentiæ in jejuniis exercendæ, ſtatuit Eccleſia unicam comeſtionem. ,, Intendit Eccleſia (inquit D. Thomas) certum modum ſtatuere manducandi, ut ſcilicet ſemel in die jejunans manducet, & ideò ſi aliquorum ſumptio, ſecundùm quæ manducatio ſolet compleri, iteretur, jejunium prædicto modo acceptum ſolvitur. Si autem aliqua ſumantur, quæ ad manducandum de ſe ordinata non ſunt, ſed ad alium uſum, qui uſus communiter manducatio non vocatur, talis cibi vel potûs ſumptio præter manducationem unam ante vel poſt, non facit eſſe binam manducationem: & ideò talis ſumptio jejunium non ſolvit. Hujus ſtatuti convenientiam indicat D. Thomas in Summa Theologica verbis illis: ,, Reſpondeo dicendum, quòd jejunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam: ita tamen, quòd natura ſalvetur. Ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt & naturæ ſatisfacere, & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit, diminuendo comeſtionum vices. Et ideò Eccleſiæ moderatione ſtatutum eſt, ut ſemel in die à jejunantibus comedatur. Producta Eccleſię Sanctæ ſtatuta quantùm abſtinentiæ congruant, docuit nos D. Thomas, & in ſequentibus articulis adversùs hæreticos firmabimus. Si quæ autem ſunt aſſertioni propoſitæ obſtantia, cum D. Thoma proponimus hìc & diſſolvimus.

In loco Sententi a. 4. quæſt. 1.
Motivum unicæ comeſtionis in jejunio.
Q. 147. ut ſup. a. 6.

OBJECTA DISSOLUTA.

102 Jejunium non pertinere ad virtutem abſtinentiæ, ac proindè diffinitionem ex Iſidoro traditam, non eſſe convenientem, hæc præſertìm objecta propoſita à D. Thoma indicant: Ad fortitudinem pertinet, moleſtias ſuſtinere; ſed hoc accidit in jejunio: magis ergo ad fortitudinem quàm ad temperantiam dicendum eſt pertinere. Præterea: quia multi ſervant parſi-

moniam in victu & abſtinentiam in cibis, qui tamen pluriès in die manducant; ſed tales non dicuntur jejunantes: ergo jejunium non videtur pertinere ad abſtinentiam; vel ſaltem definitio prædicta non convertitur cum jejunio. Præſertìm, quia ad obſervationem jejunii videtur non ſolùm pertinere abſtinere à cibis, ſed etiam lugere, & unguento non uti, ut patet Dan. 10. *In diebus illis lugebam ego Daniel, &c.* Sed de his non fit mentio in prædicta aſsignatione ſeu definitione: ergo inſufficiens eſt. Hæc tamen argumenta, cum eodem à quo proponuntur Doctore Angelico diſſolvuntur: Ad primum ita diſtinguimus: ut dicamus proprium eſſe fortitudinis non quaſcunque moleſtias ſuſtinere; ſed perferre moleſtias ab exteriori illatas, quod non eſt in jejunio (inquit Div. Thomas in loco Sententiarum) ſivè ut habet in Summa. ,, Ad tertium dicendum, quòd ad fortitudinem, ,, ſecundùm quòd eſt ſpecialis virtus non ,, pertinet perferre quaſcunque moleſtias, ,, ſed ſolùm illas quæ ſunt circa pericula ,, mortis. Sufferre autem moleſtias, quæ ,, ſunt ex defectu delectabilium tactûs, pertinet ad temperantiam, & ad partes ejus: ,, & tales ſunt moleſtiæ jejunii.

In loco Sentent. a.1. q.3. ad 2.

Perferre moleſtias ex defectu delectabilium tactus, non pertinet ad fortitudinem.

Q. 147. ut ſup. a.2. ad 3.

103 Ad ſecundum reſpondet D. Thomas in loco Sententiarum: ,, Quod intelligenda eſt in prædicta definitione talis abſtinentia à cibis, aliàs licitis, qualem Eccleſia jejunantibus determinat; & ſic objectio ceſſat. ,, Ad tertium reſpondet, quòd ,, jejunium ex ſuo nomine directè importat abſtinentiam in cibis: undè illæ obſervationes quæ à jejunantibus Patribus ,, obſervatæ leguntur, non ſunt de eſſentia ,, jejunii, ſed ad modum jejunandi pertinent, & propter hoc non oportet, quòd ,, in definitione jejunii mentio de eis ,, fieret.

In loco Sentent. q.1. ad 4.

Ad jejunium abſtinentia requiritur juxta Eccleſię præſcriptum.

104 Adversùs abſtinentiam à carnibus, & unicam comeſtionem præter argumenta hęreticorum infra diluenda, ſic opponi poteſt cum Sanct. Doctore: ,, Jejunium namque inſtitutum eſt ad concupiſcentias ,, carnis ręfrænandas; ſed magis concupiſcentiam provocat potus vini, quàm eſus ,, carnium, ſecundùm illud Prov. 20. *Luxurioſa res eſt vinum.* Et ad Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* ,, Cùm ergo non interdicatur jejunantibus ,, potus vini, videtur quòd non debeat interdici eſus carniũ. Præterea: Aliqui piſces ita ,, delectabiliter comeduntur, ſicut quædam ,, animalium carnes, ſed concupiſcentia eſt ,, appetitus delectabilis, ut ſupra 1.2. quæſt. ,, 30. ar. 1. habitum eſt: Ergo in jejunio, ,, quod eſt inſtitutum ad concupiſcentiam ,, refrænandam, ſicut non interdicitur eſus ,, piſcium, ita non debet interdici eſus carnium. Tandem, in quibuſdam jejuniorum diebus, aliqui ovis & caſeo utuntur. Ergo pari ratione in jejunio Quadrageſimali talibus homo uti poteſt. Adversùs unicam comeſtionem ſic opponi poteſt cum Sanct. Doctore: ,, Jejunium enim ,, eſt actus virtutis abſtinentię, quæ quidem ,, non minùs obſervat debitam quantitatem cibi: quàm comeſtionis numerum: ,, non autem taxatur jejunantibus quantitas cibi: Ergo nec numerus comeſtionis ,, taxari debet. Præterea: Electuaria quidam cibi ſunt, quę tamen à multis in ,, diebus jejunii poſt comeſtionem ſumuntur: ergo unitas comeſtionis non eſt de ,, ratione jejunii. Sivè ut habet in loco ,, Sententiarum: Electuaria etiam cibi quidam ſunt; ſed eorum aſſumptio jejunium ,, non ſolvit, quod patet ex communi conſuetudine multorum, qui etiam diebus ,, jejunii abſque conſcientia fractionis jejunii electuaria in magna quantitate manducant. Ergo nec ciborum aliorum iterata aſſumptio jejunium ſolvit.

105 Diſſolvit tamen Div. Thomas prędicta argumenta. ,, Ad primum dicendum, ,, quòd ad actum generationis tria concurrunt ſcilicet, calor, ſpiritûs, & humor. Ad calorem quidem maximè cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus. Ad ſpiritûs autem videntur cooperari inflativa: ſed ad humorem maximè ,, cooperatur uſus carnium, ex quibus multum de alimento generatur. Alteratio autem caloris, & multiplicatio ſpirituum ,, citò tranſit, ſed ſubſtantia humoris diù ,, manet. Et ideò magis interdicitur jejunantibus uſus carnium, quàm vini, vel ,, leguminum, quæ ſunt inflativa. Ad ſecundum dicendum, quòd Eccleſia jejunium inſtituens intendit ad id, quòd ,, communiùs accidit. Eſus autem carnium ,, eſt magis delectabilis communiter, quàm ,, eſus piſcium, quamvis in quibuſdam aliter ſe habeat. Et ideò Eccleſia magis jejunantibus prohibuit eſum carnium, quàm ,, eſum piſcium. Ad ultimum reſpondet, ,, dicendum, quòd ova & laticinia jejunantibus interdicuntur, inquantùm ſunt ,, ex animalibus exorta carnes habentibus: ,, undè principaliùs interdicuntur carnes, ,, quàm ova vel lacticinia. Similiter etiam ,, inter alia jejunia ſolemniùs eſt Quadrageſimale jejunium, tùm quia obſervatur ,, ad imitationem Chriſti; tùm etiam, quia ,, per ipſum diſponuntur ad redemptionis ,, noſtræ myſteria celebranda; & ideò in ,, quolibet jejunio interdicitur eſus carnium. In jejunio autem quadrageſimali ,, interdicuntur univerſaliter etiam ova & ,, lacticinia, circa quorum abſtinentiam in ,, aliis jejuniis diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos, quas quiſque obſervare debet ſecundùm morem eorum, ,, inter quos converſatur. Unde Hieronymus in epiſtola ad Lucium loquens de ,, jejuniis, dicit. *Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum* ,, *leges Apoſtolicas arbitretur.*

Q. 147. a. 8. ad 1.

Magis fovet venerem eſus carniũ, quàm vini potus.

Solut. ad 2.

Eſus carnis per ſe eſt magis delectabilis.

Solut. ad 3.

Congruenter in Quadrageſima interdicuntur ova, & lacticinia.

106 Argumenta deinde adversùs unicam comeſtionem, ipſo Sancto Doctore loquente ita diſſolvimus: ,, Ad primum, dicendum, quòd quantitas cibi non potuit ,, eadem omnibus taxari propter diverſas ,, corporum complexiones, ex quibus contingit, quòd unus majori, alter minori ,, cibo indiget: ſed ut plurimum, omnes ,, poſſunt naturæ ſatisfacere per unicam comeſtionem. Ad ſecundum reſpondet Div. ,, Thomas, quòd electuaria, etiamſi aliquo ,, modo nutriant, non tamen principaliter ,, aſſumuntur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum. Unde non ſolvunt ,, jejunium, ſicut nec aliarum medicinarum ,, aſſumptio, niſi fortè aliquis in fraudem ,, electuaria in magna quantitate aſſumat ,, per modum cibi. Diffuſiùs loquitur in loco Sententiarum eidem argumento ita occurrens. ,, Dicendum, quòd quidam dicunt, ,, quòd ſi electuaria comedantur ad delectationem ſolvunt jejunium, ſi autem ,, causâ medicinæ ſumantur, non ſolvitur ,, jejunium; ſed ſtatutum poſitivæ legis non ,, attendit intentionem obſervantis, ſed ipſum actum, eò quod modus virtutis non ,, cadit in præcepto; ſed eſt finis præcepti, ,, ſed ex intentione poteſt aliquis mereri, ,, vel demereri: & ideò dicendum, quòd ,, electuaria etſi aliquo modo nutriant, ,, non tamen is eſt principalis uſus eorum. Unde nec loco manducationis ſumi conſueverunt; & ideò talis ſumptio ,, jejunium Eccleſiæ non ſolvit, quamvis ,, homo poſsit totaliter, vel in parte ex ,, hoc meritum jejunii perdere, vel etiam ,, mortaliter peccare, ſi ſit immoderata libido, non tamen eſt tranſgreſſor præcepti Eccleſiæ, niſi in fraudem ſumeret, ,, aut ſi eis quaſi aliis cibis uteretur ad ,, famem extinguendam. Nomine autem *electuariorum*, ut ex ipſo textu deducitur, intelliguntur confectiones quædam medicinales in modum pilularum, vel tabulularum, quæ ſenſim in ore dilabuntur ad pectus emolliendum, aut juvandam digeſtionem.

Non poteſt quantitas cibi ita taxari: ſicut unica comeſtio.

Q. 147. a. 6. ad 1.

Solut. ad 3.

In loco ſent. a.4 q.1. ad 3.

Qualiter electuaria illicite ſumantur.

ARTICULUS VIII.

Ciborum delectum religiosè pro jejunio determinavit Eccleſia.

107 DELECTUM ciborum ad jejunium pertinere diximus, & loquente Doct. Angelico oſtendimus; indeque corruere indicatos errores, notum fit. Cùm enim Eccleſia carnem, & reſpectivè ova cum lacticiniis carni accedentibus prohibeat, reliquos cibos edendos reliquit; quin & quos prohibet, non quia natura malos aut immundos judicet, ſed abſtinentiæ gratiâ, ab illis ſumendis ſuos revocat fideles, ut ſatis evincimus cum D. Thoma num. 99. præcedenti & ſequentibus. Ut jam inde pateat impudentiſsima ignorantia Kemnitii in 4. p. Examinis Tridentini pag. 460. ita obloquentis: * Laborant Pontificii magno conatu amoliri ſuſpicionem iſtam, quaſi cibos quoſdam prohibeant, ea opinione, ſicut olim Tatianus, Manichæi & Priſcilianiſtæ, quaſi ſcilicet vel maledicti ſint, vel à Diabolo occupati, ac propterea conſcientiam inquinent; ſed argumenta, quibus ſuam prohibitionem ciborum ante hæc tempora probare & ſtabilire conati ſunt, & Pontificiæ conſecrationes creaturarum ſeu ciborum, prorsùs oſtendunt, in eodem ipſos luto cum antiquis iſtis hæreticis hærere. * At impudentem iſtam calumniam facilè refellit Eccleſię conſuetudo. Primùm enim cibos omnes etiam carnes & ova comedunt Catholici extra Quadrageſimam, & alios dies jejuniis, vel abſtinentiæ deputatos. At ſi carnes & ova per ſe immunda eſſe crederent, nullo tempore illa contingerent. Quod enim per ſe immundum eſt, ſemper immundum eſt. Quare Tatianiſtæ, Manichæi & Priſcilianiſtæ non certis diebus, ſed omni tempore à carnibus abſtinebant.

Craſſa & impudens Kemnitii allucinatio.

108 In hujuſmodi autem hæreticorum errore confutando non habemus multùm hic immorari; poſtquàm Paulus illos prænindicans hæreticos, ſicut & eos qui cibos in antiqua lege prohibitos, immundos etiam nunc volunt. Præindicat utique & pręfocat ad Timotheum ſcribens: *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* His namque verbis inter alia hæreſim pręſignat & prædebellat Manichæorum, qui non ſolùm matrimonium damnaverunt; ſed etiam uſum quorundam ciborum, de quibus adnotat Div. Thomas ibidem in Commentario, quod abſtinere à cibis poteſt illicitè fieri: Uno modo propter legis præceptum, quaſi legalia adhuc eſſent ſervanda (de quo infra dicemus.) ,, Alio modo ſubjungit Div. Thomas) ſecundùm hæreſim ,, Manichæorum; non quia prohibitum lege (quam damnant) ſed quia dicunt quod ,, in carnibus, ovis & vino & hujuſmodi ,, (id eſt in aliqua talium particula) divina ,, natura eſt commixta; quod non poteſt ,, de Deo putari. Non videtur autem hoc ,, dicere de cibis legalibus; quia dicit ,, *in noviſſimis diebus*, ſed de prohibitis à ,, Manichæis: Et iſtos Manichæos *dæmones* ,, vocat, quia inter omnes hæreſes plus ,, dant diabolo de honore; quia ponunt

1. ad Timoth. 4. à v. 1.

Cibos naturæ bonos, loquẽte Paulo, ſtatuit Angelicus Pauli Diſcipulus.

D. Thom. lect. 1. in locum Pauli.

,, eum principium ex æquo cùm Deo bono,
,, ponentes eum principium viſibilium. Im-
,, probat autem Apoſtolus hanc erroneam
,, doctrinam dupliciter: ſcilicet ex inten-
,, tione Dei creantis cibos. Secundò ex
,, conditione creaturæ, ibi, *omnis creatura.*
,, Dicit ergo quòd prohibent abſtinere; &
,, hoc contra intentionem Dei, qui *creavit*
,, *eos ad percipiendum.* Geneſ. 1. & 9. *Si-*
,, *cut olera virentia dedi vobis omnia, &c.*
,, Sed dicis: Nunquid plantę propter ani-
,, malia, & animalia propter homines?
,, Reſpondeo dicendum quòd ſic; ſecun-
,, dùm etiam Philoſoph. in 1. Politic. quia
,, imperfectum ordinatur ad perfectius: &
,, ideò ſicut in generatione eſt multiplex
,, perfectio; primò ſcilicet plantarum, de-
,, inde animalium, & ultimò humana, ita
,, in uſu rerum. Et ideò ad percipiendum,
,, ſed *cum gratiarum actione.* 1. Theſſal.
,, ultim. *In omnibus gratias agite.* Quia
,, ſcilicet conceſſa ſunt vobis à Deo: Pſal.
,, 22. *Edent pauperes, & laudabunt Do-*
,, *minum, &c.* Et ſubdit: *Fidelibus*, quia
,, illi qui percipiunt cum gratiarum actio-
,, ne, ſunt fideles: nullus enim poteſt gra-
,, tias agere Deo pro eo quod illicitum
,, eſt: ſtultus enim eſt qui agit gratias de
,, fornicatione Deo, quia Deus non eſt
,, auctor malorum: ergo ille gratias agit,
,, qui habet hoc quòd uſus ciborum ſit li-
,, citus. Et hoc quidem innoteſcit per fi-
,, dem ſolam: & ex iſta ratione dicit, *fi-*
,, *delibus.*

109 Deinde cùm dicit, *Qui cognove-*
,, *runt veritatem. Quia omnis, &c.* Improbat
,, errorem ex conditione creaturæ: & pri-
,, mò proponit creaturam eſſe bonam, ſe-
,, cundùm ſe: Secundò quantum ad uſum.
,, Dicit ergo *Omnis creatura eſt bona*, ſci-
,, licet in ſua natura: Geneſ. 1. *Vidit Deus*
,, *cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*
,, A bono etiam Auctore nihil eſt niſi bo-
,, num; ſed quia multa ſunt in ſe bona,
,, quorum tamen uſus non eſt bonus, ideò
,, probat omnem creaturam eſſe bonam
,, non ſolùm in ſe, ſed & quantum ad uſum:
,, & primò ponit intentum: ſecundò pro-
,, bat, ibi, *Sanctificatur enim.* Dicit ergo:
,, *Nihil rejiciendum eſt* (ſcilicet ex debito
,, Divinæ legis, quamvis ſic ex alia cauſa)
,, ſicut venenum comedere, inquantùm ci-
,, bus, non eſt peccatum; ſed rejiciendum
,, eſt inquantùm eſt mortiferum: ſimiliter
,, nec alii cibi inquantùm res tales ſunt,
,, non ſunt rejiciendi, ſed inquantùm in-
,, citant ad laſciviam: ergo ſecundùm diſ-
,, cretionem rationis, & ordinationem cha-
,, ritatis, non ſunt rejiciendi: Matth. 15.
,, *Omne quod intrat in os, non coinquinat*
,, *hominem, &c.* Quare ergo aliqui cibi in
,, veteri lege ſunt prohibiti? Auguſtinus
,, ponit rationem contra Fauſtum (lib. 6.
,, cap. 7.) quia in illo ſtatu non ſolùm per
,, verba, ſed etiam per facta præfiguratus
,, eſt Chriſtus: & ideò in cibis, veſtibus, &
,, ſacrificiis fuerunt figuræ futuri ſtatûs.
,, Non ergo prohibentur ſecundùm ſe; ſed
,, quia immundorum figuræ ſunt: ſicut por-
,, cus eſt ſignum immundæ vitæ: & ideò
,, prohibitio carnis ejus eſt ſignum quòd in
,, lege Chriſti eſt prohibita omnis immun-
,, ditia. Et eſt exemplum Auguſtini: Hoc
,, nomen *fatuus* poteſt conſiderari ſecun-
,, dùm quòd eſt vox compoſita ex litteris:
,, & ſic eſt bona; vel inquantùm ſignum &
,, ſignificativa talis rei, & ſic mala eſt &
,, prohibita.

110 Verba Auguſtini à Div. Thoma lau-
dati ea ſunt: *Si de porco & agno requira-*
tur, utrunque natura mundum eſt, quadam
verò ſignificatione agnus mundus, porcus
immundus eſt: tanquàm ſi ſtultum & ſa-
pientem diceres, utrunque hoc verbum na-
turâ vocis & litterarum & ſyllabarum
quibus conſtat, utique mundum eſt: ſigni-
ficatione autem unum horum (ſcilicet ſtul-
tus) *immundum dici poteſt, quia quiddam*
immundum ſignificat. Omnis ergo creaturę
(concludit Div. Thomas) uſus ſecundùm ſe
eſt bonus. Hinc corruunt Manichæi ex una
parte, & judaizantes ex alia, propter ratio-
nes Divi Thomæ contra utroſque hæreticos.
Præluxit de more Auguſtinus, inquiens:
Mali auctor non eſt, qui omnium quæ ſunt,
auctor eſt; quia inquantùm ſunt, intan-
tùm bona ſunt. Et compendiosè: *Quod bo-*
nus auctor creavit, bonum eſt. Judaizantes
debellat Div. Thomas ex Auguſtino, ut di-
ximus docens: non fuiſſe prohibitos in an-
tiqua lege cibos quoſdam: *Quia ſecundùm*
ſe immundi, ſed quia immundorum figurę
ſunt. Subiectam doctrinam cum eodem Au-
guſtino luculenter tradit Doctor Angelicus
ad verba Matthæi adducta, inquiens: ,, Con-
,, tra illud objicitur, quod habent per ve-
,, terem legem. Habent enim Levit. 11.
,, quòd multa cibaria prohibentur, unde
,, homines fiebant immundi. Reſpondet Au-
,, guſtinus contra Fauſtum dicens, quòd
,, aliquid dicitur immundum dupliciter.
,, Uno modo ſecundùm naturam ſuam: &
,, ſic nulla ſunt immunda, ſecundùm illud
,, ad Timotheum 4. *Omnis creatura Dei bo-*
,, *na eſt, & nihil rejiciendum quod cum*
,, *gratiarum actione percipitur.* Item ali-
,, quid poteſt eſſe immundum ſecundùm ſig-
,, nificationem. Et ſic poteſt aliqua res eſſe
,, ſignum munditiæ. Ut ſi accipiamus por-
,, cum & agnum in ſua natura, utrunque
,, eſt bonum. Tamen ſua ſignificatione por-
,, cus ſignificat immunditiam: agnus inno-
,, centiam. Ideò quantùm ad ſignificatio-
,, nem, unum eſt mundum, aliud immun-
,, dum. Et quia ante adventum Chriſti erat
,, tempus in quo vivebant ſub figuris; quia
,, non adhuc patebat veritas, ideò illæ ob-
,, ſervantiæ erant ſervandæ & cadebant
,, ſub præcepto. Sed quia in adventu Chri-
,, ſti veritas manifeſtabatur, ceſſabat figura,
,, ideòque & lex. Id ipſum ferè ad litteram
tradiderat Commentario in Paulum, Pau-
li Angelicus diſcipulus; ſubjungens tamen:
,, Illis cibis utatur quibus non occurrit
,, ali-

S. Auguſt. lib. 6. contra Fauſtum c. 7.

Lib. 83. qq. q. 21.

Lib. de Natura & Gratia c. 54 verſùs finem.

Manichæi, & Judaizantes, cum Apoſtolo, & Auguſtino loquente D. Thoma, proteruntur.

D. Thom. Comment. in c. 15. Matth.

Lect. 1. in c. 14. Epiſt. ad Rom.

,, aliquod immundum in lege prohibitum:
,, In ſingulis enim generibus animalium
,, (puta terreſtribus volatilibus & aquaticis)
,, quædam genera erant conceſſa, & quæ-
,, dam prohibita; ſed in herbis & arbori-
,, bus nihil erat prohibitum; ut patet Le-
,, vitic. 11. Et hujus poteſt eſſe ratio du-
,, plex: Una eſt, quia terræ naſcentia fue-
,, runt à principio conceſſa homini ad eden-
,, dum: ſecundùm illud Geneſ. 1. *Ecce de-*
,, *di vobis omnem herbam afferentem ſemen*
,, *ſuper terram, & univerſa ligna, quæ*
,, *habent in ſemetipſis ſementem generis ſui,*
,, *ut ſint vobis in eſcam:* Sed poſt diluvium
,, primò legitur homini conceſſus carnium
,, eſus: Undè dicitur Geneſ. 9. *Quaſi ole-*
,, *ra virentia tradidi vobis omnia*, ſcilicet
,, animalium genera. Alia ratio eſt, quia
,, primam prohibitionem de abſtinendo à
,, quibuſdam terræ naſcentibus, homo in
,, paradiſo tranſgreſſus fuerat, ut patet Ge-
,, neſ. 3. & propter hoc non erat ei ſimi-
,, lis prohibitio iteranda.

Quinam cibi in antiqua lege, & qualiter immundi haberentur.

111 Audivimus hucuſque debellatos Ma-
nichæos & Judaizantes hæreticos à Docto-
re Angelico Pauli & Matthæi commentato-
rem agente: ignoſcet tamen Lector ſi ipſum
proponamus tanquàm Scholæ Principem di-
lucidè oſtendentem (etſi pluribus verbis) qui-
nam, & qua ratione prohibiti antiquitùs
fuerunt pro Judęis cibi. Cum enim ſibi op-
poſuiſſet legem Levitici jam laudatam; ſic
reſpondet: ,, Ad primum dicendum, quòd
,, ſicut ſupra dictum eſt art. 3. ad 4. duplex
,, pollutio, vel immunditia obſervabatur
,, in lege. Una quidem culpæ, per quam
,, polluebatur anima: alia autem corrup-
,, tionis cujuſdam, per quam quodammo-
,, dò inquinatur corpus. Loquendo igitur
,, de prima immunditia, nulla genera ci-
,, borum immunda ſunt, vel hominem in-
,, quinare poſſunt ſecundùm ſuam naturam:
,, undè dicitur Matthęi 15. *Non quod in-*
,, *trat in os, coinquinat hominem: ſed quæ*
,, *procedunt de ore, hæc coinquinant homi-*
,, *nem*, & exponitur hoc de peccatis. Poſ-
,, ſunt tamen aliqui cibi per accidens in-
,, quinare animam, inquantùm ſcilicet con-
,, tra obedientiam, vel votum, vel ex ni-
,, mia concupiſcentia comeduntur, vel in-
,, quantum præbent fomentum luxuriæ,
,, propter quod aliqui à vino, & carnibus
,, abſtinent. Secundùm autem corporalem
,, immunditiam, quæ eſt corruptionis cu-
,, juſdam, aliquæ animalium carnes immun-
,, ditiam habent, vel quia ex rebus immun-
,, dis nutriuntur, ſicut *porcus*, aut immun-
,, dæ conſervantur, ſicut quædam animalia
,, ſub terra habitantia, ſicut *talpæ*, & *mu-*
,, *res*, & alia hujuſmodi, undè etiam quen-
,, dam fœtorem contrahunt: vel quia eo-
,, rum carnes propter ſuperfluam humidi-
,, tatem, vel ſiccitatem corruptos humo-
,, res in corporibus humanis generant, &
,, ideò prohibitę ſunt eis carnes animalium
,, habentium ſoleas, ideſt ungulam conti-
,, nuam, non fiſſam propter eorum terre-
,, ſtreitatem, & ſimiliter ſunt eis prohibi-
,, tæ carnes animalium habentium multas
,, fiſſuras in pedibus, quia ſunt nimis cho-
,, lerica, & aduſta, ſicut carnes *leonis*, &
,, hujuſmodi: & eâdem ratione prohibitæ
,, ſunt eis aves quædam rapaces, quæ ſunt
,, nimiæ ſiccitatis, & quædam aves aqua-
,, ticæ propter exceſſum humiditatis.

D. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 1.

Prima ratio prohibitionis.

Animalia terreſtria prohibita.

Aves prohibitæ.

112 ,, Similiter etiam quidam piſces,
,, non habentes pennulas, & ſquammas, ut
,, *anguillæ*, & hujuſmodi propter exceſſum
,, humiditatis. Sunt autem eis conceſſa ad
,, eſum animalia ruminantia, & findentia
,, ungulam, quia habent humores benè di-
,, geſtos, & ſunt mediæ complexionis: quia
,, nec ſunt nimis humida, quod ſignificant
,, ungulæ: neque ſunt nimis terreſtria, cùm
,, non habeant ungulam continuam, ſed
,, fiſſam. In piſcibus etiam conceſſi ſunt eis
,, piſces ſicciores, quod ſignificatur per hoc
,, quòd habent ſquammas, & pennulas: per
,, hoc enim efficitur temperata complexio
,, humida piſcium. In avibus etiam ſunt
,, eis conceſſæ magis temperatę, ſicut galli-
,, næ, perdices, & aliæ hujuſmodi. Alia ra-
,, tio fuit in deteſtationem idololatrię: nam
,, Gentiles, & præcipuè Ægyptii inter quos
,, erant nutriti, hujuſmodi animalia prohi-
,, bita idolis immolabant, vel eis ad ma-
,, leficia utebantur. Animalia verò, quæ
,, Judæis ſunt conceſſa ad eſum, non co-
,, medebant: ſed ea tanquàm Deos cole-
,, bant: vel propter aliam cauſam ab eis
,, abſtinebant, ut ſupra dictum eſt artic. 3.
,, ad 2. Tertia ratio eſt ad tollendam ni-
,, miam diligentiam circa cibaria, & ideò
,, conceduntur illa animalia, quæ de faci-
,, li, & in promptu haberi poſſunt. Gene-
,, raliter tamen prohibitus eſt eis eſus om-
,, nis ſanguinis, & adipis cujuſlibet anima-
,, lis: ſanguinis quidem, tùm ad vitandam
,, crudelitatem, ut deteſtarentur humanum
,, ſanguinem effundere, ſicut ſupra dictum
,, eſt artic. 3. ad 8. arg. tùm etiam ad vi-
,, tandum idololatriæ ritum: quia eorum con-
,, ſuetudo erat, ut circa ſanguinem congre-
,, gatum adunarentur ad comedendum in
,, honorem idolorum, quibus reputabant
,, ſanguinem acceptiſsimum eſſe: & ideò
,, Dominus mandavit, quòd ſanguis effun-
,, deretur, & quòd pulvere operiretur. Et
,, propter hoc etiam prohibitum eſt eis
,, comedere animalia ſuffocata, vel ſtrangu-
,, lata, quia ſanguis eorum non ſeparatur
,, à carne, vel quia in tali morte anima-
,, lia multùm affliguntur; & Dominus vo-
,, luit eos à crudelitate prohibere, etiam
,, circa animalia bruta, ut per hoc magis
,, recederent à crudelitate hominis, haben-
,, tes exercitium pietatis, etiam circa be-
,, ſtias. Adipis etiam eſus prohibitus eſt eis,
,, tùm quia idololatrę comedebant illum in
,, honorem Deorum ſuorum, tùm etiam
,, quia cremabatur in honorem Dei, tùm
,, etiam, quia ſanguis, & adeps non gene-
,, rant bonum nutrimentum quod pro cau-
,, ſa inducit Rabbi Moyſes in lib. Dux er-
,, ran-

Piſces prohibiti.

Secunda ratio prohibitionis.

Tertia prohibendi ratio.

Sanguis prohibitus & ſuffocata.

Adeps, & nervum.

rantium. Cauſa autem prohibitionis eſus nervorum exprimitur Geneſ. 32. ubi dicitur, quòd *non comedunt filii Iſrael nervum, eo quod tetigerit nervum femoris Jacob, & obſtupuerit.*

113 „ Figuralis autem ratio horum eſt: quia per omnia hujuſmodi animalia prohibita deſignantur aliqua peccata, in quorum figuram illa animalia prohibebantur, undè dicit Auguſtinus contra Fauſtum: *Si de porco, &c.* ut retulimus n.109. præcedenti. Animal enim quod ruminat, & ungulam findit, mundum eſt ſignificatione; quia fiſsio ungulæ ſignificat diſtinctionem duorum teſtamentorum, vel Patris & filii, vel duarum naturarum in Chriſto, vel diſcretionem boni & mali. Ruminatio autem ſignificat meditationem ſcripturarum, & ſanum intellectum earum. Cuicunque autem horum alterum deeſt, ſpiritualiter immundus eſt. Similiter etiam in piſcibus, illi qui habent ſquammas & pennulas, ſignificatione mundi ſunt: quia per pennulas ſignificatur vita ſublimis, vel contemplatio: per ſquammas autem ſignificatur aſpera vita, quorum utrunque neceſſarium eſt ad munditiam ſpiritualem. In avibus autem ſpecialia quędam genera prohibentur. In *Aquila* enim, quæ altè volat, prohibetur ſuperbia. In *Gryphe* autem, qui equis & hominibus infeſtus eſt, crudelitas potentum prohibetur. In *Halyeto* autem, qui paſcitur minutis avibus, ſignificantur illi, qui ſunt pauperibus moleſti. In *Milvo* autem, qui maximè inſidiis utitur, deſignantur fraudulenti. In *Vulture* autem, qui ſequitur exercitum, expectans comedere cadavera mortuorum, ſignificantur illi, qui mortes & ſeditiones hominum affectant, ut indè lucrentur. Per animalia *corvini generis* ſignificantur illi, qui ſunt voluptatibus denigrati, vel, qui ſunt expertes bonæ affectionis: quia Corvus ſemel emiſſus ab arca non eſt reverſus. Per *Struthionem*, qui cùm ſit avis, volare non poteſt, ſed ſemper eſt circa terram, ſignificantur Deo militantes, & ſe negotiis ſæcularibus implicantes.

Figuralis ratio prohibenda terreſtria, aquatilia, & volatilia.

114 „ *Nycticorax*, quæ nocte acuti eſt viſus, in die autem non videt, ſignificat eos, qui in temporalibus ſunt aſtuti, in ſpiritualibus hebetes. *Larus* autem, qui & volat in aëre, & natat in aqua, ſignificat eos, qui & circumciſionem, & baptiſmum venerantur, vel ſignificat eos, qui per contemplationem volare volunt, & tamen vivunt in aquis voluptatum. *Accipiter* verò, qui deſervit hominibus ad prædam, ſignificat eos, qui miniſtrant potentibus ad deprædandum pauperes. Per *Bubonem*, qui in nocte victum quærit, de die autem latet, ſignificantur luxurioſi, qui occultari quærunt in nocturnis operibus, quæ agunt. *Mergulus* autem, cujus natura eſt, ut ſub undis diutiùs immoretur, ſignificat guloſos, qui in aquis deliciarum ſe immergunt. *Ibis* verò avis eſt in Africa, habens longum roſtrum, quæ ſerpentibus paſcitur, & fortè eſt idem, quòd *Ciconia*, & ſignificat invidos, qui de malis aliorum, quaſi de ſerpentibus reficiuntur. *Cygnus* autem eſt coloris candidi, & longum collum habet, qui ex profunditate terræ, vel aquæ cibum trahit, & poteſt ſignificare homines, qui per exteriorem juſtitię candorem lucra terrena quærunt. *Onocrotalus* autem avis eſt in partibus Orientis longo roſtro, quæ in faucibus habet quoſdam folliculos, in quibus primò cibum reponit, & poſt horam in ventrem mittit, & ſignificat avaros, qui immoderata ſolicitudine neceſſaria vitæ congregant. *Porphyrio* autem præter modum aliarum avium habet unum pedem latum ad natandum, alium fiſſum ad ambulandum, quia & in aqua natat, ut *Anates*, & in terra ambulat, ut *Perdices*, ſolo morſu bibit, omnem cibum aqua tingens, & ſignificat eos, qui nihil ad alterius arbitrium facere volunt, ſed ſolùm, quod fuerit tinctum aquâ proprię voluntatis. Per *Herodionem*, qui vulgariter *Falco* dicitur, ſignificantur illi, quorum *pedes* ſunt *veloces ad effundendum ſanguinem. Charadrius* autem, quæ eſt avis garrula ſignificat loquaces. *Upupa* autem, quæ nidificat in ſtercoribus, & fœtenti paſcitur fimo, & gemitum in cantu ſimulat, ſignificat triſtitiam ſæculi, quæ in hominibus immundis mortem operatur. Per *Verſpertilionem* autem, quæ circa terram volitat, ſignificantur illi, qui ſæculari ſcientiâ prędíti ſola terrena ſapiunt. Circa volatilia autem, & quadrupedia illa ſola conceduntur eis, quæ poſteriora crura habent longiora, ut ſalire poſsint: alia verò, quę terræ magis adhærent, prohibentur, quia illi, qui abutuntur doctrinâ quatuor Evangeliſtarum, ut per eam in altum non ſubleventur, immundi reputantur. In *ſanguine* verò & *adipe* & *nervo* intelligitur prohiberi crudelitas & voluptas & fortitudo ad peccandum. Excluſſo jam Manichæiſmo & Judaiſmo, ad noſtrum aſſumptum reddimus.

115 Aſſerendum eſt, Eccleſiam convenienter ſtatuiſſe religioſum ciborum delectum pro jejunio, in abſtinentia à quibuſdam cibis, præcipuè à carnibus. Statutum Eccleſiæ pium & ſanctum oſtendunt exempla antiquorum à carnibus præcipuè abſtinentium jejunii & abſtinentiæ cauſa. An non de Daniele refertur: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* An non ſimilis abſtinentia in antiquis Rechabitis, & Joanne Baptiſta commendatur in ſacris litteris. * Quanto enim præconio (verba ſunt Baronii) coram omni populo extulit Dominus Rechabitas, qui non ex præſcripto inſtituto alicujus antelatæ legis vel patriæ con-

Religioſi ciborum delectus, in utraque lege cultores eximii.

Daniel 10. *à v.* 2.

Baron.anno 57. *n.*194.

fue-

ſuetudinis, ſed tantùm quòd præcepto patris ſui Jonadab abſtinerent à vino? Quanta item laude eſt ſublatus à ſponſo amicus ſponſi Joannes Baptiſta, qui talem habuiſſe cognoſcitur delectum ciborum, ut de illo teſtaretur, neque manducaſſe panem, neque bibiſſe vinum? * Atque ut ab antiquo ad novum Teſtamentum gradum faciens, eam in Apoſtolis abſtinentiam, & in viris Apoſtolicis compendio recenſet Baronius num. ſequenti inquiens: * Temperaſſe quidem ſe à carne & vino Apoſtolos, multa afferri poſſunt exempla. Ut enim id imprimis de Petro Apoſtolo dicere poſsimus, facilè perſuadet Gregorius Nazianzenus dùm ſcribit, ipſum lupinis minuto aſſe veneuntibus famem pellere conſueviſſe. De Jacobo fratre Domini, nec carnes unquam in cibum, nec vinum in potum adhibere ſolitum, Hegeſippus affirmat. De Matthæo etiam hæc eadem Clemens Alexandrinus his verbis: *Matthæus Apoſtolus ſeminibus, baccis & oleribus abſque carnibus utebatur.* Timotheum à vino abſtinuiſſe, ſed occaſione ſtomachi flacceſcentis, modicum ex eo ſumendum illi Paulum imperaſſe, tradunt Interpretes:: Deficeret dies, ſi omniam Sanctorum, quorum vita & mors egregiis miraculis illuſtrata, de delectu ciborum hìc vellemus exempla contexere, vel Cathalogum Sanctorum Patrum, qui eundem Eccleſiæ Catholicæ ritum præclaris elogiis vel etiam Commentariis illuſtrarunt, hic obiter recenſere. Sed ſatisfactum putamus negotio, ſi uno verbo dixerimus (quòd abſque aliqua dubitatione conſtanterque aſſerimus) neminem reperiri Sanctorum Patrum Catholicæ fidei profeſſorem, qui cùm de ea re inciderit ſermo, non tantùm fuerit ejuſmodi Eccleſiaſtici ritus firmus aſſertor, atque egregius Prædicator, ſed & fidelis imitator, pariterque ſectator. *

*Jerem.*35.

*Luc*ę 7.

*Baron.n.*195.

116 Meritò igitur habet Bellarminus ſæpè laudatus, nec ſemel laudandus: * Primi illi Chriſtiani, qui apud Alexandriam à Sancto Marco erudiebantur, ad veſperam tantùm cibum ſumere, & à carnibus & vino abſtinere ſolebant, ut ex Philone referunt Euſebius lib. 2. hiſtoriarum cap. 17. S. Epiphanius hæreſi 29. quæ eſt Nazaræorum, & S.Hieronymus in libro de Viris illuſtribus in Philone. S. Epiphanius in Compendiaria doctrina, quæ habetur in fine librorum adversùs hæreſes, teſtatur, multos fuiſſe qui ſpontè abſtinerent à carnibus per totum annum; ſed in hebdomada, quæ ſanctum Paſcha præcedit, totam Eccleſiam perſeverare ſolitam in eſu ſiccorum. Cyrillus Jeroſolymitanus catecheſi quarta dicit, Chriſtianos jejunantes abſtinere à carnibus. Sanct.Baſilius oratione 1. de jejunio. Sanct.Chryſoſtomus homilia 6. in Geneſim. S. Theophilus Alexandrinus lib.3. Paſchali. Sanctus Auguſtinus lib. 30. contra Fauſtum capite 5. & alii Patres paſsìm docent, in Quadrageſima ceſſare uſum carnium. Sanct. Hieronymus lib.5. adversùs Jovinianum ex inſtituto probat bonam eſſe abſtinentiam à carnibus & vino: & in epiſtola ad Euſtochiam de cuſtodia virginitatis ſcribit: Apud multos Anachoretas continua per totum annum fuiſſe jejunia & à vino & carnibus abſtinentiam. Similia tradunt S. Auguſtinus libro 1. de moribus Eccleſiæ cap. 31. & 33. & S. Joannes Chryſoſtomus homilia 59. ad populum Antiochenum. Theodoretus in Epitome divinorum decretorum extrema, docet Eccleſiam Catholicam ſæpè abſtinere à carnibus, ſed longè alia opinione, quàm hæretici faciant. Denique, ſi quis legat vitas Sanctorum, & præſertim Eremitarum, ut Antonii, Hilarionis, & ſimilium, videbit uſum abſtinentiæ à carnibus in ſpecie, & non ſolum à lautitiis in genere, fuiſſe frequentiſsimum & maximè probatum & laudatum. *

117 Ea tamen de re audiendus eſt Auguſtinus contra Fauſtum ſcribens: * Catholici abſtinent à carnibus, & à quibuſdam, edomandi corporis cauſâ, propter animam ab irrationalibus motibus ampliùs humiliandum. Non quòd illa eſſe immunda credant. Non ſolum à carnibus: verum etiam à quibuſdam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes. Deindè Tertullianus: Abſtinere (inquiens) ab aliquibus, non quaſi malis, ſed quaſi non neceſſariis, non eſt malum. Moderari verò eorum uſum pro neceſsitate & tempore, propriè Chriſtianorum eſt. Et cap. 67. Sacratæ virginitati nuptias coæquare, aut pro amore caſtigandi corporis; abſtinentibus à vino, vel carnibus, nihil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Joviniani eſt. Meritò igitur concludit Vigilius Papa: Priſcillianiſtæ execrationis potiùs animo, quàm devotionis, à carnibus abſtinent; ſimiles Manichæis, de quibus ait Paulus. Erunt in noviſsimis diebus prohibentes nubere, & ſuadentes abſtinere à cibis. Quapropter nec abſtinentiam Deo placitam reprobamus, nec eos, qui execrantur Domini creaturam, in noſtra ſocietate recipimus. Objecta Kemnitii adverſus ſtatutam ab Eccleſia abſtinentiam (præcipue à carnibus) indè ducta, quod à vino potiùs, concupiſcentiæ inflamativo, & quibuſdam piſcibus aliquando cum majori delectatione ſumptis, deberet Eccleſia ſuos arcere fideles: jam propoſita & diſſoluta dedit Divus Thomas n.102. pręcedenti adductus, ubi potuiſſet hæreticus veritatem quam ignorabat invenire; niſi eum ſua malitia excecaſſet. Addimus tamen cum laudato Bellarmino. * Abſtinentiam vini in iis locis, ubi corporum valetudini potus aquæ non multum nocet, valde congruentem eſſe jejunio, & ideò Eccleſiam Orientalem in Quadrageſima non minùs à vino, quàm à carnibus abſtinuiſſe, ut teſtantur Baſilius, Cyrillus, Theophilus Alexandrinus, & Chryſoſtomus. In re-

S. Auguſt. lib. 30. *cont. Fauſtum c.*5.

Tertullianus in Apolog.c. 66.

*Cap.*68.

*Vigilius Papa c.*2.*Decreti ſui.*

Vinum in jejuniis non fuit abſolutè interdictum.

Bellarminus.

S.Baſilius orat. 1. *de jejunio.*

*S. Cyrilius Catech.*4.

S.Theophil. lib. 3. *Paſchal.*

*S. Chryſoſt.Homil.*6.*in Gen.*

regionibus autem frigidioribus ideò noluiſſe Eccleſiam vini abſtinentiam imperare, quoniam à pluribus ſine magno valetudinis periculo tolerari non potuiſſet. *

ARTICULUS IX.

Unicam comeſtionem ad nonam uſque aut veſperam pro diverſitate jejunii protractam, meritò ſtatuit Eccleſia.

118 RATIONABILITER, unicam pro jejunio comeſtionem determinaſſe Eccleſiam, rationes D. Thomæ ſupra n. 101. relatæ oſtendunt. Eam tamen comeſtionem, reſervandam eſſe ad horam nonam in jejuniis communibus, eleganti & pia ratione declarat idem Doctor Ang. poſtquam pro jejunio quadrageſimæ ex Concilio Chalcedonenſi dicit: *In Quadrageſima nullatenus credendi ſunt jejunare, qui ante manducaverint quàm veſpertinum celebretur officium, quod quadrageſimali tempore poſt nonam dicitur.* „ Proſequitur S. Doctor, Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt art. 1. jejunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ. Undè oportet, quòd aliquid addat ſupra communem conſuetudinem, ita tamen, quòd per hoc non multùm natura gravetur. Eſt autem debita & communis conſuetudo comedendi hominibus circa horam ſextam, tùm, quia jam videtur eſſe completa digeſtio nocturno tempore, naturali calore interiùs revocato propter frigus noctis circunſtans, & diffuſio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei uſque ad ſummum Solis aſcenſum: tùm etiam, quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget juvari contra exteriorem aëris calorem, ne humores interiùs adurantur. Et ideò, ut jejunans aliquam afflictionem ſentiat pro culpæ ſatisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam. Convenit etiam iſta hora myſterio paſsionis Chriſti, quę completa fuit horâ nonâ, quando inclinato capite, tradidit ſpiritum. Jejunantes enim dùm ſuam carnem affligunt, Paſsioni Chriſti conformantur, ſecundùm illud ad Galat.5. *Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.*

Concil. Chalcedon. ut habetur de conſecrat. d. 1. c.58. Solent apud D. Thom. 2.2.q.147.a.7. *in ſed contr.*

In corp. artic.

Convenienter circa horam nonam ſolvitur jejunium.

Idem argumentum proponit in Sententiariis his verbis: „ Dicendùm, quòd competens hora comedendi in diebus jejunii eſt hora nona, & hæc eſt ab Eccleſia inſtituta, & communiter obſervata: quia ſecundùm communem curſum comedendi eſt hora ſexta, quia cibus non debet apponi quouſque natura circa cibum præcedentem occupata eſt. Occupatur autem in cibo aſſumpto dupliciter; primò digerendo ipſum: & quia digeſtio fit per calorem, ideò illud tempus digeſtionis eſt congruum, in quo calor naturalis ad interiora revocatur, ſcilicet propter ſubtractionem radiorum Solis, & propter ſomnum, in quo intenduntur virtutes naturales. Secundò, cibum jam decoctum deducendo per membra, quibus debet aſsimilari, & ad hoc requiritur, quòd calor nutrimentum deducens uſque ad extremas partes corporis evocetur: calor autem Solis calorem naturalem ad exteriora evocat, & ideò quando completur Solis aſcenſus, quod fit horâ ſextâ, quia tunc eſt circa medium, tunc ejus opus completum eſt, & ideò tunc eſt tempus communiter ſumendi cibum. Et quia jejunium Eccleſiæ debet eſſe pœnale & ſatisfactorium, ideò ſupra hoc aliquid additur: non autem tantùm, quòd pœnitus humor cibi aſſumpti exſiccetur, aut virtus naturalis debilitetur, undè partito reſiduo tempore, hora nona occurrit, in qua cibus ſecundùm Eccleſiæ ſtatutum in diebus jejunii ſumendus eſt. Igitur.

In 4.diſt.15.q.3. a.3. q.3. in corp.

Cur circa meridiem, prandium communiter ſumatur.

119 Aſſerendum eſt, unicam pro jejunio comeſtionem meritò ab Eccleſia reſervatam eſſe ad horam nonam, & in Quadrageſima poſt veſperas. Pro hac catholica aſſertione ſufficerent argumenta Div. Thomæ ex Prophetis cum Patribus loquentis, ſi non eſſet ſtabilienda contra hæreticos Divo Thomæ exoſos, quia ab ipſo percuſſos. Igitur Eccleſiæ ſtatutum ex Sacris libris, imprimis rationabile & pium apparet. Sic enim de Juditha jejunante refertur: *Manebat in tabernaculo ſuo, uſque dùm acciperet eſcam ſuam in veſperum.* Et de Iſraelitis legitur: *Jejunaveruntque die illo uſque ad veſperam.* Et pro morte Saulis inducuntur Iſraelitæ jejunantes uſque ad veſperam. Satis deindè hora ſolvendi jejunii indicatur verbis illis: *Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.* Veriſimile enim valdè eſt, quòd ad orationem hujuſmodi communem tanti Apoſtoli non niſi jejuni aſcenderent, maximè tunc temporis, quo ferventiſsimè ædificandis Eccleſiis verbo & exemplo dabant operam. Crediderim ego igitur, non abſque ratione, quòd aſcendiſſent ad perſolvendam nonam & quòd poſt officii nonam ſolvere tenerent jejunium, cui tunc præcipuè dediti erant, ſecundùm dictum Chriſti: *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.*

Judith.12.v.9.

Judic.20.v.26

2.Reg.1.v.12.

Act.3.v.1.

120 Ejuſdem inſtituti Eccleſiaſtici teſtes ſunt antiqui Patres, Athanaſius imprimis dùm inquit: *Poſt communionem horæ nonę comede panem tuum, gratias agens Deo ſuper menſam tuam.* Et Sanctus Baſilius: *Expectas*, inquit, *veſperam, ut cibum capias, &c.* Unde Sanctus Gregorius Nyſſenus reprehendit eos, qui refectionis dilationem

Hora ſolvendi jejunii ex Sacris Litteris derivata, & ab Eccleſia convenienter determinata.

Matth.9.v.15.

S. Chryſoſt.Homil.6.in Gen.

uſ-

uſque ad veſperam impatienter ferebant: *Gravantur* (ajebat) *Sole tardiùs ad occaſum tendente. Dies ſolito longiores appellitant.* Ambroſius præterea: *Indictum*, inquit, *eſt jejunium, cave ne negligas: & ſi te fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium: tamen cœleſti magis te ſervato convivio, non epulæ paratæ extorqueant, ut cœleſtibus ſis vacuus ſacramentis, differ aliquantulùm, non longè finis eſt diei.* Sed ut paucis dicamus, placet audire Prudentium ex antiquiſsimo & perenni uſu horam ſolvendi jejunium metricè ita deſcribentem:

S. Athanaſius lib. de Virgin. S.Baſilius orat. 1. de jejunio Quadrageſimę. S. Greg. Nyſſenus orat. in princ. jejunii. S.Ambroſ.ſerm. 8.in Pſal.118.

Prudentius in Hymno poſt jejunium.

Nona ſubmiſſum rotat hora Solem,
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta devexo ſupereſt in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata,
Solvimus feſtum, fruimurque menſis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.

Traditione firmatur hora ſolvēdi jejunii

Antiquiſsimæ illius praxis teſtis omni exceptione major audiatur S. Fructuoſus Epiſcopus, & Civis Tarraconenſis ſub Valeriani & Gallieni perſequutione Martyr inſignis, de quo ſic habet Eccleſia: *Cùm igitur ſanctiſsimus Epiſcopus cum Diaconis ſuis ad amphitheatrum duceretur, adeò vehementi populus eorum amore obſtringebatur, ut plures etiam Ethnici de iniqua morte lamentarentur. Chriſtiani verò, ſi quomodo poſſent Paſtoris ſui amantiſsimi dolorem, mortemque acerbiſsimam delinire, poculum aromatibus conditum propinabant: ſed ille abſtinentiæ rigidiſsimus cuſtos, ſinite, inquit, nondùm eſt hora ſolvendi jejunii.* Inde idem Prudentius, ait:

In Officio S. Fructuoſi.

Hymno 6. Periſtephanon.

Jejunamus, ait, recuſo potum,
Nondum nona diem reſignat hora
Nunquam conviolabo jus dicatum,
Nec mors ipſa meum ſacrum reſolvet.
Sic Chriſtus ſitiens Crucis ſub hora,
Oblatum ſibi poculum recuſans,
Nec libare volens ſitim peregit.

Diverſitatem illam inter quadrageſimalem & alia jejunia in Sanctis Patribus etiam videmus expreſſam. Nam imprimis Sanctus Benedictus: *Quarta* (ait) *& ſexta feria jejunent uſque ad nonam.* Et infra: *Ab initio Quadrageſimæ uſque ad Paſcha ad veſperam reficiant.* S. Gregorius deſcribens vitam Florentii Monachi, dicit, eum cùm non jejunabat horâ ſextâ, cùm jejunabat, horâ nonâ cibum ſumere conſueviſſe. Sanct. Bernardus: *Hactenùs* (inquit) *uſque ad nonam jejunavimus ſoli, nunc uſque ad veſperam jejunabunt nobiſcum univerſi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper.* Micrologus deinde: *In hoc* (inquit) *quadrageſimale jejunium ab aliis differt, quòd in aliis poſt nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus. Nec juxta Canones, quadrageſimaliter jejunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur.* Canon autem in quo ejus nititur ſententia, ille videtur eſſe, quem ex Concilio Cabilonenſi refert Gratianus illis verbis: *Solent plures, qui ſe jejunare putant in Quadrageſima, mox ut audierint ſignum ad horam nonam, manducare. Qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur Officium.* Niſi attenderit etiam ad determinationem Concilii Calcedonenſis initio hujus artic. à D. Thoma laudatam.

In Quadrageſima ad veſperam cibus ſumendus.

S.Benedictus in Reg.3.c.41.

S. Greg.lib. 3. Dialog.c.15.

S. Bernardus ſerm.3.de Quadrag.

Micrologus lib. de Eccleſ.obſervationib. c.49.

Gratianus de Conſecrat.diſ.1

121 Prætermittere tamen non poſſumus in confirmationem argumenti, quo D. Thomas convenientem ſtatuit determinationem Eccleſiæ circa horam comeſtionis in diebus jejunii, ex eo ſcilicet quod prandium ad meridiem antiquitùs ſumeretur. Ut enim prætermittam auctores Gentiles hujus rei teſtes, Plutarchum ſcilicet aſſerentem. *Prandium* nomen habere ab hora meridiana, ut ſit prandium quaſi *parendion.* Feſtum affirmantem: *Prandium* dictum etiam eſſe *merendam*, quod meridie fieret. Conſtat etiam uſus iſte ex Sacra Scriptura: Nam de Joſepho cum fratribus ſuis ad meridiem prandiſſe dicitur. Populum Judæorum uſque ad meridiem audiſſe legem ab Eſdra, ut inde dimitteretur, fortè cùm cibum capiendum eſſet, legitur in illius libro. Præterea de hora meridiana qua finiebantur judicia dixerunt inveteratæ malitiæ ſenes: *Eamus domum: quia hora prandii eſt.* Inſuper S.Petrus, ut probaret Apoſtolos non fuiſſe ebrios poſt acceptum Spiritum Sanctum, ut turbæ exiſtimabant, ſatis eſſe putavit, ſi diceret horam tertiam tunc fuiſſe. Et rurſus idem Apoſtolus horâ ſextâ ſibi prandium parari jubet. Quod etiam docuerunt S. Benedictus & S.Gregorius ſupra laudati.

Hora prandii circa meridiē jam antiquitùs obſervata.

Gen.43.v.25.

Eſdræ 2.cap.8. v.3.

Dan.13.v.13.

Actor.2.v.15.

Actor.10.v.9. & 10.

OBJECTA DISSOLUTA.

122 Adverſùs determinationem horę pro jejunio ſolvendo, nihil hæretici obiiciunt niſi falſas, ut ſolent, ex corruptione Eccleſiaſticæ hiſtoriæ conſarcinatas impoſturas. Quod enim opponit Kemnitius in 4. parte examinis Concilii Tridentini pag. 516. Catholicos reprehendens, quòd non amplius horam expectent nonam aut veſperam pro capiendo cibo in diebus jejunii; quodque bis corpus reficiant, dum ſumunt prandium ad meridiem, & ad veſperam cœnulam vulgò *colacion.* Facilè inquam eſt diſſolvere, ſi inter ſubſtantiam jejunii diſtinguamus, & ea quæ ad diſciplinam pertinent Eccleſiaſticam: ſicut inter ea quæ præcepta ſunt & permiſſa. In his namque quæ ad diſciplinam pertinent Eccleſiaſticam variatio aliqua contingere poteſt, imò & ſæpè contingit, pro ut de ipſo Quadrageſimali jejunio infra ſignificabitur. Undè tametſi noſtro tempore ſeveritas jejuniorum aliquantulùm relaxata eſſe videatur, non propterea reprehendi debent populi Chriſtiani, qui morem in Eccleſia introductum à Paſtoribus probatum, vel certè permiſſum, ſequi volunt. Itaque jejunium Quadrageſimæ, teſte Sanct. Tho-

Impunè ſolvitur jam jejunium ad meridiem, poſt veſperas tamē in Quadrageſima.

ma ſæculo 13. vivente, ſolvi dumtaxàt poterat horâ nonâ. Inde falſitatis convincitur Ratherius referens (ſuo ævo circa annum ſcilicet 1000.) in Italia ſolvi cœpiſſe jejunium quadrageſimale poſt meridiem ante nonam, excepto jejunio majoris hebdomadæ. Tamen cadente ſæculo 14. hominibus majorem ad relaxationem pronis, ad meridiem ſolvi cœpit, & ad jejunium quadrageſimale ſatis ſuperque ſufficere viſum eſt, ſi officio veſpertino circa meridiem perſoluto pranderetur, Eccleſiâ infirmitati hominum indulgente, ut cœnæ mutarentur in prandia meridiana, modò, quæ jejunio eſſentialis eſt, refectionis unitas ſervaretur, nec meridie pranſi, veſperè cœnarent. Hinc meritò inferas cœnulam ſerotinam, quę *colacion* vulgò vocari ſolet, ſitque nunc tempore quadrageſimalis jejunii, ex hominum relaxatione ortum habuiſſe, eique nec Sanctos Patres, nec Conciliorum Canones ſuffragari, nec Eccleſiam latâ lege conſenſiſſe unquam, quamvis eam toleret, ut loquitur Graveſonius: Addit nihilominùs laudatus Bellarminus * non carere probabili ratione mutationem illam horæ nonæ in horam ſextam, quod attinet ad tempus ſolvendi jejunia. Nam quando veteres definierunt horam nonam pro ſolutione jejunii, tempus ordinarium cibum ſumendi ſolebat eſſe meridies. Satis enim eſſe putaverunt ad carnis afflictionem & caſtigationem, ſi ad ſpatium trium horarum: id eſt ab hora ſexta uſque ad horam nonam, refectio differretur. Noſtro verò tempore magna pars hominum non hora ſexta, ſed tertia prandere ſolet: ex quo ſequitur, ut ſi tempore jejunii cibum ſumant hora ſexta, hoc eſt ad meridiem, tribus horis ſerius ad reficiendum corpus accedant, quàm ordinariè ſoleant, ac per hoc ab antiqua conſuetudine non recedant. *

Ratherius apud Thomaſinum p. 1. lib. 2. c. 83. n. 13.

Graveſon. tom. 5. colloq. 6.

Bellarm. ut ſup. c. 2.

123 Prætermittere tamen non poſſumus objecta à D. Thoma propoſita, quorum ſolutio firmiorem quòad nos reddet ſtabilitam veritatem: „ Opponit namque primò: „ Status novi teſtamenti eſt perfectior, quàm „ ſtatus veteris teſtamenti; ſed in veteri teſtamento jejunabant uſque ad veſperam „ dicitur enim Levit. 23. *Sabbatum eſt, affligetis animas veſtras.* Et poſtea ſequitur: *A veſpere uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*: Ergo multò magis in novo teſtamento jejunium debet „ indici uſque ad veſperam. Præterea: Jejunium ab Eccleſia inſtitutum omnibus „ imponitur; ſed non omnes poſſunt determinatè cognoſcere horam nonam: ergo „ videtur, quòd taxatio horæ nonæ non „ debeat cadere ſub ſtatuto jejunii. Præterea: Jejunium eſt actus virtutis abſtinentiæ, ut ſupra artic. præcedenti argum. 1. „ dictum eſt; ſed virtus moralis non eodem modo accipit medium quoad omnes, quia quod eſt multum uni, eſt parùm alteri, ut dicitur in 2. Ethicorum: „ ergo non debet jejunantibus taxari hora „ nona. Reſpondet tamen S. Doctor ad primum dicendum, quòd ſtatus veteris teſtamenti comparatur nocti: ſtatus verò „ novi teſtamenti, diei ſecundùm illud ad „ Rom. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit*: & ideò in veteri teſtamento jejunabant uſque ad noctem, non autem in novo teſtamento. Sive ut habet „ loco Sentent. Dicendum, quòd nos noſtro jejunio conformamur novo homini, „ qui per paſsionem ſuam nos à vetuſtate, & „ tenebris revocavit; & ideò illo tempore „ jejunium primùm ſolvimus, quando Chriſtus paſsionem ſuam finivit, ſcilicet hora nona. Sed ante hanc renovationem „ competebat veſpertinum tempus jejunantium comeſtioni, ad ſignificandum quòd „ per cibum veteris hominis in tenebris „ peccati & mortis dejecti erant, à quibus „ non eruebantur, etiam poſt tribulationes „ præſentis vitæ, quia in morte ad Limbum „ deſcendebant, qui erat tenebroſus locus. „ Ad ſecundum dicendum (inquit D. Thomas) quòd ad jejunium requiritur hora „ determinata, non ſecundùm ſubtilem examinationem, ſed ſecundùm groſſam æſtimationem. Sufficit enim, quòd ſit circa „ horam nonam, & hoc de facili quilibet „ cognoſcere poteſt. Ad tertium ita reſpondet in loco Sentent. Quòd legiſlator „ ponens legem communem, attendit ea „ quæ in pluribus accidunt, ſed adaptationem ad ſingulos relinquit illis, qui „ conſtituuntur legis diſpenſatores. Sed explicatiùs in Summa: Ad tertium dicendum, quòd modicum augmentum, vel „ etiam modicus defectus non multùm poteſt nocere. Non eſt autem magnum temporis ſpatium quod eſt ab hora ſexta, in „ qua communiter homines comedere conſueverunt, uſque ad horam nonam, quæ „ jejunantibus determinatur: & ideò talis „ taxatio temporis non multùm poteſt alicui nocere, cujuſcunque conditionis exiſtat; vel ſi fortè propter infirmitatem, „ vel ætatem, aut aliquid hujuſmodi hoc „ eis in magnum gravamen cederet, eſſet „ cum eis in jejunio diſpenſandum, vel „ ut aliquantulùm prævenirent horam.

D. Thom. 2. 2. q. 147. ar. 7.

Solut. ad 1.

In 4. diſt. 15. q. 3. a. 3. q. 3. ad 2

Non eſt in novo Teſtamento, ſicut in veteri, expectanda nox ad ſolvendum jejunium.

A. 7. ad 2.

Non eſt ſubtiliter examinãda hora jejunii ſolvendi.

In loco ſent. ſol. ad 1.

A. 7. ad 3.

Taxatio horę ut in plurimũ nocere non valet.

ARTICULUS X.

Ad jejunium generatim lege divinâ præceptum, fideles ſuos jure quoad determinationem obligat graviter Eccleſia.

124 SUPRA indicatos & plenè recenſitos à Bellarmino Lutheranorum & Calviniſtarum errores, rejicere congruit, & inſuper Jacobum Præpoſitum, præter errata jam everſa, aſſerentem, quod ab obſervantia jejuniorum Eccleſię liberi ſunt chriſtiani. Imò quòd hæc jejuniorum obſervantia, nihil facit ad divinæ legis obſervantiam. (De Beguardis à jejunio liberos eſſe dicentibus eos, qui ad perfectionem accedunt, ſuo loco tractabimus.) Evertendi etiam ſunt in hoc articulo errores *Joannis Uveſphali* dicentis: Chriſtum Dominum ſuo jejunio 40. dierum, nobis exemplum jejunandi non præbuiſſe. Et Aerii propugnantis: jejunia non debere inſtitui pro certo aliquo & ſtato tempore: ſed debere quemlibet permitti jejunare, cùm voluerit. Huic errori conſentire videtur Eraſmus Rotterodamus, dum in ſua paraphraſi in cap. 2. Marci ſcripſit: *Jejunia triſtia ſunt, quę præſcribit lex, & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem.* Eam tamen propoſitionem meritò proſcripſit Univerſitas Pariſienſis. Et tandem errorem Proteſtantium Sectariorum dicentium, quod jejunare certis diebus eſt cultus Dœmonum. Prædictos ergo & ſimiles alios errores in hoc articulo evertendos aggredimur.

Errores recenſiti circa jejuniorum obſervantiam.

125 Aſſerendum eſt primò: Jejunium in genere præceptum eſſe divinâ lege. Sic in terminis habet Auguſtinus verbis illis: *In Evangelicis & Apoſtolicis litteris, totoque inſtrumento quod appellatur Teſtamentum novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe jejunium. Quibus autem Domini vel Apoſtolorum verbis, non invenio definitum.* Hujuſmodi autem præceptum divinum indicatur. Primò verbis illis Prophetæ Joelis: *Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & in fletu & in planctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordię & præſtabilis ſuper malitia.* Hæc autem lex non eſt propriè cęremonialis vel judicialis, ſed plane moralis, & non magis ad Judęos, quàm ad Eccleſiam pertinet, ut Sanctus Leo monet. Id ipſum ſignificavit Chriſtus D. modum jejunandi ita edocens: *Cum autem jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritę triſtes :: Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava: Ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo :: & Pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi.* Expreſſiùs adhuc pro aſſumpto loquutus fuit Chriſtus Dominus cùm prædixit, Diſcipulos ſuos poſt mortem reſurrectionemque ſuam jejunaturos, verbis illis ad Diſcipulos Joannis directis: *Quare nos* (interrogabant) *& Phariſæi jejunamus frequenter: diſcipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jeſus: Nunquid poſſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc jejunabunt.* Ubi Hieronymus exponit: *Sponſus Chriſtus eſt, ſponſa autem Eccleſia: De hoc ſpirituali connubio Apoſtoli ſunt procreati, qui lugere non poſſunt, quamdiù ſponſum in thalamo vident, & ſciunt ſponſum eſſe cum ſponſa: Quando verò tranſierint nuptiæ, & paſsionis ac reſurrectionis tempus advenerit, tunc ſponſi filii jejunabunt.* „ Alia ratio (exponit Div. Thomas) quare „ in præſentia non tenentur jejunare: quia „ jejunium eligendum eſt, inquantùm caſtigat carnem ne contra ſpiritum invaleſcat: ſed cum erat præſens, cuſtodiebat „ eos ab exceſſu; ideò non oportebat eos „ jejunare. Undè Joan. 17. *Pater ſancte, „ ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: ut ſint unum, ſicut & nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos.* Sed Joannes Baptiſta non habebat hanc virtutem: „ ideò jejunare debebant ejus diſcipuli: ſed „ quando Chriſtus ablatus fuit: eos oportuit jejunare. Undè Paulus dicit 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.*

S. Auguſt. Epiſt. 36. ad Caſulam.

Joelis 2. à v. 12

Jejunium in genere divina lege præſcriptum.

S. Leo ſerm. 4. de Jejunio 10. menſis.

Matth. 6. à v. 16.

Matthęi 9. v. 14. & 15.

Quare Chriſto D. præſente Diſcipuli non jejunabant.

S. Hieron. apud D. Thom. in Catena Aur. ibid.

D. Thom. Comment. in locum Matthęi.

126 Quæ autem reponit ad utrunque argumentum Philippus Melanchton vana ſunt & futilia. Duplex jejunii genus in Divinis litteris inveniri dicit: Unum, quo ſobriè & moderatè cibus & potus ſumitur, & de hoc dictum eſſe: *Tu autem cum jejunas, &c.* Alterum, quo nihil omninò, aut parum admodùm cibi ſumitur, vel quia deeſt cibus quomodò pauperes ſæpè jejunant, vel quia deeſt appetitus, quomodò interdum jejunant ægroti, & qui ob gravem aliquem mœrorem nauſeant ad omnem cibum. Atque hoc propriè dicit eſſe jejunium Evangelicum, de quo ſcriptum eſt: *Cum auferetur ab eis ſponſus, tunc jejunabunt.* Hæc etiam verba ſignificare iterum dicit, Apoſtolos poſt Chriſti Aſcenſionem tanto mœrore afficiendos, ut præ triſtitia ad omnem cibum nauſeaturi ſint. Primum tamen effugium ineptum & vanum eſt: Dominus enim cùm ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum,* non loquitur de eo, quod fit quotidie, ſed quod fit aliquo certò tempore, ut patet ex illa particula, cum; at ſobrietas & moderatio in cibo ſumendo ſemper adhibenda eſt, ſicut

Effugia Melanchtonis, Sacri & Eccleſiaſtici Scriptores repellũt.

Matth. 9. v. 15.

crapula & ebrietas omni tempore fugienda eſt. Et paulò ante idem Dominus dixerat: *Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes.* Hypocritæ autem non cupiunt oſtentare ſolam ſobrietatem & temperantiam, quæ non reddit homines deformes & horridos, ſed ingentem inediam. Loquitur igitur Dominus de jejunio propriè dicto, quod præter temperantiam & ſobrietatem addit abſtinentiam acriorem, qua corpus extenuatur ultra ſolitum morem. Idem effugium evertit Auguſtinus in verbis ſupra adductis, ubi, cùm jejunium in Sacris Litteris Evangelicis & Apoſtolicis dicit eſſe præceptum, ſine dubio non loquitur de temperantia & ſobrietate. Alioqui non diceret, Chriſtum & Apoſtolos non definiviſſe, quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat. Certum enim eſt, ſemper eſſe temperatè veſcendum, & nunquam oportere intemperanter cibum ſumere. Quare in eadem Epiſtola idem Auguſtinus diſtinguens jejunium à temperantia: *Aliud eſt* (inquit) *gravare corda in crapula & ebrietate, quæ ſemper eſt malum, aliud autem, modeſtia & temperantia cuſtodia, relaxare jejunia.*

S. Auguſt. ubi ſupra.

127 Secundum Melanchtonis commentum evertit Sanctus Lucas ſcribens: Chriſto in Cœlum ſublato, Apoſtolos cum ingenti gaudio in Jeruſalem rediiſſe. Et rurſus idem Lucas loquens de tempore illo, quo recenter ablatus fuerat ſponſus: *Sumebant* (inquit) *cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis.* Prçtereà Paulus, qui & ipſe unus erat de filiis ſponſi, de Deo loquens, ait: *Imples cibo & lætitiâ corda noſtra.* Non itaque jejunabant filii ſponſi, ſponſo ipſo ablato, quia præ mçrore cordis nauſearent ad cibum, ſed quia ſurſum habentes cor, ubi ſponſus eſt, carnem jejuniis caſtigare ſtudebant, ne concupiſceret adversùs ſpiritum jam ad cœleſtia ſuſpirantem. Atque hæc pauca hoc loco de ſcripturis ſufficiant. Audiatur tandem Sanctus Leo inquiens: *Illa, quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quç ſignificavere, finita ſunt: jejuniorum verò utilitatem novi Teſtamenti gratia non removit, & continentiam corpori, atque animæ ſemper profuturam pia obſervatione ſuſcepit. Quia ſicut permanet ad intelligentiam Chriſtianam, Dominum Deum tuum adoratis, & illi ſoli ſervies, & cçtera talia mandatorum: ita quod in eiſdem libris de jejuniorum ſanctificatione præceptum eſt, nulla interpretatione vacuatur.* Nec mirum à Deo præceptum eſſe jejunium, quod eſſe actum virtutis, hoc modo oſtendit Divus Thomas: „Reſpondeo dicendùm, quòd ex hoc aliquis actus eſt virtuoſus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum: hoc autem convenit jejunio. Aſſumitur enim jejunium principaliter ad tria. „Primò quidem ad concupiſcentias carnis „reprimendas. Undè Apoſtolus dicit in „auctoritatè inducta: *In jejuniis, in caſtitate*, quia per jejunia caſtitas conſervatur. Ut enim Hieronymus dicit: *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*, id eſt, „per abſtinentiam cibi & potûs tepeſcit luxuria. Secundò aſſumitur ad hoc, quòd „mens liberiùs elevetur ad ſublimia contemplanda. Undè dicitur Dan. 10. quòd „poſt jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit à Deo. Tertiò ad ſatisfaciendum pro peccatis. Undè dicitur „Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, & planctu.* „Et hoc eſt, quòd Auguſtinus dicit in Sermone 230. de Tempore circa principium „de oratione & jejunio: *Jejunium purgat animam, mentem ſublevat, propriam carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit.* Undè patet, „quòd jejunium eſt actus virtutis.

Lucæ ultimo v. 52.

Act. 2. v. 46.

Actor. 14. v. 16.

S. Leo ſerm. 4. de jejunio 4. menſis.

D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 1. in corp.

Jejuniũ actus virtutis eſt.

Triplex jejunii effectus ſalutaris.

128 Aſſerendum eſt ſecundò: Eccleſiam jure merito fideles graviter adſtringere ad certa quædam jejunia. Ut enim diſcurrit Div. Thomas: „Sicut ad Sæculares principes „pertinet præcepta legalia juris naturalis „determinativa tradere, de his quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus: ita etiam ad Prælatos „Eccleſiaſticos pertinet ea ſtatutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent in ſpiritualibus bonis. Dictum eſt autem, quòd jejunium utile eſt „ad deletionem & cohibitionem culpæ, & ad „elevationem mentis in ſpiritualia. Unuſquiſque autem ex naturali ratione tenetur tantùm jejuniis uti, quantùm ſibi neceſſarium eſt ad prædicta: & ideò jejunium „in communi cadit ſub præcepto legis naturæ. Sed determinatio temporis, & modi jejunandi ſecundùm convenientiam & „utilitatem Populi Chriſtiani, cadit ſub „præcepto juris poſitivi, quod eſt à Prælatis Eccleſiæ inſtitutum: & hoc eſt jejunium „Eccleſiæ, aliud verò eſt naturæ. Eodem „ferè modo loquitur Divus Thomas in loco Sententiarum, inquiens: „Quòd duplex eſt præceptum, ſcilicet juris naturalis, & juris poſitivi. Præcepto juris naturalis prohibentur ea, quæ ſunt ſecundùm ſe mala, ſed præcepto juris poſitivi prohibentur ea, quæ poſſunt eſſe occaſiones malorum, vel præcipiuntur aliqua ordinata ad virtutem, quam legis „poſitor inducere intendit: & propter hoc, „jus poſitivum, ut dicit Tullius, eſt à naturali derivatum, undè ad legem poſitivam pertinet, ut dicit Philoſophus in 10. „Ethic. cap. 11. ordinare nutritiones juvenum, & adinventiones vivorum, id eſt, „opera & ſtudia, ut arceantur à malis, & „perducantur ab bona. In jejunio ergo eſt „aliquid, quod ad præceptum juris naturalis pertinet, ſcilicet tantam abſtinentiam carni adhibere, ne ſpiritui rebellet. „Temperantia enim, ut dicit Philoſophus „in 3. Ethic. cap. ultimo menſuram accipit ex conſervatione ſalutis corporalis, „undè multò magis ex conſervatione ſalutis ſpiritualis, medium autem temperantiç non excedere ad jus naturale pertinet: „ſed determinatio talis abſtinentiæ ſecundùm determinatum tempus, & determinata cibaria, ad jus poſitivum pertinet, „quod moderatur hominum actus, & hoc „modo jejunium ſub præcepto Eccleſiæ „cadit.

2. 2. q. 147. a. 3.

Jejunium lege naturæ generatim prçſcriptum: quantùm ad determinationem ſub poteſtate cadit Eccleſiç.

In loco ſent. a. 1 q. 4. in corp.

129 Et certè quis, niſi hæretico inſtructus ſupercilio, præjactam Sanctç Eccleſiæ deneget auctoritatem? Scimus enim ex Conſtitutione Mardochæi Populum Judaicum jejunium acceptaſſe in memoriam liberationis ab imminente clade. Quatuor inſuper jejunia, ſive quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis, de quibus in Zacharia fit mentio, non ab ipſo Deo immediatè, ſed ab illis, cui regenda inerat Republica Judaica inſtituta fuiſſe. Et tamen ſimilis facultas Eccleſiæ Chriſti, cui ſuos incumbit in vitam æternam dirigere fideles, deneganda erit? Abſit tantum nefas. Negent utique hæretici Crucis Chriſti inimici: Prædicat tamen communis Eccleſiæ conſuetudo, Apoſtolica traditione vallata. Ut enim Auguſtinus pronuntiavit: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur.* At ſic ſe habere leges jejuniorum, notiſsimum erit cuique hiſtoriam Eccleſiaſticam vel à limine ſalutanti. Et ut omittamus monumenta infra recitanda pro jejunio Quadrageſimæ aliiſque conſuetis; innumeras producere poſſemus Conciliorum determinationes, obligationem jejunii non imponentes, ſed ſupponentes & urgentes. Inde Hieronymus apud Div. Thomam ajebat: *Unaquæque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Igitur Concilium Grangenſe ita determinavit: *Si quis eorum qui continentiç ſtudent, abſque neceſsitate corporea, tradita in communi jejunia & ab Eccleſia cuſtodita, ſuperbiendo diſſolvit, ſtimulo ſuç cogitationis inſtructus, anathema ſit.* Hujuſmodi Concilium confirmatum fuit in Sexta Synodo generali, ut ibidem refertur. Concilium Carthaginenſe 4. ſimiliter ſtatuit: *Clericum, qui tempore jejunii abſque inevitabili neceſsitate, jejunium rumpit, minorem habendum*: Id eſt è gradu ſuo deponendum. Et Concilium Moguntinum: *Si quis indictum jejunium ſuperbiendo contempſerit, & obſervare cum cçteris Chriſtianis noluerit, in Grangenſi Concilio præcipitur ut anathematizetur.*

Eſther. 9.

Zachar. 8.

Præceptũ jejunii traditione ſacratum.

S. Aug. lib. 4. de Baptiſm. contra Donatiſtas cap. 24. & Epiſt. 54 aliàs 118.

S. Hieron. Epiſt. ad Lucinium apud D. Thom. a. 3. laudato.

Conciliũ Grang. c. 19. Refer. de conſ. diſt. 30. c. Si quis.

Concilium Cartag. 4. Can. 63.

Concilium Mogunt. Can. 35.

130 Poſt Sacra Concilia PP. dati ſunt, veluti Apoſtolicæ Traditionis fideliſsimi teſtes: ex illis propterea aliquos audiamus: Baſilium imprimis monentem: * Vide ne * ob brevem edendi voluptatem, ſimul & * priveris Angeli recenſione, & te ipſum, * apud eum qui recenſet exercitum, obno- * xium facias deſertoris crimini. Deindè S. Gregorium Nazianzenum: * Iniquè agis, * ò Judex, qui non jejunas. Et quomo- * do leges humanas ſervabis, qui divinas * contemnis? Purga tribunal tuum, ne duorũ * alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut * exiſtimeris. Prçtereà S. Cyrillum Alexandrinum: * Libenter eos rogem, utrum odio- * ſiùs, jejuniumne, an æterna ſupplicia, * exiſtiment? Cùm ergo nobis utrunque ne- * ceſsitas proponat, cur id quod præſtan- * tiùs eſt eligentes, non ipſi de nobis quàm * rectiſsimè ſtatuamus? Neceſſe eſt enim aut * per labores liberari à malis, aut ſi illos * recuſes, flammis inextinctis mulctari. Deindè S. Joannem Chryſoſtomum dicentem. * Adveniente jejunio, etſi millies * quis exhortetur, & infinita crucient, & * cogant vinum delibare, vel aliud quid * jejunii lege non conceſſum guſtare, om- * nia quis mallet pati, quàm prohibitum * tangere nutrimentum. Inſuper S. Leonem ajentem: * Res eſt, præcipuum ope- * ris, quàm ex auctoritate indicimus, & * ex charitate ſuademus. Et rurſus: Pium * eſt agere non indictum, impium eſt ne- * gligere prædicatum.

S. Baſil. orat. 2. de jejunio.

S. Nazianz. Ep. 74. ad Celuſiũ.

S. Cyrillus Alex. Hom. 1. Paſch.

S. Chryſoſt. Homil. 6. ad populum.

S. Leo ſerm. 1. de jejunio 7. menſis.

Serm. 3.

131 Concludamus ergo cum S. Antonino: *Ex ſtatuto* (ajebat) *Eccleſiæ univerſali, jejunia qui omitteret ex negligentia vel gula, non infirmitate, vel oblivione, cùm credit ſe benè poſſe jejunare, mortale eſt, & pro qualibet die omiſſa, unum. Secùs ſi ſibi videtur ſe non poſſe jejunare abſque læſione perſonæ, cum habeat cauſam aliquam dubitandi. Et ſic intellige dictum Beati Thomæ* 2. 2. q. 147. a. 3. ubi, nimirùm ait in reſponſione ad ſecundam objectionem: „Præcepta, quæ per modum communis ſtatuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes, ſed ſecundùm quod requiritur ad finem, quem Legislator intendit. Cujus auctoritatem ſi aliquis tranſgrediendo ſtatutum contemnat, vel hoc „modo tranſgrediatur, ut impediatur finis, „quem intendit, peccat mortaliter talis „tranſgreſſor. Si autem ex aliqua rationabili cauſa quis ſtatutum non ſervet, præcipuè in caſu, in quo etiamſi Legislator „adeſſet, non decerneret eſſe ſervandum, „talis tranſgreſsio non conſtituit peccatum „mortale. Et indè eſt, quòd non omnes, „qui non ſervant jejunia Eccleſiæ, peccant „mortaliter. Hçc ſi attendiſſent laxioris doctrinç cultores aliqui, non incidiſſent in propoſitionem illam 23. ab Alexandro VII. damnatam: *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere prçcepto.*

S. Antoninus 2. p. tit. 6. c. 2.

D. Thom. a. 7. ut ſupra ſolut. ad 2.

Præceptum jejunii, ſub gravi per ſe obligat.

Propoſitio 23. ab Alexandro 7. damnata.

OBJECTA DISSOLUTA.

132 Objecta ex Div. Thoma proponimus de more, ad majorem aſſerti præcepti Eccleſiaſtici ſtabilitatem. Opponit ſibi imprimis in utroque loco: „Quia prçcepta „non dantur de operibus ſupererogatio- „num,

2. 2. q. 147. a. 3. In 4. diſt. 15. a. 1. q. 4.

num, quæ cadunt ſub conſilio: ſed jejunium eſt opus ſupererogationis, alioquin ubique & ſemper æqualiter eſſet obſervandum: ergo jejunium non cadit ſub præcepto. Secundò: Nam quicunque tranſgreditur præceptum, peccat mortaliter. ,, Si ergo jejunium eſſet in præcepto, omnes non jejunantes mortaliter peccarent, per quod videtur magnus laqueus hominibus eſſe injectus. Tertiò, quia, ut Auguſtinus dicit: ,, *Ab ipſa Dei ſapientia homine aſſumpto, à quo in libertatem vocati ſumus, pauca ſacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani Populi, hoc eſt, ſub uno Deo liberæ multitudinis, continerent.* Sed non minus videtur libertas Populi Chriſtiani impediri per multitudinem Sacramentorum. Dicit enim Auguſtinus in lib. ad inquiſitiones Januarii, quòd *quidam ipſam religionem noſtram quam manifeſtiſsimis, & pauciſsimis celebrationum Sacramentis Dei Miſericordia voluit eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus.* Ergo videtur, quòd non debuit per Eccleſiam jejunium ſub præcepto inſtitui.

S. Auguſt. lib. de Vera Religion. c. 17.

133 Propoſita objecta, eodem quo proponuntur ordine, diſſolvuntur à Divo Thoma ad primum dicente; ,, Quòd jejunium ſecundùm ſe conſideratum non nominat aliquid eligibile, ſed pœnale quoddam. Redditur autem eligibile, ſecundùm quòd eſt utile ad finem aliquem. Et ideò abſolute conſideratum non eſt de neceſsitate præcepti: ſed eſt de neceſsitate præcepti unicuique, tali remedio indigenti. Et quia multitudo hominum, ut plurimùm, indiget tali remedio; tùm quia in multis omnes offendimus, ut dicitur Jac. 3. Quin etiam, quia caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ut dicitur ad Galat. 5. conveniens fuit, ut Eccleſia aliqua jejunia ſtatueret ab omnibus communiter obſervanda, non quaſi præcepto ſubjiciens id, quòd ſimpliciter ad ſupererogationem pertinet, ſed quaſi in ſpeciali determinans, id quod eſt neceſſarium in communi. Et in loco Sententiarum ita reſpondet dicendum, quòd duplex eſt genus ſupererogationis, quoddam, quod totaliter excedit neceſsitatem ſalutis, & hoc non poteſt cadere ſub præcepto, ſed ſub conſilio, 1. Corinth. 7. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Aliud genus ſupererogationis eſt, quod aliquo modo ad neceſsitatem ſalutis pertinet, quamvis non ſecundùm hunc, vel illum modum, ſicut de jejunio ex dictis patet: & ideò determinatio modi in talibus poteſt cadere ſub præcepto Eccleſiæ, vel cujuſcunque Legiſlatoris.

Solut. ad 1.

Determinatio jejunii non pertinet ad ſupererogationẽ

In loco ſent.

134 Secundum objectum in utroque loco ita diſſolvit: ,, Ad ſecundum dicendum, (ait in Summa) quòd pręcepta, quæ per modum communis ſtatuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes, ſecundùm quòd requiritur ad finem, quem Legiſlatór intendit, cujus auctoritatem ſi aliquis tranſgrediendo ſtatutum contemnat, vel hoc modo tranſgrediatur, quòd impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis tranſgreſſor. Si autem ex aliqua rationabili cauſa quis ſtatutum non ſervet, præcipuè in caſu in quo, etiamſi Legiſlator adeſſet, non decerneret eſſe ſervandum, talis tranſgreſſio non conſtituit peccatum mortale. Et indè eſt, quòd non omnes, qui non ſervant jejunia Eccleſię, peccant mortaliter. Quæ verba adducit S. Antoninus n. 131. præcedenti. Et in loco Sententiarum ſic loquitur: ,, Ad tertium dicendum, quòd præcepta juris poſitivi magis obligant ex intentione Legiſlatoris, quàm ex ipſis verbis: & ideò trangreſſor talis præcepti magis eſt reputandus, qui obviat intentioni Legiſlatoris, quàm qui deviat in aliquo à legis ordinatione. Intentioni autem Legiſlatoris obviat, qui ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat; in quo autem probabiliter credi poteſt, ſi Legiſlator adeſſet, eum obligare non velle, talis non eſt reputandus præcepti tranſgreſſor: & ideò non eſt neceſſarium, quòd quicunque aliquem diem ab Eccleſia inſtitutum jejunare omittit, mortaliter peccet. Poteſt enim hoc aliquando omninò ſinè peccato contingere, aliquando ſine mortali cum veniali, aliquando etiam cum mortali, & hoc ſecundùm diverſas occaſiones, quibus homo inducitur ad jejunium frangendum. Ad tertium objectum reſpondet in priori loco, quod Auguſtinus ibi loquitur de his, quæ neque Sacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata ſunt. Jejunia verò, quę ſunt in præcepto, ſunt in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta, & conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata. Nec ſunt contra libertatem populi fidelis, ſed magis ſunt utilia ad impediendum ſervitutem peccati, quæ repugnat libertati ſpirituali, de qua dicitur ad Galatas 5. *Vos enim fratres in libertatem vocati eſtis, tantùm ne libertatem detis in occaſionem carnis.*

Solut. ad 2.

In loco ſent. ubi ſup. ſolut. ad 3.

Omittens jejunium non ſemper peccat

Jejunium non eſt contra libertatem populi fidelis.

AR-

ARTICULUS XI.

Jejunii recenſendæ utilitates, Eccleſiaſticum de illo præceptum firmant, commendant.

135 JEjunii utilitates quamplurimas, ex multiplici quo aſſumitur fine, Sacri & Eccleſiaſtici tractatores derivant, à D. Auguſtino vèrbis num. 127. productis compendio traditas: eſt enim finis jejunii, imprimis carnis mortificatio, concupiſcentiæ compreſsio; mentis ad rerum divinarum contemplationem, & ad orationem purgatio atque præparatio, ſatisfactio pro peccatis, & beneficiorum divinorum impetratio. Jejunium aſſumitur, vel indicitur ad carnem domandam, & ad frænandam concupiſcentiam, ut qui ſunt Chriſti, *carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis* crucifigant, corpuſque ſuum *in ſervitutem* redigant; juxta illud Apoſtoli: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros:: in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate.* Secundò, aſſumi poteſt, vel indici ad mentis purgationem, ut à terrenæ concretionis labe defęcata, rerum divinarum contemplationi magis idonea ſit. Hoc animo *Moyſes*, *Elias*, *Daniel* jejunarunt, ut Sacris litteris proditum eſt. Hoc animo jejunium aſſumunt, qui jejunant, ut liberiùs, puriùs, ac devotiùs orent. Quo ſenſu à Tobia dicitur: *Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna.* Vel ut Dœmones pellant, victoriamque de illorum tentationibus, donante Deo, reportent. Unde Chriſtus ait: *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium*, vel ad Deum promerendum & colendum, quemadmodum Anna Prophetiſa: *Non diſcedebat de Templo, jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte & die.* Eòque pertinet etiam, quod in Actibus Apoſtolorum narratur: *Miniſtrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.* Aſſumi tandem poteſt jejunium ad Deum placandum & ſatisfaciendum pro peccatis in ejus majeſtatem commiſsis, atque ad ejus beneficia impetranda, juxta illud: *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu & in planctu.* Deinde: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem.* Ammonitis, Moabitis, ac Syris congregatis, ut pugnarent contra *Joſaphat*, illumque ac Judaicum populum opprimerent. Rex *totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prędicavit jejunium univerſo Juda.* Holoferne expeditionem adversùs Judæos parante, *Clamavit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus, ipſi & mulieres eorum.* Aitque Eliachim Sacerdos magnus: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis & orationibus in conſpectu Domini.* Eſther Aſſuerum aditura, ut precibus ſuis internecionem Judęis, ab Aman hoſte gentis infenſiſsimo paratam, averteret, orationem & jejunium Judæis omnibus in Suſan commorantibus indici juſsit, ipſaque cum ancillis ſuis ſimiliter jejunare decrevit.

Jejuniũ aſſumitur ad frœnandam concupiſcentiam.

2. ad Corinth. 6. à v. 4.

Ad divinorum contemplationem.

Tobiæ 12. v. 8.

Matth. 17. v. 21.

Ad Dœmones fugandos.

Ad Deum devotè colendũ, & placandum.

Actor. 13. v. 2.

Jonæ 3. v. 5.

2. Paralip. 20. v. 3.

Judith. 4. v. 8.

Eſther. 4. v. 16.

136 Productis in Sacra Scriptura ex multiplici fine utilitatibus jejunii, meritò SS. PP. in eiſdem commendandis ſpaciantur, digni proinde, ut aliqui eorum audiantur. Imprimis Tertullianus hucuſque dicta ſic eleganter complectitur, oſtendens enim Moyſem quadragenario jejunio ad viſionem Dei præparatum, inquit: * Meritò etiam in * carne ſe ei Dominus oſtendit collegæ * jejuniorum ſuorum. Eliam quadraginta * diebus & noctibus vacuo ventre, arido * ore, perveniſſe in montem Dei Horeb, * ibique familiari Dei congreſſu exceptum. * Quid tu Elia hìc? Multò amicior iſta * vox, quàm *Adam ubi eſt*? Illa enim paſto homini minabatur, iſta jejuno blandiebatur. Tanta eſt circumſcripti victûs * prærogativa, ut Deum præſtet homini * contubernalem, parem re vera pari. Si * enim Deus æternus non eſuriet, hoc erit * tempus quo homo Deo adæquetur, cùm * ſine pabulo vivit. Jejunium iratum Deum * homini reconciliat. Iſraëlitæ in Maſpha * Deum deprecati, ſeque in jejuniis humiliantes, Philiſtæos vicerunt. Cęciderunt * paſtos impaſti, armatos inermes. Hæ * erunt vires jejunantium Deo: Cœlum pro * ejuſmodi militat. Habes formam præſidii etiam ſpiritalibus bellis neceſſariam. * Ninive peccatrix illa Civitas per jejunium de exitio prædicato liberata eſt. * Sodoma quoque & Gomorrha evaſiſſent, * ſi jejunaſſent. Achab ultionem Dei jejunio avertit. Jejunium reverentiæ in Deum * opus eſt, per quod Anna uxor Helcanæ, * retro ſterilis, impetravit facilè à Deo * inanem cibo ventrem filio implere, & * quidem Prophetâ. Myſteriorum agnitionem jejunia à Deo mereri, Danielis probat exemplum, & Annæ Prophetiſſæ, quæ * & infantem Dominum agnovit; & multa de eo prædicavit expectantibus redemptionem Iſraelis. Ex quo conſtat, à * nullis magis intelligi Chriſtum, quàm ſemel nuptis & ſæpè jejunis. Ipſe mox * Dominus Baptiſma ſuum, & in ſuo omnium jejuniis dedicavit; imò novum hominem in veteris ſugillationem virtute * faſtidiendi cibi initiabat, ut eum Diabolo rurſus per eſcam tentare quærenti, * fortiorem fame tota oſtentaret. Docuit

Tertullian. lib. de Jejuniis.

Sancti PP. ex Sacris libris recenſitas amplificant utilitates.

* etiam

* etiam adverſùs diriora dœmonia jejuniis
* prȩliandum.

137 In laudem jejunii effunditur etiam
Auguſtinus, jejunium dicens hominum non
Angelorum eſſe virtutem, hominum inquam
ſurſum cor habentium, & Angelorum ſocie-
tatem æmulantium. * Nam caro (inquit) in
* terram vergit, mens ſurſum tendit: ra-
* ditur amore, ſed tradatur pondere. De
* hac re ſcriptura ita loquitur: *Corpus*
* *quod corrumpitur, aggravat animam, &*
* *deprimit terrena inhabitatio ſenſum mul-*
* *ta cogitantem.* Si ergo caro in terram
* vergens onus eſt animæ, & ſarcina præ-
* gravans volantem: quantùmquiſque de-
* lectatur ſuperiore vita ſua, tantùm de-
* ponit de terrena ſarcina ſua. Ecce quod
* agimus jejunantes. Non videatur ergo le-
* vis res aut ſuperflua, ne quiſquam for-
* tè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine, co-
* gitet apud ſe, aut ſuggerentem intrinſe-
* cus audiat Tentatorem: quid tibi ipſi
* ingeris pœnam, tuus ipſe tortor & cru-
* ciator exiſtis? Deo ergo placet, quia te
* crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur
* pœnis tuis. Reſponde hujuſmodi Tenta-
* tori: Excrucio me planè, ut ille parcat.
* Do de me pœnas, ut ille ſubveniat, ut
* placeam oculis ejus, ut delecter ſuavita-
* te ejus. Nam & victima excruciatur, ut
* in aram imponatur. Minùs premet men-
* tem meam caro mea:: Si jumento fortè
* inſideres, qui te geſtiendo poſſet præcipi-
* tare, nonne ut ſecurus iter ageres, ciba-
* ria ferocienti ſubtraheres, & fame doma-
* res, quem fræno non poſſes? Caro mea
* jumentum meum eſt: iter ago in Jeruſa-
* lem, plerumque me rapit, & de via co-
* natur excludere: via autem mea Chri-
* ſtus eſt: ita exultantem non cohibebo
* jejunio? Nec omittere poſſumus Sanctum
Leonem ita loquentem: * Qui jam rege-
* nerati, filii lucis effecti ſunt, quamdiù
* tamen in hoc mundo, qui *totus in ma-*
* *ligno poſitus eſt*, detinentur, quamdiù
* infirmitati carnis corruptibilia & tempo-
* ralia blandiuntur, non poſſunt iſtos dies
* ſine tentatione tranſire. Non facilè cui-
* quam provenit tàm incruenta victoria,
* ut inter multos hoſtes frequenteſque con-
* flictûs, etiam ſi ſit liber à morte, ſit quo-
* que immunis à vulnere. Curandis igitur
* læſsionibus quas ſæpè incidunt, qui cum
* inviſibili hoſte confligunt, trium maximè
* remediorum eſt adhibenda medicina. In
* orationis inſtantia, in caſtigatione jeju-
* nii, in eleemoſynæ largitate: quæ cùm
* pariter excercentur, Deus propiciatur,
* culpa deletur, tentator eliditur. Et his
* quidem prȩſidiis ſemper fidelis anima de-
* bet accingi, ſed tunc ſtudioſiùs præpa-
* rari, cùm ii adſunt dies, qui propriè ſunt
* ad hæc pietatis officia prȩſtituti. Et rur-
* sùs: Jejuniorum utilitatem novi teſta-
* menti gratia non removit: & continen-
* tiam corpori atque animæ ſemper pro
* futuram pia obſervatione ſuſcepit. Quo-
* niam ſicut permanet apud intelligentiam
* Chriſtianam: *Dominum tuum adorabis,*
* *& illi ſoli ſervies. Et diliges proximum*
* *tuum ſicut te ipſum*;& cȩtera talium man-
* datorum: ita quod in eiſdem libris jeju-
* niorum ſanctificatione & curatione præ-
* ceptum eſt nulla interpretatione vacua-
* tur. In omni enim tempore, omnibuſque
* diebus vitæ hujus ſȩculi, jejunia nos fa-
* ciunt contra peccata fortiores, jejunia
* concupiſcentias vincunt, tentationes re-
* pellunt, ſuperbiam inclinant, iram mi-
* tigant, & omnes bonȩ voluntatis affe-
* ctus ad maturitatem totius virtutis enu-
* triunt.

S. Auguſt. ſerm. de utilitate jejunii.

S. Leo ſerm. 4. de Jejunio 10. menſis.

138 Inter reliquos Patres, hìc brevita-
tis gratia omittendos, protractiori calamo
utilitates jejunii deſcripſit Ambroſius, cujus
aliqua pia fragmenta colligenda reſervavi-
mus: * Magna (inquit) virtus jejunii eſt,
* & tàm ſpecioſa ejus militia eſt, ut jeju-
* nare delectaret & Chriſtum: tàm valida,
* ut ad Cœlum homines elevaret. Et ut
* humanis magis, quàm divinis utar exem-
* plis; Eliæ jejuno ore vox emiſſa Cœlum
* clauſit ſacrilego populo Judæorum. Ete-
* nim cùm à Rege Achab altare eſſet idolo
* Baal conſtitutum, ad verbum Prophetæ
* tribus annis & ſex menſibus ros & plu-
* via non cecidit ſuper terram. Digna pœ-
* na, quæ intemperantiam dignè coerce-
* ret, ut Cœlum impiis clauderetur, qui
* terrena polluerant. Dignum etiam ut ad
* condemnationem Regis ſacrilegi, Propheta
* ad viduam in Sareptam Sidoniæ mittere-
* tur, quæ quoniam devotionem cibo præ-
* tulit, meruit ut ariditatis publicæ ſola
* non ſentiret ærumnam. Itaque non defe-
* cit hydria farinæ, cùm torrentis fluenta
* deficerent. Quid ejus reliqua contexam?
* Jejunus filium viduæ ab inferis ſuſcitavit,
* jejunus pluvias ore depoſuit, jejunus ig-
* nes de Cœlo eduxit, jejunus curru rap-
* tus eſt ad Cœlum, & quadraginta die-
* rum jejunio divinam acquiſivit præſen-
* tiam. Tunc denique plùs meruit, quan-
* do plùs jejunavit. Jejuno ore ſtatuit
* fluenta, & redundantem fluminis alveum
* repentè ſiccatum, pulverulento tranſmi-
* gravit veſtigio. Meritò illum dignum
* Cœlo divina judicavit ſententia, ut cum
* ipſo raperetur corpore, quoniam cœle-
* ſtem vitam vivebat in corpore, ac ſu-
* pernæ uſum converſationis exhibebat in
* terris. Quid eſt enim jejunium, niſi vitæ
* imago cœleſtis. Jejunium refectio animæ,
* cibus mentis eſt. Jejunium vita eſt Ange-
* lorum: jejunium culpæ mors, excidium
* delictorum, remedium ſalutis, radix gra-
* tiæ, fundamentum eſt caſtitatis. Hoc ad
* Deum gradu citiùs pervenitur: hoc gra-
* du Elias aſcendit antequam curru. Hanc
* hæreditatem ſobrietatis & abſtinentiæ ad
* Cœlum abiens, diſcipulo dereliquit. In
* hac virtute & ſpiritu Eliæ venit Joannes.
* Denique in deſerto & ille vacavit jeju-
* niis. Eſca autem ejus erat locuſta & mel

S. Ambroſ. lib. de Elia, & Jejunio.

Cap. 2.

* ſilveſtre: & ideò quia vitæ humanæ poſ-
* ſibilitatem continentia ſupergreſſus fue-
* rat, non homo ſed Angelus æſtimatus eſt.
* Hic eſt de quo ſcriptum eſt: *Ecce mitto*
* *Angelum meum, ante faciem tuam, qui*
* *præparabit viam ante te.* Quis humana
* virtute equos igneos, currus igneos po-
* tuiſſet aſcendere; regere currus aëreos,
* niſi qui naturam humani corporis in-
* corruptibilis jejunii virtute mutaſſet? Sed
* de Eliæ geſtis, plurima jam frequenti di-
* verſorum librorum ſermone digeſimus: &
* cavendum arbitror ne in eâdem recurra-
* mus, cùm præſertim in opere ſuo ipſe
* laudetur. Imitemur ergo illum, & eam
* eſcam quæramus, cujus virtute quadra-
* ginta diebus ac noctibus progredientes,
* ad ſupernorum poſſimus cognitionem
* venire. Non enim omnis eſca materialis,
* nec omnis cibus corporalis eſt cibus men-
* tis, ut diximus, quo epulatur anima, de
* quo ait Dominus: *Meus cibus eſt ut fa-*
* *ciam voluntatem Patris mei, qui in Cœ-*
* *lis eſt.* Hic cibus Angelorum eſt, ut di-
* vino famulentur imperio. Nulla illis cu-
* ra menſarum, nullus conviviorum uſus,
* nullæ repoſitæ epulæ, nullius vini potus,
* aut ſiceræ, nulla diſtentio corporis, nulla
* ventris offenſio.

Malach. 3. v. 1.

Joan. 4. v. 34.

* 139 Plantavit Dominus Paradiſum ad
* gratiam beatorum, poſuit ibi hominem
* operari & cuſtodire eum. Et ut ſciamus
* non eſſe novum jejunium, primam illic
* legem conſtituit de jejunio. Sciebat enim
* quòd per eſcam culpa haberet intrare.
* Prima pœna de jejunii prævaricatione,
* dicente mandato Dei: *De ligno quod eſt*
* *ſcientiæ boni & mali non comedetis: qua*
* *die autem manducaveritis ex eo, morte*
* *moriemini.* Ejuſque autem nemo præva-
* ricari noverat, ut adhuc orta non eſſet,
* quæ prima eſt prævaricata edictum. Ab-
* ſtinentiæ lex à Domino Deo, prævarica-
* tio legis à Diabolo: culpa per cibum,
* latebra per cibum. Cognitio infirmitatis
* in cibo, virtutis firmitas in jejunio. De-
* nique quandiù interdictis abſtinuere, neſ-
* ciebant eſſe ſe nudos: poſteaquam man-
* ducaverunt de interdicta arbore, nudos
* eſſe ſe cognoverunt. Meritò ergo mulier,
* ubi culpæ agnovit auctorem, interrogata
* reſpondit: *Serpens decepit me, & man-*
* *ducavi.* Serpens gulam perſuadet, Domi-
* nus jejunare decernit. Denique ipſe ait,
* *Jejunate & orate, ne intretis in tenta-*
* *tionem.* Itaque gula de Paradiſo regnan-
* tem expulit, abſtinentia ad Paradiſum
* revocavit errantem:: Gula ergo nudos
* facit: jejunia operiunt etiam exutos. Un-
* dè David ait, *Operui in jejunio animam*
* *meam.* Bonum operimentum, quod ani-
* mam tegit, ne à tentatore deprehenda-
* tur, nè à tentatore nudetur. Bonum ve-
* lamen, quòd tegit culpam: tegit abſti-
* nentia, tegit gratia. *Beati* (enim) *quorum*
* *remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum te-*
* *cta ſunt peccata.* Tegit gratia, dùm re-
* mittit, & omnem abolet errorem: tegit
* abſtinentia, dùm obumbrat vitium, mœ-
* ſto abſcondit affectu, atque extenuat pœ-
* nitendo. Etenim *jejunium & eleemoſyna*
* *à peccato liberant.* Opertus erat Adam
* virtutum velamine priuſquam prævarica-
* retur; ſed tanquam exutus à prævarica-
* tione vidit ſe eſſe nudum, quia indu-
* mentum quod habebat, amiſerat: *In die-*
* *bus enim jejunorum veſtrorum erumpet,*
* inquit, *tibi matutinum lumen tuum, &*
* *ſanitas tua maturè orietur, & præcedet*
* *ante te juſtitia, & circumdabit te maje-*
* *ſtas Domini.* Bonum veſtimentum lux.
* Scriptum eſt enim: *Circumdatus luce ſi-*
* *cut veſtimento.* Bonum veſtimentum,
* quo circumdat Dominus & operit je-
* junantes.

S. Ambroſ. ubi ſup. c. 4.

Gen. 2. v. 17.

Gen. 3. v. 13.

Matthæi 26. v. 41.

Pſalm. 64. v. 11

Pſalm. 31. v. 1.

Tobiæ 12. v. 9.

Iſaiȩ 58. v. 8.

Pſal. 103. v. 2.

* 140 Quid verò alia dicam? Nonnè
* ſterilitatem matris Samſon vini abſtinen-
* tiâ fœcundavit, & parientem fecit ex ſte-
* rili? Quoniam juxta præceptum Domini
* vinum non bibit. Nonnè Annam non
* manducantem exaudivit Dominus, & in
* fœcunditatem ejus ſolvere jejunia? Ex
* quibus duo generati, unus fortiſsimus,
* alius obſervantiſsimus, dignos ſe prȩbue-
* runt qui jejunio gremio diù foti, &
* quodam abſtinenti effuſi utero videren-
* tur. Idem itaque Samſon, qui matris ſo-
* brietate generatus eſt, allophylorum in-
* ſultantium ſibi ebrietate periit. Eliſæus
* vates à magiſtro quidem didicerat parſi-
* moniam, cùm filios aleret Prophetarum:
* vitis agreſtis grumulis menſas onerabat,
* & inemptis ſilveſtribus oleribus, hoſpita-
* lis humanitatis implebat officium. Quo-
* rum offenſi amaritudine, cùm manduca-
* re non poſſent, levis farinæ aſperſione
* omnem illam amaritudinem temperavit,
* abſtinentiæ propheticæ munere veneni vi-
* res evacuans:: His armis jejunii munita
* proceſsit Judith, & omnem Aſſyriorum
* circumvenit exercitum. Sobrii vigore con-
* ſilii abſtulit Holofernis caput, ſervavit
* pudicitiam, victoriam reportavit. Hæc
* enim ſuccincta jejunio, in caſtris præ-
* tendebat alienis: ille vino ſepultus jace-
* bat, ut ictum vulneris ſentire non poſ-
* ſet. Itaque unius mulieris jejunium, in-
* numeros ſtravit exercitus Aſſyriorum.
* Eſther quoque pulchrior facta eſt jeju-
* nio. Dominus enim gratiam ſobriȩ men-
* tis augebat. Omne genus ſuum, id eſt
* totum populum Judæorum à perſequu-
* tionis acerbitate liberavit, ita ut Regem
* ſibi faceret eſſe ſubiectum, non libidinis
* ardore flammarum, ſed cœleſti miſeratio-
* ne converſum: ita ut & pœna retorque-
* retur in impium, & honor ſacris red-
* deretur altaribus. Itaque illa quæ triduo
* jejunavit continuò, & corpus ſuum aqua
* lavit, plùs placuit, & vindictam retulit.
* Aman autem dùm ſe regali jactat con-
* vivio, inter ipſa vina pœnam ſuæ ebrie-
* tatis exſolvit. Eſt ergo jejunium recon-
* ciliationis ſacrificium, virtutis incremen-

S. Ambroſ. c. 6.

Cap. 9.

Eſther. 4. v. 5. & 7.

✱ tum, quod fecit etiam fœminas fortio-
✱ res augmento gratiæ. Jejunium neſcit
✱ fœneratorem, non ſortem fœnoris novit:
✱ non redolet uſuras menſa jejunantium;
✱ non ſtrangulant filium continentis viri
✱ paternæ centeſimæ: non vexant viduam
✱ oppignorata ſobrii viri defuncti: non
✱ defœnerata excludit hæredem aula jeju-
✱ ni. Etiam ipſum jejunium convivis dat
✱ gratiam. Dulciores poſt famem epulæ
✱ fiunt, quæ aſsiduitate faſtidio ſunt, &
✱ diuturnâ continuatione viléſcunt. Con-
✱ dimentum cibi jejunium eſt. Quantò au-
✱ ctior appetentia, tantò eſca jucundior.
✱ Commendat ſitis poculum, neſcit vinum
✱ quærere. Jejunus quidquid hauſerit, tranſ-
✱ mittit ad ſatietatem, non judicium nari
✱ ſupendit. Uſu etiam pretioſa degenerant:
✱ quorum autem difficilis poſſeſsio, eorum
✱ grata perfunctio. Ipſe ſol poſt noctem
✱ gratior, ipſa lux poſt tenebras ſplendi-
✱ dior: & poſt Vigilias ſopor dulcior: ipſa
✱ ſalus poſt ægritudinis tentamenta jucun-
✱ dior. Ab ipſo mundi Conditore didici-
✱ mus, ſæpè diverſitatibus cumulari gra-
✱ tiam. Patrocinatur ergo & convivio fa-
✱ mes, ut gratior fiat menſa jejunii.

Cap. 8. 141 ✱ Sed quid vetuſtis utar exemplis,
✱ cùm abundet jejunium etiam præſentium
✱ muneribus gratiarum? Quis deterioravit
✱ domum ſuam jejunio? Quis imminuit fa-
✱ cultates? Cui non ſuſpecta luxuries? Cui
✱ non venerabilis abſtinentia? Cujus forum
✱ appetivit parſimonia? Cujus pudorem
✱ non læſit ebrietas? jejunium continentiæ
✱ magiſterium eſt, pudicitiæ diſciplina, hu-
✱ militas mentis, caſtigatio carnis, forma
✱ ſobrietatis, norma virtutis, purificatio
✱ animæ, miſerationis expenſa, lenitatis
✱ inſtitutio, charitatis illecebra, ſenilis gra-
✱ tia, cuſtodia juventutis. Jejunium eſt
✱ infirmitatis levamen, alimentum ſalutis.
✱ Nemo in cruditatem jejunando incidit:
✱ nullus per continentiam ictum ſanguinis
✱ ſenſit; imò nullus non repreſsit & repu-
✱ lit. Bonum iteneris viaticum, bonum
✱ totius vitæ. In mari ſedat naufragia, ci-
✱ bum ſervat. Qui grave dicunt jejunium
✱ eſſe, reſpondeant, quis jejunio defece-
✱ rit? Multi prandio: plerique dum vo-
✱ munt epulum, fudere animam. Quod po-
✱ ſtremò animal jejunum, ſibi cauſam fuiſ-
✱ ſe mortis ingemuit. Per eſcam loquens
✱ non cavetur: in eſca hamus latet, & ci-
✱ bus inducit in retia: cibus viſco etiâm
✱ aves illigat; cibus volantes deponit ad
✱ mortem. Quæ non propter ventrem pe-
✱ ricula? Muta animalia crimen neſciunt;
✱ & in hoc ſolo tanquam pro crimine pu-
✱ niuntur. Jejunium ſobrietas mentis eſt:
✱ hoc vigent ſenſus, in hoc judicia tra-
✱ ctantur; in convivio pocula. Jejunium
✱ cuſtodit diſciplinam: luxuriam ſequitur
✱ inopia. Luxuria mater eſt famis, ſecun-
✱ dùm propheticum dictum. Jejunium quie-
✱ tem diligit, luxuria inquietudinem. Je-
✱ junium otia quærit, luxus ſectatur ne-
✱ gotia.

142 Patres audivimus jejunii utilitatem prædicantes, audiamus nunc Eccleſiam Sanctam ex Patribus, quos tanquam filios genuit, eandem utilitatem nobis proponentem, juxta illud Hieronymi aliàs laudatum teſtimonium, in 3. Proleg. n. 70. *O Eccleſia! Filii tui quos genuiſti, tibi vertentur in Patres tuos: cùm è diſcipulis feceris eos Magiſtros, & in Sacerdotii gradu omnium teſtimonio collocaveris.* Et ut à minoribus incipiamus, jejunium utile nedùm ad ſalutem animæ, ſed & corporis etiam inſtitutum eſſe ſignificat Eccleſia ita orans: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & concede: ut hoc ſolemne jejunium, quod animabus corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſt, devoto ſervitio celebremus.* Magis tamen frequenter Eccleſia Sancta ad ſalutem animarum jejunium inſtitutum aſſe ſignificat, tùm pro delictorum expiatione, inquiens: *Accepta tibi ſint, quæſumus Domine, noſtra jejunia: quæ & expiando, nos tuâ gratiâ dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant.* Cùm etiam ad vegetationem & medelam animarum: de primo ſic ait: *Da quæſumus Domine, noſtris effectum jejuniis ſalutarem: ut caſtigatio carnis aſſumpta, ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum.* De ſecùndo ſic loquitur: *Deus, qui ad animarum medelam, jejunii devotione caſtigare corpora pręcepiſti: concede nobis propitius, & mente & corpore tibi ſemper eſſe devotos.* Quia tamen ad utrunque ſalutarem effectum virtute ex alto roborari nos oportet, veluti ad impetrandam divinam Miſericordiam, continuumque auxilium divinum, Eccleſia tanquam medium nobis proponit jejunium geminâ illâ deprecatione: *Pręſta nobis, quęſumus Domine: ut ſalutaribus jejuniis eruditi, à noxiis quoque vitiis abſtinentes, propitiationem tuam faciliùs impetremus. -- Sacræ nobis, quæſumus Domine, obſervationis jejunia, & piæ converſationis augmentum, & tuę propitiationis continuum præſtent auxilium.* Ad extremum tandem audiamus Eccleſiam Sanctam, dùm paucis plura complectitur, verbis illis: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & pręmia.*

Pro utraque ſalute, jejunium proponit Eccleſia.
S. Hieron. Ep. 140.
In Sabbat. poſt Cineres.
Orat. ſecreta in Feria 4. *quatuor Temporum Adventus.*
*Sabbato poſt Dom.*2. *Quadr.*
In Sabbat. 4. *Temp. Pentecoſtes.*
Sabbato quatuor Temp. Pentecoſt.
Feria 3. *poſt Dom.*4. *Quadr.*
In Præf. Temp. Quadrag.

143 Adversùs jejunii utilitates nihil eſt quod opponatur ſolutione dignum; ad ſummum enim poſſet aliquis obiicere quòd jejunium non videtur præcipiendum ex fine ſatisfaciendi pro peccato, indeque non valere ad delictorum expiationem ut diximus. Satisfactio enim (opponit Div. Thomas) debet fieri ab eo qui peccavit; ſed anima eſt quæ peccat, jejunium autem non eſt animæ, ſed corporis: ergo non eſt ſatisfactorium pro peccato. Reſpondet tamen S.Doct.
„ Ad tertium dicendum, quòd neque cor-
„ pus peccat, neque anima propriè loquendo
„ ſed homo: & ideò ipſe qui peccat pu-
„ nitur: ſive ſit pœna corporalis, ſive ſpiri-
„ tualis, tamen etiam pœna corporalis in
„ ani-

D. Thom. in 4. *diſt.*15. *q.*3. *a.* 1. *q.*5.
Jejunet corpus, etſi anima peccet.

„ animam redundat, quæ ipſam ſentit, ſi-
„ cut & per corpus delectatione illicita frue-
„ batur in peccato.

ARTICULUS XII.

Inſtitutionem Jejunii pro ſtatis temporibus, ſigillatim loquente Div. Thoma ex Patribus, convenientiſſimam monſtrans.

144 ZELO plena, ſuis proportionabiliter temporibus determinata ſuis fidelibus jejunia præſcripſit Eccleſia Sancta adverſus pręmemoratos num.124. errores. Ea tamen jejunia vel ſunt quæ tempore Quadrageſimæ obſervari pręcipiuntur: vel in quatuor anni temporibus, aut etiam in Vigiliis præcipuarum ſolemnitatum, ſcilicet Natalis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Omnium Sanctorum, Apoſtolorum & Martyrum quorundam. De jejunio autem, vel potius abſtinentia à carnibus cunctis feriis ſextis & Sabbatis anni, ſicut de feriis quartis apud aliquos, infra loquemur. In hoc autem articulo ſtatuemus convenientiam & utilitatem Eccleſiaſticæ inſtitutionis, ut poſtea contra Etherodoxos Eccleſiæ jura oſtendere aggrediamur.

145 Aſſerendum eſt primò: Quadrageſimale jejunium convenientiſsimè ab Eccleſia præſcriptum fuiſſe. Pro hac catholica aſſertione audiatur imprimis Doctor Angelicus:
„ Dicendum (inquiens) quòd jejunium ad
„ duo ordinatur, ſcilicet ad deletionem cul-
„ pæ, & elevationem mentis in ſuperna.
„ Et ideò illis temporibus ſpecialiter fue-
„ runt jejunia indicenda, in quibus opor-
„ tebat homines à peccato purgari, & men-
„ tem fidelium elevari in Deum per devo-
„ tionem, quæ quidem præcipuè imminent
„ ante paſchalem ſolemnitatem, in qua &
„ culpæ per baptiſmum relaxantur, qui ſo-
„ lemniter in Vigilia Paſchæ celebratur,
„ quandò recolitur Dominica ſepultura: quia
„ per baptiſmum conſepelimur Chriſto in
„ mortem, ut dicitur ad Rom. 6. In fe-
„ ſto etiam Paſchę oportet maximè men-
„ tem hominis per devotionem elevari ad
„ ęternitatis gloriam, quam Chriſtus reſur-
„ gendo inchoavit. Et ideo immediatè an-
„ te ſolemnitatem paſchalem Eccleſia ſta-
„ tuit eſſe jejunandum. Doctori Angelico in aſsignanda prædicta ratione præluxit Eccleſia Sancta, pręluxerunt de more Sancti Patres. Eccleſia inquam ad Deum ita deprecans: *Sacrificium, Domine, obſervantiæ quadrageſimalis, quod offerimus, præſta quæſumus, ut tibi & mentes noſtras reddat acceptas, & continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem.* Et rurſus: *Da quæſumus omnipotens Deus: ut ſacro nos purificante jejunio, ſinceris mentibus ad ſancta ventura facias pervenire.*

D. Thom. 2. 2. *q.*147. *a.*5.
Ratio inſtituti jejunii quadrageſimalis, ex SS.PP. à Div. Thoma methodicè conſtituta.
*Fer.*6. *poſt. Cineres.*
*Fer.*6. *poſt Dominic.* 2. *Quadrag.*

146 Præluxerunt Sancti Patres, Auguſtinus præſertim & Leo Magnus. Ille habet:
✱ Congruit noſtræ devotioni, ut qui Do-
✱ mini Crucifixi Paſsionem jam propinquan-
✱ tem celebraturi ſumus, reprimendarum
✱ carnalium voluptatum crucem nobis ip-
✱ ſi etiam faciamus, ſicut dicit Apoſtolus:
✱ Qui autem Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam
✱ crucifixerunt cum paſsionibus & concu-
✱ piſcentiis. In hac quidem cruce per to-
✱ tam iſtam vitam, quæ in mediis tenta-
✱ tionibus ducitur, perpetuò debet pende-
✱ re Chriſtianus. Non enim eſt in hac vi-
✱ ta tempus evellendi clavos, de quibus
✱ in Pſalmo dicitur, *Confige* clavis *à timo-*
✱ *re tuo carnes meas.* Carnes ſunt carna-
✱ les concupiſcentiæ, clavi ſunt præcepta
✱ juſtitiæ: His illas timor Domini configit,
✱ qui nos illi acceptabilem hoſtiam cruci-
✱ figit. Crux ergo iſta, in qua Dei ſer-
✱ vus, non ſolum non confunditur, ſed
✱ etiam gloriatur, non quadraginta die-
✱ rum eſt, ſed totius hujus vitæ, quę my-
✱ ſtico numero quadraginta iſtorum ſigni-
✱ ficatur dierum: : Unde Moyſes, & Elias,
✱ & ipſe Dominus quadraginta diebus je-
✱ junaverunt: Ut inſinuaretur nobis & in
✱ Moyſe, & in Elia, & in ipſo Chriſto,
✱ hoc eſt in lege, & Prophetis, & in ip-
✱ ſo Evangelio, id nobiſcum agi, ne con-
✱ formemur & hæreamus huic ſęculo, ſed
✱ crucifigamus hominem veterem :: Sic ſem-
✱ per hìc vive Chriſtiane: Si terreno limo
✱ greſſûs non vis immergere, noli de iſta
✱ cruce deſcendere. Si autem hoc facien-
✱ dum eſt per hanc totam vitam, quantò
✱ magis per iſtos quadrageſimæ dies, qui-
✱ bus non ſolum agitur, verùmetiam ſig-
✱ nificatur hęc vita?

S. Auguſt. ſerm. 205. *aliàs* 68. *de diver.*

147 Deindè S.Leo ita loquitur: ✱ Quia
✱ paucorum eſt tam ſolida fortitudo, ut
✱ nulla inæqualitatum perturbatione qua-
✱ tiantur, & multos fidelium non adverſa
✱ tantùm, ſed etiam ſecunda corrumpant:
✱ Sanandis vulneribus, quibus humana in-
✱ firmitas ſauciatur, diligens eſt adhibenda
✱ curatio: : Quandò autem opportunius ad
✱ remedia divina decurrimus, quàm cùm
✱ ipſa nobis Sacramenta redemptionis no-
✱ ſtræ temporum lege referuntur? Quæ ut
✱ digniùs celebremus, ſaluberrimè nos qua-
✱ draginta dierum jejunio præparemus. Non
✱ enim ii tantùm, qui per mortis Chriſti,
✱ Reſurrectioniſque Myſterium in novam
✱ vitam Baptiſmo ſunt regenerandi, ſed
✱ etiam omnes Populi Renatorum utiliter
✱ ſibi & neceſſariè præſidium hujus ſancti-
✱ ficationis aſſumunt: Illi, ut quæ non-
✱ dum habent, accipiant; iſti ut accepta
✱ cuſtodiant. Dicente namque Apoſtolo:
✱ Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

*S. Leo ſerm.*42. *in Quadrag.* 5.
1. *Corinth.* 10. *v.*12.

* Nemo eſt tanta firmitate ſuffultus, ut de * ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus. Uta- * mur igitur ſaluberrimi temporis venera- * bilibus inſtitutis, & ſolicitiore cura cor- * dis noſtri ſpecula tergamus. Quantumli- * bet enim caſtè & ſobriè mortalis hæc vi- * ta ducatur, quodam tamen pulvere ter- * renæ converſationis aſpergitur, & nitor * mentium ad Dei imaginem conditarum * non ita à fumo totius vanitatis alienus * eſt, ut nulla poſsit ſorde fuſcari, & non * ſemper indigeat expoliri. Quod ſi etiam * cautiſsimis animis neceſſarium eſt, quan- * tò illis amplius eſt expetendum, qui to- * ta fortè anni ſpatia, aut ſecuriùs, aut * negligentiùs tranſierunt? Prætereà hæc habet: * Devotionem noſtram præſentes, * vel maximè dies exigunt, quos illi ſu- * blimiſsimo divinæ miſericordiæ Sacramen- * to ſcimus eſſe contiguos. In quibus me- * ritò à Sanctis Apoſtolis per doctrinam * Spiritus Sancti majora ſunt ordinata je- * junia, ut per commune conſortium cru- * cis Chriſti etiam nos aliquid in eo, quòd * propter nos geſsit, ageremus, ſicut Apo- * ſtolus ait; Si compatimur, & conglorifi- * cabimur. Certa atque ſecura eſt expecta- * tio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt parti- * cipatio Dominicę Paſsionis. Et rurſus: * Conſiderantes (inquit) quidquid per Cru- * cem Domini adepta eſt univerſitas mun- * di, cognoſcimus ad celebrandum Paſchæ * diem, meritò nos quadraginta dierum * jejunio præparari, ut digni poſsimus di- * vinis intereſſe myſteriis. Non enim ſum- * mos tantum Antiſtites, aut ſecundi or- * dinis Sacerdotes, nec ſolos Sacramento- * rum Miniſtros, ſed omne corpus Eccle- * ſiæ, univerſumque fidelium numerum, ab * omnibus contaminationibus oportet eſſe * purgatum, ut Templum Dei, cui fun- * damentum eſt ipſe Fundator, in omni- * bus lapidibus ſpecioſum, & in tota ſui * parte ſit lucidum.

Serm. 9. de Quadrag.

Rom. 8. v. 17.

Serm. 10. de Quadrag.

148 Ejuſdem numeri quadrageſimi jejuniorum mentionem faciens Divus Thomas laudatus ſubjungit: ,, Ratio etiam ,, numeri, quantum ad quadrageſimale je- ,, junium eſt triplex ſecundùm Gregorium. ,, Primò quidem, quia virtus Decalogi per ,, libros quatuor Sancti Evangelii impletur: ,, denarius autem quater ductus in quadra- ,, genarium ſurgit. Vel quia in hoc mor- ,, tali corpore ex quatuor elementis ſubſi- ,, ſtimus, per cujus voluntatem præceptis ,, dominicis contrahimus, quæ per Decalogũ ,, ſunt accepta. Unde dignum eſt, ut eandem ,, carnem quaterdecies affligamus. Vel quia ,, ita offerre contendimus Deo decimas die- ,, rum. Dùm enim per trecentos, & ſexa- ,, ginta quinque dies annus ducitur, nos ,, autem per triginta, & ſex dies affligimur, ,, qui ſunt jejunabiles in ſex ſeptimanis ,, quadrageſimæ, quaſi anni noſtri decimas ,, Deo damus. Secundùm Auguſt. autem ,, additur quarta ratio. Nam Creator eſt ,, Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus ,, Sanctus: creaturæ verò inviſibili debetur ,, ternarius numerus. Diligere enim jube- ,, mur Deum ex toto corde, & ex tota ani- ,, ma, & ex tota mente. Creaturæ verò vi- ,, ſibili debetur quaternarius proper cali- ,, dum, & frigidum, humidum & ſiccum. ,, Sic ergo per denarium ſignificantur om- ,, nes res, qui, ſi ducatur per quaterna- ,, rium, qui competit corpori, per quod ,, adminiſtratio geritur, quadrageſimum nu- ,, merum conficit. Aliæ inſuper rationes S. ,, Doct. inter diſſolvenda objectiuncula, me- ,, morabuntur pro jejunio quadrageſimali, ,, & reliquis aſsignandis.

D. Tom. ubi ſup. in corp. artic.

Triplex ratio numeri quadragenarii.

Altera ex Auguſtino ratio.

149 Aſſerendum eſt ſecundò: jejunium *quatuor Temporum* congruentiſsimè conſtitutum eſſe ab Eccleſia. Quia ut loquitur Divus Thomas: ,, Singula jejunia *qua- ,, tuor Temporum* tribus diebus continen- ,, tur propter numerum menſium, qui com- ,, petit cuilibet tempori: vel propter nu- ,, merum Sacrorum ordinum, qui in his ,, temporibus, conferuntur. Rationem iſtam præmiſerat ibidèm Div. Thomas verbis ,, illis: Similiter etiam conſuetudo Eccle- ,, ſiaſtica habet, ut in ſingulis quartis anni, ,, Sacri ordines conferantur (in cujus ſig- ,, num Dominus quatuor millia hominum ,, de ſeptem panibus ſatiavit: per quos ſig- ,, nificantur anni novi Teſtamenti, ut Hie- ,, ronymus dicit ibidèm) ad quorum ſuſ- ,, ceptionem oportet per jejunium præpa- ,, rari, & eos, qui ordinantur, & illos, ,, qui ordinandi ſunt, & etiam totum po- ,, pulum, pro cujus utilitate ordinantur. ,, Undè & legitur Lucæ 6. quòd Dominus ,, ante diſcipulorũ electionem exivit in mon- ,, tem orare: quod exponens Ambroſius lib. 5. in Lucam dicit. *Quid te facere convenit, cùm vis aliquod officium pietatis adoriri, quandò Chriſtus miſſurus Apoſtolos priùs oravit? Hujus obſervantiæ utilitas* (ajebat S. Leo) *in Eccleſiaſticis pręcipuè eſt conſtituta Jejuniis, quæ ex doctrina Sancti Spiritus, ita per totum anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem Jejunium Vernum in Quadrageſima, Æſtivum in Pentecoſte, Autumnale in menſe ſeptimo, Hyemale in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Niſi etiam dicamus inſtituta jejunia iſta, ut nullum ſit anni tempus à jejuniis vacuum. Vel denique, ut Eccleſia partim Deo ſupplicet pro terræ frugibus, partim gratias agat pro fructibus perceptis, ut intelligi poteſt ex Sermonibus S. Leonis mox indicatis.

D. Thomas ubi proximè.

Rationes pro jejuniis quatuor Temporũ

S. Leo ſerm. 8. de Jejunio decimi menſis.

150 Aſſerendum eſt tertiò: Jejunium in Vigiliis præcipuarum ſolemnitatum appoſitè Eccleſiam ſtatuiſſe. Aſſertionem iſtam ex adductis rationibus pro jejunio Quadrageſimali oſtendit Divus Thomas: illis namque propoſitis, ſubjungit: ,, Et eadem ra- ,, tione in Vigiliis præcipuarum feſtivita- ,, tum, in quibus præparari nos oportet ,, ad feſta futura devotè celebranda. Sivè ut loquitur in Sententiariis: ,, Dicendum,

In Vigiliis feſtivitatum, ab antiquis temporibus, convenienter jejunari præcipitur.

,, quòd in ſolemnitatibus præcipuis Vigi- ,, lias jejunamus, ut paratiores ad devo- ,, tionem feſti ſimus, & ut gaudium æter- ,, num quod per ſolemnitates temporales ,, ſignificatur, ad tribulationes præſentis ,, vitæ, quas ſancti paſsi ſunt, ſubſequi ,, demonſtrentur. Hæc igitur in Vigiliis ſolemnitatum indicta ſunt jejunia ab Eccleſia, ut à vitiis expiati, & carne mortificati ad feſta religiosè ac devotè celebranda prępáremur. Concludamus tamen cum D. Thoma in Sententiariis: ,, Ad Legislato- ,, rem pertinent ea quæ ſunt ad vitam hu- ,, manam neceſſaria lege ordinare, quali- ,, ter congruentiùs fieri poſſunt, & ideò ,, cum aliquod tempus ſit alio magis jeju- ,, nio congruum, convenienter ab Eccleſia ,, determinatum tempus eſt ad jejunia in- ,, ſtitutum.

Cap. Conciliũ, *& cap.* Ex parte, *Extra. De* obſerv. Jejuniorum.

D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 3. a. 3. q. 1. in corp.

151 Ut autem appareat, & Novatores ferant confuſionem ſuam, indicare vel breviter placuit antiquam de jejuniis Vigiliarum obſervantiam, cujus teſtem damus Magnum Gregorium. Cùm enim reſciviſſet Marinianum Archiepiſcopum Ravennatem per moleſto ſanguinis fluxu laboraſſe, ex Conſilio Medicorum quos Romæ conſuluit, Archiepiſcopum monendum judicavit, ut à Vigiliis faciendis abſtineret omninò, à jejuniis quoque, niſi in Feſtorum quorundam Vigiliis. *Prætereà nec hortor* (habet Magnus ille Pontifex) *nec admoneo, ſed diſtrictè præcipio, ut jejunare minimè præſumas; quia dicunt medici huic moleſtię valdè eſſe contrarium, niſi fortè ſi grandis ſolemnitas exigit, quinque in annis vicibus tibi concedo. Sed à Vigiliis quoque temperandum eſt, & preces quæ ſuper cereum in Ravennati civitate dici ſolent, vel expoſitiones Evangelii, quæ circa Paſchalem ſolemnitatem à Sacerdotibus fiunt, per alium ducantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem ſibi minimè imponat.* Ad Vigilias quod attinet Feſtivitatum B. V. Mariæ, licèt ſub præcepto cadat dumtaxat Vigilia Aſſumptionis: in reliquis autem ex antiquiſsima populi devotione apud plurimos conſuetum eſt jejunium: præcipuè in noſtra Valentina Urbe, ubi ex immemoriali obſervantia, in ejuſmodi Vigiliis carnes non veneunt, niſi prout in aliis jejuniis & abſtinentiis pro infirmorum indigentia.

S. Gregor. Epiſt. ad Marinianũ Archiepiſcopum Ravennatem.

OBJECTA DISSOLUTA.

152 Omiſsis impræſentiarum objectionibus hæreticorum, ex fraudulenta corruptione hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Conciliorum & SS. Patrum ex majori parte procedentibus, de quo poſtea ſermo redibit. Argui poteſt cum Div. Thoma ſibi opponente 1. quaſi in genere. Quia ſicut jejunium eſt ſatisfactionis pars, ita eleemoſyna; ſed eleemoſynarum tempus non eſt determinatum: ergo nec jejunii. Secundò: Chriſtus, ut legitur Matthæi 4. ſtatim poſt baptiſmum jejunium inchoavit; ſed nos Chriſtum imitari debemus, ſecundum illud: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: ergo & nos debemus jejunium peragere ſtatim poſt Epiphaniam, in qua baptiſmus Chriſti celebratur. Tertiò: Sicut Legislator novi Teſtamenti, ſcilicet Chriſtus, quadrageſimam jejunavit, ita & legis veteris lator, ſcilicet Moyſes: ſed populo veteris Teſtamenti non indicebatur quadrageſimale jejunium: ergo nec populo novi Teſtamenti indici debet. Quartò cæremonialia veteris legis non licet in nova lege obſervare; ſed jejunia in quibuſdam determinatis menſibus pertinent ad ſolemnitates veteris legis. Dicitur enim Zach. 8. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium, & lętitiam, & in ſolemnitates pręclaras.* Ergo jejunia ſpecialium menſium, quæ dicuntur quatuor Temporum, in Eccleſia inconvenienter obſervantur. Tandem quia ſecundum Auguſtinum in lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 27. Sicut eſt jejunium afflictionis, ita eſt jejunium exultationis; ſed maximè exultatio ſpiritualis imminet fidelibus ex Chriſti reſurrectione: ergo in tempore Quinquageſimæ quod Eccleſia ſolemnizat propter dominicam reſurrectionem, & in diebus Dominicalibus in quibus memoria reſurrectionis agitur, debent aliqua jejunia indici.

Ubi proximè arg. 1.

In Summa a. 7. ut ſupra.

1. ad Corinth. 4. v. 16.

Zach. 8. v. 19.

153 Hæc tamen objecta in utroque reſpectivè loco diſſolvit Divus Thomas. Ad primum reſpondet: ,, Dicendum, quòd ,, eleemoſynæ ordinantur ad ſubveniendum ,, defectibus aliorum, & ideò non poteſt ,, eleemoſynis tempus determinari, ſicut ,, nec defectibus, quibus ſubvenire opor- ,, tet. Sed jejunium eſt inſtitutum ad com- ,, primendum concupiſcentiam carnis, & ſa- ,, tisfaciendum pro peccatis præteritis: & ,, quia jejunium concupiſcentiam compri- ,, mit, etiam poſtquam factum eſt, ſecun- ,, dùm quod defectus manet in jejunante, ,, ideò poteſt jejunio Tempus præfigi. Ad ſecundum objectum ita reſpondet S. Doct. ,, Dicendum quòd Chriſtus baptiſmo non ,, indiguit propter ſe ipſum, ſed ut nobis ,, baptiſmum commendaret. Et ideò ſibi ,, non competebat, ut ante baptiſmum ſuum ,, jejunaret, ſed poſt baptiſmum, ut nos ,, invitaret ad jejunandum ante noſtrum bap- ,, tiſmum. Diffuſius autem ſolvit objectum S. Doctor in loco Sententiarum per hæc verba: ,, Dicendum, quòd Chriſtus non je- ,, junavit quaſi ipſe jejunio indigeret, ſed ,, ut ad gratiam ejus ſuſcipiendam exem- ,, plo ſui jejunii nos præpararet: & ideò ,, poſt baptiſmum ſuum, in quo plenitudo ,, gratiæ ipſius declarata eſt teſtimonio Pa- ,, tris, & Spiritus Sancti, & etiam Joan- ,, nis, decebat ut exemplum jejunii ſui no- ,, bis proponeret. Nobis autem competit ,, jejunium, ut præparemur ad ſuſcipien- ,, dam gratiam ipſius, quia Sacramen- ,, ta gratiæ ejus præcipuè proponuntur cir- ,, ca feſtum Paſchæ: ideò immediatè an- ,, te ſolemnitatem Paſchalem quadrage-

D. Thom. in loco Sent. ſolut. ad 1.

Non ita eleemoſynæ, ſicut jejunio tempus pręfigi cõgruit.

In Summa ſolut. ad 1.

In loco ſent. ſol. ad 3.

Nobis non cõgruit poſt Epiphaniam, ſeu baptiſmũ Chriſti, quadrageſimaliter jejunare.

,, ſimale jejunium impletur: & etiam quia tempus veris, quòd tunc incipit, maximè eſt concupiſcentiæ aptum; & quia ſignificatur, quòd ad gloriam reſurrectionis per tribulationes præſentis vitæ pervenimus, ſicut & Chriſtus per paſsionem.

Ibidèm ſolut. ad 2.

Jejuniū Moyſis non debuit antiquis intimari: ſicut jejuniū Chriſti.

154 Ad tertium reſpondet D. Thomas: ,, Quòd Moyſes fuit legislator, non tanquam Dominus legis, ſed tanquam famulus, Chriſtus autem tanquam Dominus; & ideò non inducebat lex vetus ad conformitatem Moyſi, ſicut nova lex inducit ad conformitatem Chriſti, quia etiam Angelorum intentio, quia non ſunt domini, ſed ſervi, non eſt ut alios in ſe ipſos reducant, ſed in Deum, ut Dionyſius dicit lib. de Cœleſt. Hierarch. cap. 4. Ad quartum adversùs jejunia quatuor Temporum ſpecialitèr procedens, reſpondetur methodicè, diſtinguendo majorem: Cæremonialia veteris legis, quatenùs cæremonialia ſunt, non licet in nova lege obſervare, concedo; ex alio rationabili motivo, nego majorem. Neque enim primo, ſed ſecundo modo Eccleſia Sancta jejunium quatuor Temporum obſervandum præſcripſit, ut Angelicus Doctor in utroque loco angelicè dilucidat.

2.2.q.147.a.5. ad 2.

Aliter Judæi obſervarunt: aliter Chriſtiani obſervant jejunia quatuor Temporum.

Dicendum (inquit in Summa Theologica) ,, Quòd Eccleſia non ſervat jejunia quatuor Temporum, nec omninò eiſdem temporibus, quibus Judæi, nec etiam propter cauſas eaſdem. Illi enim jejunabant in Julio, qui eſt quartus menſis ab Aprili, quem primum habent: quia tunc Moyſes deſcendens de monte Sinai Tabulas legis confregit, & juxta Jerem. muri primùm rupti ſunt Civitatis. In quinto autem menſe, qui apud nos vocatur Auguſtus: quia propter exploratores ſeditio eſſet orta in populo, juſsi ſunt in montem non aſcendere. Et in hoc menſe à Nabuchodonoſor, & poſt à Tito Templum Jeroſolymis eſt incenſum. In ſeptimo verò, qui appellatur October, Godolias occiſus eſt, & reliquiæ populi diſsipatæ. In decimo verò menſe, qui apud nos Januarius dicitur, populus cum Ezechiele in captivitate poſitus audivit, Templum eſſe ſubverſum. In loco autem Sententiarum ſic loquitur Sanct. Doctor:

In 4. diſt.15.q. 3.a.3.q.1.ad 4.

,, Dicendum, quòd ſecundùm Hieronymum, Judæi habebant ſpeciales cauſas, quare illa jejunia obſervabant. In Julio nempè qui eſt quartus menſis ab Aprili, quem ipſi primum habent, jejunabant, quia illo menſe ſeptima die menſis Moyſes deſcendens de monte legis tabulas confregit propter peccatum vituli conflatilis, & eodem menſe muri Jeruſalem à Nabuchodonoſor deſtructi ſunt. In quinto autem menſe, id eſt in Auguſto, propter peccatum murmuris ex verbis exploratorum orti, illo menſe Templum incenſum eſt à Nabuchodonoſore, & poſtea etiam à Tito. In ſeptimo autem menſe propter interfectionem Godoliæ, ſub quo reliquię populi conſervabantur, ut patet Jerem. 41. In decimo autem menſe in memoriam mortuorum, quos Dominus in deſerto percuſſerat. Nos autem præter jejunium quadrageſimale, in quo omnium dierum quaſi decimam ſolvimus, in ſingulis quadris anni, tres dies jejunii inſtituti ſunt, qui quaſi in primitias computentur, & ad expiandum peccata ſingularum quartarum.

S. Leo ſer. 9. de Jejun. menſ. ſep.

155 Ex quibus conſtat, quòd licèt nonnihil cum legalibus videantur hæc jejunia habere commune: tamen eorum quæ ad optimos mores inſtituendos pertinere viſa eſſent, nonnulla jurè laudabiliterque eſſe mutuatos Apoſtolos, ut teſtatur S. Leo ſic loquens: * Apoſtolica inſtitutio, dilectiſsimi, quæ Dominum Jeſum Chriſtum ad hoc veniſſe in hunc mundum noverat, ut legem non ſolveret, ita veteris teſtamenti Sacramenta diſtinxit, ut quædam ex eis, ſicut erant condita, Evangelicæ eruditioni pro futura decerperet, & quæ dudum fuerant conſuetudinis Judaicæ, fierent obſervantiæ Chriſtianę. Et inferius: Quod igitur, dilectiſsimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumque noſtrorum jejunium ſeptimi menſis aſſumimus; non legalibus nos oneribus ſubjicimus, ſed utilitatem continentiæ, quæ Chriſti Evangelio ſervit amplectimur. Et rursùs: Non ideò negligendum eſt, quia de obſervantia veteris legis aſſumptum eſt jejunium decimi menſis; tanquam hoc de illis ſit, quæ inter diſcretiones ciborum, inter baptiſmatum differentias, & ovium pecudumque hoſtias eſſe deſtiterunt. Illa enim, quæ rerum futurarum figuras gerebant, expletis quæ ſignificavere, finita ſunt. Jejuniorum verò utilitatem novi teſtamenti gratia non removit, & continentiam corpori atque animæ ſemper profuturam pia obſervatione ſuſcepit.

Serm. 4. de Jejunio menſ. dec.

In Summa Theolog. ſolut. ad 3.

Jejunia exultationis non vigent in nova lege.

156 Ad ultimum reſpondit D. Thomas in Summa Theologica: ,, Quòd jejunium exultationis ex inſtinctu Spiritus Sancti procedit, qui eſt ſpiritus libertatis: & ideò hoc jejunium ſub pręcepto cadere non debet. Jejunia ergo, quæ præcepto Eccleſiæ inſtituuntur, ſunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ. Propter quod non eſt jejunium ab Eccleſia inſtitutum in toto Paſchali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus ſi quis jejunaret contra conſuetudinem populi Chriſtiani (ut Auguſtinus dicit epiſt. 86.) quæ pro lege habenda eſt, vel etiam ex aliquo errore (ſicut Manichæi jejunant, quaſi neceſſarium tale jejunium arbitrantes) non eſſet à peccato immunis, quamvis ipſum jejunium ſecundùm ſe conſideratum omni tempore ſit laudabile, ſecundùm quod Hieronymus dicit ad Lucinium: *Utinam omni tempore jejunare poſſemus.* Imò Honorius III. dixit, quòd ſi dies Natalis ve-

Honor. III. de obſerv. Jejun. cap. Explicari.

ve-

venerit in Feria ſexta, non ſunt prohibendi, qui propter devotionem voluerint jejunare. Nec ſimile eſt de jejuniis poſt Pentecoſten; quia ſicut dicit S. Leo Papa ſerm. de jejunio Pentecoſtes, apud D. Thomam: *Poſt ſanctæ lętitiæ dies, quos in honorem Domini reſurgentis, & in Cœlum aſcendentis exegimus, & poſt acceptum Spiritus Sancti donum, ſalubriter & neceſſariò conſuetudo ordinata eſt jejunii, ut ſi quis fortè inter ipſa feſtivitatis gaudia negligens, libertate & licentia immoderata aliqua præſumpſit, hoc abſtinentiæ cenſura caſtiget.*

S. Leo apud D. Thom. in loco Sent.

ARTICULUS XIII.

Chriſto Domino exemplum prębente, ex Apoſtolica traditione ſtatuta tempora jejunii deſignavit Eccleſia.

157 GRADUM facientes ad determinata per Eccleſiā jejunia, priuſquàm quadrageſimale jejunium ſpecialiter hæreticis, gulæ ut plurimùm deditis, exoſum, Apoſtolica traditione derivatum oſtendamus: nonnulla circa jejunia quatuor Temporum & Vigiliarum pręlibare convenit. Nec tamen pro quatuor Temporum jejunio Apoſtolicę traditioni adſcribendo multùm deſudare habemus, poſtquam Sanct. Leo proximè relatus num. 149. ſcilicet antecedenti, ad inſtitutionem Apoſtolicam jejunium iſtud revocat: quinimò & inſtitutum fuiſſe ex doctrina Spiritus Sancti luculenter expreſsit: *Hujus obſervantiæ utilitas, dilectiſsimi, in Eccleſiaſticis eſt præcipuè conſtituta jejuniis, quæ ex doctrina Sancti Spiritus ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium Vernum in Quadrageſima, Æſtivum in Pentecoſte, Autumnale in menſe ſeptimo, Hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus, intelligentes divinis nihil vacuum eſſe pręceptis.* Athanaſius etiam eadem quatuor Temporum jejunia celebrari ſolita in Eccleſia Orientali, ſatis expreſsè monſtrat dùm de Æſtivo jejunio, tempore Pentecoſtes celebrari conſueto, meminit, dicens: *In hebdomade ſiquidem poſt ſacram Pentecoſten populus, completis jejuniis, ad orandum ad cœmeterium abiit.* Hujuſmodi jejunii principium cùm tàm expreſsè Athanaſius & Leo in Apoſtolica inſtitutione agnoverint; non poſſumus non improbare opinionem illorum, quos ſuppreſſo nomine recenſet & rejicit Baronius, qui ſcilicet à Calliſto Papa primùm inſtitutum eſſe judicarunt: Calliſtus ſiquidem, ſi quæ de his ſcripſit, edito decreto firmavit, quæ à majoribus ex traditione perceperat, ut appoſitè loquitur Baronius. Quinimò & Sanctiſsimus ille Pontifex, ſatis indicat cùm de ipſo habet Eccleſia: *Conſtituit quatuor anni Tempora, quibus jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum, ab omnibus ſervaretur.*

Jejunium quatuor temporū, ante S. Calliſtum, ex Apoſtolica traditione vigebat.

S. Leo ſerm. 8. de Jejun. dec. menſ.

S. Athanaſ. in Apolog. de fuga ſua.

Baron. anno 57. num. 209.

In Offic. S. Calliſti.

158 Ad jejunia quod attinet Vigiliarum, jam ex antiquo tempore conſtituta, in jure Canonico expreſſa, ut vidimus n. 150. & ſeqq. & ab Ang. Doctore graviſsimis rationibus firmata, nihil addere aggredimur, niſi illius jejunii frequentatum uſum in præcedentibus Eccleſiæ ſæculis, in quibus conſuetum eſſe Chriſtianis, non ſolùm Vigilias per noctem agere, ſed etiam per diem jejunare, ex traditione Apoſtolica referunt non ſolùm S. Bernardus in Sermone de Vigilia S. Andreæ, Innocentius III. cap. 1. & 2. de obſervatione jejunior. Burchardus lib. 13. Decret. cap. 16. ſed etiam S. Clemens lib. 5. Conſtitut. Apoſtol. cap. 19. Tertull. lib. 2. ad uxorem: Euſeb. lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. & alii veteres. At poſterioribus ſæculis ob gravia offendicula, quæ occaſione nocturnorum in Oratoribus conventuum naſcebantur, ceſſatum demùm fuit à vigiliis, & rettenta ſunt ſola jejunia. Conſultò diximus: *Poſterioribus ſæculis*: nam in prioribus Eccleſiæ ſæculis maxima in veneratione fuiſſe Vigilias, teſtis producitur Reccaredus piiſsimus & zeloſiſsimus Hiſpaniæ noſtræ Rex, dùm in Concilio Toletano 3. ad illius Patres ſic gratulabundus fuit alloquutus: *Ergo ſit vobis jucunditatis, ſit gaudii, quòd mos Canonicus proſpectu Dei per noſtram gloriam ad paternos reducitur terminos. Priùs tamen admoneo pariter & exhortor, jejuniis vos, & vigiliis atque hortationibus operam dare, ut ordo Canonicus, quem à Sacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa atque diuturna oblivio, quo ætas noſtra ſe neſcire fatetur, divino vobis dono rursùs pateſiat.*

Feſtivitatum Vigiliæ & jejunia antiquitùs magno pretio habita: illis ſublatis, hęc manent.

Conc. Tolet. 3.

159 Quàm etiam frequens circa annum 590. in Galliis fuerit ſacrarum Vigiliarum uſus * Oſtendit inter alia (inquit Baronius) quòd quemlibet diem Dominicum fideles pręcedentibus nocturnis vigiliis agerent, ut docet Canon primus poſterioris Concilii Matiſconenſis, cui (ut diximus) idem interfuit, & ſubſcripſit Aunacharius, qui huic Synodo Antiſiodorenſi pręfuit: cujus hæc ſunt verba, dùm de die Dominico religioſiſsimè celebrando agitur: *Noctem quoque ipſam, quæ nos supernę luci & immarceſcibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine dumtaxàt Chriſtiani eſſe noſcuntur; ſed oremus & vigilemus operibus ſacris, ut digni habeamur in regno cohæredes fieri Salvatoris* :: Quin etiam in hoc ipſo Antiſiodorenſi Concilio, de quo agimus, undecimo Canone habetur de religioſè ſervandis vigiliis Paſchatis: *Ne quis ſcilicet quidquam in eis poſt mediam noctem comedat.* Inde benè adnotat in Concilio An-

Baron. anno 590. num. 53. & 52.

Sacræ Vigiliæ ſæculo VI. in Gallia vigentes: & quænā prohibitæ.

An-

Antiſiodorenſi non eſſe prohibitas vigilias ſacras, ſed eas quæ in privatis domibus fieri conſueverunt, ut cùm dicitur Canone 3. *Non licet compenſas in domibus propriis, nec vigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere.* Nam & paulò poſt: *Sed quicunque votum habuerit, in Ecleſia vigilet.* Sic & intelligas, quæ habentur in ejuſdem Concilii Canone V. illis verbis: *Omnino & inter ſupradictas conditiones, vigilias quas in honore Domini obſervant omnibus prohibemus.* Quæ nimirùm fiebant in domibus propriis, admixtaſque habebant aliquas ſuperſtitiones. ✱ Quin & ipſi Chriſtianæ fidei hoſtes, pium ejuſmodi vigiliarum uſum ſæculo 8. vigentem, ſuâ ipſâ oſtendunt malitiâ, quâ eas vigilias à Chriſtianis repellendas curarunt. Sic enim Habdallas Saracenorum Princeps prohibuiſſe refertur Chriſtianis, vigilias nocturnas celebrare. Similia referuntur ab eodem Theophane de hæreticis Iconomachis, tempore Conſtantini Copronymi graviter perſequentibus Orthodoxos, ſacras vigilias agentes & Eccleſias frequentantes. Ad jejunium quadrageſimale accedentes.

Theophan. apud Baron. an. 766.

160 Aſſerendum eſt, quadrageſimale jejunium ex traditione Apoſtolica inſtitutum fuiſſe ab Eccleſia. Aſſertioni repugnant, poſt antiquos ut diximus hæreticos, Lutherani, & Calviniſtæ, in quorum ſchola inſtructus eſt Joannes Dallæus petulantiſsimus Calviniſta. Verumtamen traditionem illam Apoſtolicam, veram nobis oſtendit Eccleſiaſtica hiſtoria, & antiqui Patres etiam qui ante ſęculum quintum floruere; ut vel ex hoc ipſo erubeſcant cum Dallæo novatores omnes Eccleſiam Romanam improbare, quòd quadrageſimale jejunium à Chriſtianis quinque prioribus ſæculis non obſervatum, lege pręſcribat. Quandoquidem viſibile Eccleſię Romanę corpus puram fidem & illibatam retinuiſſe religionem in prioribus Eccleſiæ ſæculis Lutherus blateravit cum Calvino; Lutherani cum Calviniſtis; in aſsignando tamen tempore defectionis in fide & religionis, quam ore blaſphemo Romanæ Eccleſiæ affingunt, propter crimina Sanctorum Patrum, quos Antichriſtos inſanè vocant; in hoc inquam tempore aſsignando, ſicut in aliis doctrinæ capitulis adinvicem digladiantur. ✱ Nam quidam volunt defectionem contigiſſe tempore Gregorii Magni circa annum Chriſti 600. ita David Chytræus in cap. 9. Apocalyp. Alii tempore Phocæ Imperatoris anno Chriſti 606. Ita Lutherus in ſupputatione temporum: quidam tempore Pipini Regis anno 763. ita Henricus Bulienger, præfatione in Apocalypſim; quidam tempore Div. Bernardi circa annum 1200. ita Uvolfangus muſculus in locis cit. de Eccleſia; & quidam aliud tempus definiunt, quiſque pro ſuo capite. ✱ Si ergo quadrageſimale jejunium prioribus quinque Eccleſiæ ſęculis, & à fidelibus obſervatum, & à Patribus atque Conciliis prædicatum fuit, nonniſi putida inconſequentia blaterantur novatores. At ſic contigiſſe notum demus productis Patribus qui expreſsè eam inſtitutionem Apoſtolicam agnoverunt; his etiam qui ab initio & deinceps traditionis illius incorrupti teſtes extitere.

Prioribus Eccleſię ſæculis jejunium viguit quadrageſimale ex traditione apoſtolica.

Auguſtin. Matthęucci controv. 1. c. 3. num. 24.

Teſtes traditionis.

161 Et imprimis quadrageſimale jejunium ex Apoſtolorum traditione acceptum referunt Hieronymus verbis illis: * Nos * unam Quadrageſimam ſecundùm traditio- * nem Apoſtolorum toto anno, tempore no- * bis congruo jejunamus; illi (ſcilicet Mon- * taniſtę) tres in anno faciunt Quadrage- * ſimas, quaſi tres paſsi ſint Salvatores. * S. Leo aliàs laudatus inquiens: Quòd er- * go in omni tempore unumquemque con- * venit facere Chriſtianum, id nunc ſoli- * citiùs eſt & devotiùs exequendum: ut Apo- * ſtolica inſtitutio quadraginta dierum je- * juniis impleatur, non ciborum tantum- * modo parcitate, ſed privatione maximè * vitiorum. Et rurſus: Devotionem no- * ſtram præſentes vel maximè dies exigunt, * quos illi ſublimiſsimo divinæ miſericor- * diæ Sacramento ſcimus eſſe contiguos. In * quibus meritò à Sanctis Apoſtolis per do- * ctrinam Spiritus Sancti majora ſunt or- * dinata jejunia; ut per commune conſor- * tium Crucis Chriſti, etiam nos aliquid in * eo quod propter nos geſsit, ageremus. S. * Dorotheus: In lege ſcriptum eſt (inquit) * imperaſſe Deum filiis Iſrael, ut ſingulis * annis decimas darent omnium quæ poſsi- * derent, & id facientes in cunctis operi- * bus ſuis benedicebantur. Hoc agnoſcen- * tes Apoſtoli Sancti, conſuluere commo- * dis & utilitatibus animarum noſtrarum, * quòd decimationem hanc excellentiùs & * magnificentiùs redderemus: dum ſcilicet * dierum vitæ noſtrę decimas daremus, & * ſic Deo noſtro ſacrificaremus, ſic ab eo * benediceremur in operibus noſtris; ſic quo- * que anno peccata purgaremus, quæ per * integrum annum eſſent à nobis perpetra- * ta: atque hoc inter ſe tractantes, conſe- * crarunt nobis ex trecentis ſexaginta die- * bus ſeptem has hebdomadas jejuniorum. Et tandem, ut alia omittamus, Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis, inquit: *Quadrageſima in univerſo orbe, inſtitutione Apoſtolicâ obſervatur, circa confinium Dominicæ Paſſionis.*

S. Hieron. Ep. 54. ad Marcellam.

S. Leo ſerm. 6. de Quadrag.

Serm. 9. de Quadrag.

S. Doroth. Doctrina 23.

S. Iſidorus Hiſpalenſ. lib. 6. Originum c. 19.

162 Nec ſolam agnoverunt Patres Apoſtolicam traditionem, ſed divinam quodammodo inſtitutionem, ut determinatè corruat aberratio numero 124. recenſita nimirùm: *Quòd Chriſtus ſuo jejunio 40. dierum non dedit nobis exemplum jejunandi.* Sic enim S. Theophilus Alexandrinus non tantùm ex Apoſtolica traditione, ſed ex Evangelica, quadrageſimale jejunium ſibi vendicat. Sic Sanctus Ignatius loquitur: *Quadrageſimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet converſationis Dei.* Similiter Sanctus Maximus: *Sacrarum* (inquit) *litterarum exempla protulimus, quibus approbamus hunc quadragenarium numerum non eſ-*

ſe

Theophil. Paſch. Epiſt. 1. in fine.

S. Ignat. Epiſt. 8. ad Philipp.

Jejunium quadrageſimale ex divina inſtitutione, quodámodo eſt.

ſe ab hominibus conſtitutum, ſed divinitùs conſecratum, nec terrena cogitatione initiatum, ſed cœleſti majeſtate præceptum. Et infra: *Hęc autem non tàm Sacerdotum præcepta, quàm Dei ſunt. Atque ideò, qui ea ſpernit, non Sacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur Sacerdote.* Ita refert Seraphinus à Porrecta in appendice ad artic. 5. Div. Thomæ ſupra citatum. Concinit etiam S. Ambroſius inquiens: *Quadrageſimam nobis Dominus ſuo jejunio conſecravit:: Quiſquis ergo Chriſtianus conſecratã jejunando non impleverit Quadrageſimam, prævaricationis & contumacię reus tenebitur, quòd legem divinitùs pro ſalute ſua datam, prandendo ipſe reſcindit. Reſcindis enim legem, qui exemplum jejunii Dominici non cuſtodis.*

S. Ambroſ. ſerm. 31. Vel quiſquis auctor ſit.

163 Ejuſdem quadrageſimalis, ſeu antepaſchalis (ut antiquitùs dici conſuetum fuit) jejunii Apoſtolicam traditionem firmiter monſtrare facilè eſſet ex Canone 69. ſub nomine Apoſtolorum vulgato; & ex S. Clemente lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 13. Veruntamen quia circa Canones illos ſicut & Conſtitutiones magna inter eruditos vertitur controverſia; quibuſdam Canones Apoſtolorum magna ex parte admitentibus, nimirùm quinquaginta, licèt non tanquàm ſcriptis Canonicis: quibuſdam autem ex oppoſito eos repellentibus, ut videre licet apud Joſephum Mariam de Turre tom. 3. Inſtitutionum quęſt. 5. appendice 3. & Natalem Alexandrum Diſſert. 18. in hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi primi. Ne inquam inniti videamur apocryphis licèt non contemnendę auctoritatis, S. Ignatium Martyrem teſtem vocamus verbis num pręcedenti productis. * Nemo quidem (mea ſententia (ajebat Baronius) de his quæ ab Apoſtolis agerentur, ac per eos inde Eccleſiæ traderentur, S. Ignatio teſtis fidelior adhiberi poſſe videtur, qui hęc ipſa eſt proximè contemplatus: nec eſt quod quis nedum dicere, ſed de tanto viro nec leviter ſuſpicari ullatenus poſsit, alia ab ipſo fuiſſe Fidelibus, quos inſtituit, ſuis Epiſtolis perſuaſa, quàm quæ vidiſſet ab Apoſtolis uſu probata, atque Fidelibus tradita. *

Baron. anno Chriſti 52. n. 196.

164 Præter Ignatium teſtes extant traditionis illius S. Irenæus in Epiſt. ad Victorem Romanum, ubi ſignificat varios fuiſſe mores in antepaſchalis jejunii obſervantiâ, concludens: * Ita jejuniorum di- * verſitas conſenſionem fidei commendat. * S. Athanaſius inquiens: Deinde ſuperve- * niens per tempus Quadrageſimę, qui ab * ipſis miſſus fuerat Georgius, ſcelera quæ * ab iis didicerat, cumulatiora reddidit. Et * rurſus: In ipſa enim quadrageſima ho- * minem calcitrando enecarunt. Et tandem: * Hæc autem ſub Paſcha, in ſacra Qua- * drageſima acta ſunt, per quod tempus * jejuniis dediti erant. Sanctus Cyrillus Je- * roſolimitanus: Tot annorum, (inquit) * circulos tranſegiſti, mundo fruſtra ope- * ram navans; & quadraginta diebus non * vacabis pro anima tua? Et Sanctus Ba- * ſilius: Jejunium (inquit) per omne qui- * dem tempus utile eſt iis qui illud ſpon- * tè ſuſcipiunt, ſed multo magis hoc tem- * pore, quo per univerſum terrarum or- * bem undique denunciatur jejunii pręco- * nium. Nec ulla eſt inſula, nec ulla ter- * ra continens, non civitas, non gens ul- * la, non extremus mundi angulus; ubi * non ſit auditum jejunii edictum, &c. Sanctus Gregorius Nazianzenus: * Chriſtus * (inquit) paulò ante tentationem jejuna- * vit, nos ante Paſcha. Jejunium idemque * eſt: at utriuſque temporis non parva eſt * differentia. Ille jejunium adverſus tenta- * tionem impetus objicit: nobis autem hinc * ſignificatur cum Chriſto emoriendum eſ- * ſe: ac perfectæ cujuſdam purgationis vi- * ce eſt hujuſmodi inedia. Jam ille totos * quadraginta dies à cibo abſtinuit, utpo- * tè Deus: nos autem ad virium noſtrarum * modulum jejunium attemperavimus: etiam- * ſi quidam zelo impulſi, ultra virium fa- * cultatem in jejunando proſiliant. Sanctus * Epiphanius: Cæterum (inquit) ante ſep- * tem Paſchatis dies quadrageſimam obſer- * vare, atque in jejuniis perſeverare, ea- * dem conſuevit Eccleſia. Dominicis verò * nullis omninò; adeoque nec ipſius qui- * dem Quadrageſimæ, jejunare ſolet. Pre- * terea ſex illos Paſchatis dies Xeropha- * giis, hoc eſt, arido victu tranſigere om- * nis populus conſuevit, &c.

S. Irenæus apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. c. 24

S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtant. Epiſt. ad Solitarios. Epiſt. ad Orthodoxos.

S. Cyrillus Hieroſ. Catecheſ 1.

S. Baſil. Hom. 2. de Jejunio Quadrag. &c.

S. Gregor. Nazianz. orat. 40.

S. Epiphan. in Expoſit. fidei.

165 De jejunio quadrageſimali tanquam communiter obſervato Tertullianus, Auguſtinus, Leo & Ambroſius loquuntur, in commendationem jejunii ſupra recenſiti: inde ajebat Auguſtinus: *Ut quadraginta illi dies ante Paſcha obſerventur, Eccleſiæ conſuetudo roboravit.* Et Ambroſius: *Quamvis abſtineat quis certis diebus, quamvis ciborum dulciora alimenta non ſumat, non tamen illi accepto fertur Quadrageſimæ jejunium, quod non diebus quadraginta jejunat:: Nam ſicut reliquo anno jejunare, peccatum non eſt: ita in Quadrageſima non jejunare, peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt jejunia, iſta neceſſaria, illa de arbitrio veniunt, iſta de lege; ad illa invitamur, ad iſta compellimur.* Adeo apud priſcos Chriſtianos quadrageſimalis jejunii uſus invaluerat, ut Sanctus Chryſologus ſeveritatem illius relaxari quodammodo ab aliquibus videns, ſic acriter objurgavit: ✱ Si ergo (inquit) quadraginta ✱ dierum ſimplex, purum, æquale, tantis ✱ teſtimoniis, ſub tanti numero Sacramen- ✱ ti traditum nobis à Domino jejunium ✱ perdocetur; unde iſta varietas? Unde ✱ novitas iſta? Unde hebdomadę nunc re- ✱ ſolutæ, nunc rigidæ, nunc indulgentes ✱ nimiùm, nunc ſeverę? Undè intempera- ✱ ti jejunii uſus iſte, qui aut officiat ſine ✱ venia, aut remittat ad crapulam? Jeju- ✱ nium ſit æquale: & ut eſt nobis tradi- ✱ tum, ſervetur ad corporis & animæ diſ- ✱ ciplinam. Certè qui jejunare non poteſt,

S. Auguſt. Epiſt. 109. c. 15.

S. Ambroſ ſerm. 31. Quadrag.

S. Petrus Chryſol. ſerm. 66 de Quadrag. Jejunio.

* non præſumat inducere novitatem; ſed * fateatur eſſe fragilitatis propriæ quod relaxat: & redimat eleemoſynis quod non * poteſt ſupplere jejuniis. Maneat igitur Quadrageſimam à primis Eccleſiæ ſæculis, veluti in omnibus Chriſtiani orbis Provinciis cognitam & obſervatam fuiſſe, de illaque ſic meminiſſe Nicænum Concilium, cum in ejus initium unam ex iis Synodis indicit, quas quotannis duas in omnibus Chriſtiani orbis Provinciis celebrari jubet. Similiter Laodicena Synodus Quadrageſimam ſupponit non recentis eſſe inſtitutionis, ſed antiquę traditionis & multarum hebdomadum jejunium complecti, cum decernit: *Quòd non oporteat in Quadrageſima, in ultimæ ſeptimanę quinta Feria jejunium ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conveniat omnem Quadrageſimam diſtrictè venerari jejunio.*

Concilium Nicęn. Can. 5.

Laodicena Synodus Can. 50.

OBJECTA DISSOLUTA.

166 Adverſus 4. temporum ſtatuta jejunia, voluntariè obijciunt novatores & cum illis Dallæus, argumentum ex Judaicis obſervationibus à Div. Thoma objectum jam & diſſolutum num. 154. pluribus annis ante exortum Lutheraniſmum. Undè Calviniſtam Dallæum non tam obiicientem quàm allucinatum producimus, dum dicit, à magno Leone Jejunium quatuor temporum obſervatum dici à Romana quidem non tamen ab univerſali Eccleſia. Neque S. Leonem cum Eccleſia convenire in Jejunio temporum æſtivalium, cùm illud in Pentecoſte videtur collocare. Sed in utroque fallitur egregiè. Nam quantùm ad primum diſſertè ait S. Leo, jejunium illud ab univerſa Eccleſia obſervari: *His autem converſationibus* (inquit) *per providentiam gratiæ Dei addita ſunt ſancta jejunia, quæ in quibuſdam diebus ab univerſa Eccleſia devotionem obſervantię generalis exigerent.* Quantùm ad ſecundum, audiatur idem S. Pontifex apertè ſignificans jejunium in Pentecoſte, idem eſſe ac jejunium illud poſt Pentecoſten immediate ſequutum. Inter cætera ſiquidem Dei munera, quæ à Spiritu S. in die Pentecoſtes collata ſunt, inquit: * Jejuniorum quoque gratiam, quæ illam * Feſtivitatem indiviſa ſubſequitur, tunc * fuiſſe donatam. Expreſsiùs tamen loquitur in eodem loco undè Dallæus arguit: * Hodiernam (inquit) Feſtivitatem deſcen- * ſione S. Spiritus conſecratam ſequitur, ut * noſtis, ſolemne jejunium, quod animis * corporibuſque curandis ſalubriter inſti- * tutum, devotâ nobis eſt obſervantiâ ce- * lebrandum. Repletis namque Apoſtolis * virtute promiſsâ, in corda eorum Spiri- * tu veritatis ingreſſo, non ambigimus in- * ter cætera cęleſtis Sacramenta doctrinæ, * hanc ſpiritalis continentiæ diſciplinam * de Paracleti magiſterio primitùs fuiſſe * conceptam: ut ſanctificatæ jejunio men- * tes conferendis ſibi chariſmatibus fierent * aptiores::: Igitur poſt ſanctæ dies læti- * tiæ, quos in honorem Domini à mor- * tuis reſurgentis, ac deinde in Cœlos aſ- * cendentis, exegimus, poſtque perceptum * Sancti Spiritus donum, ſalubriter & ne- * ceſſariè conſuetudo eſt ordinata jejunii: * ut ſi quid fortè inter ipſa Feſtivitatum * gaudia, negligens libertas & licentia inor- * dinata præſumpſit, hoc religioſæ abſtinen- * tię cenſura caſtiget.

Allucinatur Dallæus contra jejunium 4. Temporum S. Leonem adducens.

S. Leo ſerm. 7. de Jejunio Decimi menſis c. 2.

Sermone. 2.

167 Objicit ſecundò Dallęus ex Irenæo jejunium quadrageſimale ſeu antepaſchale ad unum vel alterum diem contrahente. Referens namque diverſam obſervantiam in jejunio antepaſchali, inquit: *Neque enim de die ſolùm controverſia eſt, ſed etiam de forma ipſa jejunii. Quidam enim exiſtimant unico die ſibi eſſe jejunandum; alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, diem ſuum metiuntur. Atque hæc in obſervando jejunio varietas non noſtra primùm ætate nata eſt, ſed longè apud Majores noſtros cœpit: qui negligentiùs, ut veriſimile eſt, Præſidentes, ex ſimplicitate & imperitia ortam conſuetudinem poſteris tradiderunt.* Si enim jejunium illud antepaſchale unius ſolum aut alterius diei erat, & diverſam apud diverſos celebrandi rationem, non utique ex inſtitutione Apoſtolica promanaſſe cenſendum eſt. Verùm Irenæi ſenſum Hetherodoxus ille Auctor non eſt aſſequutus. Non enim ſic intelligi debent ſanctiſsimi illius Patris verba, quaſi apud Chriſtianos quoſdam antepaſchale jejunium, quod Quadrageſimale vocamus, unius tantum diei, vel bidui fuerit, pro cujuſque arbitrio: ſed toto illo dierum intervallo, quibus antepaſchale jejunium conſtabat (quod quadraginta circiter dierum fuiſſe, quarti ſequentiumque Sæculorum Patres diſſertè teſtantur) ſignificat quoſdam Chriſtianos integrum diem, abſque cibo & potu tranſegiſſe; quoſdam duos vel plures cum eadem diſtrictione decurriſſe; alios per horas quadraginta, quas unius diei ſolidi inſtar computabant, jejunium prorogaſſe, ut numerum dierum quibus continuatim Chriſtus jejunaverat, totidem horarum numero quadantenus imitarentur.

JejuniumQuadrageſimale cum jejunio confundunt Etherodoxi, dierum majoris hebdomadæ.

168 Hujuſmodi formam jejunandi antiquitùs uſitatam fuiſſe apud Chriſtianos ex devotione, præſertim in diebus Majoris Hebdomadæ, teſtis eſt S. Cyrillus verbis illis: * Nec ſex jejuniorum dies æquali aut * ſimili tollerantia omnes perferunt; ſed * alii quidem vel omnes tranſmittunt je- * juni permanentes, alii duos, alii tres, * alii quatuor, alii nullum, & iis quidem, * qui in illis tranſmittendis valde laborave- * runt, deindè defeſsi ſunt, & propemo- * dum deficiunt, ignoſcendum eſt, quòd * celeriùs guſtent. Si qui autem non mo- * do non tranſmiſsis, ſed ne jejunatis qui- * dem, vel etiam in delicatis opipariſque * conviviis, conſumptis præcedentibus qua- * tuor diebus, ad duos, eoſque ſolos ex- * tremos dies cum venerint, illis à ſe ci-

S. Dionyſius Alexand. Epiſt. ad Baſilidem Can. 1.

bo

* bo non guſtato tranſmiſsis, Paraſceve & * Sabbato, magnum quid & egregium ſe * facere exiſtimant, ſi ad auroram uſque * permanſerint: non exiſtimo eos ex æquo * certamen ſubiiſſe cum iis, qui ſe pluri- * bus diebus exercuerunt. Loquitur namque S. Dionyſius de jejunio magnæ hebdomadis, quod apud Chriſtianos ſtrictiùs ſemper fuit & æuſteriùs. Alii namque ſex dies continuos illius hebdomadæ abſque omni cibo tranſigebant, alii quatuor, alii tres, alii duos, alii nullum, ſed jejunium ad veſperam dumtaxàt diebus ſingulis protrahebant, & veſpere ſolvebant.

Rigidior jejunandi mos in Quadrageſima, præſertim in majori hebdomadæ.

169 Nec alicui mirùm videatur & incredibile, quòd quatuor ſexvè dies ſolidos priſci illi Chriſtiani abſque cibo tranſegerint, audiendus eſt ea de re Sanctus Epiphanius inquiens: *Præterea ſex illos Paſchatis dies Xerophagiis, hoc eſt, arido victu tranſigere omnis populus aſſuevit: hoc eſt, panem dumtaxàt cum aqua ſub veſperam adbibere; imò verò nonnulli ad biduum vel triduum vel quatriduum uſque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadam ad uſque ſequentis Dominicæ gallicinium ſine cibo tranſmittunt.* Audiendus eſt præterea Sanct. Hieronymus, de Aſſella inquiens: *Cumque per omnem annum jugi jejunio paſceretur, biduo triduoque ſic permanens: tùm verò in Quadrageſima navigii ſui vela tendebat; omnes penè hebdomadas vultu lætante conjungens.* Et tandem audiendus Sanctus Auguſtinus, ubi de Monachorum jejuniis per totum annum ſic loquitur: *Jejunia etiam prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt uſquequaque uſitatiſsimum, ſed continuum triduum, vel ampliùs, ſæpiſſimè ſine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, ſed etiam in fœminis.*

S. Epiban. in Expoſit. fidei Catbolicæ.

S. Hieronymus Epiſt. 15. ad Marcellam de laudibus Aſellę.

S. Auguſt. lib. de Moribus Ecleſ. cap. 33.

170 Eſt tamen admiratione dignum adeò religioſum, ac ſacrum habitum eſſe ejuſmodi, quòd Paſcha præcedit jejunium, ut & Reges implere pro viribus non prætermiſerint. Procopius enim hæc teſtatur de Juſtiniano Imperatore. * Omnibus (inquit) illis diebus, qui Paſchalem ſolemnitatem præcedunt, jejunio addictus, duram quandam vitam egit, nedum Regi alienam, ſed neque privato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abſtinebat: Summo mane itidem è lecto conſurgens, Reipublicæ invigilabat, cujus negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minus nocturnum tempus implebat: nam in ſeram noctem lectum petens, mox ſurrexit, quaſi plumarum pertæſus. Cibi appetens, vinum, panem, & alia id genus cibaria abeſſe voluit, braſicam ſolùm & agreſtes herbas longo tempore ſale & aceto maceratas edebat; potus aqua erat ſola; neque his ad ſaturitatem utebatur, ſed petitum cibum pauliſper deguſtatum, mox dimiſit, non eo ſumpto quod naturæ ſatis erat. * Illius antiquæ ſeveritatis in jejunio quadrageſimali, & majoris hebdomadis extant adhuc inter Chriſtianos ſigna aliqua: cum plures illorum etiam ſequioris ſexus & tenellæ ætatis in pane & aqua jejunare ſolent cunctis quadrageſimæ feriis ſextis, decurrente ſaltem menſe Martio: ſed præcipuè in Feria ſexta Paraſcevè ex conſtitutione ſpeciali, aut conſueta devotione perſonæ religioſæ ſic jejunare habent: & plures ex ſæculo devotæ perſonæ. Quinimò earum quædam jejunium ſine cibo aliquo à Feria quinta uſque ad Sabbatum Sanctum protrahunt.

Procopius de ædific. Juſtinian. Imp.

171 Pergunt Novatores à SS. PP. debellati, ad ipſos nihilominus provocare, Auguſtinum imprimis liberum eſſe pronuntiantem jejunare cunctis Quadrageſimæ feriis quintis. Sed egregiè allucinantur: cùm Auguſtinus non de qualibet feria quinta loquatur: ſed feria quinta majoris hebdomadis, in qua jejunium ob memoriam Cœnę Domini ab aliquibus ex conſuetudine intermittebatur. Sic ex tota epiſtolæ illius ſerie colligitur expreſsè: * Prima (inquit ad * Januarium) ergo inquiſitio tua, quam * in Commentario poſuiſti, ex quo trium * iſtorum genere ſit, attende: Quęris enim * his verbis quid per quintam feriam ultimæ * hebdomadis Quadrageſimæ fieri debeat: an * offerendum ſit mane, & rursùs poſt cœ- * nam propter illud quod dictum eſt: ſimi- * liter poſtquam cœnatum eſt, an jejunan- * dum, & poſt cœnam tantummodò offe- * rendum? An etiam jejunandum, & poſt * oblationem, ſicut facere ſolemus, cœnan- * dum. Ad hæc itaque ita reſpondeo, ut quid * horum faciendum ſit, ſi divinæ Scripturæ * præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum * quin ita facere debeamus:: Similiter etiam * ſi quid horum tota per orbem frequen- * tat Eccleſia:: Sed neque hoc, neque il- * lud ineſt in eo quòd tu quæris. Reſtat * ergo ut de illo tertio genere ſit, quod * per loca regioneſque variatur. Faciat ergo * quiſque quod in ea Eccleſia, in quam ve- * nit, invenerit. Liberum igitur fuiſſe fateor in Eccleſia Africana, jejunare vel non jejunare Feriâ quintâ in Cœna Domini; imò & ſacrificium offerre, aut Euchariſtiam ſumere jejunum vel pranſum; ut certum inſuper eſt ex Concilio Carthaginenſe decernente, *Ut Sacramenta Altaris à jejunis celebrentur, excepta una die anniverſaria, qua Cœna Domini celebratur.* Sed nego liberum fuiſſe ſolvere jejunium, vel ſervare qualibet Feriâ quintâ Quadrageſimæ.

S. Auguſt. Epiſt. 118. ad Januarium.

Circa jejuniũ feriæ 5. majoris hebdomadę, non eadem fuit antiquitùs obſervantia.

Concil. Carthag. 3. Can. 29.

172 Plura quæ objiciunt ex Sanctis Patribus Novatores, nihil eis patrocinari valent: quia ex falſo ſuppoſito procedunt: jejunia ſiquidem per totum annum à Chriſtianis ex pia conſuetudine celebrari ſolita & à Patribus memorata detrudere geſtiunt ad Quadrageſimam, ut ſacro huic jejunio bellum parent. Sic Auguſtinus loquitur in epiſtola ad Caſulanum de jejunio: *Puto enim* (inquit) *quòd ſi ter in Sabbato quis jejunat, jam ſuperat Phariſæum, qui bis Sabbato jejunabat. Quod ſi & quater, vel*

Jejunium ex devotione per annum, confunditur cum jejunio Quadrageſimali.

S. Auguſt. Ep. ad Caſulanum.

etiam

etiam ut nullus dierum excepto Sabbato & Dominko, prætermittatur, in hebdomade quinquies jejunatur, quod multi totâ vitâ ſuâ faciunt maximè in Monaſteriis conſtituti: non ſolùm Phariſæus, qui bis in Sabbato jejunabat, verùmetiam Chriſtianus, qui quartâ & ſextâ feriâ, & ipſo Sabbato jejunare conſuevit, quod frequenter Romana plebs facit, in labore jejunii ſuperabitur.

S. Greg. Turonenſ. lib. 10. Hiſtor. Francor. cap. 31.

Similiter cùm S. Gregorius Turonenſis refert Perpetuum Turonicum Epiſcopum circa annum Domini 460. *Inſtituiſſe jejunia, vigiliaſque, qualiter per circulum anni obſervarentur, quod hodieque apud nos tenetur ſcriptum.* Non enim de jejunio Quadrageſimali verba fecit: ſed inſtituit jejunia & vigilias æſtatis diebus extra Quadrageſimam. Quæ autem ex Socrate & Caſsiano adversùs Apoſtolicam inſtitutionem Quadrageſimæ, parùm negotii nobis faciunt: quia etſi illos adverſantes permittamus; nihil ponderis eorum auctoritas habere poteſt; è regione docentibus Sanctis Patribus.

Socratis, & Caſsiani auctoritas parùm attendenda.

Præſertim cùm Socrates Novatianæ hæreſeon labe maculatus fuerit. Sicut & Caſsianus Semipelagianiſmi à pluribus eruditis notatus ſit. Quod autem ad Teleſphorum Romanum Pontificem inſtitutam referant Quadrageſimam Euſebius in Chronico ad annum 136. Rabbanus Maurus & Rupertus apud Natalem Alexandrum, nullius momenti eſt.

Natalis Alex. Diſſert. 4. in ſæculum 2. a. 3. prop. 1. ad finem.

Quia ut ipſemet reſpondet: verba illa Chronico Euſebii addita fuerunt, nec in M. SS. Codicibus reperiuntur, ut viri doctiſsimi Julius Scaliger & Arnaldus Pontacus in Notis ad Euſebium monuerunt. Ad ſecundam & tertiam probationem reſpondet: Rabbanum & Rupertum Tuitienſem, deceptos fuiſſe, ſive teſtimonio Pontificalis libri Damaſo adſcripti, ſive interpolato jam Euſebii Chronico, & recentiores eſſe Auctores quibus præ Sanctis Hieronymo & Leone fides non ſit adhibenda.

173 Objicit præcipuè Calviniſta Dallæus, ut quadrageſimale jejunium oſtendat, neque ex Apoſtolis acceptum, neque prioribus quinque Eccleſiæ ſęculis publicâ lege præſcriptum ſaltèm uniformiter. Objicit inquam Socratem ita de variis Eccleſiarum moribus ſcribentem: * Primùm igitur jejunia illa, quæ ante Paſcha fiunt, aliter apud alios obſervari reperias. Nam qui Romæ ſunt, tres continuas hebdomadas ante Paſcha, exceptis Sabbato & Dominico die jejunant. Qui verò in Illirico & per univerſam Achajam, & qui Alexandriæ degunt, ſex ante Paſcha ſeptimanas jejunant, idque jejunium quadrageſimale vocant. Alii rursùs diverſum ab illis morem ſequuti, ſeptimâ hebdomade ante Paſcha jejunium ordiuntur; ac tres dumtaxàt ſeptimanas, quinque dierum ſingulas per intervalla jejunantes, nihilominùs hoc tempus ipſi quoque Quadrageſimam appellant. Ac mihi quidem mirari ſubit, qua ratione iſti, licèt de dierum numero inter ſe diſſentiant, eodem tamen nomine Quadrageſimam vocent. Hujus autem appellationis pro ſuo quiſque ingenio alius aliam rationem affert.* Idem teſtatur Sozomenus lib. 7. cap. 19. Caſiodorus in Hiſtoria Tripartita, & Nicephorus lib. 12. cap. 34. Objicit deinde ex Sancto Leone teſtante: Ferias tertiam & quintam apud ſuos Romanos à jejunio in Quadrageſima liberas, & immunes ſuis temporibus fuiſſe. *Secundâ* (inquit) *& quartâ & ſextâ feriâ jejunemus, Sabbato autem apud Beatum Petrum Apoſtolum vigilias celebremus.* Itaque quatuor tantùm & viginti dies tota Quadrageſima jejunabant.

174 Non eſt autem quòd multam nobis vim faciat Dallæus in verbis Socratis hæretici Novatiani; & inſuper allucinati, deceptique ex incertis rumoribus, indeque Sozomenum in errorem trahentis, & in Hiſtoria Tripartita exſcriptis. Nec mirùm ſi Græcus homo tanto locorum intervallo à Romana Urbe agens, Romanæ diſciplinæ ignarus fuerit? Ejus etiam deceptionis teſtes producit laudatus Alexander, Sanctos Petrum Chryſologum & Leonem Papam, qui eadem ætate vixerunt: alioſque plures cum Caſsiano: & plura hujus generis argumenta.

Teſtimonium S. Leonis probabiliter explicat Bellarminus.

Ad teſtimonium S. Leonis reſpondet Bellarminus: ipſum loqui de jejunio quatuor dierum, qui adduntur ante primam Dominicam Quadrageſimæ, ut numerus quadragenarius compleatur. Hanc tamen reſponſionem plures exſufflarunt viri eruditi, inter quos Hugo Menardus Sacramentarium Sancti Gregorii commentatus, oſtendenſque ex probatis Auctoribus, quatuor illos jejunii dies, nedùm Sancti Leonis, ſed nec Sancti Gregorii ætate in uſu fuiſſe. Verumtamen doctiſsimi Bellarmini reſponſionem nihilominùs ſuſtineri poſſe probabiliter cenſemus: quia dies illos initiales ex ſingulari pietate à multis obſervatos fuiſſe tempore Sancti Leonis, & jejunio conſecratos, conſtat ex Sancto Maximo dicente: *Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: quia* (inquit) *nonnullorum eſt conſuetudo advenientes Quadrageſimæ dies devotiori jejunio prævenire, neceſſariò præſens Evangelii decurſa eſt lectio, in qua ſpiritualium bonorum retributor perfectam nobis regulam jejunandi tradidit, &c.*

S. Maximus Taurinen. Hom. in Evang. pro die Cinerum.

De his itaque diebus dicere potuit Sanctus Leo: *Secundâ & quartâ & ſextâ feriâ jejunemus: Sabbato apud Beatum Petrum vigilias celebremus:* maximè ſi habitus ſit ille ſermo Dominicâ præcedente Quadrageſimam, ut colligit Bellarminus ex illis verbis: *Ingreſſuri igitur, dilectiſsimi, dies myſticos, & jejuniorum remediis conſecratos, præceptis Apoſtolicis obedire curemus, &c.*

175 Verum ſolutio Bellarmini in ſua probabilitate relicta, reſpondet ex Queſnello Natalis Alexander: verba in objectione relata non eſſe S. Leonis, ſed ejus ſermonibus inſerta. Ex utroque iſto Auctore videtur deducta nota 8. & 9. ad annum 57. & numerum 204. & ſequentes Annalium Baronii in noviſsima editione appoſitæ, ubi

Veroſimilius eſt, verba ſuppoſita fuiſſe in ſerm. S. Leonis

ubi data à nobis utriuſque argumenti ſolutio expenditur. De ſecunda enim ſic legitur. * Ait itaque vir eruditus (nempè Queſnellus) Leonis non eſſe verba illa, quæ obiiciuntur, ſed ſermoni ejus eſſe ſuperaddita, ocaſione ac ratione mox explicanda. Nam penès antiquiores & melioris notæ codices arbitrium eſt & jus & norma de dubiis veterum ſcriptorum fœtibus, aut interpolationibus decernendi; & in quinque vetuſtiſsimis M.SS. uno nempe Regio, duobus Thuaneis, Navarrico & San-germanenſi, verba illa abſunt, totuſque ille pannus à nobis deſcriptus deſideratur. Eum itaque infititium eſſe non dubitandum. Norunt omnes in more fuiſſe apud Monachos & Clericos, Homilias, ſermoneſque SS. Patrum ſuis uſibus aptare, atque aliqua addere, quę propriæ ſolemnitati convenirent. Quare arbitratur Queſnellus ſimile quid contigiſſe huic ſermoni 4. de Quadrágeſima; ab ea ſe ad aliud jejunium translatum eſſe: atque ut pro more Leonis, & pro loci etiam conſuetùdine, feriarum, quę iſtis jejuniis deputatæ erant, ſolemnis inter officia fieret indictio, concinnata eſt præfata formula, quam bona fide tranſcripſerunt ex libris lectionariis, qui de S. Leonis Sermonibus in unum corpus colligendis & publicæ luci dandis primi cogitaverunt. Teſtis eſt enim Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 31. Perpetuum illius Urbis Epiſcopum, qui Leonis ęqualis erat, aut ſuppar, terna in ſeptimana jejunia inſtituiſſe à S. Martini depoſitione uſque ad Natale Domini, quod poſtea in Concilio Matiſconenſi 1. his verbis confirmatum eſt: *Ut à feria Sancti Martini uſque ad Natale Domini, ſecundâ & ſextâ Sabbati jejunetur, & ſacrificia Quadrageſimalia debeant ordine celebrari, &c.* Hinc ſumpta illa verba, in quibus explicandis ante Queſnellum fruſtra ſudatum eſt.

176 Quoad Socratem, is egregie allucinatus (inquit ibidem Queſnellus) Græcuſque homo ſexcentis ferè leucis à Romana Urbe agens, Romanæ diſciplinæ ignarus, incertiſsimiſque deceptus rumuſculis, aliis errandi locum dedit. Socratis errorem correxit Sozomenus, cùm lib. 8. cap. 19. eamdem cum illo Quadrageſimalis jejunii varietatem ediſſerens de trium illarum Eccleſiæ Romanæ hebdomadarum jejunio, deque Sabbati ibidem remiſsione omninò ſilendum putavit. Caſsiodori, qui Socratis locum in Hiſtoriam Tripartitam inſervit, auctoritas potior videtur, quod ipſe, qui Senator & Conſul & Præfectus Prætorio fuit in urbe Roma Romanæ Eccleſię morem in obſervatione jejunii Quadrageſimalis ignorare non potuit. At quis neſcit, hoc eis plerumque contingere, qui compendiis ſcriptitandis ſtudent, aut centonibus conſuendis ex plurium ſcriptorum elucubrationibus, ut non minori cura errata exſcribant, quàm quæ ſunt veritati conſentanea; quia videlicet non ſuam ſed aliorum ſententiam repræſentare ſatagunt, nec alia corrigere curant, ſed referre? Exemplo ſit Sozomeni locus, quem in ſuam pariter Hiſtoriam tranſtulit Caſsiodorus. Scribit ille lib. 7. cap. 19. *In urbe Roma nec Epiſcopus, nec alius quiſquam in Eccleſia populum docet.* Sed cùm Sozomenus, ſedente Leone, Hiſtoriam ſuam ſcripſerit, de hujus narrationis falſitate dubitari non poteſt; cum Sanctus Leo Sermone 3. de Epiphan. & alibi, officii ſui eſſe dicat ſermonem habere ad populum, ſibique metuat imputari ad culpam, ſi huic miniſterii ſui parti defuerit. * Nec miretur Lector ex Queſnello obſervationem datam probent & adducant laudati Scriptores, mihique adversùs ipſum acriter invecto arrideat: nam à Div. Thoma monitum video: *Non reſpicias à quo audias; ſed quidquid boni dicatur, memoriæ recommenda.*

D. Thom. Opuſc. 68. de modo acquirendi ſaluβriter ſcientiam ſive humanam ſive divinam.

ARTICULUS XIV.

Quænam apud Chriſtianos in uſu jejuniorum fuerit diverſitas.

177 OMNIBUS hæreticis ſolemne fuit ſemper confundere ea quæ ad diſciplinam pertinent, cum his quæ ad ſubſtantiam præceptorum Eccleſiæ pertinent: ut ex variatione circa primum, pro diverſitate temporum & regionum permiſſa & congruè diſpoſita, adversùs ſubſtantiam præceptorum inſoleſcant, ut jam pro aſſumpto præſenti adnotavimus, & magis exponere aggredimur circa ſtatutum jejunium 4. Temporum & Quadrageſimæ.

Diverſitas accidentalis circa jejunium 4. Temporum.

Igitur in numero dierum jejunii quatuor Temporum, & in temporibus anni collocando conveniunt ut vidimus antiqui PP. at quantùm ad determinata tempora, *incertum antiquitùs fuit*, ut loquitur Synodus Saleguſtadienſis. Eandem jejunii 4. Temporum varietatem probat Canon VIII. Oxonienſis Concilii celebrati: *In Martio* (inquit) *primâ hebdomadâ jejunandum eſt feriâ quartâ, ſextâ & Sabbato. In Junio, in ſecunda, quod dupliciter obſervatur à pluribus; in prima hebdomada poſt Litanias, aut in hebdomada Pentecoſtes. In Septembri per tres dies. In proxima ſeptimana integra ante Natalem Domini.*

Synodus Saleguſtadiedſis anno 122.

Oxonięſis 1222. Can. 8.

Aliquam igitur jejuniis quatuor Temporum diverſitatem variis in Eccleſiis fuiſſe certum eſt, quoad hebdomadas & dies hujuſmodi jejuniis deſignatos. Idem conſtat ex Concilio Ænçamenſi in quo Epiſcopi ita ſtatuunt. *Jejunia quatuor Temporum nos obſervare oportet, ſicut Sanctus Gregorius nobis conſtituit, quamvis alię gentes aliter exercuerunt.* Quid autem Romana Eccleſia tandem ſucceſsivè determinavit circa hujuſmodi quatuor Temporum jejunia, ſic bre-

Concilium Ænçamenſe anno 1009. Can. 16.

S. Calliſtus I. in cap. Jejunii diſtint. 76.

breviter damus: Calliſtus primus initio ſæculi tertii Eccleſiæ univerſalis moderamina tenens; non quidem primus inſtituit (ut num. 157. præcedenti oſtendimus) ſed ex traditione Apoſtolica jejunia quatuor Temporum generaliter obſervanda decrevit, inquiens: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didiciſti, convenientius nunc per quatuor Tempora fieri decernimus, ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic & nos quaternum ſolemne agamus jejunium per anni quatuor Tempora.* Et tandem poſt determinationes proximè datas, ita Urbanus II. determinavit: *Statuimus, ut jejunia quatuor Temporum hoc ordine celebrentur: primum in initio Quadrageſimæ, ſecundum in hebdomada Pentecoſtes: tertium verò in Septembri: Quartum in Decembri more ſolito fiat.* Quæ utique jejuniorum Tempora & dies, ne memoria exciderint, his verſibus comprehendit:

Determinatio circa jejunium 4. Temporum.

Urbanus II. in cap. Statuimus n eadem. diſt.

Vult, Crux, & Lucia, cinis & chariſmata,
ut jejunetur quarta ſequens feria.

Id eſt: Jejunium quatuor Temporum celebretur primâ quartâ feriâ, quæ ſequitur poſt feſtum Sanctæ Crucis de menſe Septembris, poſt feſtum Sanctæ Luciæ, cinerum, & Pentecoſtes.

178 Quantùm verò ſpectat ad jejunium Quadrageſimale, jam memoravimus diverſitatem quantùm ad horam ſolvendi jejunii cùm in Quadrageſima, ſicut in aliis per annum jejuniis. Docuit etiam nos Div. Thomas, in Quadrageſimali jejunio præter abſtinentiam à carnibus, univerſaliter interdici etiam ova & lacticinia. Et meritò quidem nam ut decrevit S. Gregorius: *Par eſt, ut qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahunt originem carnis, jejunemus, à lacte videlicet caſeo & ovis.* Confirmat etiam Canon quinquageſimus ſextus Sextæ Synodi Trullanæ ſub pœna excõmunicationis prohibens lacticiniorũ esùs in Quadrageſima. Quia tamen verba Gregorii ſtrictum prçceptum non continere aliqui Theologi judicant, apud P. Viva in theſe ſtatim producenda. Et de Synodo illa Trullana ſeu quiniſexta, non eſſe ſaltem generaliter approbatam, eruditi ferè omnes tenent. Ideò potius ex conſuetudine certò obligare abſtinentiam illam in Quadrageſima, Eccleſia ſignificare videtur, proſcribens per Alexandrum VII. propoſitionem illam: *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.* Et meritò quia ut diſcurrit laudatus Viva. * Ideò conſuetudo iſta eſt evidenter obligatoria, quia eſt communis perſuaſio Fidelium, & communiſsimus Theologorum ſenſus, quod obliget, eſtò non conſtet aliunde, quod habuerit olim omnia, quç requiruntur ad hoc, ut aliqua conſuetudo obliget; atqui eſt conſimilis Fidelium perſuaſio, & Theologorum unanimis conſenſus, quòd obliget graviter:

D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 8. ad 3.

D. Gregor. cap. Denique *diſt.* 4

Abſtinentia ab ovis & lacticiniis in Quadregeſima, ab antiquo viget, & obligat.

Propoſitio 32. ab Alexandro VII. damnata.

ergo evidens pariter eſt, quòd ſit graviter obligatoria. Propterea qui doceret poſt hanc propoſitionem proſcriptam, conſuetudinem iſtam obligare tantùm ſub levi, ſi minùs explicitè contradiceret definitioni Pontificis, implicitè certè contradiceret. * Nihilominus conformiter ad verba Hieronymi in articulo citato adducta à Div. Thoma, rectè adnotat Natalis Alexander. * Quòd licèt abſtinentia ab omnibus quæ ſementinam carnis originem trahunt, nempe ab ovis, lacte, butyro, caſeo, generali lege Quadrageſimali jejunio ſit annexa; in aliquibus tamen locis, propter neceſsitatem, lactis, butyri, caſeique uſus conceſſus eſt. Qua in abſtinentia varias jam fuiſſe Eccleſiarum conſuetudines ſuis temporibus, Teodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, in ſuo Capitulari cap. 40. & Æneas Epiſcopus Pariſienſis libro contra Græcos, in Reſponſione ad tertiam objectionem, teſtantur, unuſquiſque ergo Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem tutâ conſcientiâ in his ſequi poteſt. * His præmiſsis.

Natalis Alexander a. 5. §. 4.

In abſtinentia illa, ſequi poteſt uniuſcujuſque Provinciæ conſuetudo.

179 Aſſerendum eſt primo: Quadrageſimale jejunium protractum ſemper fuiſſe in Eccleſia ad quadraginta dies paulò plus minuſve. Sic Catholici omnes tenuere ſemper contra hæreticos Crucis Chriſti inimicos, quibus de more ſubſcripſit Dallæus contendens antepaſchale jejunium unius dumtaxat diei aut alterius in uſu fuiſſe. Vel ad ſummum totum illud antepaſchalis jejunii tempus, ſex tantùm diebus definitum fuiſſe, eorumque liberam fuiſſe ac variam obſervantiam. Sed quàm egregiè fallatur Dallæus in utroque aſſerto notum eſt. Quantùm enim ad ſecundum attinet caput jam demonſtravimus ſupra Quadrageſimale jejunium Eccleſiaſticâ lege ab initio præſcriptum fuiſſe. Primũ tamen aſſertum refellunt SS. PP. ſupra recenſiti, numerum quadrageſimum pro jejunio quadrageſimæ aſsignantes; & præſertim illi qui ex jejunio Chriſti derivatum dicunt noſtrum quadrageſimale jejunium. Inde Ambroſius myſticam rationem aſsignans cur 40. dierum & 40. noctium ſpatio diluvii aquæ innundaverint, hçc de Quadrageſimali jejunio ſubjungit: *Unde nunc jam non pœnę præſcripti dies quadraginta, ſed vitæ, ut hoc numero jejuniis & orationibus crebrioribus, noſtrorum levemus ſupplicia peccatorum, atque ad decreta legis intenti, devotione ac fide noſtrum corrigamus errorem. Itaque per Domini Reſurrectionem quadrageſimus dies jam non habetur noviſsimus, ſed primus; atque inde vita numeratur, ubi ante, mortis numerus ad conſummationem mundi & humani generis excidium computabatur.*

Ad quadraginta circiter dies protractũ fuit ſemper jejunium quadrageſimale.

S. Ambroſ. lib. de Noe & Arca.

180 Nihilominus jejunium ejuſmodi protrahere ad quadraginta duos dies idem Ambroſius conſtituit, qui ut refert Baronius in Eccleſia Mediolanenſi obſervandum admonuit (ſermone 34. de Quadrag. veteris editionis) ut integri dies quadraginta duo à Fidelibus jejunio tranſigerentur: ea ni

S. Ambroſius ad 42. dies protrahi cõſtituit.

nimirum ex cauſa, quòd ſicut populus Iſraël à Captivitatis Ægyptiacæ jugo liberatus, totidem ſtationibus ſeu manſionibus ad terram promiſsionis pervenit; eorum ferè modo, eodemque numero jejuniorum, *quæ* (inquit idem Ambroſius) *manſiones quçdam noſtræ ſunt, ad optatum Paſchatis feſtum iidem pervenirent.*

Baron. an. Chriſti 52. n. 201.

181 Per oppoſitum vero ad 36. dies contractum fuiſſe quadrageſimale jejunium, aliquando legitur: ita videre eſt apud Caſſianum, ubi Germanus Abbas inducitur Theonam ita interrogans: *Quid cauſę, ut ſex hebdomadibus Quadrageſima celebretur. licèt in quibuſdam Provinciis religionis forſitan propenſior cura adjeciſſe hebdomadam etiam ſeptimam videatur, cùm nauter numerus die Dominico Sabbatoque ſubtracto, quadraginta dierum impleat ſummam? Sex enim & triginta dies in ipſis hebdomadibus tantummodò concluduntur.* Cui interrogationi Theonam reſpondentem inducit Caſsianus: Quadrageſimam jejunari ut dierum totius anni decimæ Deo per jejunium offerantur. Triginta namque & ſex dies quibus Quadrageſimale jejunium conſtat, ſunt anni totius decima pars. Tandem cap. 27. ad alterum interrogationis caput Theonas reſpondet: *Porro* (inquit) *quod dicitis diverſo more, id eſt ſex vel ſeptem hebdomadibus, per nonnullas Provincias Quadrageſimam celebrare, una ratio, idemque jejuniorum modus diverſa hebdomadarum obſervatione concluditur. Hi enim ſibi ſex hebdomadarum obſervantiam præfixerunt, qui putant die quoque Sabbati jejunandum. Sex ergo in hebdomada jejunia perſolvunt, qui eoſdem ſex & triginta dies, ſexies revolutos conſummant.*

Caſſianus collat. 21. cap. 24.

Aliquando ad 36. dies contractum ſervatur.

182 Quinimò & in Eccleſia Romana mos erat ſimilis, dùm Quadraginta duos dies Quadrageſima contineret; ſed ex eis triginta ſex tantùm diebus Fideles jejunabant, aliâ tamen ratione, quam S. Gregorius pro concione ad populum his verbis declarat: * A præſenti etenim die uſ- * que ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia, ſex * hebdomadæ veniunt: quarum videlicet * dies quadraginta duo fiunt, ex quibus * dùm ſex dies Dominici abſtinentiæ ſub- * trahuntur, non plus in abſtinentia quàm * triginta ſex dies remanent. Dum verò * per trecentos & ſexaginta quinque dies * annus ducitur, & nos per triginta & ſex * dies affligimur, quaſi anni noſtri deci- * mas Deo damus: ut qui nobis metipſis * per acceptum munus viximus, auctori * noſtro nos in ejus decimis per abſtinen- * tiam mortificemus. Unde, fratres cha- * riſsimi, ſicut offerre ex lege jubemini de- * cimas rerum, ita ei offerre contendite * & decimas dierum. Indè Amalarius Fortunatus ait. * Quod S. Gregorius tantummodò triginta & ſex dies abſtinentiæ nobis inſinuat quadrageſimalis temporis, forsàn quia nondum erant additi quatuor dies à ſupradicta feria quarta uſque ad primam Dominicam

S. Gregor. Hom. 16. in Evang.

Quadrageſimæ. * Sed hujuſmodi uſus (inquit Baronius) * alia itidem immutatus eſt ratione, dum ad explendum numerum quadraginta dierum jejunii, quatuor ex ſeptima hebdomada dies ad jejunandum ſunt coagmentati, nimirum ut conſecratum jejunio Domini tempus ab omnibus ſervaretur. Ex quibus omnibus manifeſti erroris arguitur Socrates lib. 5. cap. 21. dum ait, Chriſtianos, qui Romę eſſent, tres tantùm ſeptimanas jejunantes ante Paſcha conſueviſſe tranſigere. *

Baron. ubi ſup.

Numerus quadrageſimus.

183 Aſſerendum eſt 2. in jejunio quadrageſimali, abſtinentiam à carnibus obſervari ab omnibus, præceptum eſt: in aliis verò pro majori, vel minori devotione obſervatum fuit. Primum docuere SS. PP. articulo 7. indicati. Audiantur tamen Hieronymus (adversùs Dallæum & Launojum liberam fuiſſe dicentes abſtinentiam à carnibus tempore Quadrageſimæ) ad verba illa Danielis: *Panem deſiderabilem non comedi*, ita ſcribens: *Hoc docemur exemplo, tempore jejunii à cibis delicatioribus abſtinere (quod ego puto tunc dici panem deſiderabilem) nec carnem comedere, nec vinum bibere.* Deinde Auguſtinus: *Ille eſt* (inquit) *in Quadrageſimę diebus grandis utilitas, quod dum etiam à licitis abſtinemus, magis ac magis abſtinemur illicita vitare: Qui enim abſtinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet; qui nos abſtinemus à vino, quo moderatè uti licet; qui vitamus, quę aliquando licent; imprimis fugiamus peccata, quæ omninò nunquam licent.* Non minus diſſerte loquitur Theophilus Alexandrinus hæc ſcribens: *Nequaquam in diebus Quadrageſimę vini poculum ſuſpiremus; neque in procinctu prælii, ubi labor & ſudor eſt neceſſarius, carnium ſtudio delectemur: Qui autem legum præcepta cuſtodiunt, ignorant vinum in jejuniis, carnium uſum repudiant.* His Sanctis Patribus ſuccinunt Cyrillus Jeroſolymitanus, & Sanctus Chryſoſtomus, quorum prior ſic habet: *Abſtinemus per jejunium à carnibus, non quod eas abominemus, ſed quod mercedem expectemus.* Alter verò, ſeu Sanctus Chryſoſtomus ſic loquitur: *Jam coquorum diſcurſus, & pecudum mactationes è medio tollantur.*

Abſtinentiam à carnibus SS. PP. prçceptam dicunt.

S. Hieron. in c. 10. Daniel.

S. Auguſt. ſerm. 64. de tempore.

S. Theophilus Alexand. Epiſt. 3. Paſchali.

S. Cyrillus Jeroſol. Catech. 4.

S. Chryſoſt. hom. 2. ſuper.

184 Tandem Sanctus Maximus: * Nos * verò (inquit) quibus propugnator invi- * ctus hanc venerabilem Quadrageſimam * dedicavit, repudiantes deſideria carnalia, * ſic caſtigemus membra jejuniis, ut ani- * mas virtutibus ſaginemus. Et paulò poſt: * Quale iſtud eſt, quòd non veſceris car- * nibus, & de ore tuo ſordidiùs omni eſ- * ca egreditur maledictum? Ea propter Concilium Toletanum ſic decrevit: * Quiſ- * quis diebus Quadrageſimæ, ſine inevita- * bili neceſsitate atque fragilitate, vel etiam * impoſsibilitate ætatis, eſum carnium præ- * ſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit * Reſurrectionis Dominicæ: verùmetiam * alienus ab ejuſdem diei ſancta Commu-

* nio-

S. Maxim. Taurin. Homil. 3. de jejunio Quadr.

Concil. Tolet. VIII.

* nione : & hoc illi cumuletur ad pœnam,
* & ipſius anni tempore ab omni carnium
* eſu abſtineat gulam , quia ſacris diebus
* abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi
* verò quos aut ætas incurvat , aut lan-
* guor extenuat, aut neceſsitas arctat , non
* ante prohibita violare præſumant , quàm
* à Sacerdote permiſſum percipiant. Ex his, & aliis id genus momentis liquidò patet, ſemper & ubique apud omnes Chriſtianos carnium eſum in jejunio Quadrageſimæ prohibitum fuiſſe, eiſque piaculum viſum eſſe, ſi in prędicto jejunio carnibus veſcerentur.

Nicephor. lib. 17. Hiſt. Eccleſ. cap. 52.

Hujus rei memorabile quiddam Nicephorus narrat videlicet quòd imperante Juſtiniano, cùm gravis fames Urbem Conſtantinopolim urgeret , ideòque ſecunda Quadrageſimæ hebdomada carnes in foro vendi Juſtinianus imperaſſet, populus tamen, qui præceptum de abſtinentia à carnibus in jejunio quadrageſimali obſervare ſtatuerat, neque illas emebat nec edebat, *mortem* (quam ex fame paſſurus erat) *ſibi potius tolerandam ac ſubeundam exiſtimans , quam ut quidpiam de patriis moribus ac traditionibus immutaret.*

Abſtinentię illius memorabile exemplũ.

185 Quantùm ad ſecundam attinet aſſertionis partem, modum nimirùm rigidiorem vel magis temperatum , quo jejunium quadragſimale obſervari poteſt , certum eſt, longè rigidiorem olim jejunii quadrageſimalis obſervantiam extitiſſe , quàm nunc ſit , aut ab aliquot Eccleſiæ ſæculis extiterit, non tantùm quoad horam veſpertinam, qua ut mox diximus , jejunium quadrageſimale ſolvebatur, aut refectio ſumebatur, verùmetiam quoad ciborum uſum,quo Chriſtiani non tantùm à carnibus , ovis, & lacticiniis abſtinere ſolebant , & ex lege debebant , ſed etiam à quibuſdam fructibus , & vino. De fructibus quippè , ſic S. Auguſtinus expreſsis verbis dicit : *Chriſtiani (non hæretici) ſed Catholici , edomandi corporis cauſa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam , non ſolùm à carnibus , verùmetiam à quibuſdam terræ fructibus , vel ſemper , ſicut pauci , vel certis diebus atque temporibus , ſicut per Quadrageſimam ferè omnes , quantò magis quiſque vel minùs ſeu voluerit , ſeu potuerit, abſtinent.*

S. Auguſt. lib. 30. contr. Fauſtum c. 5.

Vini verò abſtinentiam in jejunio quadrageſimali antiquitùs fuiſſe communiter obſervatam , patet ex teſtimoniis Sanctorum Patrum , quæ ſupra adduximus. Cæterum ad illum rigidiorem modum ſervandi jejunium quadrageſimale non omnes & ubique Chriſtiani ex præcepto univerſalis Eccleſiæ tenebantur , ſed tantùm multi ex devotione , & non ex præcepto , vinum in jejunio Quadrageſimæ non bibebant , vel à quibuſdam terræ fructibus abſtinebant, ut magis corpus macerarent , & perfectiùs jejunarent , cum dubium non ſit, abſtinentiam à vino ad perfectionem jejunii pertinere , etſi vini potus moderatè ſumpti eſſentiali jejunii conditione non adverſetur. Hinc S.Hieronymus in epiſt. 2. de vita Clericorum ſcribens ad Heliodorum ait : *Si abſque vino ardeo adoleſcentiâ , & inflammor calore ſanguinis , & ſucculento validoque ſum corpore , libenter carebo poculo , in quo ſuſpicio eſt veneni* , quod videlicet animam perimit per peccatum , non ſecùs ac venenum propriè dictum corpori mortem infert. Vides itaque ad hunc ſtrictiorem modum quadrageſimale jejunium obſervandi per abſtinentiam à fructibus & à vino , quem ad perfectionem jejunii commendant Sancti Patres ſupra à me laudati , non omnes fideles ex præcepto univerſalis Eccleſiæ obſtrictos fuiſſe , ſed prædictam abſtinentiam ex devotione , & majori quorundam Chriſtianorum fervore originem habuiſſe.

Abſtinentia à vino non fuit generaliter ex lege obſervata.

S. Hieron. Epiſt. 2. de vita Cleric. ad Heliodorum.

186 Nonnullam etiam accidentalem variationem circa unicam comeſtionem introductam videmus , addita in poſterioribus Eccleſiæ ſæculis cœnula , ſeu veſpertina , ut dicunt , *collatione*, quæ dùm modica ſit juxta uſitatum apud viros probos morem , jejunium non ſolvit Eccleſiaſticum. Diximus in poſterioribus ſæculis : quia apud antiquos Eccleſiæ PP. & Concilia de hujuſmodi cœnula , ſeu collatione altum eſt ſilentium: præſertim vigente conſuetudine ſolvendi jejunii ad veſperam , vel ad nonam ut in ſuperioribus ſignificatum eſt. *Collationis* nomen ortum habuiſſe credimus ex uſu Religioſorum , quibus propter laborem manuum , ipſis jejuniorum diebus permittebant , ut ante lectionem & collationem ſpiritualem , quæ veſpere fieri ſolebat , potum ſumerent. Id indulſit Monachis , Conventus Aquiſgranenſis Abbatum Franciæ anno 817. habitus cap. 12. Ut ſi neceſsitas popoſceris, ob operis laborem , poſt refectionem veſpertinam , etiam & in Quadrageſima pari modo & quando Officium mortuorum celebratur , priuſquam lectio Completorii legatur , bibant. Ejus conſuetudinis meminit Uldaricus lib. 3. Antiquorum conſuetudinum Cluniacenſis Monaſterii , circa finem undecimi ſæculi conſcripto , cap. 21. *Quòd ſi aliquando , inquit , denuo non reficiant , tamen denuo bibere nunquam omittunt.* Et lib. 2. cap. 24. *Poſt nonam , ſive ſitim habeat , ſive non , tamen non dimittit , cum aliis ire bibituris.* Et cap. 41. lib. 1. narrans quid poſt veſperas agatur à Monachis, diebus quibus non cœnant , hæc habet: *Sedemus in Clauſtro ad lectionem , tangitur cymbalum ut manus lavemus , & in Refectorium bibere veniamus. Sedemus iterum ad lectionem , ſonatur ſcilla ad collationem.* Ubi nomine collationis non cœnulam , ſed collationum ſpiritualium lectionem , intelligi evidens eſt. Potui , quem diebus jejunii, extra refectionis horam , ſumebant Monachi , fruſtulum panis poſtea addiderunt , ne potus noceret , ut in Conſtitutionibus Patrum Carthuſienſium , aliorumque Ordinum videre eſt , & ne tempus vitæ regularis officiis deſtinatum ea in actione tererent, lectionem ſpiritalem , quæ in Clauſtro vel in Capitulo fieri ſolebat , his diebus

Veſpertina cænula, ſeu *Collatio* , in poſterioribus ſæculis introducta, unde nomen derivet.

in

in Refectorio habuerunt ; ſemperque veſpertinum illum ad Refectorium additum eſurialibus diebus his verbis ſignificarunt: *Ire ad collationem , aut accedere ad lectionem collationum.* Sic nomen collationis à lectione , ad ſerotinam illam refectiunculam tranſlatum eſt , & à ſæcularibus eo ſenſu uſurpatum , cùm eòuſque progreſſa eſt relaxatio ut meridie pranderent , & veſpere nihilominùs cœnulam ſumerent.

187 Verumtamen quidquid ſit de nomine & inſtitutione collationis , obtinuit jam uſus in Eccleſia non improbatus. Quantitatis tamen cibi capiendi certa menſura vix poteſt diffiniri ; ſed ſtandum eſt conſuetudini inter viros pios receptæ. Et quamvis S. Carolus Borromæus : *Panis unciam cum dimidia , & vini poculum tantùm* ſuis familiaribus in cœnula conceſſerit ; id tamen ab omnibus fidelibus obſervandum eſſe non videtur urgendum. Neque enim eadem pro omnibus regula ſtatui poteſt conformiter ad illam D. Thomæ doctrinam ad noſtrum aſſumptum quodãmodo pertinentem :
,, Quantitas cibi non potuit eadem omnibus ta-
,, xari , propter diverſas corporum com-
,, plexiones , ex quibus contingit quòd
,, unus majori , alter minori cibo indiget.
Nihilominus circa quantitatem pro cœnula vel collatione varias recenſent opiniones Patres Salmanticenſes quarum aliquæ minus , aliæ verò plus concedunt uſque ad octo uncias. Circa qualitatem verò aſſerunt ſumi poſſe panem , poma , arborum fructus, amygdalas , ubas recentes & ſiccas , oleas, nuces , pyra , herbas crudas & coctas, etiam oleo aliquo immixtas , inſalata , dulciaria & alia bellaria. Indè ut probabiliùs defendunt non eſſe collationis materiam legumina , v.g. cicera, fabas , lentes, orizam & cætera cocta , ſeu condita cum juſculo (vulgò potages.) Similiter docent cum communi Doctorum ſententia, non eſſe materiam collationis piſciculos parvos, ſive recentes ſint, ſive fumo ſiccati. Aſſerunt præterea non eſſe materiam collationis ova & lacticinia.

Uſus collationis nẽ improbatus, & qualis.

S. Borrom. in diſciplina ſuæ familiæ. Part. 1. tit. de Gubern. ſpirituali.

D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 6. ad 1

PP. Salmant. tract. 23. c. 2. Punct. 3. §. 3.

OBJECTA DISSOLUTA.

188 Plura adversùs aſſertam veritatem objicienda eſſent, niſi plenè jam præoccupata forent art. 8. præcedenti ; ubi validè monſtratum eſt, non prohiberi ab Eccleſia carnes in diebus jejunii , quia earum eſus malus natura ſua ſit : undè fruſtra inſudant Novatores , ut Romanam Eccleſiam inſultent pro hac prohibitione. Neque verum dicunt, dùm ſupponunt vel oſtendere conantur Eccleſiam de hujuſmodi abſtinentia nihil decreviſſe, ex Theodoreto ita objicientes : *Eccleſia verò de his nihil lege decrevit. Neque enim horum uſum interdicit ; & ideò alii quidem permiſsis bonis & voluptatibus ſecuri fruuntur ; alii verò ab eis abſtinent. Nullus autem qui ſapit & rectè ſentit , condemnat eum qui comedit.* Et rursùs: *De ſolis itaque cibis uniuſcujuſque ſententiæ vel menti poteſtatem dedit.* (Apoſtolus) *Hæc enim conſuetudo in hodiernum uſque diem manſit in Eccleſiis : & hic quidem abſtinentiam amplectitur ; ille verò omnibus eſculentis abſque ſcrupulo veſcitur ; & neque hic illum judicat , neque ille alterum reprehendit , ſed claros omnes reddit lex concordiæ.* Theodoreti igitur ætate libera erat abſtinentia carnium , non publicâ Eccleſiæ lege ſanccita. Reſpondeo, Theodoretum loqui de abſtinentia perpetua à vino & ab eſu carnium, qualem Encratitæ & Manichæi obſervabant , quòd malam harum naturam rerum cenſerent : hanc inquam, abſtinentiam non præcipi ab Eccleſia Theodoretus ait : non loquitur verò de abſtinentia ſtatis diebus imperata , carnis edomandæ , & animi ſordium expiandarum conſilio. Eam eſſe Theodoreti mentem conſtat ex adjunctis. *Abſtinentiam* , inquit , *à vino eſuſque carnium , & reliquam continentiam, non ſimiliter ac hæretici amplectitur. Hi enim ab his tanquam abominandis abſtinere præcipiunt : Eccleſia verò de his nihil præcipit* :: Et infra : *Encratitarum ergo , ſive abſtinentium etiam errorem Divina dogmata clarè convincunt. Dei autem Eccleſia & fabulis hæreticorum adverſatur & Divina dogmata ſequitur.*

Theodoret. lib. 5. Hæretic. Fabul. c. 29.

In c. 14. Epiſt. ad Rom.

Nihil Theodoretus de præſcripta carnium abſtinentia in jejuniis.

Tom. I.

ARTICULUS XV.

Reliqua indicans jejunia apud Chriſtianos uſitata.

189 ASSERENDUM eſt primò, apud Chriſtianos in uſu fuiſſe antiquitùs jejunium quartæ & ſextæ feriæ ob memoriam paſsionis Chriſti ; non tamen ex lege publica Eccleſiis omnibus indicta. Primam aſſertionis partem ex nullo alio Auctore melius firmare poſſumus , quam ex S. Ignatio uſum illum exprimente : poſtquam enim quadrageſimale jejunium ab exemplo commendavit (ut vidimus num. 162.) dominicæ converſationis , ſubjungit : *Poſt paſsionis Dominicæ hebdomadam jejunare quartis & ſextis feriis ne negligatis , ciborum reliquias pauperibus elargientes.* Ejuſdem jejunii uſus apud Tertullianum invenitur : more enim ſuo ſtationes jejunia nominans , vel conjungens , ſic loquitur : *Cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus?* Idipſum tradit Clemens Alexand. verbis illis : *Novit ipſe* (fidelis ſcilicet) *jejunii quoque ænigmata horum dierum , quarti inquam , & ſexti: Dicitur autem ille quidem Mercurii , hic verò Veneris.* De eiſdem quoque jejunii diebus , hæc Epiphanius : *Per totum quidèm annum jejunium hoc ſervatur in eadem Sancta Catholica Eccleſia , quarta inquam,*

Antiquus jejunii uſus feria 4. & 6.

S. Ignat. Epiſt. 8. ad Philippenſes.

Tertullian. adverſus Pſychic. c. 14.

S. Epiphan. in comp. doctr. Eccleſ.

Vvv

*quam, & pro Sabbato uſque ad horam no-
nam, excepta ſola Pentecoſte, per totas
quinquaginta dies, in quibus neque genua
flectuntur, neque jejunium imperatum eſt.*
Poſſet etiam produci canon 67. Apoſtolo-
rum, & lib. 7. Conſtitutionum Apoſtolica-
rum S. Clementis, quæ licèt incertæ fidei
monumenta ſint, ſatis tamen probant ætate
eorum, qui hæc opera ſuppoſuerunt, cele-
bre fuiſſe apud Chriſtianos quartæ & ſextæ
feriæ jejunium. Monitum tamen velim non
æquali ratione diſcurrendum eſſe ad expun-
gendam S. Ignatii Epiſtolam ad Philippen-
ſes, qua ab eruditis diſcurritur de libro ci-
tato S. Clementis, & Apoſtolicis Canonibus:
quia licèt exploratum non ſit Epiſtolam
illam à S. Ignatio ſcriptam; ea tamen ob
ſtyli ſimilitudinem & ſpiritum verè Apoſto-
licum, à viris doctis omninò recipitur, ut
loquitur Bellarminus.

Bellar. de ſcript. Eccl. in S. Ignatio.

190 Præjacti jejunii cauſam legitimam
callidè pro ſuo more reddidit Kemnitius
in 4. part. examin. pag. 587. dicens veterem
Eccleſiam jejunare ſolitam feriâ quartâ &
feriâ ſextâ, quia duobus illis diebus con-
veniebant populi in Eccleſiam ad audien-
dum verbum Dei, & ſumendam Cœnam.
Et indè colligit pag. 584. hoc tempore de-
buiſſe hæc jejunia ceſſare, cùm cauſa ipſa
ceſſaverit. Fallitur autem, aut falli diſsimu-
lat in aſsignanda cauſa pro ſuo captioſo
more. Si enim veritatis amans foret, audiſ-
ſet Auguſtinum dicentem: * Cur autem
* quartâ & ſextâ maximè jejunet Eccle-
* ſia, illa ratio reddi videtur, quòd con-
* ſiderato Evangelio, ipſa quarta Sabbati
* quàm vulgò quartam feriam vocant,
* concilium reperiuntur ad occidendum
* Dominum feciſſe Judæi: intermiſſo au-
* tem uno die, cujus veſpera Dominus
* Paſcha cum Diſcipulis manducavit, qui
* finis eſt ejus diei, quem vocamus quin-
* tam Sabbati: deindè traditus eſt ea no-
* cte, quæ jam ad ſextam Sabbati, qui
* dies paſsionis ejus manifeſtus eſt, perti-
* nebat: Et paulò poſt: Paſſus eſt Domi-
* nus (quod nullus ambigit) ſextâ Sabba-
* ti, quapropter & ipsâ ſextâ rectè jeju-
* nio deputatur: jejunia quippè humilita-
* tem ſignificant: undè dictum eſt: Hu-
* miliabam in jejunio animam meam. Au-
diſſet S. Petrum Martyrem Alexandrinum
* Epiſcopum aſſerentem: * Non reprehen-
* dat nos quiſpiam quartam & ſextam fe-
* riam obſervantes, in quibus nos jejuna-
* re ſecundùm traditionem præceptum eſt.
* Quartam enim propter initum à Judæis
* concilium de proditione Domini: ſextam
* verò, quod ipſe pro nobis paſſus ſit.
Sic habetur in canone antiquo apud ſępè lau-
datum Baronium num. 203. Similia profert
de jejunio ſextæ feriæ Innocentius I. etſi
de feria quarta ſileat, nonnulla addens de
jejunio Sabbati ſtatim expendendo: * Si
* diem Dominicum (inquit) ob venerabi-
* lem Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu
* Chriſti, non ſolùm in Paſcha celebramus,
* verumetiam per ſingulos circulos hebdo-
* madarum, ipſius diei imaginem frequen-
* tamus, ac ſextâ feriâ propter Paſsio-
* nem Domini jejunamus, Sabbatum præ-
* termittere non debemus. Et infrà: Si
* autem Dominici diei & ſextæ feriæ per
* ſingulas hebdomadas reparanda imago
* eſt, dementis eſt bidui agere conſuetu-
* dinem, Sabbato prætermiſſo: cùm non
* diſparem habeat cauſam, à ſexta videli-
* cet feria in qua Dominus paſſus eſt,
* quando & ad inferos fuit:: Non ergo
* nos negamus ſextâ feriâ jejunandum, ſed
* dicimus & Sabbato hoc agendum. Con-
cinit etiam S. Iſidorus Hiſpalenſis inquiens:
*Præter hæc autem tempora legitima jeju-
niorum omni feria ſexta propter Paſsionem
Domini à quibuſdam jejunatur; ſed & Sab-
bati dies à pleriſque, propter quòd in eo
Chriſtus jacuit in ſepulchro, jejunio conſe-
cratus habetur.*

Kemniti. prędicti jejunii cauſam fraudulenter aſsignans, exploditur.

S. Auguſt. Ep. 86. ad Caſulan.

Legitima aſſignatur à SS. PP. cauſa.

Baron. n. 203.

Innocent. I. Ep. I. ad Decentiū c. 4.

S. Iſidor. lib. de Eccleſ. Officiis c. 42.

191 Ut autem appareat quantùm pio-
rum animo inhęſerat prælaudatum jejunium,
ſatis erit adnotare, quòd cùm hujuſmodi
jejunandi mos collapſus aliquando fuerit,
plurimorum intemperantiâ & ignaviâ, cu-
rarunt Epiſcopi illum reſtituere legibus qui-
buſdam latis. Sic S. Fulgentius: *Ut per ſin-
gulas ſeptimanas omnes Clerici ac viduę, &
quicumque potuiſſent ex laicis, quarta &
ſexta feria jejunarent*; ut in ejus vita ab
uno ex illius diſcipulis conſcripta memo-
ratur. Sic anno 581. Matiſconenſe I. Con-
cilium decernit: *Ut à feria S. Martini uſ-
que ad Natale Domini ſecunda, quarta &
ſexta Sabbati jejunetur.* Sic Ænhamenſe
Concilium de ſextæ feriæ jejunio decernit.
*Sextæ etenim jejunia feriæ ab omnibus mag-
noperè per ſingulas hebdomadas exercenda
ſunt; ſi tamen in eadem die aliqua feſtivi-
tas non evenerit.* Sic Concilium Coyacenſe
Ovetenſis Diœceſis in Caſtellæ Regno ha-
bitum anno Chriſti 1050. jubet: *Ut Chri-
ſtiani per omnes ſextas ferias jejunent, &
horâ congruâ cibo reficiantur, & faciant
labores ſuos.* Videas quàm conſtanter anti-
qui Patres pro motivo præjacti jejunii Paſ-
ſionem Chriſti recolendam aſsignant; cùm
per oppoſitum Kemnitius nullum pro ſua
imaginatione convenientem adducit teſtem.
Quinimò ſi verùm haberet hujus Novatoris
effatum, potius in die Dominica jejunare
deberent fideles: nullo equidem die ſolen-
tior atque celebrior populi conventus in
Eccleſia eſſe ſolet ad concionem audien-
dam, ſacramque Communionem percipien-
dam.

Uſus illius jejunii aliquando reſtitutus.

S. Fulgentius in ejus vita.

Matiſconenſe I Concilium.

Ænhamenſe, Coyacenſe.

192 Præſtat tandem poſtremam firma-
re aſſertionis partem, qua ſtatuimus jeju-
nium illud non fuiſſe generali lege præſcrip-
tum niſi quoad abſtinentiam à carnibus: qua
ratione intelliguntur & Canon indicatus
Apoſtolorum, & Epiphanii teſtimonium; &
ſi quæ ſunt alia ejuſdem generis antiqua
monumenta: non autem de jejunio ſtricto
& quoad unicam etiam comeſtionem. Niſi
fortè ex pręſcripto & ratione pœnitentiæ

Jejunium 4. & 6. feriæ, non fuit generali lege pręſcriptū, niſi quoad abſtinentiam à carnibus.

id contigerit: quia ut ex Burchardo lib.
6. & 19. Decretorum deducitur: *Pœniten-
tibus apud veteres injungi ſolitum erat, ut
feriâ quartâ & ſextâ per totum annum
jejunarent.* Et certè ſi per totum annum
fideles omnes quartâ & ſextâ feriâ jejuna-
rent ex præcepto; quid opus eſſet jejunio
quatuor temporum, feriam quartam & ſex-
tam complectente? Et tandem conſtat ex
Auguſtino & Tertulliano. Ille enim ſupra
laudatus ait: *Chriſtianos quartâ & ſextâ
feriâ, & ipſo Sabbato, jejunare conſueviſ-
ſe, quod frequenter Romana plebs facit.*
Ex Auguſtino itaque colligitur IV. & VI.
ferias jejunio fuiſſe ex Eccleſiæ more con-
ſecratas, quamvis jejunium illud nulla le-
ge indictum eſſet, ſed à Fidelibus pro cu-
juſque arbitrio & pietate obeundum, ſeu
*paſſivè tantùm currens non ſub lege præ-
cepti*, ut de illorum dierum ſtationibus Ter-
tullianus loquitur.

193 Aſſerendum eſt ſecundò: Circa je-
junium Sabbati diverſam fuiſſe antiquitùs
rationabilem conſuetudinem, ex nulla par-
te abſolutè improbandam. Diverſam con-
ſuetudinem circa jejunium Sabbati oſten-
dunt Romana Eccleſia, aliæque Occidenta-
les Eccleſiæ jejunium illud obſervantes: Si-
cut per oppoſitum Orientales Eccleſiæ à je-
junio illo abſtinentes. *Romæ* (inquit Socra-
tes) *ſingulis Sabbatis jejunant.* Hujuſmodi
jejunium à S. Silveſtro inſtitutum aſſerit Ni-
colaus I. *De jejunio Sabbati* (inquiens) *tem-
pore Sancti Silveſtri Confeſſoris Chriſti ſa-
tis diſcuſſum eſt, & diſputatum, atque
ut celebraretur, per omnia definitum, nul-
luſque poſt hæc auſu temerario contra iſtud
ſtatutum venire, aut ſaltem mutire prę-
ſumpſit.* Verumtamen decretum hujuſmo-
di, vel ſuppoſitum fuiſſe, vel Scribarum
mendo, Silveſtrum pro Innocentio I. ſup-
poſitum, conjiciunt eruditi non pauci ex
ſilentio Auguſtini, Caſsiani, & ipſius In-
nocentii adversùs Photium diſputantis, eò
quod Romanam improbaret Eccleſiam pro
jejunio Sabbati. Sed quidquid ſit de mo-
numento iſto, non videtur dubitandum de
conſuetudine Romanæ Eccleſiæ & aliarum
Occidentalium: ſicut nec de oppoſita Orien-
talium conſuetudine, poſtquam antiqui Pa-
tres eam ſupponunt, cùm ſtatuunt utranque
conſuetudinem reſpective retineri poſſe ſi-
ne crimine: * Alia verò (inquit Auguſti-
* nus) quæ per loca terrarum regioneſque
* variantur, ſicuti eſt quòd alii jejunant
* Sabbato, alii verò non; alii quotidie com-
* municant Corpori & Sanguini Domini-
* co, alii certis diebus accipiunt: alibi nul-
* lus dies intermittitur quò non offeratur,
* alibi Sabbato tantùm & Dominico, ali-
* bi tantùm Dominico, & ſi quid aliud
* hujuſmodi animadverti poteſt; totum hoc
* genus rerum liberas habet obſervationes:
* nec diſciplina ulla eſt in his melior gra-
* vi prudentique Chriſtiano, quam ut eo
* modo agat, quo agere viderit Eccleſiam,
* ad quamcunque fortè devenerit.

Diverſa fuit, nec improbanda conſuetudo antiqua circa jejunium Sabbati.

Nicolaus I. Ep. ad Gallicanos Epiſcop.

S. Auguſt. Ep. 118. ad Januarium cap. 2.

194 Romanæ demùm Eccleſiæ conſue-
tudinem pro jejunio Sabbati S. Leo memo-
rat, de Sacrorum Ordinum tempore ſic de-
cernens: * Quòd ergo à Patribus noſtris
* propenſiore cura novimus eſſe ſervatum,
* à vobis hoc volumus cuſtodiri, ut non
* paſsim diebus omnibus Sacerdotalis vel
* Levitica Ordinatio celebretur, ſed poſt
* diem Sabbati, ejus noctis, quæ in pri-
* ma Sabbati luceſcit, exordia deligantur, in
* quibus his qui conſecrandi ſunt, jejunis, &
* à jejunātibus ſacra benedictio conferatur:
* quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane
* ipſo Dominico die, continuato Sabba-
* ti jejunio celebretur: à quo tempore
* præcedentis noctis initia non recedunt,
* quam ad diem Reſurrectionis, ſicut etiam
* in Paſcha Domini declaratur, pertinere
* non dubium eſt. Benè igitur Innocen-
tius I. ad Decentium: *Non negamus* (in-
quit) *ſextâ feriâ jejunandum; ſed dicimus
& Sabbato hoc agendum. Sabbatum præter-
mittere non debemus.*

S. Leo Epiſt. 81.

S. Innocent. I. Epiſtol. ad Decentium.

195 Cùm igitur de diverſa illa conſue-
tudine nihil dubitationis relinqui poſsit,
ęquum eſt ut jam ſtatuamus neutram eſſe
improbandam abſolutè. (Si enim quis Sab-
bato abſtinendum judicaverit, eo fine quo
Manichæos feciſſe dicemus, proculdubio
tanquam ſuperſtitioſæ hæreſis inſimulandus
eſſet.) Sic enim Hieronymus: * De Sabba-
* to (inquit) quod quæris, utrum jejunan-
* dum ſit: & de Euchariſtia, an accipien-
* da quotidie, quod Romanæ Eccleſiæ &
* Hiſpaniæ obſervare perhibentur: Scripſit
* quidem & Hyppolitus vir diſſertiſsimus,
* carptìm diverſi Scriptores è variis Aucto-
* ribus edidere: ſed ego illud te breviter
* admonendum puto, Traditiones Eccle-
* ſiaſticas, præſertim quę fidei non officiant,
* ita obſervandas, ut à Majoribus traditæ
* ſunt: nec aliorum conſuetudinem, alio-
* rum contrario more ſubverti. S. Augu-
ſtinus adhuc Cathechumenus ab Ambroſio
conſultus, reſpondit: * Quando hìc ſum
* non jejuno Sabbato; quando Romæ ſum,
* jejuno Sabbato. Ad quamcunque Eccle-
* ſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi
* pati ſcandalum non vultis, aut facere.
Deinde in Epiſtola ad S. Hieronymum ha-
bet: * Vellem me doceret benigna ſince-
* ritas tua, utrum ſimulatè quiſquam San-
* ctus Orientalis, cum Romam venerit,
* jejunet Sabbato, excepto illo die Paſ-
* chalis Vigiliæ? Quod ſi malum eſſe di-
* xerimus, non ſolum Romanam Eccle-
* ſiam, ſed etiam multa ei vicina & ali-
* quantò remotiora damnabimus, ubi mos
* idem tenetur, & manet. Si autem je-
* junare Sabbato malum putaverimus; tot
* Eccleſias Orientis, & multò majorem or-
* bis Chriſtiani partem, qua temeritate
* criminabimur? Et ad Caſulanum ſcribens,
* Romani cujuſdam Diſputatoris procaciam
retundens, qui univerſas penè Eccleſias à
Romana in more jejunandi Sabbato diſcre-
pantes injurioſè laceſſebat, hæc habet:

Jejunium Sabbati abſolutè non improbādum.

S. Hieron. Epiſt. 28. ad Lucinium Bœticum.

S. Auguſt. Epiſt. 86. ad Caſulan.

Epiſt. 19. ad S. Hieron.

Epiſt. 86. ad Caſulan.

* Quòd utinam ſic quæreret, aut ſic affirmaret, ut toto terrarum orbe diffuſam, exceptis Romanis, & adhuc paucis Occidentalibus, apertiſsimè non blaſphemaret Eccleſiam. Nunc verò quis ferat per omnes Orientales, & multos etiam Occidentales populos Chriſtianos de tot tantiſque famulis famulabuſque Chriſti, Sabbato ſobriè modeſtèque prandentibus, ab iſto dici quod in carne ſint, & Deo placere non poſsint? Cùm ergo his opprobriis atque maledictis inſectatur Eccleſiam per totum mundum fructificantem atque creſcentem, & die Sabbati penè ubique prandentem, admoneo, quiſquis eſt, ut ſeſe cohibeat.

196 Conſuetudinis in jejunio Sabbati pro Romana Eccleſia rationem aſsignant aliqui cum Caſsiano, quos ſupreſſo nomine refert, nec omnino probat Auguſtinus inquiens: * Eſt quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridiè cum ejuſdem Urbis Eccleſia jejunaverit, & conſequuto tam proſpero ac glorioſo ſucceſſu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ ſunt nonnullæ Occidentales Eccleſiæ. Eandem traditionem rejiciens, poſt multa ſubjungit: * Sequitur Sabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requievit, ſicut in primis operibus mundi requievit Deus die illo ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in Regina illius veſtis varietas, ut alii ſicut maximè populi Orientis, propter requiem ſignificandam, mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Quod quidem uno die, quo Paſcha celebratur, propter renovandam rei geſtæ memoriam, qua Diſcipuli humanitùs mortem Domini doluerunt, ſic ab omnibus jejunatur, ut etiam illius Sabbati jejunium devotiſsimè celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbatis prandent, utrunque videlicet ſignificantes, & in uno anniverſario die luctum Diſcipulorum, & cæteris Sabbatis quietis bonum.

S. Aug. ubi ſup.

Quadam jejunii in Sabbato indicatâ cauſâ, ſolidior aſſignatur.

197 Latiori calamo rationem aſsignat S. Innocentius I. ad Eugubinum ita ſcribens: * Sabbato jejunandum eſſe, ratio evidentiſsima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti non ſolum in Paſcha celebramus, verumetiam per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus: ac ſi ſexta feria propter Paſsionem Domini jejunamus; Sabbatum prętermittere non debemus, quod inter triſtitiam atque lętitiam temporis illius videtur incluſum. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe: quod utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſię habeat, iſto biduo Sacramenta pœnitùs non celebrari: quæ utique forma per ſingulas tenenda eſt hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius ſemper eſt celebranda. His enim verbis nedum Romanæ Eccleſię rationabilem conſuetudinem oſtendit; ſed etiam ex Orientalis Eccleſiæ uſu reddit magis firmam. Nam ſi dicta ex cauſa, quod ſublatus eſt ſponſus, Orientales itidem (ut dictum eſt) Sabbato majoris hebdomadæ jejunare ſoliti ſunt: quænam adduci hac ex parte poteſt ratio diverſitatis, ſi ejuſdem hebdomadæ per ſingulas ſequentes cujuſque menſis ſeptimanas (Quinquageſima tantùm excepta) eadem jejunia quartæ & ſextæ ferię revolverentur, Sabbati verò nequaquam? Undè & Innocentius jure ſubdit: * Quod ſi putant ſemel atque uno Sabbato jejunandum: ergo & Dominicâ, & ſextâ feriâ ſemel in Paſcha erit utique celebrandum. Si autem Dominici diei, & ſextę feriæ per ſingulas hebdomadas reparanda imago eſt; dementis eſt bidui agere conſuetudinem, Sabbato prætermiſſo, cum non diſparem habeat cauſam, à ſexta videlicet feria in qua Dominus paſſus eſt, quando & ad inferos fuit, ut tertiâ die reſurgens, redderet lætitiam poſt biduanam triſtitiam præcedentem. Non ergo nos negamus ſextâ feriâ jejunandum: ſed dicimus & Sabbato hoc agendum, quia ambo dies triſtitiam Apoſtolis, & his qui Chriſtum ſequuti ſunt, indixerunt. Hucuſque de ratione jejunii diei Sabbati Innocentius: ex quibus patentis mendacii Socrates redarguitur, dum ait, Romæ in Quadrageſima jejunare ſolitos Fideles, Sabbato excepto atque Dominica. Sed ſicut ea die jejunare Fideles Romæ conſueverant, ita nefas ducebant eam feriare diem, ne quid cum Judæis hac ex parte commune habere viderentur: ſatiſque Chriſtianæ religioni conſultum viſum, ſi (quod Teſtamentum, cæteraque myſteria translata eſſent) mutarent etiam Sabbatum in Dominicam, cùm ea potiſsimum dies tot tantiſque eſſet cumulata ſacramentis: de qua translatione hæc Tertullianus in Apologetico: *Æque ſi diem ſolis lætitiæ indulgemus, alia longè ratione quàm religione Solis; ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem ſolis otio & victui decernunt, exorbitantes & ipſi in Judaico more, quem ignorant.*

Innocentius I. Epiſt. ad Eugubinum.

Socrates lib. 5. hiſt. c. 21.

Tertullianus in in Apolog. c. 16.

198 Indè apparet etiam in diebus Dominicis licitum eſſe jejunium ex devotione: ſicut de die Natalis ſextâ feriâ occurrenti docuit nos ex Honorio III. Div. Thomas num. 156. præcedenti. Eodem modo diſcurrendum eſſe credimus de jejuniis à quibuſdam inter Aſcenſionem Salvatoris & Pentecoſten obſervari ſolitis; quantumvis prohibita antiquitùs fuerint (excepta Vigilia Pentecoſtes) in pluribus Synodis Italiæ &

Non eſt prohibitum ex devotione inter Paſcham, & Pentecoſtè jejunare.

Gal-

Gallię, de quibus ita refert Baronius: *Nam de jejuniis, quæ plerique fidelium, ſcilicet inter Aſcenſionem Salvatoris & Pentecoſten, obſervant, ita decreverunt, ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecoſtes, & à quibus fieri vellent, prohiberentur fieri.* Prohibita inquam fuerunt quaſi ex pręcepto obſervanda non ex devotione: ſicut toto à Reſurrectionis uſque ad Pentecoſten tempore, ex devotione licitum eſt jejunare, non obſtanti quod Eccleſia nullum jejunii pręceptum indixit. Nec tamen prætermittere poſſumus immoderantiam nimiamque ſeveritatem, qua Synodi plures in Gallia circa annum Chriſti 1034. decreverunt obſervandum eſſe jejunium feriâ ſextâ & Sabbato. * Plurima autem (loquitur Baronius ex Glaberto) in iiſdem Conciliis conſtituta ſunt, quæ per longum duximus referre. Illud ſanè memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus ſanctione perpetuâ, ſextâ die abſtineretur à vino & carnibus, & ſeptimâ, niſi fortè gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima ſolemnitas interveniret. Si verò affectio aliqua intercederet, ut hic tenor paululùm laxaretur: tres proindè pauperes victu ſuſtentarentur. Et rurſùs poſtquam hujuſmodi decretum à Franciæ Epiſcopis datum eſt ſervari ſubjectis ſibi populis, ſubjungit: Jejunium in pane & aqua omni ſextâ feriâ ſervarent, & in Sabbato à carne & liquamine abſtinerent, ſoloque hoc contenti jejunio, in omnium peccatorum remiſsionem, nullam ſibi ſcirent aliam adiiciendam pœnitentiam: & hęc ſervare ſacramento firmarent. Quòd qui nollet, chriſtianitate privaretur, & exeuntem de ſæculo nullus viſitaret, nec ſepulturę traderet. * Hæc aliaque importabilia mandata Epiſcopi illi dedere, quorum novitatem amplectentes quamplurimi; ex oppoſito obſtitit Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, qui ut refert Sigebertus, nunquam adduci potuit ad ea ſuſcipienda mandata, ſed ſingula refellit capitula; & quidem judicio omnium eruditorum jure optimo.

Baron. anno Chriſti 1004. n. 1.

Baron. anno 1034. à n. 2.

Rigidiora gallicana Decreta, de jejunio 6. feriæ & Sabbati, rejiciuntur.

199 Et quidem ut nihil dicamus de ſolo jejunio aſſerto in omnium peccatorum remiſsionem, nulla alia expetendâ pœnitentia, cujus propoſitionis falſitas nota eſt, etſi à quodam ex illis Epiſcopis cęlitùs data dictum fuerit. Quantùm ad alia indicata capita, laudatum audiamus Baronium: * Jam ab Apoſtolorum temporibus (inquit) viguiſſe in Eccleſia Catholica Occidentali jejunium ſextæ ferię atque Sabbati hebdomadarum conſtat, de quorum cauſa & origine & obſervantia ſatis dictum eſt, tomo primo Annalium: quod tepuiſſe non dubium eſt, cùm remanſerit ex eo dumtaxàt abſtinentia ab eſu carnium; revocare ipſum ad uſum priſtinum, ut revera iis diebus fideles per ſingulas hebdomadas jejunarent more majorum, ſi ferret iſta humana infirmitas, non ſolùm non reprehendendum, ſed magnoperè laudandum fuiſſet, ſed auſteriorem pœnis illis appoſitis, illiſque aliis comitantibus ſancire diſciplinam, haud tutum, nec dignum Eccleſia videri debuit quàm Apoſtolus monuit, grauiori debere inceſſu procedere, quàm inanibus hiſce revelationibus traduci, dicens ad Galatas: *Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et ad Coloſſ. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus, &c.* Planè inſinuans, univerſa iſthæc quantumlibet ſancta, juſtaque videantur ac pia, capitis Eccleſię conſenſione probanda, priuſquam populo obſervanda tradantur. Undè ſæpè meritò invenimus eſſe ſtatutum, ut Provincialia Epiſcoporum Concilia ex confirmatione Apoſtolicæ Sedis vim accipiant. At non abſque dedecore Gallicanorum Epiſcoporum accidit, Sede Apoſtolicâ inconſultâ, pietatis intuitu iſta decernere, vel decreta ejuſdem judicio examinanda atque probanda negligere. *

Ad Gal. 1. v. 8.

Ad Coloſſenſ. 2. v. 18.

OBJECTA DISSOLUTA.

200 Si autem Romanæ Eccleſiæ antiqua conſuetudo in jejunio Sabbati tàm eſt rationabilis, ut ſtatuimus: quid cauſæ eſt (objiciet aliquis) quod Orientalis Eccleſia Sabbati jejunium execrata ſit? *Si quis Dominicam diem* (ſcripſit S. Ignatius) *aut Sabbatum (uno excepto) jejunarit, hic Chriſti interfector eſt.* Rurſùs etiam eſt de eadem re Apoſtolicus dictus canon 55. in hæc verba: *Si quis Clericus Dominicum diem, aut Sabbatum (uno ſolo dempto) jejunare deprehendatur, deponitor: ſin autem, laicus à Communione dejicitor.* Subjecto canone fręti in Trullana Synodo Gręci congregati anno Chriſti 707. non ſolùm priſcum morem de Sabbatis à jejunio abſolvendis firmarunt, ſed & legem imponere auſi ſunt Romanę Eccleſiæ Sabbatis jejunanti, & morem illius damnare: *Quoniam intelleximus, in Romanorum Civitate, in ſanctis Quadrageſimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunari, præter Eccleſiaſticam traditam conſequentiam: ſanctæ Synodo viſum eſt, ut in Romanorum quoque Eccleſias inconcuſè vires habeat canon, qui dicit: Si quis Clericus inventus fuerit in ſancta Dominica, vel Sabbato jejunans (præter unum & ſolum) deponatur; ſin autem laicus ſegregetur.* Majori poſtea audaciâ Photius jejunium Sabbati Romanis objecit tanquam crimen. Hujus morem gerentes Michaël Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Leo Acridenſis Epiſcopus, & Nicetas Pectoratus, Romanam laceſcere Eccleſiam temerariè moliti fuere. Eorum tamen petulantiam compreſſit Humbertus Cardinalis, Silvæ Candidæ Epiſcopus, morem Græcorum & ipſe acerbiùs inſectatus, eoſque accuſans, quòd Sabbatum à jejunio abſolventes, lætiuſque tranſigentes Nazaręorum hæreſim ſuſcitarent, ac

S. Ignat. Ep. 8.

Trullana Synodus Can. 55.

Orientalium adverſus Romanam Eccleſiam petulans audacia.

Ju-

Judaiſmum invehérent. Verumtamen ab acriori debet utraque conſuetudo temperari cenſurâ, dummodò ex rationabili cauſa reſpectivè procedat, hæreſibus omnibus deteſtatis.

201 Ad objectum proindè ſubjectum, methodicè diſtingui poteſt propoſitio ex S. Ignatio deſumpta: ut vera ſit de jejunio Sabbati, & diei Dominici ex motivo quo Manichæi, poſt Simonem Magum alioſque ſimiles, ducti fuere. Secùs verò ſi ex rationabili adducta cauſa, jejunium Sabbati & Dominici diei aſſumatur, prout in Romana Eccleſia conſuetum eſſe ab antiquis temporibus, ſtatuimus. Indè non veniunt audiendi Græci criminatores Romanæ Eccleſiæ.

Jejunium Sabbati, & diei Dominici, juxta diverſitatem motivi, prohibetur, vel admittitur.

Neque debet nobis negotium facere Canon *Apoſtolicus*, vel potiùs *Pſeudo-apoſtolicus* ab omnibus eruditis determinatè rejectus: & Canon Trullanæ Synodi. Niſi velimus monumenta iſta, etſi apochrypha, explicare de jejunio prædicto, ex pravo, quod diximus, motivo aſſumpto. Igitur rationabile motivum pro Eccleſia Orientali elegantèr pro more & veridicè nobis relinquit Baronius plenè audiendus. * Cur vero (inquit) tanti criminis reus conſtituatur ex ſententia Ignatii, qui die Dominico, vel Sabbato jejunaſſet, diligenter cauſa perveſtiganda eſt. Par quidem ratio in utriſque, licèt ex cauſa diverſa provenit. Nam hæretici, de quibus nuper diximus, qui Chriſti reſurrectionem negabant, cùm Chriſtiani ea potiſsimùm die gauderent, ipſi in mœrore eandem diem jejunantes ducebant. Alii verò qui Deum Hebræorum Orbis conditorem & legis auctorem, malum eſſe, Chriſtumque ad eum deſtruendum veniſſe dicebant; quod ille quieviſſet die ſeptima, & in ejus honorem Judæi Sabbatum diem colerent, ipſi in ejus contumeliam eadem die Sabbati jejunabant. Horum origo à Simone Mago ſemel exorta, in Menandrum, Saturninum, Baſilidem, Cerinthum, atque Carpocratem eſt infæliciter propagata: teſtatur hæc de his omnibus Irenæus, ſed latiùs Epiphanius, & alii plures. Vixerunt omnes hi ejuſdem Ignatii temporibus, qui ſuis ſcriptis eoſdem eſt inſectatus, Fideleſque ut ab his caverent, & ne ſicut hi, Sabbato jejunarent, admonuit. Horum impietatis hæres factus eſt Cerdon, cui Marcion ſucceſsit. Quorum omnium licèt eſſent diverſi circa rectam fidem errores; in eam tamen ſententiam æquè omnes conſpirarunt, ut Deum, quem dicebant auctorem mundi, traderent eſſe malum, & quod ad hanc partem ſpectabat, in ejuſdem Dei contumeliam Sabbato jejunarent. Nam de Marcione hæc memoriæ prodidit Sanctus Epiphanius: *Sabbatum verò jejunat ob hanc cauſam. Quoniam Dei, inquiunt, Judæorum eſt requies, qui mundum fecit, & in ſeptima die quievit; nos jejunamus hanc, ut ne officium Dei Judæorum faciamus.* Hæc ex ipſorum verbis recitat Sanctus Epiphanius de cauſa ejus diei ſuſcepti jejunii: ex quibus etiam cæterorum, qui eadem de Dĕo Hebræorum ſentiebant, proditur ejuſdem ratio inſtituti. Unde & manifeſta certaque redditur cauſa, cur Orthodoxi Orientales, penès quos ea invaleſcebat hæreſis, à Sabbati jejunio temperarent, & cur illud Ignatius tantoperè execraretur.

Baron. anno 57. n. 205. & 206.

Hæretici præſcribentes jejunium dierum Sabbati, & Dominici, & eorum motivū

S. Epiph. hær. 42

202 At in eorundem hæreticorum deteſtationem, non tantum illud penès eos introductum fuit, ut diem Sabbati abſque jejunio ducerent, ſed etiam ut magna cum hilaritate tranſigerent, ſacroſque Conventûs perinde ac ipſa die Dominico haberent. Sunt de ejuſmodi inſtitutione complura antiquorum teſtimonia: & ut incipiamus à Clemente, cujus nomine inſcriptum volumen de Conſtitutionibus Apoſtolicis è Græcorum profluxiſſe fontibus, qui accuratè perſpexerit, non inficias ierit; hæc apud ipſum leguntur: *Sabbatum, & Dominicum diem feſtum agimus: quoniam illud naturę conditę eſt monumentum, hic reſurrectionis. Unum autem Sabbatum ſervandum nobis eſt in toto anno, quod pertinet ad ſepulturam Domini, in quo jejunare oportet, non feſtum agere.* Hæc ibi. Eadem complures alii: Nam id Socrates his verbis confirmat: *Cùm* (inquit) *feſta cujuſque ſeptimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus Conventus in Eccleſiis fieri ſolent*, &c. Sed longe ante Gregorius Nyſſenus in ea oratione quam habuit adverſus eos, qui ægre ferunt reprehenſiones, hęc eadem in hunc fermè modum: *Quibus oculis vides diem Dominicum, qui deſpicatus es Sabbatum? An neſcis quod hi dies fratres ſunt? Quod ſi alterum probro affeceris, alterum offendis.* Et Anaſtaſius Nicænus: *Sabbatum* (inquit) *& dies Dominicus ſunt dies Sancti & feſti, neque licet in eis jejunare.* Sic igitur cùm eam diem hæretici (ut vidimus) contumeliis afficerent, quòd Deus Hebræorum, quem malum dicebant, cùm mundum creaſſet, quieviſſet; contraria ratione Catholici, non Judaizantes quidem, ſed ut Deum Patrem omnium, Creatorem Cæli & Terræ, ſolemni (ut par erat) celebritate venerarentur, debitiſque tanto numini obſequiis colerent, in ejus honorem Sabbatum, non ſecùs ac Dominicum diem in Chriſti Redemptoris gloriam, celebrandum eſſe duxerunt: & ſicut nefas ducebant die Domica jejunare, ita etiam Sabbato, quod celebris dies eſſet, execrandum planè eſſe putabant. Sed id piè quidem, religioſèque, non autem (ut dictum eſt) Judaicè, quod faciebant (ut ſcribit Euſebius) Ebionęi. *

Lib. 7. cap. 24.

Iterantur motiva pro religioſo uſu ejuſmodi jejuniorum.

Socrat. hiſt. lib. 6. c. 8.

S. Anaſt. Nicęn. lib. q. 77.

203 Ad calcem dicere nonnulla convenit, circa jejunium Adventûs & Rogationes ante Feſtum Aſcenſionis fieri ſolitas. Et quidem ab antiquis temporibus invaluiſſe apud fideles Tempore Adventûs jejunare pervium eſt: quantumvis Eccleſia nunquam Chriſtianos omnes ad jejunium illud generaliter adſtrinxerit. De hujuſmodi jejunio, memoria extat in Capitulari Caroli Magni, ubi ſta-

Jejunium Adventus jam antiquitùs obſervatū, ſed non ex lege generali

tu-

tutum legitur 40. diebus ante Natalem diem; & totidem poſt Pentecoſten, jejunandum eſſe, ut memoriæ tradit Thomaſinus. Et ſubjungit ſtatim: jejunia Adventûs & menſis Auguſti rigidius apud Orientales obſervari, non quidem ex lege, ſed ex conſuetudine. Sed jam ante annos plures de jejunio Adventûs memoria extat in Synodo Matiſconenſi ad annum Chriſti 582. celebrata tempore Guntheramni Francorum Regis. Ibi enim inter alia decreta ad morum emendationem & Eccleſiaſticam diſciplinam attinentia (vel viginti capitula ut refert Ado Vienenſis; vel decem & novem, ut tenet Pagius) ſic Canone 9. ſtatuitur: *Ut à feria S. Martini uſque ad Natalem Domini, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus Canones legendos eſſe ſpeciali definitione ſanccimus, ut nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.* Hæc Patres prædicti Concilii, inter quos ſanctitate conſpicui eminerunt *Syagrius* Auguſtodunenſis, *Aunacharius* Altiſiodorenſis, *Priſcus* Lugdunenſis, *Evantius* Vienenſis, *Agricola* Nivernenſis, *Artemius* Senonenſis, & *Flavius* Cabilonenſis. Fuiſſe autem in Galliis hujuſmodi jejunia primum inſtituta à Sancto Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, Gregorius ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes docet, ubi inter alia jejunia: *A depoſitione* (inquit) *S. Martini uſque ad Natalem Domini terna in ſeptimana jejunia.* Fluxit indè, ut nonnulli Fidelium ipſum integrum tempus Adventûs, quod Natalem Domini diem præcedit, jejunio continuato tranſigerent. Et hoc quidem à feſto omnium Sanctorum, prout in Religionibus nonnullis ex inſtituto ſervari ſolet: quamvis aliquæ illarum à Dominica prima Adventûs, jejunium incohare in uſu habeant.

Thomaſinus de Diſciplina Eccleſiaſt. tom. 1. lib. 2. cap. 83. n. 12. & n. 14.

Synodus Matiſcon. Can. 9.

Pagius ad annum 582. n. 5.

Gregor. Turon. lib. 10. hiſt. c. 31

204 Quidquid autem ſit de ſtatutis particularibus, certum eſt Adventum Domini jejunio celebrari conſueviſſe quatuor ante diem Natalem hebdomadibus in Eccleſia Romana, non tàm ex præcepto, quàm ex devotione & conſilio, aut ex voto à pluribus fidelibus. Hoc enim conſtat ex Innocentio III. Deinde ex ipſo ritu Romani Breviari, in quo preces illæ ad ſingulas horas ponuntur legendæ in feriis Adventus, quæ propriæ ſunt dierum quibus jejunatur.

Innocentius III. cap. Concilium *de obſervat. jejuniorum.*

205 Majori autem examine jejunium memorare convenit, quod dicitur Rogationum, & ſimul cum illo ſolemnes inſtitutas Rogationes ſive ſupplicationes tribus ante Aſcenſionem Domini diebus fieri conſuetas ab Eccleſia univerſali. In illis namque Rogationum diebus jejunium pariter inſtitutum fuiſſe à Sancto Mamerto, ejuſmodi Rogationum ſaltem quoad aliqua primo inſtitutore, ut dicemus, refert Gregorius Turonenſis. Deinde in Concilio Aurelianenſi I. Idem jejunium receptum legimus. Romæ etiam ab antiquis temporibus jejunium illud ſervabatur quantùm ad abſtinentiam à carnibus, ut intelligi poteſt ex Ordine Romano, ubi agitur de Rogationibus. Quinimò non tàm præcepti quàm conſilii hujuſmodi fuiſſe obſervantiam indicat Bellarminus, indè quod inter Paſcha & Pentecoſten ex antiquiſsima conſuetudine nulla jejunia imperantur; præter Vigiliam Pentecoſtes de qua meminit jam laudatus Ordo Romanus. Sicubi tamen Rogationum memoratum jejunium vel potius abſtinentiam præcepto aliquo inducitur, non eſt improbandum ſed obſervandum, ſubjungit benè laudatus Bellarminus. Indè abſtinentiam à carnibus feriâ ſecundâ & quartâ obſervare jam omnes debemus. Sed in his ut diximus conſuetudo ſequenda eſt, quę diverſa pro diverſitate Provinciarum reperitur. * Nam in aliquibus (inquiunt Patres Salmanticenſes) in his tribus diebus à carnibus abſtinetur. In aliis feriâ ſecundâ & quartâ jejunatur: in aliis, tantùm jejunatur in Vigilia Aſcenſionis: in aliis denique, omnibus his tribus diebus carnibus veſcitur. Sic Villalobus, Ludovicus à Cruce in Bull. Cruciat. diſput. 1. cap. 5. dub. 15. num. 3. At (ut teſtatur Barboſa in cap. *Rogationes*) *in Luſitania hujuſmodi triduanum jejunium non in deſuetudinem abiit, ſed pro quodam Religionis ſtudio colitur, & obſervatur maxime in pervigilio Aſcenſionis Domini; & in aliis duobus diebus à carnibus abſtinetur: quod de aliquibus provinciis Hiſpaniæ, Galliæ, & Germaniæ atteſtatur Azor Inſtit. Moral. part. 1. lib. 7. cap. 15. quæſt. 4.* Hucuſque Barboſa. Sed in aliis Hiſpaniæ regnis ſolùm mos eſt, in Vigilia Aſcenſionis ſine jejunio à carnibus abſtinere. Quapropter dicendum eſt, unumquenque in hoc, patriæ morem ſervare debere. Videatur Quintana-Dueñas tract. 9. ſingul. 30. ubi num. 2. affert decretum Synodi Hiſpalienſis tit. de Feriis cap. 2. quod pręcipit, ut à feria ſecunda ſolùm edantur cibi in Sabbato liciti; & feria quarta, qui permittuntur in diebus jejunii: & num. 3. refert verba Concil. Granat. tit. de Obſervatione jejuniorum, num. 3. ubi feria ſecunda, & quarta Rogationum carnes prohibentur. *

In Rogationibus ante Aſcenſionem, jejunium viguit ex parte.

Gregor. Turon. lib. 2. c. 34. Concil. Aurelian 1. c. 29.

Bellarm. lib. 2. c. 21.

In cap. Scire *diſt. 37.*

Ad præſens, abſtinentia ſolum à carnibus, juxta diverſas Provinciarum conſuetudines.

PP. Salmantic. tract. 23. c. 2. punc. 5. §. 2.

206 Rogationum quas diximus primam inſtitutionem ut recenſeamus, operc pretium duximus præmittere, diverſas & multiplices in Eccleſia Rogationes fieri ſeu Litanias, quarum aliquæ vocantur Majores de quibus mentio habetur in Martyrologio Romano ad diem 25. Aprilis. Ibi namque Baronius plura de hac re colligit ex antiquis monumentis, inquiens: * De his item Beda, Uſuard. Ado, & alii Latinorum: quorum nonnulli cum dicant inſtitutas à S. Gregorio ſic intelligas, non ut ipſas majores Litanias S. Gregorius primus invenerit, ſed quod ad Sanctum Petrum eas indixit. Extat decretum ejuſdem Pontificis de Litaniarum majorum annua celebritate in princ. lib. 2. regiſtri his verbis. *Solemnitas annuę devotionis nos, fratres di-*

Baron. in notis ad Martyrol. die 25. Aprilis.

Variæ referuntur Litaniæ, ſeu Rogationes.

dilectiſsimi ; admonet , ut Litaniam , quę Major ab omnibus appellatur , ſolicitis ac devotis debeamus (auxiliante Deo) mentibus celebrare , &c. Idem S. Pontifex occaſione ingruentis peſtilentiæ illam Litaniam inſtituit , quam ſeptiformen appellavit. Extat de ea re ejus conſtitutio data 4. Kal. ſept. lib. 11. cap. 2. cujus etiam meminit Greg. Turonen. de geſt. Franc. lib. 10. cap. 1. Paul. diac. de geſtis Longobard. lib. 3. cap. 11. & alii. Idem S. Gregorius , urgente aliqua neceſsitate , non tantùm Romanis , ſed etiam exteris Litanias indicebat , ut apparet ex lib. 9. regiſt. Epiſt. 45. Indict. 4. Cur autem hæ , de quibus hìc agimus , Litaniæ majores dictæ fuerint : conſtat , ad minorum Litaniarum differentiam ſic appellatas eſſe. Non namque unæ tantum in anno , ſed plures ſolitę erant fieri Litaniæ pro conſuetudine cujuſque Eccleſię , ut apparet ex Epiſt. S. Greg. 76. lib. 7. Indict. 2. ad Caſtorium , ubi habetur mentio de quatuor vel quinque ſolemnibus Litaniis in Ravennate Eccleſia celebrari ſolitis. A quo autem Litaniæ primùm fuerint inſtitutæ , adhuc mihi eſt in exploratum : vetuſtiſsimum ſanè morem fuiſſe in Eccleſia Litanias peragere , certiſsimum eſt. Nam quod ſpectat ad Eccleſiam Orientalem , S. Baſilius Epiſt. 63. ad Neocæſarienſes tradit , in ea Eccleſia in uſu fuiſſe Litanias etiam temporibus Sancti Gregorii cognomento Thaumaturgi , ejus Civitatis Epiſcopi , qui vixit temporibus Decii Imperatoris , quas poſtmodùm in cæteris Orientis Eccleſiis conſtat fuiſſe frequentatas , adeò ut eas ſolemniori pompa etiam Ariani fuerint æmulati , ut ſcribit Socrat. lib. 6. cap. 8. & Sozomen. lib. 8. cap. 8. quas tamen Arcadius Imper. edicto promulgato illis inhibuit leg. 30. de hæret. C. Theod. Litaniæ etiam reperiuntur dictæ Proceſsiones cap. 17. Concil. Laodic. edit. 2. Conſtat autem penès Latinos vetuſtiorem fuiſſe uſum procedendi ad loca Martyrum , ut Tertull. lib. 2. ad uxorem , & Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtoch. Eaſdem itaque ſivè Litanias , ſivè Proceſsiones dicere velimus , unuſquiſque Epiſcopus in ſuis Eccleſiis ſtudiosè agere conſuevit. Undè de S. Honorato Epiſcopo Maſsilienſi hæc pro magna laude Genadius cap. 99. *Hic Litanias ad ſupplicandum Dei clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit.* *

§. UNICUS.

Rogationum præcipuarum prima inſtitutio , non ſimpliciter S. Mamerto videtur certò tribuenda.

207 NOS autem impræſentiarum de Litaniis , vel Rogationibus ſolemniori ritu ab Eccleſia univerſaliter fieri ſolitis triduo ante Aſcenſionis feſtum , verba facere inſtituimus. Ad earum ergo quod attinet primum inſtitutorem , nonnulla inter eruditos extat controverſia. Eorum quidam aſſerunt primum ominò inſtitutorem fuiſſe S. Mamertum de quo memoria fit in Martyrologio ſub die 11. Maii. Per oppoſitum autem Baronius ita ibidem in notis ſcribit. * Sic poſitum (nempè in Martyrologio : *Litanias in ea Urbe reſtituit*) ut intelligas , longè ante S. Mamertum , Rogationes illas ante Aſcenſionem Domini fuiſſe ſolitas celebrari. * Subjungit tamen : * Porrò Sanctus Mamertus ſolertiori cultu eaſdem in Viennenſi Eccleſia celebrandas indixit : quem ritum (ut hìc habet Martyrologium) univerſalis Eccleſia recipiens , comprobavit. * Suam opinionem validiùs confirmat eruditus Purpuratus in Annalibus Eccleſiaſticis , ubi pro *Mamerto* habet , *Mamercum*. Adnotare tamen oportet in correctiori Martyrologii editione non legi : *Litanias in ea Urbe reſtituit* , ut in antiqua quam notis adornavit Baronius , ſed *inſtituit* , undè non parùm roboris primæ ſententiæ accreſcit. Pro utroque nihilominus differendi genere fundamenta adducemus , ut quiſque quam maluerit amplectatur opinionem. Certum tamen eſt Litanias à S. Mamerto quomodocunque inſtitutas , ſtatim apud alias Eccleſias invaluiſſe , prout ex verbis S. Aviti Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopi , qui poſt Eſychium ſuccedentem S. Mamerto ſedit , conſtat. Sic enim in exordio habet : *Currit quidem tramite viali , non per Gallias modò , ſed per Orbem totum Rogationalis obſervantiæ flumen irriguum.*

Baron. in notis ad diem 11. Maji.

Ad annum. 475 à n. XI.

S. Alcimus Avitus homil. de Rogationibus.

208 Sed priuſquam hiſtorica monumenta pro utraque indicata eruditorum ſententia in medium afferamus ; inſtitutionem & motivum inſtituendi Rogationes in S. Mamerto , audiamus plenè à Sanct. Avito poſt verba producta ſcribente : * Peculiarior
* tamen nobis in hac ipſa inſtitutione ſer-
* vitii & gaudii cauſa eſt , quia quod hinc
* modo ad cunctorum utilitatem defluit ,
* ex noſtro primitùs fonte manavit : & for-
* tè nunc pertineat ad cujuſcunque privi-
* legiis ornatum ſumptæ primitùs inſtitu-
* tionis exordium. Cæterum cùm ad hujuſ-
* modi humilitatem ineffabilis neceſsitas
* rigida Viennenſium corda perdomuit ,
* ſentiens Eccleſia noſtra cauſam ægritudi-

* nis ſuę , non ſibi quaſi maximè præ om-
* nibus , ſed quaſi ſoli ex omnibus exiſti-
* mans opus eſſe inſtituenda obſervatione
* præſenti , ſolicitiùs captavit remedium ,
* quàm primatum. Et quidèm terrorum
* temporis illius cauſas multos noſtrum
* recolere ſcio. Siquidem incendia crebra ,
* terræmotus aſsidui , nocturni ſonitus ,
* cuidam totius orbis funeri prodigioſum
* quoddam buſtuale minitabantur. Nam
* populoſis hominum concurſibus domeſti-
* ca ſilveſtrium ferarum ſpecies obverſaba-
* tur ; Deus viderit , an ludificans oculis ,
* an adducta portentis. Quidquid tamen
* ex his duobus foret , perinde monſtruo-
* ſum intelligebatur : ſeu ſic veraciter im-
* mania beſtiarum corda manſuefieri , ſeu
* etiam horribiliter conſpectibus territorum
* falſæ viſionis phantaſmata poſſe confingi.
* Inter hæc diverſa vulgi ſententia , diſpa-
* riumque ordinum variæ opiniones. Alii
* quod ſentiebant diſsimulando , quod fle-
* tui nolebant dare , caſui dabant. Alii
* ſpiritu ſalubriore , abominabilia nova
* quæque congruis malorum proprietatis
* ſignificationibus interpretabantur. Quis
* enim increbris ignibus imbres ſodomi-
* ticos non timeret ? Quis trementibus
* elementis , aut diſsidua culminum , aut
* diſrupta terrarum imminere non crede-
* ret ? Quis videns (certè videre ſe pu-
* tans) pavidos naturaliter cervos per an-
* guſta portarum uſque ad fori lęta pene-
* trantes , non imminentem ſolitudinis
* ſententiam formidaret ?
* 209 Quid multis ? Tracta ſunt hæc
* inter timores publicos & rumores priva-
* tos uſque ad imminentem ſolemnium
* vigiliarum noctem , qua celebrari feſtum
* Dominicæ Reſurrectionis annua conſue-
* tudo poſcebat. Siquidem hanc omnes ,
* laborum opem , malorum finem , metuen-
* tium ſecuritatem , communibus animis
* operiebantur. Adfuit ergo nox illa ve-
* nerabilis , quæ ad ſpem publicæ abſolu-
* tionis votivum ſolemne patefecerat. Sed
* mox illi multo vehementior ſtrepitus ictu
* flagelli graviùs ferientis intonuit : utpotè
* quem jam emenſis gradibus , ſuperlati-
* vum nihil ſequi aliud quàm chaos in-
* telligeretur. Ædes namque publica , quàm
* præcelſo Civitatis vertice ſublimitas im-
* menſiter faſtigiata prætulerat , flammis
* terribilibus conflagrare crepuſculo cœ-
* pit. Interpellatur itaque nuntio diſcrimi-
* nis jucunditas ſolemnitatis : pleno timo-
* ribus populo Eccleſia vacuatur. Omnes
* namque ſimilem facultatibus vel domi-
* bus propriis caſum de quadam præemi-
* nentis incendii arce metuebant. Perſtitit
* tamen coram feſtivis altaribus invictus
* Antiſtes ; & calorem fidei ſuæ accendens
* flumine lacrymarum , permiſſam ignibus
* poteſtatem incendio abſcedente compeſ-
* cuit. Deſperatione depoſitâ reditur ad
* Eccleſiam , & reſtinctâ flammarum luce
* clareſcit luminum pulchritudo. Nec ſanè
* ulteriùs trahitur de arripiendo compun-
* ctionis medicamine mora prędeceſſor nam-
* que meus , & ſpiritalis mihi à baptiſmo
* pater , Mamertus Sacerdos , cui ante
* annos non paucos pater carnis meæ , ac-
* cepto (ſicut Deo viſum eſt) Sacerdotii
* munere ſucceſsit totas in ea quam ſupra
* diximus vigiliarum nocte Paſchæ conce-
* pit animo Rogationes : atque ibi tacitus
* definiunt , quidquid hodie pſalmis ac
* precibus mundus inclamat.

210 Hujus exequendi voti cupidus Rogationes illas inſtituit eo ordine & diſpoſitione , quam refert laudatus Epiſcopus ſubjungens : * Pandit igitur diſpoſitionem , in-
* dicit ordinem , exponit ſalubritatem : &
* viro tàm religioſi quàm ſolertis ingenii
* parùm fuit , ſi obedientibus propoſitum
* tantummodo inſtitutionis promeret , niſi
* inter initia etiam vinculum conſuetudinis
* adſignaret. Inſpirante igitur compuncto-
* rum cordibus Deo , auditur à cunctis ,
* confirmatur , attollitur. Eligitur tempori
* triduum præſens , quod inter Aſcenſionis
* ſacræ cultum diemque Dominicum , quaſi
* quoddam propriæ opportunitatis limbo
* circumpoſitis ſolemnitatibus marginare-
* tur. Explorante autem Epiſcopo fervo-
* rem inchoationis , & maximè verente , nè
* ob tardam populi ſequacitatem , paucio-
* ribus eductis obſervatio ipſa confeſtim in
* ſui novitate revileſceret , ad Baſilicam ,
* quæ tunc mœnibus vicinior erat Civita-
* tis , orationem primæ proceſsionis indicit.
* Itur celebri alacritate , copioſa multitu-
* dine , maxima compunctione : ut revera
* populi lacrymis laboribuſque brevis at-
* que anguſta proceſsio videretur. Ubi ve-
* rò Sanctus Sacerdos de minorum effectu
* majorum indicia collegit , ſequenti die
* inſtitutum eſt , quòd nunc primò , id eſt ,
* craſtino , ſi Dominus annuit , die la-
* boraturi ſumus. Sequutæ ſunt ſucci-
* duo tempore quædam Eccleſiæ Galliarum
* rem tàm probabilis exempli : ſic tamen ,
* quòd hoc ipſum non apud omnes iiſdem
* diebus , quibus penès nos inſtitutum fue-
* rat , celebraretur. Nec porrò magni in-
* tererat quòd triduum eligeretur , dum-
* modo Pſalmorum officia lacrymarum fun-
* ctionibus annuis perſolverentur. Tamen
* cum dilectione Rogationum etiam Sacer-
* dotum creſcente concordia , ad unum
* tempus , id eſt , ad præſentes dies , uni-
* verſalis obſervantiæ cura conceſsit.

211 Exemplum Sanct. Mamerti proximè æmulatus fuit Sidonius Arvernorum Epiſcopus cùm populum ſibi ſubjectum ingruentibus perturbationibus agitatum lacrymabundus conſpiceret pio cultu Rogationes in ſua inſtituit Diœceſi , de quibus eorumque optato eventu ſic ad Sanct. Mamertum ſcripſit : * Rumor eſt , Gothos in Roma-
* num ſolùm caſtra moviſſe. Huic ſemper
* irruptioni nos miſeri Arverni janua ſu-
* mus. Namque odiis inimicorum hinc pe-
* culiaria fomenta ſubminiſtramus , quia

Sidonius lib. 7. Epiſt. 1.

* quòd necdum terminos ſuos ab Occeano * in Rhodanum Ligeris alveo limitaverunt, * ſolam, ſub ope Chriſti moram de noſtro * tantùm obice patiuntur. Circumjectarum * verò ſpatia tractumque regionum jam * pridem Regis minacis importuna devo- * ravit impreſsio. Sed animoſitati noſtræ * tàm temerariæ, tàmque periculoſæ non * nos aut ambuſtam murorum faciem, aut * putrem ſudium cratem, aut propugnacu- * la vigilum trita pectoribus confidimus * opitulatura: ſolo tamen invectarum te * auctore Rogationum palpamur auxilio; * quibus inchoandis inſtituendiſque popu- * lus Arvernus, etſi non effectu pari, affe- * ctu certè non impari cœpit initiari, & * ab hoc circumfuſis nondum dat terga * terroribus.

212 Recenſita Rogationum inſtitutione, quid nobis veroſimiliùs appareat circa indicatam controverſiam ſignificare habemus. Utriuſque ſiquidem ſententiæ patroni auctoritate innituntur laudati Sidonii ad Aprum ita ſcribentis: * Quidquid illud eſt, quod * vel otio, vel negotio vacas, in Urbem * tamen, ni fallimur, Rogationum contem- * platione revocabere. Quorum nobis ſo- * lemnitatem primus Mamertus pater & * Pontifex, reverentiſsimo exemplo, utiliſ- * ſimo experimento invenit, inſtituit, inve- * xit. Erant quidèm priùs (quod ſalva fi- * dei pace ſit dictum) vagæ, tepentes, in- * frequenteſque; ut ſic dixerim, oſcitabun- * dæ ſupplicationes, quæ ſæpè interpellan- * tum prandiorum obicibus habetabantur, * maximè aut imbres, aut ſerenitatem de- * precaturæ; ad quas (ut nihil amplius di- * cam) figulo pariter, & hortulano non * oportuit convenire. In his autem, quas * ſuprafatus Sacerdos & protulit pariter & * contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fle- * tur. Adhæc te feſta cervicum humilia- * tarum, conſternatorum, & ſternacium ci- * vium ſuſpirioſa contubernia, peto. Et ſi * ſpiritualem animum tuum benè metior, * modò citiùs venies, quòd non ad epu- * las, ſed ad lacrymas evocaris.

213 Ex his verbis per extrema decurrunt Baronius ubi ſupra, & Jacobus Sirmondus. * Quod igitur ab Eccleſia Catholica antiquitùs traditum (habet ille) ſed diſciplinę ſolutione cultu remiſsiori neglectum, S. Mamertus reſtituit, & auctiori excoluit obſervantia. Ex his quidem Sidonii verbis apparet S. Mamertum Epiſcopum, non tàm inſtituiſſe, quàm reſtituiſſe, & in meliorem formam reduxiſſe ſacras Rogationes. * Sirmondus autem deducit: * Quare fruſtra laborant, qui propterea quòd Litanias, ſupplicationeſque antè Mamertum in Eccleſia extitiſſe legunt, ideò illum Rogationum non primum auctorem, ſed reſtauratorem dici volunt. Fruſtra inquam: Neque enim quæſtio eſt, an primus Litaniarum uſum in Eccleſiam invexerit, quem conſtat multò antiquiorem fuiſſe: ſed an eas inſtituerit, quæ ante Aſcenſionem Domini celebrantur. Rogationeſque propriâ jam voce nuncupantur. In quo ut dixi, conſentiunt omnes; & Sidonii verba, *invenit*, *inſtituit*, *invexit*, dubitari non ſinunt. Rogationum ergo primùs auctor Mamertus. Nec ſolùm inſtituit, ut ſtatæ ac ſolemnes illis diebus ſupplicationes eſſent: ſed ſupplicationum formam uſitatâ ſanctiorem, auguſtioremque inſtituit. * Nihilominus in ſui favorem adducit Baronius ultimo loco citatus, S. Cæſarium Arelatenſem, qui paulòpoſt Mamertum floruit, & Rogationes illas jam in toto mundo celebrari ſignificat illis verbis: *Quæ licèt omni tempore neceſſaria eſſe probentur, præcipuè in iſtis tribus diebus, quos regularitèr in toto mundo celebrat Eccleſia, nullus ſe à Sancto conventu ſubducat.* Sed majorem vim ex Auguſtino S. Mamertum pluribus annis præcedente pro ſua ſententia facit Baronius: non obſcurè enim meminit S. Pater ejuſmodi Rogationum in Sermone cujus exordium eſt: *Scire debemus & intelligere, fratres chariſsimi; quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus.* Et circa finem habet: *Nullus ſibi de induſtria aliquas occupationes inquirat, per quas ſe de Eccleſiæ conventu ſubducat. Sine dubio peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus, jejunando, orando, & pſallendo, medicamenta ſibi ſpiritualia non inquirit.*

Baron. anno Chriſti 475. n. 17.

In notis ad diem 11. April.

S. Cæſar. Hom. 33. Rogat.

S. Auguſt. ſer. 173. de Temp.

ARTICULUS XVI.

Rationabiles aſsignans cauſas ab obligatione jejunii relevantes.

214 JEJUNIUM ſtatis ab Eccleſia temporibus graviter obligare demonſtratum eſt: quia tamen ex præcepto dumtaxat Eccleſiaſtico obligat, nulli dubium eſt quandoque à jejunio excuſari eos qui legitimè fuerint impediti. Ut enim loquitur D. Thomas prę- cepta Divina inter & Eccleſiaſtica ſtatuens diſcrimen: „ Præcepta Dei ſunt præcepta juris naturalis, quæ ſecundùm ſe „ ſunt de neceſsitate ſalutis. Sed ſtatuta Eccleſiæ ſunt de his, quę non per ſe „ ſunt de neceſsitate ſalutis, ſed ſolum ex „ inſtitutione Eccleſiæ: & ideò poſſunt eſſe aliqua impedimenta, propter quæ ali- „ qui ad obſervanda jejunia hujuſmodi non „ tenentur. Sive ut expreſsiùs loquitur in Sententiariis: „ Dicendum quòd præcepta „ juris poſitivi, ut dictum eſt, removent „ aliqua, quæ non ſunt de ſe mala, & „ ſemper, undè in aliquo caſu poſſunt eſſe „ bona & neceſſaria, quæ talibus prohibentur præceptis, & ideò non fuit intentio „ Legiſlatoris, ut ſemper obſervaretur præceptum ſuum, niſi in illis caſibus, in „ quibus bonum virtutis poteſt conſervari. „ Et ideò dicendum ad primam quæſtionem de jure naturali, & poſitivo, quòd „ jus poſitivum à jure naturali procedere „ dicitur, inquantùm per jus poſitivum „ modus obſervandi jus naturale determinatur: quia intentio cujuſlibet Legiſlatoris „ eſt inducere homines ad virtutes, ut dicitur in 2. Ethicor. cap. 1. quòd pertinent ad jus naturale. Modus autem obſervandi ea, quæ ſunt de lege naturali, non poteſt eſſe uniformis in omnibus propter diverſitates quæ in ſingularibus contingunt, ſicut nec idem modus „ curationis poteſt adhiberi omnibus laborantibus eadem ægritudine: & ideò Legiſlator non poteſt aliquod præceptum „ ponere, quod non oporteat in caſu aliquo prætermitti: tamen conſiderans, quòd „ frequentiùs accidit, legem ponit in illis „ caſibus, in quibus modus determinatus „ per legem non competit, judicium reſervans aliquibus, qui hoc habeant diffinire. Inde

Diſcrimen inter præcepta juris poſitivi, & naturalis.

D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 1

In 4. diſt. 15. q. 3. a. 2. q. 1.

215 Aſſerendum eſt: à præcepto jejunii ex cauſa rationabili excuſantur fideles. In aſſertione ſic propoſita conveniunt Theologi omnes, multum licet diſſentiant in caſibus particularibus, ut videre licet apud Theologos moralia tractantes cum Patribus Salmanticenſibus. Nos autem plura illis reſervantes, graviora indicabimus litteræ Divi Thomæ pro more inhærentes. Aſſertionem itaque in genere illis verbis ſtatuit Doctor Angelicus: „ Dicendum quòd ſtatuta „ communia proponuntur, ſecundùm quòd „ multitudini conveniunt: & ideò Legiſlator in eis ſtatuendis attendit id, quod „ communiter habetur, & in pluribus accidit. Si quid autem ex ſpeciali cauſa in „ aliquo inveniatur, quod obſervantiæ ſtatuti repugnet, non intendit talem Legiſlator ad ſtatuti obſervantiam obligare, „ in quo tamen eſt diſcretio adhibenda. „ Nam ſi cauſa ſit evidens, per ſe ipſum „ licitè poteſt homo ſtatuti obſervantiam „ præterire, præſertim conſuetudine interveniente, vel ſi non poſſet de facili recurſus ad ſuperiorem haberi. Si verò cauſa ſit dubia, debet aliquis ad ſuperiorem „ recurrere, habentem poteſtatem in talibus „ diſpenſandi: & hoc eſt obſervandum in „ jejuniis ab Eccleſia inſtitutis, ad quæ omnes communiter obligantur, niſi in eis „ fuerit aliquod ſpeciale impedimentum. Docet ergo imprimis S Doctor in caſu dubii recurrendum eſſe ad ſuperiorem, prout jam determinaverat Concilium Toletanum ſtatuens: *Illi autem, quos aut ætas inervat, aut languor extenuat, aut neceſsitas arctat, non antè prohibita violare prę́ſumant, quàm à Sacerdote permiſſum accipiant.* Idem confirmat Concilium Mediolanenſe primum ſub S. Carolo Borromęo: * Ab his omni- * bus (inquit) eos excipimus, quos urgens * neceſsitas, vel imbecilla ætas à jejunii * lege eximit; eos etiam, qui evidentis * morbi, vel alterius juſtæ cauſæ excuſa- * tionem habent: Sed horum judicium Epiſ- * copo tantùm, vel iis, quos ei muneri * ipſe prę́fecerit, ſcripto faciendum relin- * quimus; idque quod ad morbum attinet, * de Medici conſilio. Et Concilium Nar- * bonenſe: quadrageſimale jejunium, (ha- * bet) Vigiliæ, & Quatuor Tempora, per * abſtinentiam, & ciborum delectum obſer- * ventur. Dictis temporibus cibi venales * vetiti non exponantur, ſed pro neceſsi- * tate ægrotantium clàm, & ſine ſcandalo * miniſtrentur, habentibus expreſſam ab * Ordinario in ſcriptis licentiam: Quam * non niſi notâ neceſsitate, & ſi fieri poſ- * ſit Medicorum atteſtatione inſpectâ con- * ferent. Deinde S. Antoninus: Si ſit du- * bium (inquit) utrum ſit cauſa neceſſaria, * petenda eſt ab Epiſcopo loci, ſi commo- * dè haberi poteſt, diſpenſatio, vel à pro- * prio Sacerdote, ſi tamen adiri non po- * teſt Epiſcopum. Non tamen quærat cæ- * cum pro conſilio in hujuſmodi. Dixi in caſu dubii; nam ſi cauſa ſit certa, recurſu illo ad Superiorem opus non eſt: quia ſaltem noſtris temporibus conſuetudo non viget in ejuſmodi caſibus Superiorem adire.

A. 4. ut ſup. in corp.

A præcepto jejunii, ex rationabili cauſa, excuſantur fideles.

In cauſa dubia, recurrendum eſt ad Superiorem, ſecluſſo privilegio.

Concil. Tolet. 8. Can. 9.

Concil. Mediol. 1. p. 2. tit. De jejunio.

Concil. Narbon. c. 10.

S. Antonin. p. 23 cap. 2.

216 Recurſum tamen in cauſa dubia ad Superiorem paulòpoſt deſignandum obſervare habent fideles, niſi privilegio aliquo gaudeant, quale eſt in noſtra Hiſpania & Regnis catholico Regi ſubjectis per Bullam Cruciatæ, in qua conceditur illam accipientibus, ut in dubio de cauſa ſufficienti pro jejunio intermittendo, poſsint ex conſilio utriuſque Medici non jejunare, & carnes comedere. Medicos tamen monitos velim ut S. Antoninum dicentem audiant: * De * conſilio rationabili medicinæ infirmus * ſolvens jejunium, vel comedens carnes * diebus prohibitis non peccat, ſed pec- * caret Medicus, ſi ſine cauſa rationabili, * vel ſaltem dubia, talia mandat, vel or- * dinat infirmis. Id confirmat Sanctus Carolus Borremęus inquiens: * Medici me- * minerint, ita ſuarum eſſe partium corpo- * ris incolumitati proſpicere, ut ne obli- * viſcantur potiorem haberi debere anima- * rum ſalutem. Quapropter caveant dili- * genter, ne alienę culpæ participent, ni- * mia facilitate ſua in fide facienda neceſ- * ſitatis utendi cibis vetitis. Idem confirmat Concilium Avenionenſe dum habet: * Medicos omnes Epiſcopi aliquot ante * diebus accerſant, eoſque diligenter mo- * neant, ne proprię ſalutis immemores, * nimia facilitate cujuſpiam malè affectam * valetudinem affirment, iis indulgentes, * qui fingunt laborem in præcepto. Et tandem Concilium Narbonenſe hæc habet: * Medicos omnes quibuſdam diebus ante * Quadrageſimam Epiſcopi ad ſe venire * mandent, & moneant, ne propriæ ſalutis * immemores, facilitate nimiâ, cujuſpiam * malè affectam teſtentur ſanitatem, ne ſi- * bi parent gehennam, alios nimiâ adula- * tione perdentes.

Medici cautè procedant.

P. 2. tit. 6. c. 2. §. 6.

S. Carolus in Act. Eccleſ. Mediolanen. p. 3. pag. 361.

Concil. Avenion. anno 1594. c. 44.

Narbon 1609. c. 10.

Carnes ſine ſcandalo aliorum, à diſpenſatis comedantur.

217 Dùm autem quis ob infirmam valetudinem aliamvè juſtam cauſam, carnibus aliiſque vetitis cibis veſcere habet, admonere Parochum piè voluit S. Borromęus, nè publicè etiam coram domeſticis cibum capiant. Piè inquam: nam ſi ſcandalum minimè ſequatur, licitum eſſe nullus dubito: ſecus ſi ſecus, juxta illud ex Concilio Toloſano: * Qui carnem prohibitis diebus ex licentia comedent, ſoli, ne ulli ſcandalo ſint, locoque ſeparato comedent. Indè in Concilio Mediolanenſi habetur: * Ægroti cùm per invaletudinem corporis jejunare non poſsint, quodam intimi animi dolore, gemituque, ut S. Auguſtinus monet cibum capiant, pro eo, quòd aliis jejunantibus ipſi abſtinere non poſsint. Caveant autem, quod alio Provinciali Concilio, ex ejuſdem S. Auguſtini ſententiâ cautum eſt, ne alios ſuo exemplo ad violandum jejunium provocent. Verba Auguſtini vel potiùs S. Cęſarii ea ſunt: * Qui jejunare non prævalet, ſecretiùs ſibi ſoli, aut ſi eſt alius infirmus cum ipſo, ſibi in domo ſua pręparet, quod accipiat; & illos, qui ſani ſunt, & jejunare pręvalent, ad prandium non invitet: Quia ſi hoc fecerit, non ſolum Deus, ſed etiam homines intelligere poſſunt illum non pro infirmitate non poſſe, ſed pro gula jejunare non velle. Sufficiat illi, quòd ipſe jejunare non prævalet: & magis cum gemitu & ſuſpirio & animi dolore manducet, pro eo, quòd aliis jejunantibus, ille abſtinere non poteſt. Quid opus eſt unicuique infirmo aliquem ſanum rogare ad prandium, ut ſibi etiam augeat de alterius gula peccatum?

Concilium Toloſan. 1590. p. 2. c. 43.

Concil. Mediol. 5. p. 1. tit. Quæ ad dies feſt. & Sacra Templa pertinent.

S. Auguſt. vel S. Cæſarius ſer. 62. de Tempore.

Quiſnam nomine Superioris intelligatur.

218 Quiſnam autem nomine ſuperioris intelligatur: an ſcilicet ſolus Summus Pontifex? In dubium verti poteſt propter rationem dubitandi inductam à Cajetano, ex eo quòd Ordinarii non habent poteſtatem ſuper legem univerſalis Eccleſiæ qualis eſt lex jejunii. Deinde ex conſuetudine populi Chriſtiani recognoſcentis ſolam Apoſtolicam Sedem ſuper hac lege. Sed oppoſitum dicendum eſt: quia aliàs non foret ſatis proviſum populo Chriſtiano: cùm frequenter casûs dubii occurrant, & recurſus ad Summum Pontificem eſt ferè inacceſsibilis. Deindè quia ob neceſsitatem diſpenſari poſſe tempore obſidionis, famis, aut hujuſmodi ingruentis calamitatis, cum quadrageſimales deſunt cibi, colligitur ex capite *Conſilium* extra. *De obſervatione jejuniorum.* Igitur cum Cajetano conformiter ad litteram Div. Thomæ reſpondetur: * Quòd diſpenſare in jejunio contingit dupliciter. Uno modo abſolutè tollendo, vel commutando vinculum legis. quoad hanc perſonam: & hoc ſpectat ad Papam, qui ſolus eſt ſuper univerſalia jura poſitiva. Et hoc eſt, quod atteſtatur conſuetudo populi Chriſtiani. Alio modo in hoc particulari caſu: & hoc ſpectat ad Epiſcopos, & etiam ad Presbyteros curatos & univerſaliter ad Prælatos reſpectu ſuorum ſubditorum propter rationem ſupradictam, atteſtante hoc auctore in 4. Sententiarum, diſtinct. 15. dicente expreſsè q. 3. a. 2. ad ultimum de laborantibus, *quòd poſſunt ſecundum diſpenſationem Sacerdotis ſui jejunium ſolvere*, & in hoc loco ad tertium. *Niſi fortè, ubi eſt ita conſuetum, quia ex hoc ipſo, quòd Prælati diſsimulant, videntur annuere.* Ex quibus verbis patet, quòd non de ſolo Papa loquimur: quoniam locorum conſuetudines non præſumitur Papam ſcire, ſicut nec ſtatuta municipalia. Minus ergo ſapiunt Prælati, qui petentibus ſubditis in cauſa dubia diſpenſationem cœnandi in jejuniis Eccleſiæ, aut aliter jejunium ſolvendi prævéniendo horam jejunii, remittunt eos in conſcientia ſua. Debent enim compati infirmis, & commutare ad cautelam jejunium in ſeptem Pſalmos, vel aliquid hujuſmodi. Et eadem ratione poſſunt diſpenſare in qualitate ciborum Pręlati in caſu, &c. *

Cajetanus 2. 2. q. 147. a. 4. dub. 1.

219 Aſſerendum eſt ſecundò; defectu ętatis jejunium non obligare. Ita D. Thomas inquiens: ,, Dicendum, quòd in pueris maximè eſt evidens cauſa non jejunandi, tùm propter debilitatem naturæ, ex qua provenit, quòd indigent frequenti cibo, & non multo ſimul aſſumpto: tùm etiam, quia indigent multò nutrimento propter neceſsitatem augmenti, quod fit de reſiduo alimenti. Et ideò quamdiù ſunt in ſtatu augmenti, quod eſt, ut in pluribus, uſque ad finem tertii Septenii, non tenentur ad Eccleſiaſtica jejunia obſervanda. Conveniens tamen eſt, ut etiam in hoc tempore ſe ad jejunandum exerceant plus, vel minùs, ſecundùm modum ſuæ ætatis. Quandoque tamen (magna tribulatione imminente) in ſignum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris jejunia inducuntur: ſicut etiam de jumentis legitur Jonæ 3. *Homines & jumenta non guſtent quidquam, nec aquam bibant.* Eandem rationem tradit Divus Thomas per illa verba: ,, Ad tertiam quęſtionem dicendum, quòd pueri indigent multo cibo, eo quod cibus in eis non ſolum exigitur ad actum nutritivæ, ſed etiam ad actum augmentativæ virtutis, quia de reſiduo nutrimenti fit augmentum: & quia virtus naturæ in eis nondum convaluit, non poſſunt ſimul multum de cibo aſſumere, quia naturalis virtus illud convertere non poſſet, & ideo indigent frequenti cibi ſumptione: & propter hoc eis non competit jejunium dum ſunt in augmento. Tempus namque augmenti ſecundùm Philoſophum eſt uſque ad finem tertii ſeptenii, ut in pluribus, quia res naturales non currunt ſemper eodem modo, ſed ut frequenter: & ideo ante hoc tempus non arctantur pueri ad omnia jejunia Eccleſię ſervanda. Sed quia quantò ad terminum prædictum appropin-

D. Thom. ubi ſup. a 4. ad 2.

Pueri uſque ad finem tertii ſeptenii, ad jejunia per ſe non obligantur: licet congruat aſueſieri.

In 4. diſt. 15. q. 3. ar. 2. q. 3. in corp.

,, quant, tantò virtus naturæ magis roboratur, & augmentum tardius procedit, cum in primis quinque annis perveniat puer ad medietatem totius augmenti, ut Philoſophus dicit, ideò ſecundum quòd magis appropinquant ad pręd ictum terminum, ſunt eis jejunia magis commenſuranda. Sententiam D. Thomæ conſuetudine probatam & ratione firmatam, tenent communiter jam Theologi contra Durandum, alioſque antiquos Theologos apud ſæpè laudatos Salmanticenſes. Et meritò addunt: Quòd licèt ante vigeſimum annum expletum adoleſcentes ad jejunii Eccleſiaſtici præceptum non teneantur; poſſunt tamen, maxime decimo quarto ætatis anno, ad id obligari ex voto, pœnitentia, & quando ab Eccleſiæ Prælatis ob maximam neceſsitatem jejunia inducuntur. Quod Div. Thomas his verbis loco citatato expreſsit: *Quandoque tamen magna tribulatione imminente, in ſignum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris jejunia inducuntur, ſicut etiam de jumentis legitur Jonæ* 3. Doctori Angelico hortanti ut ad jejunia (nam abſtinentia à carnibus eos obligat cum ad uſum rationis perveniunt) pueri aſueſiant, præluxit S. Baſilius inquiens: *Pueri velut plantę virides jejunii aquâ irrigantur.*

S. Baſil. orat. 2. de Jejunio.

220 Addunt tamen Theologi ſolidioribus principiis inhęrentes: Adoleſcentes Religioſos ad jejuniorum Eccleſiaſticorum & Regularium obſervantiam obligari, non lege Eccleſiaſticâ, ſed Religioſâ Profeſsione. Undè ſi jejunia Eccleſiaſtica & Regularia ſint præcepta in Regula, vel ſtatutis, ſive Conſtitutionibus, eæque ſub peccati mortalis reatu hæc injũgant, lethalis peccati rei erunt, quoties hæc jejunia violaverint, quamvis nondum vigeſimus primus ætatis annus illis expletus ſit. Si verò ad pœnam dumtaxàt, ſeu ſtatutis ipſis, Conſtitutionibus, aut Regulâ Monaſticâ præſcriptam, ſeu pro Superiorum arbitrio imponendam, obligent, rei non erunt lethalis peccati, ſive Regularia jejunia quacunque ætate, ſive Eccleſiaſtica ante annum ætatis vigeſimum primum completum, violaverint, modò contemptus abſit, & ſcandalum. * Undè (inferunt Salmanticenſes) quia regula D. Franciſci obligat ſub mortali ad jejunandum à feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Chriſti Domini, & inſuper omnibus feriis ſextis totius anni, ut ait Villalobos; & primitiva Carmelitarum regula, quam Diſcalceati in toto rigore obſervamur, jejunare præcipit à feſto Exaltationis Sanctæ Crucis uſque ad Dominicam Reſurrectionis (exceptis Dominicis) cujus obligatio ſolùm ſub veniali eſt, ut Conſtitutiones noſtræ explicant (niſi quando ulterius adeſt Eccleſiæ præceptum) ideò Religioſi profeſſi Franciſcani, etſi annum vigeſimum primum non attigerint, tenentur ſub mortali ad dicta jejunia; & noſtri Diſcalceati ſub veniali ad præfata jejunia ex regula ſimiliter obligantur. *

Ad jejunia in Religione pręcepta juvenes tenentur.

221 Circa excuſandos pueros à lege jejunii ſatis expreſsè diſpoſuit Eccleſia Sancta, non item circa ſenes, quorum ętatem nuſquam determinavit pro jejunii tollenda obligatione. Indè enim opinandi diverſitas apud Auctores invaluit; affirmantibus nonnullis (quos ſequuntur PP. Salmanticenſes) ſexagenarios etſi robuſtos à jejunii obligatione ſolutos eſſe. Probantque laudati Patres ex eo quod S. Pius V. anno 1570. de hoc interrogatus, viva voce reſpondit eſſe excuſatos, ut teſtatur Lamas 3. part. Meth. cap. 5. §. 20. Cùm autem de hac reſponſione non conſtet: imò videatur incredibile Sanctiſsimum illum Pontificem, de diſciplina Eccleſiaſtica maxime meritum, in re tam gravi ſuam non explicaſſe mentem: cum in aliis, minoris fortè momenti punctis, ſapięnter diſpoſuerit. Imò dato illo oraculo nihil roboris inde accreſceret opinioni relatæ; cum Gregorius XV. & Urbanus VIII. expreſsè revocaverint Oracula omnia *vivæ vocis.* Quapropter alii Theologi uſque ad annum ſeptuageſimum per ſe loquendo non eſſe exemptos à jejunii obligatione ſenes, affirmant, ſecluſa nimirum infirmitate, aut notabili debilitatè. Nobis autem probabilior (dignaque ut ad praxim reducatur) apparet Sententia, quam D. Antoninus ita expreſsit: *Senes, ſi ſunt multum debiles, eo modo poſſunt excuſari, ſicut dictum eſt de infirmis. Ratione autem ſenectutis tantùm non excuſantur, ſi ſunt fortes ad ſufferendum jejunium: Nec eſt determinata ætas ab aliquo, uſque ad quos annos quis tenetur ad jejunium.* Certò igitur ſenectus illa languida excipitur, quę magna per ſe infirmitas eſt. Undè Concilium Toletanum eos à jejunii obligatione liberos vocat: *Quos ætas incurvat.* Alioqui, *Senibus conſuetudo & familiaritas jejunii, levem facit laborem* (inquit Sanctus Baſilius.) Hinc Auctor ſermonis inter eos qui Sancto Ambroſio hactenus adſcripti ſunt: *Pudet dicere,* (inquit) *ſenes & aniculæ Quadrageſimam faciunt: Juvenes & juvenculæ non faciunt.* Neque ſubjecta reſolutio ſcrupulis expoſita eſt, ut timent ubi non eſt timor PP. Salmanticenſes: Nam in caſu dubiii medicus vel reſpective Superior conſultari debet. Quòd autem in ſui favorem ſubjungunt de Sancto Pio Quinto & ſucceſſoribus prohibentibus Clericis & Religioſis in Bulla Cruciatæ edere ova & lacticinia in jejuniis Quadrageſimæ, exipientibus tamen ſexagenarios: quia credunt ob defectum virium, nec ad abſtinentiam à cibis quadrageſimalibus, nec ad jejunia teneri. Potius pro noſtra reſolutione ſtare judicamus: quia non eos eximit ab obligatione jejunii, ſed ſolùm indulget eſum lacticiniorum ex privilegio Bullæ Cruciatæ communis: undè exceptio hujuſmodi potiùs ſignificare videtur eos teneri, ad jejunium.

S. Antonin. 2. p. tit. 6. c. 2. §. 5.

Senes, ſi robuſti ſint, ab obligatione jejunii non excuſantur.

Concilium Tolet. 8.

Ambroſ. vel Auctor ſer. 7. de S. Quadrag.

222 Scio equidem, Natalem Alexandrum in reſolutionis noſtræ patrocinium

& fulcimentum adducere exemplum Cardinalis Ximenez de Ciſneros Toletani Archiepiſcopi, qui ultra annum ſeptuageſimum vitę ſuæ ad jejunia Eccleſiaſtica & regularia teneri exiſtimans, ab ea obligatione eum abſolvit Leo X. non ob ſolam ſenectutem, ſed *ob varias corporis infirmitates*, in qua ſæpè incidebat. Veruntamen non ſatis exploratum mihi eſt, an ex ſupererogatoria pietate, an verò ex dictamine conſcientiæ obligantis, jejunia illa aliaſque regulæ auſteritates frequentaſſet. Neque enim Leo X. ad ejus petitionem, ſed motu proprio reſcriptum illud direxit, hìc ad litteram ſubjiciendum in laudem tanti Cardinalis, in noſtræ Hiſpaniæ decus immortale, exterarum Nationum ſtuporem, & perverſorum calumniantium obturationem cœlitus dati. Sic inquam habet ſummus ille Pontifex apud Raynaldum.

Odoricus Raynal anno Chriſti 1517.

DILECTO NOSTRO FRANCISCO tit. Sanct. Balbinę Presbytero Cardinali Toletano.

Elogia V. Cardinalis Ximenez de Ciſneros.

223 * Accepimus quod tu, qui ſeptua-
* geſimum & ultra ætatis tuæ annum agis
* & in Eccleſia Toletana, necnon Regno-
* rum Caſtellę & Legionis pro chariſsimis
* in Chriſto filiis Joanna Regina & Caro-
* lo Rege, ipſorum Regnorum Catholicis
* gubernatione & regimine, ac in Officio
* Inquiſitionis hæreticæ pravitatis, quòd
* de commiſsione Sedis Apoſtolicæ lauda-
* biliter exerces, plurimum ſolicitudinis at-
* que laboris jugiter impendis, proinde-
* quę ultra quas tanta ætas ſecum affert,
* in varias corporis infirmitates ſæpè inci-
* dis, ac ætatis tuæ quaſi immemor Medi-
* corum conſilia ſpernens à jejuniis & ab-
* ſtinentiis per Eccleſiam indictis, & per
* Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de
* Obſervantia, cujus tu profeſſor exiſtis,
* adhuc deſiſtere non curas, ſed ea con-
* ſtantiſsimè obſervando, habitu ac cingu-
* lo indutus ſolitis in lectum te recipis,
* & cum illis ibi manes de lanea tunica
* veſtitus, & alias auſterrimè vivis. Et li-
* cet, dilecte fili, modus iſte ſit exempla-
* ris, & laudari potiùs quàm reprehendi
* debeat, ac clarè conſpiciamus te ad præ-
* mium æternæ vitæ non lentis greſsibus
* properare, tamen quia, ut accepimus,
* complexio & ætas tua iſtis vitæ auſteri-
* tatibus adeò rigoroſis atque acutis non
* eſt apta, ac deceat te qui multis annis
* jejunia ipſa & dictorum Fratrum viven-
* di modum integerrimè obſervaſti, velut
* emeritum militem ad majora ſervatum,
* tanta ætatis mole gravatum, à tanta vi-
* vendi auſteritate jam deſiſtere, ſperans
* quod tu regimen & officium prædictum
* integerrimè exercendo, S. Romanæ Ec-
* cleſiæ & Religioni, ac Regnis prædictis
* maximè utilis fuiſti, hactenùs de cętero
* etiam illis, necnon generali expeditioni
* contra infideles per nos fieri propoſitæ
* ac deliberatæ, quibus tu nec nunquam
* magno terrori ac formidini fuiſti, quo-
* rum vires cùm non parva illorum ſtrage
* contriviſti, futuris ſis utilis ac neceſſa-
* rius, animoque reputamus converſionem
* Regni Granatę ad Chriſti fidem & expug-
* tionem Civitatis Oran, & aliorum jam
* ferè omnibus nota, per te cum Dei au-
* xilio præclara geſta; motu proprio, non
* ad tuam vel alterius pro te nobis ſuper
* hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de
* noſtra mera deliberatione, ac certa ſcien-
* tia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitu-
* dine, in virtute Sanctæ Obedientiæ, cu-
* jus quanta ſit virtus & efficacia non ig-
* noras, ac pro tua erga hanc Sanctam
* Sedem ſolitâ atque in multis cognitâ re-
* verentiâ, ac ſub noſtræ indignationis, co
* ipſo quòd hujuſmodi noſtris mandatis
* futuris tranſgreſſor, incurrendis pœnis,
* præcipimus & mandamus ut de cętero
* quamdiù in humanis vixeris, diebus je-
* juniorum prædictorum, ſextis fєriis &
* majoris hebdomadæ ſanctæ dumtaxàt die-
* bus exceptis, carnibus & aliis ſementi-
* nam originem ab eis trahentibus veſci,
* ac uti debeas; quibus diebus tres Chriſti
* pauperes reficiendo, omne jejuniorum
* meritum conſequaris, perindè ac ſi ad
* litteram jejunia ipſa plenè ſervares, &
* adimpleres; & ipſis quoque diebus ſupe-
* riùs exceptis, dum Medicorum conſilio
* cui corporis ſaluti expedire decernatur,
* carnibus & ab eis originem ducentibus
* tibi ſimiliter veſci, ac uti liceat: necnon
* habitu ſive tunica lanea & cingulo præ-
* dictis per te dimiſsis, linea dumtaxàt
* tunica in lecto ſindonibus ſivè linteis
* lineis cubare atque dormire, & aliis in
* prǫmiſsis, ac eorum aliquo Medico-
* rum, qui tui corporis valetudini cura-
* bunt, libero conſilio & ſuaſioni parere
* & obedire poſsis & debeas, &c. Datum
* Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo
* Piſcatoris die ultima Maii M. D. XVII.
Pontificatus noſtri anno V.

224 Aſſerendum eſt tertiò: ex neceſsitate, debilitate, & labore rationabili excuſari homines ab obligatione jejunii. Quantùm ad primum ſic docet Div. Thomas:
„ Dicendum, quòd pauperes, qui poſſunt
„ ſufficienter habere, quòd eis ſufficiat ad
„ unam comeſtionem, non excuſantur prop-
„ ter paupertatem, à jejuniis Eccleſiæ, à qui-
„ bus tamen excuſari videntur illi, qui fruſtra-
„ tìm eleemoſynas mendicant, qui non poſ-
„ ſunt ſimul habere, quòd eis ad victum ſuf-
„ ficiat. Et in Sententiariis magis explicat,
„ dicens: Quòd paupertas non ſemper excu-
„ ſat à jejunio, ſed in llo caſu quando ſimul
„ habere non poteſt tantùm hora comeſtio-
„ nis, quòd ad victum totius diei ſufficiat,
„ ſicut frequenter egenis contingit, qui fru-
„ ſtratìm eleemoſynas quærunt, vel etiam quā-
„ do ex præcedenti inedia tantùm debilitati
„ ſunt, quòd jejunium ſufferre non poſſunt.
Inde habes ex D. Thoma pauperes oſtiatim men-

D.Thom.q.147 a.4.ad 3.

In loco ſent. q. 4. ſolut. ad 4.

Neceſsitas, debilitas, & labor excuſant.

dicantes non eximi ab obligatione jejunii, ſi tales ſunt de quibus ita loquuntur PP. Salmanticenſes: * Aliquoties autem vidi oſtiatìm mendicantes plures aureos ſervatos ſecum habere, quibus decentem refectionem poterant parare, qui propterea à jejunio non deobligantur. *

225 Ratione debilitatis conveniens eſt, ut cum mulieribus gravidis & nutricibus diſpenſetur, quibus copioſiùs alimentum ob fœtum, aut prolem neceſſarium eſt, cui providere naturali jure tenentur: undè jejunando peccarent ſi indè periculum ipſis vel proli immineret. Non tamen probamus opinionem eorum, qui abſolutè affirmant peccare mortaliter mulieres gravidas pluries jejunando, etſi robuſtæ ſint: quia hoc fieri poſſe ſine prolis periculo iteratæ experientiæ docent. Et præſertim ſi jejuniis ſeſe ſatagerint à pueritia aſuefacere. Verumtamen mulieribus gravidis jejunium prohibere debet Confeſſarius, ſi ſcrupulo, aut imprudenti zelo atque inconſiderata pietate, illas jejunare velle videret. Eas tamen à carnibus abſtinere neceſſum eſt, niſi vehementer carnes appetant cum periculo ejiciendi fœtum extra tempus. Et ſimiliter lactantes, ſi debilitas infantuli id exigat; in quo Medicus conſulendus eſt ex privilegio Cruciatæ, aut Superior conformiter ad ſupradicta. Si autem uxores gravidæ non ſint aut nutrices, aliavè infirmitate vel debilitate excuſatæ, dimittere non debent Eccleſiæ jejunia, etiam prohibentibus viris ne jejunent, ut docet S.Antoninus.

Quid de mulieribus gravidis & nutricibus dicendum ſit.

S. Antonin. 2. p. tit.6.c.2.

226 Ad laborem quòd attinet tùm corporalem, cùm ex pietate, ita reſolvit D.Thomas: „ Dicendum, quòd circa peregrinos &
„ operarios diſtinguendum videtur: quia, ſi
„ peregrinatio, & operis labor commodè dif-
„ ferri poſsit, aut diminui abſque detrimen-
„ to corporalis ſalutis, & exterioris ſtatûs,
„ qui requiritur ad conſervationem corpora-
„ lis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter
„ hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda. Si au-
„ tem immineat neceſsitas ſtatim peregrinan-
„ di, & magnas dietas faciendi; vel etiam
„ multum laborandi, vel propter conſerva-
„ tionem vitæ corporalis, vel propter aliquid
„ neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul
„ cum hoc non poſsint Eccleſiæ jejunia ob-
„ ſervari, non obligatur homo ad jejunan-
„ dum; quia non videtur fuiſſe intentio Ec-
„ cleſiæ ſtatuentis jejunia, ut per hoc impedi-
„ ret alias pias & magis neceſſarias cauſas.
„ Videtur tamen in talibus recurrendum eſſe
„ ad Superioris diſpenſationem, niſi fortè
„ ubi eſt ita conſuetum, quia ex hoc ipſo,
„ quòd Prælati diſsimulant, videntur an-
„ nuere.

D.Thom.2.2.q. 147. a.4.ad 3.

Quęnam peregrinationes etiam piæ à jejunio excuſent.

227 Ex quibus ſua ſpontè fluit, à jejunio excuſatos eſſe omnes illos, quibus aliquod opus faciendum incumbit, quod facere non poſſunt, ſi jejunent; ſive hoc illis incumbat ex neceſsitate victum quærendi; ſive ad vitandum damnum ſuum vel alienum; ſive ad tuendam ſalutem animæ vel corporis; ſive ad iſtud opus ob neceſſitatem publicam, ſivè ex officio quod gerunt, obligentur; ſive divites ſint, ſive pauperes; ſive opus illud merè corporale ſit, ſive ſpirituale, quod tamen corporis laborem adjunctum habeat, & quo vires corporis exhauriantur. Quamobrem à jejunii lege ſoluti ſunt artifices, dumtaxàt gravia, dura & laborioſa opera facientes, his diebus, quibus laborant, vel quibus ex præcedentis diei labore ſunt plurimum fatigati; ſicut fabrilignari, & alii hujuſmodi.

Labores excuſantes.

228 Undè quamoptimè apparet meritò fuiſſe damnatas ab Alexandro VII. propoſitiones illas erroneas, & ad praxim nuſquam deducendas. 30. nimirum: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum jejunio.* Et 31. *Excuſantur abſolute à præcepto jejunii, omnes illi qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiam ſi iter unius diei conficiant.*

Propoſitiones 30. & 31. circa excuſationem ab obligatione jejunii, damnatę ab Alexandro VII.

229 Scio equidem ab obligatione jejunii, excuſari ab aliquibus Theologiæ & aliarum ſcientiarum Profeſſores, ſicuti eos qui publicis concluſionibus præſident. Sed huic opinioni per ſe loquendo aſſenſum præbere renuam quammaximè. Benè verò illos, qui lectionem oppoſitionis viginti quatuor horarum ſpatio, ad Cathedras aut Prębendas obtinendas, faciunt: quia ingens pro illo peremptorio tempore ſtudii labor, continuuſque in ſpeculando conatus, & magna ſpirituum conſumptio, non parum debilitant, prout ſępè iteratâ experientiâ didici. Monitum tamen volo circa infirmitatem aut debilitatem excuſantes à jejunio, cum S. Antonino dicente: ***Sed pro qua infirmitatè & quanta debilitate excuſentur, arbitrio boni viri ſtatuitur.*** De his itaque aliiſque pluribus caſibus conſulantur Auctores, qui ad praxim Theologiam tradiderunt. Non poſſumus tamen non diſſentire auctoribus, qui cum Patribus Salmanticenſibus ſtatuunt: Eum qui animo non jejunandi ponit media licita vel illicita cum jejunio incompatibilia, ab obligatione jejunii eximi: quia operatur in fraudem legis: fraus autem nemini debet patrocinari ut habetur in jure Canonico. Et deinde; quia ſequerętur (quod aures Chriſtianæ ferre non poſſunt) eum qui malo fine laboraret, ut ad aliquem occidendum, vel ad inſequendum amicum, ſeu libidinem explendam, poſſe ad vires reparandas jejunium ſolvere, ſequuta defatigatione.

Profeſſores ſcientiarũ per ſe non excuſantur.

Qui animo nõ jejunandi, licita, aut illicita opera ponit incompoſſibilia, reus erit præcepti.

230 Scio equidem PP.Salmanticenſes eam pro caſu præſenti & ſimilibus generalem aſſignare regulam. * Ubi cauſa impediens alicujus legis adimpletionem, extrahit omittentem ab ipſa lege, ſive talis cauſa aliàs peccaminoſa ſit, ſive non, & ſive hac, ſive illa intentione apponatur, ſequentes omiſsiones, etſi ſint prævisę aut intentæ, non imputabuntur ut peccata, nec in cauſa, nec in ſeipſis: ubi verò prædicta cauſa omittentem non extrahit à legis obligatione, & voluntariè appoſita

ta eſt, omiſsiones ſequentes in ea pręviſæ, vel prævideri debitæ, omnes imputabuntur, & ſunt formaliter peccata, tàm in cauſa, quàm in ſeipſis. * In hac enim regula difficile mihi apparet, quòd omiſsiones illæ non ſint peccaminoſæ in cauſa ſaltèm, cùm præviſæ ſint ſequendæ ad cauſam, quam ea intentione ponit; præcipuè quando dat operam rei illicitæ per ſe inducenti ad omiſsiones & incapacitatem præcepti adimplendi: præceptum autem de opere aliquando ponendo, ex conſequenti obligat ad tollenda impedimenta voluntaria, & multo magis ſi ſunt illicita, pro adimplendo præcepto: aliàs homo reportaret commodum ex ſua iniquitate. Neque opus habuerunt addere, quòd ſi prędicta cauſa non extrahit ab obligatione legis, qui omittit, peccat: nam hoc eſt per ſe notum: & vertitur in dubium: an obliget lex, vel non obliget. Vellem certè laudatos Patres Salmanticenſes, alias de doctrina Div. Thomæ tam benemeritos, illos attentè conſpexiſſe (& depoſitis probabiliſmi, cui non parum effecti ſunt, prejudiciis) & attentiùs meditaſſe propoſitiones D. Thomæ, aliàs à nobis adductas n. 226. præcedenti: *Si peregrinatio & operis labor commodè differri poſsit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis & exterioris ſtatûs, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ; non ſunt propter hoc Eccleſię jejunia prætermittenda.* Similia habet in loco Sententiarum proximè adducto. Si enim opera pietatis, & corporalis labor incompoſsibiles cum jejunio, intermittenda ſunt; niſi neceſsitas immineat: imò in eo tunc monet S. Doctor recurrendum eſſe ad Superioris diſpenſationem: Quid quęſo dixiſſet D. Thomas de operibus & peregrinationibus malis, & peccaminoſis?

231 Hactenùs de primo Libro adversùs pudicitiæ & chriſtianę vitæ apertos hoſtes inſtructo, divinorum præceptorum roboratâ efficaciâ vallato; velut cęleſte pſalterium decem chordis ſuavitèr intonans, ſuaque divinitus data melodiâ impietatem omnem & impietatis cultores profugans. Liceat ergo nobis primum Librum, iiſdem verbis quibus tertium Librum Magiſter Sententiarum abſolvit, abſolvere, elucidante Angelico Scholarum Theologo: *Audiſtis decem chordas pſalterii utrique ſexui impoſitas, quæ charitate tangenda ſunt, ut vitiorum feræ occidantur.* „ Per „ decem chordas pſalterii (elucidat D. Tho- „ mas) decem præcepta Legis intelliguntur. „ Sicut enim David egregius pſaltes ſono „ citharæ & pſalterii ſpiritum malum à Saul „ expellebat, ut dicitur 1. Regum 16. *Et „ urſum & leonem interfecit*; ut dicitur in „ cap. 17. Ita Chriſtus, qui per David ſigni- „ ficatur, corda noſtra quaſi pſalterium his „ decem præceptis percutiens, omnium mor- „ talium peccatorum feras in nobis occidit, „ & virtutes perficit, quibus ad vitam per- „ venitur æternam, in qua cum Chriſto vi- „ vamus per omnia ſæcula ſæculorum; & cum Angelis in perpetuum dicamus:

Mag. Sent. lib. 3. diſt. ult.

D. Thom. ibid. in Comment. ad finem.